B. 11.

Digitized by Google

DE VETUSTIS
CANONUM
COLLECTIONIBUS
DISSERTATIONUM SYLLOGE.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE VETUSTIS CANONUM COLLECTIONIBUS

DISSERTATIONUM SYLLOGE;

Quibus virorum doctiſſimorum cura & ſtudio elucubratis, de Juris Eccleſiaſtici origine atque progreſſu luculenter diſſeritur.

UBI ET PLURA TUM AD ANTIQUITATEM CANONICAM, TUM AD REM LITTERARIAM ILLUSTRANDAM ADDUCUNTUR.

ACCESSERE

V. C. ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

DE EMENDATIONE GRATIANI

DIALOGORUM LIBRI DUO.

COLLEGIT, RECENSUIT AC PRÆFATIONEM ADJECIT

ANDREAS GALLANDIUS

PRESBYTER CONGREGATIONIS ORATORII.

VENETIIS

MDCCLXXVIII.

TYPIS THOMÆ BETTINELLI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. D. D.

FRIDERICO M.^E GIOVANELLIO

PATRIARCHÆ VENETIARUM

DALMATIÆQUE PRIMATI, *cet.*

PONTIFICI OPTIMO

ANDREAS GALLANDIUS
Presbyter Congregationis Oratorii

Perpetuam Felicitatem.

QUUM multa, Præſul Illuſtriſſime, a vetuſtis Eccleſiæ Patribus ſancita divinitus ac inſtituta ſint, quæ ad regimen eccleſiaſticum in primis efformandum ac ſtabiliendum rite conferrent; ea omnia ſuperioribus temporibus a majoribus noſtris ſancte ac religioſe ad hanc uſque diem ſervata noſcuntur. Hujuſce rei teſtes locupletiſſimi complures veteres Canonum Codices cum Græci tum Latini, ſive univerſæ Eccleſiæ, ſive

ſive Romanæ, *ſive Africanæ*, *ſive alio demum nomine inſcripti*, *ſummo ac diligenti ſtudio antiquitus digeſti*, *quos ævo potiſſimum præterito e bibliothecarum forulis in lucem eduxerunt viri doctiſſimi atque illuſtrarunt*. *Hos porro antiquos Canonum Codices*, *quotquot exſtant*, *mihi ſedulo haud ita pridem comparatos*, *prelo quam proxime ſubjiciendos cenſeo: ipſa enim ætas ad ſenium vergens opus maturare magnopere perſuadet*. *Quæ quidem ſyntagmatum collectio*, *ut augurari licet*, *ſecum plane adferet uberrimam cum orientalis tum occidentalis Eccleſiæ Canonum ſcientiam*. *Hujuſmodi autem ſyllogen eo in primis conſilio contexendam edendamque ſuſcepi*, *quo iis omnibus pro virili præſto ſim*, *quorum ſtudiis adlaboro; iis*, *inquam*, *qui ſive clericorum animis informandis erudiendiſque* in doctrina, in integritate, in gravitate, *ut ait Apoſtolus* (1), *bene præſunt; ſive qui vel maxime in ſacerdotii culmine conſtituti*, *plebi Chriſtianæ optime regendæ præficiuntur*.

Interea vero, *dum probe noſſem*, *ab eruditis hominibus qui Juri veteri Canonico præ ceteris operam navant*, *non poſtulari modo*, *verum etiam flagitari virorum doctorum lucubrationes*, *quibus de antiqui Juris eccleſiaſtici auctoribus copioſe ſimul ac ſollerter ſermo inſtituitur; in id antea potiſſimum curam omnem ſtudiumque converti*, *quo eorum votis fieret ſatis*. *Quum enim*, *ut ajebat Tullius* (2), οὐδὲν γλυκύτερον, ἢ πάντ' εἰδέναι, Nihil dulcius, quam omnia noſſe; *jure optimo quiſque ſcire primum omnium requirat*, *quinam ſint quamque præſtantes auctores illi*, *quorum ſcripta in poſterum evolvenda ac ediſcenda ſuſceperit*. *Illud quoque accedit*, *nihil eſſe aptius ad lectorum utilitatem atque oblectationem*, *quam rerum initia incrementaque noſſe*, *quæque pro temporum viciſſitudine in eccleſiaſticæ diſciplinæ ſanctionibus exorta fuerint*, *aucta*, *immutata*, *penitius intelligere ac pervidere*.

Scri-

(1) Tit. II. 7.
(2) Cic. ad Attic. lib. IV. epiſt. XI.

Scriptores itaque quos tamquam prodromos junctim heic proferendos exiſtimavi, ſuis in lucubrationibus exarandis ſimul ac digerendis tam fertili ingenio tamque felici induſtria uſi perhibentur, ut quidquid de ſacris Canonum Codicibus eorumque collectoribus elucidandum ſupererat, jam ignoret nemo. Nihil enim tam abditum quod non excuſſerint, nihil tam dubium quod non expenderint, nihil denique tam obſcurum quod non illuſtrarint.

Quæ quum ita ſe habeant, non eſt demum, ut equidem opinor, cur non libenter accipias, Antiſtes optime, quod hujuſmodi collectionem tibi potiſſimum nuncupandam exiſtimarim, ſive clarorum auctorum doctrinam, ſive ſacræ eruditionis ubertatem, ſive ipſum in primis ſcriptionis argumentum ſpectes. Quid enim gratius atque honeſtius homine muniis eccleſiaſticis præcipue addicto, quam ſi de antiqua Eccleſiæ diſciplina vel ſibi addiſcenda vel aliis ediſſerenda inquirat? Sancti enim Patres, *inquit Leo magnus* (1), ma ſuras uſque in finem mundi leges eccleſiaſticorum Canonum condiderunt... ut propterea quæ ad perpetuam unitatem generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur: *quandoquidem, ut idem alibi ait* (2), univerſæ pacis tranquillitas non aliter poterit cuſtodiri, niſi ſua Canonibus reverentia intemerata ſervetur. *Tanto quidem Pontifice digna plane ſententia.*

Quum itaque, ut antiquitus traditum (3), γνώσεως φύλαξ, ſcientiæ *ſit* cuſtos *qui Eccleſiæ præeſt*, neque ulli ſacerdotum ſuos liceat Canones ignorare, *ut monebat ſanctus Pontifex Cæleſtinus* (4); *cuinam cedo quam tibi, Præſul ampliſſime, hujuſmodi collectionem ſcita omnia de Juris eccleſiaſtici dignitate atque præſtantia* com-

(1) Leo epiſt. LIII.
(2) Id. epiſt. LXII.
(3) Conſtit. Apoſt. lib. II. cap. XXVI.
(4) Cæleſt. epiſt. V. §. 1.

complectentem nuncuparim ; qui nimirum probe noveris , epiſcopos æque ſanctiſſimos atque doctiſſimos numquam non decuiſſe , & ſollerti vigilantia ſacrorum Canonum ſtudium promovere , & ut Eccleſiæ leges in ſuo robore firmæ conſiſtant, diligenter incumbere? Ego enimvero eum te eſſe qui Præſulatum Clodienſem optime geſſeris, præclare memini. Quid igitur ominandum reliquum eſt de Venetæ Diœceſeos amplitudine, ad quam regendam per ſtratam tibi eximiæ virtutis merito viam abhinc biennio bonis omnibus plaudentibus perveniſti ? ut plane intelligam , te ad tantum munus onuſque ſubeundum divino elatum eſſe conſilio , illudque Davidicum jure propterea temet uſurpare poſſe (1) *:* Tenuiſti manum dexteram meam , & in voluntate tua deduxiſti me . *Hoc idem omnes qui te apprime norunt , ſentiunt , quorum eſt magna pro tuis clariſſimis virtutibus multitudo : neque aliter prorſus , quod præfiſcine liceat , poſteritatem omnem de te ſenſuram auguror . Quidni augurer ? Id enim altius inſita moribus tuis urbanitas , liberale ingenium , perſpecta facilitas & aſperſa gravitati ſuavis hilaritas quæ in vultu , ſermone , congreſſu omnibus emicat , cetera denique inſignia quæ te circumſtant , ornamenta virtutum mihi plane pollicentur.*

Quæ porro mihi facinora illuſtria, & quanta tui cum laude heic mihi recenſenda forent , niſi me ſcirem , non encomium texere , ſed epiſtolam ſcribere ? At illam præ ceteris animi tui demiſſionem , quam ſemper ac ubique , in primis vero vix dum ad patriarchalem ſedem promotus palam oſtendiſti , præterire neque licet , neque libet : Magnum videlicet Leonem imitatus ; qui cum ad pontificale faſtigium fuiſſet evectus , reſpiciens ad exiguitatis ſuæ tenuitatem & adepti muneris amplitudinem,

(1) Pſalm. LXXII. 24.

dinem , ait (1) *:* Quid tam inſolitum , tam pavendum , quam labor fragili , ſublimitas humili, dignitas non merenti ? *Hæc quidem & verbis & animo tute ipſe : quæ ſane ut rite congruunt ad perfectum optimi ſacerdotis exemplar efformandum , ſic jure produnt te vere divinitus tamquam Aaron vocatum , dignum electum eſſe pontificem . Reliqua prætereo , magna licet , modeſtiæ tuæ potiſſimum freno cohibitus .*

Ceterum quod mearum partium reliquum eſt , rem paucis abſolvam . Videlicet , ſi coram adeſſent viri docti quorum ſcripta de præcipuis capitibus ad Eccleſiæ diſciplinam ſpectantibus , hanc Syllogen conficiunt ; nullus dubito quin perlibenter ac benigne , quemadmodum alios ſoles , illos exciperes , ſuaſque inſuper lucubrationes tibi offerre , tuoque illuſtri nomine inſignes reddere , comiter ſineres . Quidni ergo , me ſequeſtre , idem ſibi ſpondere iis liceat ? Quid quod ut id facerem ipſe , quodammodo compellebat & quaſi jure debitum poſtulabat comitas illa tua liberali homine digna , qua memet ipſum collegaſque fratres meos proſequi , reſque noſtras auctoritate ac patrocinio confovere conſueviſti ? Hoc itaque qualecumque demum eſt operæ meæ atque induſtriæ penſum , amplitudini tuæ volens ac libens dicare ſtatui , quod ſit obſervantiæ in te meæ pignus monumentumque perenne . Neque enim mihi in omni vita res tam erit ulla propoſita , quam ut quotidie te de me optime meritum eſſe vehementius intelligas .

Habes igitur , Præſul illuſtriſſime , hujuſce ſyntagmatum ſylloges , non lector futurus tantum , ſed & doctrinæ judex , quod cepi conſilium . Deum interim oro ,

* * *ut*

(1) Leo ſerm. II. de ſua aſſumt.

Digitized by Google

ut quod in tuo paſtorali regimine præclare agis, diu agas, atque de Eccleſia, de ſacrorum Canonum ſtudiis, de morum diſciplina, deque viris piis ac eruditis, tu pietate, religione ac doctrina præſtans, optime in dies merearis.

Dabam ex Ædibus Congregationis noſtræ Kalendis Maii, anno a Partu Virginis MDCCLXXVIII.

PRE-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

I. Canonicæ antiquitatis ſtudioſorum magnopere intereſſe, illos noſſe fontes unde puriores uberioreſque hauriantur eccleſiaſticæ Juriſprudentiæ latices, nemini enimvero qui recte ſapiat dubitandi locus relictus eſſe videtur. Neque vero hujuſmodi ſcientia iis tantum hominibus qui eccleſiæ muniis obeundis ſunt addicti, neceſſaria exiſtimanda; verum etiam tum illis qui cauſſis civilibus in ſuro agendis ſedulam navant operam, tum iis præterea qui rei litterariæ ſcrinia penitius introſpicere geſtiunt, eamdem ſcientiam haud inſuper habendam nemo jure inficias ierit. Quæ quum ita ſe habeant, dum in veterum Canonum codicibus & collectoribus comparandis curam ſtudiumque inſumimus, operæ pretium interim nos facturos arbitramur, ſi quas viri docti eruditas de iiſdem vetuſtis ſacrorum Canonum codicibus atque ſcriptoribus diſſertationes elucubrarunt, in unum veluti corpus compactas lectoribus harum rerum cupidis præſto eſſe ſtudeamus: quo videlicet via paretur pronior atque facilior ad germanas de iis primigeniis Codicibus notiones efformandas, quorum modo meminimus. Et hanc quidem Diſſertationum ſelectarum Syllogen dum ante virorum eruditorum oculos ſiſtimus, rem ipſis pergratam perque jucundam nos facturos minime ambigimus, adeoque ab eis gratiam inituros nobiſmet ipſis blandimur. Nam, ut inſtituto noſtro doctiſſimi viri verba quodammodo aptemus (1) " quam utile commodumque ſit, ea penes ſe habere ſcripta omnia quæ ad unum & idem cujuſvis diſciplinæ genus attinent, facilis eſt exiſtimatio. Norunt ipſi per ſe ſe homines ſtudioſi, quantum inde ſumtibus operæque parcatur. Scilicet ingentis plerumque bibliothecæ loco ſunt perpauca id genus volumina, in quibus occurrunt ſtatim & ad nutum, quæ per innumeros pæne libros temere diſperſa, nec ſine magnis impenſis parari, nec ſine ſumma temporis jactura evolvi queant ". Hæc ille.

II. Age nunc ea ſis videamus, quæ ſive de diſſertationibus huc illatis, ſive de illarum auctoribus, ad rem qua de agimus, dicenda in promtu habemus. Et primus quidem occurrit PETRUS COUTANT, presbyter & monachus Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri, cui præclaram Epiſtolarum Pontificum Romanorum editionem acceptam referimus, a ſancto Clemente I. ad ſanctum Xyſtum III. ſive uſque ad annum CCCCXXXVII. perductam: neque enim ultra proceſſit V. C. fato functus anno 1721. quo primum ſui operis volumen in vulgus prodiit, alias ad Innocentii III. pontificatum deducendi. Suæ itaque pontificiarum epiſtolarum collectioni luculentam præmiſit doctiſſimus auctor diſſertationem, quam tres in partes diſſecuit. Et in prima quidem nonnulla de Pontificum Romanorum auctoritate delibantur, quæ potiſſimum in uſus hæreticorum cedant; *ut nimirum intelligant, quanto ſuo malo & quam inique ſe ſe ab Sedis Apoſtolicæ communione abruperint*. In altera vero quæ latius patet, de antiquis Canonum collectionibus, ſive Græcis ſive Latinis, ſermonem inſtituit. In tertia denique inquirit, quid in priſcis pontificiarum epiſtolarum editionibus præſtitum fuerit, & quid in ſua ipſe perfecerit. Cujus quidem tertiæ partis ſummam, licet ea hujuſmodi collectioni diſſertationum quam contexuimus minus conſentanea videatur, omnino tamen prætermittere nobis religio fuit; quippe quæ haud pauca ſcitu digna nec alibi facile obvia præ ſe ferat, neque demum ab inſtituto noſtro prorſus aliena exiſtimetur.

 III.

(1) *Coutant.* præfat. ad Epiſt. Rom. Pontif. ſ. I.

III. Conſtantianam diſſertationem excipit altera *de veteribus Canonum collectionibus*, quam inter opuſcula PETRI DE MARCA archiepiſcopi Pariſienſis primum evulgavit Pariſiis anno 1681. Stephanus Baluzius. Eam vero elucubravit V. C. ut nos edocet laudatus editor (1), quum in Hiſpania Tarraconenſi gereret munus Viſitatoris generalis. Quare mirum non eſt, inquit, ſi in penuria librorum qua illic laborabat, coactus eſt uti editione Pithœana Breviationis Canonum Ferrandi diaconi, quum eas non haberet emendationes quæ deinceps ab Alteſerra & Chifletio ſunt editæ. Monet præterea Baluzius, hanc diſſertationem quamvis longa ſit, non eſſe integram, quum de conciliis tantum Africanis in ea ferme agatur. Qua de re fragmentum profert epiſtolæ ipſius auctoris, ad clariſſimum virum Petrum Poſſinum ita ſcribentis anno 1660. III. Kal. Januarias: *Abſolvere inſtitui diſſertationes meas de veteribus Canonum collectionibus, opus hactenus intentatum noſtris ingeniis atque etiam exteris*. Ceterum non eſt cur de celeberrimi auctoris doctrina & eruditione heic ſermo habeatur: res enim ab eo præclare geſtas, complures eruditi viri memoriæ prodiderunt; quos inter Paullus *de Fayet* ejus Vitam conſcripſit, quam ejuſdem præſtantis viri diſſertationibus poſtumis præmiſſam Pariſiis in lucem emiſit anno 1668.

IV. Sequitur *De antiquis tum editis tum ineditis collectionibus & collectoribus Canonum ad Gratianum uſque Tractatus*, quem Appendici ad S. Leonis Magni opera præfixum anno 1757. Venetiis edidere docti eruditique viri, PETRUS & HIERONYMUS fratres BALLERINII. Ampliſſimum hujuſmodi Tractatum in quatuor partes diſtribuendum cenſuerunt clariſſimi auctores. Et in earum quidem prima de Græco Canonum codice, ſimulque de nonnullis ejuſdem codicis Canonibus qui aliquam difficultatem pariunt, verba faciunt; ubi potiſſimum in catalogos patrum Nicænorum, Ancyranorum, Neocæſarienſium atque Gangrenſium inquirunt. Præterea veram Canonum Antiochenorum epocham ſtatuere ſtudent: de Canonibus denique Sardicenſibus agunt, accuratumque patrum Sardicenſium catalogum ex certioribus monumentis contexunt. Pars ſecunda verſatur circa vetuſtiores collectiones Latinas, quæ vel Dionyſio Exiguo antiquiores ſunt, vel ab ipſo Dionyſio non prodeunt: ubi inter cetera Canonum Africanorum qui pluribus difficultatibus implicantur, exacta diſcuſſio atque diſtinctio exhibetur. Neque vero vetuſtiſſimas Canonum collectiones manu exaratas prætereunt viri eruditi: quin fuſe diſſerunt de variis ejuſmodi collectionibus, quæ in codicibus mss. Vaticanis, Barberinis, Veronenſibus aliiſque continentur. Porro in tertia parte ſermo recurrit de collectione Dionyſiana, & ceteris quæ ex Dionyſio aliqua mutuatæ ſunt documenta: cujuſmodi ſunt Hadriana, Hiſpanica & Iſidoriana. Quarta denique pars de antiquis edifferit abbreviationibus Canonum aliiſque collectionibus Latinis, quæ vetuſtum Jus Canonicum in libros ac titulos digeſſerunt. Quo quidem munere rite perfuncti, omne tuliſſe punctum viri clariſſimi merito exiſtimandi.

V. Paullo ante paucis complexus fuerat idem argumentum CAROLUS SEBASTIANUS BERARDUS presbyter Uneljenſis in præſtanti opere anno 1752. Taurini vulgato, quo Gratianum erudite illuſtratum exibuit. In eo enim totus eſt vir doctiſſimus, ut primum genuinos Gratiani Canones ab apocryphis diſcernat, deinde corruptos ad emendatiorum codicum fidem exigat, difficilioreſque denique recta interpretatione ex integro contextu deducta explanet. Quo in penſo abſolvendo, a Gratianea methodo prorſus recedens, tres in partes opus ſuum appoſite tributum proponit. Atque in earum prima de capitibus Gratineis ad concilia ſive generalia ſive particularia pertinentibus edifferit. In altera vero Gratiani capita perſequitur, epiſtolis decretiſve ſummorum Pontificum

(1) Baluz. præfat. ad Opuſc. Marc. §. IX.

cum adtributa. Tradit autem in poſtrema, quæ Gratianus ex ſanctis Patribus aut ſcriptoribus eccleſiaſticis deſumſit. Porro ad rem noſtram quod attinet, ex clariſſimi auctoris præfatione in univerſum opus *Diſſertationem* depromſimus *de variis Canonum collectionibus ante Gratianum*: in qua præ ceteris nonnulla noviter excogitata non ſine animi voluptate legenti occurrent.

VI. Hactenus expoſitis Diſſertationes III. PASCHASII QUESNELLI ſuffecimus: in quarum prima *de Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ* ſermonem inſtituit auctor: in altera *de variis fidei libellis in antiquo Romanæ Eccleſiæ Codice contentis*: in tertia demum *de primo uſu Codicis Canonum Dionyſii Exigui in Gallicanis regionibus*. Queſnelliana placita excutiunt eruditi Ballerinii fratres, quorum proinde adnotationes & obſervationes criticas ſubjiciendas curavimus. Ex quibus arguas, quoad primam diſſertationem, Codicem Queſnellianum non fuiſſe Romanæ Eccleſiæ, ſed collectionem privato ſtudio in Galliis confectam; atque haud ægre dilui argumenta quibus editor præconceptam opinionem adſtruere conatur. Quod autem ad ſecundam ſpectat diſſertationem, illud in primis notatu dignum occurrit, alterum nimirum fidei libellum Auguſtino a Queſnello tributum, concilio potius Toletano vindicandum. Inter alias denique animadverſiones in tertiam Queſnelli diſſertationem illa diligenter attendenda, qua Dionyſii Exigui Collectionem uſu etiam aliquando fuiſſe receptam ante Caroli Magni tempora oſtenditur. Ceterum de hujuſmodi Codice Queſnelliano pluribus inter ceteros diſſerunt in ſuperioribus diſſertationibus viri clariſſimi, Coutantius & Berardus, quos conſulas velim.

VII. Innumeri ferme inter Catholicos extitere ſcriptores ſive doctrina, ſive dignitate præſtantes, qui jam pridem commentitiam Iſidori Mercatoris collectionem primitus agnoverunt: Cardinales inquam ampliſſimi, Nicolaus de Cuſa (1), Joannes a Turre cremata (2), Cæſar Baronius (3) & Robertus Bellarminus: (4) nec non Antonius Auguſtinus archiepiſcopus Tarraconenſis, (5) aliique complures: ut propterea Blondellus jure Sirmondo feſtive dictus feratur *un enfonceur des portes ouvertes*, quippe qui poſt tot ac tantos viros *Pſeudo-Iſidorum & Turrianum vapulantes* anno 1628. Genevæ in vulgus emittere ſtduerit. Sed non eſt demum, cur idem judicium proferamus de CAROLO BLASCO V. C. qui poſt recentiores eruditiſſimos viros, Coutantium, Berardum, Ballerinios, ceteros, haud ita pridem, anno ſcilicet 1760. *Commentarium de collectione Canonum Iſidori Mercatoris* Neapoli evulgavit. " Enimvero, ut verba uſurpem viri docti qui hujuſce operis cenſorem egit, ſi tractationes univerſas doctorum virorum quæ hactenus de Collectione Iſidori prodierunt, conferas cum iis quæ plurima heic noſter auctor docet; illorum conatus ſtrenuos quidem, at infelices dicas: hujus vero primum ingenii acumen in quærenda veritate, deinde felicitatem in eadem aſſequenda, mireris neceſſe eſt. Nam cuinam poſt renatas litteras, ubi primum de impoſtura Iſidori eſt dubitatum; cuinam, inquam, datum eſt impoſtori pellem ſpecioſam neſcio cujus Iſidori detrahere, intimos artus pertentare, immo, ut ita dicam, in ipſa ſpiramenta animæ introſpicere; & ita quidem, ut & hominis nomen ingeniumque verſipelle, &, quod caput erat, ejus ſcriptionis propoſitum aperiret? Porro quis olfeciſſet, Iſidori fraudem iter ſtraviſſe comminiſcendæ Joannæ Papiſſæ; niſi eruditiſſimus Blaſcus per offuſas retro acti temporis caligines criticæ artis facem circumferens, obſcuros illius monſtri natales intento digito demonſtraſſet? Hæc autem omnia noſter auctor

(1) De Concord. Cathol. lib. III. cap. II.
(2) Summ. Eccl. lib. II. cap. CI.
(3) Ad Ann. 336. ss. LXI. LXII. 374. XI. 865. VII. VIII.
(4) De Rom. Pontif. lib. II. cap. XIV.
(5) Not. ad Collect. Hadr. I. capp. VII. VIII. XVI. & ſeqq. in Concil. Labb. tom. VIII. pagg. 613. ſeqq.

ſtor hoc opere elaborato erudite perſequitur, & paſſim dum catholicam veritatem novis argumentis propugnat, inſoleſcentem ſimul heterodoxorum audaciam retundit „. In eamdem ferme ſententiam alter cenſor regius eo in commentario illuſtris auctoris eruditionem, doctrinam & pietatem ſe ſe commendare profitetur. " Sollerter enim, inquit, in eo fraudes ille detegit, quæ non ſine magno Eccleſiæ detrimento canonicæ diſciplinæ candorem infuſcarunt, hæreticiſque anſam ad Eccleſiæ integritatem calumniandam præbuerunt. Sedulus interea hæc pertractans, non pauca plane nova rimatus eſt: quæ quidem cognoſcere operæ pretium fuerit „. Quapropter ejuſmodi commentarium tum ob argumenti nobis propoſiti affinitatem, tum vero in primis ob ejus præſtantiam, dignum plane exiſtimavimus qui reliquis hujuſce generis lucubrationibus virorum doctiſſimorum ſtudio elaboratis adderetur.

VIII. Jam vero quantum excelluerit juris potiſſimum eccleſiaſtici ſcientia FRANCISCUS FLORENS, Aurelianenſis primum, deinde Pariſienſis Anteceſſor, ii præ ceteris norunt qui eadem profeſſione cenſentur. Gratiam itaque ab eruditis iniit Cl. Joannes Doujatius, qui ejus opera juridica omnia, ſive ab ipſo edita auctore, ſive poſtuma, junctim evulgavit Pariſiis anno 1679. Ex hac igitur editione duo laudati viri docti opuſcula, ad rem qua de agimus, attinentia, deſcribenda cenſuimus. Et alterum quidem *de methodo* agit *atque auctoritate collectionis Gratiani & reliquarum omnium collectionum Decretalium poſt Gratianum*. Alterum vero inſcribitur *Oratio de recta juris canonici diſcendi ratione; ubi quæ maxime in Gratiani collectione ſint cavenda, oſtenditur*. Porro de horum opuſculorum pretio haud refert plura verba contexere, quum auctoris doctrinam & ſcribendi rationem hæc aliaque ejus ingenii monumenta ſatis ſuperque teſtentur. Id unum tamen ex editore adnotare intereſt, auctorem nimirum ſecundam ſuorum operum editionem meditantem, ea omnia tum emendationibus, tum notis atque additamentis ad marginem auxiſſe: quas quidem emendationes ex ipſius mente adhibitas, adnotationes item marginales, nec non inſerta contextui quæ idem auctor addenda putaverat; heic uncino duplici hac forma [ ] incluſa comparent: adeoque non ſolum emendatior, ſed & locupletior prodit in hac noſtra Sylloge hujuſmodi opuſculorum Florentis editio.

IX. Agmen claudit ANTONIUS AUGUSTINUS archiepiſcopus Tarraconenſis, quem *eruditione legum ſacrarum ſua ætate facile principem* merito appellavit magnus ille Annalium eccleſiaſticorum conditor (1). Neque aliter eruditorum chorus: nimirum Joanni Menochio J. C. dicitur (2) *Juris noſtri verus alter inſtaurator*: Hadriano Turnebo (3), *Vir & eruditiſſimus & optime de litteris elegantioribus meritus*: Stephano Pighio (4), *Vir noſtro ſæculo ſummus*. Ecquis autem fuit umquam liberalibus diſciplinis ſatis excultus, qui ea tempeſtate ac deinceps Antonium Auguſtinum illaudatum præterierit, quem pro dignitate ne laudare quidem quiſquam ſatis commode poſſit? Ceterum de hujus præſulis ampliſſimi præclare geſtis, deque ipſius doctrina & ſcriptis ad poſteritatis utilitatem comparatis, circumfertur elegans Andreæ Schotti Oratio, ad quam lectores remittimus.

Porro ex compluribus litterariis monumentis, quibus Juris eccleſiaſtici veteris ſcientiam exornavit V. C. exſtant *Dialogorum XL. de emendatione Gratiani libri duo*, ſub idem ferme tempus ab eo conſcripti, quo de ſacrorum Canonum Gratiani collectione ad fontes exigenda reſtituendaque Romæ viris doctiſſimis provincia data comperitur; quibus quidem Dialogorum libris Gratianeam collectio-

(1) *Baron.* ad ann. 1097. §. XL.
(2) *Menoch.* de poſſeſſ. recup. remed. lib. XV. num. 5590.
(3) *Turneb.* Adverſ. lib. XXXIII. cap. XXVII.
(4) *Pigh.* in annotat. ad cap. VII. lib. II. Val. Max.

Digitized by Google

ſtionem peregregie illuſtratam videas : opus enimvero quantivis pretii , ſive doctrinam & eruditionem , ſive ſtili elegantiam atque nitorem ſpectes ; quo præterea, judice viro κριτικωτάτῳ Valeſio (1), *nihil eſt acutius atque ſollertius*.

In eo autem præſtanti opere excudendo , editione uſi ſumus quæ poſt primam Tarraconenſem anni 1586. Pariſiis prodiit anno 1607. Eoſdem quidem celeberrimi viri Dialogos de emendatione Gratiani prelo tertium commiſit Pariſiis anno 1672. Stephanus Baluzius notis illuſtratos , adjectis inſuper novis emendationibus ad Gratianum . Neque nos præterit hancce Baluzianam editionem anno 1677. Duisburgi recudendam curaſſe aliquot obſervationibus auctam Gerardum Maſtrichtium , quam dudum ſtudio M. Joſ. Ant. de Riegger rurſum in vulgus emiſſam novimus Vindobonæ anno 1762. Verum ſi de Baluzii inſtituto atque conſilio in ſua illa editione adornanda verba facere velim , vereor equidem ne aut gravioribus utar verbis quam natura fert , aut levioribus quam cauſſa poſtulat : *ejus enim ingenium* , ut recte Cl. Fontaninus (2) , *ſanctitati Apoſtolicæ Sedis haud ſemper æquum* , & *proinde a recta via non raro deflectens palam* in ea *ſe prodit* : ut propterea ex decreto ſacræ Congregationis Indicis librorum prohibitorum ſub die XXIX. Junii 1674. fuerit eadem Baluziana editio Dialogorum Auguſtini merito ac jure virga cenſoria notata . Neque vero ab ea perſtringenda temperarunt viri doctiſſimi , Aguirrius (3), Lupus (4) & Fontaninus modo laudatus (5) , ut reliquos prætereamus. His itaque aliiſque rationibus permoti, Baluzii ἔκδοσιν miſſam fecimus, ut par erat: ſcilicet eruditiſſimi antiſtitis Tarraconenſis Dialogis contenti, prout ab eo ſumma ſollertia acrique ſtudio conſcriptis. Sed ἅλις σπουδῆς . Quod reliquum eſt, in his cetera doctis eruditiſque præſtantiſſimorum virorum Diſſertationibus nonnulla occurrere alicubi videntur, quæ miniata cerula fortaſſe notanda fuerint. Verum ea mente ſumus, ut aliis potius hoc arbitrium dimittendum exiſtimemus.

---

(1) *Valeſ.* De Art. Crit. lib. I. cap. XIII. ad ejus Emendat. libb. pag. 162.
(2) *Fontan.* præfat. ad Gratian. Joan. a Turrecr. §. II. pag. II.
(3) *Aguirr.* Concil. Hiſp. tom. 1. pag. 91.
(4) *Lup.* Divin. ac immob. S. Petri aſſert. privil. pag. 9. in fin.
(5) *Fontan.* l. c.

SYL-

SYLLABUS EORUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

I. *Diſſertatio de antiquis Canonum Collectionibus, deque variis Epiſtolarum Pontificum Romanorum editionibus. Auctore* PETRO COUSTANT *presbytero & monacho Ord. S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.* Pag. 1

II. PETRI DE MARCA *archiepiſcopi Pariſienſis Diſſertatio de veteribus Collectionibus Canonum.* 69

III. *De antiquis tum editis tum ineditis Collectionibus & Collectoribus Canonum ad Gratianum uſque, Tractatus in quatuor partes diſtributus. Auctoribus* PETRO & HIERONYMO *fratribus* BALLERINIIS *presbyteris Veronenſibus.* 97

IV. CAROLI SEBASTIANI BERARDI *presbyteri Unelienſis Diſſertatio de variis ſacrorum Canonum Collectionibus ante Gratianum.* 269

V. PASCHASII QUESNELLI *Diſſertationes III. Nimirum, I. De Codice Canonum Romanæ Eccleſiæ.* 287

VI. *II. De variis Fidei libellis in antiquo Romanæ Eccleſiæ Codice contentis.* 321

VII. *III. De primo uſu Codicis Canonum Dionyſii Exigui, in Gallicanis regionibus. Cum* BALLERINIANIS *adnotationibus & obſervationibus in eaſdem* QUESNELLIANAS *Diſſertationes.* 341

VIII. *De Collectione Canonum Iſidori Mercatoris Commentarius: in quo de Collectionis origine & fortuna diſſeritur, deque perſona ac præcipuo Collectoris propoſito inquiritur: fraudes item impoſtoris deteguntur, ex eoque ortam occaſionem fingendæ fabulæ de Joanne Papiſſa ſolidis indiciis ſuadetur: unde verum ejuſdem impoſtoris nomen etiam pateſcit. Adnectitur Diatriba de Capitulis ad Angelramnum Hadriana I. Papæ tributis. Auctore* CAROLO BLASCO. 357

IX. *Diſſertatio de methodo atque auctoritate Collectionis Gratiani & reliquarum omnium Collectionum Decretalium poſt Gratianum. Acceſſit Oratio de recta Juris Canonici diſcendi ratione: ubi quæ maxime in Gratiani Collectione ſint cavenda, oſtenditur. Auctore* FRANCISCO FLORENTE *J. C.* 423

X. ANTONII AUGUSTINI *archiepiſcopi Tarraconenſis, de Emendatione Gratiani Dialogorum libri duo.* 439

DIS-

I.

DISSERTATIO

DE ANTIQUIS CANONUM COLLECTIONIBUS,

DEQUE VARIIS EPISTOLARUM PONTIFICUM ROMANORUM EDITIONIBUS.

AUCTORE

PETRO COUSTANT,

PRESBYTERO ET MONACHO ORD. S. BENEDICTI E CONGREGATIONE S. MAURI.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE ANTIQUIS CANONUM COLLECTIONIBUS,
DEQUE VARIIS EPISTOLARUM PONTIFICUM ROMANORUM EDITIONIBUS.

PROŒMIUM.

Utilitas collectionum quæ ejuſdem generis ſcripta ſimul exhibent.

I. QUAM utile commodumque ſit ea penes ſe habere ſcripta omnia ſimul collecta, quæ ad unum & idem cujuſvis diſciplinæ genus attinent, facilis eſt exiſtimatio. Norunt ipſi per ſe ſe homines litterarum ſtudioſi, quantum inde ſumtibus eorum operæque parcatur. Scilicet ingentis plerumque bibliothecæ loco ſunt per pauca id genus volumina, in quibus occurrunt ſtatim & ad nutum, quæ per innumeros pæne libros temere diſperſa, nec ſine magnis impenſis parari, nec ſine ſumma temporis jactura evolvi queant. Adde quod legentis animum regit ipſa collectionis ſeries, & continuo quaſi filo a primis rerum initiis ad finem uſque ſenſim deducit. Hinc adeo cuivis facillimum eſt monumenta inter ſe conferre ac penitius ſcrutari; alia ex aliis explanare, illuſtrare, firmare; geſtorum, ſi quæ occurrunt, origines, cauſſas, adjuncta, conſecutiones introſpicere; obſervare, quod plerumque latet, verborum aut ſententiarum vim ac proprietatem; quod vetuſtum eſt aut recens, quod ſingulare aut pervulgatum annotare; recto denique curſu ſic ad unum tendere, ut nec a propoſito aberret umquam, nec laboris aut temporis quidquam deperdat. Id porro ſi de quavis lucubrationum ſpecie, certe de pontificum Romanorum litteris dicere liceat, quæ maximam fere partem ſic inter ſe aptæ connexæque ſunt, ut aliæ ex aliis naſcantur ac pendeant; atque adeo non interruptam, ſed continentem quodam modo pollulent lectionem. Verum latent illæ, non ſine magno litteratorum incommodo, variis hinc inde voluminibus inſertæ, ut quam naſcentes primum adſpexerant, ea carere luce videantur. Intereſt tamen ut non ca[r]eant; idque infitiabitur nemo, qui ſit diligens & æquus rerum æſtimator.

Epiſtolarum pontificiarum collectio ad ſcientiam fidei, diſciplinæ ac morum conducit.

II. Et ſane ſi veterum omnium litteras, ac eorum præſertim qui maximis reipublicæ muneribus uſi ſint, ſolemus in pretio habere; ſi ex his potiſſimum inſtrumentis eruimus intimam antiquitatis cognitionem, hiſtoriamque eorum temporum, quibus ii qui illa ſcripſere, floruerunt: quanto in pretio quantæque utilitatis eſſe debent epiſtolæ præſulum illorum, quos maximarum rerum adminiſtros ſemper fuiſſe, ſummumque in republica Chriſtiana gradum tenuiſſe conſtat? Vere dicam : quacumque eas ex parte adſpicias, quamlibet breves exileſque ſint nonnullæ, nihil in eis jejunum inopſque rerum, nihil quod fructu vacet, vulgo reperias. Totæ huc A præſertim ſpectant, ut catholicæ fidei dogmata vel fidelibus exponant apertius, vel ab hæreticorum telis acrius defendant; ut edoceant præcepta morum, Chriſtianæque pietatis officia; ut purioris diſciplinæ leges vel confirment jam ſtabilitas, vel in lapſum pronas erigant. Quæ tria longe graviſſima ſunt eccleſiaſticæ doctrinæ capita, & ſumma quædam religionis. Atque in hiſce tribus debuiſſe verſari omnes aut pæne omnes ſummorum pontificum litteras, res ipſa ſatis oſtendit. Ea enim adverſus Petri Apoſtolorum principis ſucceſſores adhibita ſemper fuit reverentia, ut in orbe toto nil fere quidquam gravis momenti evenerit, quod non ad eos ſit relatum. B Exoriebatur novus aliquis error, iſque implicatus & ad veritatis ſpeciem compoſitus? Gemebant factioſorum hominum vi oppreſſæ leges, innocentia, æquitas? Tum enimvero implorabatur pontificum Romanorum fides, conſilium ab eorum doctrina, auxilium ab auctoritate petebatur. Hinc nominatim ab Innocentio I. laudantur Airi, quod *antiquæ regulæ formam, quam toto ſemper ab orbe ſervatam norant, ſecuti, ſuper ancipitibus rebus quæ tenenda eſſet ſententia*, ſedem apoſtolicam conſuluiſſent. Sed & ea etiam fuit Romanorum præſulum religio, ut quæ conſulentibus reſponſa dabant, ea dirigerent ad paternarum regularum conſtituta, & C *ex apoſtolico fonte ſemper emanare* curarent. Cum igitur nihil ad eos ſit relatum, quod vel ad fidem, vel ad mores aut diſciplinam non pertineret; dubium non eſt quin mutuæ illæ conſulentium conſultorumque litteræ puriſſimi ſint fontes, unde certa fidei, diſciplinæ ac morum ſcientia hauriatur. Quæ quidem ſcientia eo firmior eſſe debet, quod non meris animi commentationibus, ſed ſplendidiſſimis factis fulta, mentibus altius inhæreſcat.

Innoc. ep. 30. n. 1. & 2.

Ibid.

III. His itaque rationibus permoti, quoddam operæ pretium fore duximus, ſi aurea tot ſcripta unum in corpus collecta, certoque ac facili ordine diſpoſita ederemus. Rem aggreſſi ſumus & exſecuti; quo D fructu, penes alios eſto judicium. Nihil certe, (quod citra oſtentationis notam affirmare liceat,) reliquum fecimus, quo dignitati monimentorum reſponderet editionis diligentia.

Diſſertationis hujus pars triplex.

IV. Jam vero ante quam laboris noſtri rationem reddamus, videtur otioſum non eſſe, quædam hic de pontificum Romanorum auctoritate delibare, quæ cedant in uſus heterodoxorum; ut intelligant quanto ſuo malo & quam inique ſe ſe ab ſedis apoſtolicæ ſocietate abruperint. Inde etiam & forte, quod

totis optamus animis, nonnihil accedet utilitatis Eccleſiæ catholicæ, cujus unitas eo vindicatur firmius, quo unitatis centrum evidentius demonſtratur. Mox de variis pontificiarum epiſtolarum collectionibus agetur paullo fuſius, aſſereturque fontium puritas, unde fluxerunt ea quæ nunc damus. Denique quid in Romana earumdem epiſtolarum editione præſtitum ſit, quid & ipſi præſtiterimus in noſtra, quo ſimus ordine quave methodo uſi, paucis explicabitur.

Pars I. de auctoritate Rom. Pontificis.

PARS PRIMA.

In qua nonnulla de pontificum Romanorum auctoritate delibantur.

Petri ſedes Eccleſiæ caput.

V. Qui ſe ab eccleſiæ Romanæ ſocietate removerunt, hi continua epiſtolarum illarum ſerie adducentur facile, ut intelligant eſſe ſe ab Eccleſiæ catholicæ communione alienos, atque adeo promiſſæ a Chriſto vitæ prorſus exſortes; ſi modo tamen ad lectionem accedant cum ea quæ lectores æquos decet, præconceptarum opinionum vacuitate. Et ſane inficiari nequeunt, Eccleſiam vivum eſſe corpus, quod capite membriſque conſtet. Neque etiam negaverint membrum quod ſit a capite divulſum, a corpore ſejunctum eſſe, eiuſque vita frui non poſſe. Ubi igitur qui eccleſiæ Romanæ præſul eſt, eum & militantis in terris Eccleſiæ caput eſſe conſtiterit; inde conſequens erit eos a Chriſti corpore ſeparari ejuſque privari vita, qui ab pontificis Romani communione miſerrimo ſchiſmate diſceſſerunt. Porro id nullo ſibi negotio perſuadebunt, ſi hoc attenderint quod ex epiſtolarum iſtarum complexione conficitur argumentum. Nempe tot pontificum ſingulari doctrinæ ſanctitatiſque laude præſtantium, quos arrogantiæ aut ſuperbiæ non dicam inſimulare, ſed vel ſuſpicari ſummæ temeritatis fuerit, ne unum quidem deprehendent, qui ſibi ſeu eccleſiæ ſuæ collatam hanc prærogativam non crediderit, ut Eccleſiæ totius caput foret. Contra vero tot inter & tantas Chriſtiani orbis eccleſias ab Apoſtolis vel Apoſtolorum ſucceſſoribus fundatas, nullam oſtendent, cujus præſul eo venerit ambitionis, ut ſe totius Eccleſiæ caput affirmare non vereretur. Quam ſtudioſi tuendæ auctoritatis ſuæ, quam juriumque ſuorum retinentes fuerint Conſtantinopolitani præſules, nemo neſcit: tamen id ſummo in honore ſemper duxerunt, ſi ſecundum a pontifice Romano in Eccleſia locum occuparent. In his duntaxat excipiendus homo inverecundæ frontis luctuoſique ſchiſmatis princeps Photius, qui præter alia multa quæ per ſummam impudentiam ſcripſit, egit, dixit, hoc etiam una cum ſuis palam affirmare non timuit, *quando de Romana urbe Imperatores Conſtantinopolim ſunt tranſlati, tum & primatum Romanæ ſedis ad Conſtantinopolitanam eccleſiam tranſmigraſſe, & cum dignitatibus regiis eccleſiæ Romanæ privilegia tranſlata fuiſſe*. Verum hac maxime in re turpiter mentita eſt iniquitas ſibi. Non enim eccleſiaſtici juris adeo rudis, non adeo in hiſtoria hoſpes erat veterator ille, ut per tranſlationem regiæ ſedis nihil quidquam eccleſiæ Romanæ de ſuo primatu deceſſiſſe ignoraret. Et vero ante quam Byzantium migraret Conſtantinus, quid præſulibus Romanis conferebat Imperatorum præſentia, niſi ut vexationum ærumnas & incommoda, & quaſcumque ſævientium principum furor inferre pœnas poterat, mortem denique ipſam citius ac facilius ſubirent?

Nicol. I. in epiſt. olim 70. ad epiſc. Gal. n. 7.

Petri ſedes a Chriſto primatus dignitatem accepit.

VI. Suum igitur primatum non Imperatoribus, ſed ſupremo rerum omnium moderatori Deo acceptum refert eccleſia Romana. Neque quia totius orbis caput, ſed quia Petri ſedes eſt, eccleſiarum omnium prima ſemper eſt a catholicis habita. Nititur quippe ſumma hæc ejus dignitas hiſce Evangelii verbis quibus Chriſtus & poſt ſuum ad vitam reditum Petro nominatim commiſit oves paſcendas, & ante mortem pollicitus eſt ſuper ipſo quaſi ſolidiſſima petra fundandam eſſe Eccleſiam, quam nullæ inferorum vires, nulli conatus ſuperarent. Hoc ſenſu derivari ejus primatum agnoſcunt, non pontifices modo Romani, ſed & antiquiſſimi patres, quorum teſtimonia huc ſingillatim referre ut longum eſſet, ita & ſupervacaneum. Ad Romanos enim pontifices quod attinet, ex earum quas exhibemus, epiſtolarum lectione ſatis patebit, illos ea de re id ſentire, quod Gelaſius una cum epiſcoporum LXX. concilio aſſeruit his verbis: *Quamvis univerſæ per orbem catholicæ eccleſiæ unus thalamus Chriſti ſit, ſancta tamen Romana eccleſia nullis ſynodicis conſtitutis ceteris eccleſiis prælata eſt, ſed evangelica voce Domini & Salvatoris noſtri primatum obtinuit, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam; & tibi dabo claves regni cælorum.*

Gelaſ. ep. 33. n. 5.

Unitatis Eccleſiæ origo ſedes Petri.

VII. Eumdem honorem iiſdem verbis Petro delatum eſſe pro certo habuit acerrimus unitatis vindex Cyprianus. Ubi enim præmiſit, eos, qui Chriſtianos ſe vocant, a veritatis via in errorem interitumque abduci, *dum ad veritatis* (forte *unitatis*) *originem non reditur, nec caput quæritur, nec magiſtri cæleſtis doctrina ſervatur*; exinde ad hujus rei probationem, quam & facilem & compendiariam eſſe ait, veniens hæc ſubdit: *Loquitur Dominus ad Petrum, Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et dabo tibi claves regni cælorum, & quæ ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Et iterum eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit, Paſce oves meas.* Unde ſtatim concludit vir ſanctus: *Super illum unum ædificat Eccleſiam; & illi paſcendas mandat oves ſuas.* Tum ne quidpiam hinc Apoſtolis ceteris eripuiſſe videatur, ſic ſalvo eorum honore, quale ſit Petri privilegium explicat: *Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum ſanctum, ſi cujus remiſeritis peccata, remittentur illi; ſi cujus tenueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia Chriſti una monſtretur.* Hunc locum ita legens Steph. Baluzius in noviſſima Cypriani editione, monet expreſſum eſſe ex fide 27. mſſ. neque aliter lectum eſſe a Calixto II. papa in epiſtola ad Humbaldum archiepiſcopum Lugdunenſem; quamvis Pelagius II. epiſt. olim 1. deinceps 5. ad epiſcopos Hiſtriæ num. 8. nec non & Alexandri III. actorum auctor apud Baronium, & Paſchalis II. epiſt. ad archiepiſcopum Colocenſem ita clauſulam ejus auctam citent, quemadmodum in editis & ſcriptis manu codicibus nonnullis circumfertur: *Exordium ab unitate proficiſcitur, & primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & cathedra eſſe monſtretur.* Sive autem ex ipſo Cypriano, ſive ex marginali ſcholio prodierit hæc acceſſio, ſaltem hinc habemus quomodo Pelagii II. ævo, hoc eſt ante ſæculi VI. exitum intellecta ſint laudata Cypriani verba. Sed neque ſcholii hujus auctorem ab Cypriani mente aberraſſe facile probatur. Certe ut quovis modo locum hunc legas, nequis inficiari id Cypriano eſſe propoſitum; 1°. ut Eccleſiæ unitatem probet, 2°. ut quærat ſeu potius demonſtret quæ ſit hujuſce unitatis origo, quodve totius Eccleſiæ caput. Deinde fatearis etiam neceſſe eſt, hanc uni Petro prærogativam a Cypriano ſic aſſeri, ut Petrum dicat *unum* eſſe eum, ſuper quem Chriſtus Eccleſiam exſtruxerit ſuam, & a quo unitatis eccleſiæ incipiat origo; adeoque qui Eccleſiæ totius primatu gaudeat. Fruſtra igitur, ex ſententia Cypriani, in Eccleſia eſſe ſe gloriatur, qui a Petri ſede ſegregatus, ab unitatis origine diſceſſiſſe convincitur.

Cypr. ſub init. lib. de unitate.

VIII. Porro *hanc Eccleſiæ unitatem non tenens*, inſtat ubinde idem martyr, quomodo cum laudato loco legit Pelagius II. *tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, qui cathedram Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Non diſſimulamus in exhibendo hoc loco ſummam non eſſe veterum codicum conſenſionem, atque in pluribus, etiam perantiquis, deſiderari *Qui cathedram Petri ſuper quam fundata eſt eccleſia, deſerit*. Verum ut genuina eſſe, atque ad

Cy-

Digitized by Google

Cypriani ſententiæ integritatem pertinere hæc verba oſtendamus, non eſt magnopere nobis laborandum. cum aliunde pluribus locis exploratum ſit, nihil omnino his contineri, quod non conſtanter ac diſerte doceat Cyprianus. Et vero quid apertius liquidiuſque hac de re proferri poteſt, quam quod epiſt. 40. edit. Pamel. ſuam ipſe ad plebem ſcribit: *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata.* Neque illud aſſeruiſſe contentus, etiam proxime infert: *Quiſquis alibi collegerit, ſpargit: adulterum eſt, impium eſt, ſacrilegum eſt, quodcumque humano furore inſtituitur, ut diſpoſitio divina violetur.* Nec dubium eſt quin Cyprianus diſpoſitionem divinam ab eo violari ſentiat, qui præter *cathedram unam ſuper Petrum Domini voce fundatam*, audeat erigere alterum: cujus ſceleris tantam eſſe atrocitatem cenſet, ut illud cum adulterio, impietate, ſacrilegioque dicat adæquari. Huc accedit quod privilegium Petri tum alte animo impreſſum habebat ſanctus Doctor, ut quoties Petri meminit, toties & Eccleſiam ſuper ipſum fundatam eſſe recordari ſoleat, & honorificentiſſime profiteri. Teſtis eſt epiſtola 55. ad Cornelium, in qua id legere eſt: *Petrus tamen ſuper quem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia, unus pro omnibus loquens & Eccleſiæ voce reſpondens.* Idemque in epiſtola 69. ad Florentium repetit his verbis: *Loquitur illic Petrus ſuper quem ædificata fuerat Eccleſia, Eccleſiæ nomine docens.* Tum in ſequenti 70. quam una cum concilio ad Numidas ſcripſit, & unitatem Eccleſiæ & unitatis hujus originem ſic declarat, quaſi rem de qua nulla ſit controverſia: *Quando & Baptiſma unum ſit, & Spiritus ſanctus unus, & una Eccleſia ſuper Petrum origine unitatis & ratione fundata.* Notandum eſt illud epiſtolæ 71. ad Quintum: *Nec Petrus quem* PRIMUM *Dominus elegit, ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paullus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, vindicavit ſibi aliquid inſolenter, ut diceret ſe* PRIMATUM *tenere, & obtemperari a novellis & poſteris ſibi potius oportere; nec deſpexit Paullum, quod Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet: ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ quam Paullus vindicabat, facile conſenſit.* Quibus verbis primatum Petro negari ſi quis exiſtimaret, is profecto a ſententia ſancti Martyris abeſſet quam longiſſime. Quem enim primum electum, ac ſuper quem Eccleſiam fundatam prædicat; hunc ſine controverſia primatus dignitate ornatum eſſe pro certo ponit. Sed ex eo, quod præclaro illo primatis Apoſtolorum nomine abuſus non eſt Petrus, hinc velut occaſione data Petri ſucceſſores recte admonet ſanctus præſul, eos ab ipſius exemplo receſſuros, ſi, quo vere inſigniti ſunt, titulo primatus efferantur, ſaluti antque ſana ceterorum epiſcoporum conſilia, ac ſibi demum præter rationem obtemperari velint. His Cypriani teſtimoniis, cum plura poſſent adjici, unum illud ex epiſtola 73. ad Jubaianum annectere ſatis ſit: *Petro primum Dominus, ſuper quem ædificavit Eccleſiam, & unde unitatis originem inſtitueret oſtendit, poteſtatem iſtam dedit, ut id ſolveretur in cælis, quod ille ſolviſſet in terris.* Unde manifeſtum eſt Cyprianum id, quod de Eccleſia ſua ſuper Petrum ædificanda Chriſtus dixerat, ſic explicaſſe, ut Apoſtolum illum non dubitarit ab eodem Domino fuiſſe conſtitutum & Eccleſiæ caput, & originem unitatis. Quamobrem ab hac unitate qui receſſerit, hunc haberi vult quaſi radium a ſole ſeparatum, aut ab arbore decerptum ramum, aut rivum a fonte diviſum, id eſt cæcum, ſterilem & emortuum, iis denique omnibus orbatum bonis, quibus & fovetur animæ vita, & ſalus æterna comparatur.

Petri ſedes in urbe Roma.
Optat. lib. 2.

IX. Et hanc certe doctrinam niſi ubique receptam eſſe perſuaſiſſimum habuiſſet Optatus, ſic Parmenianum alloqui minime auſus eſſet: *Negare non potes ſcire te, in urbe Roma Petri primo cathedram eſſe collatam, in qua ſederet omnium Apoſtolorum* CAPUT *Petrus, unde & Cephas appellatus eſt: in qua una cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne ceteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram alteram collocaret.* Ipſe etiam Hieronymus tametſi libro 1. contra Jovinianum videtur Apoſtoli Joannis, quia virgo fuit, præſtantiam efferre, Petri vero, quia uxorem duxerat, meritum extenuare: fatetur tamen, Eccleſiæ caput a Domino conſtitutum fuiſſe, non Joannem, ſed Petrum, præteteaque nullum. Cum enim Joannem ceteris Apoſtolis plus amatum fuiſſe aſſeruiſſet, ipſe ſibi objicit: *At dicis, ſuper Petrum fundatur Eccleſia:* ſtatimque reſpondet: *Licet id ipſum in alio loco* (Evangelii) *ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos fortitudo Eccleſiæ ſolidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut* CAPITE *conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Nil præciſum magis, magiſve definitum. Jam vero ex his Hieronymi verbis a Gelaſio etiam papa Tract. 4. n. 5. imitatis, intelligere eſt ſenſum eorum quæ ſuperius ex Cypriano citavimus, Apoſtolos nimirum ceteros honore ſimul & poteſtate Petro pares fuiſſe. Pari quippe omnes honore dignati erant, quia omnes Apoſtoli; pari & poteſtate præditi, quia omnes pariter a Chriſto per orbem miſſi, data ſingulis baptizandi, prædicandi, ligandi atque ſolvendi, nec non & eccleſias fundandi facultate. Ceterorum autem caput erat Petrus, iſque ſolus; atque eatenus quamdam etiam inter Apoſtolos poteſtatis diſcretionem admiſit Leo magnus, ubi de epiſcopis loquens dixit: *Quibus etſi dignitas communis, non eſt tamen ordo generalis; quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis; & cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt ut ceteris præemineret.* Eamdem poteſtatis diſcretionem illuſtrat idem pontifex ac firmat altero illo Lucæ 22. 31. loco, ubi Chriſtus ad Petrum ait: *Simon, ecce ſatanas expoſtulavit vos, ut cerneret ſicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos, ut non intretis in tentationem.* Iſta enim Chriſti verba ſic explicat ſanctus Doctor: *Commune erat omnibus Apoſtolis periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indigebant; quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: & tamen ſpecialis a Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri propria* (id eſt nominatim) *ſupplicatur, tamquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit.* Unde ſtatim concludit: *In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur.* Quocirca Bonifacius I. epiſtolam ſuam 14. ab his exorditur verbis: *Inſtitutio univerſalis naſcentis Eccleſiæ de beati Petri ſumſit honore principium, in quo regimen ejus & ſumma conſiſtit:* indeque non immerito mox concludit: *Hanc ergo eccleſiis toto orbe diffuſis velut caput ſuorum certum eſſe membrorum; a qua ſe quiſquis abſcidit, fit Chriſtianæ religionis extorris, cum in eadem non cœperit eſſe compage.* Ea de re nihil ambigentes Aquileienſis concilii patres, de ambitione Urſini qui Damaſi locum uſurpare moliebatur, ſic judicarunt, ut qui non ſingularem aliquam eccleſiam, ſed *totum corpus Eccleſiæ toto orbe diffuſum & univerſa turbare poſſet.* Quam ob cauſſam ad Imperatores Gratianum, Valentinianum ac Theodoſium ſcribunt: *Totius orbis Romani caput atque illam ſacroſanctam Apoſtolorum fidem ne turbari ſineret, obſecranda fuit clementia veſtra;* ſtatimque petitionis ſuæ hanc ſubjiciunt rationem: *Inde enim in omnes venerandæ communionis jura dimanant.*

Leo epiſt. 12. n. 14.

Idem. Serm. 3. in anniv. aſſum. ſuæ 1. 3.

Apud Ambr. ep. 11. n. 2.

Ibid. n. 4.

X. Quid? Petrus ipſe, qui ab Evangeliſtis in catalogo Apoſtolorum appellatur recenſeturque primus, an non ceterorum ſe primum eſſe & Eccleſiæ caput poſt aſcenſionem Domini re & factis declaravit? Congregatis fratribus fere centum & viginti, medio in cœtu exſurgens orationem habuit de ſufficiendo in proditoris locum Apoſtolo. Rurſum ſubinde cum e Phariſæorum ſecta contenderent nonnulli, oportere eos qui ex gentibus fidem Chriſti ſuſciperent, & circumcidi & legem ſervare; *convenerunt Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc. Cum autem magna inquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres*, &c. Unde magis magiſque declaratur, Eccleſiæ cœtibus præſidendi jus ita fuiſſe huic Apo-

Matt. 10. 2. Luc. 6. 14. Act. 1. 15.

Act. 15. 5.

Pars I. de auctoritate Rom. Pontific.

PARS I. DE AUCTORITATE ROM. PONTIFICIS.

ſtolo conceſſum, ut illud nemo in controverſiam vocarit, nemo non libentiſſime tulerit. Non immerito igitur primatum Petri divino jure atque ipſarummet Scripturarum auctoritate fultum eſſe prædicarunt ſancti patres: nominatimque Afri e numeroſo Milevitanæ ſynodi conventu ad Innocentium I. ſcribentes, cum nec ipſorum nec complurium aliorum ſententiæ cederent Pelagius Cæleſtiuſque, dixerunt: *Arbitramur adjuvante miſericordia Domini Dei noſtri, qui te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati ſanctitatis tuæ* DE SANCTARUM SCRIPTURARUM AUCTORITATE DEPROMTÆ, *facilius eos qui tam perverſa & perniciosa ſentiunt, eſſe ceſſuros.*

Innocent. I. ep. 27. n. 3.

Apoſtolicæ ſedes tres.

XI. Hinc ſane in primatum Petri ea fuit Eccleſiæ obſervantia, ut quas vel rexit vel fundavit Petrus eccleſias, illæ ampliſſimis honoribus decoratæ ſint. Prima dignitatis ejus particeps fuit Antiochena, quæ quidem, Innocentio teſte, *urbis Romæ ſedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum apud ſe conſummatumque gauderet.* Ubi præterea obſervari vult idem Papa, id quod eccleſia illa meruit, ut nimirum *ſuper diœceſim ſuam, non ſuper aliquam provinciam* tantum conſtitueretur, ei obtigiſſe, *non tam pro civitatis magnificentia, quam quod prima primi Apoſtoli ſedes eſſe monſtretur.* Neque alia de cauſſa privilegio eodem inſignita eſt Alexandrina, quam quod a Marco Petri diſcipulo cum fundata ſit & gubernata, Petrum ipſum habuiſſe rectorem fundatoremque cenſeatur. Fuerunt & eccleſiæ aliæ ab Apoſtolis fundatæ, quas eam ob cauſſam *apoſtolicas* vocare liceat, quæque re vera hoc ſunt a patribus nonnullis titulo donatæ. Petri vero privilegium hoc fuit, ut quas ipſe fundavit, illæ præcipuo quodam jure *ſedes apoſtolicæ* cognominarentur, & quemdam inter ceteras principatum tenerent. Quamobrem de Alexandrina Antiochenaque ſede cum Romana ſic mentionem facit ac decernit ſynodus Nicæna can. 6. ut nullam aliam eis conferendam eſſe conſtituat. Hinc Bonifacius I. ad epiſcopos Illyrici ait: *Recenſete canonum ſanctiones: reperietis quæ ſit poſt eccleſiam Romanam ſecunda, quæve ſit tertia.* Hinc & Leo Anatolio auctor eſt, ut regiæ urbis epiſcopatu contentus, ſuæ ſe dignitatis finibus concludat, non ambiat altiorem gradum, *nec dedignetur regiam civitatem, quam apoſtolicam non poteſt facere ſedem: quæ utique*, inquit eodem ſenſu Gelaſius, *per canones inter ſedes nullum nomen accepit.* Ubi notandum apoſtolicas illas ſedes veluti per antonomaſiam *ſedes* ſimpliciter nuncupari. Quo ſpectat illud Leonis epiſt. 110. n. 3. *Etſi enim diverſa nonnumquam ſint merita præſulum, tamen jura permanent ſedium*: hoc eſt, jura illa cum ſint ipſis ſedibus, non ſedentium meritis conceſſa, pro ſedentium diverſitate non mutantur, ſed immobilia peræque manent atque ipſæ ſedes. Illud autem Romanam inter & alias ſedes duas diſcriminis eſt, quod hæ privilegia ſua *per canones* & eccleſiaſtico tantum jure dicantur obtinuiſſe; illa vero quæ Petri morte conſecrata eſt, totum id retinuerit juris, quod Apoſtolorum princeps fuerat a Domino conſecutus. Inde etiam brevi obtinuit uſus, ut illi uni quaſi proprium maneret *apoſtolicæ ſedis* nomen.

Innocent. I. ep. 24. n. 1.

Bonif. epiſt. 15. n. 5.

Leo ep. 93. n. 3.

Gelaſ. epiſt. 7. n. 6.

Bonif. I. ep. 15. n. 5. Leo ep. 110. n. 3.

Apoſtolicæ Sedis nomen Romanæ Eccleſiæ proprium evaſit.

Petrum in ea ſedere non deſiſſe.

XII. Et vero cum perſuaſum haberent Petri ſucceſſores, hunc Apoſtolum eadem in cathedra ſedere, Eccleſiæ totius tractare clavum, neque ab ejus gubernatione umquam deſiſtere; hac lætiſſima perſuaſione freti, haberi ſe voluerunt quaſi vicarios qui ſuam illi operam commodarent. Ita certe ſentiebat Siricius, cum epiſt. 1. ad Himerium n. 1. ſcripſit: *Portamus onera omnium qui gravantur, quin immo hæc portat in nobis beatus apoſtolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, adminiſtrationis ſuæ protegit & tuetur heredes.* Eadem perſuaſione imbutus Bonifacius I. non ſolum epiſtolæ 4. initium ab his verbis facit: *Beatus Apoſtolus Petrus cui arx ſacerdotii dominica voce conceſſa eſt, in immenſum gratulationis extollitur, quoties pervidet conceſſi ſibi honoris a Domino intemeratæ ſe pacis filios habere cuſtodes.* Sed & epiſt. 5. Rurſum qui ſibi in fungenda ſedis apoſtolicæ vice Petrum adjutorem inſpectoremque adeſſe credebat, excitat in hunc modum pius Pontifex: *lætetur enim te, ut epiſtolis tuis ipſe fi-*

A *deliter es locutus, beatiſſimus Petrus Apoſtolus oculis ſuis, qualiter ſummi rectoris utaris officio. Nec percipit tibi non eſſe proximus, qui paſtor dominicarum ovium eſt perpetuus conſtitutus; aut aliquam ubivis poſitam eccleſiam non curare, in quo univerſalis Eccleſiæ poſitum legimus fundamentum.* Pluribus modis agere ſe Petri perſonam ejuſque partes ſuſtinere, & quidquid in ſe laudandum eſt, totum id illius eſſe teſtificatur Leo coram his, qui ad ordinationis ſuæ diem anniverſarium convenerant. Modo enim ait: *Manet ergo diſpoſitio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perſeverans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit.* Moxque ſubjicit: *Si quid itaque a nobis recte agitur, recteque diſcernitur, ſi quid a miſericordia Dei quotidianis ſupplicationibus obtinetur, illius eſt operum atque meritorum, cujus in ſede ſua vivit poteſtas & excellit auctoritas.* Modo ſermone ad auditores converſo: *His itaque modis*, inquit, *dilectiſſimi, rationabili obſequio celebratur hodierna feſtivitas, ut in perſona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium paſtorum ſollicitudo cum commendatarum ſibi ovium cuſtodia perſeverat, & cujus etiam dignitas in indigno herede non deficit.* Et alibi: *Subjungit autem ſe ad rationem ſolemnitatis noſtræ non ſolum apoſtolicæ, ſed etiam epiſcopalis beatiſſimi dignitas Petri, qui ſedi ſuæ præeſſe non deſinit.*

Serm. 2. c. 2. & Serm. 3. c. 4.

Serm. 2. c. 3.

Serm. 4. c. 4.

Romani antiſtites Petri vicarii diu vocati.

XIII. Factum inde eſt, ut *Petri vicarios* nuncuparent ipſi ſe Romani præſules, & ab aliis eodem nomine nuncuparentur: qui loquendi modus communi uſu receptus diu perſeveravit. Ut Petrum in ejus ſucceſſoribus coli mox docebat Leo, ita & ibidem Petrum in illis audiri, quia ipſius vices agerent, ſuadet his verbis: *Cum ergo cohortationes noſtras auribus veſtræ ſanctitatis adhibemus, ipſum vobis* CUJUS VICE *fungimur, loqui credite.* Et hujus quidem nominis memoria ſtimulatur idem pontifex, ut quæ muneris ſui erant expleret quam diligentiſſime. *Memor enim ſum*, inquiebat, *me ſub ejus nomine Eccleſiæ præſidere, cujus a Domino Jeſu Chriſto glorificata eſt confeſſio.* Subinde Miſenus epiſcopus coram Gelaſio cauſſam agens, eam ſe *in conſpectu Petri* EJUSQUE VICARII agere teſtatus eſt. Tum eidem papæ qui eum eo conſidebant, acclamaſſe narrantur, *Apoſtolum Petrum te videmus.* Symmachus deceſſorum ſuorum ſtatuta reſcindere detrectans hac utebatur ratione: *Quanta* VICARIIS BEATISSIMI PETRI *Apoſtoli judicabitur eſſe reverentia; ſi quæ in ſacerdotio præcipiunt, iiſdem tranſeuntibus diſſolvantur?* Anaſtaſii auguſti contumeliis provocatus idem pontifex ſic reſpondet: *An quia Imperator es, contra Petri niteris poteſtatem? & qui Petrum Alexandrinum recipis, beatum Apoſtolum Petrum* IN SUO *qualicumque* VICARIO *calcare contendis?* Qua voce apoſtolici roboris plena oſtendit illatas ſibi contumelias, in beatum Petrum cujus vices gerit, recidere: *quia*, inquit Symmachi æqualis ac defenſor Ennodius, *Romanus antiſtes beati Petri Apoſtoli vicarius æſtimatur.* Quocirca Hormiſdæ Julia Anicia de ſtudio ſibi impenſo gratias agit his verbis: *Quod de noſtræ fidei integritate curam geris,* VICARIIS GLORIOSI PETRI *iſta conveniunt, cui Dominus paſcendarum ovium injunxit officium.* Item a Vigilio papa ep. 4. ad Mennam n. 2. Romanos præſules *Petri vicarios* legimus vocatos. His & concinere Gregorium I. infra probaturi ſumus. Gregorii vero II. epiſtolis inſertum habetur indiculum ſacramenti, quod epiſcopus Bonifacius Romæ anno 722. die S. Andreæ ſacro, cum ordinaretur, edidit; cujus ſacramenti prima hæc conditio eſt: *Promitto ego Bonifacius Dei gratia epiſcopus tibi beato Petro Apoſtolorum principi* VICARIOQUE TUO *beato Gregorio papæ*, &c. Nec minus apertum eſt illud Nicolai I. in epiſt. 8. ad Michaelem Imp. effatum: *Nec* IN VICARIIS BEATI PETRI *Apoſtoli vobis eſt attendendum qui ſint, ſed quid pro correctione eccleſiarum, quid pro ſalute veſtra ſatagant.* Ejuſdem papæ ſucceſſor Hadrianus II. ad Carolum Calvum ſcribens *Petri vicarium* ſe vocat. Eumdem denique uſum ſecutus Ebbo Floriacenſis abbas ſæculo x. deſinente ad Gregorium V. ſcripſit, eum *beati Apoſtoli* PETRI VICES *nunc in terris agere.*

Ibid.

Leo epiſt. 56. n. 2.

Gelaſ. epiſt. 27. n. 5.

Ibid. n. 12.

Symmach. epiſt. 3.

Symmach. ep. 10. n. 7.

Ennod. apolog. pag. 324.

Hormiſd. ep. 117.

Vicarii Chriſti raro ſunt nominati.

XIV. Fuere quidem e veteribus nonnulli, qui *vicarii Chriſti* nomen eccleſiæ Romanæ præſuli tribuerunt.

Digitized by Google

runt. Atque ad hoc reſpicere Cyprianum non immerito cenſemus, cum epiſt. 55. ad Cornelium his utitur verbis: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde quod ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus ſacerdos & unus ad tempus judex* VICE CHRISTI *fungitur*. Clarior eſt hac de re acclamatio epiſcoporum ac presbyterorum, qui cum Gelaſio ad cognoſcendam Miſeni epiſcopi cauſam conſederunt. Miſenum quippe abſolvente papa, ſummis plauſibus excepta ejus ſententia eſt, & ab omni cœtu, *Vicarium Chriſti te videmus*, undecies dictum; ſicut & ſexies dictum eſt, *Apoſtolum Petrum te videmus*. Rarius tamen uſurpata olim eſt iſthæc appellatio; quia cenſeatur communis eſſe omnibus, qui animarum agunt curam, chriſtianiſque ſocietatibus præſunt. Et vero ſicut de omnibus epiſcopis Hormiſda generatim dixit, *Caput eſt Eccleſiæ Chriſtus*, CHRISTI *autem* VICARII *ſacerdotes*; ita & de abbatibus non minus generalis eſt hæc beati Benedicti ſententia; *Abbas qui præeſſe dignus eſt monaſterio, ſemper meminiſſe debet quod dicitur*... CHRISTI *enim agere* VICES *in monaſterio creditur*. At Romanorum pontificum proprium atque peculiare eſt, beati Petri cujus & ſedis & auctoritatis heredes ſunt, vicarios nominari. Hinc & eis uſu venit, ut poteſtatis ſibi creditæ functiones, judicia ſcilicet, privilegiorum conceſſiones, &c. huic Apoſtolo adſcribant; uti manifeſtum eſt in hac Felicis II. adverſus Acacium ſententia: *Sacerdotali honore & communione catholica, nec non a fidelium numero ſegregatum, ſublatum tibi nomen & munus miniſterii ſacerdotalis agnoſce ſancti Spiritus judicio*, ET APOSTOLICA PER NOS AUCTORITATE *damnatus*. Id enim judicibus moris eſt, ut cujus vice funguntur, ejus nomine ſententias ferant. Cum igitur epiſcopi ac presbyteri, quos Gelaſius in cauſſa Miſeni epiſcopi congregarat, quibuſque dixerat, *Quid videatur fraternitati veſtræ ſtatuendum, veſtri quoque participatione conſilii deſideramus agnoſcere*, reſponderunt omnes, *Quod vobis Deus dedit in poteſtate, præſtate*.... *Hoc fac quod facit dominus Petrus*; nil certe aliud ſibi voluerunt niſi iſtud; Ex ejus præſcripto judica, cujus nomine præſides, & cujus in auctoritatem & jura ſucceſſiſti. Felicem imitatur Gregorius I. lib. 3. al. 2. Ind. 11. epiſt. 6. ubi judicium ſuum adverſus Joannem primæ Juſtinianæ epiſcopum pariter ex beati Petri auctoritate profert in hunc modum: *Caſſatis prius atque ad nihilum redactis prædictæ ſententiæ tuæ decretis, ex beati Petri principis Apoſtolorum auctoritate decernimus, triginta dierum ſpatio te ſacra communione privatum*. Idem pontifex ſua monaſteriis privilegia vindicans, ea etiam non tam ex ſua defendit, *quam ex auctoritate beati Petri Apoſtoli, cujus vice* (inquit) *huic Romanæ eccleſiæ præſidemus*. Hæc autem breviter notaſſe ſufficiat; ne in re ſatis nota diutius hærere videamur.

Gelaſ. epiſt. 27. n. 15.

Horſmid. ep. 25. n. 2.

Bened. Reg. c. 2.

Judicia ſua & alias functiones Petri adſcribunt auctoritati.

Concil. Rom. III. ſub Greg. I. apud Baron. ad ann. 601 & Labb. to. 5. p. 1607.

XV. Quam demum Petrus eccleſiam & gubernavit vivens & morte ſua illuſtravit, hanc ab eodem etiamnum regi, ſic majoribus noſtris ab omni ævo perſuaſum fuit, ut Romanam ſedem ſoleant *locum Petri, ſedem Petri, ſedem Apoſtoli*, atque in primis *ſedem apoſtolicam* nuncupare. Neque recens eſſe *Apoſtolici* nomen, quo Eccleſiæ preces deſignant eum, qui apoſtolicam ſedem tenet, probatur teſtimonio Innocentii, qui epiſt. 13. n. 2. Rufo Theſſalonicenſi epiſcopo vices ſuas per Illyricum delegans, ait: *Lectiſſimæ ſinceritatis tuæ providentiæ ac virtuti hanc injungimus ſolicitudinem, non primitus hæc ita ſtatuentes, ſed præceſſores noſtros* APOSTOLICOS *imitati*. Immo e veteribus complures audias ſic pontificem Romanum alloqui, non quaſi *Apoſtolicum*, ſed quaſi *Apoſtolum* ipſum. Certe hæc Paſchaſini Lilibætani epiſcopi ad Leonem papam ſcribentis verba ſi legas, *Apoſtolatus veſtri ſcripta* ... *ſuſcepi*, ad Petrum ipſum ſcripta putes; ita ſunt apoſtolicæ dignitati accommodata. Paſchaſinum imitantur Arelatenſis metropolis epiſcopi datis ad eumdem papam litteris, in quibus aiunt: *Miſſis continuo litteris* APOSTOLATUI VESTRO *indicare* (Ravennii electionem) *curavimus*: & mox, *Unde præmiſſis officiis, quæ* APOSTOLATUI VESTRO *jure debentur*. Habemus & illud Juſtiniani epiſt. 130. ad Hormiſdam: *Oſtendat ergo tuus apoſtolatus, quod Petro ſucceſſit Apoſtolo*: & ep. 135. *Dignetur* APOSTOLATUS VESTER *integrum indubitatumque deſtinare reſponſum* .. *ut intelligant cuncti recte vos apoſtolicæ ſedis primatum eſſe ſortitos*. Eadem quoque *apoſtolatus veſtri* appellatione utitur Avitus Viennenſis epiſcopus in epiſtolis 18. & 27. ad Papam miſſis. Fatendum tamen eſt hoc ipſo etiam titulo decoratos fuiſſe, tum ab eodem Avito epiſcopum Hieroſolymitanum epiſt. 23. & Ravennatem epiſt. 25. tum a Viventiolo epiſcopo Avitum ipſum epiſt. 59. Verum tametſi epiſcopis quibuſvis, ut Apoſtolorum ſucceſſoribus, communem eſſe *apoſtolatus* appellationem exiſtimarint nonnulli; eamdem tamen ad pontificem Romanum ſingulari quadam ratione pertinere plurium ſententia eſt. Perinde enim *apoſtolatus* nomine pontificiam dignitatem, ut *Apoſtolici* pontificem ipſum decet appellari.

Romanus Pontifex Apoſtolicus appellatur.

Cyprian. lib. de unit. Eccleſ. Sardic. conc. ep. 3. ad Jul. Leo Serm. in die aſſum. ſuæ.

Apud Leon. ep. 3. n. 1.

Ibid. ep. 54.

PARS I. DE AUCTORITATE ROM. PONTIFICIS.

XVI. Hactenus pontifices Romanos non ab Urbis nobilitate, ſed a Petro cujus vices gerunt, primatum ſuum duxiſſe ſatis probatum videtur. Non diſſimulandum tamen, ſingulari divinæ providentiæ conſilio factum eſſe, ut qui Eccleſiæ totius caput erat, is in urbem totius orbis dominam perveniret, ibique ſedem fixerit ſuam, unde, quaſi e ſublimi loco, excubias agere & muneris ſui partes commodius implere poſſet. Ecquis enim alius ubicumque terrarum locus, aut convenientior ipſius conſilio & dignitati, aut procurandis Eccleſiæ commodis opportunior? An non decebat civitatem, quæ jam imperii arx erat, ſacerdotii caput eſſe & domicilium, ibique verſari eum cui incumbebat catholicæ rei ſumma, & negotiorum officiorumque tanta moles ac ſolicitudo? Nihil inde perturbabatur populorum quies & civilium rerum diſpoſitio, nihil in imperio mutatum videbatur. Qui enim populi a principibus Romanis leges ad terrenarum rerum ordinationem accipere conſueverant, iidem a Romanis pontificibus accipiebant ſanctioris politiæ regulas, præcepta morum, ſempiternæque vitæ documenta. Huc accedit, quod opus erat ut Eccleſiæ caput in eo conſtitueretur loco, unde novas eccleſias fundare, fundatis proſpicere, & ſingulas regere ac tueri expedite poſſet. Neque minus ad hæc præſtanda idoneus erat Romæ ſitus. Cum enim in Orientis Occidentiſque medullio ſit poſita, facilis ad illam ſemper patuit ex utroque orbe aditus. Inde nec difficile fuit præſulibus Romanis mittere per omnes porro terrarum tractus divini verbi præcones: nec minus expeditum iis qui fidem ſuſceperant, eoſdem pontifices vel convenire per ſe, vel conſulere per epiſtolas, & idonea ab eis reſponſa percipere.

Petrus quam convenienter Romæ ſedem fixerit.

XVII. Et hac quidem opportunitate Petrus ejuſque ſucceſſores feliciter ſunt uſi, ut Occidentis provincias omnes ad Chriſti fidem adducerent: adeo ut, Innocentio teſte, *ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam atque Siciliam, & inſulas interjacentes, nullum inſtituiſſe eccleſias, niſi eos quos venerabilis Petrus aut ejus ſucceſſores conſtituerint ſacerdotes*. Quod quidem Deo moderante ſic factum, ut iis quos Eccleſiæ univerſæ præeſſe voluit, major inde auctoritas accederet. Si enim natura ipſa duce ac magiſtra diligimus obſervamuſque eos, a quibus corporis vitam accepimus, nihilo certe minus admonemur intimo religionis ſenſu, ut obſequio ſingulari eos proſequamur, qui nos genuerunt in Chriſto, atque auctores ſecundum Deum ſalutis noſtræ fuerunt. Quin & ipſa etiam docet ratio, quoties dubitationis aliquid habent leges, ad eos in primis recurrendum eſſe a quibus datæ ſunt. Inde in eccleſiam Romanam hanc præ ſe ſemper tulerunt eccleſiæ Occidentales ardorem pietatis, quo liberi erga parentes affecti eſſe ſolent. Inde ad eam ſic tamquam ad fidei ſuæ alumnam & interpretem canonum e vicinis æque ac remotiſſimis oris majores noſtri confluebant, ut ejus e ſinu ſeu dogmatum ſeu legum explicationem plenius haurirent. Demum inde patet, quam ſapienter & vere dixerit olim Innocentius loco ſuperius citato: *Si in his provinciis nemo alius Apoſtolorum præter Petrum invenitur aut legitur docuiſſe; oportet eos qui in illis ſunt, hoc ſequi quod eccleſia Romana cuſtodit, a qua eos principium habuiſſe non dubium eſt*. Aliando cer-

Petrus ejuſque ſucceſſores Occidenti & Orienti quo pacto proſpiciant.

Innoc. epiſt. 25. n. 2.

PARS I. DE AUCTORITATE ROM. PONTIFICIS.

A certum eſt eoſdem antiſtites ſuum in Orientis eccleſias ſtudium & diligentiam deſiderari numquam paſſos fuiſſe. Illas gremio complexas foverunt, maternis paverunt uberibus, & ampliſſimis largitionibus cumularunt. Teſtatur quippe Euſebius lib. 4. hiſt. c. 23. jam inde a primis receptæ religionis temporibus, hunc a pontificibus Romanis ſervatum eſſe morem, ut eccleſiis quam plurimis neceſſaria vitæ ſubſidia miniſtrarent. Luculentum eſt hac de re teſtimonium Dionyſii Corinthiorum epiſcopi ad Soterem papam ſcribentis: *Hæc enim vobis ab exordio conſuetudo eſt, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, & eccleſiis quam plurimis quæ in quibuſque urbibus conſtitutæ ſunt, neceſſaria vitæ ſubſidia tranſmittatis.* B Nominatim Syriis & Arabiæ ſuppeditata identidem fuiſſe a Stephano I. ejuſmodi ſubſidia meminit Dionyſius antiſtes Alexandrinus. Memorat quoque Baſilius a Dionyſio pontifice Romano in Cappadociam miſſos eſſe, qui Cæſarienſes afflictos conſolarentur, ac fratres captivitatis jugo ſolverent. Sic pontificum illorum animos apparabat Deus, ut Orientem Occidentemque ſibi devincirent; & qui paterno in omnes erant animo, iidem etiam omnibus veluti patres amori ac venerationi eſſent.

Petri ſanctitas in ſucceſſores ejus diu propagata.

XVIII. Verum nulla re alia magis populorum ſibi reverentiam conciliarunt Romani præſules, quam probata morum ſanctitate, quæ tam ſuaves illecebras habet, ut vel ferociſſimos animos & impia C religione obligatos in admirationem ſui traducat. Luſtrentur ex ordine percurranturque quotquot umquam exſtitere quamlibet magnæ & illuſtres Chriſtiani orbis eccleſiæ, ne unam quidem reperire eſt, in qua tot refulſerint præſules ſanctitatis gloria inſignes, quot in Romana. Sic nempe a primis ejus incunabulis ad ſæculi VI. initia ſanctitas Petri ad ſucceſſores ejus dimanavit, ut non ejus virtutum minus, quam dignitatis heredes fuiſſe videantur. Qua re perculſus Ennodius Ticinenſis epiſcopus in libello apologetico, quem pro defenſione ſynodi Palmaris in gratiam Symmachi papæ ineunte ſæculo VI. conſcripſit, perinde loquitur, ac ſi nec dubitet ipſe, D nec cuiquam dubitandum eſſe cenſeat, quin ſanctus ille ſit, quem tantæ dignitatis apex attollit. *Non nos*, inquit ad Symmachi æmulos quos confutat, *beatum Petrum, ſicut dicitis, a Domino cum ſedis privilegiis, vel ſucceſſores ejus, peccandi judicamus licentiam accepiſſe. Ille perennem meritorum dotem cum hereditate innocentiæ miſit ad poſteros. Quod illi conceſſum eſt pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par converſationis ſplendor illuminat. Quis enim ſanctum eſſe dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit, in quo ſi deſint bona acquiſita per meritum, ſufficiunt quæ a loci deceſſore præſtantur? Aut enim claros ad hæc faſtigia erigit, aut qui eriguntur illuſtrat. Præſcit enim quid eccleſiarum fundamento ſit habile, ſuper quem moles ipſa innititur.* E Verum quæcumque fuerit Ennodii ſententia, ex illius certo verbis conficitur, ut tranſmiſſa quodam modo fuerit a Petro in ejus ſucceſſores non auctoritatis ſolum, ſed meritorum etiam & ſanctitatis hereditas. Et ex omnibus quidem pontificibus Romanis, nullus eſt qui ſanctorum faſtis non ſit adſcriptus, ſi Liberium, eumque unum, excipias, qui cum exſilii ærumnis fractus, Arianis aſſenſus eſſet, fœdiſſimam nomini ſuo inuſſit labem, atque adeo eodem honore caruit. Quamquam & illum poſt mortem ab Ambroſio laudatum legimus, ut ſanctum, immo non vulgari ſanctitate decoratum. Si quando forte aureis illis Eccleſiæ ſæculis irrepere in ſedem Petri tentarunt homines ambitioſi, F obſtitit ſanctior meliorque pars, & factionum conſilia diſturbavit. Novatianus Cornelio, Felix Liberio, Damaſo Urſinus, & Eulalius Bonifacio ceſſerunt vel inviti. Qua in re quis non agnoſcat digitum præpotentis Dei, quo factum eſt ut una eademque Eccleſia per tot ætates ab his regeretur unis, quos ſpectatiſſimæ ſanctitatis laude ornatos eſſe conſtaret? Oportebat nimirum ut Petri ſedi, quam Eccleſiæ totius caput, atque unitatis ſingularum eccleſiarum centrum Chriſtus eſſe voluit, firma & inconcuſſa perſtaret auctoritas; cui tam diu aſſueti fideles, nec ab ea divellerentur deinceps, cum in ſanctiſſimo ſolio viderent ſedere non ſanctos.

Synod. pag. 734.

Ambroſ. lib. 3. de Virginitas n. 1.

Aliæ ſedes a perverſis & hæreticis identidem occupatæ.

A XIX. Sane tam firmum tamque manifeſtum divinæ providentiæ præſidium minus expertæ ſunt aliæ ſedes. Arianæ impietati ad prædam data, luctuſi ſecum diu viſa eſt Alexandria, & ſancti Athanaſii loco Piſtum, Georgium Gregoriumque hæreticos ac peſtilentes pſeudoepiſcopos recepit. Sublato e vivis eidem Athanaſio ſucceſſor datus eſt, non qui juſte legitimeque electus fuerat Petrus, ſed Lucius Arianorum partium impius fautor. Quas non ſubinde ſtrages fecit Dioſcorus, quas non tragœdias excitavit? Proterio ejus in locum ſubſtituto, ſtatimque indigna cæde trucidato, invaſerunt in ſedem qui parricidium admiſerant, primum Timotheus Ælurus, deinde Petrus Mongus, ambo ad omnem Chri- B ſtianæ gentis memoriam infames. Exinde in Severianorum ſeu Acephalorum, quibus poſtea Jacobitis nomen fuit, poteſtatem venit, atque etiamnum ab his obtinetur. Neque felicior fuit Antiochiæ conditio, utpote cui aliquamdiu infortunatus Chriſti hoſtis Paullus Samoſatenus, ac diutius ſubinde Ariani non minus catholicæ fidei proditores, dominati ſunt. Et hi quidem, Euſtathio prædictæ civitatis epiſcopo per vim & calumniam ejecto, ſubrogarunt primo Euphronium ſuæ ipſorum doctrinæ ſectatorem; deinde Flaccillum, unum ex iis qui Athanaſium Tyri damnarunt; poſtea Stephanum, cujus infandam exſecrandamque in Sardicenſis ſynodi legatos molitionem Theodoretus lib. 2. cap. 9. refert; ac demum C Leontium eidem addictum ſectæ, prætereaque incontinentiæ nota inuſtum. Quo Leontio morte defuncto Eudoxius atrocitate ſcelerum & impietate doctrinæ inſignis Antiochenam eccleſiam, Germanicia relicta, iniquiſſime uſurpavit; ex qua cum rurſum in Conſtantinopolitanam migraſſet, Ariani Meletio epiſcopo creato, moxque depulſo, Euzoium ſuffecerunt, e primariis Arii ſociis unum, quem Alexander epiſcopus ex diaconatu dimoverat. Inde in tres quatuorve partes miſere ſciſſa Antiochena eccleſia triſtiſſimum ſui ſpectaculum præbuit, aliis Meletio, Euzoio aliis, aliis Paullino, quibuſdam Vitali Apollinaris diſcipulo adhærentibus. Emerſit quidem ex his fluctibus poſt multos exinde annos, & compoſi- D ta pace paullulum reſpirare viſa eſt; ſed imperante Zenone in hæreticorum manus rurſum incidit. Tunc enim in illam tyrannice invaſit nullius fidei homo, & turbarum amans Petrus Fullo. Ac tandem ad Neſtorianos miſerum in modum devoluta eſt. Tacemus de Hieroſolymitana, cui licet proprium honorem ſervari voluerit Nicæna ſynodus, tamen ei ne metropoliticum quidem jus dignitatemque conceſſit. Conſtantinopolitana vero quo plus gloriæ & nobilitatis ex Imperatorum præſentia accepit, eo etiam plus incendit ambitioſorum hominum cupiditatem. Et ſane illam in ſedem involarunt Euſebius Nicomedienſis Arianorum dux, dejecto prius & in exſilium pulſo ſanctiſſimo legitimoque poſſeſſore Paul- E lo; Macedonius hæreticorum princeps poſt necem Paulli, Arianorum opera in exſilio ſtrangulati; Eudoxius Antiochenus Macedonio item exturbato; neque multo poſt Maximus Cynicus, eluſo fraudibus dimotoque Gregorio Nazianzeno. Quid Neſtorius? legitime quidem vocatus videbatur: at in eam conſcendit homo infelix, ut inde graviore lapſu rueret, audiretque novæ impietatis architectus. Acacium quo non perpulit ambitio? Primo hæreticorum ſocietate contaminatus, mox luctuoſum illud conflavit ſchiſma, quod magnis multiſque ſudoribus reſtinctum vix fuiſſe nemo neſcit. Hunc excepit Fravitas, cujus hæreticum animum ſpirant litteræ illæ, quibus Calchedonenſi concilio anathema dicere non timuit. F Tempora ſilemus ſive Monothelitarum, ſive Iconoclaſtarum, quorum hæreſes, ſi uſpiam alibi, certe Conſtantinopoli graſſatæ ſunt. Quæ demum civitas ſub Photiano ſchiſmate, uti jam obſervavimus, Eccleſiæ caput fieri ideo ambiebat, quia Imperatorum erat ſedes, hæc ipſa terribili ſimul & juſto Dei judicio Mahumedanæ perfidiæ ſedes facta, miſerrimam ſervit ſervitutem. Una omnium Romana, vel periculoſiſſimis temporibus, firmiſſime ſtabilita conquievit; neque ullum ſenſit dignitatis a Petro ad ſucceſſores ejus tranſmiſſæ detrimentum.

Theodoret. l. 1. c. 19. & 22.

Idem lib. 2. cap. 24.

Idem. c. 25.

Evagr. l. 3. c. 16.

Nic. can. 7.

Primæ ſedis merito ſanctitatem non conſerri.

XX. Tametſi autem, Deo ſic volente, a Petro in plurimos Romæ præſules, diu fluxit una cum

pri-

primatus auctoritate vitæ ſanctitas, tamen conſtat utramque divelli poſſe, & quam ſanctitatem poſtulat ſancta ſedes, illam ab ipſa ſeſe non conferri. Notum eſt præclarum illud Hieronymi effatum: *Non facit eccleſiaſtica dignitas Chriſtianum.* Hinc adeo ſummi pontificatus apicem expaverunt infirmitatis ſuæ conſcii ſanctiores viri, eumque, quantum in ſe fuit, duxerunt ſibi refugiendum. Quod ſi ad iſtam quandoque dignitatem non ducti, ſed tracti ſunt, tremendum onus ſubierunt ſola divinæ vocationi parendi neceſſitate, at non ſine metu; id ſancte rati, eodem eſſe ſe quo ceteri luto fictos; neminem eſſe quantumvis in omnes muneris ſui partes intentum & erectum, qui non labatur in multis; at eum in primis, cujus in humeris depoſita eſt eccleſiarum omnium moles, qui innumeris diſtractus curis ad ſe ſe ipſum revocari vix poteſt, neque ſic virtutis & officii ſui tenax eſſe, ut non quandoque cæſpitet. Hinc videbantur ipſi ſibi non in ſanctitatis culmen elati, ſed in ſummum adducti diſcrimen pietatis, immo & ſalutis. Quot ea de re querimoniis, quot gemitibus plenæ ſunt Gregorii Magni litteræ, quibus poſt impoſitum ſibi pontificatum vicem ſuam inſolabiliter dolet? *Quia*, inquit lib. 1. Indict. 9. epiſt. 4. ad Joannem epiſcopum CP. *vetuſtam navem vehementerque confractam indignus ego infirmusque ſuſcepi; (undique enim fluctus intrant, & quotidiana ac valida tempeſtate quaſſatæ, putridæ naufragium tabulæ ſonant,) per omnipotentem Deum rogo, ut in hoc mihi periculo orationis tuæ manum porrigas.* Et in epiſtola ſequente ad Theoctiſtam Imperatoris ſororem ſic animi ſui dolorem ejuſque cauſſam pandit: *Sub colore epiſcopatus ad ſæculum ſum reductus, & tantis terræ curis inſervio, quantis in vita laica nequaquam inſerviſſe reminiſcor. Alta enim quietis meæ gaudia perdidi; & intus corruens aſcendiſſe exterius videor. Unde me a conditoris facie longe repulſum deploro . . . Preſſus enim in hoc honore tumultu ſæcularium negotiorum, ex iis me eſſe video, de quibus ſcriptum eſt, Dejeciſti eos, dum allevarentur.* Plura hujuſmodi referre ſuperſedemus, ex quibus manifeſtum eſt, quanta piiſſimus ille pontifex in tam ſublimi loco cerneret parata ſanctitati pericula. Ipſa etiam poſteriorum temporum experientia edocti ſumus, ad illum erigi poſſe viros ſanctitatis merito deſtitutos, eoſque ex ſancta ſede nuncupari ſanctos, at non fieri. Necdum tamen anno 595. e fidelium animis deleta erat opinio ſanctitatis, ob quam Romanos præſules etiam morte defunctos honorare conſueverant. At hoc ipſo anno morem hunc ſuſtulit idem Gregorius, nolens eos *peccatoribus* honores tribui, qui Sanctis unis tribui debent. Quamobrem epiſcopis pluribus, totoque clero congregatis, ſic ad eos eſt præfatus: *Sicut indignos nos pro beati Petri Apoſtoli reverentia mens fidelium veneratur, ita noſtram infirmitatem decet ſemet ipſam ſemper agnoſcere, & impenſa ſibi venerationis onera declinare.* Tum quam abolendam ſtatuerat conſuetudinem, expoſuit his verbis: *Ex amore quippe fidelium, hujus ſedis rectoribus mos ultra meritum erupit, ut cum eorum corpora humanda deferuntur, hæc dalmaticis contegat, eaſdemque dalmaticas pro ſanctitatis reverentia ſibimet particulas populus ſcindat; & cum adſint multa a ſacris corporibus Apoſtolorum Martyrumque velamina*, A PECCATORUM CORPORIBUS *ſumitur, quod pro magna reverentia ſervetur.* Tum adverſus hunc morem pronuntiat: *Præſenti decreto conſtituo, ut feretrum quo Romani pontificis corpus ad ſepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur*: atque hujus decreti ſervandi curam presbyteris ac diaconis Romanis ſub anathematis interminatione injungit. At vero quo plus eſt in ſuprema ſede periculi, eo etiam plus eminuit divinæ providentiæ vis, quæ hanc ipſam ſedem per tot ætates non ab aliis plerumque teneri ſivit, niſi a viris omnium virtutum ſplendore ornatiſſimis, quorum ſanctitas ad exemplum juxta & ad venerationem proponi poſſet. Quod ſane non parum contulit, ut quæ apoſtolicæ ſedi debebat, ea libentius exſolveret Chriſtianus orbis; hanc in dubiis anxiiſque rebus conſuleret, ac ſingularem ejus decretis, ut jubent eccleſiaſtici canones, reverentiam exhibere aſſueſceret.

Ep. 5. ad Heliod. t. 4. nov. edit. pag. 10.

Gregor. ep. olim 42. lib. 5.

XXI. Perſuaſum habens Sardicenſis ſynodus, Romanæ ſedis antiſtiti, ut Eccleſiæ capiti, incumbere eccleſiarum omnium ſolicitudinem, ſic anno 347. ad Julium papam ſcribit: *Hoc optimum & valde congruentiſſimum judicabitur, ſi ad caput, id eſt ad Petri ſedem, de ſingulis quibuſque provinciis Domini referant ſacerdotes.* Huic ſynodo præluſerant anno 314. Arelatenſis I. concilii patres, qui Silveſtrum pariter de rebus a ſe geſtis ac decretis certiorem facere curaverunt. Jam ab anno 256. idem præſtiterant Afri ac Numidæ Carthagine ſimul congregati, unde conſcriptis ad Stephanum papam litteris ipſi ſignificarunt ea, quæ decreverant. Quin & ipſa etiam naſcentis Eccleſiæ exordia ſi recolimus, occurret epiſtola Corinthiorum ad Clementem, in qua poſt expoſitam diſcordiæ apud ipſos obortæ cauſſam, Romanorum opem & conſilium implorabant. Anno autem 416. Afri paternum exemplum imitati, e conciliis Carthaginenſi ac Milevitano ad Innocentium papam referenda eſſe duxerunt ea, quæ de Pelagii atque Cæleſtii cauſſa ſentiebant, quæque adverſus illorum hæreſim definierant. Quorum litteris reſcribens Innocentius, primo *inter ceteras Romanæ eccleſiæ curas & apoſtolicæ ſedis occupationes*, as recenſet, *quibus*, inquit, *diverſorum conſulta fideli ac medica diſceptatione tractamus.* Tum nec ſilet quo pacto apoſtolicæ ſedis præſulem *præter illa quæ extrinſecus ſunt, ſolicitudo manet omnium eccleſiarum.* Unde gratulatur Afris, *quod ſuper anxiis rebus quæ ſit tenenda ſententia*, ab eadem ſede quæſierint, *antiquæ regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper orbe mecum*, inquit, *noſtis eſſe ſervatam*; utpote *ſcientes*, idque etiam *actione firmantes*, *quod per omnes provincias de apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent.* Atque hæc obiter, velut quæ omnibus obvia compertaque ſint, præfatus, ſic demum Afros alloquitur: *Præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt ſui nominis & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit eccleſiis omnibus in commune prodeſſe.* Nempe, ut poſtrema Innocentii verba innuunt, oportuit unam aliquam & ſingularem eccleſiam a Deo conſtitutam eſſe, quæ præeſſet aliis, cujus ope atque auctoritate per orbem terrarum omnem innoteſcerent, quæ in provinciis peculiaribus deteguntur hæreticorum flagitia, errores, doli, quæque his malis adhibenda ſint remedia, ut una eademque omnium perſtaret inconcuſſa fides, neque communionis aut pacis vincula ſolverentur. Quocirca Cyrillus Alexandrinus, comperta Neſtorii hæreſi, officii ſui eſſe duxit, rem tanti momenti cum pontifice Romano communicare; alioqui ſe extra culpam non fore. *Si ſilere*, inquit ad Cæleſtinum ſcribens, *& non pietatem tuam de omnibus quæ moventur, litteris certiorem facere citra culpam ac ſiniſtræ ſuſpicionis metum liceret, præſertim in rebus adeo neceſſariis*, UBI FIDES PERICLITATUR, *in memet ipſo dicerem, Bonum & periculi expers eſt ſilentium.... Sed quoniam Deus hiſce in rebus vigilantiam noſtram exigit, &* LONGA ECCLESIARUM CONSUETUDO *ſuadet ut hujuſmodi res cum ſanctitate tua communicentur, ſcribo plane neceſſitate adactus.* Cyrillo conſonat Epheſina ſynodus in ſuis ad eumdem papam litteris, ubi eum primo laudat, quod in ſublimi culmine poſitus omnibus eccleſiarum negotiis provideat ſic tamquam ſuis, eaque ſibi propria eſſe ducat, capitis officio recte functus, cujus eſt ceterorum corporis membrorum ſanitati providere: *Quia*, inquit, *mos eſt vobis ita magnis exſiſtentibus in omnibus bene probari, & omnia ſtudia eccleſiarum veſtra propria facere.* Deinde ad eum ideo ſcribere ſe teſtatur, *quoniam*, inquit, *oportebat omnia ad ſcientiam tuæ ſanctitatis referri.* Eumdem ſecuti morem Calchedonenſis concilii patres, relationem Leoni miſerunt, in qua viginti ſupra quingentos conveniſſe ſe ſtatim exponunt; tum ſubjiciunt proxime, *quibus tu velut* CAPUT *membris præeras.* Huc ſpectat illud Aviti Viennenſis epiſcopi: *Scitis ſynodalium legum eſſe, ut in rebus quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinent, ſi quid dubitationis fuerit exortum, ad Romanæ eccleſiæ maximum ſacerdotem, quaſi ad* CAPUT NOSTRUM *membra ſequentia recurramus.* Immo Juſtinianus im-

PARS I. AUCTORITATA ROM. PONTIFICIS.

Ea quæ ad Eccleſiæ ſtatum artinent, ubivis gerantur, ad Rom. antiſtitem eſſe referenda.

Jul. 5. pag. 395.

Silveſt. pag. 341.

Stephan. I. pag. 216.

Innoc. epiſt. 30. n. 6. & 2.

Cæleſt. epiſt. 8. n. 1.

Cæleſt. epiſt. 30. n. 2.

Apud Leon. ep. 90. n. 6.

Avit. ep. 36.

Sabs I. de auctoritate Rom. Pontificis.

Johan. II. epiſt. 3. n. 3.

perator, cum Chriſtum *unum de Trinitate* dicendum eſſe, re diligentiſſime diſcuſſa, non dubitaret; tamen id quod hacce de cauſa edixerat, petiit a Joanne II. papa firmari, & hanc petitionis ſuæ rationem affert: *Nec enim patimur quidquam quod ad eccleſiarum ſtatum pertinet, quamvis manifeſtum & indubitatum ſit, ut non veſtræ innoteſcat ſanctitati: quia* CAPUT *eſt omnium ſanctarum eccleſiarum.* Neque his in verbis ullus eſt adolationis ſuſpicioni locus: cum hoc ipſo etjam tempore idem Imperator datis ad regiæ civitatis antiſtitem litteris, hunc animi ſui ſenſum non minus clare aperiat. Eum quippe monet, promulgatum a ſe fuiſſe edictum, *ſervato ſtatu unitatis omnium eccleſiarum cum ipſo ſanctiſſimo papa veteris Romæ, ad quem*, inquit, *ſimilia* B *biſce* (quæ ſcilicet ad Epiphanium epiſc. CP. ſcribebat) *perſcripſimus. Non enim patimur, ut quidquam eorum quæ ad eccleſiaſticum ſpectant ſtatum, non etiam ad ejuſdem referantur beatitudinem, cum* EA SIT CAPUT *omnium ſanctiſſimorum Dei ſacerdotum, vel eo maxime, quod quoties his in locis hæretici pullularunt, & recto judicio illius venerabilis ſedis coerciti ſunt.*

Majores cauſſæ quæ ſint ad apoſtolicam ſedem referendæ.

XXII. His affinis & cognata eſt celebris quæſtio de majoribus cauſſis, quas poſt epiſcopale judicium ad ſedem apoſtolicam referri voluerunt ejuſdem ſedis antiſtites. Qua de re iſtud Innocentius I. in epiſtola 2. ad Victricium Rotomagenſem epiſcopum num. 5. conſtituit: *Si majores cauſſæ in medium fuerint devolutæ, ad ſedem apoſtolicam, ſicut ſynodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, poſt epiſcopale judicium, ad apoſtolicam ſedem referantur.* Tametſi vero inter eruditos minus convenit, quaſnam Innocentius cauſſas majores vocet, quam indicet conſuetudinem, quam ſynodum laudet cujus ſtatuto firmata ſit beata illa conſuetudo; tamen hæc aliunda, ac præſertim ex ipſius ſcriptis, interpretari licere arbitramur. Nempe cum Pelagii Cæleſtiique cauſſam judicaſſent Afri Carthagine congregati, miſere ad Innocentium judicii ſui relationem, in qua & ejuſdem mittendæ cauſſam ſic explicant. *Hoc itaque geſtum, domine frater, ſanctæ caritati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas pro tuenda ſalute multorum, & quorumdam perverſitate etiam corrigenda.* Cui relationi ſimilem eodem & tempore & animo miſerunt Numidæ. Hinc vero arripoit Innocentius occaſionem laudandi Afros, ut *antiquæ traditionis exempla ſervantes, & eccleſiaſticæ memores diſciplinæ:* quippe *qui*, inquit, *ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quid apoſtolicæ ſedi debeatur;* (indeque probatis) *quod patrum inſtituta ſacerdotali officio cuſtodientes non cenſetis eſſe calcanda: quod illi non humana, ſed divina decrevere ſententia, ut quidquid quamvis de diſjunctis remotiſque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad hujus ſedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate quæ fuerit juſta pronuntiatio, firmaretur.* Similia & Numidarum litteris ad ipſum e concilio Milevitano datis reſcripſit ſanctiſſimus præſul. Porro ex his Innocentii tum ad Victricium, tum etiam ad Afros ac Numidas verbis inter ſe collatis pervidere eſt, quid de majoribus cauſſis ad apoſtolicam ſedem referendis Victricio præſcribat. Id videlicet ab illo fieri vult, quod ab his gaudet gratulaturque factum. Si quis igitur rogabit quænam illæ ſint cauſſæ majores, quas Victricium monet Innocentius ad apoſtolicam ſedem eſſe referendas, facilis & pronta reſponſio eſt, quæcumque nimirum cauſſæ ſimiles illius erunt, quæ ad eamdem eſt ſedem ab Afris ac Numidis relata. Et vero quemadmodum *beatæ conſuetudine* ac *ſynodi ſtatuto* exigi monet id quod a Victricio flagitat; ita & quod ab Afris ac Numidis laudat eſſe factum, id ex præſcripto *antiquæ traditionis & eccleſiaſticæ diſciplinæ* atque ſecundum *patrum inſtituta* factum eſſe ait. Ibi vero, in epiſtola nimirum ad Afros ſcripta, non generatim vageque commemorantur *patrum inſtituta*, ſed præciſe nominatimque indicantur ea quibus patres *decrevere, ut quidquid quamvis de disjunctis remotiſque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad apoſtolicæ ſedis notitiam perveniret.* Ubi manifeſtum eſt, nec Nicænum ca-

Apud Innoc. ep. 26. n. 1.

Ib. ep. 27.

Innoc. epiſt. 29. n. 1.

A nonem 6. ubi de epiſcoporum primariis ſedibus ſubjectorum ordinatione agitur, nec Sardicenſes 3. 4. & 7. ubi de appellationibus epiſcoporum ſermo eſt, ſed ejuſdem ſynodi epiſtolam ad Julium papam notari, in qua legimus: *Optimum & valde congruentiſſimum judicabitur, ſi ad caput, id eſt ad Petri ſedem, de ſingulis quibuſque provinciis Domini referant ſacerdotes.* Cum igitur in provinciis quibuſvis tales incidant cauſſæ, quales a ſynodo Sardicenſi, & ſubinde a Carthaginenſi ac Milevitana judicatæ ſunt; has quidem Innocentius epiſcopali cognitioni ac ſententiæ non ſubducit, ſed ita finiri non vult, quin *poſt epiſcopale judicium* ad apoſtolicam ſedem referantur. Neque ſunt leviter tranſiliendæ ejuſdem pontificis ad Milevitanam ſynodum reſcribentis verba, ſuperius jam a nobis num. XXI. relata, quibus eas cauſſas ad ſedem ſuam referri ſolere notat, quæ oboriuntur *ſuper anxiis rebus*, præſertim *quoties fidei cauſſa ventilatur.* Unde non inepte Petrus de Marca in eumdem locum obſervavit, eo tendere Innocentii ſententiam, *ut doceat antiquam eſſe regulam & canonem ut de rebus dubiis, præſertim ſi de fide agatur, ex omnibus provinciis ad Romanam eccleſiam referatur: ut quæ ſequenda ſint, omnibus eccleſiis promantur.* Huic autem Innocentii loco ſi adjungamus alios cum Aviti Viennenſis epiſcopi, tum Juſtiniani imperatoris ſupra num. 21. deſcriptos; inde conficietur ut eæ ad apoſtolicam ſedem referendæ ſint C cauſſæ, *quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinent*, præſertim *ſi quid dubitationis* habeant quæ in provinciis ægre tollatur, maxime ſi de fidei doctrina diſceptetur. Ad epiſcoporum cauſſas quod ſpectat, ſatis eſt illis a ſynodo Sardicenſi conſultum; cujus canonibus 3. 4. & 7. *ad honorandam Petri memoriam* decretum eſt, ut qui ſe in provincia ſua damnatos eſſe conquererentur, hi ſuas ad pontificem Romanum querelas deferre poſſent. Quamquam & circa ejuſmodi cauſſas obſervat Julius papa, obtinuiſſe hunc morem, etiam ante ſynodi Sardicenſis tempora, ut ne Alexandrinus antiſtes, ac forte alii nonnulli præcipuarum ſedium epiſcopi, præter pontificis Romani conſcientiam judicarentur. Unde cum Euſebianis expoſtulat ſapientiſſimus præſul, quod iſta conſuetudine D neglecta Athanaſium condemnarant. *An ignoratis*, inquit, *hanc eſſe conſuetudinem, ut primum nobis ſcribatur, & hinc quod juſtum eſt decernatur? Sane ſi qua hujuſmodi ſuſpicio in illius urbis epiſcopum cadebat, ad hanc eccleſiam* (Romanam) *ſcribendum fuit.* Et hujus quidem moris expreſſa quædam veſtigia deprehendimus in eorum querimoniis, qui cum in Dionyſii Alexandrini ſcriptis aliquid offendiſſent, quod ipſis reprehenſione dignum videretur, illud ad cognominem Dionyſium pontificem Romanum detulerunt. Sed eccleſiaſticis in cauſſis quid ſibi ſervari velint Romani præſules, ut evidentius fiat, abs re non erit expendere, quam voluerint apoſtolicæ ſe- E dis vicariorum in judicandis iiſdem cauſſis poteſtatem eſſe, & quibus eam cancellis limitibuſque definiverint.

Epiſt. 1. n. 22.

Papæ in Illyrico eas tantum cauſſas ſibi ſervant, quæ ibi non potuerint finiri.

XXIII. Innocentius deceſſores ſuos ſecutus, Anyſio Theſſalonicenſi epiſcopo cauſſarum omnium, quas per Illyrici provincias judicari oporteret, cognitionem ac judicium iis committit verbis, quibus nec majores cauſſas diſtinguere, nec ullam omnino excipere videatur: *Cui*, inquit, *etiam anteriores tanti ac tales viri prædeceſſores mei epiſcopi, id eſt ſanctæ memoriæ Damaſus, Siricius, atque ſupra memoratus vir* (Anaſtaſius) *ita detulerunt, ut* OMNIA *quæ in iis partibus gererentur, ſanctitati tuæ quæ plena juſtitiæ eſt, traderent cognoſcenda; meam quoque parvitatem hoc tenere judicium eamdemque habere volun-* F *tatem te decet recognoſcere.* Subinde idem pontifex, nullo pariter cauſſarum diſcrimine habito, camdem Anyſii ſucceſſori Ruſo poteſtatem tribuit his verbis: *Divinitus ergo hæc procurrente gratia ita longis intervallis diſterminatis a me eccleſiis diſcat conſulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam, cauſſaſque, ſi quæ exoriantur per Achaiæ, Theſſaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, & Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripenſis, Mœſiæ, Dardaniæ, ac Prævali eccleſias, Chriſto Domino annuente, cenſeam.* Exſtant & plures ea de re Bonifacii litteræ ſive ad Ruſum ſive ad epiſcopos Illyrici perſcriptæ: ſed nec

Innoc. ep. 1.

Epiſt. 13. n. 2.

in

in eis ullum elucet cauſſarum diſcrimen, neque apertius is papa majores ſibi ſervare legitur. Cæleſtinus quoque deceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtens,

Celeſt. ep. 3.

Illyrici epiſcopos ſic alloquitur: *Sunt culpæ aliquantæ non leves, quæ illis innatæ provinciis ad nos, cum ſimus longius, non poſſunt pervenire, aut jam ſemotis omnibus non ita, ut ſunt acta, interpoſito temporis ſpatio perferuntur;* QUAS OMNES *nos interceſſione fratris & coepiſcopi noſtri Rufi, cujus experientiam comprobatam eſſe in cauſſis omnibus & vitæ actibus liquet, volumus reſecari. Cui vicem noſtram per veſtram provinciam noveritis eſſe commiſſam; ita ut ad eum, fratres cariſſimi,* QUIDQUID DE CAUSSIS AGITUR, *referatis.* Ex his tamen locis confici nequit, pontifices Romanos Theſſalonicenſi antiſtiti ſic

B

omnes Illyrici cauſſas commiſiſſe, ut nihil in iis ſibi ſervari voluerint. Nam & Cæleſtini deceſſor Xyſtus III. in ſuis ad Illyrici epiſcopos litteris id prælocutus quidem eſt:

Xyſt. ep. 8. n. 3.

Nos fratri & coepiſcopo noſtro (Theſſalonicenſi) *Anaſtaſio tantum tribuimus, quantum deceſſoribus ipſius a majoribus noſtris attributum.* Unde Theſſalonicenſis epiſcopi poteſtatem nihil ab eo imminutam liquet; immo etiam ſubinde adjungit, *Ad Theſſalonicenſem* MAJORES CAUSSÆ *reſerventur antiſtitem.* Sed epiſcopos eoſdem aliis monet litteris, ſe ſibi ipſi ſervatam velle cognitionem cauſſarum, quæ ſic perplexæ contortæque ſint, ut ab vicario ſuo finiri non potuerint. Quod ita declarat:

C

Epiſt. 10. n. 3.

Si quid forſitan aut inter fratres natum fuerit, aut fratri cuipiam aliqua actio qua pulſetur illata; aut illic fratre & coepiſcopo noſtro Anaſtaſio judice veniens negotium terminetur, qui vices apoſtolicæ ſedis agere, ut beatæ memoriæ Rufus deceſſor ipſius, ex noſtra voluntate cognoſcitur, aut AD NOS, SI ILLIC FINIRI NON POTUERIT, *eodem tamen ſuis litteris cauſſam omnem qua vertitur proſequente,* VENIAT EXAMEN. Romani autem præſules, acceptis Theſſalonicenſis epiſcopi litteris, quibus cauſſæ totius caput & ſeries exponebatur, rem vel Romæ judicabant ipſi per ſe ſe, vel ex Sardicenſis concilii

Sardic. concil. can. 7.

præſcripto in Illyricum mittebant qui eum vice ſua finirent. Quocirca Perigeni Corinthiorum epiſcopo ſcribit idem pontifex:

D

Xyſt. epiſt. 7. n. 2.

Nunc aliqua incitare (te) *voluiſſe cognovimus: ſed hæc, cum nos per noſtrorum præſentiam, quos vice noſtra ad eas partes propter has cauſſas direximus, ſopitæ ſint, præterimus.* Patebat nimirum Illyrici epiſcopis appellationis via, idque pontifices ipſi Romani approbabant, ut ex ſubnexo Leonis teſtimonio palam fiet; unde mirum non eſt eos in appellantium cauſſis eo ſe geſſiſſe modo, qui a concilio Sardicenſi præſcriptus erat. Jam ergo Leonem de quibuslibet Illyrici cauſſia, nominatimque de majoribus judicandis loquentem audiamus:

Leo epiſt. 5. ad Anaſtaſ. n. 5.

Illic ſi quæ cauſſæ natæ fuerint, præſtante Domino ita poterunt terminari, ut contentio nulla reſideat, ſed ſola inter fratres caritas coaleſcat. Si qua vero CAUSSA MAJOR *evenerit, quæ a tua fraternitate illic præſidente non poterit definiri, relatio tua*

E

miſſa nos conſulat, ut revelante Domino, cujus miſericordiæ profitemur eſſe quod poſſumus, quod ipſe nobis aſpiraverit reſcribamus: ut cognitioni noſtræ, pro traditione veteris inſtituti & debita apoſtolicæ ſedis reverentia, noſtro examine vindicemus. Ut enim auctoritatem tuam vice noſtra exercere te volumus; ita nobis quæ illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiſerit, reſervamus. In epiſtola autem ſequenti n. 4. ad Illyrici metropolitanos data ſatis habet ea de re id monere paucis: *Quidquid cauſſarum, ut aſſolet, inter conſacerdotes evenerit, ejus cui vicem noſtram commiſimus examini reſervetur, ut illo ſub Dei timore præſule omnis ambiguitas finiatur.* Sed

F

neque has epiſcoporum cauſſas ad vicarii cognitionem deferri vult, niſi præierit epiſcoporum provinciæ judicium, quo nequierint finiri, uti epiſt. 13. n. 1. ad epiſcopos Illyrici apertius declarat his verbis: *Si quæ* MAJORES *inter epiſcopos* CAUSSÆ *ſunt, quæ in provinciis ſuis nequeant terminari, ad ejus* (Anaſtaſii) *notitiam perferantur, & eodem arbitro ſub divini timore judicii componantur,* in ſynodis ſcilicet ab Anaſtaſio convocatis. Quapropter epiſcopos eoſdem, ut ad hujuſmodi ſynodos conferant ſe ſe, ibid. n. 2. ſic adhortatur: *Invitati fratres in* CAUSSIS MAXIMIS, *& quæ intra provincias ſuas finiri ne-*

A

queunt, terminandis, ſi nulla gravi neceſſitate retinentur, fraterno ſe ſtudio non denegent. Is igitur in Illyrico majorum erat ordo cauſſarum. Ad metropolitanum primo ſeu ad provinciæ ſynodum deferebantur. Tum ſi nequibant propter obſcuritatem rerum aut difficultatem illic componi, ad vicarii ſeu ſynodi cujus idem vicarius præſes erat, cognitionem pertinebant. Demum ſi nec ibi finiri poterant, aut ſi quis a judicio prolato ad pontificem Romanum provocabat, tum ſervabatur apoſtolicæ ſedis cognitioni ac ſententiæ tota rei diſceptatio. Unde ſequitur, ut quæ a laudatis pontificibus appellantur cauſſæ majores apoſtolicæ ſedi ſervatæ, cenſendæ ſint eæ, quæ tantum haberent difficultatis,

Pars I. de Auctoritate Rom. Pontificis.

B

ut nec metropolitani, nec apoſtolicæ ſedis vicarii judicio componi ac terminari potuerint.

Quas in Galliis cauſſas ſibi ſervarint Romani præſules.

XXIV. Non in Illyrico ſolum Theſſalonicenſes præſules, ſed & in Galliis Arelatenſes a Romanis pontificibus creati leguntur apoſtolicæ ſedis vicarii. Et his quidem novis vicariis attributa pariter cauſſarum majorum cognitio eſt, non ſine ſimili exceptione. Quippe Zoſimus, dum epiſcopis Galliarum ſcribit ſuam ſe Arelatenſi præſuli vicem commiſiſſe, uſitatum adhibet clauſulam, quæ certos ejus auctoritati fines præſcribat: *Ad cujus,* inquit, *notitiam ſi quid illic negotiorum emerſerit, referri cenſuimus, niſi magnitudo cauſſæ noſtrum requirat examen.*

Zoſ. epiſt. 1. c. 3.

Porro his verbis, *niſi magnitudo cauſſæ*, id enuntiari quod

C

illis, *niſi difficultas cauſſæ*, ex ſubjectis patebit. Similiter & Hilarus papa in ſuis ad diverſarum Galliæ provinciarum epiſcopos litteris, id primum eos admonet, delegatum a ſe eſſe Arelatenſem præſulem Leontium, qui e provinciis illorum curet cogi ſynodum, in qua diſcutiantur cauſſæ: ac deinde quid in iiſdem cauſſis ſibi ipſe ſervari velit, ita declarat:

Hilar. epiſt. 8. n. 4.

In dirimendis ſane gravioribus cauſſis & quæ illic non potuerint terminari, apoſtolicæ ſedis ſententia conſulatur. Quod Hilari decretum perinde intelligendum videtur, ac ſi, ſublata conjunctione &, efferretur in hunc modum, *In dirimendis gravioribus cauſſis, quæ illic &c.* adeo ut addiderit idem pontifex *& quæ illic non potuerint terminari*, quo explicaret apertius

D

quid graviorum cauſſarum nomine ſibi reſervaret. Habemus qui interpretationi noſtræ ſuffragetur, Symmachum papam, cujus hæc ſunt ad Cæſarium Arelatenſem epiſcopum verba:

Symmach. ep. 17. n. 2.

Decernimus ut circa ea, quæ tam in Gallia quam in Hiſpaniæ provinciis de cauſſa religionis emerſerint, ſollertia tuæ fraternitatis invigilet; &, ſi ratio popoſcerit præſentiam ſacerdotum, ſervata conſuetudine, unuſquiſque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conveniat; & ſi Dei adjutorio controverſia incidens amputari potuerit, ipſius hoc meritis applicemus: alioquin exſiſtentis negotii qualitas ad ſedem apoſtolicam te referente perveniat. Vides alium ibi nullum apoſtolicæ ſedi ſervatam eſſe controverſiam, niſi quæ ab ejus vicario nequierit deci-

E

di. Perſpicua eſt & hac de re Vigilii papæ ſententia in epiſtola 6. ad Auxanium Cæſarii ſucceſſorem num. 2. in qua illud conſtituit: *Si quæ ergo inter fratres & coepiſcopos noſtros in locis tuæ caritati præſenti auctoritate commiſſis, ſeminante ille auctore ex antiqua iniquitate zizanias, diſſenſiones emerſerint, adhibitis vobiſcum ſacerdotibus numero competenti, cauſſas canonica & apoſtolica æquitate diſcutite, eas modis omnibus prolato judicio finituri, quæ Deo placitis deceſſorum noſtrorum poſſint regulis convenire. Si qua vero certamina aut de religione, quod abſit, aut de quolibet negotio quod ibi pro ſui magnitudine terminari non poſſit, totius veritatis indagine diligenti ratione diſcuſſa, relationis ad nos ſeriem deſtinantes, apoſtolicæ ſedi terminanda ſervate.* Quod & in epi-

F

ſtola 7. ſequenti ad epiſcopos provinciarum Galliæ, quarum curam Auxanio commiſerat, confirmat in hunc modum: *Auxanio fratri & coepiſcopo noſtro Arelatenſis civitatis antiſtiti vices noſtras caritas veſtra nos dediſſe cognoſcat, ut ſi aliqua, quod abſit, emerſerit contentio, congregatis ibi fratribus & coepiſcopis noſtris cauſſam canonica & apoſtolica integritate diſcutiens, Deo placita æquitate definiat. Contentiones vero ſi quæ, quas Dominus avertat, in fidei cauſſa contigerint, aut tale emerſerit negotium, quod pro magnitudine ſui apoſtolicæ ſedis magis judicio debeat terminari; ad noſtram diſcuſſa veritate perferat*

PRÆSUL DE AUCTORITATE ROM. PONTIFICIS.

ſine dilatione noticiam. Hinc ſi quis ambigat, quænam Vigilius *certamina de religione* appellarit, jam tollitur omnis dubitatio, ubi hac loquendi ratione aliud nihil niſi *contentiones in fidei cauſſa* intelligere ſe indicat. In utroque autem illo Vigilii loco iſtud notandum, quod jam a nobis obſervatum eſt non ſemel, eas nimirum ad ſedis apoſtolicæ notitiam referendas eſſe cauſſas, quæ *pro ſui magnitudine*, id eſt difficultate, terminari non potuerint; ſed non referendas, niſi prius in provinciarum ſynodis *diſcuſſa veritate*, ſeu *totius veritatis indagine diligenti ratione diſcuſſa*, cognitæ fuerint. In his autem negotiis, quæ tum Vigilius tum deceſſores ipſius ſibi ſervant, non modo non annumerant epiſcoporum cauſſas, ſed & has etiam una cum aliis Arelatenſi epiſcopo delegatas eſſe, atque ab eo decidi poſſe, idem Vigilius conceptis verbis docet in epiſtola 9. ad Auxanii ſucceſſorem Aurelianum, quem ſic alloquitur: *Si quam ergo inter fratres diabolus humani generis hoſtis antiquus zizaniam ſeminaverit calliditate iniquitatis conſuetæ, aut de aliquo ſacerdotum fraternitati tuæ, ſervatis majorum per omnia conſtitutis, fuerit querela depoſita; adhibitis tibi fratribus ſecundum qualitatem negotii numero competenti, cauſſam canonica & apoſtolica ordinatione diſcutiens, ea ſententia definies, quæ & deceſſorum noſtrorum conveniat ſtatutis, & Deo ſit grata*. Qua in re liquet parem fuiſſe Arelatenſium præſulum poteſtatem intra provincias ipſorum curæ delegatas, atque Theſſalonicenſium, quibus epiſcoporum cauſſas ſalvo metropolitanorum jure pariter commiſſas eſſe, allata Leonis verba fidem faciunt. Tum hortatur Vigilius Aurelianum, ut *relationis ſerie deſtinata ad* ipſius *ſedis conſultationem potius remittat, ſi quod de religione fuerit certamen exortum, aut tale negotium emerſerit, quod pro ſui magnitudine ibidem nequeat definiri*. Subinde Sapaudum Arelatenſem epiſcopum ſedis ſuæ vicarium conſtituit Pelagius I. eumque eodem, quo deceſſores ipſius, jure frui voluit. Tot demum teſtimoniis, quæ mutuam ſibi lucem affundunt, adjicimus & illud Gregorii, qui Virgilio civitatis itidem Arelatenſis epiſcopo vices ſuas in Childeberti regno delegans, de cauſſis illud præcipit: *Si qua vero inquiſitio de fide vel fortaſſe aliarum rerum inter epiſcopos cauſſa emerſerit, quæ diſcerni difficilius poſſit, collectis duodecim epiſcopis ventiletur atque decidatur. Si autem decidi nequiverit, diſcuſſa veritate ad noſtrum judicium referatur*. Quibus verbis ſic omnes Virgilio committuntur cauſſæ, ut ne illæ quidem quæ ad fidem pertinent, excipiantur, niſi forte quæ ab illo decidi non valuerint. Neque aliter, immo & apertius vicarii ejuſdem partes officiumque definit in epiſtola ſequenti, qua Childeberti regni epiſcopos certiores facit creatum a ſe apoſtolicæ ſedis vicarium Virgilium, eique injunctum eſſe, ut *ſi inter fratres conſacerdoteſque noſtros aliqua evenerit forte contentio, auctoritatis ſuæ vigore, vicibus nempe ſedis apoſtolicæ functus, diſcreta moderatione compeſcat*; aut *ſi quarumdam cauſſarum tale fuerit certamen exortum in quo aliorum præſentia opus ſit, congregatis ſibi in numero competenti fratribus & coepiſcopis noſtris, ſalubriter hoc ſervata æquitate diſcutiat, & canonica integritate definiat: Si quam vero contentionem de fidei cauſſa evenire contigerit, aut negotium emerſerit, cujus* VEHEMENS SIT *fortaſſe* DUBIETAS, *& pro ſui magnitudine judicio ſedis apoſtolicæ indigeat; examinata diligentius veritate, relatione ſua ad noſtram ſtudeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congrua ſine dubio ſententia terminari*. Jam vero ſi varia illa diligenter expenderimus teſtimonia, exploratum nobis erit ſummos pontifices ex majoribus cauſſis eas tantum ſibi ſervaſſe quæ attinerent ad fidem, eſſentque, ut loquitur Innocentius, *ſuper anxiis rebus*, ſive, ut Gregorii verbis utamur, quarum *vehemens eſſet dubietas*, quæque ideo non potuiſſent certo epiſcoporum judicio definiri.

Greg. lib. 5. indict. 13. ep. alias 50.

Ibid. epiſt. al. 52.

Quas in Hiſpaniis & Sicilia cauſſas ſibi ſervent Romani antiſtites.

XXV. Vicarios in Hiſpaniis videntur tardius habuiſſe ſummi pontifices. Primum certe omnium Zenonem Hiſpalenſis civitatis epiſcopum legimus hoc munere a Simplicio papa decoratum. Subinde Hormiſda Salluſtio pariter Hiſpalenſi præſuli ſuas per *Bæticam Luſitaniamque* committit vices, *ſalvis privilegiis, quæ metropolitanis epiſcopis decrevit antiquitas*: neque tacuit quo pacto ille ſe in cognitione cauſſarum gerere deberet: *Quoties*, inquit, *univerſam poſcit religionis cauſſa concilium, te cuncti fratres evocante conveniant: & ſi quos eorum ſpecialis negotii pulſat intentio, jurgia inter eos oborta compeſce, diſcuſſa ſacris legibus determinando certamina. Quidquid autem illic pro fide & veteribus conſtitutis provida diſpoſitione præcipies, vel perſonæ noſtræ auctoritate firmabis, totum ad ſcientiam noſtram inſtructæ relationis atteſtatione perveniat*. Huc ſpectant & quæ ad Maximianum epiſcopum Syracuſanum ſcribit Gregorius: *Super cunctas Siciliæ eccleſias te reverendiſſimum virum Maximianum fratrem & coepiſcopum meum vicem ſedis apoſtolicæ miniſtrare decernimus, ut quiſquis illic religionis habita cenſetur, fraternitati tuæ ex noſtra auctoritate ſubjaceat: quatenus eis poſthac neceſſarium non ſit ad nos pro parvulis cauſſis tanta maris ſpatia transmeando pervenire. Sed ſi qua fortaſſe* DIFFICILIA *exſtiterint, quæ fraternitatis tuæ judicio dirimi nequaquam poſſunt*, HÆC SOLUMMODO *judicium noſtrum flagitent: ut ſublevati de minimis, in cauſſis majoribus occupemur*. Unde illud confici poteſt enthymema: Gregorius in majoribus cauſſis hiſque ſolis occupari volens, una hæc negotia ſuum flagitare judicium indicat, quæ ſint difficilia, & a Maximiano in competenti epiſcoporum cœtu dirimi non queant: reſtat igitur ut majores cauſſas vocet eas, quæ ita difficiles perplexæque ſint, ut a ſedis ſuæ vicario nequeant finiri. Unde magis magiſque confirmantur, quæ hactenus de Gregorii deceſſorum ſententia circa majores cauſſas diſſeruimus.

Simplic. epiſt. 20. Hormiſd. ep. 140. n. 2.

Lib. 2. Indict. 10. ep. al. 4.

Quis cauſſarum majorum judex in provinciis, quæ non ſubſunt vicario ſedis apoſtolicæ.

XXVI. Ubi vero exploratum fuit, id apoſtolicæ ſedis vicariis conceſſum eſſe, ut de qualibet majori cauſſa, nulla prorſus excepta, niſi quæ ob difficultatem decidi non potuiſſet, ſententiam ferrent; quærendum reſtat ejuſmodi cauſſarum quis judex fuerit, quoties in iis agitabantur eccleſiis, quæ nulli apoſtolicæ ſedis vicario ſuberant. Sed id nec obſcurum eſt, & ſi quid habet quæſtionis, tamen diutius nos detinere non debet. Et ſane majorum id genus cauſſarum aliarumque omnium judices ſemper fuerunt cum metropolitano provinciarum epiſcopi, quippe qui traditæ Apoſtolis a Chriſto poteſtatis conſortes, *Eccleſiam* ejus, ut Innocentii verbis utamur, *nutu divino gubernant*. Unde ne cauſſas quidem illas in iis agitari cœptas eccleſiis, quibus apoſtolicæ ſedis vicarius præerat, ad ipſum vicarium referri voluit Leo, niſi poſtquam *intra provincias ſuas finiri nequiiſſent*. Cum Leone palam conſentit Hormiſda, qui majores cauſſas ad Hiſpalenſis epiſcopi judicium ſic defert, ut ſalva ſint privilegia, *quæ metropolitanis epiſcopis decrevit antiquitas*. Utrique conſonant tum Vigilius, qui earumdem cauſſarum cognitionem Aureliano permiſſam non vult, niſi *ſervatis per omnia majorum conſtitutis*, tum & Romani alii pontifices, qui vicarios admonent ſuos, ut conſuetudini canonicæque legi ſervandæ acriter incumbant. Qua in re præluxerat eis exemplum Innocentii, qui Ruſo vices ſuas per Illyrici provincias *ſalvo earum primatu*, hoc eſt metropolitanorum jure, committeſcat. Privilegium autem metropolitanorum, ſeu judiciorum legem circa cauſſas quæ in provinciis cuivis metropolitano ſubjectis contingunt, explicat Nicæna ſynodus canone 5. Cui canoni morem gerens Innocentius epiſt. 2. ad Victricium Rotomagenſem epiſcopum n. 5. conſtituit: *Si quæ autem contentiones inter clericos tam ſuperioris ordinis, quam etiam inferioris, fuerint exortæ, ut ſecundum Nicænam ſynodum, congregatis ejuſdem provinciæ epiſcopis, jurgium terminetur; nec alicui liceat relictis his ſacerdotibus qui in eadem provincia Dei Eccleſiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias*. Ibi vero quoſnam *ſuperioris ordinis clericos* vocet Innocentius, ſi quis ambigat, interpretes habet Afros, qui ad eumdem Nicænum canonem reſpicientes aiunt: *Decreta Nicæna ſive inferioris gradus clericos, ſive ipſos epiſcopos ſuis metropolitanis apertiſſime commiſerunt*. Quo poſito, ſimulque admiſſa cauſſarum majorum explicatione quam ſuperius propoſuimus, proximo Innocentii decreto recte cohæret alterum illud, quod eidem n. 6. ſubnectit: *Si majo-*

Innoc. ep. 2. n. 5.

Apud Coleſtin. epiſt. 2. n. 3.

jores cauſſæ in medium fuerint devolutæ, ad ſedem apoſtolicam, ſicut ſynodus ſtatuit & beata conſuetudo exigit, poſt epiſcopale judicium referantur. Cum enim priore cautum ſit, ut ab provinciali ſynodo cognoſcantur termineturque eccleſiaſticæ contentiones; ſequitur & id etiam ſervandum, quod altero definitur, eaſdem nimirum cauſſas, ſi majores fuerint ſeu difficiliores, quam ut ab epiſcopis componi terminarique potuerint, *ad ſedem apoſtolicam poſt epiſcopale judicium* eſſe referendas. Quamquam & hæc Innocentii verba, *Si majores cauſſæ in medium fuerint devolutæ, ad ſedem apoſtolicam, ſicut ſynodus ſtatuit & beata conſuetudo exigit, poſt epiſcopale judicium referantur*, commode ſic interpretari licet, ut non tam majorum cauſſarum ſedi ſuæ ſervari judicium velit, quam judicii epiſcopalis relationem ad eamdem ſedem mitti præcipiat. Certe Hormiſdam ſuperius vidimus Salluſtio ſedis apoſtolicæ vicario de religionis cauſſa proſpere finita gratulantem, flagitantemque, *ut totum ad ſcientiam* ſuam *inſtructæ relationis atteſtatione perveniat*. Neque ullus eſt dubitandi locus, quin & id ipſum a vicariis aliis exegerint ejuſdem ſedis præſules, maxime ſi acta fuerat religionis aut fidei cauſſa, quæ *per totum mundum*, ut loquitur Innocentius, *poſſet eccleſiis omnibus prodeſſe*, vel quando epiſcopatu dejectus erat aliquis, & alius in dejecti locum ſubſtitutus. Tum enimvero opus erat, quod & ipſa dictat ratio, ac Sardicenſis concilii patres aliique ſupra laudati docent, ad pontificem referri quod ſalubriter fuerat definitum: ut ejus nimirum ope ceteris Eccleſiæ præſulibus per varias orbis partes diffuſis facilius ſignificari poſſet, qui condemnatus eſſet error, quæ veritas vindicata. Atque id maxime neceſſarium fuit, cum ut unam eamdemque omnes conſtantiſſime ſervarent fidem, tum etiam ut epiſcopi certo ſcirent quibuſcum haberi aut abrumpi deberet communio.

Vicarii apoſtolicæ ſedis in variis regionibus inſtituti.

XXVII. Hinc æſtimare licet, quam erecti fuerint Romani præſules ad defenſionem legum ſacrarum, quam indefeſſe ſapienterque ad fovendam eccleſiarum pacem & concordiam incubuerint. Hujus porro paſtoralis vigilantiæ aliud, nec leve, argumentum eſt inſtitutio vicariorum, quos in varias orbis regiones ab his miſſos legimus, de quibus cum pauca tantum, idque obiter, de majoribus cauſſis agentes delibavimus, viſum eſt heic paullo accuratius diſſerere. Et per Illyricum quidem, *hoc eſt per Achaiæ, Theſſaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, & Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripenſis, Mœſiæ, Dardaniæ ac Prævali eccleſias* Innocentius, deceſſores ſuos Anaſtaſium, Siricium ac Damaſum imitatus, ſuas epiſcopo Theſſalonicenſi vices delegavit. Subinde idem munus civitatis ejuſdem præſulibus leguntur tribuiſſe Bonifacius, Cæleſtinus, Xyſtus, Leo. In Galliis quoque vicaria delegatione honeſtarunt epiſcopos Arelatenſes, Zoſimus quidem Patroclum, Cæſarium autem ejuſque ſucceſſorum nonnullos Symmachus & alii pontifices conſequuti. Eodem & in Hiſpania titulo decorati ſunt Hiſpalenſes præſules Zenon & Salluſtius, ille a Simplicio, hic ab Hormiſda, tum ab eodem Hormiſda Joannes Illicitanus epiſcopus. *Illicitanum* dico, non *Tarraconenſem*, ut male habetur in mendoſis epiſtolarum Hormiſdæ editionibus, quibus decepti ſcriptores nonnulli epiſcopum Tarraconenſem inter vicarios apoſtolicæ ſedis numerarunt. Ad idem etiam vicarii munus utcumque attinet ea, quæ Cyrillo præſuli Alexandrino demandata eſt a Cæleſtino provincia, ut latam adverſus Neſtorium a ſynodo Romana ſententiam exſequeretur. Attinent & delegatæ Pontiano epiſcopo a Leone *curæ ſuæ vices*, ut in Africam iret, ibique de quorumdam epiſcoporum electione, quæ præter leges facta ferebatur, inquireret diligentius, ac deinde ipſi omnia ut ſe ſe haberent, ſincera fide renuntiaret. Attinet demum & quam Acacio Conſtantinopolitano Simplicius commiſit curam, ut ad ea quæ in Orientis partibus gererentur intentus, nota itidem ipſi faceret, *quæ ad catholicæ veritatis cuſtodiam pertinebant*. Et id quidem officii non detrectavit Acacius. Hinc Petri Mongi flagitia & errores ad Simplicium retulit. Sed Petri partes poſtmodum amplexus, pontificium anathema in ſe concitavit. Quin & eadem longe antea auctoritate uſos

Innoc. epiſt. 13.

Zoſim. ep. 1.

Leo epiſt. 5. n. 1.

Simplic. ep. 18. n. 1.

eſſe Acacii deceſſores conficitur ex Leone, qui Juliano Coenſi epiſcopo ſimile ideo negotium mandavit, quod in eo explendo inertem regiæ urbis præſulem Anatolium expertus eſſet. Quid autem exigat a Juliano, quem inter apoſtolicæ ſedis vicarios recenſere licet, ſic explicat: *Ut ſequeſtrata earum actione cauſſarum, quæ in quibuſque eccleſiis præſulum ſuorum debent actione firmari, hanc ſpecialem* VICE MEA *functus aſſumas, ne hæreſis vel Neſtoriana vel Eutychiana in aliqua parte reviviſcat: quia in epiſcopo Conſtantinopolitano catholicus vigor non eſt, nec multum aut pro ſacramento ſalutis humanæ, aut pro ſua eſt æſtimatione ſolicitus.* Simul & ea de re Marcianum imperatorem commonuit his verbis: *Illud quoque clementiæ veſtræ benevolentiam peto, ut veneratorem veſtrum Julianum epiſcopum in veſtro, ſicut facere dignamini, habeatis affectu, cujus obſequiis præſentiæ meæ vobis imago reddatur. Nam & de fidei ejus ſinceritate confidens*, VICEM IPSI MEAM *contra temporis noſtri hæreticos delegavi, atque propter eccleſiarum paciſque cuſtodiam ut a Comitatu veſtro non abeſſet exegi. Cujus ſuggeſtiones pro concordia catholicæ unitatis tamquam meas audire dignamini.* Hujuſmodi autem vicariorum apoſtolicæ ſedis, qui primum *apocriſiarii*, tum *reſponſales*, ac poſtmodum *nuntii apoſtolici* nuncupati ſunt, origo ad Leonem refertur. Antea quidem ſuos habebat Alexandrinus antiſtes apocriſiarios apud imperatores, ac ejus tum vice fungebatur Anatolius, cum in regiæ urbis ſedem evectus eſt: ſed illi ea tantum procurabant negotia, quæ ad Alexandrinam eccleſiam attinerent. *Hæc enim*, inquit Felix II. epiſt. 14. *conſuetudo prædicti* (epiſcopi Alexandrini) *eſt, ut ad Comitatum in vicibus clerici dirigantur, ut quid forte cauſæ vel neceſſitatis emergat.* Verum id vicarii ſui curæ commendat Leo, quod Eccleſiæ totius intereſt, ſcilicet *eccleſiarum paciſque cuſtodiam*, ac *ut hæreſis vel Neſtoriana vel Eutychiana in aliqua parte reviviſcat*.

Pars I. de auctoritate Rom. Pontificis.

Leo epiſt. 104. n. 3.

ibid.

Epiſt. 111. n. 3.

Vicarii ſedis apoſtolicæ in eccleſiis ſuburbicariis.

XXVIII. Aliud præterea vicariorum genus in eccleſiis, quæ Romanæ ut metropolitanæ ſuberant, obſervat antiquus compilator in Coisliniano codice aſſervatus, qui ſaltem ſub ſæculi IX. finem ſcripſit. Et is quidem Gregorii I. ad Romanum Siciliæ defenſorem verba refert, quibus primum expoſtulat hic papa cum Romano, *quod ſi quis contra quoslibet clericos cauſſam habeat, deſpectis eorum epiſcopis, eoſdem clericos in ſuo faciat judicio exhiberi*; tum præcipit ut *aut* epiſcopus *ipſe cognoſcat* hujuſmodi cauſſam, aut *certe judices ab ipſo deputentur*; ac demum decernit: *Si quis vero vel clericus vel laicus contra epiſcopum cauſſam habuerit, tunc te* (o Romane) *interponere debes, ut inter eos aut ipſe cognoſcas, aut certe te admonente ſibi judices eligant.* Mox in hæc verba iſtud annotat prædictus ſcriptor: *Quod legitur, ut defenſor ad cognitionem inter epiſcopum & querentem contra eum ſe interponere debeat, illud in cauſſa eſt, quia* VICES APOSTOLICÆ SEDIS *in ſpeciali ipſius* (Gregorii) *patrocinatement quique defenſores in partibus ſibi deputatis, ſicut metropolitani in iſtis regionibus tenent in ſuis provinciis:* hoc eſt, quam ſuis in provinciis poteſtatem habent vi ordinationis ſuæ metropolitani circa epiſcoporum cauſſas, hanc & ideo habent in eccleſiæ Romanæ parrochiæ ſeu metropoli ſubjectis defenſores, quia ſedis apoſtolicæ vices tenent. Defenſorum autem nomine heic appellantur clerici, qui apoſtolicæ ſedis vice ſolebant in eaſdem regiones delegari. Quamobrem ad univerſos Siciliæ epiſcopos ſcribit idem Gregorius: *Valde neceſſarium eſſe perſpeximus, ut, ſicut deceſſorum noſtrorum fuit judicium, ita uni eidemque perſonæ omnia committamus, & ubi nos præſentes eſſe non poſſumus, noſtra per eum cui præcipimus, repræſentetur auctoritas. Quamobrem Petro ſubdiacono ſedis noſtræ intra provinciam Siciliam vices noſtras, Deo auxiliante, commiſimus.* Nec dubitandum videtur quin epiſcopo, non autem ſubdiacono, iſtud negotii mandaſſet ſummus pontifex, ſi quem tum habuiſſet probe notum exploratumque, cujus ſapientia & fide niti poſſet. Eamdem certe provinciam Indictione ſequenti commiſit Maximiano Syracuſano epiſcopo, at latius fuſam. *Super cunctas*, inquit, *Siciliæ eccleſias te reverendiſſimum virum Ma-*

Lib. 1. Indict. 9. ep. 1.

Lib. 2. Ind. 10. ep. 5.4.

ni-

PARS I. DE AUCTORITATE ROM. PONTIFICIS.

ximianum fratrem & coepiſcopum meum vicem ſedis apoſtolicæ miniſtrare decernimus, ut quiſquis illic religionis habita cenſetur, fraternitati tuæ ex noſtra auctoritate ſubjaceat; quatenus eis poſthac neceſſarium non ſit ad nos pro parvulis cauſſis tanta maris ſpatia tranſmeando pervenire.

Vicariorum apoſtolicæ ſedis inſtituendorum cauſa.

XXIX. Ex proximis Gregorii, ſimul & ex aliis aliorum pontificum verbis patet, quæ fuerit vicariorum inſtituendorum cauſſa. Volebant ſcilicet Romani præſules tum eorum qui negotii aliquid haberent, parcere labori, tum etiam ipſi ſe a turbulenta rerum agitatione nonnihil levare, ut eccleſiis procul diſſitis certius faciliuſque providerent. Hinc Innocentius exemplo provocatus Apoſtolorum, qui *principes Evangelii conſtituti, ceterarum rerum cauſſas neceſſitadineſque ſuis diſcipulis curandas obeundaſque mandarunt*, ſcripſit Theſſalonicenſi epiſcopo Ruſo: *Divinitus ergo hæc procurrens gratia ita longis intervallis diſterminatis a me eccleſiis diſcat conſulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam cauſſaſque cenſeam.* Hinc & Cæleſtinus ad Illyrici epiſcopos: *Sunt*, inquit, *culpæ aliquantæ non leves, quæ illis innatæ provinciis, ad nos, cum ſimus longius, non poſſunt pervenire, aut jam ſemotis omnibus non ita ut ſunt actu, interpoſita temporis ſpatio perferuntur.* Ubi ſincere agnoſcit prudentiſſimus papa, quam arduum ſit & periculoſum cauſſas in remotioribus provinciis natas judicare.

Innoc. epiſt. 17. n. 17.

Cæleſtin. ep. 3.

Vicariorum privilegia diverſa.

Hormiſd. ep. 24.

XXX. Vicariorum non unam vel parem fuiſſe poteſtatem ſatis probant, quæ ſuperius diximus. Hormiſda ſuas Joanni epiſcopo Illicitano vices *catenus* delegavit, ut eſſet in ſpeculis, inſpiceretque utrum obſervaretur in Hiſpaniis canonum legumque diſciplina; tum ſi quid ibi eccleſiaſticis in cauſſis ageretur, quod oporteret ad ſedem apoſtolicam referri, illud ipſe pro ſua integritate fideque ſignificaret: qua certe in delegatione nulla ſit de cauſſis a Joanne ſeu cognoſcendis ſeu judicandis mentio. Juliano Coenſi epiſcopo tuendæ Orientalium eccleſiarum pacis, hæreſeonque coercendarum curam ſic demandat Leo, ut nihil ad eum pertinere cauſſarum cognitionem aperte declaret. Vulgo tamen, uti vidimus, creati ſunt apoſtolicæ ſedis vicarii, ut quæ nequierant in provinciis finiri cauſſæ, illas ipſi ſua in ſynodo dirimerent. Hanc poteſtatem Theſſalonicenſibus & Arelatenſibus epiſcopis, nec non Salluſtio Hiſpalenſi & Maximiano Syracuſano attributam legimus. Quibus id præterea juris conceſſum fuit, ut concilium ipſi convocarent univerſum, ubi poſceret cauſſa religionis. At proprium videtur & ſingulare Arelatenſis epiſcopi privilegium, a Zoſimo primum ac deinde ab aliis pontificibus ei conceſſum, quo vetatur ne *quis in quolibet eccleſiaſtico gradu, ex qualibet Galliarum parte* Romam aut alio terrarum contendat, niſi acceptis prius ejus formatis. Sane in litteris, quibus Romani præſules ſuas epiſcopis Theſſalonicenſibus vices per Illyricum delegant, nihil ejuſmodi eis indultum memoratur. Tamen illis delatum idem jus non fuiſſe, nequaquam inde conficias. Et vero Xyſtus II. ad Proclum ſcribens, veluti rem canonum præſcripto definitam ponit, ut *ſi quis harum provinciarum quæ ad Theſſalonicenſis urbis antiſtitem pertinent, ſacerdos adveniat præter ejus conſcientiam*, (ſeu) *ſi ſine ejus epiſtolis atque formata venire tentaverit, tamquam diſciplinæ eccleſiaſticæ deſpector & contemtor canonum habeatur.* Neque aliter Innocentius de Illyricis itidem epiſcopis ad Ruſum ſcripſerat: *Quidquid eos ad nos neceſſe fuerit mittere, non ſine tuo poſtulent arbitratu.* Si autem his præſulibus nil ſine Theſſalonicenſis arbitratu Romam mittere fas fuit, quanto minus licuit Romam, niſi de ipſius nutu & conſilio, proficiſci? At in eo ſaltem ſingulare fuit Arelatenſis præſulis privilegium, quod non epiſcopis modo, ſed inferioris etiam gradus clericis vetitum eſſet, ne ſine formata ejus irent e Galliis quocumque terrarum. Fuit autem viciſſim peculiaris illa Theſſalonicenſis antiſtitis poteſtas, tum a Siricio conceſſa, tum ab aliis confirmata pontificibus, *ut nulli licentia eſſet ſine conſenſu illius in Illyrica epiſcopos ordinare præſumere.* Quod certe privilegium non legitur Arelatenſi præſuli attributum in iis Galliarum provinciis, in quibus apoſtolicæ ſedis vices gerebat. Unum id conſtituit Zoſimus, ut in ordinandis provinciarum Viennenſis ac Narbonenſis primæ & ſecundæ ſacerdotibus, præcipuam teneret, tamquam earum metropolitanus, auctoritatem. Unde Galliarum epiſcopis declarans Vigilius ſuas ſe Auxanio Arelatenſi vices commiſiſſe in iis provinciis quæ Childeberto regi parebant, epiſtolam ſic inſcribit ſuam: *Dilectiſſimis fratribus univerſis epiſcopis omnium provinciarum per Gallias, qui ſub regno vel poteſtate glorioſiſſimi filii noſtri Childeberti regis Francorum conſtituti ſunt, ſed & iis qui ex antiqua conſuetudine ab Arelatenſi conſecrati ſunt vel conſecrantur epiſcopo.* Ubi aperte diſtinguit epiſcopos, qui ſub Childeberti ditione ſunt, ab his quos conſecrare Arelatenſis antiſtes ſolet, hoc eſt eos quibus Auxanius ut apoſtolicæ ſedis vicarius præficitur, ab his qui eidem ut metropolitano ſubſunt. Neque vero hi erant pauci; quippe quos ſaltem novemdecim numero fuiſſe patet ex Leone, cujus epiſtola 58. ad eos reſcripta, qui & ſe ipſos & deceſſores ſuos ab Arelatenſi præſule conſecratos eſſe teſtati erant, unde-viginti epiſcoporum nomina in fronte præ ſe fert. Ex quibus omnibus profecto liquet diſparem fuiſſe vicariorum apoſtolicæ ſedis auctoritatem. Fuit & illud etiam inter eos diſcrimen, quod id muneris alii ex privilegio ſedis, alii pro meritorum ſuorum ratione obtinuerint. Teſtis eſt, ut alios omittam, Syracuſanus antiſtes Maximianus, quem vicaria delegatione ornatum quidem voluit Gregorius, ſed adjecta ſimul ea clauſula, *Quas videlicet vices non loco, ſed perſonæ tribuimus:* ne ſcilicet idem ſibi jus vindicaret Maximiani ſucceſſor. Quin & id quoque moris obtinuit, ut quibus ex prærogativa loci obvenerat illa dignitas, illis conferretur eadem de integro ſeu prorogaretur potius, quoties novus quis pontifex creabatur. Et certe quod a Damaſo primum, illud ſubinde a Siricio, tum ab Anaſtaſio, poſtmodum ab Innocentio munus accepit idem Anyſius Theſſalonicenſis antiſtes. Legitur quoque Anyſii ſucceſſor Ruſus vicarii auctoritate non Innocentii ſolum, ſed & Bonifacii ac Cæleſtini litteris decoratus. Eum ad modum Anaſtaſio qui Ruſum excepit, continuavit Leo quod ipſi Cæleſtinus conceſſerat. Unde palam eſt, ex Romanorum præſulum arbitrio pependiſſe totam vicariorum auctoritatem, atque eamdem pro illorum nutu & voluntate artioribus latioribuſve terminis fuiſſe finitam.

Zoſim. ep. 1. n. 1.

Xyſt. II. ep. 9.

Innoc. epiſt. 13. n. 3.

Siric. epiſt. 4. n. 2.

Vigil. ep. 7.

Apud Leonem epiſt. 54. n. 2.

Vicarii alii ex privilegio ſedis, alii pro meritorum ratione conſtituti.

Inter primates primi erant.

XXXI. Inditum fuit apoſtolicæ ſedis vicariis primatis nomen. Illud autem commune multis aliis fuiſſe ignorat nemo, qui ſacræ antiquitatis non ſit plane rudis. Eo quippe nomine ſolebant vocari, qui ceteros in officio quovis eccleſiaſtico, vel antiquitate vel dignitate antecedebant. Metropolitanos eo titulo exornat Leo tum epiſt. 97. n. 6. ubi ait, *Non convellantur* PROVINCIALIUM *iura* PRIMATUUM, *nec privilegiis antiquitus inſtitutis metropolitani fraudentur antiſtites:* tum epiſt. 102. n. 1. ubi conſultus a Theodoro epiſcopo reſcribit, illum de re quæſita prius cum metropolitano ſuo conferre debuiſſe: *quia in cauſſis quæ ad generalem obſervantiam pertineant omnium Domini ſacerdotum, nihil ſine* PRIMATIBUS *oportet inquiri.* Notum eſt id in Africa uſu receptum, ut qui ceteris epiſcopis provinciæ ordinationis epiſcopatuſque ætate anteibant, hi primates nuncuparentur. Eadem ratione Leo epiſt. 20. n. 2. presbyteris inter collegas antiquiſſimis *primatum ſuos* vindicat. Ipſum etiam archidiaconum, quia diaconis præeſt, idem papa epiſt. 126. n. 3. inter *primates* cenſet. Immo ibidem de ſeligendo archidiacono generatim definiens, eos *tantum ad officii* PRIMATUM *admittendos, quos ab omni errore liberos eſſe conſtiterit*, ſatis indicat *primates* vocari eos, qui quovis in gradu ceteris non ſine prærogativa quadam præpoſiti erant. At vero licet aliis tribueretur iſthæc appellatio, propria tamen cenſebatur metropolitanorum. Unde Innocentius ſuas Ruſo vices in Illyrico delegans, ſic eum alloquitur: *Arripe itaque, dilectiſſime frater, noſtra vice per ſupraſcriptas eccleſias, ſalvo earum primatu, curam, & inter ipſos primates primus*, &c. hoc eſt, & primum inter metropolitanos locum obtine.

Innoc. epiſt. 13. n. 3.

Apoſtolica ſedes undique conſulta.

XXXII. Si provinciis pluribus a ſe remotis, vicariorum ſuorum ope invigilabat apoſtolica ſedes, omnibus certe proſpiciebat ſapientibus reſponſis & gra-

gravitate conſiliorum. Undique enim, nec ab Occidente ſolum, ſed & ab Oriente arduis in rebus conſulebatur, uti locuples teſtis eſt Hieronymus, qui cum Romam veniſſet, id ſibi muneris injunctum ſcribit, *ut in chartis eccleſiaſticis*, inquit, *juvarem Damaſum Romanæ urbis epiſcopum, & Orientis atque Occidentis conſultationibus reſponderem*. Amiſſa quidem pontificum eorum qui ante Damaſum fuerunt, deſiderantur plurima id genus reſponſa: ſed quæ ſuperſunt, hæc certe abunde probant vel primis etiam Eccleſiæ ſæculis viguiſſe apoſtolicæ ſedis conſulendæ morem. Exemplo eſſe poteſt præclara illa Clementis epiſtola, cui locum & occaſionem dedit Corinthiorum diſſenſio. Turbaverat nimirum hanc eccleſiam antiquus ille hominum hoſtis, idemque ſerendæ diſcordiæ peritus artifex, eoque res eruperant ut presbyteri apud illos ab Apoſtolis apoſtolicisque viris *cum univerſæ eccleſiæ conſenſu* conſtituti, puritate morum integritateque doctrinæ ſpectatiſſimi, ſuo e miniſterio dejecti eſſent. Unum deſperatis rebus remedium afferri poſſe viſum eſt, ſi conſuleretur apoſtolica ſedes. Annuit Corinthiorum votis Clemens Romanus, & conſultationi reſpondit ex præſcripto Apoſtolorum: eos ſcilicet injuſte dejectos eſſe, quorum & electio unanimi eccleſiæ conſenſu rata erat, & mores ab omni vitio ac reprehenſione puri. Longum foret ac ſupervacaneum alia conquirere exempla. Unum aſſerimus, Dionyſii nempe Alexandrini, cujus tam certum & illuſtre hac de re teſtimonium eſt, ut omnium inſtar eſſe queat. Scilicet accidit ut quidam ab hæreticis baptizatus, ac pridem ad Eccleſiam reverſus, meminerit ſe non eo baptizatum fuiſſe ritu, quo catholici ſolebant, & quem ſuis ipſe oculis quotidie videbat uſurpari. Inde angores, ſolicitudines, acerbique metus: quibus ut levaret ſe ſe, ſacramentum ſibi catholico ritu conferri enixe obteſtabatur. Dionyſius eum rurſus tingere veritus, qui corporis & ſanguinis Domini particeps jam ſæpius fuiſſet, auctor ipſi erat ut more ſuo ſacram ad ſynaxim ſincera fide pacatoque animo accederet. Ille autem nil inde factus quietior, nullas non adhibere preces, baptiſmum vehementius efflagitare. Tum pontificem Romanum ea de re conſulendum ratus Alexandrinus præſul, ſuas ad Xyſtum litteras dedit, ne forte, ut ſunt homines omnes in errorem proni, aliquid ipſe humani pateretur. *Vere etenim*, inquit ad illum, *frater, conſilio opus habeo, & ſententiam tuam expeto, ne forte hallucinor*. Silemus Damaſi ad Paullinum Antiochenum, Siricii ad Himerium Tarraconenſem & epiſcopos Gallos, Anaſtaſii ad Joannem Hieroſolymitanum, Innocentii ad Victricium Rotomagenſem, ad Toletanam ſynodum, ad Afros, aliaque cum eorumdem, tum aliorum etiam pontificum reſponſa, quibus fidei & morum ac diſciplinæ ſanctiones vel illuſtrabant obſcuras, vel perſpicuas, at malevolorum hominum vi & dolis oppugnatas, vindicabant. Jam vero quænam alia, quam longe lateque patet orbis, Eccleſia eſt, cujus perinde ac Romanæ tanta fuerit auctoritas, ut ab ea ſic peteretur difficilium rerum explicatio? Mutuis quidem quandoque ſe ſe conſiliis juvabant eccleſiæ vel remotiſſimæ. Sic Lugdunenſes Viennenſesque ab eccleſiis Aſiæ ac Phrygiæ conſulti quid de Cataphrygibus ſentirent, peculiaribus litteris reſponderunt. Conſulti ſæpe ſunt & metropolitani ab epiſcopis quibus præerant, & ab ipſis metropolitanis apoſtolicæ ſedis vicarii. Conſulti etiam aliquando & epiſcopi, qui præ ceteris doctrinæ fama eminebant. Verum illi, tametſi acceperant docendi munus, tamen ſuarum intra diœceſeων fines coercebant ſe ſe, neque alienis de cauſſis, niſi rogati, quod perraro accidit, cognoſcebant. Contra vero apoſtolicæ ſedis præcipua laus fuit, ut eam non unus quidam aut alter epiſcopus, ſed Chriſtianus orbis, quantus quantus eſt, maximis negotiis dirimendis arbitram adhibuerit, idque non tam ob ſedentis ſingulare meritum, quam ob ſedis auctoritatem. Recurrebatur nimirum ad eum præſulem qui Petri vices gerebat, ad eam eccleſiam quæ traditionis apoſtolicæ fonti proxima, immo & fons ipſe limpidiſſimus habebatur. Hinc adeo ſi contingebat eum qui nominatim conſulebatur, prius e vivis tolli, quam ad illum uſque pervenire quiviſſet conſultatio, reſcribebat pro ſuo jure qui ejus in locum ſuffectus erat, illudque ſuum ducebat eſſe, quod ſuam ad ſedem pertineret. Quippe quam epiſtolam Damaſo inſcriptam miſit Himerius Tarraconenſis, hanc ad ſe nihil attinere non putavit Siricius, immo Himerii quæſtionibus perinde ſatisfecit, atque ſibi propoſitis. Pelagii litteras accepit Zoſimus, tametſi miſſas Innocentio, ejuſque cauſſam in ſynodo Romana diſceptandam curavit. Adeo negotia illa quiſque credebant eſſe ſua, ſeu apoſtolicæ ſedi propria, quæ ſuos ad deceſſores relata fuerant!

Hieron. epiſt. al. 11. n. 1. ad Ageruch.

Clem. ep. 1. n. 34.

Infra pag. 266.

Euſeb. lib. 5. c. 2. & 3.

Pars I. de auctoritate Rom. Pontificis.

Innoc. ep. 42.

XXXIII. In his vero negotiis quanta ſe prudentia ſollertiaque geſſerint Romani præſules, quam conſtanter accurateque præſcriptum ab Apoſtolis judiciorum ordinem tenuerint, juvat heic paullulum intueri. Habitum ſemper eſt concilium Hieroſolymitanum tamquam norma & regula, quam in dirimendis rebus ad religionem pertinentibus ſequi deberent epiſcopi. Emerſerat Antiochiæ controverſia: circumciſionem alii ſuſcipiendam, alii omittendam volebant. *Convenerunt Apoſtoli & ſeniores* (græce οἱ πρεσβύτεροι, id eſt *presbyteri*) *videre de verbo hoc*. Tum de re quæ veniebat in quæſtionem, retulit Petrus, ac primus omnium judicavit. Auditi deinde & alii, decretumque eſt id *quod placuit Apoſtolis ac ſenioribus* (id eſt presbyteris,) ac miſſa demum Antiochiam epiſtola nomine Apoſtolorum & ſeniorum. En apoſtolicam definiendorum fidei dogmatum rationem, quam notant patres quinti concilii ab prioribus quatuor conciliis diligenter fuiſſe obſervatam. Hanc & ſibi ad imitandum propoſuerunt ſanctiſſimi quique præſules, ut nihil quod paullo gravioris momenti eſſet, inconſulto ſuo ipſorum clero, facerent: nominatimque Cyprianus, *ſolus*, inquit epiſt. 6. ad presbyteros ac diaconos ſuos, *reſcribere non potui, quando ab initio epiſcopatus mei ſtatuerim, nihil ſine conſilio veſtro & ſine conſenſu plebis, mea privatim ſententia gerere*. Ubi vero major illius ſervandæ cura, quam in pontificibus Romanis fuit? Quis emergentes controverſias ſtudioſius cum clero, immo interdum & cum populo, communicavit? Norant ſcilicet veteres illi, tametſi Petrum ſibi peculiariter adeſſe confidebant, tamen ineundas eſſe communes vias, quibus ad veritatem pervenire nos Deus voluit. Idoneos ac domeſticos apoſtolicæ traditionis teſtes conſulebant presbyteros diaconoſque, qui acceptæ a majoribus ſuis fidei ac diſciplinæ innutriti fuerant. Si quæ agitarentur cauſſæ paullo graviores, quæ ad inſignem aliquam eccleſiam, aut ad totam ſpectarent; illas ad epiſcoporum Italiæ ſynodum referre non omittebant. Sive autem cum clero, ſive cum epiſcopis Italiæ convenirent, ſolebant exterarum etiam regionum præſules in conventum vocare, ſi quos Romæ tum temporis verſari contingeret. Nihil heic aſſerimus, quod eccleſiaſticæ hiſtoriæ peritis non ſit exploratum. Quia tamen hæc nonnullis videri poſſint gratis dicta, cum ſine appoſitione exemplorum difficilius probantur, apponemus vel potius indicabimus exempla. Primus hac in re Clemens ſucceſſoribus ſuis præluxit. Quod enim prima ejus ad Corinthios epiſtola *eccleſiæ Romanæ nomine* prænotatur, id inde adeo factum eſt, quod eam conſulta prius ſua Romanorum eccleſia conſcripſit. Unde ab aliis *Clementis*, ab aliis *Romanorum* epiſtola nuncupatur. Subinde Zephyrinus Natalem ab hæreſi reverſum, præſentibus veniamque ipſi deprecantibus clericis & laicis, ad communionem admiſit. Pontianus, Hieronymo teſte apud Rufin. lib. 2. Invectiv. *Senatum*, id eſt clerum ſuum, adverſus Origenem congregat. Item Cornelius de Confeſſorum a Novatiano ſeductorum pœnitentia certior factus, contraxit *presbyterium* (*adfuerunt etiam epiſcopi quinque*,) *ut firmato conſilio, quid circa perſonam eorum obſervari deberet, conſenſu omnium ſtatueretur*. Deinde & quod in cleri cœtu actum erat, *populo inſinuandum* duxit. Convocatus igitur populus eſt una cum clero ac prædictis epiſcopis: atque altero illo in cœtu Confeſſores, ejurato ſchiſmate, Cornelius *cum ingenti populi ſuffragio* recepit. Narrat idem pontifex quo pacto ad ordinandum Novatianum cleri ac populi conſenſum expe-

Romani præſules negotia ad ſe relata ex cleri aut ſynodorum ſententia decidere ſolebant.

Act. 15. 6.

Concil. tom. 5. pag. 563.

Infra pag. 110.

Cornel. ep. 6. n. 2.

epiſt. 9. n. 6.

PARS I. DE AUCTORITATE ROM. PONTIFICIS.

expetierit Fabianus. Ipſe vero lapſorum cauſſam una *cum plurimis epiſcopis cognovit*; redeuntem ad Eccleſiam Trophimum excepit, *tractatu cum collegis plurimis habito*; atque uni e tribus epiſcopis qui Novatianum ordinarant, peccatum ſuum confitenti veniam & communionem induſit præſente populo, poſtulanteque delictum ipſi condonari.

epiſt. 10. n. 5. & 10.

Notat Athanaſius Dionyſii Romani litteras ad Dionyſium Alexandrinum ſcriptas eſſe *ex ſynodi ſententia*, hoc eſt ex judicio placitoque ſynodi Romanæ, in qua præſulis ejuſdem Alexandrini cauſſam recognoverat.

epiſt. 9. Athanaſ. lib. de ſyn. n. 43.

Quid autem Julius? an non explorata prius & probe cognita omnium Italiæ præſulum ſententia, Euſebianis reſcripſit? An non & apud eum Urſacius & Valens, cunctis presbyteris præſentibus palam confeſſi falſas eſſe quas in Athanaſium conflarant criminationes, erroris veniam flagitarunt? Quid Julii ſucceſſor Liberius? Num Athanaſii acerrimus vindex non fuit, quam diu e clero ſuo conſilium, majorum more, cepit? Nonne quas & ab Ægyptiis pro Athanaſio, & adverſus eumdem ab Orientalibus accepit litteras, *legiſſe ſe eccleſiæ*, *legiſſe concilio*, indeque epiſcopis *Orientalibus reſpondiſſe* teſtatus? Nonne denique ſuſcepta Lampſacenæ ſynodi legatione, Italiæ Occidentiſque epiſcoporum ſynodum habuit, unde Orientalibus reſcripſit? Damaſi vero quot habemus litteras, tot fere habemus ſcripta e numeroſiſſimis conciliis monimenta.

Jul. ep. 1. n. 8.

Jul. ep. 5.

Liber. epiſt. 4. n. 2.

epiſt. 15.

Siricius Himerii Tarraconenſis relationem *ad deceſſorem ſuum* Damaſum *directam* accepit, & *in conventu fratrum* curavit recitari: dehinc audita cujuſque ſententia, ad quæſita reſpondit.

Siric. 1. n. 3. n. 5.

Scripta eſt epiſtola ejuſdem quinta e cœtu fratrum 80. qui *ad ſancti apoſtoli Petri reliquias* una cum ipſo convenerant. Septima pariter, cui occaſionem dedit horrifica Joviniani ſcriptio, ex eodem cleri conventu prodiit. Tum enim *facto*, inquit ſanctiſſimus præſul, *presbyterio conſtitit* (Joviniani ſcriptionem) *doctrinæ noſtræ, id eſt Chriſtianæ legi, eſſe contrariam. Unde Apoſtoli ſecuti præceptum, quia aliter quam quod accepimus annuntiabant, omnium noſtrum tam presbyterorum & diaconorum, quam etiam totius cleri, unam ſcitote fuiſſe ſententiam, ut . . . . qui incentores novæ hæreſis & blaſphemiæ inventi ſunt, divina ſententia & noſtro judicio in perpetuum damnati extra Eccleſiam remanerent.* Ubi obiter duo notanda: primum quidem, *presbyterii* nomine totius cleri cœtum a nobiliori parte deſignari; alterum vero, clerum etiam una cum pontifice Romano adverſus hæreſes hæreticoſque ſententiam dixiſſe.

epiſt. 7. n. 3. & 4.

Si verbis, quæ Juſtinianus imp. tom. 5. concil. Lab. pag. 658. velut ex Theophilo Alexandrino refert, habenda fides, Origenem Anaſtaſius I. in ſynodo damnavit. Rogatus ab Africanis idem pontifex, an Donatiſtæ ſuis in honoribus recipiendi forent, hoc eſt, an ipſis eſſet in Eccleſia catholica ſervandus is cleri gradus, quem in Donati parte obtinebant, ex ſynodi ſententia reſpondit non ſervandum.

Cod. Vulg. can. Eccl. Afric. c. 68.

Innocentius vero quam ſtuerit uſitatæ hujuſce diſciplinæ retinens, luculentis etiam exemplis declaravit. Eo pontifice Romam veniunt ex Hiſpania Hilarius epiſcopus & Elpidius presbyter. Ambo turbatam eccleſiæ Hiſpanæ pacem, violatos canones, neglecta majorum inſtituta conqueruntur. Tum ille, pro ſuo ſacrarum legum ſtudio, utrumque *in conſeſſu presbyterii* audiri, actis mandari expoſtulationes præcipit: ac re diligentius maturiuſque perpenſa, eas ad Toletanam ſynodum ſcribit litteras, quibus ſuam diſciplinæ vim, ſuum ſplendorem reſtituit.

Innoc. ep. 3.

Idem pontifex Antiocheni præſulis Alexandri litteris in concilio lectis, epiſtolam ad ipſum viciſſim dedit epiſcoporum novemdecim ſubſcriptione munitam. Generatim vero inter varias apoſtolicæ ſedis occupationes hanc præcipuam eſſe notat ep. 30. n. 1. quod *diverſorum conſulta fideli ac* MEDICA DISCEPTATIONE, ſive ut loquitur epiſt. 6. n. 1. *collatione*, *tractare* cogeretur. Neque diffitetur modeſtiſſimus præſul, ex his quæ frequentiſſima dabat, ad eccleſiarum conſulta reſponſis, fieri ſe in dies eccleſiaſticæ doctrinæ peritiorem. *Mihi quoque ipſi*, inquit in epiſtola 6. modo laudata, *de collatione docilitas accedit*, dum *perſcrutatis rationibus ad propoſita reſpondere compellor; eoque fit, ut aliquid ſemper addiſcat, qui poſtulatur ut doceat.*

Quod idem experiri certe debuerunt presbyteri diaconique Romani, qui cum a pontifice implicatiſſimis quibuſque dogmatum & diſciplinæ ſolvendis nodis adhiberentur, mutuam ſibi impertiebant lucem, uberrimaſque doctrinæ opes comparabant. Inde præclara illa eccleſiarum omnium opinio de cleri Romani eruditione. Inde & ſummorum etiam pontificum in tractandis tot negotiis ſollertia, auctoritas, fides; quippe qui & ipſi eodem in clero prius conſenuerant, quam ad moderandas orbis chriſtiani habenas evocarentur. Deceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtens Zoſimus Cæleſtium *in cœtu ſedis apoſtolicæ* benigne audit; admonitus deinde ab Afris de fraudulenta illius fide, rurſum vocato cleri cœtu, cauſſaque de integro diſcuſſa, eumdem anathemate confixit.

Zoſim. epiſt. 8. n. 3.

Bonifacius demum *univerſo presbyterio* litteras prælegit, quibus Theſſalonicenſem epiſcopum in vicaria ſedis apoſtolicæ delegatione confirmabat.

Bonif. epiſt. 13. n. 2.

Plura ejuſmodi, ne nimium longi ſimus in rebus apertiſſimis, omittere cogimur. Ex his enim quæ ſunt a nobis adumbrata potius, quam expreſſa, ſatis patet quam frequens fuerit ille cleri conſulendi uſus; ut eumdem diu perſeveraſſe facile conjiciatur.

Romanos pontifices facere ſæpius, ſe ex concilii ſententia loqui.

XXXIV. Verum tametſi ſolebant Romani præſules cauſſas ad ſe ſe relatas de clericorum aut epiſcoporum conſilio definire; tamen id ſuis in reſcriptis annotare omiſerunt non ſemel. Teſtis hæc illa Felicis II. papæ ad Acacium epiſtola, quæ licet e ſynodo apud beatum Petrum adverſus eumdem Acacium habita prodierit, tamen videtur unius Felicis eſſe, quippe quæ nullam ſynodi mentionem faciat. Et certe ſive inſcriptionem, ſive ipſiſſima ſententiæ in Acacium latæ verba attendas, Felicem unum ſcripſiſſe, unum ſententiam tuliſſe putes. En inſcriptio: *Felix epiſcopus ſanctæ eccleſiæ catholicæ urbis Romæ Acacio.* Sententia vero his enuntiatur verbis: *Acacius ſecundo a nobis admonitus, ſtatutorum ſalubrium non deſtitit eſſe contemtor, meque in meis* (legatis) *credidit carcerizandum. Hunc Deus, prolata ſententia, de ſacerdotio fecit extorrem.*

Felix II. epiſt. 6.

epiſt. 7.

Hinc Orientales æquam habere ſibi viſi ſunt expoſtulandi cauſſam, quod Acacius ſine ſynodo damnatus eſſet. Quorum expoſtulationi ſatisfaciendum rati præſules, qui & ipſi latæ in Acacium ſententiæ auctores cum Felice fuerant, ſic e concilio alia de cauſſa itidem apud beatum Petrum convocato, univerſis presbyteris & archimandritis Conſtantinopoli atque Bithyniæ conſtitutis reſcripſerunt: *Nunc cauſſa Antiochenæ eccleſiæ apud beatum Petrum apoſtolum collecti, rurſus dilectioni veſtræ, more qui apud nos ſemper obtinuit, properavimus indicare. Quoties intra Italiam propter eccleſiaſticas cauſſas, præcipue fidei, colliguntur Domini ſacerdotes, conſuetudo retinetur, ut ſucceſſor præſulum ſedis apoſtolicæ, juxta ſollicitudinem ſibi eccleſiarum omnibus* (leg. *omnium*) *competentem, cuncta conſtituat: qui caput eſt omnium.*

Epiſt. 12. n. 4.

Neque recens fuit hæc conſuetudo. Quippe Julius jam longe antea Euſebianis, pariter conquerentibus quod litteras ſuo unius nomine dediſſet, id reſcripſit: *Neceſſum eſt vobis indicare, etiamſi ſolus ſcripſerim, non ideo mei ſolius, ſed omnium epiſcoporum qui in Italia ſunt, & qui in his partibus* (ex aliis regionibus) *degunt, eſſe illam ſententiam . . . . Certe jam ad præfinitum tempus epiſcopi huc convenere, & ejuſdem ſententiæ fuerunt, quam denuo his litteris vobis ſignifico. Quapropter, dilecti, etiamſi vobis ſolus ſcribo, omnium tamen hanc eſſe ſententiam agnoſcite.*

Jul. epiſt. 1. n. 8.

Ex hac autem obſervatione intelligere eſt, cur prima Clementis epiſtola, quam alii *epiſtolam Romanorum* vocant, ab aliis uno *Clementis* nomine nuncupetur; aut cur prolatum a Melchiade una cum epiſcopis aliis adverſus Donatiſtas judicium, Optatus Auguſtinuſque non epiſcoporum, ſed *Melchiadis ſententiam* appellent. Neque aliam ob cauſſam tum Liberii epiſtolam 15. Liberio ſoli attribuit Socrates, quamvis non hujus papæ ſolum, ſed Occidentis epiſcoporum nomine ſit inſcripta; tum etiam *ſynodi Romanorum canones* dicuntur ea ſedis apoſtolicæ decreta, quæ Siricii epiſtola 10. continentur, quæque ejuſdem Siricii eſſe demonſtravimus. Ita Pelagiani celebrem illam qua Pelagius Cæleſtiuſque condemnati ſunt, Tractoriam attribuebant nunc Zoſimo,

Aug. ep. 43. n. 2.

Siric. ep. 10.

quod

quod unum Zoſimi præ ſe ferebat nomen, nunc Romanis clericis, quod ex eorum aſſenſu conſilioque adornata fuerat. Quare cum ægre ferrent mutatum a Zoſimo clericiſque Romanis id judicium, quod ipſe Zoſimus ſuo itidem aſſentiente clero in Pelagii ac Cæleſtii gratiam protulerat, nunc illum nunc nos *prævaricationis* nota inurebant. Item Leo Serm. 5. de jejunio x. menſis c. 4. teſtatur a ſe confecta eſſe, *reſidentibus ſecum epiſcopis ac presbyteris, ac in eamdem conſeſſum Chriſtianis viris ac nobilibus congregatis*, Acta de flagitiis & impietate
Leo epiſt. 7. Manichæorum: id vero muneris in ſe recepit, ut epiſcopis, quorum intererat, hæc nota faceret.

Apoſtolicæ ſedis in ſervando fidei depoſito ſedulitas.

XXXV. Non ſibi tantum, ſed & Eccleſiæ toti
B haud parum conſuluere Romani præſules, cum dubiis in rebus ea ſe geſſere prudentia, ut nihil niſi ex cleri aut epiſcoporum ſibi ſubjectorum conſilio definierint. Factum enim eſt ut & eorum reſponſis major haberetur fides ac reverentia, cautiuſque aſſervaretur fidei ac diſciplinæ depoſitum; cujus quo plures ſequeſtri erant, eo & tutior erat integritas. Et ad fidem quidem quod attinet, in ea tuenda vindicandaque adeo conſtans fuit eccleſia Romana, ut, vel etiam Orientalium judicio, eccleſias omnes hac laude ſuperarit. Quod cum haberet perſuaſiſſimum Cyprianus, nihil pontifici cleroque Romano timuit a fraudibus eorum, qui Carthaginenſium ſchiſmaticorum litteras Romam ferebant. *Navigare audent*,
Apud Cornel. epiſt. 12. n. 13.
C inquit, *& ad Petri cathedram atque ad eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt, a ſchiſmaticis & profanis litteras perferre; nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Ambroſius & collegæ ad Siricium ſcribentes, hoc nominatim eccleſiæ Romanæ laudi tribuunt, quod inviolatum ab ea ſervatur ſymbolum Apoſtolorum. *Credamus*, inquiunt, *Apoſtolorum ſymbolo, quod eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat.*
Apud Siric. epiſt. 8. n. 4.
Cujus rei rationem hanc affert Rufinus ſub initio expoſitionis ſymboli: *Illud non importuno commonendum puto, quod in diverſis eccleſiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta. In eccleſia tamen Romana hoc non deprehenditur factum. Quod ego pro-*
D *pterea eſſe arbitror, quod neque hæreſis ulla hic ſumſit exordium, & mos ibi ſervatur antiquus, eos qui gratiam baptiſmi ſuſcepturi ſunt, publice, id eſt, fidelium populo audiente, ſymbolum reddere; & utique adjectionem unius ſaltem ſermonis eorum qui præceſſerant in fide non admittit auditus. In ceteris autem locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos hæreticos addita quædam videntur, per quæ novellæ doctrinæ ſenſus crederetur excludi.* Atque hinc nimium *habet ſanctiſſima illa ſedes*, ut Theodoreti verbis utar, *eccleſiarum, quæ in toto ſunt orbe, principatum multis nominibus, atque hoc ante omnia, quod ab hæretica labe immunis manſit, nec ullus fidei contraria ſentiens in illa ſedit, ſed apoſtolicam gratiam*
E *integram ſervavit.* Noverat ſane Theodoretus, dum ſcriberet, lapſum eſſe Liberium. Neque ignorabat vir Arianarum rerum peritiſſimus, quantum is caſus mærorem Eccleſiæ importaſſet. Tamen affirmat Romano ſolio ad ſuam uſque ætatem hæreticum
Hilar. fragm. 6. n. 6.
inſediſſe neminem. Quid ita porro? quia nimirum tametſi *Arianæ perfidiæ* ut Hilarius loquitur, Liberius *ſubſcripſit*, animum tamen ſemper ab hæreſi habuit alienum. Publicum quidem idque luctuoſum infirmitatis humanæ, at non hæreticæ pervicaciæ, documentum dedit; quippe qui non ſponte, ſed exſilii ærumnis fractus, & *mortis minis*, Athanaſio ipſo teſte, *perterritus ſubſcripſit. Sed ea ipſa re comprobatur cum violentia Arianorum, tum Liberii in*
Athan. hiſt. Arian. ad Monach. n. 41.
F *hæreſim illam odium, ejuſque pro Athanaſio ſuffragium, quam diu ſcilicet libere arbitrioque ſuo agere licuit. Nam quæ tormentorum vi præter priorem ſententiam eliciuntur, ea non reformidantium, ſed vexantium ſunt placita.* Huc adde, quod ſibi ipſi redditus culpam abunde farciit, Arianorum apertus hoſtis, & Nicænæ fidei ad extremum uſque ſpiritum vindex acerrimus. Hinc ab Epiphanio *beati*, a Baſilio *beatiſſimi*, a Siricio *venerandæ memoriæ viri*, ab Ambroſio demum præſulis inſigni ſanctimonia præditi laudem tulit. Quod ſane Theodoreto ſatis erat, ut neminem jam inde a Petro pontificem hæ-
Epiphan. hær. 75. Baſil. ep. 74. Siric. ep. 1. n. 2. Ambr. lib. 3. de Virgin. c. 1.

A reticum fuiſſe poſſet aſſerere. Neque Juſtiniani ævo exciderat præclara illa de Romana ſede opinio. Is quippe non modo, uti jam ſupra vidimus, ad ſedem apoſtolicam referendum eſſe duxit, quidquid ad Eccleſiæ ſtatum pertinet, *quia caput eſt omnium ſanctarum eccleſiarum, & vel eo maxime, quod quoties his in locis* (Orientis) *hæretici pullularunt, recto judicio illius venerabilis ſedis coerciti ſunt*; ſed & anno 536. Martii die 16. libellum Agapeto papæ lubens dedit, in quo iſtud aperte profitebatur: *Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, & a patrum traditione non deviare. Quia non poteſt Domini noſtri Jeſu Chriſti prætermitti ſententia, dicentis, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo*
B *Eccleſiam meam; hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus, quia* IN SEDE APOSTOLICA *inviolabilis ſemper catholica ſervatur religio.* Neque Juſtiniani ſolius fuit hæc confeſſio. Sane Menas, cum jam jam eſſet ab eodem papa conſecrandus epiſcopus, ſimilem ipſi libellum obtulit, exemplum ſecutus deceſſorum ſuorum Epiphanii ac Joannis, necnon & ceterorum Orientalium, qui ab Acacii ſchiſmate ad Eccleſiæ unitatem redierunt. Si vero ab Oriente trajiciamus in Africam, non aliam ibi de ſede apoſtolica ſententiam obtinuiſſe deprehendemus. Quippe Ferrandus Carthaginenſis eccleſiæ diaconus, vir ejuſdem ætatis & temporis, ac ſingularis doctrinæ laude florens, interrogatus a Severo
C diacono Conſtantinop. num *unus ex Trinitate Chriſtus* dicendus eſſet, id modeſte reſpondit: *Loquantur & prædicent, quibus honor ſacerdotii docendi auctoritatem tribuit: nos diſcere parati ſumus, docere alios non præſumimus. Interroga igitur, vir prudentiſſime, ſi quid veritatis cupis audire, principaliter apoſtolicæ ſedis antiſtitem*, CUJUS SANA DOCTRINA *conſtat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis.* Juſtinianus quidem, cujus haud dubie juſſu Severus Ferrandum conſuluerat, Hormiſdam ſæpius jam ac repetitis litteris ſuper ea re interrogarat, ac lentiorem in reſcribendo his urgebat verbis: *De hac intentione liberos nos properate reddere & ſecuros: hoc enim credimus catholicum, quod veſtro religioſo*
D *reſponſo fuerit intimatum.* Hormiſda vero temere ſe facturum ratus, ſi de rebus ejuſmodi differere aggrederetur non meditatis probe & cogitatis, diem ex die prolatavit; tum quia de orthodoxa quidem, ſed nova minuſque neceſſaria locutione agebatur, tum etiam ne inde turbandi anſam arriperent hæretici, quibus tum temporis inauſum nihil relictum erat, quo Chalcedonenſis concilii decreta vel convellerent penitus, vel non ſufficientia perſuaderent. Hanc itaque locutionem nec admittens omnino, nec reſpuens, ſatis habuit prudentiſſimus præſul, ut ſuo loco fuſius oſtendetur, verbis explicare quam planiſſimis quo ſenſu eoque catholico poſſet defendi, & quid illæſa Chalcedonenſis concilii fide tenen-
E dum eſſet. Eodem ævo Gallos de ſedis apoſtolicæ auctoritate non aliter ſenſiſſe atque Afros, fidem facit vel una Aviti Viennenſis epiſtola 36.

XXXVI. Neque igitur quidquam ſibi aut ſedi ſuæ præter modum arrogat Xyſtus III. cum Joannem Antiochenum antiſtitem ad Eccleſiæ unitatem reverſum ſic alloquitur: *Expertus es negotii præſentis eventu quid ſit ſentire nobiſcum. Beatus Petrus apoſtolus in ſucceſſoribus ſuis, quod accepit, hoc tradidit: quis ab ejus ſe velit ſeparare doctrina, quem ipſe inter Apoſtolos primum Magiſter edocuit? Non hunc auditus ſermo per alterum, non ſermo lectus inſtruxit, doctus eſt cum aliis ore Doctoris. Non ſcripturæ, non Scriptorum paſſus eſt quæſtionem: abſolutam & ſimplicem fidem, & quæ controverſiam non*
F *haberet, accepit.* Ubi obiter notanda vis argumenti, quo Xyſtus ab ſedis apoſtolicæ doctrina diſcedendum non eſſe probat: quia nimirum hæc ipſiſſima eſt doctrina, quam non ex incerta hominum relatione, aut ex libris obſcure & ambigue ſcriptis, ſed ex primario veritatis fonte, hoc eſt ex ipſo Chriſti ore, accepit Petrus, ac deinde Eccleſiæ ſuæ ſervandam impertiit. Unde ſequitur, *abſolutam, ſimplicem* & controverſiæ expertem eſſe apoſtolicæ ſedis fidem. Atque his etiam Xyſti verbis comprobatur utilitas, immo & neceſſitas apoſtolicæ traditionis, maxime ubi aguntur graviſſimæ res & ad fi-

PARS I. DE AUCTORITATE ROM. PONTIFICIS

Cod. Juſtin. lib. 1. t. 1. leg. 7.

Agapet. epiſt. 7.

Ibid. Hormiſd. epiſt. 61.

Hormiſd. epiſt. 98.

Romana eccleſia traditionis apoſtolicæ cuſtos.

Xyſt. III. epiſt. 6. n. 3.

C dem

PARS I. DE AUCTORITATE RUM. PONT. PIECIA.

dem aut diſciplinam pertinentes controverſæ. Unum id cavendum, ne apoſtolicarum traditionum loco ſubſtituantur humanæ: quod ſane a priſcis Petri ſucceſſoribus minime formidandum. Primo enim Petrum, a quo dignitatem ſuam conſecuti erant, ea proſequebantur obſervantia, ut ab ejus placitis vel tantillum diſcedere nefas ducerent. Deinde cum ad ejus tumulum conventus agerent, diſceptarent cauſas, decreta ſua ſancirent, admonebantur inde, ut profeſſi ſunt ipſi non ſemel, eſſe ſe in Petri oculis; atque adeo non ex ſuis ipſorum ſenſibus, ſed ex unis Petri arbitriis res eſſe decidendas. Præterea quoties mittebant (mittebant autem ſæpius,) qui fidei lucem nationibus exteris inferrent, toties illis regendarum eccleſiarum documenta ſibi a Petro data tradebant: quibus & ipſi ſæpius recolendis fiebant apoſtolicarum legum tenaciores. Huc accedebant Orientis Occidentiſque conſultationes, ad quas ut reſponderent, inſpiciebant, tamquam in ſpeculum, in fidem ſanctioneſque majorum; providebantque ne quid reſcriberetur novi, quo vel minimam labem pati poſſet apoſtolicæ traditionis integritas. Qui demum in Eccleſia ab Apoſtolis fundata recepti, nec umquam intermiſſi erant uſus, in obeundis ſacramentorum ac liturgiæ ritibus, celebrandis feſtis, & in aliis id genus diſciplinæ partibus, hi publica quædam & ſpirantia erant traditionum monimenta, quibus quid ab Apoſtolis inſtitutum ſervatumque eſſet, in omnium oculos incurrebat.

Traditiones apoſtolicæ circa ordinationes a Clemente indicatæ & aſſertæ.

XXXVII. Sed nihil dictis opus eſt, ubi facta ipſa loqui quodam modo videntur. Non immorabimur tamen hoc loco pluribus: juvat pauca quædam ac præcipua perſtringere potius, ut anguſtiæ præfationis jubent, quam ſingula, ut magnitudo rerum poſtulat, explicare. Agmen ducet vir apoſtolici non minus animi quam ævi Clemens I. Is de ſeditione Corinthiorum, qui presbyteros ſeu epiſcopos ab Apoſtolis aliiſve eximiis viris conſtitutos dejecerant, ſententiam dicturus, obſervat primo Apoſtolos prævidiſſe olim fore, ut, quæ malorum omnium mater eſt, primatus cupido rixas in eccleſiis excitaret, & quos tum ipſi crearent, tum in poſterum crearent alii epiſcopos, illos ambitioſi homines ſuo e gradu deturbare vellent: atque adeo *hanc futuræ ſucceſſionis regulam tradidiſſe, ut cum illi deceſſiſſent, miniſterium eorum ac munus alii probati viri exciperent*. Quo jacto ſententiæ ſuæ fundamento, id pronuntiat: *Qui igitur ab illis* (Apoſtolis) *aut deinceps ab aliis viris eximiis, conſentiente eccleſia univerſa, conſtituti ſunt, & grégi Chriſti humiliter, quiete, liberaliterque miniſtrarunt, ac longo tempore præclarum ab omnibus reportarunt teſtimonium, hos cenſemus officio injuſte dejici*. Præclara ſententiæ de rebus eccleſiaſticis ferendæ ratio! Ponit ante omnia ſapientiſſimus præſul fundamentum deciſionis traditionem apoſtolicam, cavetque ne quid definiat, quod non ſit majorum auctoritate undique fultum. Porro ex ejus verborum ductu atque nexu duo conficiuntur; alterum quidem idque primarium, nempe ab Apoſtolis ſancitum fuiſſe, ut qui ſemel ac legitime conſtituti eſſent inculpateque ſeſe gererent epiſcopi, eos depelli non liceret: alterum vero quaſi ſecundarium, itidemque apoſtolica regula definitum, ut ii ſcilicet jure ac legitime haberentur electi, qui ab eximiis viris, hoc eſt epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus, *eccleſia univerſa conſentiente*, ordinarentur. Poſtremum illud ſanctionis apoſtolicæ caput, quo eccleſiæ univerſus conſenſus in ordinandis presbyteris requiritur, ad ſua uſque tempora viguiſſe Cornelius innuit. Narrat enim quo pacto deceſſori ſuo, Novatianum ordinare cupienti, *interceſſerit clerus omnis & laicorum multitudo, eo quod non liceret eum qui in lectulo, quemadmodum ille, urgente morbo perfuſus fuiſſet, in clerum* (ſeu in cleri gradum) *aliquem aſſumi*. Præſuli certe non interceſſiſſet cum plebe clerus, niſi rogata prius utriuſque fuiſſent ſuffragia, niſi requiſitus eccleſiæ aſſenſus. At nullum dubitationi locum relinquunt ſubnexa ejuſdem Cornelii verba: *Verum*, inquit, *rogavit epiſcopus, ut eum unum ordinare ſibi permitteretur*. Quo nihil afferri poteſt apertius. Evicit enim inſtando bonus pontifex, ut populus cleruſque ab ſua abiret interceſſione, ſibique daretur ordinandi Novatiani facultas. Sperabat nimirum hominem præclaris ingenii dotibus ornatum magno Eccleſiæ adjumento fore. At ne quid inde infirmaretur eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor, ſpopondit eam ſe Novatiano gratiam gratificaturum, & præterea nemini. Tanta erat priſcarum legum religio! Addimus etiam, tanta erat in ſeligendis ſacrorum miniſtris diligentia! Hoc enim ipſo, quod protulimus, Novatiani exemplo, patet id tum temporis in uſu & more fuiſſe poſitum, ut quiſquis urgente morbo baptiſmum in lecto ſuſceperat, is arceretur a clero. Quam diſciplinæ legem qui tenebant, hi reſpiciebant haud dubie ad graviſſimum illud apoſtoli Pauli præceptum, quo Eccleſiæ miniſtri jubentur libis eſſe puri, ac prorſus *irreprehenſibiles*. Neque reprehenſione carere putabant eum, qui non ut primum licuit, nec vivido caritatis ardore, ſed in extremis tantum vitæ anguſtiis atque urgente mortis metu baptiſmum efflagitaſſet. Ejuſdem Apoſtoli præcepto ut morem gereret eccleſia Romana, ſingulari ſtudio cavit ne admitterentur in clerum, qui violati baptiſmatis noxam lethifero novis peccato contraxiſſent. *Quomodo enim*, inquit Siricius, *hic irreprehenſibilis eſt, qui baptiſmi ſacramentum non potuit cuſtodire? O nova præſumptio! Huic ſacerdotium creditum, cui pœnitentia ſola debetur, ut ſordidata longa ſatisfactione veniæ beneficia poſſit abluere*. Quantam autem adhibuerint Romani illi præſules diligentiam, ut explorarent num ii, qui adſcribebantur in clerum, vitæ puri eſſent, ac nullo poſt acceptum baptiſma lethali crimine inquinati, docet idem Siricius tum loco citato, tum epiſt. 1. n. 13. & 14. nec non Innocentius epiſt. 3. n. 10. ac Zoſimus epiſt. 9. n. 5. Sed & ipſe Siricius, eadem Apoſtoli lege fretus, a clero arcendos putavit non eos modo, qui lethalis culpæ rei forent, ſed etiam qui hanc infam digna ſatisfactione eluiſſent. Cujus rei teſtis eſt præclara ejus definitio, qua ſtatuitur, *ut ſicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita & poſt pœnitudinem ac reconciliationem nulli umquam laico liceat honorem clericatus adipiſci: quia quamvis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum ſacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum*. Immo non tam novum aliquod hic a Siricio jus conſtitutum eſt, quam veteribus decretis obtemperatum: ſi quidem, ut Innocentii verbis utar, *nec poſt pœnitentiam clericum fieri ipſi canones ſua auctoritate permittunt*. Hinc a Gelaſio circa ordinandos præſcripta, & antiquis pontificalibus libris inſerta formula, inter eos qui a clero arcentur, *expœnitentes* recenſet. Demum ut ad prædictam Apoſtoli regulam accommodaret ſe eccleſia Romana, aliam hanc legem tulit, ſeu potius, ut ex Auguſtini ad Donatiſtas reſponſione liquet, etiam aliis traditam, ſeverius ceteris ſervavit, quam Innocentius his verbis refert: *Noſtræ lex eſt eccleſiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati ſunt, per manus impoſitionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum ſubrogare*. Neque tamen inficiatus idem pontifex, quin aliquando ob inſignem aliquam Eccleſiæ utilitatem de ſtrictiori hujus diſciplinæ jure nonnihil remittendum ſit. Noverant enim æquiſſimi illi legum æſtimatores, in hujuſmodi rebus, quæ meram attingunt diſciplinam, nihil de legibus detrahi, ubi quod detractum videtur, additur caritati. Perſuaſum illis erat a ſcopo legis aberrare eum, qui quod ad unam Eccleſiæ utilitatem conſtitutum eſt, contra ipſius Eccleſiæ utilitatem tenet. Quamobrem neglectæ aut infirmatæ majorum regulæ reum immerito quis agat Fabianum, aut quemvis alium Novatiani ordinatorem, quod ob conceptas de Novatiano ſpes maximas petiit unius ejus cauſſa legibus derogari. Teſtatus enim antea fuerat æquiſſimus præſul, id ſe Novatiano uni petere; atque adeo regulam hac ipſa exceptione firmavit. Tamen, cum eximiæ illæ de Novatiano ſpes abierint in fumum, immo cum ad luctuoſum ſchiſma, cujus auctor ille fuit, reciderint, hinc edocemur quanto ſe periculo committat, qui a majorum tramite facilius diſcedit.

Clem. ep. 1. n. 44.

A Cornelio firmatæ.

Cornel. epiſt. 9. n. 6.

A Siricio & Innocentio propugnatæ.

Siric. ep. 10. n. 8.

Epiſt. 1. n. 18.

Innoc. ep. 17. n. 11.

Gelaſ. epiſt. 11. cap. 2. & 32. n. 1.

Auguſt. epiſt. 185. n. 47.

Innoc. epiſt. 17. n. 8.

Ibid. n. 9. & 10.

Traditionis circa Paſchatis celebritatem Anicetus & Victor vindices.

XXXVIII. Redimus ad ſuperiora Eccleſiæ tempora, quibus exortæ ſunt ingentes illæ de celebrandi

Paſ-

Paſchatis ritu & de baptiſmo hæreticorum controverſiæ. Certum habens Anicetus papa præcepto apoſtolico cautum eſſe, ne Paſcha umquam cum Judæis, ſed Dominico tantum die celebraretur, auctor Polycarpo fuit, ut eumdem ipſe uſurparet morem, Aſianiſque ſuis uſurpandum perſuaderet. Sed cum ille apoſtoli Joannis, quem diu docentem audierat, exemplum ſequi ſe diceret, deſtitit urgere optimus pontifex idemque pacis amantiſſimus. Subinde tamen facile ſibi perſuaſit Victor, non varias fuiſſe in re tanti momenti Apoſtolorum ſententias; ſed Joannem, cum inter Judæos verſaretur, aptam hanc temperandis animis iniiſſe viam, ut Paſcha ſineret eo celebrari die, quo celebrari a Judæis mos erat, ne datam a Deo legem aut improbare aut parum curare videretur. Quamobrem cum exſtincta prorſus ac ſepulta jam eſſet Synagoga, cumque habitis in Palæſtina, in Ponto, in Gallia, in Oſrhoena provincia, nec non Corinthi conciliis, uno omnium conſenſu definitum eſſet, *ne ullo alio, quam Dominico die, myſterium Reſurrectionis Domini umquam celebraretur*, officii ſui eſſe duxit idem præſul Aſiaticas eccleſias ad unum cum Romana & ceteris concentum adducere. Quod ut aſſequeretur, quanta mole laboraverit, nihil hic opus eſt uberius perſequi. Unum obſervamus, vividiori quidem ſuccenſum zelo Victorem, eam rituum diverſitatem impatientius tuliſſe; at illud tuendæ traditionis ſtudio condonandum: deinde etiam hinc cerni licere, quantum in rebus ad fidem pertinentibus caverint Romani præſules ne qua induceretur mutatio, qui vel unum diſciplinæ caput a fide tanto intervallo disjunctum adeo ſervide vindicarint. Et vero Stephanus quantis animis pro aſſerenda fide ſtetit adverſus Afros? Putabant illi cum Orientalibus quibuſdam, irritum eſſe baptiſmum hæreticorum, & quotquot ejurata hæreſi ad Eccleſiam redirent, eos de integro baptizandos eſſe contendebant. Nequibant ire inficios Afri præſules, alium apud ſe olim obtinuiſſe uſum: tamen ab ſuo illo recens inducto ut diſcederent, negabant cogi poſſe: immo & pontificis Romani ceterarumque eccleſiarum ſententiam infirmis quidem, at ſpecioſis, rationibus convellere tentabant. Quid vero Stephanus? Illos violatæ traditionis inſimulavit & convicit, eo munitus *conſuetudinis robore quo tenebatur orbis terrarum*, hoc eſt eo fretus uſu, quem ab Apoſtolis apoſtoliciſve viris acceptum eccleſia Romana & aliæ pæne omnes conſtantiſſime retinuerant. Quare præclarum illud & generale pronuntiavit effatum, ad quod, veluti fluctus ad rupem, illidebantur Afrorum argumenta: *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*. Intelligebat invictus præſul, intactas ſervari oportere traditiones majorum, fidemque non ſine graviſſimo religionis periculo ad rationis humanæ ſenſum exigi. Et ſane ſi tum temporis ea Cypriani ſociorumque viciſſet opinio, nullam ſcilicet baptiſmi gratiam a miniſtris Spiritu-ſancto deſtitutis conferri, quot inde & quantæ animorum concitationes! quæ anxietates! qui metus! quis baptizatum ſe jam affirmare jure poſſet? Cyprianum tamen ejuſque opinionis defenſores inde excuſatos voluit Auguſtinus, quod & *humanæ infirmitatis errorem cooperiret caritas unitatis*, & necdum *plenario totius orbis concilio quod ſaluberrime ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus*, firmatum eſſet.

Stephanus traditionem circa hæreticorum baptiſmum defendit.

Aug. l. 2. de bapt. c. 7.

Aug. l. 2. de bapt. c. 18. Ibid. c. 7.

XXXIX. Neque in Stephani ſucceſſoribus deſideravit Eccleſia eamdem tuendæ traditionis curam. Teſtes ſunt, præter alios, ſanctiſſimi illi præſules duo, Marcellus & Euſebius, qui cæleſti divinoque vigore pleni, traditas ab Apoſtolis pœnitentiæ regulas ſic defenderunt, ut illos nil Maxentii tyranni furor, nil exſilii ærumnæ frangere aut emollire potuerint. Unde quam honorifice, tam vere vocatur a Damaſo Marcellus *veridicus rector*, & improborum omnium *amarus hoſtis*: Euſebius vero *fœderum pacis* defenſor, hoc eſt earum pœnitentiæ legum vindex, quas impleri a lapſis ante oportebat, quam eccleſiaſticæ communioni pacique reſtituerentur. Quid autem de Julio dicemus? Quam utilem Eccleſiæ univerſæ operam in aſſerendis majorum ſanctionibus navaverit, ex ejus ad Euſebianos litteris perſpicuum eſt. Querebantur illi, Athanaſium a Julio ad communionem admiſſum præter canonum præſcripta. Querimoniam vero iniquiſſimam eo, quo ſeptus erat, animi robore ſic retundit idem præſul, ut ipſos cum apertæ calumniæ, tum ſummæ in violandis canonum regulis impudentiæ convincat. *Perpendite igitur*, inquit, *quinam contra canones egerint, nosne qui poſt tanta innocentiæ argumenta virum recepimus, an qui 36. manſionibus diſtantes Antiochiæ extraneam quemdam epiſcopum nominarunt, eumque Alexandriam miſerunt militari manu ſtipatum? ..... Qualis enim canon eccleſiaſticus, aut qualis apoſtolica traditio hoc permittit, ut in pace agente Eccleſia, ac tot epiſcopis cum Athanaſio Alexandriæ epiſcopo conſentientibus, Gregorius mittatur, externus homo, qui non illic eſt baptizatus: qui compluribus ignotus eſt, nec a presbyteris vel ab epiſcopis vel a plebe poſtulatus: ſed is Antiochiæ ordinatur, Alexandriam vero non cum presbyteris vel diaconis urbis, non cum epiſcopis Ægypti, ſed cum militibus tranſmittatur? ..... Etiamſi enim poſt ſynodum reus deprehenſus fuiſſet Athanaſius, non decuit ſic præter jus faſque & contra eccleſiaſticum canonem ordinari quempiam: ſed in ipſa eccleſia, ex ipſo ſacerdotali ordine, ex ipſo clero, ab epiſcopis provinciæ illius conſtitui oportuit, & nequaquam nunc Apoſtolorum canones violari*. Eaſdem ordinationum leges Cyprianus epiſt. 68. ad Emeritenſes *de traditione divina & apoſtolica obſervatione diligenter tenendas* docet. Quatenus autem violati dicantur Apoſtolorum canones in ordinatione Gregorii, Athanaſius epiſt. encycl. ad epiſcopos n. 2. ita explicat: *Si qua criminatio adverſum nos vim haberet, oportuit nec Arianum nec Arianæ ſectæ addictum hominem ordinari; ſed ſecundum eccleſiaſticos canones, & ſecundum verba Paulli, Congregatis populis & ſpiritu ordinantium cum virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti, omnia ſecundum eccleſiaſticas leges diſquiri & peragi præſentibus populis & clericis qui illum poſtularent*. Ubi obſervat ſanctus Doctor uti judiciorum, ita & ordinationum formam a Paullo præſtitutam fuiſſe his verbis: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti congregatis vobis & ſpiritu meo* &c. Quocirca non ad alia Paulli verba reſpexit Julius, cum expoſitis iis, quæ præter legum præſcripta Euſebiani geſſerant, ſubjicit: *Nequaquam talia ſunt Paulli ſtatuta, non hæc patres tradiderunt; ſed aliena eſt forma, novum hoc inſtitutum*. Atque etiam inde palam eſt, quos ſuperius vidimus ab eodem papa citatos Apoſtolorum canones, non eos eſſe, ut videtur nonnullis, quos Apoſtolorum nomine vulgatos habemus; ſed Paulli ſtatuta quædam, quorum ad normam compoſitæ directæque ſunt judiciorum & ordinationum leges. Et vero contra hæc *Paulli ſtatuta* qui peccant, hi tum ab Julio *apoſtolicæ traditionis*, & *eccleſiaſtici canonis*, tum ab Athanaſio, *verborum Paulli, eccleſiaſticarum legum* aut *eccleſiaſticorum canonum* violatores promiſcue vocantur. Julius vero ſibi conſcius nihil ſe, quod ab apoſtolicis inſtitutis aut paternis legibus alienum ſit ſequi, ſic Euſebianos alloquitur: *Quæ ſcribo vobis, ad publicum bonum conſerunt. Nam quæ accepimus a beato Petro Apoſtolo, ea vobis ſignifico, non ſcripturus tamen, quod nota apud omnes ea eſſe exiſtimem, niſi quæ geſta ſunt nos conturbaſſent*. Quid eſt invigilare legum cuſtodiæ, ſi hoc non eſt? Liberius quoque apoſtolica decreta fidemque majorum quam religioſe cuſtodiret ipſe, atque ab aliis cuſtodiri cuperet, ſcriptis ad Conſtantium ante exſilium litteris ſic profeſſus eſt: *Numquam mea ſtatuta, ſed* APOSTOLICA *ut eſſent ſemper firmata & cuſtodita, perfeci. Secutus morem ordinemque majorum, nihil addi epiſcopatui urbis Romæ, nihil minui paſſus ſum: & illam fidem ſervans, quæ per ſucceſſionem tantorum epiſcoporum cucurrit, ex quibus plures martyres exſtiterunt, illibatam cuſtodiri ſemper exopto*. Præclara vero æquitatis regula! quam ut a majoribus ſuis ſervatam Liberius teſtatur, ita & ab omnibus, ſi Eccleſiam vere amant, ſervari decet. Sua ſibi jura quique retineant, non invadant in aliena: de ſua auctoritate nihil detrahi per ſocordiam ſinant, nihil eidem per dominandi libidinem addi velint.

Marcellus & Euſebius traditas pœnitentiæ regulas violari non ſinunt.

Marcell. infra pag. 311. Euſeb. infra pag. 319.

Pars I. de auctoritate Rom. Pontificis.

Julius adverſarios canonum circa ordinationes violatorum convincit.

Jul. ep. 1. n. 14.

1. Cor. 5. 4.

Jul. epiſt. 1. n. 22.

Ibid.

Liberius traditionis tenax.

epiſt. 4. n. 3.

XL. Ejuſdem æquitatis ſingulare ſpecimen præbuit Siricius in ſuis ad Anyſium & Illyrici epiſcopos litteris. Fuerant illi a Capuana ſynodo Bonoſi cau-

Eidem hæret Siricius.

PARS I. DE AUCTORITATE ROM. PONTIFICIS.

cauſæ judices delegati, atque ut ne quid in hocce A
negotio incautius agerent, ex Siricio ante omnia
quid ſuper ea re ſentiret, exquiſierant. Reſponſum
dedit Romanus præſul modeſtia ſua dignum: *Ad-
vertimus quod nobis judicandi forma competere non*
Siric. epiſt. 9. n. 1. & 2. *poſſet... Veſtrum eſt igitur, qui hoc recepiſtis judi-
cium, ſententiam ferre de omnibus, nec refugiendi
vel elabendi vel accuſatoribus vel accuſato copiam
dare. Vicem enim ſynodi recepiſtis, quos ad exami-
nandum ſynodus elegit.* Et infra: *Ideo primum eſt,
ut ii judicent, quibus judicandi facultas eſt data;
vos enim totius, ut ſcripſimus, ſynodi vice decerni-
tis; nos quaſi ex ſynodi auctoritate judicare non con-
venit.* Verum, ubi res poſcebat, jus exſerebat ſuum
idem papa, ea tamen moderatione, ut diſciplinæ B
ab Apoſtolis traditæ finibus contineret ſeſe. Quip-
pe cum ad ipſummet delata fuit impia Joviniani
ſcriptio, nihil præpropere decidendum ratus, con-
vocavit clerum, ac rogata prius omnium ſententia,
errorem ipſum & fautorem erroris anathemate con-
fixit. Sic autem confixit, ut non tam judicare ſe,
quam Apoſtoli præcepto obſequi, ejuſque judicium
epiſt. 7. n. 4. denuntiare profiteretur: *Apoſtoli*, inquit, *ſecuti præ-
ceptum, quia aliter quam quod accepimus annuntia-
bant* (Jovinianus ac ſocii:) *omnium noſtrum tam
presbyterorum & diaconorum, quam etiam totius cle-
ri, unam ſcitote fuiſſe ſententiam, ut... qui incento-
res novæ hæreſis & blaſphemiæ inventi ſunt, divina
ſententia & noſtro judicio in perpetuum damnati ex-
tra Eccleſiam remanerent.* Ceterum ejus in litteris C
ubique ſpirat idem traditionis tuendæ ſtudium, ea-
dem erga majorum regulas obſervantia, ut illas
non factis ſolum, ſed verbis lædi; non modo læ-
di, ſed vel attrectari temere, nefas putaret. Argu-
mento eſt præclara illa *ad epiſcopos diverſos* epiſto-
la, in qua cum multa queritur præter diſciplinam
geſta, tum maxime neglectas violataſque ordinatio-
num leges; dum neophyti ac nonnulli alii, quo-
rum ſatis explorata non erat fides ac morum ſan-
ctitas, admittebantur in clerum. Qua de re ſic lo-
Siric. epiſt. 6. n. 2. quitur: *Perlatum eſt ad conſcientiam apoſtolicæ ſedis
contra eccleſiaſticum canonem præſumi, &* (quoſdam
pro his,) *quæ ita ſunt a majoribus ordinata, ut ne
vel levi ſuſurro debeant violari, proprias quaſdam* D
novas obſervationes inducere, & prætermiſſo funda-
num. 2. *mento ſupra arenam velle conſtruere.* Atque ut gli-
ſcenti malo quam citiſſime occurrat, cavet *ne quod
ſemel aut ſecundo neceſſitas intulit*, (ut ſcilicet or-
dinaretur neophytus,) *id veluti lege licitum contra
apoſtolica præcepta* uſurpetur. Ubi & ipſe promi-
ſcue, Julii & Athanaſii inſtar, quod ſuperius *contra
eccleſiaſticum canonem*, id nunc *contra apoſtolica præ-
cepta* peccatum dicit; quia videlicet eccleſiaſticus iſte
canon verbis nititur Apoſtoli, neophytum vetantis
ordinari. Tum earumdem legum violatores graviſ-
Ibid. ſima hac objurgatione pungit: *Quaſi meliores Apo-
ſtolis ſint, quorum audent mutare præceptum.* De- E
mum epiſcopos in retinendis iiſdem legibus ſtare
Ibid. fortes, ſtare inconcuſſos jubet his verbis: *Prædico,
ut unam fidem habemus, unum etiam in traditione
ſentire debeamus.* Hæc erat Siricii ſeveritas, hæc
religio: ut fidei ſic & diſciplinæ a deceſſoribus ſuis
acceptæ tenax, utramque eadem diligentia coli,
eadem animi firmitate retineri voluit. Scribit & ad
epiſt. 10. n. 9. Gallos: *Si ergo una fides eſt, manere debet & una
traditio. Si una traditio eſt, una debet per omnes
eccleſias diſciplina cuſtodiri.*

Siricii ſucceſſorum idem in præſcriptis canonum tuendis ſtudium.

XLI. Non degenerarunt a Siricii zelo Anaſtaſius,
Innocentius, Zoſimus aliique plurimi non ejus ſedis
minus quam firmitatis & religionis heredes. Ana-
ſtaſius quidem ad Joannem Hieroſolymitanum de
Origenis libro περὶ ἀρχῶν reſcribens, profitetur to- F
tum ſe in hoc eſſe, quod jam a ceteris pontificibus
factum obſervavimus, ut ſuum capitis munus fun-
gatur, ac totius corporis incolumitati provideat,
caveatque in primis ne quid inducatur novi, quo
Eccleſiæ venuſtas maculari, aut religioſæ aures vul-
nerari poſſent. Innocentius vero quam in retinendis
apoſtolicis regulis diligens fuerit, oſtendit, præter
alias complures ejus litteras, vel unus *Regularum*
Innoc. ep. 2. n. 1. *liber*, quem Victricio Rotomagenſi inſcripſit. Parvus
quidem liber; ſed ſucci plenus, in quo plurima ve-
teria diſciplinæ capita collegit, quæ Victricius non
modo ſervaret ipſe, ſed & finitimis etiam populis
& epiſcopis ſervanda denuntiaret: *non quo*, inquit, *num. 5.*
*nova præcepta aliqua imperentur, ſed ea quæ per
deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſer-
vari cupiamus. Scriptum namque eſt ad Theſſaloni-
cenſes Paullo monente, State & tenete traditiones
noſtras* &c. Quæ verba Innocentius ex epiſtola 5.
Siricii n. 1. exſcripſit. Adeo infixum utriuſque cor-
di erat, inconvulſum firmumque conſtare oportere,
quod a majoribus ſemel eſt conſtitutum! Zoſimus
Proculum Maſſilienſem & Simplicium Viennenſem
epiſcopos vehementer arguit, quod ab epiſcopis Tau-
rini congregatis auſi ſint id extorquere, *quod contra* *Zoſ. epiſt. 5.*
*ſtatuta patrum & S. Trophimi reverentiam, qui pri-
mus* (ut pro certo ponebat) *metropolitanus Arela-
tenſis civitatis ex hac ſede directus eſt, concedere
vel mutare ne hujus quidem ſedis poſſit auctoritas.*
Cur vero id non poſſit, rationem ſtatim ſic reddit:
*Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas,
cui decreta patrum ſanxere reverentiam.* Iiſdem pa- Cæleſtinus ſe canonibus ſubjectum profitetur.
trum decretis quam inviolabilem atque inconcuſſam
auctoritatem vindicaverit Cæleſtinus, declarat hæc
iſſerta vox: *Dominentur nobis regulæ, non regulis
dominemur: ſimus ſubjecti canonibus, cum canonum
præcepta ſervamus.* *Cæleſt. ep. 3.*

XLII. Inter eas autem regulas, quibus non do- Sedis apoſtolicæ vel canonum ſtatuta nulli epiſcopo ignorare liceat.
minari ſed ſubeſſe vult Cæleſtinus, reponit non mo-
do ſynodorum canones, ſed Romanorum etiam pon-
tificum decreta. Duo hæc ſane commendat, cum
ait, *Nulli ſacerdotum ſuos liceat ignorare canones,
nec quidquam facere quod patrum poſſit regulis ob-
viare:* præſertim cum id proxime adjungat, *Quæ
enim a nobis res digna ſervabitur, ſi* DECRETA- *epiſt. 5. n. 1.*
LIUM *norma* CONSTITUTORUM *pro aliquorum
libito, licentia populis permiſſa, frangatur?* Qua in
re videtur exemplum ſibi ſumſiſſe ex Siricio, qui
poſtquam Himerium Tarraconenſem *ad ſervandos
canones & tenenda decretalia conſtituta* cohortatus
eſt, generale illud effatum pronuntiat: *Statuta ſedis* *Siric. epiſt. 1. n. 20.*
*apoſtolicæ vel canonum venerabilia definita nulli ſa-
cerdotum Domini ignorare ſit liberum.* Unde manife-
ſtum eſt piiſſimis illis pontificibus perſuaſum fuiſſe,
epiſcopos omnes non minus apoſtolicæ ſedis decre-
torum, quam ſynodicorum canonum ſcientia inſtru-
ctos eſſe oportere. Quod & pro certo habens Gela-
ſius papa Romano in concilio conſtituit, *Decretales* *Gelaſ. epiſt. 33. num. 6.*
*epiſtolas, quas beatiſſimi papæ diverſis temporibus ab
urbe Roma pro diverſorum patrum conſultatione dede-
runt, venerabiliter ſuſcipiendas eſſe.* Præceſſerat jam
Leonis de iiſdem epiſtolis decretum, *univerſis epi-
ſcopis per Campaniam, Picenum, Tuſciam & uni-
verſas provincias* inſcriptum, in quo legimus: *Om-* *epiſt. 4. n. 7.*
*nia decretalia conſtituta, tam beatæ memoriæ Inno-
centii, quam omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de
eccleſiaſticis ordinibus & canonum* PROMULGATA
*ſunt diſciplinis, ita a veſtra dilectione cuſtodiri debe-
re mandamus, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam
ſibi deinceps noverit denegari.* Quem locum doctiſ- *Apud Quesn. diſſert. 10. c. 2.*
ſimus Leonis editor dum ad ſuam de Codice cano-
num a ſe vulgato ſententiam accommodare vult,
ita interpretatur, ut lectoris animum a genuino
Leonis ſenſu longiſſime abducat. Eſt illud quidem
verum quod ait, Leonem ea tantum commemora-
re deceſſorum ſuorum decreta, quæ promulgata
ſint. Nam præterquam quod hoc ſonant laudata
epiſtolæ verba, certe non iſerat Leo, qui eccleſias
legibus non promulgatis adſtringi vellet. Quod au-
tem ſubjicit, Innocentii unius decreta tum promul-
gata eſſe, cum hanc epiſtolam ſcriberet Leo, at-
que hæc decreta ſola citatis verbis indicari, ſane
hoc miramur ab acerrimi judicii viro, non dico aſ-
ſeri, ſed vel animo fingi potuiſſe. Hunc enim ſen-
ſum ita expreſſe planeque reſpuit verborum con-
textus, ut illum ſi prævertere & a ſe removere
voluiſſet idem Leo, non aliis profecto verbis uti
quiviſſet. Quibus tamen argumentis, ſive, ut ve-
rius dicamus, conjecturis interpretationem hanc ſuam Queſnelii de promulgatione decretorum ſedis apoſtolicæ ſyſtema.
fulciat vir doctus, paucis exponere juverit.

XLIII. Primo duplicem diſtinguit *ſcriptorum ſedis
apoſtolicæ claſſem, duplexque archivum in quo moni-
menta eccleſiaſtica apud ſedem apoſtolicam ſervaren-
tur, unum de quo ſub* SCRINIORUM *nomine ſæpe
mentionem faciant ſcriptores antiqui, alterum quod*

CO-

CODEX CANONUM ET CONSTITUTORUM SEDIS APOSTOLICÆ *nuncupatum legitur*, hoc eſt ille canonum Codex, quem ipſe velut eccleſiæ Romanæ Codicem publicavit. Mox addit: *In illa* (ſcrinia) *conjiciebatur quidquid litterarum ex variis orbis partibus ad apoſtolicam ſedem confluebat, & quidquid actorum inſtrumentorumque eccleſiaſticorum ſervandum eſſe æſtimabatur ab apoſtolica ſede .... in Codicem vero referebantur, quæ ad quotidianam eccleſiarum diſciplinam ſervandam, juſque dicendum in eccleſiaſticis rebus aſſumenda erant, vel ea quæ ad fidei confirmationem ſeu ſcripta ab epiſcopis, ſeu ſancita erant ab imperatoribus adverſus hæreticos.* Tum ſcrinia inter & Codicem triplex fuiſſe diſcrimen ait: primum, quod privata eſſent ſcrinia, Codex vero publicus, ſeu, non ſecus atque in rebus politicis Theodoſianus Codex, publica auctoritate donatus; alterum, quod promulgata non cenſerentur ea, quæ ſcriniis unis continebantur, cenſerentur vero quæ Codice; poſtremum denique, quod legis vim obtineret unus ille Codex per eccleſias ad Romanam ſynodum pertinentes, hoc eſt eccleſiæ Romanæ ut metropolitanæ ſubjectas. *Pontificum epiſtolæ*, inquit, *ad privatas externaſque eccleſias miſſæ, per eccleſias ad ſedem apoſtolicam pertinentes robur acquirebant, atque obediendi inducebant neceſſitatem, cum a privatis ſcriniis in publicum Codicem eductæ promulgari ac pro conſtituto decretali haberi cœperunt. Cetera ſcripta, quamdiu inde non proferebantur, publicatæ legis vim habere illic non poterant.* Demum his poſitis, ſubjicit nullas Codici Romano ante ſynodi Chalcedonenſis tempora inſertas eſſe pontificum litteras, præter unius Innocentii: quod poſtremum ex eo colligit ordine, quo monimenta Codice a ſe vulgato contenta diſponuntur. Unde ſequitur, Innocentii unius decreta tum promulgata eſſe, cum epiſcopos univerſos admoneret Leo, ſervanda eſſe omnia omnium deceſſorum ſuorum conſtituta, quæ de eccleſiaſticis diſciplinis promulgata erant. Id enim ſcribebat is pontifex anno 443 adeoque octennio ante concilium Chalcedonenſe, quod menſe Octobri anni 451. celebratum fuit. Hoc vero totum, aut fere totum, quid eſt, niſi, quod clariſſimi viri pace dixerimus, mera hypotheſis, niſi ingenioſum quidem at minus firmum ſyſtema eſt? Atque ut de Leonis verbis primum agamus, illa certe alienum in ſenſum detorquet, ac ſapientiſſimum præſulem ſecum pugnantem inducit Queſnellus. Quid enim, ſi ſola Innocentii decreta commendare voluit Leo, quid alis itidem decreta laudare opus erat? *Tam Innocentii*, inquit, *quam omnia omnium deceſſorum noſtrorum decretalia conſtituta debere cuſtodiri mandamus.* An non hæ voces, *tam Innocentii quam omnium deceſſorum noſtrorum*, idem ſonant ac iſtæ, non unius Innocentii ſed etiam omnium deceſſorum noſtrorum? Nihil ſimile magis, nihil minus diverſum. Tamen, ſi Queſnello credimus, alia nulla in promulgatis haberi & ſervari debere conſtituta declarat Leo, præter unius Innocentii. Videant æqui rerum judices utrum in Leonem, hoc eſt in ſcriptorem accuratiſſimum, cadat iſta verborum & ſententiæ pugna. Cur autem e ſuis deceſſoribus neminem alium nominatim appellet præter Innocentium, in cauſa haud dubie fuit decretalium hujus papæ litterarum multitudo, quæ tum temporis tanta erat, uti etiam hodieque eſt, ut ceterorum litteras ſuperaret. Sed & alia, præter Innocentii, decreta tum promulgata fuiſſe perſuadet, quod ſuperius ex Siricio retulimus. Quorſum enim ſpectabant graviſſimæ illæ voces, quibus *ad tenenda ſedis Apoſtolicæ decretalia conſtituta* hortatur? quorſum & generale illud pronuntiatum, *Nulli ſacerdotum liberum eſſe ſtatuta* ejuſdem ſedis *ignorare*, ſi quæ ſanxerant Romani præſules, ea nec promulgata erant, nec in legum loco numeroque haberi quibant? Præterea idem Siricius *miſſa eſſe* teſtatur *a B. memoriæ prædeceſſore ſuo Liberio generalia decreta*; atque, Innocentio teſte, *forma eccleſiaſticæ vitæ pariter & diſciplinæ ab epiſcopo Siricio ad provincias commeavit*: quod utrumque factum a Queſnello Leonis verborum interpretationem funditus ſubruit. Neque hic reſponſurum fuiſſe virum eruditum putem, primum quidem Himerio Tarraconenſi, hoc eſt epiſcopo Hiſpano, alterum autem Exſuperio Toloſano, hoc eſt epiſcopo Gallo, ſcriptum eſſe, ſibi vero de his decretis eſſe ſermonem, quæ in eccleſiis ad Romanam ſynodum pertinentibus promulgata ſint. Suffugium ſane id foret, non reſponſum. Valde enim probabile eſt decreta illa prius in ſynodo Romana ſancita eſſe, quam in provincias exteras mitterentur. Si quis autem id negaverit, negare certe nequit ab omni prorſus ratione alienum videri, ut eccleſiis longinquis ea mitterent Romani præſules, quæ ipſis utilia fore cenſebant, non mitterent ſuis. Piam illam pontificum vigilantiam experta eſt ipſa vel Africa. Nam Siricii decretales litteras eo perlatas eſſe atque in duabus ſynodis recitatas, inferius viſuri ſumus. Liquet igitur totum illud eruditi viri tum circa Codicem ſuum, tum etiam circa pontificiorum decretorum promulgationem ſyſtema defendi prorſus non poſſe. Quod ut manifeſtius fiat, juvat nonnulla primum de ſcriniis apoſtolicæ ſedis, deque illorum uſu, paucis expendere; deinde & de Codice canonum inveſtigare, taliſne, qualem deſcribit Queſnellus, Romæ ante Dionyſii tempora exſtiterit. Unde ad id, quod initio propoſuimus, procedet oratio, ut quænam Leo decreta vocet promulgata, quave ratione deceſſores Leonis ea eccleſiis nota fecerint, aut cenſuerint promulgata, palam fiat.

Siric. ep. 1. n. 2.
Innoc. ep. 6. n. 4.
PARS I. DE AUCTORITATE ROM. PONTIFICIS.

XLIV. Pontificibus Romanis id moris erat, ut epiſtolarum, quæ ad Chriſtianæ rei utilitatem ſpectabant, ſive illas ſcripſiſſent ipſi, ſive ab aliis accepiſſent, authentica exemplaria uno in loco deponerent. Loci hujus, de quo in eorum litteris ſæpe fit mentio, non unum eſt nomen. Illum quippe alii *archivum*, *chartarium* alii, plerique *ſcrinium* ſeu *ſcrinia ſedis apoſtolicæ* aut *eccleſiæ Romanæ* vocant. Ejus meminit Damaſus in epiſtola 4. n. 5. cui dicuntur ſubſcripſiſſe, præter epiſcopos nonnullos ibidem nominatos, *alii* CXLVI. *Orientales epiſcopi, quorum ſubſcriptio in* ARCHIVO *Romanæ eccleſiæ tenetur*. Hieronymus vero Rufinum, de litteris ab Anaſtaſio I. ad Joannem Jeroſolymitanum datis dubitantem, ad chartarium provocat his verbis: *Si a me fictam epiſtolam ſuſpicaris, cur eam in Romanæ eccleſiæ* CHARTARIO *non requiris: ut cum deprehenderis ab epiſcopo non datam, manifeſtiſſime criminis reum teneas?* Unde mihi videntur duo plane confici: primum quidem, ut conſtiterit omnes omnino pontificum litteras, quæ res eccleſiaſticas tractabant, illic aſſervari. Alioquin ad chartarium non provocaſſet Hieronymus ea lege, ut ſi inde abeſſet Anaſtaſii I. epiſtola, *criminis reus* ipſe *teneretur*. Alterum, ut liber cuique patuerit ad chartarium aditus, quo cujuſvis id genus ſcripti fides probari poſſet. At illud nemini magis, quam præſulibus Romanis, uſui fuit. Inde nimirum quæ deceſſores ſui vel epiſcopis vel eccleſiis privilegia conceſſerant, quæ judicia tulerant, quæ ſanxerant decreta, certius exploratiuſque recognoſcebant. Quocirca Bonifacius I. delegatas jam eſſe Ruſo Theſſalonicenſi apoſtolicæ ſedis vices probare volens ait, *ut ſcrinii noſtri monimenta declarant*. Ita & Cæleſtinus I. ad epiſcopos Viennenſis Narbonenſiſque provinciæ mittere ſe ſcribit libellorum ſibi adverſus Danielem quemdam oblatorum exempla, quorum, inquit, autographa *in noſtris ſcriniis continentur*. Notatu dignum eſt tum illud Leonis epiſt. 110. ad Maximum Antiochenum n. 4. *Cujus epiſtolæ ad nos exemplaria direxiſti ſanctæ memoriæ Cyrilli, eam in noſtro ſcrinio requiſitam nos authenticam noveris reperiſſe*; tum iſtud ejuſdem papæ ad Theodoſium epiſt. 61. n. 2. ubi Cyrilli Alexandrini epiſtolam laudat, *quam apoſtolicæ ſedis ſcrinia ſuſceperunt*. Inde enim probatur morem fuiſſe, ut non Romanorum modo præſulum, ſed aliorum etiam ſcripta in iis ſcriniis aſſervarentur. Ad eumdem papam ſcribunt Arelatenſis provinciæ præſules, non vetuſta ſolum inſtitutione niti, ſed *promulgatis* etiam ſummorum pontificum *auctoritatibus* firmari Arelatenſis eccleſiæ privilegia; quod ut probent, ſumunt e ſcriniis teſtimonium: *Sicut*, inquiunt, *apoſtolicæ ſedis ſcrinia procul dubio continent*. Leonis quoque ſucceſſor Hilarus hoc in earum rerum, quas dixerat, aſſertionem uſurpat: *Sicut in ſcriniis noſtris legimus*. Hinc ſcripto-

De ſcriniis apoſtolicæ ſedis.
Hieron. adverſ. Rufin. lib. 3.
Bonifac. ep. 4. n. 2.
Cæleſt. ep. 4. n. 5.
Leo epiſt. 54. n. 2.

rum

PARS I. DE AUCTORITATE ROM. PONTIFICIA.

rum *ἀνάκρισιν* probari ſolere quia noverat falſorum Xyſti III. geſtorum artifex, quem circa Symmachi papæ tempora vixiſſe opinamur, in geſtorum illorum fronte præfixit: *Hoc indiculum collegit Archidamus presbyter, & ipſe quaſi in chartarium eccleſiæ conlocavit*. Ipſo Symmachi ævo cum *de ratione paſchali* moveretur quæſtio, prolata ſunt, Dionyſio exiguo teſte, *de archivo eccleſiæ Romanæ Paſchaſini venerabilis epiſcopi ſcripta*, epiſtola ſcilicet ad Leonem data, qua retinendam eſſe Alexandrinam computationem probat. Scripſit & ipſemet Symmachus ad Æonium Arelatenſem: *Relegentes ergo veterum antiſtitum ſuper hac cauſa ordinationes, quibus eccleſiaſticum gravatur ſcrinium* &c. Mittimus multa id genus teſtimonia: ſed ſilendus non eſt luculentus in eam rem locus geſtorum ſynodi Romanæ, cui Bonifacius II. papa præfuit. In ea quippe ſynodo affirmat Echinienſis epiſcopus, ex omnium Bonifacii deceſſorum ſcriptis exploratum eſſe, pontifices Romanos eccleſiarum Illyrici gubernationem ſpeciali quodam jure ſibi vindicare: ac deinde aſſertioni ſuæ ut fidem faciat, ſubjicit: *Quarumdam epiſtolarum complura exemplaria profero, quarum fidem fieri ex veſtro nunc ſcrinio poſtulo*. Tum *Bonifacius epiſcopus* (Romanus) ait: *Prolatæ epiſtolæ recitentur, & ſcriptorum fides in ſedis apoſtolicæ requiratur ſcrinio*. Exſtant & in Gregorii magni epiſtolis permulta, ex quibus liquido patet quem ad uſum ſcrinia pertinuerint. Suſpicabatur ſapientiſſimus præſul falſa eſſe, quæ ſibi Joannes epiſcopus Ravennas vindicabat privilegia. Coercendum hominem in ſuſcipiendo audacem, at ſuo etiam jure non defraudandum ratus, juſſit in ſcrinio inquiri, num quid ejuſmodi a ſuis deceſſoribus eccleſiæ Ravennenſi conceſſum eſſet. Deinde ſic ad eum reſcripſit: *Ne forte putes nos hæc vobis ſcribentes, quæ pro fraterna caritate ſunt neglexiſſe; ſcitote in noſtro ſcrinio de privilegiis eccleſiæ tuæ ſubtiliter perquiſitum. Et quidem quædam inventa ſunt, quæ omnino poſſunt fraternitatis tuæ intentionibus obviare, nihil autem in quo de hujuſmodi capitulis pars veſtræ poſſit eccleſiæ roborari*. Simili ratione Deſiderio Viennenſi epiſcopo pallii uſum poſcenti ex privilegio ſuæ, ut dictitabat, eccleſiæ olim attributo, reſpondit: *Quod quia vobis magnopere poſcitis reformari, in eccleſiæ noſtræ ſcrinio requiri fecimus, & inveniri nihil potuit*. Sic & ad Ætherium Lugdunenſem reſcripſit: *De eo vero, quod ex antiqua conſuetudine depoſcitis, requiri in ſcrinio fecimus, & nihil inventum eſt*. Idem Pontifex ſimul ut accepit Callipolitanos variis contra fas moleſtiis vexari, ſtatim in æquitatis defenſionem erectus ſcrinium evolvi juſſit, indeque exſcribi & Sabiniano epiſcopo mitti inſtrumenta, quibus eorum cauſſa nitebatur. Quapropter, inquit, *exemplaria tibi privilegiorum eccleſiæ de ſcrinio noſtro ob hoc fecimus dari, quatenus informatus ex omnibus, qualiter habitatores loci illius defenſare valeas, non ignores*. Exinde diu perſeveravit eadem conſuetudo, ut pontifices Romani ſuis in ſcriniis haberent exempla monimentorum, quorum vel ipſi vel deceſſores ſui auctores erant, ut, ſi quando res ita poſceret, adiri facile comprobarique poſſent. Quippe ineunte ſæculo XIII. regeſta in ſcrinio ſervata inſpexit Innocentius III. recognovitque quid cum Bulgaris ad apoſtolicam ſedem confugientibus Nicolao I. pontifice actum eſſet.

Apud. Bucher. p. 489.

Symmach. epiſt. 3.

Greg. lib. 3. Ind. ii. 11. epiſt. al. 54.

al. lib. 7. Indict. 2. epiſt. 117.

al. lib. 9. Ind. 4. epiſt. 50.

al. lib. 7. Indict. 2. epiſt. 105.

An Romæ ante Dionyſium exiguum exſtiterit canonum Codex qui vim legis obtinuerit,

XLV. Porro ut de archivo ſeu de ſcriniis apoſtolicæ ſedis ſæpe fit apud veteres Romæ præſules mentio, ita de Codice publico qui vim legis obtinuerit, altum ubique ſilentium eſt. Tot inter pontifices, qui majorum ſuorum inſtituta ſingulis fere litteris appellant, qui toties illa aut adhuc vigentia confirmant, aut retinent collabentia, aut collapſa renovant, qui demum eadem in ſcriniis a ſe ſervari atque conſuli ſæpe commemorant, nemo unus eſt qui Codicis publici, qualem deſcribit Queſnellus, memoriam uſurpaverit, aut qui de uſitata illa promulgandorum decretorum ratione adſperſerit aliquid in epiſtolis. Unde igitur hauſit vir doctus una hæc in promulgatis habita eſſe decreta, quæ Codici, cujuſmodi ſuum fuiſſe tradit, inſerta fuerint? Certe utrum etiam ante Dionyſii exigui tempora exſtiterit talis canonum Codex, dubitari jure poteſt. Largimur quidem varios ea tempeſtate Codices in Occidente concinnatos eſſe, neque etiam defuiſſe Romæ, quibus contineretur quidquid canonum ſeu decretorum apoſtolicæ ſedis reperiri potuit. At unum aliquem exſtitiſſe, qui publicus fuerit, & pontificio, ut ita loquamur, ſigillo munitus & impreſſus, qui in eccleſiis Romanæ ut metropolitanæ ſubjectis eamdem, atque Theodoſianus Codex in Imperio, auctoritatem obtinuerit, in quem denique quotquot relata erant decreta, hæc promulgata cenſerentur, & *indicerent obediendi neceſſitatem*; hoc enimvero, ſin falſo ſaltem gratis aſſertum putamus. Etenim ſi jam hujus Codicis uſum frequentaſſet Roma, ſane Dionyſius exiguus, qua erat religione, ab eo vel tantillum mutando, immo & ab alio ejus in locum ſubſtituendo temperaſſet. Primam collectionis ſuæ partem Stephano epiſcopo Salonitano, alteram Juliano presbytero petente adornavit; adeoque ut id operis aggrederetur, non publica illum auctoritas, ſed privatorum hominum petitio impulit. Sed neque in animo habuit vir prudens condere Codicem, in quo reperiretur nihil quod legis inſtar recipiendum non foret. Alioquin nec in fronte operis ſui 50. canones Apoſtolorum, quibus fatetur aſſenſum ægre dari a plurimis, nec in ejuſdem ſerie Conſtantinopolitanos, quos a Romanis reſpui non ignorabat, collocaſſet. Hæc autem illi una mens fuit, amantibus eccleſiaſticarum rerum doctis viris hanc præſtare operam, ut collectum haberent & facili certoque ordine diſpoſitum, quidquid ad canonum aut pontificiorum decretorum notitiam conferre poſſet. Quapropter ſynodi Carthaginienſis anni 405. geſta *non ex integro deſcribenda* ratus, *quoniam* (in hac ſynodo) *magis ea quæ ex tempore neceſſaria fuerunt, quam generalia, conſtituta ſunt*, tamen, in gratiam & *ad inſtitutionem* STUDIOSORUM, *ejuſdem concilii brevem digeſſit*. Qua in re fecit ut qui, non ſedis apoſtolicæ nomine, ſed amicorum rogatu Codicem conderet: elegit pro arbitrio ex omnibus optima, & in ſuum ſibi ordinem diſtribuit. Demum ſic publicæ utilitati proſpexit, ut privatis etiam ſervierit commodis *ſtudioſorum*. Tametſi vero privati hominis opus erat is Codex, tamen in ipſo ejus ortu Dionyſianam canonum interpretationem ſuſcepit eccleſia Romana: atque ita ſuſcepit, ut illam, teſte Caſſiodoro ejus æquali, *uſu celeberrimo* complecteretur. Quod maximo indicio eſt, & eum Codicem, qui Romæ antea vulgatus erat, a privato itidem homine concinnatum fuiſſe. Neque enim videmus quo pacto tam brevi tamque facile veniſſet in deſuetudinem publicus Regularum Codex, apoſtolicæ ſedis auctoritate ſuſceptus confirmatuſque, & ſua quodam modo antiquitate conſecratus.

Cod. vulg. eccl. Afr. c. 93.

Caſſiod. de div. lect. c. 23.

XLVI. Idem & de variis canonum Codicibus, quos id circiter temporis vel non multo poſt Occidens primum vidit, cenſere licet; eos nimirum adornatos eſſe opera ſtudioſorum, qui quotquot reperire poterant monimenta, ſi ad rem ſuam facerent, hæc ſimul collecta & ſine ordine plerumque confuſa compingebant. In his excipiendus dumtaxat videtur Hiſpanus, circa ſæculi VI. initia compoſitus. Quamquam & is Codex, etſi ponatur Hiſpanorum præſulum ſuffragio receptus, tamen monimentis in ipſum relatis non conferebat id auctoritatis ac roboris, ut legum vim obtinerent. Alioquin extra culpam non forent iidem præſules, qui poſt admiſſam in Codicem ſuum Gelaſii epiſtolam XI. *ad epiſcopos per Lucaniam, Brutios & Siciliam conſtitutos* inſcriptam, ubi expoſtulat is papa *quod abſque præcepto ſedis apoſtolicæ nonnulli factas eccleſias vel oratoria ſacrare præſumant*, eccleſias citra præceptum apoſtolicæ ſedis conſecrandi morem retinuerunt. Epiſtolam eamdem Gallicanis aliiſque Codicibus antiquis ſine ulla mutatione inſertam legimus. Nihilo minus e Galliarum ceterarumque Occidentis partium epiſcopis, præter eos qui intra provincias degebant ſuburbicarias, inventus eſt nemo, qui baſilicas vel oratoria conſecrandi jus ab ſede apoſtolica petierit. Legum igitur loco non erant, quæcumque in hujuſmodi collectiones ſtatuta referebantur. Rem præterea abunde probant cum Gallicani quidam Codices, tum ille ipſe quem eccleſiæ Romanæ uſui fuiſ-

De aliis Codicibus in Occidente tum concinnatis quid cenſendum.

fuiſſe contendit Paſchas. Queſnellus. In his quippe ita legitur Siricii epiſtola decretalis, uti Teleptenſis ſynodi geſtis inſerta fuit, nominatimque cum hoc decreto, *Nemo extra conſcientiam ſedis apoſtolicæ, id eſt primatis, audeat ordinare*. Quod quidem decretum ita expreſſum nec in eccleſiis Romanæ ut metropolitanæ ſubjectis, nec in Gallicanis umquam viguit, aut vigere potuit. Nam Romanis ſive Romanæ ſubjectis mos erat, epiſcopum neminem citra ſedis apoſtolicæ conſcientiam ordinare: neque ad illas umquam pertinuit ea decreti clauſula, *id eſt primatis*; ſiquidem primatem, hoc eſt ſeniorem cujuſque provinciæ antiſtitem cui ſubeſſent, nullum habebant. In Gallicanis vero, non primatis, non ſedis apoſtolicæ, ſed metropolitani requiſito aſſenſu epiſcopi ex Nicænorum canonum præſcripto ordinabantur. Unde manifeſtum eſt decreta quælibet, ſimul ut Codici inſerta erant, non ideo ſtatim habuiſſe vim legum, quibus obtemperare deberent ii apud quos vulgatus aut etiam receptus erat Codex. Monimenta illa, tametſi unum in corpus collecta erant, non uno habebantur numero ac loco. Alia erat canonum ſynodi generalis, alia non generalis, alia eorum qui propriis, alia qui exteris in provinciis ſanciti fuerant auctoritas. Valebat autem plurimum conflata ex tot decretorum generibus collectio, ſin ad promulgationem legum, certe ad levandum ſtudioſorum laborem. Inde enim quid quiſque vellet, ſibi ſumebat quam facillime. Inde quid a primis Eccleſiæ ſæculis ad ſuam uſque memoriam in Oriente juxta & Occidente definitum, quid perpetuo communique uſu receptum, quid pro vario temporum, locorum aut rerum ſtatu emendatum fuiſſet, nullo labore comperiebat. Si quid vero quandoque occurrebat decreti, quod a decretis diſſentiret, illius nulla erat fides, nulla auctoritas. Hinc Antiochenos canones, quia diſcrepabant a Nicænis, Innocentius I. repudiavit. Neque aliter animati erant Dionyſius aliique collectores, qui eoſdem canones Codicibus ſuis inſeruerunt. Nihil enim inde Nicænorum auctoritati detractum, ſed pro ſua de ſtudioſis viris bene merendi voluntate nihil omiſſum voluere, quo pleniorem ſacræ antiquitatis notitiam conſequi poſſent. Denique, ne provehamur longius, ſi plerorumque Codicum initia, titulos, præfationes expendemus; perſuaſum nobis erit id quod res eſt, privatos homines ſuam in lucubrandis ejuſmodi ſcriptis poſuiſſe operam, non quo promulgarentur ea quæ hactenus delituerant, ſed ea quæ publicata jam erant perlegerentur commodius, faciliuſque retinerentur. Aliunde igitur quam ex Codicibus repetenda eſt decretorum apoſtolicæ ſedis promulgatio.

Siric. epiſt. 5. n. 2.

Qua ratione promulgari conſueverint epiſtolæ decretales.

XLVII. Et vero eam aliunde repetunt ejuſdem ſedis præſules. Unde autem? Innocentium audi, qui rem ſcite ac diſtincte paucis explicat verbis, cum reſponſis ad Alexandri Antiocheni conſultationes datis adjungit: *Gravitas itaque tua hæc ad notitiam coepiſcoporum vel per ſynodum, ſi poteſt fieri, vel per harum* (litterarum) *recitationem faciat pervenire, ut omnium conſenſu ſtudioque firmentur*. Ubi duplicem obſervare eſt apoſtolicæ ſedis decreta promulgandi modum: unum quidem, cum epiſcopis in ſynodum coeuntibus; alterum vero, cum epiſcopis itidem, ſed ſingulis & ſeorſum, denuntiata, eorum conſenſu confirmabantur. At Innocentio magis arridet facta in ſynodali cœtu promulgatio, eamque, *ſi fieri poteſt*, præferri vult; haud dubie quia magis authentica eſt, magiſque ad *omnium conſenſum*, quo decreta ſua firmari cupit, patefaciendum accommodata. Ubi vero eſt conſenſus, ibi quoque deliberandi atque diſſentiendi facultas eſſe ponitur. Ipſa Innocentii verba non parum illuſtrat quod in Africa geſtum legimus. Eo perlatæ & in duplici ſynodo, Thuſdritana ſcilicet ac Teleptenſi, recitatæ ſunt Siricii litteræ duæ, quibus in litteris, præter ſingularia quædam & ſuburbicariis eccleſiis propria, ſanciebantur decreta generalia. Neque recitatæ ſolum, ſed etiam ex epiſcoporum conſenſu receptæ fuere; at non ſine temperamento, quale poſtulabat eccleſiæ Africanæ diſciplina. Decreto nempe, jam ſuperius memorato, quo cavebatur ne quis epiſcopum *extra conſcientiam apoſtolicæ ſedis* ordinaret, hanc Afri clauſulam addidere, *id eſt primatis*, ut quod ſuburbicariis eccleſiis præſcriptum erat, ad ſuam ipſi conſuetudinem accommodarent. Quia in re nil præter Siricii mentem eos feciſſe perſuadet Innocentii ad Victricium Rotomagenſem epiſtola 2. n. 3. ubi decretum idem ſic ad morem in Galliis receptum componitur: *Ut extra conſcientiam metropolitani epiſcopi nemo audeat ordinare*. Alias præterea litteras, Siricii atque Ambroſii nomine, ad ſe miſſas eſſe innuunt ipſimet Afri; quibus litteris vetitum erat, ne quis apud hæreticos baptizatus in clerum promoveretur. Certe legatum in Italiam miſere, cujus opera *tam venerabili ſancto fratri Anaſtaſio apoſtolicæ ſedis epiſcopo, quam Venerio ſacerdoti Mediolanenſis eccleſiæ* perſuaderetur, ut ex his, qui apud Donatiſtas & nati & baptiſmo a primula ætate tincti fuerant, clericos ſibi ordinare fas eſſet; atque hanc legationis cauſam ſubjiciunt: *Quia ex his ſedibus hoc fuerat prohibitum*. Ubi videntur innuere, quod proxime obſervavimus, perlatas in Africam fuiſſe ſynodales litteras Siricii atque Ambroſii nomine inſcriptas, quibus neminem, qui ab hæreſi ad Eccleſiam veniret, in clerum aſſumi oportere decernebatur. Neque in Africam ſolam, ſed & in Galliam, Hiſpaniam, aliaſque Chriſtiani orbis provincias decreta ſua perferri, & cum epiſcopis communicari curarunt Romani præſules. Nominatim vero *Liberii generalia decreta*, & *Siricii monita evidentia per provincias commeaſſe* Siricius epiſt. 1 ad Himerium Tarraconenſem n. 2. & Innocentius epiſt. 6. ad Exſuperium Toloſanum n. 2. & 4. commemorant. Intelligebant nimirum impoſitam ſibi catholicæ fidei ſanctorumque morum doctrinæ ac diſciplinæ non tuendæ ſolum, ſed etiam uſquequaverſum amplificandæ curam. Quod perſuaſum habens Cæleſtinus epiſt. 4. ad epiſcopos provinciæ Viennenſis & Narbonenſis n. 1. ſcribit: *Cum hoc, ut ab illicitis revocemus aliquos, officii noſtri revocemur inſtinctu, in ſpeculis a Deo conſtituti, ut vigilantiæ noſtræ diligentiam comprobantes, & quæ coercenda ſunt reſecemus, & quæ obſervanda ſunt ſanciamus; circa quamvis longinqua ſpiritalis cura non deficit, ſed ſe per omnia qua nomen Dei prædicatur, extendit*. Hinc licet Gelaſii epiſtolam XI. exhibeant Hiſpani Gallicanique Codices cum hac inſcriptione, *Epiſcopis per Lucaniam, Brutios & Siciliam conſtitutis*, licet & epiſtolæ conveniat inſcriptio; tamen ſi conſulantur Queſnelliani Codicis exemplaria, occurret iſta, *Dilectiſſimis fratribus univerſis epiſcopis Gelaſius*. Nimirum quod Lucaniæ, Brutiorum ac Siciliæ præſulibus peculiariter ſcripſerat is papa, illud poſtmodum & cum ceteris communicatum voluit. Idem dicendum de memorata Siricii epiſtola 5. quæ ad Italiæ præſules data primum fuit, nunc vero *ad epiſcopos Africæ* legitur inſcripta. Neque alia forte cauſſa eſt, cur epiſtola, qua tum Innocentii tum omnium etiam deceſſorum ſuorum decreta commendat Leo, titulum illum in fronte ferat; *Epiſcopis per Campaniam, Picenum & Tuſciam & univerſas provincias*. Nempe probabile eſt quod epiſcopis Thuſciæ, Piceni & Campaniæ ſcriptum fuerat, id ad alios deinde miſſum & longe lateque diſſeminatum, commune univerſis evaſiſſe; atque ideo in ejus inſcriptione adjectum eſſe, *& univerſas provincias*. Solebant vero iidem pontifices epiſcopo ad quem *ſpeciali nomine*, ut Siricius loquitur, generalia decreta mittebant, id negotii dare, ut hæc ipſa decreta aliis per litteras nota faceret. Ita ſe gerit idem, quem proxime nominavi, Siricius, cum Himerio Tarraconenſi ſcribit: *Hæc, quæ ad tua reſcripſimus conſulta, in omnium coepiſcoporum noſtrorum perferri facias notionem, & non ſolum eorum qui in tua ſunt diœceſi conſtituti, ſed etiam ad univerſos Carthaginienſes & Bæticos, Luſitanos atque Gallicios, vel eos qui vicinis tibi collimitant hinc inde provinciis, hæc, quæ a nobis ſunt ſalubri ordinatione diſpoſita, ſub litterarum tuarum proſecutione mittantur*. Ita & Innocentius latum a ſe de Bubalio & nonnullis aliis judicium Macedonibus ſignificans ait: *Hanc autem paginulam noſtram ſollicitius epiſcopis Cretenſibus relegendam mittite: ut ſciant plenius quid ſit de Bubalio & Tauriano ceteriſque pronuntiatum*. Huic adjun-

gen-

Innoc. epiſt. 24. n. 4.

Cod. vulgat. eccleſ. Afr. c. 56.

Siric. epiſt. 1. n. 20.

Innoc. epiſt. 18. n. 2.

PARS I. DE AUCTORITATE ROM. PONTIFICIS,

gendus Zoſimus, qui epiſt. 7. ad Patroclum Arelatenſem, ſatis non habet vetera de ſingulis ordinum gradibus decurrendis vindicare decreta, ſed Patroclo ipſi has partes imponit, ne quem decretorum illorum inſcium eſſe patiatur: *Scripta*, inquit, *noſtra in omniam facies notitiam pervenire*. De re eadem idem pontifex in Gallias Hiſpaniaſque miſerat litteras, uti fidem facit ejus epiſtola 9. ad Heſychium Salonitanum; unde miratur ad Heſychium ipſum perlata necdum fuiſſe hæc apoſtolicæ ſedis conſtituta. Quamobrem, qua erat vigilantia, hæc denuo confirmat, ac ſuam demum epiſtolam his verbis claudit: *Ne quid meritis dilectionis tuæ derogaremus, ad te potiſſimum ſcripta direximus, quæ in omnium fratrum & coepiſcoporum noſtrorum facies ire notitiam, non tantum eorum qui in ea provincia ſunt, ſed etiam qui vicinis dilectionis tuæ provinciis adjunguntur*. Celebris eſt ejuſdem papæ adverſus Pelagium Cæleſtiumque Tractoria, cujus *exemplaria & ad Orientales eccleſias, Ægypti diœceſim, & Conſtantinopolim, & Theſſalonicam, & Hieroſolyma ad epiſcopos tranſmiſſa eſſe* tradit Marius Mercator. Hæc & in Africam per Leonem tunc acolythum perlata eſſe oſtendemus infra pag. 993. Deceſſoribus ſuis concinit & Xyſtus III. qui Cyrillo Alexandrino de ſcriptis ad ipſam miſſis illud mandavit: *Hæc ad vicinorum fratrum notitiam pervenire volo per pietatem tuam; ut diſcant in re tanta, etſi olim cuncta definita fuerint, non ceſſare tamen aut ſegnem eſſe apoſtolicam ſedem*. Tum ſuæ ceterorumque ſedis apoſtolicæ præſulum vigilantiæ cauſam hanc ſubdit: *Neque enim permittit nos quietos eſſe ab ejuſmodi cura omnium eccleſiarum ſolicitudo*. Longius progrederetur oratio, ſi pontifices ſingulos in medium adduceremus. Tamen ita expreſſa diſertaque ſunt in hanc rem Leonis verba, ut locum heic ſuo quaſi jure ſibi vindicent. Scripſerat ad ſanctiſſimum præſulem Marcianus imperator epiſt. 101. *Miramur valde, quod poſtquam Chalcedone celebrata eſt ſynodus, ac litteræ venerabilium epiſcoporum ad tuam pietatem miſſæ ſunt, quibus omnia quæ in ſynodo ſunt geſta expoſuerunt, nequaquam ſanctitas tua ejuſmodi epiſtolas miſit, quæ in ſanctiſſimis eccleſiis lectæ in omnium notitiam pervenirent*. Quocirca Leo epiſt. 105. n. 4. Marciani voluntati morem gerens reſcribit: *Conſtitutionibus ſynodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei catholicæ, & de hæreticorum damnatione placuerunt, libens adjeci ſententiam meam. Quæ ut in notitiam omnium ſacerdotum eccleſiarumque perveniat, veſtræ clementiæ præceptio ordinare dignabitur*. Quod qua ratione fieri velit epiſt. 107. ad Julianum n. 1. explicat his verbis: *Studeat dilectio tua piiſſimum principem crebris ſuggeſtionibus commonere, ut adjunctis affatibus* (hoc eſt litteris) *ſuis ad ſingularum provinciarum ſacerdotes deferri apoſtolicæ ſedis ſcripta præcipiat; ne ulterius quiſquam veritatis inimicus ex ſilentio meo ſe excuſare præſumat*. Eſt illud vero ad rem noſtram longe accommodatiſſimum, quod idem pontifex epiſtolam ſuam 149. ad Nicetam Aquilejenſem his verbis claudit: *Hanc epiſtolam noſtram, quam ad conſultationem tuæ fraternitatis emiſimus, ad omnes fratres & comprovinciales tuos epiſcopos facias pervenire, ut omnium obſervantiæ data proſit auctoritas*. Plura id genus teſtimonia qui voluerint, adeant ejuſdem papæ litteras tum 110. ad Maximum Antiochenum n. 5. tum 111. ad Theodoretum Cyri epiſcopum n. 7. & alias aliorum, quibus decreta ſua non in publicum regularum Codicem referri, ſed epiſcopis denuntiari jubent. Erat igitur ille, quod ſæpe iterandum eſt, promulgandorum apoſtolicæ ſedis decretorum modus. Per optimæ probatiſſimæque fidei clericos, vel etiam epiſcopos, mittebantur ad provinciarum primates, niſi ad alios mitti ſpecialis quædam ratio ſuaderet. Tum ipſi primates, ſive aliiquibus id negotii datum erat, eorum apographa cum epiſcopis, vel ſingulis vel in ſynodo congregatis, communicari, & *omnium conſenſu ſtudioque*, ut loquitur Innocentius, *firmari* curabant.

Mar. Merc. edit. Baluz. p. 134.

Xyſt. III. epiſt. 2. n. 6.

Quo pacto epiſtolæ decretales in provinciis Italiæ ſint promulgatæ.

XLVIII. Jam vero qui eccleſiis a ſe tam longo marium terrarumque tractu diſſitis proſpiciebant, qui Orientem, Ægyptum, Africam, Hiſpaniam, Galliam, Dalmatiam ſuis peragrabant litteris, eos certe pontifices vicinarum & ad ſuam diœceſim pertinentium eccleſiarum curam abjeciſſe nemo ſibi perſuaſerit. Deinde etiam negarit nemo, quam facile iiſdem pontificibus fuit ad Afros, Hiſpanos, Galloſve eas mittere, quas variis provinciarum Italiæ præſulibus ſcripſerant litteras, tam pronum illis fuiſſe, ea viciſſim cum Italiæ præſulibus communicare, quæ Victricio Rotomagenſi, Exuperio Toloſano, Himerio Tarraconenſi, Heſychio Salonitano aliiſve reſponderant. Quodſi autem rogabis qua ratione & via vicinis & ad Romanam ſynodum pertinentibus epiſcopis eccleſiaſtica denuntiarent ſtatuta, rem tibi paucis expedit Sardicenſis ſynodus, cum ad Julium papam ſcribit: *Tua autem excellens prudentia diſponere debet, ut per* TUA SCRIPTA *qui in Sicilia, qui in Sardinia & in Italia ſunt fratres noſtri, quæ acta ſunt & definita cognoſcant*. Præterea ex verbis Innocentii ſuperius relatis, quibus Alexandro præſuli Antiocheno mandat ut ne cui epiſcoporum ſinat ignota eſſe ſua decreta, ſed ea vel omnibus in ſynodo coactis recitari, vel ſingulis ſeorſim mitti curet, ex his, inquam, verbis colligere eſt, quid Innocentius ipſe faceret, quid & facere ſolerent ejus deceſſores, quo ſtatuta ſua in eccleſiis Romanæ ſubjectis promulgarentur. Sed & Leonis magni teſtimonium e re noſtra eſt hoc loco non prætermitti, quippe quo uno tum confirmantur ea, quæ jam a nobis de condendorum ex cleri epiſcoporumve aſſenſu decretorum more dicta ſunt, tum illuſtrantur etiam quæ de illorum promulgatione heic diſceptamus. *Frequenter quidem*, inquit epiſt. 155. ad Neonem epiſcopum Ravennatem, *in diverſarum ambiguo quæſtionum titubantia fratrum corda, ſpiritu Dei inſtruente, ſolidavimus, reſponſionis formam vel ex ſanctarum ſcripturarum diſciplinis, vel ex patrum regulis colligentes*. En primo ſancti auguſtique fontes, e quibus manabant Romanorum præſulum decreta; en amuſſis, cujus ad fidem reſponſa ſua exigebant, Scripturæ ſcilicet ſacræ diſciplina, patrum regulæ. *Sed nuper*, ſequentia ſunt ipſius verba, *in ſynodo novum & inauditum antea genus conſultationis exortum eſt*. Quærebatur nimirum, denegandumne an concedendum baptiſma foret his, qui ab infantia in captivitatem abducti, ac deinde facti grandiores illud poſcerent, cum a ſe num acceptum jam eſſet nec ne, nec ſcirent ipſi, nec alius ullus teſtari poſſet. Pergit idem pontifex: *Cum itaque tribuere excubus Dominici ſacramenta myſterii non immerito quorumdam fratrum formido dubitarat, in ſynodali, ut diximus, cœtu formam hujuſcemodi conſultationis accepimus, quam diligentius diſcuti, & pro uniuſcujuſque ſenſu ſollicita voluimus ratione tractari, quo ad veritatem, adhibita cognitione multorum, certius pervenire poſſimus*. En de re perdifficili propoſita in ſynodali cœtu, ibidemque diſcuſſa quæſtio. Poſt hæc ſubjungit: *Eadem ergo, quæ in ſenſum noſtrum divina inſpiratione venerunt, frequens fratrum firmavit aſſenſio*. Poſtquam igitur, perpenſis æqua lance omnium arbitriis, decita res eſt & omnium calculo approbata, tum, datis ad abſentes generalibus ſive encyclicis litteris, decretum Leo promulgavit, cujus ad decreti calcem eſt illud notatu dignum: *Quam rem*, inquit, *fratres cariſſimi, ideo generaliter ad omnium veſtrum volumus notitiam pervenire, ne dum plus juſto metuitur, miſericordia Dei ſalvari cupientibus denegetur*. Erat illa ſane expeditiſſima promulgationis via. Frequentes celebrari ſynodos moris erat, ubi pontificibus facile fuit tum ſua cum epiſcopis condere, adeoque promulgare decreta, tum etiam ea publicare quæ ad exteros data fuerant. Si vero, ut fit, aberant a ſynodis nonnulli, aut nec ſynodos ipſa cogi licebat, proclive itidem fuit mitti exempla decretorum ad præcipuos provinciarum antiſtites, qui & ipſi deinde ceteris illa diſtribuebant eo facilius, quo viciniores erant. Decretis porro ſic publicatis, & epiſcoporum judicio atque conſenſu firmatis, tanta accedebat auctoritas, ut illis ſic tamquam legibus adſtringi putarent eos, quorum ad notitiam pervenerant.

Jul. epiſt. 3. n. 5.

Romani pontifices ſeſe toti Eccleſiæ

XLIX. Neque fuit Romanis pontificibus cura potior, quam ut inconcuſſa perſtaret harumce legum auctoritas: adeo ut, ſi quando forte illas vel incu-

ria

præpoſitos conniverunt, ut canonum defenſores eſſent & vindices.

ria epiſcoporum, vel quovis alio caſu nonnullis ignotas eſſe contingeret, nihilo minus tamen idoneis vellent pœnis multari eos qui per ignorantiam peccarent. Innocentius quippe ab Exſuperio Toloſano interrogatus *quid de his obſervare debeat, quos in diaconii miniſteriis aut in officio presbyterii poſitos, incontinentes eſſe aut fuiſſe generati filii prodiderint*, primum reſpondet: *De his & divinarum legum manifeſta eſt diſciplina, & beatæ recordationis viri Siricii epiſcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus poſiti, omni eccleſiaſtico honore priventur, nec admittantur accedere ad miniſterium, quod ſola continentia oportet impleri.* (*Innoc. epiſt. 6. n. 2.*) Tum quia injuſtum foret, ſcienter an imprudenter quis peccet, nullo haberi diſcrimine, graviori pœna damnat eos quorum ad notitiam venerint Siricii monita, leviori vero qui eadem ignoraverint. *Nam ſi*, inquit, *ad aliquos forma illa eccleſiaſticæ vitæ pariter & diſciplinæ, quæ ab epiſcopo Siricio ad provincias commeavit, non probabitur perveniſſe, his ignorationis venia remittetur, ita ut de cetero penitus incipiant abſtinere. Et ita gradus ſuos, in quibus inventi fuerint, ſic retentent, ut eis non liceat ad potiora conſcendere. Quibus in beneficio eſſe debet, quod hunc ipſum locum, quem retinent, non amittunt. Si qui autem ſciſſe formam vivendi miſſam a Siricio detegentur, neque ſtatim cupiditates libidinis abjeciſſe, illi ſunt modis omnibus ſubmovendi, qui poſt admonitionem cognitam, præponendam arbitrati ſunt voluptatem.* (*Ibid. n. 4.*) Qua in re videtur Innocentius reſpexiſſe ad ſententiam adverſus eoſdem clericos incontinentiæ reos a Siricio ſic pronuntiatam: *Quia aliquanti ignoratione lapſos eſſe ſe deflent, his hac conditione miſericordiam dicimus non negandam, ut ſine ullo honoris augmento in hoc, quo detecti ſunt, quam diu vixerint, officio perſeverent, ſi tamen poſthac continentes ſe ſtuduerint exhibere. Ii vero, qui illiciti privilegii excuſatione nituntur, ut ſibi aſſerant veteri hoc lege conceſſum, noverint ſe ab omni eccleſiaſtico honore, quo indigne uſi ſunt, apoſtolicæ ſedis auctoritate dejectos, nec umquam poſſe veneranda attrectare myſteria.* (*Siric. epiſt. 1. n. 11.*) Huc redit & ſententia ejuſdem papæ adverſus ordinationes non legitimas lata his verbis: *Quia in omnibus, quæ in reprehenſionem veniunt, ſola excuſatio ignorationis obtenditur, cui nos interim, ſolius pietatis intuitu, neceſſe eſt clementer ignoſcere: quicumque... ad ſacram militiam indebite & incompetenter irrepſit, hac ſibi conditione a nobis veniam intelligat relaxatam, ut in magno debeat computare beneficio, ſi adempta ſibi omni ſpe provectionis, in hoc quo invenitur ordine, perpetua ſtabilitate permaneat: ſcituri poſthac omnium provinciarum ſummi antiſtites, ſi ultra ad ſacros ordines quemquam de talibus crediderint aſſumendum, de ſuo & de eorum ſtatu quos contra canones & interdicta noſtra provexerint, congruam ab apoſtolica ſede promendam eſſe ſententiam.* (*Ibid. n. 19.*) Ita Siricius, dum in litteris ad provincias exteras, ſive ad ſynodum Romanam non pertinentes, conſcriptis, & ea reſecat quæ contra majorum inſtituta peccantur, & minas iis intentat qui in poſterum peccabunt, ſatis oſtendit pontifici Romano incumbere univerſi, qua patet, Chriſtiani orbis curam, certiſſimumque illi jus eſſe ſanctiones condendi, quibus & ea recidat, quæ legum integritatem lædunt, & decernat pœnas ne ſecure lædantur. Quæ Siricii ſententia probat illud a Cæleſtino quam aſſeveranter, tam vere dictum fuiſſe: *In ſpeculis a Deo conſtituti* (ſumus,) *ut vigilantiæ noſtræ diligentiam comprobantes, & quæ coercenda ſunt reſecemus, & quæ obſervanda ſunt ſanciamus.* (*Cæleſt. epiſt. 4 n. 1.*) Ut enim Joannes Doujat Prænot. canon. pag. 572. ſcite explicat, *leges* SANCTIONUM *nomine appellatæ ſunt, ab ea parte conſtitutionis, quæ clauſulam confirmatoriam* (continet,) *addita in infractores interminatione pœnæ; in quo* (id eſt in qua interminatione) *propria ſanctio conſiſtit.* Talis eſt illa Zoſimi ad Heſychium ſcribentis ſanctio: *Sciet quiſquis hoc*, (quod ſcilicet miſſis litteris interdixerat,) *poſtpoſita patrum & apoſtolicæ ſedis auctoritate, neglexerit, a nobis diſtrictius vindicandum: ut loci ſui minime dubitet ſibi non conſtare rationem, ſi hoc putat poſt tot prohibitiones impune tentari.* (*Zoſim. epiſt. 9. n. 4.*) Talis & Cæleſtini epiſt. 5. n. 3. *Quiſquis vero conatus fuerit tentare prohibita, ſentiet cenſuram apoſtolicæ ſedis.* Plenæ ſunt & aliorum pontificum litteræ decretales ejuſmodi minis, quas huc referre nec inſtituti nec otii noſtri eſt. Unum obſervamus, eos non quamlibet minari pœnam, ſed, ut ajebat modo Siricius, *congruam*. Quo verbo quid ſibi velit is papa, liquidius explicat Cæleſtinus in hunc modum: *Quæ enim ſola admonitionis auctoritate non corrigimus, neceſſe eſt per ſeveritatem* CONGRUENTEM REGULIS *vindicemus.* (*Cæleſt. epiſt. 4.*) Neque vero ille adhibendam hanc ſeveritatem dicit, ut privata quædam conſtituta defendat, ſed ut recidat *ea quæ in everſionem regularum novella præſumtione tentantur.* Ita & Siricius, cujus teſtimonio jam uſi ſumus, dum iis qui ſacros ordines illicite vel contulerint vel ſuſceperint, interminatur pœnas, non ſimpliciter ait, quia id tentatum contra interdicta noſtra eſt, *ſed contra canones & interdicta noſtra.* Innocentius quoque tametſi gravius puniendos cenſet clericos majores, qui poſt publicata Siricii monita continentiam non ſervaverint, tamen ſententiæ ſuæ non unam hanc reddit rationem, quod Siricii ſpreverint monita, ſed quod apoſtolicæ ſedis decreta divinis legibus manifeſte conſona violarint. *De his*, inquit, *& divinarum legum manifeſta eſt ſententia, & beatæ recordationis viri Siricii epiſcopi monita evidentia.* Ad hæc, Innocentius ſimul & Siricius, dum eos etiam plecti volunt, qui per ignorationem legis peccarint, dum & beneficii loco habendum eſſe dicunt quod iidem mitius plectantur, palam indicant jam præceſſiſſe leges, de quarum ſeveritate nonnihil remittant. Demum hic recolendum, quod ab eodem Siricio declaratum eſt, ac deinde his verbis ab Innocentio repetitum: *Litteras tales dare placuit, non quæ nova præcepta aliqua imperent, ſed quibus ea quæ per ignaviam deſidiamque aliquorum neglecta ſunt, obſervari cupiamus; quæ tamen* APOSTOLICA ET PATRUM CONSTITUTIONE *ſunt conſtituta.* (*Siric. epiſt. 3. n. 1. Innocent. ep. 3. n. 2.*)

L. Et hæc quidem, ut omittamus alia, delibaſſe ſatis eſt, quibus Romani præſules, quorum hic litteras damus, perſuaſum ſibi fuiſſe ducent, ſeſe a ſupremo omnium paſtore Chriſto in altiori ſpecula poſitos, ut non unam demum diœceſim, ſed totam, quam late patet, Eccleſiam circumſpicerent, & ubique cum apoſtolicas traditiones tum etiam ſynodalium canonum ſtatuta ſedulo ſancteque coli curarent: ubi vero eadem vel per ignorantiam lædi, vel negligi per deſidiam, aut etiam a nonnullis præ nimio novitatis ſtudio attentari deprehenderent, tum, quod ſuadet pacis & diſciplinæ amor, erudirent imperitos, erigerent deſides, novarum rerum amantes dedocerent. Demum ſi nihil promoverent monitis, hortationibus, minis, eas contumacibus irrogarent pœnas, quæ non ſolum ipſis prodeſſent ad emendationem, ſed etiam ceteris ad exemplum, & quæ canonum regulis & gravitati culparum reſponderent. Brevius dicam, eo ſpectant omnia illorum ſcripta, ut hanc ſibi tota in Eccleſia poteſtatem datam probent, qua canonum & defenſores eſſent & vindices. Tametſi vero ut id muneris fungerentur, plurima edidere ac publicavere decreta, tamen hæc in Codicem canonum referri nuſquam ab iis juſſum legimus. Quare videat qui aliud ſibi cum erudito Leonis operum editore perſuaſerunt, qua ratione id confirment, ea nimirum una in promulgatis eſſe habita, quæ in publicum illum Codicem admitterentur. Nunc ad ſe nos vocant præcipui canonum Codices, de quibus hic paulo fuſius diſſerendi eſt locus.

PARS SECUNDA.

De antiquis canonum Collectionibus.

Regulis traditis Eccleſiam primis ſæculis uti cœpiſſe.

LI. Eccleſia cum ſit ex multis diverſiſque membris conflatum corpus, ſine legibus nec regi nec ſtare umquam potuit. Nectendi erant inter ſe homines moribus diſpares, locis infiniti, multitudine innumerabiles; atque ita nectendi, ut alii præeſſent, parerent alii; eſſetque mens univerſa quædam in omnes diffuſa, quæ præpoſitos æque

Digitized by Google

Pars II. De antiquis canonum collectionibus.

ac ſubditos animaret. Hinc a primo fundatæ religionis ævo poſitæ leges, quibus ſuum cuique definiebatur officium atque munus: hinc de ordinationibus & vita clericorum, de ſacramentorum ac liturgiæ ritibus, de eccleſiaſticis judiciis, deque aliis diſciplinæ capitibus ſanciti canones, quorum deſcriptione tota Chriſtianæ reipublicæ moderatio continebatur. Sane regulas illas, ut omnibus notas, paſſim commemorat ſynodus Nicæna, uti legere eſt canonibus 6. 9. 10. 13. 16. & 18. Neque dubium eſt quin earum pleræque Apoſtolos auctores atque inſtitutores habuerint. Ac nominatim quidem de ſucceſſionibus epiſcoporum traditam ab Apoſtolis regulam citat Clemens epiſt. 1. ad Corinthios n. 44

Unde Clementi attributi ſint Apoſtolorum canones, ut & Conſtitutiones.

Idemque pontifex, quantum ex monimentis veterum conjicere poſſumus, alias id genus ſanctiores colligi aut eccleſiis diverſis ſervandas tradi curavit. Unde factum arbitramur, ut & apoſtolicarum Conſtitutionum libri, & Apoſtolorum nomine vulgati canones ipſi adſcriberentur. Solent quippe hujuſmodi opera, licet variis ſubinde incrementis augeſcant, ejus nomine deinceps inſcribi, quo primum auctore cœpta ſunt. Quod idem credimus his contigiſſe regulis, quæ ſæpius apud veteres *apoſtolicarum* titulo inſigniuntur. Quia enim pleraque apoſtolico ex fonte profluxerant, ideoque dictæ apoſtolicæ, placuit eodem nomine appellari & eas, quæ deinceps illis additæ ſunt, & a proximis Apoſtolorum ſucceſſoribus ſancitæ. Ceterum palam eſt primarios illos religionis duces, ſimul ut eccleſias fundarunt, tradidiſſe leges, quibus eas regi, & naſcentes controverſias componi oporteret. Verum illæ tametſi erant tanti ad Eccleſiæ adminiſtrationem momenti, tamen ſero admodum unum in corpus compactæ ſcriptoque mandatæ prodierunt. Vivebant in corde ſacerdotum cum traditione, tum quotidiano eccleſiarum uſu impreſſæ: at eas in omnium oculis evulgare ducebatur nefas; ut qua cautione fides, eadem & diſciplina tractaretur. Fuit illud ad quintum uſque ſæculum in uſu ac more poſitum, ut Apoſtolorum ſymbolum, oratio Dominica, aliaque complura fidei arcana fidelium cordi, non chartæ, committerentur. Norunt omnes quam accurate, quoties de Euchariſtia ſermo incidebat, circumſpicerent ſancti Patres, ne quam emitterent voculam, qua myſterium non ethnicis modo, ſed vel etiam catechumenis prodi poſſet. Quin ad Decentium, eumque epiſcopum, ſcribens Innocentius, ea, quibus Confirmationis ſacramentum conficitur, *verba dicere ſe non poſſe ait, ne magis prodere quam ad conſultationem reſpondere* videretur. Neque minor fuit diſciplinæ tegendæ cura. Luculentum eſt ea de re Baſilii magni teſtimonium, quod vel unum inſtar omnium eſſe poteſt. Is in libro de Spiritu-ſancto cap. 27. plurimos recenſet diſciplinæ ritus, nullis conſignatus litteris, ſed ut ejus verbis utamur, *ex Apoſtolorum traditione in myſterio, id eſt in occulto, acceptos. Ut enim*, inquit, *ſigno crucis eos, qui ſpem collocarunt in Chriſtum, ſignemus... ut ad Orientem verſi precemur, quis ſcripto docuit?... Conſecramus aquam baptiſmatis & oleum unctionis, præterea ipſum qui baptiſmum accipit, ex quibus ſcriptis? nonne ex tacita ſecretaque traditione?... Quod ter immergatur homo, unde hauſtum? Nonne ex doctrina quam patres noſtri ſilentio quieto minimeque curioſo tectam retinuerunt?* Mox ſilentii hujus rationem reddit: *Pulcre quidem illi edocti erant, myſteriorum majeſtatem ſilentio conſervari. Nam quæ nec intueri fas eſt non initiatis, qui conveniebat horum doctrinam publicitus circumferri ſcripto?* Hæc religio patrum noſtrorum erat! Verum poſt partam Eccleſiæ tranquillitatem, poſt dilatatos ejus fines & in immenſum auctos, ſuccreſcentibus in dies hæreſum, ſchiſmatum vitiorumque zizaniis, erupit tandem in publicum & in orbis totius luce viſus ſervatuſque eſt eccleſiaſticæ diſciplinæ ordo. Convenere palam & frequentius ad eum vel confirmandum ne laberetur, vel, ubi collapſus erat, reſtituendum epiſcopi; ac prout poſtulabat temporum aut regionum varietas veteres regulas novis auxerunt illuſtraruntque. Conſulti etiam undique Pontifices Romani, pro ea qua valent in Eccleſiam totam auctoritate, miſſis deceſſorum ſuorum more decretis, emendarunt protinus quidquid in Apoſtolorum ſynodorumque leges aut mollitie paſtorum, aut ſuperborum hominum improbitate peccabatur. Hinc immenſa illa ſynodicorum canonum, decretorumque pontificiorum multitudo, quibus in colligendis aliam alii dum tenent viam, enata eſt multiplex Collectionum ſeges. Et navaverunt illi ſane compilatores operam, nec privatis quibuſque eccleſiis, nec univerſæ infructuoſam. Dum enim ſuæ tum ætatis tum regionis hominibus ſinguli prodeſſe ſtudent, omnium aut fere omnium eccleſiarum canones ituſque ad nos tranſmittunt. Et hi ſunt vetuſtiſſimi fontes, quorum præſertim ductu & canali ad nos fluxere veteres illæ, quas damus, pontificum Romanorum litteræ. Jam vero cum de illorum auctoritate ac origine non una ſit inter ævi noſtri ſcriptores controverſia, nec una etiam, ut nobis videtur, hallucinatio; res ipſa hortari videtur ut de præcipuis ſaltem, nam de ſingulis nec libet nec licet, heic diſſeramus.

Innoc. ep. 25. n. 4.

§. I.

De antiqua collectione, quæ apud Græcos ante concilium Chalcedonenſe & poſt viguit. An etiam apud Latinos ſit recepta.

Codex canonum in ſynodo Chalcedonenſi laudatus. *Lab. to. 4. pag. 537.*

LII. Græcis ante concilium Chalcedonenſe ſuum fuiſſe canonum Codicem ex ipſomet concilio patet. Nam in actione quarta, ubi tum Caroſi & Dorothei, tum aliorum etiam qui ab his ſtabant, cauſſa diſcutitur, *ſancta ſynodus dixit: Sacri patrum canones legantur, & commentariis inſerantur. Sumtoque libro Aetius archidiaconus & primicerius magnæ eccleſiæ legit: Canon octogeſimus tertius*, (id eſt Antiocheni concilii quartus,) *Si quis epiſcopus aſynodo depoſitus &c. Alius canon octogeſimus quartus*, (ſeu Antiochenus quintus,) *de iis qui ſe ipſos ſeparant, Si quis presbyter aut diaconus &c.* Item in actione quinta, ubi de Photio & Euſtathio res erat, *magnificentiſſimi & glorioſiſſimi judices dixerunt, Legantur regulæ. Atticus reverendiſſimus epiſcopus Nicopolis Epiri legit:* CCCXVIII. *ſanctorum patrum, qui Nicææ convenerunt, canon quartus, Epiſcopum maxime quidem convenit &c.* Demum in actione xi. *Stephanus reverendiſſimus epiſcopus Epheſi dixit: Suppl*ico *ut canones relegantur, qui dicunt ut is qui in alia civitate ordinatus eſt, conſtitui non poſſit in altera. Glorioſiſſimi judices dixerunt: Relegantur hi canones. Leontius reverendiſſimus epiſcopus Magneſiæ ex Codice relegit regulam nonageſimam quintam*, (hoc eſt Antiocheni concilii canonem 15) *Si quis epiſcopus vacans &c. Idem reverendiſſimus Leontius epiſcopus ex eodem Codice legit regulam nonageſimam ſextam* (ſeu Antiochenum canonem 16.) *Si quis epiſcopus ordinationem acceperit epiſcopatus &c.*

pag. 548. *pag. 692.*

Qualis fuerit Græcorum Codex ante & poſt concilium Chalcedonenſe.

LIII. Cujuſmodi vero fuerit ille Codex, quibuſve ſynodicis decretis, & qua ratione diſpoſitis conſtiterit, in prima Dionyſianæ collectionis parte cernere eſt. Dionyſius quippe ab epiſcopo Stephano rogatus ut Codicem hunc græcum latinitate donaret, teſtatur ſic a ſe confectum eſſe opus, ut in canonibus diſponendis eum tenuerit ordinem, quem in exemplari græco ſervatum eſſe deprehenderat. Diſerta ſunt hæc ejus præloquii verba, quibus totam operis ſui formam ac methodum Stephano exponit: *Regulas Nicænæ ſynodi, & deinceps omnium conciliorum, ſive quæ ante eam, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, uſque ad ſynodum CL. pontificum qui apud Conſtantinopolim convenerunt, ſub ordine numerorum, id eſt a primo capite ad centeſimum ſexageſimum quintum, ſicut habetur* IN GRÆCA AUCTORITATE, *digeſſimus*. Planum hoc quidem & præciſe dictum. *Græcæ auctoritatis*, ſive græci Codicis ordini reſpondet latinæ interpretationis ordo. Alterum qui norit, primum norit. Atqui in prima Dionyſianæ collectionis parte canones ſic diſpoſitos videmus, ut Nicæni frontem occupent, ſequantur deinde Ancyrani, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Antiocheni, Laodiceni, Conſtantinopolitani, omnes in 165. capita digeſti; atque ea digeſti ſerie numerorum, quam in citandis horumce canonum nonnullis ſecuta eſt ſynodus Chalcedonenſis. Hinc igitur exploratum eſt, Codicem canonum, qui ante ſynodum Chalcedonen-

Dionyſ. exig. præf. in 1. part. coll.

nenſem obtinebat apud Græcos, nec aliis nec aliter diſpoſitis decretis conſtituiſſe. Quod & confirmat idem Dionyſius, dum verbis proxime allatis ſubjicit: *Tum ſancti Chalcedonenſis concilii decreta ſubdentes, in his græcorum canonum finem eſſe declaramus.* Unde conficitur, Græcorum Codici, a ſynodi Chalcedonenſis ævo ad Dionyſium uſque, canones additos omnino nullos fuiſſe, niſi Chalcedonenſes. Erravit igitur Chriſtophorus Juſtellus, cum *Eccleſiæ univerſæ* Codicem appellavit eum, quem in fronte *Bibliothecæ juris canonici veteris* vulgavit. Et certe qui Codex Epheſinos canones Chalcedonenſibus præmiſſos habet, uti habet re vera Juſtellianus, is ne Græcorum quidem ſæculo v. labente Codex erat, nedum *Eccleſiæ univerſæ*.

An Græcorum Codex ullo pacto inſcribi queat *Codex Eccleſiæ univerſæ*.

LIV. At vero, ſi ex eo demantur Epheſini Chalcedonenſeſque canones, an non cenſeri tum poterit is eſſe Codex, qui *Eccleſiæ univerſæ* uſui fuerit ante ſynodum Chalcedonenſem? Ne iſtud quidem erudito viro largiri prorſus licet. Sane Codicem illum Innocentii ævo ignorabat eccleſia Romana, quippe quæ Nicænos canones, quibus adjuncti erant & Sardicenſes pro Nicænis habiti, recipiebat approbabatque, ac præterea nullos. Quo pertinent hæc ejuſdem pontificis epiſt. 5. ad Theophilum verba: *Sub teſtibus Nicæni concilii canonibus (alium canonem Romana non admittit eccleſia) ſecuritatem habebis*. Immo non in Romana ſolum, ſed in tota etiam, quam late patet, Eccleſia catholica recipiendos unos canones Nicænos docet idem pontifex epiſt. 7. o. 3. *Quod*, inquit, *canonum obſervantiam attinet, ſolis parendum eſſe dicimus, qui Nicææ definiti ſunt, quos ſolos ſectari & agnoſcere debet Eccleſia catholica.* Neque id generatim pronuntiare ſatis habet; ſtatim de canonibus Antiochenis, quos a Chryſoſtomi adverſariis citatos noverat, ſubjicit: *Sin autem a quibuſdam aliis proferantur, qui a Nicænis diſſentiant, & qui ab hæreticis compoſiti eſſe arguantur, hi ab epiſcopis catholicis rejiciuntur. Nam quæ ab hæreticis ſunt excogitata, catholicis regulis adjungere non licet.* Quantum igitur aberat, ut ab Innocentio reciperetur is Codex, in quem relati Antiocheni canones eccleſiaſticis regulis accenſebantur! Neque difficile fuerit idem in Leone oſtendere. Quemadmodum enim Antiochenos canones Innocentius, ſic & Leo Conſtantinopolitanos, qui Codici eidem inſerti ſunt, admiſit numquam, immo & ſibi ab Anatolio objectos his rejecit verbis; *Perſuaſioni tuæ in nullo penitus ſuffragatur quorumdam epiſcoporum* (id eſt, CL. Conſtantinopoli congregatorum) *ante ſexaginta, ut jactas, annos facta conſcriptio, numquam a prædeceſſoribus tuis ad apoſtolicæ ſedis tranſmiſſa notitiam: cui ab initio ſui caducæ dudumque collapſæ ſera nunc & inutilia ſubjicere fulcimenta voluiſti, eliciendo a fratribus* (Chalcedone congregatis) *ſpeciem conſenſionis*, qua videlicet regiæ urbis antiſtiti ſecundus in Eccleſia locus confirmaretur. Unde conficitur ut Leo Codicem illum, in quo perſcripti erant hujuſmodi canones, neque a ſe recipiendum, neque ab ullo deceſſorum ſuorum receptum eſſe duxerit.

Leo epiſt. 97. n. 6.

Fruſtra obtenditur Leonem ejus auctoritate uſum eſſe.

Juſtell. to. 1. pag. 16.
Leo. epiſt. 44. n. 2.

LV. Tamen eumdem papam hujus Codicis auctoritate uſum eſſe pro certo ponit Juſtellus, idque Leonis ipſius teſtimonio fultum putat. Quodnam vero iſtud? Nimirum Theodoſio ſuadere volens ſanctiſſimus præſul concilium generale cogi oportere, ut Flaviani cauſa excutiatur, ait: *Quam autem poſt appellationem Flaviani hoc neceſſario poſtulatur canonum Nicææ habitorum decreta teſtantur, quæ a totius mundi ſacerdotibus ſunt conſtituta quæque ſubter annexa ſunt.* Unum id erudito viro abunde fuit, cur ab Leone laudatum receptumque Codicem ſuum affirmaret. Sed quid illum hæc juvant? Nulla ibi Codicis, nulla peculiaris ullius canonis, quem contineret is Codex, mentio eſt. At ſi ipſum audis, SUBTERANNEXORUM *voce intelligi par eſt canones conciliorum, qui a Nicæno ad Conſtantinopolitanum numerorum ſerie in unam collecti in veteri Codice canonum reperiuntur.* Itane vero intelligi par eſt a Leone admiſſos eſſe Conſtantinopolitanos canones, quos ab eodem plane repudiatos fuiſſe jam probavimus? Præterea quis credat ſapientiſſimum præſulem adeo imprudenter inconſiderateque feciſ- A ſe, ut quod ſuo ſynodique Romanæ nomine Imperatori ſuadere vellet, id generatim laudatis Nicænis aliiſque ſubter annexis canonibus probare ſatis habuerit, nihil allegaverit quod ea de re præciſe ac ſpeciatim decretum eſſet: hoc eſt, totum Codicem, quantus quantus eſt, Imperatori propoſuerit evolvendum? Habet ſane quandoque locum vaga hæc & confuſa argumentorum prolatio, ubi de re agitur pervulgata; ſin vero agitur de abſtruſa & minus nota, proferuntur præciſæ auctoritates, quibus veritas ſtatim in oculos incurrat. Porro Leoni haud ſatis conſtabat, Theodoſio indubitatum id eſſe, quod ipſi volebat perſuaſum. Quapropter ad epiſtolæ ſuæ calcem ſubnexuit ea, quæ fidem afferrent, decreta, B hoc eſt, ut in græcis quibuſdam ejuſdem epiſtolæ exemplaribus legitur, canonem quartum Sardicenſem, qui pro Nicæno habebatur. Neque tantum Leo Conſtantinopolitanos reſpuit canones, ſed & longe poſtea Gelaſius papa epiſt. 23. n. 10. epiſt. 33. n. 55. & alibi eoſdem eccleſiæ ſuæ hactenus ignotos fuiſſe confirmavit. Immo & Gregorius I. libri olim 6. Indict. 15. hoc eſt anno 599. epiſt. 32. ad Eulogium Alexandrinum epiſcopum ſcribit: *Romana eccleſia eoſdem canones* (Conſtantinop.) *vel geſta ſynodi illius hactenus non habet nec accepit: in hoc autem eamdem ſynodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum.* Quibus ex verbis cerni licet, ſæculo ſexto exeunte necdum ab eccleſia C Romana receptum eſſe totum Codicem illum, in quo Conſtantinopolitani canones conſignati leguntur.

Quomodo paullatim a Latinis receptus ſit.

LVI. Ejus quidem auctoritate, uti ſupra eſt a nobis probatum, in decidendis epiſcoporum cauſſis uſa eſt Chalcedonenſis ſynodus. At illæ Græcorum cauſſæ erant; neque mirum eſt cauſſas Græcorum ex regulis apud Græcos receptis dijudicatas fuiſſe. Fatendum tamen eſt, prædicto Codici, ſeu regulis ipſo contentis, acceſſiſſe non parvam ex hoc exemplo auctoritatem, maxime poſt conditum ab eadem ſynodo canonem hunc primum: *Regulas ſanctorum patrum per ſingula nunc uſque concilia conſtitutas proprium robur habere decrevimus.* Deinceps vero ut a D Latinis reciperetur, non parum fecit ejuſdem interpretatio latina, quam Romæ monachus Scytha Dionyſius exiguus adornavit. Subinde enim, licet canones illos omnes, ut ex allato Gregorii loco liquet, non ſine quadam exceptione admiſerit eccleſia Romana, iis tamen uti paullatim aſſuevit. Certe quos rejecerat Innocentius I. Antiochenos canones, eos anno 534. accepit Joannes II. ex hiſque quartum & quintum-decimum una cum Apoſtolorum canonibus 25. & 29. ad Cæſarium Arelatenſem epiſcopum miſit, quo ex eorum præſcripto judicaretur Contumelioſi cauſſa. Eoſdem alioſque græcos una cum Dionyſii collectione ab Afris receptos eſſe docet tum Breviatio canonum Ferrandi Carthaginienſis diaconi, E tum etiam & canonicum Creſconii Breviarium. Immo necdum venerat Romam Dionyſius, cum jam latinis litteris traditi, in eaque urbe vulgati erant prædicti canones Græcorum. Erudito quippe illi monacho, ut eorum interpretationem aggrederetur, auctor fuit epiſcopus Salonitanus, non quia nulla tunc erat, ſed quia minus placebat vetus. Et hanc quidem veterem interpretationem etiamnum aſſervant antiquæ tres canonum collectiones latinæ, quarum nulla quidquam habet Gelaſio aut Gelaſii ſucceſſore Symmacho, hoc eſt ipſius Dionyſii ævo, recentius. Eamdem quoque retinuit Hiſpana collectio Iſidori Hiſpalenſis epiſcopi temporibus concinnata, unde & illam Iſidorus Mercator accepit. Quamobrem negandum non videtur F Codicem, qui ante Chalcedonenſem ſynodum proprius Græcorum erat, Eccleſiæ univerſæ communem evaſiſſe ante ſæculi ſexti exitum; ita tamen, ut ejus canones nec reciperentur omnes, nec pari auctoritate donarentur.

Dionyſ. epiſt. 4. n. 3.

Qui falſus & fallax titulus ei a Juſtello inditus.

LVII. At vero, inquiet aliquis, ſi res ita eſt, ut fatemur, potuit igitur, & vere potuit Juſtellianus Codex *Eccleſiæ univerſæ Codex* nuncupari? Nihil minus. Falſa & fallax inſcriptio eſt. Enimvero quid illa menti aliud objicit, niſi Codicem hunc unum, eumque, totum aliquando in Eccleſia univerſa, hoc eſt græcum contextum in græca, in lati-

Digitized by Google

Pars II. de Antiquis Canonum Collectionibus.

latina vero latinum, obtinoiſſe, ac præterea canones eo receptos eſſe ordine, quo ibidem diſpoſiti repræſentantur? Atqui ſi quis ejuſmodi unquam Codex fuit, certe Juſtellianus non fuit. Et primo quidem ad interpretationem latinam quod attinet, aliam prope nullam exhibet Juſtellus præter Dionyſianam, qua ſe ubique fere uſum eſſe confitetur. Sed Italis, antequam Romam adiret Dionyſius, ſed Gallis, ſed Hiſpanis etiam poſtea, in uſu fuit interpretatio, non Dionyſiana, verum alia quædam vetus, ac præterea nulla. Deinde jam de canonibus id conſtat, perdiu fuiſſe, cum ex his admitteret alios eccleſia latina, alios vero repudiaret. Immo ubi omnes admittere occœpit, nec eos admiſit ſolos, nec eo ordine quo in Juſtelli Codice diſponuntur. Demum Epheſini canones, quos idem continet Codex, ne in græco quidem exemplari, nedum in latinis quæ ex illo fluxere, comparebant Dionyſii exigui ævo, uti probavimus.

Titulus Juſtelliano Codici congruens.

LVIII. Videtur ergo melius accuratiuſque inſcribi poſſe Juſtelliana collectio: *Canonum Codex, qualis in eccleſia græca medio ſæculo ſexto obtinebat.* Certe id circiter temporis in eccleſiaſticarum legum numero haberi cœperunt apud Græcos Epheſini canones, adeoque in illorum Codicem referri, uti hodieque cernuntur in Juſtelliano. Cujus rei fidem abunde facit Juſtiniani imperatoris Novella 131. anno 541. data. *Sancimus*, inquit religioſus princeps, *vicem legum obtinere ſanctas eccleſiaſticas regulas, quæ a ſanctis quatuor conciliis expoſitæ ſunt, aut firmatæ hoc eſt in Nicæna trecentorum decem & octo, & in Conſtantinopolitana ſanctorum centum quinquaginta patrum, & in Epheſina prima, in qua Neſtorius eſt damnatus, & in Chalcedonia, in qua Eutyches cum Neſtorio anathematizatus eſt. Prædictarum enim quatuor ſynodorum dogmata ſicut ſanctas ſcripturas accipimus, & regulas ſicut leges obſervamus.*

Codex Græcorum ſub exitum ſæculi VII.

LIX. Proceſſu vero temporis canones alios Codici ſuo adjecere Græci, uti cerni licet ex Trullanæ ſynodi anno 692. habitæ canone 2. quo decernitur recipiendos eſſe 85. canones Apoſtolorum nomine traditos, necnon & eos qui Nicææ, Ancyræ, Neocæſareæ, Gangris, Antiochiæ, Laodiceæ, Conſtantinopoli, Epheſi, Chalcedone, Sardicæ atque Carthagine conditi ſunt, una cum canonicis epiſtolis Dionyſii, Petri, Athanaſii, Timothei, Theophili ac Cyrilli Alexandrinorum præſulum, item Gregorii Thaumaturgi, Baſilii Cæſarienſis, Gregorii Nyſſeni Gregorii Theologi, Amphilochii Iconienſis, & Gennadii patriarchæ CP. Suſcipit & eadem ſynodus editum a Cypriano ejuſque concilio canonem de baptiſmo hæreticorum. Simul etiam fatetur, apoſtolicis illis canonibus, quos admittit, præceptum eſſe, *ut eorumdem ſanctorum Apoſtolorum per Clementem conſtitutiones ſuſciperentur:* at quominus hunc præcepto pareant, obſtare improbitatem hæreticorum, qui falſis eas dogmatis adulterarant. Ita quis qualiſque fuerit Græcorum Codex ante ac poſt habitam Chalcedonenſem ſynodum ad Dionyſium uſque, Dionyſius ipſe docet; quæ vero ſubinde illi factæ ſint acceſſiones, ex Juſtiniani Trullanæque ſynodi decretis comperimus. Jam, quod noſtra potiſſimum refert, de Latinorum Codice, quibus ſtatutis conſtiterit, quam habuerit auctoritatem, & alia id genus plura inquirere aggrediamur.

§. II.

De antiquis canonum Codicibus in Occidente adornatis, nominatimque de Collectione in pervetuſto exemplari Corbejenſi aſſervata.

LX. Quod Cæleſtinus I. epiſt. 5. n. 1. ad epiſcopos Apuliæ ac Siciliæ ſcribit, *Nulli ſacerdotum ſuos licet canones ignorare, nec quidquam facere quod patrum regulis poſſit obviare*, argumento eſt ſuum eccleſiæ Romanæ, ut & aliis, canonum Codicem olim fuiſſe, ſive ille publica, ſive privata auctoritate pervulgatus ſit. Fruſtra enim id præciperet ſapientiſſimus papa, niſi penes ſacerdotes Codex eſſet, unde eccleſiaſticarum legum notitiam haurire poſſent. Siricius item, longe ante Cæleſtinum, epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem epiſcopum n. 21. reſcripſerat: *Statuta ſedis apoſtolicæ, vel canonum venerabilia definita nulli ſacerdotum ignorare ſit liberum.* Unde confirmatur id quod volumus; ac præterea manifeſtum eſt Codicem illum non modo canonum decretis, ſed etiam ſedis apoſtolicæ ſtatutis conſtitiſſe. Jam igitur ab Siricii ævo cum Nicænis Sardicenſibuſque canonibus ſuperiorum etiam pontificum ſtatuta complectebatur eccleſiæ Romanæ Codex. Crevit ille ſenſim, noviſque canonum additamentis auctior factus eſt: quibus & ſequentium apoſtolicæ ſedis præſulum ſanctiones tum Romana tum etiam ceteræ Occidentis eccleſiæ adjunxerunt. Certe quadruplicem ad nos perveniſſe novimus canonum collectionem, quarum nulla quidquam continet Symmachi ævo recentius. Earum prima in codice Corbejenſi, altera in Codicis a Queſnello vulgati exemplaribus, tertia in pervetuſto bibliothecæ Colbertinæ libro aſſervatur, poſtrema denique ipſa eſt, quam Dionyſius exiguus concinnavit. Quas inter collectiones id quidem convenit, quod in ſingulis repræſententur conciliorum apoſtolicæque ſedis decreta ſimul conjuncta; hoc vero intercedit diſcrimen, quod hæc ipſa decreta in aliis minus, plus in aliis a ſynodicis canonibus diſtinguantur. In prima nimirum & ſecunda miſcentur temere, in tertia non ita confuſe, in poſtrema demum ſuo quæque ordine ſuoque loco hinc ſynodici canones, hinc pontificum ſtatuta collocantur. Qua Dionyſii methodo, ut naturæ magis accommodata uſi deinde ſunt plerique alii, qui compilandis id genus monimentis operam navarunt ſuam.

Corbeienſis codex medio ſæculo VI. exaratus.

LXI. Ordimur ab ea collectione, quæ Corbejenſi codice continetur, propterea quod & omnium, quos viderimus, codicum is vetuſtiſſimus eſt, ac præterea ex alio quodam antiquiori, non ſine additamentis aliquot, deſcriptus. Romanis nempe, ſive ut vocant uncialibus, litteris, ſine ullo vocum intervallo, totus exaratus eſt, præter notas aliquot Merovingico charactere expreſſas. Canonum Codici præmittitur Romanorum præſulum catalogus in Vigilii papæ anno XIV. deſinens. Unde codicem ipſum ſæculo ſexto, eoque medio, deſcriptum eſſe, colligimus. In fronte autem decretorum hæc librarii legitur inſcriptio: *Qui leges, ora pro me, & cave ne his regulis contra eas, & ſententiam iſtius ſeveritatis vel cenſuræ incurras.* Quibus antiquarii verbis docemur, perſuaſum illi fuiſſe, quas complectitur is codex regulas, eas non epiſcopis modo ad eccleſiarum ſuarum adminiſtrationem, ſed clericis omnibus immo & laicis, ad informationem morum eſſe poſitas; ut nemo ad illarum normam componere ſe, nemo, qui eas violaverit, cenſuræ pœnas ſubire non debeat.

Regulas continet, quibus obſequendum.

LXII. Leguntur deinde, quæ tituli loco ſunt, hæc verba: *Incipiant conſtitutiones canonum Anquirit.* quibus ſubjicitur notatu digna hæc præfatio: *Oſius epiſcopus dixit, Quoniam multa * prætermiſſa ſunt, quæ ad robur eccleſiaſticum pertinent, quæ jam priori ſynodo Anquiritanu, Cæſarienſi* (ſeu *Neocæſarienſi,*) *Granienſi* (hoc eſt Gangrenſi) *conſtituta ſunt, & nunc præ manibus habentur; præcipiat beatitudo veſtra, ut lectione pandantur, quo omnes acta modo innoteſcant* (ceu *noſcant,*) *quæ a prioribus noſtris acta ſunt recitentur. Et recitata ſunt.* Quibus verbis proxime adjungitur: *Cum apud urbem Anquiritanam ventum fuiſſet, Marcellus Anquiritanus, Vitalis Antiochenus, Philadelphus Juliopolitanus, Heraclius Gelialeaſis, Miniſtius Laodicenſis, * Marceſſus Merragienſis, Lupus Tarſenſis, Baſilius Amaſenus, Euſtolus Nicomedienſis, Petrus Nicaaenſis, Sergianus Antiochenus; hæc ſtatuta ſunt ab his quæ infra ſcripta ſunt.* Sequuntur deinde ex antiqua interpretatione Ancyrani canones, quibus & ſubnectuntur Neocæſarienſes, ſive, ut in eodem illo exemplari & in aliis Codicis a Queſnello vulgati conſtanter legitur, Cæſarienſea cum hac præfatiuncula, *Conveaientibus in unum ſanctis ac venerabilibus epiſcopis in urbem Cæſaream, Vitalis, Germanus, Gregorius, Alfius, Salaminus, * Redus, Decatius, Heraclius, Leontius, Stephanus, Eticius, Lupus, Valcatinus, Gerontius, * Parceſſus, Longinus, Sanctus, & ceteri ſtatuerunt.* Quibus ſtatutis item ex antiqua interpretatione expreſſis, id ſubjicitur: *Incipit ſynodum Gangrenſem.*

Oſii præfatio decretis Ancyranis, Cæſarienſibus & Gangrenſibus præfixa.

* *forte* præmiſſa.

* infra in concilio Cæſarienſi *Parceſſus*.

* Quidam mſſ. *Redux, Dieſius*.

* in Ancyran. concil. *Marceſſus*. In mſ. S. Huberti, *Kareſſus*.

Dumi-

Digitized by Google

Dominis honorabilibus conſacerdotibus in Arminia conſtitutis Euſebius, Eugenius, Olympius, Hilarius, Baſilius, Eulalius, Gregorius, Papius, Raſſus, Eugenius, Pilitus (ſeu *Philetus*,) *Epatus, item Eugenius, Bytinius, Eraclis, Proeretius, qui convenerunt in Grangeſim concilium, in Deo ſalutem. Quoniam conveniens ſancta ſynodus* &c. hoc eſt reliqua hujus ſynodi geſta. Sed ſynodi Gangrenſis canonem 20. inter & 21. ſive ſynodi ejuſdem clauſulam, plura occurrunt aliena, eaque manifeſto librarii vitio interpoſita, nimirum epiſtolæ Innocentii ad Decentium, Zoſimi ad Heſychium, item Innocentii ad Victricium, ad Exſuperium, ad Macedones, Cæleſtini ad epiſcopos per Apuliam & Calabriam conſtitutos, Leonis quinque ad diverſos epiſcopos, Preces epiſcoporum ad imperatores Valentinianum, Theodoſium & Arcadium, Breve ſtatutorum ad Africam pertinentium, Telenſe denique ſeu Teleptenſe concilium. Scilicet antiquario illi, ut conjectura eſt, dum concilii Gangrenſis canones exſcribebat, occurrit fortuitum aliquod exemplar, in quo varia hæc monimenta exſtabant, quæ, quia pertinent ad eccleſiaſticæ diſciplinæ regulas, ſuam in Collectionem ſtatim retulit, caſum potius quam conſilium ſecutus. Hinc perturbata illa & inconcinna rerum diſpoſitio. Hinc ad illorum quæ memoravimus monimentorum calcem, rejecta ſynodi Gangrenſis concluſio eſt, cui concluſioni ſtatim ſubjiciuntur concilii Nicæni geſta. Certe poſtulabat Oſii præfatio in hujus codicis limine deſcripta, ut ſynodorum acta eo diſponerentur ordine, quo ab eodem Oſio recenſentur: nimirum ut is præfigeretur titulus, *Incipiunt conſtitutiones Nicænæ ſynodi*, ac deinde nomina epiſcoporum, qui ſynodo interfuerunt, ſubjicerentur, tum ſequeretur Oſii præfatio, quam Ancyrani, Cæſarienſes ſeu Neocæſarienſes, Gangrenſeſque canones exciperent, ac deinde ſuum rejectis in locum variis illis, quæ principium inter & finem Gangrenſium geſtorum collocata ſunt, monimentis, Nicæni canones exhiberentur.

Tres ſynodi anteriores in Nicæna confirmatæ.

LXIII. His ita poſitis, quam multa non levis momenti ex uno Oſii præloquio comperimus? Hinc primum emendatur ſimul & illuſtratur quod Florentino in concilio ſeſſione 7. Ferrariæ habita pag. 122. minus accurate legimus dictum: *Ante primam ſynodum* (generalem) *multæ aliæ ſynodi celebratæ ſunt, Antiochiæ adverſus Paullum Samoſatenum, Ancyræ contra eos qui non ſuſcipiebant accedentes ad fidem, quod prius Chriſtum abnegaſſent per tormenta, & Neocæſareæ tertia: quas omnes ſynodos recepit ſynodus Nicæna.* Verba ſunt Andreæ Rhodii, in quibus non ille quidem tota re, ſed unius ſynodi nomine appellando erravit. Quod enim tres ait ſynodos in Nicæna relectas eſſe, plane cum exemplari Corbejenſi conſentit; cum eodem vero pugnat, quod in Gangrenſis locum ſubſtituat Antiochenam. Porro Antiochenæ potius ſubrogandam eſſe Gangrenſem perſuadet, uti jam diximus, ſuperius allata Oſii præfatio. At enim quænam Oſius poſtulavit relegi conciliorum decreta? Ea nimirum *quæ ad robur eccleſiaſticum pertinent*. Quorſum poſtulavit? Scilicet *ut noſcant*, inquit, *omnes quæ a prioribus noſtris pro diſciplina eccleſiaſtica acta ſunt*. Atqui nullos habemus Antiochenæ ſynodi adverſus Paullum Samoſatenum habitæ canones ad diſciplinam pertinentes, habemus autem Gangrenſis. Debuit igitur Oſius non Antiochenos, ſed Gangrenſes canones in medium proferre, ac re vera protulit, uti fidem faciunt expreſſa ejus verba, *Quoniam*, inquit, *multa præmiſſa ſunt....... quæ jam priori ſynodo Anquiritana, Cæſarienſi, Granienſi conſtituta ſunt.... lectione pandantur*. At de Antiochenis canonibus ne meminit quidem. Rhodium igitur archiepiſcopum diſputationis æſtu, quod uſu venit, ubreptum memoria fefellit. Adeoque ſtandum codicis Corbejenſis auctoritate, in quo certius accuratiuſque conſignari potuerunt ſynodi Nicænæ geſta, præſertim ex alterius exemplaris fide deſcripta, quam in concilio Florentino, ubi obiter memoriterque perſtringebantur.

Cur Gangrenſis canon a Gregorio Turon. Nicænus appellatus.

LXIV. Ex eadem Oſii præfatione perſpici etiam licet, quorſum Gregorius Turonenſis epiſcopus concilii Gangrenſis 14. canonem appellet Nicænum, eumque ſic laudet: *Ego accedens ad monaſterium* (quo Ingeltrudis filia relicto viro ſe receperat,) *canonum Nicænorum decreta relegi, in quibus continetur: Quia ſi quæ reliquerit virum, & torum, in quo bene vixerit, ſpreverit* &c. Sunt qui Gregorium ita locutum eſſe opinantur, quod canonibus Nicænis ſubjectos nulloque titulo notatos Gangrenſes offendiſſet. Verum propius fidem eſt, eum ſynodi Nicænæ actis inſertos eoſdem canones legiſſe, indeque factum ut habuerit pro Nicænis. Et hic igitur Gregorii locus rerum in prædicta præfatione aſſertarum veritati adſtipulatur. Ei præterea ſuffragantur antiquæ collectiones prorſus omnes, utpote quarum nulla Gangrenſes canones ab Ancyranis Neocæſarienſibuſque ſejungit. Quod idem de ceteris græci Codicis canonibus, ſcilicet Antiochenis, Laodicenis, Conſtantinopolitaniſque dici nequit.

Pars II. de antiquis canonum collectionibus.

Poſtremos duos canones Ancyranos additiios non eſſe.

LXV. Deinde ſi vera Oſii præfatio eſt, ſequitur 1°. ut ſynodum Nicænam temporum ordine anteiverit non Ancyrana ſolum & Neocæſarienſis, ſed etiam Gangrenſis, cum ejus canones in œcumenico illo epiſcoporum conſeſſu lecti probatique ſint: 2°. ut indubitatum non ſit Nicæna anteriorem eſſe Laodicenam, quippe cujus canonum ne meminit quidem Oſius, tametſi plures hodieque exſtent, quibus non minima diſciplinæ capita continentur: 3°. ut poſtremi duo canones Ancyrani, quos Baronius adſcitos ſuſpicatur, genuini ſint nec aliunde advecti; ſi quidem eos tum Corbejenſis codex, tum & vetera Codicis a Queſnello vulgati exemplaria Ancyranis illis canonibus accenſent, quos Oſius Nicææ recitandos confirmandoſque propoſuit. Et vero Baronii ſuſpicio hac una nititur ratione, quod cum geſtis decretiſque Damaſo papæ attributis quamdam habeat cognationem penultimus canon Ancyranus, quo *ſomnia vel qualibet divinationes ſecundum morem gentilium obſervare* prohibetur. Unde collegit eruditus Annalium ſcriptor cum hunc ipſum canonem, tum & ſequentem, e Damaſi decretis conflatos eſſe, & canonibus Ancyranis temere adſutos. Verum hæc illa, quæ pro veris Baronius admiſit, Damaſi geſta ſunt & ſuppoſititia, quorum fraus ſatis ſe ipſa prodit, adeo infabre imperiteque compacta eſt. Neque in Damaſum cadunt, aut ejus ſapiunt ævum decreta ex ſpuriis illis geſtis excerpta. At vide quam facile ſcriptores, uno eodemque principio freti, in diſſimiles quandoque ſententias abeant. Fecit monimentorum illorum affinitas, ut Baronius Ancyranæ ſynodo id ademerit, quod ſuum erat; fecit etiam ut eidem ſynodo affinxerint alii, quod ex ea nuſquam prodierat. Geſtorum ſcilicet illorum pſeudo-Damaſi quoddam fragmentum, quia penultimo canoni Ancyrano affine videbatur, Ancyranæ ſynodo attribuerunt Gratianus 26. quæſt. 5. cap. 12. Yvo part. 11. c. 30. Burchardus l. 10. cap. 1. & librorum 16. compilator apud Labbeum ad calcem decretorum Ancyranorum.

Mos antiquus, quo priorum ſynodorum decreta in poſterioribus firmantur.

LXVI. Demum argumento eſt Oſii præfatio, idoneas veritati aperiendæ retinendiſque patrum inſtitutis vias amplexos eſſe Nicænos præſules, cum decreta majorum ante relegi voluerunt, quam ſuos ipſi canones conderent. Quo præclaro traditionis conſulendæ exemplo certam futuris ſynodis commonſtrarunt normam, qua ſedulo caverent ne quid inveheretur novi, neve a paternis regulis recederetur. Hanc certe ſecuti videntur CL. patres anno 381. Conſtantinopoli congregati, cum can. 1. ſanxerunt, *fidem non violandam* CCCXVIII. *patrum, qui apud Nicæam Bithyniæ convenerunt, ſed manere eam firmam & ſtabilem*. Similiter & anno 397. in Carthaginienſi ſynodo *Nicæni concilii profeſſio & fides recitata & confirmata eſt*. Indeque Aurelius Carthaginienſis epiſcopus cum collegis ſcripſit: *Eccleſiaſticæ utilitatis cauſſa dum in Carthaginienſi urbe conveniſſemus in unum, a pleriſque ſuggeſtum eſt ea, quæ in concilio Hipponenſi jam dudum maturata ſunt, & legitime ad corrigendam diſciplinam ſalubriter geſta & ſtatuta noſcuntur, effrenata temeritate quoſdam minime cuſtodire; ad hujuſmodi vero excuſandos exceſſus illud ab aliquibus prætendi, quod ea, quæ jam dudum legibus ſtatuta ſunt, ignorantes prætermiſerint. Ob quam rem.... Brevem ſtatutorum, in quo omnia videntur eſſe complexa, & quædam diligentius con-*

Cod. can. apud Leon. cap. 2.

ſtituta

PARS II. DE ANTIQUIS CANONUM COLLECTIONIBUS.

ſtitata huic epiſtolæ ſubdi fecimus, ut compendio quæ decreta ſunt recenſentes, ſolicitias obſervare curemus. Ubi notatur cauſa, cur priorum conciliorum ſtatuta in poſterioribus recenſeantur. Eſt illud quoque ab epiſcopis Hiſpaniarum in Toletana ſynodo anno 401. ante omnia definitum, *conſtituta primitus concilii Nicæni perpetuo eſſe ſervanda, nec ab eis eſſe recedendum*. Deinde quæ nova ipſi conſtituerunt decreta, hæc in altero ejuſdem regionis concilio anno 447. habito, non autem anno 401. ut mendoſe habent conciliorum editiones, recitata, confirmata & actis inſerta legimus. Jam retulimus illud concilii Chalcedonenſis, *Regulas ſanctorum patrum per ſingula nunc uſque concilia conſtitutas proprium robur obtinere decrevimus*. Miſſa facimus id genus plura, ne in re pervulgata plus quam ſatis eſt immoremur.

LXVII. Sed præmonendus videtur lector, ne ſynodos, quarum geſta vel decreta in poſterioribus recitata ſunt, cum iis confundat ſynodis, in quibus illa ſunt prælecta. Quod quia minus cavit Gregorius Turonenſis, Gangrenſem canonem concilio Nicæno adſcripſit. Ad eumdem etiam offendere lapidem conciliorum editores, quippe qui concilium anno 447. celebratum ad annum 401. ideo retulerunt, quod in ipſo prælecta ſunt Toletanæ ſynodi anno 401. habitæ decreta. Iſtud autem animadvertere eo pluris refert, quod epiſcopi, cum in conſequentibus ſynodis priorum ſtatuta confirmarunt, ea, nonnullis interdum pro jure ſuo mutatis, ad locorum aut temporum ſuorum mores accommodarint, uti exemplo eſſe poteſt Brevis ſtatutorum Hipponenſium in poſteriore ſynodo Carthaginienſi confirmatorum. Hujuſmodi autem mutationis inſigne ſpecimen eſt Ancyranus canon decimus. Eo quippe canone primitus conſtitutum eſſe legimus, ut diaconi, qui ſua in ordinatione conteſtati eſſent, a nuptiis abſtinere ſe non poſſe, ac deinde ad eas tranſiiſſent, permitterentur *in miniſterio manere*; ſecus vero, *a miniſterio ceſſare* juberentur. At idem decretum, quale poſt Oſii præfationem exſtat in exemplari Carbejenſi, ſic mutatum videmus: *Diaconi quicumque ordinantur, ſi in ipſa* (*ordinatione*) *proteſtati ſunt dicentes* (*velle*) *ſe habere uxores, neque poſſe ſe continere; hi poſtea ſi ad nuptias convenerint, maneant in clero tantum*. Quibus verbis in Codice, quem publici juris Queſnellus fecit, adjicitur, *& abjiciantur a miniſterio*, haud dubie majoris explicationis ergo. Quæ clauſula deſideratur in Hubertino ejuſdem Codicis exemplari, ſed ejus loco habetur, *propterea quod his epiſcopus licentiam dederit*. Tum reliquum canonem ſic exhibet Corbejenſis codex: *Quicumque ſane tacuerunt, & ſuſceperunt manus impoſitionem profeſſi continentiam, & poſtea ad nuptias venerint, a miniſterio ceſſare debebunt, laicam communionem recipientes*. Quod ſi rogabis, unde tanta ſit in uno eodemque canone referendo codicum varietas, admiſſa Oſii præfatione facilis erit reſponſio. Ex illa enim conficietur, ut quod Ancyrana ſynodus circa diaconorum continentiam decreverat, id a Nicæna quidem confirmatum ſit, ſed additamentis nonnullis illuſtratum.

Quid obſtet ne Gangrenſes canones in ſynodo Nicæna prælectos eſſe affirmetur.

Innoc. ep. 7. n. 3.

LXVIII. Non diſſimulabotamen in eamdem præfationem objici duo poſſe; unum quidem; quod Innocentius jam ſuperius laudatus ait, *Quod ad canonum obſervationem attinet, ſolis illis parendum eſſe dicimus, qui Nicææ definiti ſunt, quos ſolos ſectari & agnoſcere debet Eccleſia catholica*. Alterum vero, quod in vetuſto codice Hubertino tum in aliis, quibus conſonant Dionyſianæ collectionis exempla, hæc ſynodi Gangrenſis canonibus præfigitur annotatio: *Hæ Gangrenſes regulæ poſt Nicænam ſynodum probantur expoſitæ*. Verum ad Innocentii verba reſpondere pronum eſt. Scilicet quid obſtat, quominus Nicææ definiti dicantur hi canones, qui Nicææ lecti, probati, confirmatique, & in ſynodicis actis receoſiti ſunt? Quid cauſſæ eſt, cur Nicænos canones, eoſque ſolos, ſectari non cenſeatur is, qui eos ſectatur unos, quos Nicæni patres ſua ipſorum approbatione fecere ſuos? Deinde ad codicum annotationem quod ſpectat, illis ſane anteferre fas eſt non modo Corbejenſis exemplaris antiquitatem, ſed & ipſius etiam ſimplicitatem præfationis, in qua nemo ullam ſuppoſitionis cauſam vel ſuſpicari queat. Quid, quod antiquarum omnium collectionum, ne iis quidem exceptis quæ præmiſſam annotationem habent, nullam vidimus, uti dictum eſt, quæ Gangrenſes canones aut omittat, aut ab Ancyranis Neocæſarienſibuſque ſejungat? Sane non parum id præfationi noſtræ ſuffragatur, cum inde facile appareat, horum conciliorum decretis ubique parem, eamque non mediocrem, attributam eſſe auctoritatem. An vero illam ex Nicænæ ſynodi confirmatione obtinuerit, penes prudentiores eſto judicium. Interim cetera quæ complectitur idem Corbejenſis codex perſtringamus.

LXIX. Epiſcoporum, qui Nicænæ ſynodo interfuerunt, nomina excipiunt canones Antiocheni, Laodiceni, Conſtantinopolitani, Carthaginienſes, Valentini ac Taurinenſes; quibus ſubnectuntur epiſtolæ Innocentii ad Toloſanam (ſeu Toletanam) ſynodum, Leonis ad epiſcopos Viennenſis provinciæ, Hilari ad Leontium, & poſt Arelatenſes Epaonenſeſque canones, Innocentii ad Rufum & Euſebium, Symmachi ad Cæſarium, Damaſi ad Paullinum, Auguſtini ad Competentes, nomina epiſcoporum & clericorum qui ad ſynodum Arelatenſem ſub Marino convenerunt, Paullini epiſtola ad Fauſtum, definitio ſynodi Chalcedonenſis, Flaviani ad Leonem epiſtola, ejuſque reſcriptum. Denique inter varia id genus monimenta & canones, qui plerique Gallicanarum ſynodorum ſunt, intermiſtæ leguntur tum Leonis ad Anaſtaſium, tum Sirici ad Himerium epiſtolæ. Unde obſcurum non eſt, collectionem illam ſtudioſi cujuſdam, qui in Galliis degebat, opus eſſe; cui homini, ut videtur, non in animo fuit, peculiarem aliquem exſcribere canonum Codicem, ſed ea colligere quotquot invenire poſſet id genus ſcripta, quæ ad eccleſiaſticæ diſciplinæ regulas pertinerent. Qua in re ſimillimus eſt Codici illi, de quo nunc nobis diſſerendum.

§. III.

De Codice canonum ad calcem operum S. Leonis in noviſſima editione vulgato.

An titulus, quo inſignitus eſt, ei congruat.

Qualis ſit titulus Codicis.

LXX. In noviſſima operum S Leonis editione ſubjecta eſt appendix cum hoc titulo: *Codex canonum eccleſiaſticorum & conſtitutorum ſedis apoſtolicæ, omnium qui huc uſque prodierunt vetuſtiſſimus & ampliſſimus, qui quidem in uſu fuit in eccleſia Romana Innocentio I. Zoſimo &c. ac Leone I. pontificibus, nunc primum editus ex mſſ. codicibus Thuanæo & Oxonienſi*. Eumdem vero titulum ſingulæ quæque paginæ ita in fronte ferunt, *Codex canonum ſeu conſtitutorum eccleſiæ Romanæ*.

Quid contineat codex.

LXXI. Iple Codex præfatione conſtat & LIX. capitulis. Primo in capitulo Nicæni Sardicenſeſque canones ſub una Nicæni concilii inſcriptione exhibentur in titulos 46. diviſi, quorum primus ſymbolum Nicænum una cum ſubſcriptionibus epiſcoporum qui huic ſynodo interfuerunt, vigeſimus-ſeptimus Nicæni concilii canonem penultimum, tum ultimo ejuſdem concilii prætermiſſo, vigeſimus octavus Sardicenſem primum, & quadrageſimus-ſextus Sardicenſem itidem poſtremum complectitur. Nicænos autem Sardicenſeſque canones ſic copulatos, atque titulo tenus confuſos, excipiunt Carthaginienſis ſynodi anno 397. Idibus Auguſti habitæ decreta, canones Ancyrani, Cæſarienſes, (ſic in mſſ. vocantur, non Neocæſarienſes, quemadmodum & epiſcopi hujus ſynodi *in urbe Cæſarea*, non *Neocæſarea* conveniſſe dicuntur in præfatione) Gangrenſes, deinde Carthaginienſis concilii, Milevitani, quinque epiſcoporum, necnon Aurelii ad Innocentium litteræ, cum totidem hujus papæ reſponſis. His adjunguntur præter concilium Carthaginienſe plenarium adverſus Pelagium Cæleſtiumque, Honorii ac Theodoſii contra eoſdem hæreticos reſcripta, capitula de geſtis contra Pelagium habitis excerpta, facta

Con-

Conſtantii imperatoris epiſtola contra Cæleſtium, & Voluſiani edictum. Leguntur deinde Innocentii ad Exſuperium Toloſanum, ad Rufum alioſque Macedoniæ epiſcopos ac diaconos, ad Decentium Egubinum, ad Victricium Rotomagenſem epiſtolæ, Carthaginienſis ſynodi geſta quædam & canones, nec non Marciani duplex Conſtitutio. Quibus ſubjiciuntur Siricii litteræ ad Himerium, ad diverſos epiſcopos; mox Ambroſii & ſociorum ad eumdem papam reſcriptum; item Zoſimi ad Heſychium, ad presbyteros ſuos, Bonifacii ad Hilarium Narbonenſem, Cæleſtini ad epiſcopos per Viennenſem Narbonenſemque provincias conſtitutos, item ad Apuliæ Calabriæque epiſcopos. Poſtea interjectis quibuſdam fidei confeſſionibus & geſtis Conſtantinop. quibus damnatus eſt Eutychianus error, ſequuntur Simplicii ad Acacium, Acacii ad Simplicium, Felicis Acacium damnantis epiſtolæ, Gelaſii papæ diſputatio, ejuſdem litteræ ad Fauſtum magiſtrum, ad Anaſtaſium imperatorem, ad epiſcopos Dardaniæ, ad Orientales, Athanaſii ad Epictetum, Cyrilli ad Joannem Antioch. Hanc epiſtolam in monaſterii S. Huberti codice, qui minus integer videtur, excipiunt *formula libelli fidei*, quem ſcil. dare debent qui Eutychianam hæreſim ejurant, definitio ſanctæ ſynodi Chalcedonenſis, epiſtola Euſebii Mediolanenſis & ejus ſynodi ad Leonem papam, Gelaſii papæ conſtituta Antiocheni, Laodiceni & Conſtantinopolitani canones, regula formatarum, ac deinde plures Leonis epiſtolæ; apud Queſnellum vero quædam leges ex corpore Codicis Theod. excerptæ, Damaſi ad Paulinum epiſtola, Cyrilli ad Neſtorium, Gelaſii conſtituta; canones Antiocheni, Laodiceni, Conſtantinopolitani, concilium Telenſe ſeu Teleptenſe cum Siricii Tractoria, regula formatarum.

Titulus inſcriptis exemplaribus Codici praſixus.

LXXII. Heic obſervamus titulum, quem Codici ſuo præfixit eruditus Leonis editor, nulla veterum librorum auctoritate niti. Thuaneus quippe & Oxonienſis, Queſnello ipſo fatente, ſicut & alii, quos conſulere nobis licuit, unam hanc præ ſe ferunt inſcriptionem: *Continet Codex iſte canones eccleſiaſticos & conſtituta ſedis apoſtolicæ.* Jam vero titulus inſcriptionis hujus loco ſubſtitutus qua ratione defendi queat? Quis largiatur Codicem, in quo Simplicii ejuſque ſucceſſoris Felicis ac Gelaſii leguntur ſcripta, *in uſu fuiſſe in eccleſia Romana Innocentio I. Zoſimo ac Leone I. pontificibus?* His occurrit quidem vir laudatus atque oſtendit, *Codicis partes omnes non ejuſdem ætatis eſſe, alias aliis antiquiores priorum temporum Codicem compoſuiſſe; alias, quæ junioris ævi, ſubinde per ſuccedentia ætatum intervalla annexas eſſe prioribus.* Quocirca primum Codicis ſui ævum *a Nicænæ Sardicenſiſque ſynodorum temporibus ad Innocentii & Zoſimi ætatem* definit, cenſetque locum in illo tum habuiſſe Nicænos canones, & Nicænorum nomine veſtitos Sardicenſes, ac prætcrea nullos. Eumdem ſubinde ait adoleviſſe ſub Innocentio *Carthaginienſis concilii canonibus auctiorem factum*; convaluiſſe ſub Zoſimo, utpote quem græcum origine græcos canones Ancyræ, Cæſareæ Gangriſque conditos Romana civitate donaſſe arbitratur; mox a Zoſimi morte ad Leonis uſque tempora virilem ætatem attigiſſe, admiſſis per id intervalli monimentis quæ ad Pelagianos attinent una cum decretalibus Innocentii litteris. Quæ demum ſuperſunt, hæc duas in partes tribuit, quarum primam, eamque maximam, Leoni adſcribit; poſtremam vero, quia canones Conſtantinopolitanos habet, poſt Gregorii I. tempora differendam putat.

Titulum novum Codici non congruere.

LXXIII. At quovis modo accipiamus ingenioſum illud, ſed minus firmum eruditi viri ſyſtema, certe falſus eſt Codicis titulus. Si enim is ad Codicem totum, uti decet, refertur, non debuit *omnium qui huc uſque prodierunt vetuſtiſſimus* Codex nuncupari. Nam qui poſt Gregorii I. tempora completus demum fuit & abſolutus, is Dionyſii exigui collectione, ut alias omittam, recentior fuit. Si vero, quod minus convenit, eodem titulo notantur ſingulæ Codicis partes ſeorſim ſpectatæ, hoc eſt ſingulæ ſcriptorum acceſſiones, quas illi identidem factas dicit idem Queſnellus; neque tum poteſt *omnium qui huc uſque prodierunt ampliſſimus* vocari. Et ſane quantumcumque illum poſt Zoſimi tempora, vel ſub Leone fuiſſe

A ponat vir doctus, non ea certe fuit mole, quæ Codicum aliorum molem vinceret. Prodiere ante & poſt Codices alii multo ampliores, quos inter vel ipſam Iſidori Mercatoris collectionem recenſere licet, quæ longe plura, non dico adulterina, ſed ſincera, ejuſmodi ſcripta complectatur. Denique ubi ſingulas Codicis partes expendimus, nobis non liquet quomodo eum repræſentent Canonum Codicem, *qui in uſu fuerit in eccleſia Romana Innocentio I. Zoſimo &c. ac Leone I. pontificibus.*

Pars II. de antiquis canonum collectionibus.

Codicem illum eccleſiæ Romanæ uſui non fuiſſe.

LXXIV. Eſt illud quippe a nobis ſuperius probatum, eccleſiæ Romanæ ac ceterarum Siricio pontifice morem fuiſſe, ut non canonibus modo conciliorum, ſed etiam ſedis apoſtolicæ ſtatutis regerentur. B Quamobrem, ſi quem Innocentii ævo canonum Codicem habuit eccleſia Romana, ille ut canonum ſynodicorum decreta, ſic & ſtatuta ſedis apoſtolicæ complecti debuit. Stare igitur nequit id, quod de prima Codicis ſui ætate excogitavit Queſnellus, nimirum Codicem Romanum ad *Innocentii Zoſimique tempora* aliis omnino nullis, niſi Nicænis Sardicenſibuſque decretis conſtitiſſe. Deinde quid cenſendum ſit de Codice, docet & ipſe Codex. Cum enim ex puris putiſque Gelaſianæ 33. epiſtolæ verbis conflata ſit prima nec minima pars præfationis; cum & nihil habeat Codex, quod Gelaſii ævum excedat: illud ſane argumento eſt, eum, qui ſub Gelaſii pontificatu, vel haud multo poſt, primam Codici manum admovit, ultimam eidem impoſuiſſe; atque C dum varia conciliorum pontificumque decreta compilat, his intermiſcuiſſe ea quæ ſibi nota erant & familiaria Gelaſii ſtatuta. Adeoque nihil opus eſt ut Gregorii I. temporibus juniorem fuiſſe compilatorem ponamus. At vero, inquies, repugnat Codici Gregorii I. temporibus recepto Conſtantinopolitanos canones continuiſſe, uti re vera ille hodieque continet. Recte quidem; at etiam inde potius naturali quadam conſecutione conficitur, Codicem illum ad eccleſiæ Romanæ uſum non pertinuiſſe, quam poſt Gregorii I. tempora eſſe abſolutum. Nuſquam autem pertinuiſſe, pluribus aliis demonſtratur argumentis.

Id perſuadet collatio hujus Codicis cum Dionyſiano.

D LXXV. Infirmum iſtud mihi non videtur, quod hujus Codicis cum Dionyſiana collectione ſuppeditat collatio. Certum quippe eſt Dionyſium Romæ hoc opus elaboraſſe. Neque dixerit quiſpiam, aut ſuſpicatus etiam fuerit, illum id commiſſurum fuiſſe, ut quæ Romano in Codice jam recepta erant, his locum in ſuo non daret. Abſunt tamen ab ejus collectione plurima, quæ in memorato Codice reperias, puta ſynodorum Carthaginienſis & Milevitanæ, ſimul & quinque epiſcoporum ad Innocentium I. litteræ, Innocentii ad eaſdem ſynodos & epiſcopos reſponſa, Simplicii, Felicis aliorumque ſcripta. Unde conſequens eſt, ut Codicem illum Dionyſius, adeoque Romani, cognitum non habuerint. Igno- E rum itidem hujus Codicis compilatori Dionyſianum fuiſſe inde liquet, quod Innocentii epiſtolarum de Antiochenæ eccleſiæ pace ad Alexandrum Antiochenum epiſcopum, ad Bonifacium presbyterum, ad Acacium Berœenſem antiſtitem, quas Codici ſuo inſeruit Dionyſius, ne meminit quidem. Quod indicio eſt utrumque Codicem eodem fere tempore, at non eodem loco adornatum fuiſſe; adeoque nil opus eſſe, ut poſt Gregorii magni tempora manum ultimam receperit Queſnellianus Codex.

Confuſio Codicis recens vulgatı eum Romanum fuiſſe non probat.

LXXVI. Si tamen eruditi viri judicio ſtare placet, *ipſa Codicis confuſio, qua offenſus Laurentius quidam Dionyſium exiguum ad novum cudendum impulit, Romanum clamat Codicem. Vix enim*, inquit, *major eſ-* F *ſe potuit ea, qua Codex noſter laborat, 1°. quoad tranſlationem, quæ paraphraſi aliquot in locis ſimilior eſt, quam tranſlationi. 2°. quoad canonum diſtinctionem & integritatem; aliqui enim omittuntur, alii ejuſdem concilii in unum conflantur, quidam etiam nonnullorum conciliorum miſcentur aliorum canonibus, quidam truncantur, quidam amplificantur. 3°. quantum ad ordinem, cum conciliorum decreta pontificum decretis miſceantur, nec pro dierum ſuæ ordine collocentur.* Verum iſta rerum confuſio neſcimus an hominibus præconcepta opinione liberis quidquam clamet, quod illum Codicem eccleſiæ Romanæ uſui fuiſſe probat. Sane qui rem attentius introſpexerint,

Diſſert. 12. cap. 4. n. 1.

ægre

Pars II. de antiquis canonum collectionibus.

ægre admodum ſibi perſuadebunt, Codice tot inſperſo nævis, tam infabre tamque indiligenter concinnato uſam fuiſſe eccleſiam, non unam e multis, ſed omnium principem eccleſiarum, ad quam velut ad canonum interpretem ſapientiſſimam ex omni terrarum orbe recurrebatur. Neque vero Dionyſius, cujus verbis in rem ſuam abutitur laudatus Editor, aliam in Romano Codice confuſionem notat, niſi interpretationis. Sic enim Stephanum epiſcopum Salonitanum alloquitur: *Quamvis cariſſimus frater Laurentius aſſidua & familiari exhortatione parvitatem noſtram regulas eccleſiaſticas transferre pepulerit*, CONFUSIONE *credo* PRISCÆ TRANSLATIONIS *offenſus*, *nihilo minus tamen injunctum laborem tuæ beatitudinis conſideratione ſuſcepi*. Ad hæc tametſi aliis etiam vitiis laboraſſe Codicem Romanum largiremur, tamen incertus anceпſque foret ille clamor, quo ejus ſinceritatem dinoſci certo putat Queſnellus. At enim quæ in illo legitur canonum Græcorum interpretatio, hæc ipſamet obtinet in Corbeienſi Codice ſuperius deſcripto, quem Gallis uſui fuiſſe probant canones Agathenſes, Epaonenſes, Valentini, Aurelianenſes &c. Neque id ſolum, ſed etiam in utroque par epiſtolarum pontificiarum cum ſynodorum decretis permixtio, par in ordine ſcriptorum perturbatio comparet.

Dionyſ. 1. præf.

LXXVII. Diluitur eadem ratione argumentum aliud ex eo deſumtum, quod recens vulgatus Codex Sardicenſes canones Nicænis copulatos & *Nicænorum nomine veſtitos* exhibeat. Unde vir doctus in eam propendere ſe ait ſententiam, Romanum ſcilicet Codicem *a Nicænæ Sardicenſiſque ſynodorum temporibus ad uſque Innocentii Zoſimique ætatem nullos alios canones regulaſve eccleſiaſticas complexum eſſe præter Nicæni Sardicenſiſque concilii canones, neque Sardicenſes in illo locum habuiſſe, niſi quia pro Nicænis habiti ſunt, eorumque nomine veſtiti ac citra ullam diſtinctione ſubjuncti. Clarum eſt ea de re Innocentii ipſius teſtimonium*. Deinde ipſa Innocentii verba profert ſuperius a nobis num. 68. commemorata tum ex epiſtola hujus papæ 5. ad Theophilum, tum ex epiſtola 7. ad Conſtantinopolitanos n. 3. quibus docet iis unis parendum eſſe canonibus, qui Nicææ definiti ſunt. Porro laudatum Innocentii teſtimonium poſſemus non ita clarum eſſe, contra quam Queſnellus ait, hic oſtendere; ſi quidem in citata epiſtola 7. num. 3. Sardicenſem ſynodum apprime diſtinguit idem pontifex a Nicæna, cum Antiochenos canones ideo repudiari velit, *quod ab hæreticis compoſiti eſſe arguantur*, & NICÆNORUM PATRUM *ſententiam labefactent.... quemadmodum et jam in* SARDICENSI SYNODO *condemnati ſunt*. Verum hæc prætermittimus. Largimur etiam ſaltem Zoſimum eo Codice uſum eſſe, in quo Sardicenſes canones cum Nicænis confuſi pro Nicænis vulgo habebantur. At opinionem novam quid juvat hæc confuſio, ſi plurimis canonum Codicibus communis fuit? Atqui Colbertinus, iſque vetuſtiſſimus, codex not. 1868. quem Gallicanæ potius quam Romanæ eccleſiæ uſui fuiſſe arbitramur, Sardicenſes habet canones tum ea notatos inſcriptione, *Canon Nicænus* (adjecit deinde antiquarius ſecundis curis *ſive Sardicenſis*) *qui in græco non habetur*, cum ea clauſula terminatos, *Explicinnt ſtatuta Nicæni ſidei metropolitani Bytiniæ Paullino & Juliano conſul.* (hoc eſt anno 325.) XIII. *Kal. Jul.* Parem præ ſe fert canonum permixtionem codex ſæculo ſaltem nono exaratus, aſſervatuſque in Morbacenſi monaſterio diœceſeos Baſileenſis, quo Gallicanam canonum collectionem contineri fidem faciunt ſynodi in eo deſcriptæ vel memoratæ. Nicænus quippe primum exhibet ex interpretatione Rufini, deinde Sardicenſem 13. hoc præmiſſo titulo: *Incipit capitulum de ſupraſcriptis canonibus, id eſt Nicænis CCCXVIII. epiſcoporum. Oſius epiſcopus dixit: Et hoc neceſſarium arbitror, ut diligentiſſime tractetis ſi forte aut dives, aut ſcholaſticus de foro, aut ex adminiſtratore poſtulatus fuerit*, & cetera ejuſdem canonis verba. En igitur vetuſtos Codices duos a Codice recens vulgato diverſos, in quibus Nicæni Sardicenſeſque canones confuſi, uno Nicænorum decretorum nomine nuncupantur. His & tertium adjicere liceat. Exſtat quippe in bibliotheca noſtra Sangermanenſi vetus compilatio canonum ex conciliorum, Romanorum præſulum, patrumque decretis conflata, in qua Nicænorum canonum nomen conſtanter ferunt Sardicenſes. Hanc autem apud Hibernos compoſitam, certe ex Codice Queſnelliano exſcriptam non eſſe, probant tum Gildæ ſapientis dicta, & Hibernæ ſynodi, quæ *ſancta ſynodus*, vel ſimpliciter *ſynodus* vocitatur, decreta, tum & alia quædam eis inſerta, quibus Queſnellianus caret. Leve eſt igitur, immo nullum, quod erudito viro Achilleum videbatur, argumentum ex incondita illa Nicænorum Sardicenſiumque canonum confuſione repetitum.

Neque illud probatur ex Nicænorum ac Sardicenſium canonum confuſione. Diſſert. 12. cap. 2.

LXXVIII. Multo infirmius eſt aliud ex ea ductum parentheſi, quam in epiſtola 2. Innocentii ad Victricium exhibent ſcripti manu codices aliquot, ac plures omittunt. Ita porro ratiocinatur vir doctus: *Nonnulla etiam ſunt in contextu Codicis, quæ in gratiam eccleſiæ Romanæ addita, eum pro ejuſdem uſu confectum eſſe indicant; velut illa eſt parentheſis, quæ in epiſtola Innocentii papæ I. ad Victricium Rotomagenſem legitur*: CUJUS (eccleſiæ Romanæ) IN OMNIBUS CAUSSIS DEBET REVERENTIA CUSTODIRI. *Cum enim hæc deſideretur in Codice Dionyſii abbatis, nec eam in venerandæ antiquitatis codice San-germaniano, quem mille annorum eſſe ajunt, invenerimus; facile quiſque adducetur ut credat a Codicis Romani auctoribus additam, jure ſuo ſe uti autumantibus, cum in epiſtola Romani pontificis aliquid addebant, quod ad ejus illuſtrationem faceret*. Sane huic conjecturæ aliquis ut eſſet locus, duo prius erudito viro conſtare oportuerat: primo ſcilicet, parentheſim exſtare in ſinceris Codicis ſui exemplaribus, deinde ab omnibus aliis abeſſe, aut certe in iis eſſe unis, quæ ex Codicis ſui exemplis deſcripta ſint. Atqui neutrum conſtat. Immo, quod ad primum attinet, plura hujuſce Codicis recognovimus exempla, eaque Oxonienſi longe antiquiora, Pithœanum, Colbertinum, Hubertinumque & alia, neque ullum deprehendimus uſpiam parentheſis inductæ veſtigium: unde & illam Oxonienſi intextam fuiſſe nobis fere eſt indubitatum. Deinde, quod alterum caput ſpectat, certum eſt parentheſim exſtare in Colbertino exemplari Langobardicis litteris exarato, in quo, uti & in Queſnelliano, nihil videas quod Gelaſio papa recentius ſit; exſtat & in altero ejuſdem bibliothecæ non ſemel a nobis memorato not. 1868. cui hac in re conſonant collectionis Hiſpanæ codices prorſus omnes. Adeoque huc redit, quod jam obſervavimus, nihil ſcilicet ad dinoſcendam Codicis Romani ſinceritatem facere parentheſim, quippe quæ aliis etiam in Codicibus a Romano diverſis locum habet. Miramur tamen Codicis editorem, cur illam ipſemet penitus expunctam voluerit. Si enim Codicem Romanum edere ſe perſuaſum habuit, ſi a Romanis ſuo ſibi jure utentibus parentheſim putavit inſertam; poſtulabat ſane Codicis integritas, ut quæ Codici propria evaſerat, retineretur.

Editoris conjectura circa parentheſim epiſtolæ Innocentii evertitur. Diſſert. 12. cap. 4. n. 5.

LXXIX. Dum hujuſmodi conjecturis plus æquo indulget vir clariſſimus, ſuæ ipſe magis magiſque prodit inanitatem opinionis. At enim ſi verum eſt id, quod multa nititur conjecturarum mole fulcire, Ferrandum ſcilicet diaconum Romano Codice per Zoſimi legatos in Africam delato uſum eſſe, dum Sardicenſi ſynodo vigeſimum canonem Nicænum attribuit, quo canone jubetur *ut diebus Quinquageſimæ genua non flectantur*: inde conſequens eſt, quem Romanum Codicem Queſnellus vocat, eum nequaquam Romanum eſſe. Qui ſic autem? Scilicet eo uſus eſt Codice Ferrandus, in quo & Nicænus canon vigeſimus exſtabat, uti fidem facit ejuſdem canonis commemoratio; & Sardicenſis ſynodi nomen Sardicenſibus decretis præfigebatur, uti docent hujus ſynodi canones ſuo paſſim nomine ac titulorum ordine a Ferrando laudati. Atqui neutrum in Queſnelli Codice uſpiam videas, quippe qui nec Sardicenſis ſynodi nomen, nec vel unam quidem vigeſimi canonis Nicæni litteram habet. Igitur ſi Romanum Codicem præ manibus habuit Ferrandus, Queſnellianum non habuit, adeoque nec Romanum Queſnellus.

Ferrandum opinioni novæ non favere. Ibid. cap. 3. n. 4.

LXXX. Qui Ferrandum ſuas in partes trahere ne-

Nec Nicænum canonem Chalcedone a Paſchaſino citatum.

cap. 4. n. 4.

nequivit, videamus utrum Paſchaſini ſuffragio niti poſſit. En ipſa eruditi viri verba exprimimus: *Canon ſextus Nicæni concilii a Paſchaſino legato ſedis apoſtolicæ eodem modo lectus eſt in actione 16. concilii Chalcedonenſis* (pag. 812.) *quo habetur in noſtro Codice, at ex eodem omnino deſumtus eſſe intelligatur. At dubium non eſt, quin ex proprio Romanæ eccleſiæ Codice canonem iſtum decerpſerit Paſchaſinus, uti Conſtantinopolitani ex ſuo eumdem protulere.* Verum ſi vetus aliquis reperiatur Codex, iſque a Queſnelliano diverſus, in quo Nicænus idem canon eadem ratione efferatur, an non evaneſcet iſtæc argumentatio? Atqui reperti ſunt ejuſmodi codices, unus clariſſimi viri Claudii Hardi ſenatoris Pariſienſis, alter Foſſatenſis nunc Colbertinus, & alii, qui tametſi ad eccleſiæ Romanæ uſum nuſquam pertinuere, tamen cum Paſchaſino in eodem canone laudando conſentiunt. Unum præterea ſibi obſtare non diſſimulat vir bonæ fidei & ſinceritatis amans, *quod videlicet* SEXTUS *canon a Paſchaſino numeretur, qui decimus eſt in Codice* quem ipſe publici juris fecit. Inde adeo, ut Codicem hunc ſuum cum Paſchaſino in concordiam reducat, alias aliis aggerit conjecturas: facile nimirum fuiſſe vel ſextum pro decimo reponi ab librario, vel in exemplar græcum *ἕκτος* pro *δέκατος* irrepere, & latinum ex græco male corrigi; vel demum a Paſchaſino ſextum citari, ut Orientalium Codicibus accommodaret ſeſe. At vero divinatione, quod eruditi viri pace dixerimus, nil opus erat, ubi res ipſa loquitur. Nicænos quippe canones aliter dividit Queſnelli Codex, aliter ſincera eorumdem canonum exemplaria. In illo canones ſeptem & viginti, ultimo etiam prætermiſſo, in his vero non plus viginti numerantur. Id cauſæ fuit cur Queſnelliani Codicis canon decimus a Paſchaſino ſextus appelletur. Qui enim ejuſmodi exemplaribus utebatur, uti Paſchaſinum re vera uſum eſſe probat canonis prolatio, ille a Queſnelli Codice diſſentire debuit. Deinde ſi pro Romano habendus eſſet is Codex, qui canonem hunc ſextum eodem exhibet modo quo Paſchaſinus, ſane Romani eſſent habendi, præ Queſnelliano, Hardienſis, Foſſatenſis ſeu Colbertinus & alii, quorum in referendo canonis contextu & numero mirifica eſt cum Paſchaſino conſenſio.

Diſſidium vulgati Codicis cum Innocentio I. in canone Nicæno referendo.

LXXXI. Hoc vero gravius, quod a Codice Romano qui temporibus Innocentii I. papæ obtinebat, ſic diſſideat Queſnellianus, ut Nicænorum canonum nec eumdem etiam textum exhibeat. Teſtis eſt Innocentii ipſius epiſtola 17. num. 10. ubi ſic legitur concilii Nicæni canon 8. *De his qui nominant ſe ipſos Catharos, id eſt mundos, & aliquando veniunt ad catholicam Eccleſiam, placuit ſanctæ & magnæ ſynodo, ut accepta manus impoſitione ſic maneant in clero.* Eumdem vero canonem in Queſnelli Codice, ubi quartus decimus eſt, offendes his verbis expreſſum: *De his qui ſe ipſos Catharos, id eſt mundos vocant, ſi qui veniant ad Eccleſiam catholicam, placuit ſancto concilio ut ordinentur, & ſic permaneant in clero.* Magna ſane unius ejuſdemque canonis diſſimilitudo; eoque major, quod non in verbis ſolum verſetur, ſed etiam in ſenſu; atque in eo ſenſu, qui diſciplinam inducat longe diverſam. Et is quidem pro ut ab Innocentio refertur, Novatianis ad Eccleſiam venientibus manum imponi, pro ut vero exhibetur apud Queſnallum, eoſdem ordinari jubet, ut in clero manere queant. Erit aliquando locus, ubi ſua lectioni illi, qualem habet Innocentius, adſtruetur fides, probabiturque, prævio ſcilicet in hanc ipſam ejuſdem papæ epiſtolam Monito, nihil iſto canone contineri, quod non diſciplinæ in eccleſia Romana tum temporis receptæ reſpondeat.

Eumdem Codicem ex ſuppreſſo Nicæno canone 20. Romanum non eſſe firmatur.

Leo ep. 152. n. 5.

LXXXII. Ad hæc quo in pretio & honore præſulibus Romanis fuerint Nicæni canones, quam religioſe ſancteque ab iiſdem ſuſcepti, quiſquis recolet, is certe ullum ab iis rejectum aut non receptum eſſe ſibi numquam perſuadebit. Si enim id ſibi juris arrogaſſent, ut rejicerent vel unum, ceteros in caſſum commendaſſent. Ad Anatolium fruſtra ſcriberet Leo: *Sancti illi & venerabiles patres, qui in urbe Nicæna, ſacrilego Ario cum ſua impietate damnato, manſuras uſque in finem mundi leges eccleſiaſticorum canonum condiderunt, & apud nos & in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus vivunt, & ſi quid uſquam aliter, quam illi ſtatuere, præſumitur, ſine cunctatione caſſatur: ut quæ ad perpetuam utilitatem generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur.* Anatolio quippe facilis & promta hæc erat reſponſio: Si Nicænum canonem unum, quia meræ diſciplinæ eſt, reſpuere licuit eccleſiæ Romanæ, quidni & numeroſiſſimæ ſynodo liceat alium reformare, qui meram itidem diſciplinam attingit? Ne quid vero ſibi tale objiceretur, nihil timebat Leo, fretus conſcientia tum ſuæ tum & deceſſorum ſuorum in canonibus Nicænis omnibus obſervandis retinendiſque diligentiæ. Hinc firma illa, qua Julianum Coenſem alloquitur, animi confiſio: *Cum frequentibus experimentis probaverit dilectio tua, quam conſtanti fixoque propoſito Nicænorum canonum ſtatuta cuſtodiam, diſſolvi omnes regulas æſtimans, ſi quidpiam ex illa ſacro-ſancta patrum traditione violetur.* Hinc & Marciano auguſto ſignificat nullam non eccleſiam Nicænis decretis obligari, adeoque muneris ſui eſſe operam dare, ut ne quid lædatur eorum auctoritas. *Ad meum*, inquit, *tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum, quæ* AD TOTIUS ECCLESIÆ REGIMEN *Spiritu Dei inſtruente ſunt conditæ, me, quod abſit, connivente violentur.* Cur vero Nicænis regulis teneantur eccleſiæ omnes, innuit Innocentius I. epiſt. 24. n. 1. ubi ait: *Revolventes itaque auctoritatem Nicænæ ſynodi, quæ una omnium per orbem terrarum mentem explicat ſacerdotum.* Nam ex eo, quod catholicorum omnium ſacerdotum placita ſint, ſequitur eccleſiam omnino nullam eſſe, quæ non ad eorum normam componi regique debeat. Neque etiam videtur ambigendum quin his verbis, *Quod autem ad canonum obſervationem attinet, ſolis illis parendum eſſe dicimus, qui Nicææ definiti ſunt, quos ſolos ſectari & agnoſcere debet Eccleſia catholica*, moneat idem pontifex ſolos eos eſſe, quibus ſine ulla exceptione parendum ſit. Tametſi vero firmam itidem atque inconcuſſam illis auctoritatem vindicavere ceteri pontifices conſequuti, eo tamen compulſus eſt eruditus Queſnellus, Codicis ſui defendendi neceſſitate, ut nuſquam in eccleſia Romana receptum eſſe ſibi perſuaderet vigeſimum ejuſdem concilii canonem; adeoque nec veterem illum genua diebus Dominicis ac Pentecoſtes non flectendi uſum, qui eodem canone confirmatur, in Eccleſia viguiſſe.

Ep. 98. n. 1.

Ep. 95. n. 3.

Innoc. epiſt. 7. n. 3.

Diſſert. 12. cap. 5. n. 5.

LXXXIII. Immo *evidens* eſſe putat *de orientalibus eccleſiis in eo canone tractatum eſſe, nec de occidentalibus patres vel cogitaſſe.* Qui tamen hoc ipſo canone ſancitus eſt ritus, illum plurimis in eccleſiis obtinuiſſe non diffitetur. *Habes*, inquit DE GRÆCIS *id atteſtantem Baſilium Magnum lib. de Spiritu-ſancto cap. 27. & auctorem quæſtionum apud Juſtinum martyrem quæſt. 115. Epiphanium in expoſitione fidei; quibus Photium, Zonaram & alios recentiores potes addere:* DE AFRIS *Tertullianum lib. de Corona militis cap. 3. & Auguſtinum* (epiſt. nunc 55. n.28.) *ad Januarium;* DE GALLIS CISALPINIS *S. Ambroſium Serm. 61. vel potius Maximum Taurinenſem Serm. de Pentecoſte;* DE HISPANIS *Iſidorum Hiſpalenſem eccleſ. offic. lib. 1. c. 31.* DE ALIIS PLERISQUE *Hieronymum adverſus Luciferianos.* Tot & tam idoneis teſtibus alios addimus duos, unum e Græcis, e Gallis alterum, ſcilicet Petrum Alexandrinum & Hilarium Pictavenſem epiſcopum: quorum ille in canone 15. ſcribit: *Diem vero Dominicum diem lætitiæ agimus, quod in eo reſurrexit, in quo nec genua quidem flectere accepimus:* hic vero prolog. in lib. Pſalm. n. 12. primariam hujuſce moris conſtitutionem Apoſtolis acceptam refert. *Et hæc quidem*, inquit, *ſabbata ſabbatorum ea ab Apoſtolis religione celebrata ſunt, ut his Quinquageſimæ diebus nullus neque in terram ſtrato corpore adoraret.* Irenæus quoque apud Juſtinum quæſt. 115. pag. 468. laudatur, ut qui Apoſtolos ejuſdem conſuetudinis auctores ſentiat. Cum igitur & ante ſynodi Nicænæ tempora Irenæo, Tertulliano Petroque Alexandrino teſtibus viguerit in Oriente ſimul & in Occidente apoſtolicus ille mos, cum deinde ſingulari ejuſdem ſynodi decreto firmatus & apud Græcos, Afros, Hiſpanos, Gallos Ciſalpinos & Tranſalpinos aut retentus ſit, aut receptus; ſane firmiſſimis opus

To. 1. conc. pag. 967.

PARS II. DE ANTIQUIS CANONUM COLLECTIONIBUS.

eſt hiſque evidentiſſimis argumentis, ut ab eccleſiis aliis Romanam hac in re diſſenſiſſe perſuadeatur: Romanam, inquam, cujus hæc præcipua ſemper laus fuit, invigilare cuſtodiæ traditionum, & Occidentis eccleſiis fere omnibus diſciplinæ formam dare. Et tamen hujus aſſertionis vindex aliud nil profert, niſi iſtud: *Nullum ſupereſt apud auctores, qui Romæ vel de Romanis conſuetudinibus ſcripſerunt, veſtigium omiſſæ genuflexionis Paſchalibus & Dominicis diebus, etſi de aliis hujus eccleſiæ moribus non ſileant*. At de more illo in Eccleſia recepto generalia ſunt Tertulliani, Hilarii, Hieronymi, Auguſtini, Maximi, Iſidori &c. teſtimonia: nemo unus eccleſiam Romanam a ceteris excepit. Quorſum igitur & quo jure illam excipias? Deinde quo pacto aſſeverare licuit nullum *ſupereſſe apud auctores, qui Romæ ſcripſerunt, veſtigium omiſſæ genuflexionis Paſchalibus & Dominicis diebus*? Scripſit Romæ Dionyſius exiguus, collectionem ſuam Romæ adornavit, quam & Romæ mox receptam eſſe tradit ætate ſuppar Caſſiodorus, & Carolo Magno obtulit Hadrianus I. ut ab eccleſia Romana adoptatam. In hac ipſa tamen collectione legitur Nicænus canon 20. his verbis redditus: *Quoniam ſunt quidam in die Dominico genua flectentes & in diebus Pentecoſtes: ut omnia in univerſis locis conſonanter obſerventur, placuit ſancto concilio ſtantes Domino vota perſolvere*. Tertium igitur id exemplum eſto, quantam habeat in referendis canonibus Nicænis diſſimilitudinem Queſnelli Codex cum Romano.

Capitula ſeu auctoritates Cæleſtini epiſt. 21. ſubnexas Codicis editori adverſari.

LXXXIV. Ecce aliud eruditi viri argumentum ex iis apoſtolicæ ſedis auctoritatibus *de Gratia Dei* petitum, quas Cæleſtini epiſtolæ 21. ſubnexuimus: quo certe argumento nihil minus efficit, quam quod effectum cupit. *Ex capitulis*, inquit, *de gratia & libero arbitrio Cæleſtino papæ olim adſcriptis conſtat, Africanæ eccleſiæ decreta adverſus Pelagianos Romano Codici inſerta fuiſſe, quæ nec in Juſtelliano nec in alio quovis, qui Dionyſiano antiquior ſit, reperire eſt, jacent vero in noſtro, non ſola quidem, ut apud Dionyſium, ſed Romanorum pontificum epiſtolis ea de re ſcriptis immixta, qualia fuiſſe indicant laudata capitula*. Itane vero ex capitulis illis, ſive ex præteritorum apoſtolicæ ſedis præſulum auctoritatibus, conſtat in Codicem Romanum relata eſſe Africanæ, hoc eſt Carthaginienſis ſynodi anno 418. Kalendis Maiis adverſus Pelagianos habitæ, decreta? Unde id Queſnellus hauſit? Inde ſcilicet, ſi bene illum capimus, quod ex Codice Romano excerptas eſſe pro certo ponat auctoritates illas, quibus inſerta legimus tria memoratæ ſynodi decreta. At vero quærimus iterum, unde has auctoritates ex Codice Romano excerptas eſſe conficiat. An non qui eas collegit, ſive is Leo fuerit, ut exiſtimat idem Queſnellus, ſive Proſper, ut nos opinamur; an non, inquam, is aliunde petere potuit quam ex Codice? Potuit ſane. Satis illi erat epiſtolas tres in manibus habere, duas nimirum Innocentii, Zoſimi vero unam. Et ſane aliud nihil ſunt auctoritates illæ, præter Innocentii teſtimonia quatuor, tria ſcilicet ex ejus epiſtola 29. ad Carthaginienſem ſynodum, & unum ex epiſtola 30. ad Milevitanam; quibus & adjunguntur alia duo ex una Zoſimi epiſtola, quam Tractoriam vocat Marius Mercator, *ad totius orbis epiſcopos* inſcripta. Neque pontificum auctoritates ſolum inde exſcribere Proſpero facile fuit, ſed etiam ea, quibus unis hic potiſſimum nititur Queſnellus, Africanæ ſynodi tria capitula, quippe quæ Tractoria Zoſimi, hoc eſt epiſtola nota pervulgataque apud omnes, continebantur. Et hujus quidem epiſtolæ exemplaria *per totum orbem* miſſa eſſe, eaque ſe præ manibus habere teſtatur Marius Mercator. Neque eadem Proſpero defuere, uti fidem faciunt cum ipſius Chronicon ad annum 418. tum etiam & contra Collatorem liber cap. 5. Quare nihil opus illi erat Romanus Codex, ut Africana hæc capitula in ſuam auctoritatum apoſtolicæ ſedis collectionem transferret. Verum, ut progrediamur longius, non modo rem ita fieri potuiſſe, ſed ita eſſe factam oſtendimus. Certe qui auctoritates illas adierint inſpexerintque accuratius, fatebuntur Proſperum Carthaginienſia decreta non alio ex fonte, quam e Tractoria Zoſimi, hauſiſſe, niſi forte ii ſint, qui quod vident oculis, videre ſe negant. *Ad hanc*, inquit eo loci Proſper n. 10. *nos profeſſionem inſtituit idem doctor* (Zoſimus,) *qui cum ad totius orbis epiſcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur ..... ait.... Illud etiam quod intra Carthaginenſia decreta conſtitutum eſt, quaſi propriam apoſtolicæ ſedis amplectimur, quod ſcilicet tertio capitulo definitum eſt .... Et iterum quarto capitulo .... Item quinto capitulo ....* Quibus capitulis ſeu decretis in medium adductis, orationis ſuæ filum repetit Proſper, & ad alia ſe argumenta convertit. Porro luce clarius eſt, Zoſimi verbis adeo apte conſerta eſſe atque implicita tria hæc capitula, ut non a Proſpero, ſed a Zoſimo citata, non ex Codice Romano, ſed ex epiſtola *ad totius orbis epiſcopos de divinæ gratiæ opitulatione* deſcripta eſſe nemo non videat. Non enim Proſper aut quivis alius, ſed ipſemet Zoſimus ait, *Illud etiam, quod intra Carthaginenſia decreta conſtitutum eſt, quaſi propriam apoſtolicæ ſedis amplectimur*. Erit forte qui reponat, capitula Carthaginienſia ideo ex Codice deſcripta dici, quia Tractoriam, unde deſcripta ſunt, complectebatur Codex? Verum qui ſic reſpondes, expedi nobis primum unde id habeas, Tractoriam in Codicem Romanum relatam eſſe. Inde enim illam abfuiſſe non levi argumento eſt, quod diligentiſſimi veterum monimentorum compilatoris Dionyſii exigui oculos fugerit; quos certe fugiſſet numquam, ſi Codici Romano, manibus omnium trito, conſignata eſſet. Deinde vide quam nihil agas, immo quam imprudenter in adverſam ſcopo partem jaculeris. Evolve totum Queſnelli Codicem, & quidquid in eo decretalium epiſtolarum eſt: Tractoriæ nullum indicium, ne unam quidem ſyllabam reperies. Unde ſequitur, ut, ſi Tractoriam complectebatur Romanus Codex, Romanus dici nequeat, qui Tractoria caret, Queſnellianus. Neque dixeris, capitula e Romano Codice ſaltem a Zoſimo excerpta eſſe, ac deinde Tractoriæ inſerta. Nam idem Zoſimus, ſimul ut illa ſibi ab Afris miſſa accepit, ſtatim habito, ut mos erat, cleri cœtu, Pelagii Cæleſtiique cauſſam recognovit, ſententiam in utrumque tulit decretoriam, de qua certiores illico fecit *totius orbis epiſcopos* per epiſtolam ſive Tractoriam ut vocant, cui inſeruerat eadem memoratæ ſynodi decreta, quæ velut apoſtolicæ ſedis propria amplectebatur. Adeoque prius Tractoriæ inſerta ſunt, quam in Codicem Romanum relata, ſi tamen relata umquam fuiſſe dici licet. Denique ſi umquam locum in Codice Romano habuiſſent, ſane habuiſſent eo numerorum ordine, quo ſunt a Zoſimo primum accepta. Atqui alium in Queſnelli Codice, alium in epiſtola Zoſimi ordinem obtinent. Quæ enim pro quarto, quinto, ſextoque habentur apud Queſnellum, hæc Zoſimus tertium, quartum & quintum vocat, quemadmodum & Dionyſius exiguus; qui prætarea capitulum tertium, quale in eodem Queſnelli Codice legitur, penitus ignoravit. Quare arbitretur prudens & æquus Lector, ac ſententiam ferat. Nobis certe, quod initio poſuimus, videtur ex Africanis capitulis nihil quod Queſnellianæ opinioni faveat, multa quæ adverſentur, colligi poſſe.

Leo ipſi non favet.

LXXXV. Miramur quoque acerrimi judicii virum, ut cauſæ ſuæ patrocinium undecumque adſciſceret, protuliſſe illud Leonis ad epiſcopos per Campaniam, Picenum, Tuſciam & univerſas provincias conſtitutos epiſt. 4. n. 7. *Omnia decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium deceſſorum noſtrorum &c.* Unde potius totum illius ſyſtema funditus everti ſub finem primæ partis hujuſce præfationis probavimus.

Ancyrani canonis 10. emendatio nihil cum juvat.

LXXXVI. Ex his etiam, quæ ſuperiore paragrapho n. 67. de Ancyrano canone 10. diſſeruimus, ſatis liquet nihil inde firmari ejus opinionem, quod is canon ita legitur in ipſius Codice, uti eſt ad ſeveriorem Latinorum diſciplinam accommodatus. At enim ſi verba quædam explicationis ergo adjecta demas, nil prorſus habet, quod non & in Corbejenſi Codice deprehendas, quem tamen eccleſiæ Romanæ uſui non fuiſſe conſtat. Deinde hæc ipſa canoni inſerta explicatio, qualis apud Queſnellum videtur, indicio eſt ejus Codicem eo exemplari recentiorem eſſe ex quo deſcriptum eſt Corbejenſe.

Solent enim interpretationes, quas vulgo gloſſas vocant, ipſo textu quem explanant eſſe poſteriores. Ut ut eſt, male collineat vir doctus cum ait, Ancyranum canonem mutatum eſſe & ſeveriori Occidentalium diſciplinæ aptatum a Romanis, quibus ſui ſibi Codicis condendi caſtigandique jus erat; indeque ſequi ut Romanus ſit is Codex, quem ipſe publici juris fecit; quippe qui canonem eumdem ita, uti eſt ipſius judicio a Romanis mutatus emendatuſque, habeat. Certe quod a Romanis factum putat, id a ſynodo, cui præerat Oſius, factum eſſe docet præfixa Codici Corbejenſi præfatio, uti jam ſupra num. 67. obſervavimus. Deinde ut demus id quod nullo fretus argumento affirmat, nil tamen inde quidquam lucratur. Nam idem ille canon, totus quantus eſt, ſi pauca, eaque ſynonima quædam verba excipias, Corbejenſi Codice continetur. Atque adeo Queſnellum nihil iſtud juvat, quo Romanum fuiſſe Codicem ſuum perſuadeat: niſi forte, quod repugnat, Romana etiam civitate donet Corbejenſem.

Quid de Codice prænominato ſentiendum.

LXXXVII. Singula eruditi viri argumenta gradatim perſequi & ad examen vocare longum foret. Satis eſt præcipua refelliſſe: quæ ſi ex veritate æſtimantur, aliud nihil fuit, niſi vel conjecturæ acute quidem, ut voles, & belle excogitatæ, ſed meræ tamen conjecturæ; vel teſtimonia per vim detorta, quæ ſuo reſtituta loco ſuoque ſenſu intellecta robur amittunt; vel denique probationes ex certis ductæ locis, quæ Romani Codicis propria eſſe perperam exiſtimavit. Quare ejus opinioni ſubſcribere ne poſſimus facit, qui nobis omni re potior eſt, veritatis amor. Quod ſi autem de eodem Codice quid ſentiamus rogas, paucis dicemus, illum ſcilicet nec ante ſæculi VI. initia concinnari cœptum, nec longe poſt abſolutum fuiſſe. Et primum quidem perſuadet tum præfatio ex Gelaſii verbis magnam partem conflata, tum etiam ejuſdem papæ decreta aliis aliorum decretis promiſcue permixta; alterum vero inde colligimus, quod monimenta omnino habeat nulla, quæ ultra Gelaſii ævum excurrant. Neque parum inde firmatur id quod ex conjectura ſatis credibili obſervavimus, ignotum fuiſſe Dionyſio exiguo Queſnellianum Codicem, uti & Queſnelliani Codicis parenti Codicem Dionyſianum; adeoque fere coævam eſſe utriuſque collectionem. Sane ſi alterius Codicem habuiſſet alteruter in manibus, is ex aliena meſſe ſuam auxiſſet. Quod ab Iſidoro Mercatore factum eſt, qui quæ ſibi ex uſu erant, ex utriuſque opere in ſuum tranſtulit. Præterea abs re non erit annotare, illud memorato Codici Queſnelliano commune eſſe cum Corbejenſi, de quo ſuperius jam diſſeruimus, quod & canonibus ſynodorum pontificumque decretis conſtet, iiſque præter ordinem rerum ac temporum diſpoſitis, & monimentorum græcorum eamdem referat interpretationem: ab eo vero differre, cum in multis, tum in hoc maxime, quod Gallicanos canones nullos habeat, quos e contrario plurimos in Corbejenſi legere eſt. Igitur qui vulgatus eſt a clariſſimo viro *Codex canonum eccleſiæ Romanæ*, is aliud nihil nobis videtur, niſi inconcinna canonum collectio, non eccleſiæ cujuſdam nomine & juſſu, ſed privati unius compilatoris arbitrio confecta; qui compilator, ſive in ſuos, ſive in ſui ſimilium ſtudioſorum uſus arripuit, atque in cumulum nullo nec rerum nec temporum ordine ſervato congeſſit, quidquid canonum, epiſtolarum, aliorumque id genus monimentorum illi fors obtulerat. Quod ſi huic operi non unum aliquem, ſed alios ſubinde poſt alios manum admoviſſe ponas, comperies id forte cauſæ fuiſſe, cur in quibuſdam ejus exemplis deprehendantur nonnulla, quæ in aliis fruſtra requiras. Quamquam & hoc ipſum oſcitantiæ librariorum adſcribi poſſe non inficiabimur.

Vetera indicantur exemplaria, quorum ope ſanior parari poſſit ejus editio.

LXXXVIII. Unum eſt, antequam concludamus, de quo monitos lectores velimus, ejus nimirum Codicis, quem de Oxonienſi exemplari deſcripſit Queſnellus, plura in Gallicanis bibliothecis aſſervari exempla, quorum nullum Oxonienſi non ſit multo antiquius. Ita certe cenſemus de Colbertino, Pithœano, ſeu patrum Oratorii Trecenſis, Bellovacenſi, Vedaſtino & Hubertino, ſeu monaſteriorum S. Vedaſti Atrebatenſis ac S. Huberti. Addimus & horum exemplorum ope permulta, quæ in vulgatum Codicem irrepſere, menda emaculari poſſe. Cujus rei tria e multis ſeligimus exempla, eaque vel ex uno capite 54. petita. Ac primo quidem lex *de his qui ſuper religione contendunt*, ibi legitur *data VI. Kal. Auguſti Theodoſio aug.* II. in mſſ. vero conſignatur XI. *Kal. Julii Theodoſio aug. bis*. Deinde huicce legi ſubjicitur altera, cujus in epigraphe, loco verborum *& Theodoſius auguſtus Eutropio præpoſito*, reſtituendum ex mſſ. *& Theodoſius auguſti Eutropio præfecto prætorio*. Demum ad ſubſequentis legis calcem præferendum eſt cum mſſ. *Data XVI. Kal. Aug. Aquilejæ Theodoſio aug. XI.* (non cum edit. *aug. decies*) *& Valentiniano Cæſare conſſ.* Qui enim Theodoſius anno 425. undecimum cum Valentiniano Cæſare conſulatum geſſit, is decimum geſſerat anno 422. non cum Valentiniano Cæſare, ſed cum Honorio aug. Neque hic ſilendum de præfatiuncula, quæ apud Queſnellum deſideratur, exſtat autem in Hubertino exemplari & aliis, præfigiturque ſynodi Nicænæ canonibus [poſt appellationem epiſcoporum, qui eidem ſynodo interfuerant. Sic habet: *Cum conveniſſet ſanctum & magnum concilium apud Nicæam Bithyniæ, ſancita ſunt quæ infra ſcripta ſunt. Et placuit ut hæc omnia mitterentur ad epiſcopum urbis Romæ Silveſtrum*. Quæ præfatiuncula ſive annotatio, videtur eo probabilior, quod & jam antea concilium Arelatenſe anno 314. habitum decreta ſua Silveſtro miſerat, ac poſtea iiſdem ad Julium retulit Sardicenſe quæ geſſerat. Atque hinc forte data impoſtori occaſio eſt confingendi litteras cum Nicænæ ſynodi ad Silveſtrum, tum & Silveſtri ad ſynodum Nicænam. Pergit eadem annotatio: *Facta eſt autem ſynodus Conſtantino & Eluſino* (leg. *& Licinio*) *conſulibus*. Ubi menda eſt, in quam & Dionyſius exiguus incurrit. Legendum vero ut in generali totius Codicis præfatione: *Conſtantino auguſto & Licinio Cæſare, conſulatu Paulliani & Juliani* VV. CC. Exſtat eadem annotatio Nicænis canonibus præfixa, non iis quidem omnino verbis, ſed eodem plane ſenſu, in pervetuſta collectione, de qua nunc nobis agendum.

§. IV.

De antiqua collectione Langobardicis litteris exarata.

Cur vocetur Langobardica.

LXXXIX. Veteres inter collectiones, quarum præſidio in recenſendis emendandiſque pontificum litteris uſi ſumus, eam laudavimus non ſemel, quam inſignis bibliothecæ Colbertinæ codex 784. aſſervat. Quare quænam illa ſit, viſum eſt heic aliquanto diſtinctius exponere. *Langobardicam* vocamus, ut eam ſecernamus ab aliis, & id quidem non quia Langobardis uſui fuit, ſed quia eum præ ſe fert ſcriptionis ductum & characterem, qui proprius eſt Langobardorum. Tota elegantibus majuſculiſque litteris, &, ut putant viri diplomaticæ rei non rudes, ante 900. annos, exarata eſt. Exaratam dico; nam quo tempore primum concinnata ſit, alia res eſt, quam facile tamen aſſequeris, ſi attenderis nihil omnino, quod Gelaſianis decretis recentius ſit, in ea nec nominari uſpiam, nec contineri.

Quibus e ſcriptis conſtet.

XC. Frontem occupant Nicæni canones, & qui ſynodo huic interfuerunt epiſcoporum nomina, deſignatis etiam quibus præerant civitatibus ac provinciis. Tum ſubnectuntur Ancyrani, Neocæſarienſes, Gangrenſes ex antiqua interpretatione. Succedunt Carthaginienſis concilii ſtatuta in 40. titulos diſtincta, ea nimirum ipſa, quæ Carthaginienſis concilii nomine inſignivit Dionyſius exiguus & in 33. capitula diviſit. Sequuntur deinde Afrorum contra Apiarium geſta, quæ ſuæ iiſdem collectioni ſub Africani concilii titulo a capite 101. ad 105. inſeruit idem Dionyſius. Ibi vero non plenius ſolum, ſed etiam accuratius quam apud Dionyſium inſcribitur Afrorum epiſtola ad Bonifacium papam his verbis: *Incipit epiſtola ab omni concilio ſuprascripto ad Bonifacium urbis Romæ epiſcopum ſcripta, & cum geſtis quæ ibidem apud Carthaginem confecta. per*

PARS II. DE ANTIQUIS CANONUM COLLECTIONIBUS.

Fauſtinum epiſcopum & Philippum & Aſellum preſbyteros directa. In Dionyſiana quippe inscriptione nulla de geſtis mentio fit, quamvis eadem geſta per legatos miſſa eſſe fidem faciat ipſa concilii epiſtola num. 3. Poſthæc veniunt Chalcedonenſes canones non ſine latina interpretatione, ſed quæ tum Dionyſianæ, tum & illius quam ſequitur Iſidorus Mercator, diſſimilis eſt, ſcilicet utraque antiquior. Canonibus ſubiiciuntur ſubſcriptiones eo diſpoſitæ ordine: *Paſchaſinus epiſcopus*, *Lucnlenſis* (leg. *Lucenſius*) *epiſcopus*, *Bonifacius presbyter legatus ſanctæ eccleſiæ Romanæ*, *& ceteri epiſcopi infra ſcripti*, *Anatolius Conſtantinop. Julianus legatus*, *Thalaſius a Cæſarea Cappadociæ* &c. Leguntur exinde Conſtantinopolitani canones quinque, quibus Nectarius ſubſcribit primus, Sardicenſes XIX. Antiocheni XXV. cum ſubſcriptionibus, Silveſtri papæ Conſtitutum, Geſta Liberii adverſus Conſtantinum, Xyſti papæ adverſus Baſſum & Marinianum, ejuſdem adverſus Polychronium Hieroſolymitanum epiſcopum, nec non Marcellini papæ ſeu Sinueſſanæ ſynodi; item epiſtolæ Siricii ad Herium ſeu Himerium, Bonifacii ad Honorium cum ipſius Honorii reſcripto, Zoſimi ad Heſychium, Cæleſtini tum ad epiſcopos provinciæ Viennenſis, Innocentii ad Victricium, ad Exſuperium, ad Rufum, Euſebium ſociosque Macedones, Leonis ad Ruſticum Narbonenſem, ad Mauros, ad Aquilejenſem epiſcopum, ad Septimium; fidei adverſus Eutychen definitio, quæ apud Lab. to. 4. concil. pag. 561. exſtat, ſed cum & interpretatione diverſa, & hac inſcriptione, *Synodus epiſcopalis Chalcedonenſis habitus a quingentis & viginti epiſcopis contra Eutychen*, & ad calcem, *Explicit ſynodum mundanum, id eſt univerſale apud Chalcedona*.

Vulgati Athanaſiani ſymboli fragmentum.

XCI. Heic interjecta legitur ea vulgati Athanaſiani ſymboli pars, qua catholica de Chriſti Incarnatione doctrina continetur, præmiſſa notula minio deſcripta, *Hoc inveni Treveris in uno libro ſcriptum, ſic incipiente: Domini noſtri Jeſu Chriſti & reliqua. Domini noſtri Jeſu Chriſti fideliter credat*. Deinceps atramento hæc: *Eſt ergo fides recta* &c. uſque ad finem. Quæ quia jam emiſere in lucem, qui noviſſimam Athanaſii editionem accurarunt ſodales noſtri, viſum eſt hoc loco præterire. Tantum obſervamus, fragmentum illud a vulgato ſymbolo inſigniter differre cum in multis, tum præſertim hujus verſiculi detractione, *Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus*. Qui verſiculus potuit quidem, fatemur, librarii indiligentis oculos fugere, at potuit etiam certa cujuſdam eccleſiæ concilio recidi, quo tolleretur Monophyſitis occaſio abutendi ſolita illa comparatione ad adſtruendam, quod volunt, unam in Chriſto naturam. Cæteras varietates e græca interpretatione natas eſſe ſuſpicari licet. Quemadmodum enim vulgatum idem ſymbolum, quale in Eccleſia publice recitatur, a variis interpretibus græce verſum eſt, ita potuit & fragmentum illud e græco verti in latinum; indeque variis illis, quas habet, lectionibus conſpergi.

XCII. Quod ſi ita eſt, non parum inde illuſtratur tum vulgati ſymboli, tum etiam græcæ interpretationis antiquitas. Annon enim fragmentum e græca interpretatione latine translatum, ac deinde in codice annorum circiter 900. ex alio vetuſtiore deſcriptum, remotiſſimam arguit tum primigenii textus latini, tum & græcæ interpretationis, unde derivatum eſt, antiquitatem? Et ea quidem longe remotior foret, ſi fragmentum & notam fragmento præfixam collectioni inſeruiſſet is, qui collectionem ipſam fecit, non qui exſcripſit librarius. Verum a librario utrumque additum eſſe illud argumento eſt, quod in Colbertino alio codice not. 3368. exſtet eadem collectio, nuſpiam vero neque nota neque fragmentum notæ ſubnexum compareat. Tamen haud inconcinne factum, ut definitioni fidei adverſus Eutychen ſancitæ ſubjiceretur ea prædicti ſymboli pars, qua Eccleſiæ de Incarnationis myſterio fides explicatur.

Poſtrema pars collectionis.

XCIII. Pergimus Langobardicæ collectionis indiculum texere. Athanaſiani ſymboli fragmento ſuccedit ſymbolum Nicænum cum hac inſcriptione: *Incipit de Nicæna ſynodo ſcriptura Damaſi ad Paullinum Antiochenæ urbis epiſcopum, Credimus in unum* &c. uſque ad ultima hæc verba, *eos anathematizat catholica & apoſtolica Eccleſia*: quo toto ſic deſcripto, adjicitur uno eodemque orationis filo, *Poſt hoc Nicænum concilium, quod in urbe Roma concilium congregatum eſt a catholicis epiſcopis, addiderunt de Spiritu-ſancto* &c. ut in epiſtola 5. Damaſi. Unde ſymbolum Nicænum huic epiſtolæ præfixum fuiſſe comperimus. Tum *incipit expoſitio fidei* cum hoc initio, *Credimus*: quæ definitio his terminatur verbis, *cum Spiritu-ſancto unum Deum piiſſime confitemur*. Deinde ſequitur, *Ejuſdem Sermo, Credimus*, &c. ut in Codice apud Leonem vulgato cap. 39. ac poſtea, *Incipit de fide Catholica, Nos Patrem*, &c. ut in eodem Codice cap. 37. Demum collectionem claudunt *epiſtola ſynodi Sardicenſis ad Julium urbis Romæ epiſcopum*, & *ſtatuta Gelaſii*, ſive hujus papæ ad epiſcopos per Lucaniam, Brutios & Siciliam conſtitutos epiſtola, in qua librarius medium locavit *Decretale edito de recipiendis ſeu non recipiendis auctoribus, qui ſcriptum eſt a Gelaſio papa cum LXX. epiſcopis in ſede apoſtolica Roma*: quæ poſtrema duo ſcripta, *decretale* ſcilicet & *ſtatuta* adeo nulla inter ſe commiſſura nectuntur, ut a ſe invicem, ſalva utriuſque integritate, divelli queant.

In quo diſcrepet a Dionyſiana.

XCIV. Habet hæc ipſa collectio, ſi ad initia præſertim reſpicias, aliquam cum Dionyſiana cognationem. Quæ cognatio Stephano Baluzio, viro ceteroqui diligenti, adeo fucum fecit, ut, dum Colbertinæ bibliothecæ præfectus eſſet, curarit Codicis tergum hac epigraphe imprimi: *Dionyſii exigui collectio*. At vero illam, ſi propius intueberis, deprehendes a Dionyſiana diſcrepare in multis. Et certe primo in hac reperias non pauca, quæ in illa prorſus deſideres, ac viciſſim. Deinde monimentorum utrique communium alius in una, alius item in altera locus & ordo eſt. Neque ordo ſolum diverſus, ſed & diverſa etiam ſcriptorum græcorum interpretatio, diverſi tituli, diverſa denique diviſio decretorum. Ad hæc, titulos & canonibus conciliorum & Romanorum præſulum epiſtolis præmittit Dionyſiana: Langobardica vero præmittit canonibus, non epiſtolis. Utraque præfationes quidem ſive notas priſcis canonibus præfixas habet: at illæ ut nec omnino diſſentiunt inter ſe, ita nec omnino conſentiunt. Teſtis hæc præfatiuncula, qualis in Langobardica collectione legitur ante canones Nicænos: *Cum conveniſſet ſanctum & magnum concilium Nicæam, ſtatuta ſunt ab eis hæc quæ infra ſcripta ſunt, & Romæ directa ſunt quæ in ea geſta ſunt. Et placuit ut omnia, quæ ſtatuta ſunt, ad epiſcopum urbis Romæ Silveſtrum mitterentur. Factus eſt ſynodus Nicææ Bithiniæ conſulatu Conſtantini auguſti & Licinii*. Quam eamdem præfatiunculam, at non iiſdem verbis, ſic refert Dionyſius exiguus: *Facta eſt autem hæc ſynodus apud Nicæam Bithyniæ conſulatu Conſtantini auguſti & Licinii XIII. Kalendarum Juliarum...... Et placuit ut hæc omnia mitterentur ad epiſcopum urbis Romæ Silveſtrum*. Ubi obſervamus obiter mendum eſſe, de quo ad ſuperioris paragraphi calcem egimus. Teſtes ejuſdem concordiæ ſimul & diſcordiæ ſunt notæ Ancyranorum & Neocæſarienſium canonum fronti præfixæ, quæ notæ memoratos canones, etſi Nicænis antiquiores, Nicænis tamen poſtpoſitos fuiſſe docent, propter ſynodi œcumenicæ auctoritatem. Teſtis & obſervatio Gangrenſium itidem canonum initio poſita, quam ſi in utraque collectione legas, videas, non verba quidem, at ſenſu plane eamdem utrobique eſſe. Lectorem hic in tranſitu monere juvat, ſi verum eſt id quod illa docet obſervatio, Gangreſes nimirum canones Nicænis poſteriores eſſe, inde ſequi ut falſa ſit ea, de qua ſuperius diximus, Corbejenſis Codicis præfatio, quæ hos ipſos canones in ſynodo Nicæna prælectos eſſe tradit. Utri credendum? Certe Corbejenſi non una ratio ſuffragatur. Primo enim ſecum apte cohæret, utpote qui quos canones a patribus Nicænis lectos eſſe ait, puta Ancyranos, Cæſarienſes, Gangrenſeſque, hos re vera præmittat Nicænis. Deinde ſynodorum illarum trium canones nuſpiam divulſos reperire eſt, neque in eo Codice quem Leonis operibus appendit Queſnellus,

neque

Digitized by Google

neque in Langobardico & Dionyſiano, neque in Juſtelliano demum, & aliis quibuſque antiquiſſimis. Denique in ipſa præfationis ſimplicitate vix ulla reſidet falſitatis ſuſpicio.

Singulari ratione Chalcedonenſes canones exhibet.

XCV. Ad Chalcedonenſes canones quod attinet, alia eſt in Langobardico Codice eorum interpretatio, aliud exordium, quam in Dionyſiano. In illo quippe præfationis inſtar præmittitur: *Quingenteſimo anno ſub imperatore piiſſimo Marciano conſtitutu, quæ per ſingulas ſynodos u ſanctis patribus conſtituta ſaat, hactenus habere firmitatem ceaſuerant*. Tum qui ſecundus canon vulgo numeratur, is recenſetur primus; mox ſecundi vice ſubjicitur: II. *Clerici, vel laici voleutes epiſcopos accuſare, nec quodcamque ad accuſandum ſaſcipere, niſi prius eorum opinio fuerit diſcuſſa*. Atque hoc idem decretnm rurſus canone 21. (quo referri ordine vulgo ſolet,) repetitur his verbis: XXI. *Clerici vel laici, qai epiſcopos accaſaviut, vel quoslibet clericet, omnino ſiae judicio eos non ſuſcipi, niſi prius eorum opinio fuerit diſcuſſa*. Neque vero eſt illud Langobardicæ collectionis proprium. Simile quidpiam in Queſnelli Codice cap. 25. videre eſt, ſive canonum ordo, ſive præloquium initio poſitum inſpiciatur. Ae de præloquio primum; en quale cernitur in Colbertino ejuſdem Codicis exemplari: *Canones expoſiti u ſanctis patribas, qai Chalcedona convenerunt temporibus Valentini & Marciani auguſtorum Indict. quinta ſub imperatore noſtro piiſſimo Marciano*. Quod in Hubertino exemplo ita exprimitur: *Canones expoſiti u ſanctis patribus, qui Chalcedona convenerunt, temporibus in v. quingenteſimo ſab imprratore noſtro piiſſimo Marciano*. Mendoſa utraque lectio, perinde atque Langobardica; quibus inter ſe collatis, hanc reſtitui poſſe exiſtimamus: *Convenerunt temporibus Valeatiniani & Marciani auguſtorum Indict. v. ſub imperatore noſtro piiſſimo Marciano*: adeo ut pro *Vulcatini & Marciani auguſtorum*, quod habet Colbertinum exemplar, legatur *Valeatiniani & Marciani auguſtorum*, quod utrumque ab Langobardico Hubertinoque codice prorſus abeſt: ac deinde loco verborum *quingenteſimo anno*, uti præ ſe fert Langobardieus, & *in v. quingenteſimo* uti habet Hubertinus, ſubſtituatur ex Colbertino *Indict.* v. Et ſane Chalcedonenſem ſynodum anno non 500. ſed 451. habitam eſſe, atque in Octobrem menſem ejuſdem anni 451. eadere Indictionem quintam manifeſtum eſt. Quo magis miremur in editionem Queſnelli hanc irrepſiſſe lectionem: *Anno quingenteſimo Incarnationis Domini Indict.* v. quæ præterquam quod ſuum ipſa vitium prodit, inde etiam falſi arguitur, tum quod a veteribus ejuſdem Codicis exemplis, quæ inſpeximus, omnino abeſt, tum quod nuſpiam in toto ipſius Codice diducitnr temporum ratio ab Incarnationis annis. Jam vero ad eanonee quod ſpectat, poſt præloquium ſic habet Queſnellianus Codex: I. *Canones, qui per ſingulas ſynodos u ſanctis patribus conſtituti ſunt, hactenus habero firmitatem ceuſuimus*. Indeque ſubjicitur vulgatus canon ſecundus cum hoc additamento ad finem: *Item alio loco, Clericos vel laicos volontes epiſcopos vel clericos accuſare non indebite nec quomodocumque* (Colb. ms. *accuſare indebite, nequaquam*) *ad accuſandum ſuſcipi debere*. Ac nihilo minus idem decretum in eodem Queſnelli Codice, uti & in Colbertino exemplari, reperitur his verbis can. 21. *Clericos vel laicos qui accuſant epiſcopos vel clericos, quomodocumque & ſine judicio non ſuſcipi debere, niſi prius eorum exiſtimatio fuerit diſcuſſu*. Quo quid ſimilius Langobardicæ collectioni? Quod ſi hæc verba, *item alio loco*, canonis ſecundi additamento præfixa, idem ſonant ac iſta, *item alio Codice*; certe non parum inde firmabitur id, quod ex aliis id genus additamentis jam conjecimus, Langobardico nimirum Codice antiquiorem non eſſe Queſnellianum. Neque enim quidquam obſtabit, quominus alterius loci nomine intelligatur Langobardicus Codex.

Chalcedonenſis canon 28. concilio Conſtantinop. attributus.

XCVI. Notabile vero in primis & ſingulare illud eſt, quod habet eadem collectio, ac præterea nulla. Canoni ſcilicet Conſtantinopolitano, quo nullæ & irritæ declarantur factæ a Maximo ordinationes, quique in eo Codice quartus vocatur, ſtatim ſubjicitur canon alius velut ejuſdem ſynodi quintus in hunc modum: *De primatu ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ ſanctu ſynodus dixit: Ubique ſanctorum patrum * terminis ſubjacentes, & quem nunc legimus canonem CL. revereutiſſimorum epiſcoporum, qui congregati ſunt in hanc regiam civitatem, cogueſcentes, hæc cenſuimus de * primatu eccleſiæ civitatis junioris Romæ. Quia * ſedis magaæ Romæ, pro eo quod regnaret, ſancti patres ſtatuerant * ei primatum, * ita nunc & nos in hoc conſtitutum firmantes venerabiles CL. primatum reddimus juniori Romæ, rationabiliter judicantes, at quæ regno & ſenatu honorificatur civitas, obtineat & firmitutem primatus ſecundum magnam Romam: Et in eccleſiaſticis cauſſis magnificam etiam eſſe ſicut Romam, & ſecundam poſt eam eſſe cenſemas: Et ut * Pontum & Aſiam & Thraciam gubernationem metropolitani habeaut; etiam qui in barbaricis ſunt epiſcopi, a ſede ſupraſcripta ordinentur. Et * ut ſingulum metropolitanum memoratas parœcias cum provinciarum epiſcopis ordinent epiſcopum, ſicut divini canones cenſuerunt. Manus impoſitione autem, ſicut ſuperius dictum eſt, a metropolitanis epiſcopis fieri debere: Electione autem facere ſecundum conſuetudinem, ad eos referre oportet. Et ſubſcripſerunt, * Nectarius Conſtantinopolit. epiſcopus, ſtatui & ſubſcripſi, * Paſchaſius legatus ſanctæ eccleſiæ Romanæ ſtatui & ſubſcripſi, * Lucentinus legatus ſanctæ eccleſiæ Romanæ ſtatui & ſubſcripſi. Bonifacius presbyter legatus ſanctæ eccleſiæ Romanæ ſubſcripſi. Et ceteri ſubſcripſerunt, Ægypti, Timotheus Alexandrinus* &c. Verum initio hujus canonis ad marginem legitur eadem manu, que totus exaratus eſt Codex, hæc nota: *Ab hinc inclita ſanctæ eccleſiæ caput non habent*, hoc eſt, ſequentem canonem non habent alii ſanctarum eccleſiarum Codices. Quod certe mirum non eſt; neque enim debuit ullus Codex Conſtantinopolitanis canonibus accenſere eum, qui ad ſynodum Chalcedonenſem pertinet. Ac re ipſa quidem inter hujus ſynodi canones refertur a Labbeo to. 4. pag. 769. veluti vigeſimus octavus: refertur autem non ex Dionyſii, aut Iſidori, aut aliqua veteri collectione, cum iu omnibus omittatur, ſed ex Balſamone, Zonara, ac recentioribus græcis collectoribus. Quare viſum eſt operæ pretium antiquam ejus interpretationem, licet inſignibus mendis maculatam, heic exhibere. Certe poſtrema ejus verba ſic emendari grammaticæ leges volunt, *Manus impoſitionem autem, ſicut ſuperius dictum eſt, a metropolitanis epiſcopis fieri debere; electionem autem facere ſecundum conſuetudinem, & ad eos referre oportet*. At illa quantum diſcrepant ab iis, quæ apud Labbeum e græco latine verſa ſic leguntur: *Ordinari autem, ſicut dictum eſt, prædictarum diœceſum metropolitanos a Conſtantinopolitano archiepiſcopo, convenientibus de more factis electionibus & ad ipſum relatis!* Et prima quidem lectio priſcum jus aſſerit metropolitanorum, poſtrema vero, quæ cum initio canonis aptius cohæret, novum explicat epiſcopi Conſtantinopolitani privilegium. Denique, ne longiores ſimus, videtur is canon Occidentalibus perdiu ignotus fuiſſe. Quod ſuadet, præter alia, cum antiquarii annotatio, quæ ab ceteris eccleſiarum Codicibus illum abeſſe docet, tum etiam, quod gravius eſt, Dionyſiana, Hiſpana, Iſidoriana veterrimæque aliæ collectiones, quæ ne inter Chalcedonenſes quidem canones illum exhibent.

* id eſt ſtatutis.
* græc. ὅροις τῶν ἁγίων, de privilegiis Conſtantinop.
* Leg. ſedi
* dele ei
* Græc. eadem ratione moti CL. venerabiles epiſcopi æqualia privilegia tribuerunt ſanctiſſimæ ſedi junioris Romæ.
* leg. Ponticæ, Aſianæ & Thraciæ diœceſeos metropolitani ſoli, etiam
* Leg. ſinguli metropolitani per ... ordinent provinciæ epiſcopos.
* leg. Anatolius
* Paſchaſinus
* Lucenſius

Geſta continet falſa, ſed antiqua.

XCVII. Neque a falſis nothiſque monimentis pura eſt collectio Langobardica. Quis enim, niſi qui nullum aut veritatis guſtum, aut ſenſum pudoris habeat, Marcellini, Liberii, Xyſti Polychroniique geſta, & Conſtitutum Silveſtri a falſitatis nota vindicate velit? Verum de collectionis antiquitate nihil derogat genuinorum ſpuriorumque mixtura. Non deſunt qui ex Auguſtini verbis colligant, a recentioribus Donatiſtis procuſa eſſe Marcellini geſta paullo ante Collationem Carthagine anno 411. habitam. Quorum ſi vera opinio eſt, Donatiſtis itidem tribuenda ſunt cetera, quæ memoravimus adulterina ſcripta, utpote quibus parentem unum fuiſſe prodit ſtili ſententiarumque ſimilitudo. Et certe, ut de ceteris ſileamus, nihil eſt unum uni tam ſimile tamque par, quam ſimilia ſunt inter ſe Marcellini geſta & Conſtitutum Silveſtri, tum barbarie

Aug. lib. de unico bapt. contra Petil. c. 27.

tum

tum obſcuritate ſermonis. Quæ barbaries & obſcuritas peperit eos codicum nævos, quibus medendi ſpe prorſus abjecta Surius, Nicolinus ac Binius poſt Crabbium, triplicem utriuſque ſcripti contextum edidere, cum unum certum cuiuſque cudere non potuiſſent. Neque diſpar eſt utriuſque architecti impudentia in effingendis epiſcoporum centum nominibus, definiendoque teſtium 72. enormi numero, quo epiſcopus quivis damnari jure poſſit. Ita etiam huic effato Sinueſſanæ ſynodi ſub Marcellino, *Prima ſedes non judicabitur a quoquam*, concinit illud Romanæ ſub Silveſtro; *Neque præſul ſummus a quoquam judicabitur*, ut in hoc, quemadmodum & in ceteris, unum & eumdem utriuſque ſcripti parentem eſſe appareat.

Geſta illa Donatiſtis tribui non poſſe.

XCVIII. Tamen hoc non eo velimus dictum, quod Donatiſtas geſtorum illorum fabricatores eſſe opinemur. Immo, ſi noſtrum heic judicium interponere liceat, videntur nobis qui ita ſentiunt, parum feliciter conjectaſſe. In Donatiſtas enim qui Silveſtri ſe apertos hoſtes profitebantur, quique illum perinde atque Marcellinum ſacrorum librorum traditionis reum agebant, non cadit ſuppoſitio geſtorum, in quibus honorificus paſſim de Silveſtro ſermo eſt. Quis præterea putet ſchiſmaticos homines, qui Romanæ ſedis auctoritati cum ſubducebant ſe ſe, tum etiam obtrectare atque obloqui non ceſſabant, tanto eam deveneratos eſſe obſequio, tantoque ſtudio extuliſſe, ut ſparſis in vulgus commentitiis actis docerent *primam ſedem a nemine judicari?* An non illis fraudi fuiſſet fraus ſua? Deinde idem exſtat effatum in geſtis Xyſto III. papæ adſcriptis: *Non licet*, inquit Maximus exconſul n. 4. pag. 119. *adverſus pontificem dare ſententiam*. Quod ſtatim his verbis confirmat pſeudo-Xyſtus: *Quamquam in meo arbitrio ſit judicer an non judicer* &c. aliaque id genus plura, quæ cum Marcellini geſtis ita conſentiunt, ut dubitandum non ſit, quin ambo uno eodemque torno fabricata ſint. Quid autem inde? Nimirum ex Donatiſtis non prodiiſſe Marcellini geſta ante Collationem Carthaginienſem, ſiquidem longe poſt habitam Collationem illam pontificatum iniit Xyſtus III. cujus acta qui fabricavit, is & fabricaſſe Marcellini jure credatur. Poſtremo ſententiæ noſtræ favet locus ipſe, quem in Codice Langobardico tenent adulterina omnia hæc opuſcula. Non enim ſuo ſingula ordine, ac ſeparatim pro cujuſque pontificis ætate diſponuntur, ſed unum in faſciculum aggeſta collectaque ſunt; adeo ut quæ ſimul juncta reperit compilator, hæc ſuæ itidem collectioni ſimul inſerenda cenſuerit. Quod, præter ſimilem mendaciorum ac ſtili inſulſitatem, ſatis oſtendit omnia ex una eademque officina prodiiſſe. Ceterum de vulgato illo Sinueſſanæ & Romanæ ſynodi effato, *Prima ſedes vel præſul ſummus non judicabitur a quoquam*, hæc obiter dicere habemus, incompertum illud fuiſſe epiſcopis, qui Romæ ſub Damaſo convenerunt. Quod abunde docet ejuſdem ſynodi epiſtola ad Gratianum & Valentinianum imperatores data, in qua teſtantur 1°. *Imperatorum judicio* probatam eſſe Damaſi innocentiam. 2°. Damaſum ipſum, tametſi fuerat Imperatorum judicio purgatus, tamen *ſeverioribus* ſe ipſum dediſſe *judiciis ſacerdotum*. 3°. Silveſtrum, cum a ſacrilegis accuſaretur, cauſſam apud Conſtantinum ſuam dixiſſe. Unde Imperatorem rogant, ut *epiſcopus Romanus, ſi concilio ejus cauſſa non creditur, apud concilium ſe imperiale defendat*. Certe ſi decretum re vera fuerat ut prima ſedes non judicaretur a quoquam, poſtulabat locus & ſuſcepta Damaſi cauſſæ defenſio, ut epiſcopi ſanctionem illam nec tacerent, nec ab Imperatoribus eximie religioſis lædi ſinerent. Tacent nihilo minus, immo, quod mirere, rogant Romanum epiſcopum ab Imperatoribus audiri ac judicari; quod vulgato decreto vetitum erat. Sed de his forte plus ſatis: jam ad propoſitum revertamur.

Damaſ. ep. 6. a. 9. 10. & 15.

Quo tempora aut qua concilio confictа ſint.

XCIX. Quærat aliquis quo tempore, quo concilio fabricata ſint hæc geſta. Certe multo poſt Symmachi ævum illa rejici non ſinit collectionis antiquitas. Videtur autem illorum artifex unum id ſtudio habuiſſe, ut ſynodum Palmarem multis multorum conviciis vexatam defenderet; quæ ſynodus, quia Symmachum adulterii accuſatum dimiſerat *divino arbitrio* abſolveratque, in varias reprehenſiones incurrerat. Conjecturæ noſtræ adſtipulatur id, quod in Marcellini, Silveſtri, Xyſti Polychroniique geſtis toties ad faſtidium oggeritur, Pontificem Romanum a nemine niſi a ſe ipſo judicari poſſe. Nominatim vero Xyſti adverſus Baſſum geſta quam ad Symmachi cauſam accommodata ſint, ſuo oſtendemus loco. Tamen Symmachum hujus fraudis vel auctorem vel conſcium fuiſſe ſuſpicari nefas eſt. Non cadit in pontificem eximiæ morum integritatis & candoris, qualem Symmachum fuiſſe conſtat, projecta illa quidlibet fingendi licentia. Deinde quid mendacii ope ac præſidio egebat vir ſuæ non ſolum conſcientiæ teſtimonio, ſed probitatis fama tectus? Illum jam præter ſynodum Romanam ac potentiſſimum Italiæ regem, Gallicani præſules ſententiis omnibus abſolverant: quid illi technas, quid dolos adhibere opus erat? Demum ſi tueri ſe fraude voluiſſet graviſſimus pontifex, certe, quo erat judicio, fraudis texendæ curam commiſiſſet homini acuto & ſagaci, homini eccleſiaſticis diſciplinis inſtructo, qui noſſet oratione fucata induſtrie commentis ſuis, ſin afferre fidem, ſaltem aliquem veri colorem adſpergere: non indocto & agreſti, qualis eſt geſtorum illorum artifex, cui nulla ſcribendi facultas, nulla ingenii ſcintilla, nulla vel tenuiſſima hiſtoriæ cognitio. Quiſquis autem fuerit operis architectus, ex eo certe fuit hominum grege, qui modo juſtæ, aut quæ juſta ſibi videtur, patrocinentur cauſſæ, mentiri ac fingere fas eſſe putant. Quaſi vero veritatis auctori atque ipſi veritati Deo placere mendacium umquam poſſit, vel indigeat veritas adminiculo falſitatis. Immo non raro accidit, ut bonæ alioqui cauſſæ plurimum noceant imprudentes patroni, qui poſtquam turpi fraude ſemel innotuerunt, ut eſt in proverbio, etiamſi verum dicunt, amittunt fidem. Non ſapiunt igitur hæc opuſcula Romani hominis & eccleſiaſticæ diſciplinæ doctrina vel mediocriter tincti ingenium ac ſtilum, ſed neophyti cujuſdam Gothi, qui ſuum in apoſtolicam ſedem ſtudium ut declararet, mendacium dicere religioni non habuit. Quod ſi autem roget quis, quo loco lucubrata ſit tota collectio Langobardica; nihil ea de re auſimus aſſerere, ſed, quantum conjiciendo aſſecuti ſumus, videtur nobis in ea Italiæ parte lucubrata eſſe, quæ Theodorico Gothorum regi parebat. Cui conjecturæ non parum roboris ac lucis accedet ex his, quæ de ſequenti collectione diſceptabimus.

Append. pag. 515. n. 8.

Avit. Vien. epiſt. 31.

§. V.

De ampliori Collectione ex duabus præcedentibus, Langobardica ſcilicet & Queſnelliana, præſertim conflata.

Duplici parte conſtat.

C. Exſtat in Colbertinæ bibliothecæ codice numero 3368. collectio admodum ampla, quam, quia cum præcedenti non parum habere cognationis deprehendimus, viſum eſt hoc loco recenſere. Quo primum tempore concinnata ſit, quo deinde variis incrementis aucta, diſtinguendum eſt. Utrumque nullo aſſequemur labore, ſi prævios Indices cum ipſa collectione, hoc eſt monimentorum titulos in ipſo codicis veſtibulo deſcriptos cum toto codicis corpore conferemus. Quod idem & in aliis aliarum etiam collectionum codicibus obſervari operæ pretium eſt, uti de Hiſpana nominatim probaturi ſumus. Porro duæ ſunt collectionis hujus partes, quarum utraque plus habet in receſſu, quam in fronte oſtendit, ſive plura continet, quam exhibent Indices, monimenta.

Quid prima contineat.

CI. Prima pars, ſi ad Indicem prævium attendas, conſtare debuit capitibus 57. tantum, hoc eſt debuit ſuperiorem totam collectionem in capita 36. diſtributam complecti, excepto Gelaſii de libris decreto; quibus adjunguntur Leonis epiſtolæ 18. 154. 31. 57. 28. 40. & 130. Tum ſequuntur ex Codice Queſnelliano repetita pars capitis 41. & capita 6. 13. 42. 43. &c. uſque ad 50. id eſt ſynodica Cyrilli epiſtola, Carthaginienſis concilii litteræ ad Innocentium papam, plenarium concilium habitum

Car-

Digitized by Google

Carthagine contra Pelagium & Cæleſtium, geſta Conſtantinopolitanæ ſynodi ubi a Flaviano damnatus eſt Eutyches, geſta de nomine Acacii, Leonis epiſtolæ 95. & 97. epiſtolæ Simplicii ad Acacium & Acacii ad Simplicium, Felicis papæ ad Acacium, Gelaſii tomus de anathematis vinculo, ejuſdem commonitorium ad Fauſtum, epiſtola ad Anaſtaſium imp. & alia ad Acacium ubi damnatus fuit in urbe Roma; Leonis epiſtola ad Imperatorem, epiſtola S. Clementis de Domini ſacramentis.

Quid complectatur ſecunda.

CII. Partem alteram plures occupent Galliarum Hiſpaniarumque canones. In limine eſt Index generalis, qui ſynodorum ſubſequentium nomina, & ſingulos canonum titulos recenſet. Prima in acie ſtant Gallicanæ ſynodi, Arelatenſes I. IV. & II. Carpentoratenſis, Arauſicanæ II. & I. Taurinenſis, Regenſis, Aurelianenſis I. (in qua rex idem Francorum modo *Clodoveus*, nunc *Clodovecus*, alibi *Clodovechus* ſcribitur,) item Aurelianenſes III. IV. V. & II. Epaonenſis, Turonenſis I. (quæ *ſub die* XVII. non ut apud Sirm. *ſub die* XIII. *Kal. Decembris* conſignatur,) Matiſconenſis I. (quæ vox non una ratione in eo codice pingitur, ſed ejus loco vel *Mataſconenſis*, vel *Mateſconenſis*, aut etiam *Mateſcenſis* legitur, notaturque hæc ſynodus habita *anno* XXII. quomodo legitur & in mſ. Sueſſionenſis eccleſiæ; non ut apud Sirm. *anno* XXI. *regni domni noſtri Guntbramni regis*.) Matiſconenſis II. ad cujus calcem habetur, *Præceptio glorioſiſſimi regis Guntbramni ad epiſcopos data, qui in ſuprafcripta ſynodo fuerunt*, (non ut apud Sirm. *ad epiſcopos & judices poſt ſupraſcriptam ſynodum edita*) *de obſervando die Dominico*. His deinde ſynodis ſubjicitur *concilium Telenenſe per* (forte *propter*) *tractatus ſancti Siricii papæ urbis Romæ per Africam. Poſt conſulatum glorioſiſſimi Honorii & Conſtantini congregatæ brevis* (leg. *in eccleſia plebis*) *Telenenſis. Beatus pater primæ ſedis epiſcopus ſanctus Donatianus civitatis Thelenſis*, & ad ejus calcem, *Expliciunt canones Thelenſes*. Tametſi vero idem concilium in pervetuſto exemplari Corbeienſi *Telenſe* inſcribitur, tamen qui concilio præfuit Donatianus ibidem vocatur *civitatis Teleptenſis epiſcopus*, quod idem habent alii codices manuſcripti. Unde colligere eſt antiquarios *Teleptenſis*, *Telenenſis*, *Thelenſis* ſeu *Telenſis* vocibus promiſcue olim fuiſſe uſos. Quæ ſint obiter dicta, donec in ipſam Siricii epiſtolam, quæ memorato in concilio recitata eſt, fuſius ea de re diſſeramus. Exinde variæ ſubſequuntur ſynodi, Pariſienſis III. Autiſiodorenſis I. Cabilonenſis itidem I. quæ anno 650. habita eſt. Succedunt Hiſpana concilia, Eliberitanum, Tarraconenſe, Gerundenſe, Cæſarauguſtanum, Ilerdenſe, Toletanum I. Valentinum, Toletana II. III. IV. V. VI. & VII. (ſeu VIII. quod ibidem notatur XVII. *Kal. Jan. era* DCXCI. id eſt Decembris 16. die anni 653. celebratum) Bracarenſia I. & II. *Sententiæ quæ in veteribus exemplaribus conciliorum non habentur, ſed a quibuſdam in ipſis inſertæ ſunt*. Quas ſententias *ex ſynodo Spalenſi* expreſſas eſſe admonet nota margini ſuperiori appoſita: atque hæc nota, niſi fallimur, inde fluxit, quod ſententiæ illæ ſynodo Hiſpalenſi II. ſubnexæ legantur in pervetuſtis quibuſdam codicibus. Verum minus apta eſt annotatoris concluſio. Nam ſententias eaſdem exhibet Hubertinum exemplar Caroli Calvi temporibus exaratum, atque ita exhibet, uti ſunt in vetuſtis aliis codicibus, Hiſpalenſi nimirum concilio II. ſubnexas; & tamen memoratum titulum illis præfigit, *Sententiæ quæ in veteribus exemplaribus conciliorum non habentur, ſed a quibuſdam in ipſis inſertæ ſunt*. Quid opus erat titulus, ſi ad ſynodum Hiſpalenſem II. pertinebant? Illæ porro aliud nihil ſunt niſi 23. canones, quos & Agathenſibus a 47. uſque ad 71. adjectos legimus in vulgatis: & Agathenſis ſynodi nomine laudarunt Ivo, Gratianus, aliique canonum compilatores. His ſubligantur tum *patrum ſynodus a Martino epiſcopo ordinata*, ſeu Martini Bracarenſis ex Orientalium patrum decretis adornata collectio, tum *eccleſiæ antiquæ ſtatuta*, ſive ut in margine ſuperiori notatur, concilium Carthaginienſe IV.

Pars II. de antiquis canonum collectionibus. Quæ poſtmodum utrique parti fuerint adjecta.

CIII. Hactenus quæ generales utriuſque partis Indices recenſet. Sed longe plura toto ipſo Codice continentur. Et in priori quidem parte non ea reperias, quæ capitibus 56 & 57. contineri Index prænuntiat, ſed eorum loco clauſulam epiſtolæ 17. Leonis ac totam ejuſdem epiſtolam 4. Tum alia complura ex Queſnelliano Codice repetita, ſcilicet capita 6. 7. 8. & cetera ad 20. incluſive, quibus & ejuſdem Codicis capita 29. 30. 31. 52. 53. 54. & 55. ſubjunguntur. Ad hæc accedunt Leonis epiſtolæ 93. 92. & 91. concilium Telenſe, regula Formatarum, Clementis epiſtola ad Jacobum fratrem Domini, Gelaſii decretum de libris. Atque hanc demum partem claudit *Conſtitutum domni Conſtantini imperatoris* in gratiam Romanæ eccleſiæ, conſignatum *Roma ſub die* III. *Kalendarum Aprilium domno noſtro Flavio Conſtantino auguſto quarto & Gallicano viris clariſſimis conſulibus*. Habet & ſecunda pars monimenta itidem non pauca, quorum ne meminit quidem Index prævius, puta concilium Toletanum XI. ſub die VIII. Id. Novemb. era DCCXIII. Toletanum XII. ſub die Iduum Januar. era DCCXIX. Toletanum aliud pridie Idus Novemb. era DCCXXI. celebratum, fragmenta quædam ex Theodori pœnitentiali, ex Gregorii I. ſcriptis, & ex epiſtola Gregorii III. ad Bonifacium decerpta, quæ haud dubie, ne quod folium inane ſupereſſet ac vacuum, huc librarius traduxit.

Quando & ubi concinnata fuerit hæc collectio.

CIV. Jam vero his nude ſimpliciterque expoſitis, colligere eſt quo tempore ac loco concinnata ſit noviſſima illa collectio. Ac primo quidem hinc liquet ſuperiorem, quam Langobardicam ſeu quartam vocamus, ſic ei totam inſerai, ut principem locum teneat. Neque minus exploratum eſt acceſſiones quintæ additas fluxiſſe cum ex Codice Queſnelliano, tum ex aliqua etiam Gallicanorum Hiſpanorumve canonum collectione. Quamobrem vix ambigimus, quin Gallus Hiſpanuſve fuerit is, qui tam amplam lautamque utrorumque conciliorum ſupellectilem penes ſe habuerit, & jam receptæ collectioni inſerendam duxerit. Gallum vero potius fuiſſe, quam Hiſpanum, argumento illud eſt, primo quod longe plures in ejus opere leguntur Gallicanæ ſynodi, quam Hiſpanæ: deinde quod ſuam antea jam Hiſpani habebant collectionem, eamque tum aptiori diſpoſitam ordine, tum etiam multo pluribus Hiſpaniarum conciliis refertam. Porro id operis credimus in ea Galliarum parte confectum eſſe, quam aliquandiu tenuere Gotthi, & cui maxima cum eccleſiis Hiſpanis conſuetudo fuit. Quod præſertim Theodorici Gotthorum regis temporibus, hoc eſt ſub initia ſæculi VI. contigiſſe, ac diu poſtea perſeveraſſe conſtat. Unde nihil repugnat & ſuperiorem, ſive quartam, collectionem in eo Italiæ tractu, qui Theodorico parebat, procuſam eſſe, atque inde in Gallias advectam. De quinta vero, quam hic excutimus, ſi conſulamus prævios Indices, palam erit ab ſuperioris ætate recentem eſſe. Quippe nil exhibent Indices, quod ultra ſynodi vel Matiſconenſis I. hoc eſt anni 650. vel Toletanæ VIII. ſive anni 653. tempora rejici poſſit. Quare non videtur veri abſimile, collectionem anno Chriſti 660. adornari cœpiſſe. Crevit illa quidem monimentis aliis in priorum claſſem ſubinde admiſſis: ſed & hæc iiſdem e fontibus hauſta ſunt, unde & priora, puta ex Codice Queſnelliano, & ex Hiſpana canonum collectione: atque in his additamentis nihil quidquam eſt, quod ultra ſæculi ſeptimi fines excurrat. Ceterum in tota collectione tametſi ampliſſima eſt, offendas itidem nihil, unde collectori notam fuiſſe Dionyſianam ſubodoreris. Immo non deſunt quæ ignotam fuiſſe perſuadeant. Certe qui monimenta vetera hinc & inde ſcrutari, alia aliis aggerere, & unum in corpus jam compacta augere tantopere ſtuduit, is, ſi Dionyſianum opus habuiſſet in manibus, commiſſurus non erat, ut ex ejus fontibus hortulos ſuos, ut aiunt, non irrigaret. Saltem apoſtolicos canones Dionyſianæ collectionis fronti præfixos ſuum in cenſum retuliſſet, maxime cum eos jam tum recepiſſent Romani præſules, uti fidem abunde facit Johannis II. epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem epiſcopum anno 534. data. Unde nec levis ſuſpicio eſt, Dionyſii exigui collectionem in Gallias non ante perlatam eſſe,

PARS II. DE ANTIQUIS CANONUM COLLECTIONIBUS.

eſſe, quam eam Carolo Magno obtuliſſet Hadrianus I. novis incrementis auctam. Jam vero qualis illa primum fuerit, tempus eſt ut hoc loco paucis expendamus. A

§. VI.

Dionyſii Exigui collectio qualis primum fuerit.

Bed. de temp. rat. c. 45. Caſſiod. div. lect. cap. 23. Herigerus Lob. apud Martene to. 4. Theſaur. Anecdot. pag. 114.

CV. Dionyſius cognomento Exiguus, ſive Romanus abbas fuerit, ut Beda tradit, ſive dumtaxat *monachus* uti vocatur a Caſſiodoro ejus familiari, natione Scytha fuit, atque *in utraque lingua*, ut Caſſiodori ejuſdem verbis utar, græca nimirum & latina, *doctiſſimus, reddens actionibus ſuis quam in libris Domini legerat æquitatem.* Is cum præclaram in Urbe pietatis ac doctrinæ famam ſibi feciſſet, rogatus fuit a Laurentio quodam, ut canonum græcorum interpretationem novam adornaret. Sed manum operi non admovit eruditus interpres, niſi poſtquam ad Laurentii preces acceſſit petitio Stephani epiſcopi Salonitani, cujus voluntati tandem paruit. B Primam itaque collectionis ſuæ partem aggreſſus,

Qualis fuerit collectionis Dionyſii prima pars.

apoſtolicos canones L. in primori acie collocandos putavit, tametſi *plurimi*, quod ipſe monet, *eis conſenſum non præbuere facilem. Deinde*, ut idem ipſe de ſe narrat, *regulas Nicenæ ſynodi & deinceps omnium conciliorum, ſive quæ ante eam, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, uſque ad ſynodum* CL. *pontificum qui apud Conſtantinopolim convenerunt, ſub ordine numerorum, id eſt a* I. *capite ad* CLXV. *ſicut habetur in græca auctoritate digeſſimus*, (ut etiamnum legitur in prima Codicis Juſtelliani collectione.) C *Tum ſancti Chalcedonenſis concilii decreta ſubdentes, in his græcorum canonum finem eſſe declaramus. Ne quid præterea notitiæ veſtræ videamur velle ſubtrahere, ſtatuta quoque Sardicenſis concilii atque Africani, quæ latine ſunt edita, ſuis a nobis numeris ſunt diſtincta. Univerſarum vero definitionum titulos poſt hanc præfationem ſtrictius ordinantes, ea quæ in ſingulis ſparſim ſunt promulgata conciliis, ſub uno adſpectu locavimus, ut ad inquiſitionem cujuſque rei compendium aliquod attuliſſe videamur.* D

Quædam circa hanc partem obſervanda.

CVI. Unde obſervamus 1o Dionyſium non Romano, ſed Græco canonum Codici tum ordinando *ſtrictius* ut ipſe loquitur, tum caſtigatius eleganti-uſque vertendo, ſuam impendiſſe operam, retenta etiam quæ obtinebat apud Græcos capitulorum diviſione; atque id laboris non Romani præſulis juſſu, ſed Salonitani rogatu & conſilio aggreſſum eſſe,

Caſſiod. div. lect. cap. 23.

utpote *qui*, inquit etiam Caſſiodorus, *petitus a Stephano epiſcopo Salonitano ex græcis exemplaribus canones eccleſiaſticos . . . magna eloquentiæ ſuæ luce compoſuit.* Quare nil mirum priori hac parte contineri cum apoſtolicos canones, quos Hormiſda ſecundum Gelaſium papam inter apocrypha proxime rejecit, tum & Conſtantinopolitanos, quos Gregorii I. temporibus Roma necdum receperat. E Obſervamus & illud alterum, Græcos ſcilicet ſuo canonum Codici jam tum adjeciſſe Chalcedonenſes, atque in eis canonum ſuorum finem feciſſe, cum is Codex, uti jam expoſuimus, Nicænis, Ancyranis, Neocæſarienſibus, Gangrenſibus, Antiochenis, Laodicenis, Conſtantinopolitanis, ac præterea nullis pridem conſtaret. Monemus præterea hoc loco de Chalcedonenſibus Dionyſium ita loqui, ut eos Romano Codici videatur primus intexuiſſe. Verum aliud ſuadent veteres eorumdem canonum uti & ceterorum itidem Græcorum interpretationes, quas hodieque aſſervant Codex a Paſchaſ. Queſnello vulgatus & Langobardica collectio. F Porro ut ſapientiſſime providit eruditus Scytha, ne quid Romanis deeſſet ſynodalium decretorum, quæ recepta jam erant a Græcis, ita etiam probe cavit, ne quid illis adimeret, cujus in poſſeſſionem jam venerant. Hinc adeo Sardicenſibus Africaniſque decretis, quæ a Codice Græcorum exſulabant, ſuum in Romano locum ſervari voluit. Denique in ſtudioſorum uſus, generalem præmiſit collectioni ſuæ Indicem, quo canonis cujuſque argumentum & ſummam paucis perſtringit. Quod etſi videtur ſuum ſolius proprium ducere, tamen aliis quibuſdam collectoribus, iiſque non inferioris ætatis, commune eſſe comperimus. Similem, licet minus accuratum, Indicem præ ſe fert in ipſo limine pervetuſtum exemplar Corbejenſe. Habet & collectio Langobardica in cujuſque ſynodi fronte titulos numeris diſtinctos, quibus canonis cujuſque ſumma continetur. Tacemus quartam, cujus auctor, tametſi nihil ex Dionyſiana hauſit, tamen generalem itidem appoſuit Indicem, quo monimenta ſingulis in conciliis ſeorſim promulgata ob oculos ponit.

Qualis fuerit collectionis Dionyſii ſecunda pars.

CVII. Acceſſerat jam dudum huic operi extrema manus, cum ecce Dionyſio, ut apoſtolicæ ſedis præſulum conſtituta colligeret, auctor fuit Julianus tituli ſanctæ Anaſtaſiæ presbyter, qui & ſynodo Romanæ anno 499. ſub Symmacho habitæ ſubſcripſit. Nec mora, familiaris ſui precibus & officiis ceſſit eruditus collector. Decretales pontificum litteras, qua licuit diligentia conquiſitas, in ordinem digeſſit; ſingulorum ſtatuta ſingulis diſtinxit titulis; titulos ſuo quoſque numero inſignivit; atque ut novus quis ſuccedebat pontifex, novam repetiit numerorum ſeriem; demum ut quod in priori collectionis ſuæ parte fecerat, idem præſtaret & in altera, titulos ſimul collectos præfationi ſuæ ſubnexuit. Ecce autem totius operis ordo & methodus. In aditu ipſo ac limine eſt præfatio ſeu epiſtola ad Julianum presbyterum, quam ab Holſtenio editam, & ad Regii codicis fidem emendatam, in fronte operum Gelaſii papæ I. recudemus. Tum ſequuntur *decreta ſeu tituli decretorum Siricii 15. Innocentii 57. Zoſimi 3. Bonifacii 4. Cæleſtini 22. Leonis 48. Gelaſii 28. Anaſtaſii II. 8. Poſt hæc ordine incedunt pontificiæ litteræ: puta SIRICII epiſtola I. ad Himerium in 15 titulos diviſa. INNOCENTII epiſtola XXV. ad Decentium, unde hujus papæ priores octo tituli, II. ad Victricium, unde duodecim ſequentes tituli in vigeſimo deſinentes, VI. ad Exſuperium unde ſeptem alii tituli, quorum poſtremus eſt 27. XXXVII. ad Felicem, in qua tituli quinque a 28. ad 32. protenduntur, XXXVIII. ad Maximum & Severum ſub unico titulo 33. XXXIX. ad Agapitum, Macedonium & Marianum ſub 34. titulo, XVIII. ad Rufum, Gerontium &c. ſub 35. titulo, XL. ad Florentinum ſub 36. titulo, XXXVI. ad Probum ſub 37. titulo, X. ad Aurelium & Auguſtinum ſub 38. titulo, XV. ad Julianam ſub titulo 39. XIV. ad Aurelium ſub titulo 40. XXIII. ad Bonifacium ſub 41. titulo, XX. ad Alexandrum ſub 42. titulo, XXII. ad Maximianum ſub 43. titulo, XIX. ad Alexandrum ſub 44. titulo, XXIV. ad eumdem ſub titulis 45. 46. & 47. XXI. ad Acacium ſub titulo 48. XLI. ad Laurentium, unde titulus 49. XVII. ad Marcianum, unde 50. titulus, XVI. ad Rufum, Euſebium ac ſocios, unde reliqui ſeptem tituli, quos ſi ad alios adjungas, habebis quinquaginta ſeptem; item ZOSIMI epiſtola IX. ad Heſychium in titulos tres diviſa, cui addita XIV. ad presbyteros legatos Ravennæ quartum titulum conficit; necnon BONIFACII I. epiſtola VII. ad Honorium, unde primus titulus, VIII. ſeu reſcriptum Honorn, unde titulus ſecundus, III. ad Patroclum, Remigium &c. unde tertius, XII. ad Hilarium, unde quartus ac poſtremus conficitur; Cæleſtini tres epiſtolæ, ſcilicet XXI ad Venerium, Marinum &c. cum adjunctis præteritorum ſedis apoſtolicæ epiſcoporum auctoritatibus, IV. ad epiſcopos Apuliæ & Calabriæ, quarum prima titulis 13. prioribus, altera 14. 15. 16. 17. 18. & 19. ſequentibus, poſtrema tribus aliis, id eſt 20. 21. & 22. conſtat; LEONIS quoque epiſtola IV. ad epiſcopos per Campaniam, unde primi quinque tituli, VII. ad epiſcopos per diverſas provincias, unde unicus titulus iſque ſextus, XVIII. ad epiſcopos per Siciliam, unde 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 13. tituli, XVII. ad Januarium, unde 14. titulus exſtat, XVII. ad Turibium titulis 16. diviſa, quorum primus 15. ultimus 30. recenſetur, XII. ad Anaſtaſium, quæ titulis decem conſtat, ſcil. a 31. ad 40. productis, CXLIX. ad Nicætam in ultimos ſeptem titulos, hoc eſt a 41. ad 48. diſtributa; ac præterea GELASII epiſtola unica XI. in 28. titulos diſtincta; demum ANASTASII II. epiſtola ad Anaſtaſium imperatorem. Atque hæc viſum eſt minutatim exſequi ac recenſere, ut ne quis forte paſſim hæreat legendis

Cre-

Creſconii aliorumqoe veterum collectionibus, quæ pontificias litteras ſecundum eam titulorum diſtributionem citant, quam Dionyſius invexit.

Quo tempore adornata ſit Dionyſii collectio.

CVIII. Habes, erudite lector, totius Codicis delineationem. Duas tribuitur in partes, quarum una canones conciliorum, altera pontificum litteræ continentur. Apta ſane diſpoſitio, quæ res antea inordinatas in ordinem adduxit. Mirari autem ſubit virum ita, uti erat Dionyſius, monimentorum veterum ſagacem & curioſum indagatorem, commorantem Romæ, tanta nominis celebritate notum, tam pauca tamen apoſtolicæ ſedis præcepta (ſic epiſtolas decretales vocat,) reperiſſe. Quid inde? Eaſne unas in genuinis habendas eſſe, quas collegit? At vero exſtabant id ætatis in collectionibus aliis epiſtolæ aliæ longe plures, quarum auctoritas ac fides extra omnem controverſiam poſita eſt. Quanto potius inde admonemur, ubi agitur ſinceræne ſint an ſpuria quædam monimenta, ſobrie omnino utendum eſſe argumentis ex hujuſmodi vel ſilentio vel prætermiſſione ductis, præſertim ſi alia deſint, quæ faciant fidem! Jam vero ut quo tempore lucubrata ſit hæc collectio tandem dicamus, certum eſt illam non ante Anaſtaſii II. ævum collocari poſſe. Atque id primo palam indicat ea, quæ litterarum agmen claudit, ejuſdem papæ epiſtola. Deinde nec Dionyſium ante id temporis Romam veniſſe explorata res eſt, cujus vel ipſum etiam Dionyſium ſponſorem damus & vadem. Teſtatur ipſe ſe numquam Gelaſium *corporali præſentia* vidiſſe; adeoque Romæ commoratum non eſſe niſi poſt hujus papæ obitum. Venit ergo, ut citius, ſub Gelaſii ſucceſſore Anaſtaſio II. atque collectionem ſuam auſpicari tum potuit. Eam vero Symmachi temporibus abſolviſſe eo probabilius videtur, quod alteram collectionis partem confecit rogatu Juliani presbyteri, quem *Gelaſii alumnum* vocat, quique, uti jam obſervavimus, Romanæ ſynodo ſub Anaſtaſii ſucceſſore Symmacho anno 499. celebratæ ſubſcripſit. Quorſum autem, (nam id forte quæret aliquis,) ſecundæ partis nihil meminit Caſſiodorus, qui primam eamque ſolam lib. de inſtit. div. litt. c. 23. commemorat his verbis: *Qui* (Dionyſius) *petitus a Stephano epiſcopo Salonitano ex græcis exemplaribus canones eccleſiaſticos .... magna eloquentiæ ſuæ luce compoſuit, quos hodie uſu celeberrimo eccleſia Romana complectitur: hos etiam oportet vos aſſidue legere, ne videamini ſalutares eccleſiaſticas regulas culpabiliter ignorare?* Facilis & expedita reſponſio eſt. Commendat hoc loco Caſſiodorus Dionyſii in vertendis græcis peritiam; ideoque certum peritiæ illius ſpecimen capit ex canonum græcorum interpretatione latina, quæ prima collectionis parte continetur: at merito tacet de ſecunda ſive de pontificum litteris, utpote quæ collectorem græce ſcientem nec deſiderabant, nec fuiſſe probant. Quod autem ait idem ſcriptor, Dionyſianam canonum interpretationem *celeberrimo uſu* ab eccleſia Romana receptam eſſe, cave de canonibus omnibus, quos latine vertit Dionyſius, dictum putes. Unum id voluit Caſſiodorus, eccleſiam Romanam ſuos canones, eos nimirum quibus antea jam aſſueverat, ex Dionyſiana interpretatione tum uſurpare cœpiſſe. Etenim Romani, ut ante Dionyſium, ſic & poſtea, eos rejecere canones, quos a Nicænis vel tantillum differre ſentiebant.

Meræ collectionis Dionyſianæ rara exemplaria.

CIX. Collectionis hujus, qualis a Dionyſio prodiit, perrara ſunt exemplaria. Unum habuit inter manus, ac ſæpius laudavit Baronius, quod etſi Creſconianum vocat, Dionyſianum tamen eſſe comperimus. Alterum aſſervat bibliotheca Regia numero 3887. inſignitum: quamquam, ut ne diffiteamur quod res eſt, nonnullam habet cum Dionyſiano diſſimilitudinem. Præterquam quod enim primæ partis præfatione caret, aliam tenet in diſtinguendis conciliorum decretis numerorum ſeriem. Dionyſius omnes omnium conciliorum canones capitulis clxv. concluſit, iiſque *ſub una numerorum ſerie* diſpoſitis ad imitationem Græcorum. E contrario Regium exemplar omnes cujuſque ſynodi canones ſuo ipſorum numero recenſet, nulla numeri præcedentium canonum ratione habita. Exempli cauſa, quos Nicænis 20. canonibus ſubnexos habet Ancyranos, eos non numeris xxi. xxii. &c. ſed numeris i. & ii. &c. notat, tamquam ſi telam aliam exordiatur. Hujus porro diſcrepantiæ quæ cauſa fuerit, facile eſt conjicere. Antiquarii nimirum initam a Dionyſio numerandorum canonum rationem ita adhibuerunt, ut ſingula cujuſque ſynodi capitula ſuo e regione numero notaverint, & primum quemque canonem numero i. ſecundum numero ii. ac ſic alio alios, ut poſtulabat canonum ſeries, deſignaverint. Librarii deinde conſequuti, omiſſis Dionyſii numeris, alios retinuere, utpote magis vulgares magiſque ad diſtinctionem rerum accommodatos. Conjecturæ noſtræ favent exemplaria collectionum, quæ Nicænos Sardicenſeſque canones ſimul conjunctos, & uno eodemque numerorum filo colligatos habent. In quibuſdam enim poſt Nicænum canonem 20. recenſetur Sardicenſis canon primus numero xxi. inſignitus, & ad marginem poſita legitur numeri i. nota, quæ Sardicenſem primum eſſe commonſtrat: unde factum opinamur, ut in poſterioribus exemplis diſtinguerentur Sardicenſes canones a Nicænis. Quod idem in Dionyſiana etiam aliis aliarum ſynodorum decretis, idque non longe poſt Dionyſii obitum, accidiſſe fidem facit Joannis II. papæ epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem anno 534. data. Ejus quippe ad calcem ſubjiciuntur canones nonnulli ad examinandam Contumelioſi Regienſis epiſcopi cauſſam pertinentes; atque ita ſubjiciuntur, ut licet ex Codice Dionyſiano deſcripti ſint, ſuis tamen propriis numeris inſigniantur, non Dionyſianis. Gravius vero illud eſt, quod ex eadem epiſtola colligimus: Dionyſianam nimirum collectionem magnæ tum temporis apud Romanos auctoritatis fuiſſe, utpote quæ in dirimendis epiſcoporum cauſſis habebatur ſic tamquam publica conciliorum interpres & norma judiciorum. Eamdem in Africa ſubinde receptam eſſe perſuadet Creſconii Breviarium. Serius in Gallias delatam fatemur: at ex quo tempore ab Hadriano I. oblata Carolo Magno eſt, tanta floruit celebritate, ut principem locum tenuerit. Ex illa ſibi compilatores alii quantum quoque modo videbatur, excerpſere. Unde tres potiſſimum collectiones prognatæ, tamquam ex trunco propagines: una *Codicis canonum eccleſiæ Africanæ* titulo minus apte inſcripta, altera Creſconii; poſtrema demum, quam Dionyſianæ gemellam fere dixeris, adeo cum illa congruit; niſi quod monimentis quibuſdam in ſecunda parte auctior eſt. De ſingulis ſeorſim nunc agendum.

Pars II. De antiquis canonum collectionibus.

§. VI.

De vulgato Codice canonum eccleſiæ Africanæ;

CX. Canonum Codicem græce ac latine publicavit Pariſiis anno 1614. Chriſtophorus Juſtellus, vir dum viveret eccleſiaſtici juris conſultiſſimus, atque Codici titulum indidit, *Codex canonum eccleſiæ Africanæ*. Eumdem item Pariſiis anno 1661. in Bibliotheca juris canonici veteris to. 1. pag. 320. recudi curavit Guill. Voellus opem ferente Henrico Juſtello Chriſtophori filio. Is porro Codex, ſi æſtimatur ex titulo lectori fucum facit, utpote qui nil præſtat minus, quam quod pollicetur. Credas eo contineri canones prorſus omnes, quos habuere in uſu Africani patres: alios vero nullos exhibet, niſi quos Carthaginienſis ſynodus *poſt conſulatum glorioſiſſimorum imperatorum Honorii* xii. *& Theodoſii* viii. hoc eſt anno 419. in ſecretario baſilicæ Fauſti a die 25. Maji ad 30. congregata, vel ipſa condidit, vel ab ſuperioribus conciliis intra Aurelii Carthaginienſis epiſcopi tempora conditos recitari ſibi juſſit. Atque hos canones ne ad eum quidem repræſentat modum, quo memoratæ ſynodi actis inſerti erant, ſed quo Dionyſius collectioni ſuæ inſerendos duxit. Verbo dicam, purum putum eſt Dionyſianæ collectionis ſegmentum, iis omnibus inſtructum, quæ Codici ſuo majoris explicationis cauſſa adjecit eruditus ille collector, titulis nimirum quos canoni cuique præfixit, & admonitionibus quibus prætermiſſarum a ſe rerum rationem reddit. Quod ne gratis aſſeverare videar, juvat aſſertionis argumenta proferre; maxime cum in contrarium ierint viri non vulgariter eruditi.

Pars II. de antiquis canonum collectionibus. Nicæni canones Dionyſianæ collectionis ſequentium. [margin note: PARS II. DE ANTIQUIS CANONUM COLLECTIONIBUS. Nicænum eſt Dionyſianæ collectionis ſequentium.]

CXI. Primum, ne longa ſit mora, en argumentum ex prædictæ ſynodi proœmio repetitum. Sermonibus quibuſdam ultro citroque habitis, *omne concilium dixit*, Aurelium Carthaginienſem epiſcopum alloquens: *Exemplaria fidei & ſtatuta Nicænæ ſynodi, quæ ad noſtrum concilium per beatæ recordationis olim prædeceſſorem tuæ ſanctitatis, qui interfuit* (Nicænæ ſynodo) *Cæcilianum epiſcopum allata ſunt, ſed & quæ patres exemplaria ſequentes heic conſtituerunt, vel nunc communi tractatu ſtatuimus, his geſtis eccleſiaſticis inſerta manebunt.* Has voces nota quæſo: *Statuta Nicænæ ſynodi ..... his geſtis eccleſiaſticis inſerta manebunt.* Videlicet Africanis patribus viſum eſt canones Nicænos ſuis ipſorum ſtatutis accenſere. Debet ergo Juſtellianus Codex, ſi vere Africanus Codex eſt, hos ipſos canones complecti; maxime cum, præmiſſa Nicænæ fidei expoſitione, hanc ſubnectat notam: *Statuta quoque Nicæni concilii in 20. capitulis ſimiliter recitata ſunt, ſicut in ſuperioribus inveniuntur adſcripta.* Tamen *ſuperiora*, immo totum, quantus eſt, Codicem excute, canonum eorum nulla prorſus vel minima uſpiam veſtigia deprehendes. Quid ita porro? Cauſſam tenebis, ſi quem Africanum Codicem vocant, eum ſuo parenti Dionyſio reſtitueris. Nimirum Dionyſius cum ſynodi hujus Carthaginienſis geſta collectioni ſuæ intexeret, iiſdem inſerta reperit Nicæni concilii ſtatuta; ſed ea, quia jam in prima Codicis ſui fronte poſt apoſtolicos canones collocaverat, putavit repetenda non eſſe, ne importunis earumdem rerum iterationibus & faſtidium afferret lectori, & Codicem ſuum plus æquo oneraret. Hinc eſt quod illa prætermiſit, ſic tamen ut appoſuerit eam, quam mox retulimus admonitionem, *Statuta quoque Nicæni concilii in 20. capitulis ſimiliter recitata ſunt, ſicut in ſuperioribus inveniuntur adſcripta.* Quam admonitionem ſi quis ad ſynodi geſta pertinere volet, fallacem & falſam eſſe conſiteatur neceſſe eſt. Optandum tamen fuerat, ut quemadmodum Nicænæ fidei expoſitionem, licet jam collectionis ſuæ initio deſcriptam, repetiit Dionyſius, & inter Africana geſta retulit, ſic & Nicænos canones ita, uti erant iiſdem geſtis intertexti, repræſentaſſet. Inde enim quæ tradita fuerit Cæciliano Nicæa redeunti canonum illorum interpretatio, certius conſtaret: quod poſſe momenti foret non levis. Alterum, at ejuſdem generis, argumentum ſuppeditat memorati Codicis caput 137. in quo poſt relatam Attici epiſcopi CP. epiſtolam, ac deſcriptum Nicænæ ſynodi ſymbolum, legitur iſthæc annotatio: *Huic ſymbolo fidei etiam exemplaria ſtatutorum ejuſdem concilii Nicæni a memoratis pontificibus annexa ſunt, ſicut ſuperius per omnia continentur, quæ nos heic iterum conſcribi neceſſarium non eſſe credidimus.* Unde rurſum ad Juſtelli Codicem provocamus. Propriis eum oculis penitius inſpice. Statutorum illorum nihil in eo reperies quidquam præter nomen. Quamquam cur ea, qualia ex Oriente recens allata erant, hoc iterum deſcriberentur in loco, non deerant rationes, eæque graves. Sardicenſem canonem 17. de clericorum ad ſedem apoſtolicam appellationibus protulerat Zoſimus, tamquam e Nicænis unum. Canonis ſibi hactenus inauditi, nec inter Nicænos ſuos reperti fidem ſuſpectam habuerant Afri præſules; ac ne quid in re tanti momenti diligentiæ reliquum facerent, miſerant in Orientem legatos, qui authentica Nicænorum canonum exemplaria conſulerent, reportarentque diligenter deſcripta. His ergo tandem acceptis, intererat Africanorum pro diſciplinæ ſuæ tutela excubantium, ſincera hæc ſtatuta ſynodalibus geſtis annecti: ne, quod in primis cavendum erat, aliena pro veris in poſterum obtruderentur. Et ea quidem annexuerant. Quorſum igitur in Africano, ut vocant, Codice nuſquam comparent? Quia ſcilicet quem Africanum eſſe ajunt, is non eſt, ſed mera collectionis Dionyſianæ pars. Dionyſius autem ut brevitati conſuleret, ac ne actum agere videretur, ab his deintegro repræſentandis iterum ſuperſedit, uti adjuncta docet admonitio. Sequatur & inſigna aliud ſimilis prætermiſſionis exemplum.

CXII. Quæ prima refert Juſtellianus Codex decreta, ea ſunt numero 33. & concilii Carthaginienſis anno 419. habiti propria, aut ſaltem alii nulli adſcripta. Eorum ad calcem occurrit titulus, *Canones diverſorum conciliorum*: cui titulo ſubjicitur hæc nota, *Recitata ſunt etiam in iſta ſynodo diverſa concilia univerſæ provinciæ Africæ, tranſactis temporibus Aurelii Carthaginienſis epiſcopi celebrata.* Tum proxime ſequitur, *Glorioſiſſimo imp. Theodoſio aug. III. & Abundantio V. C. coſſ. VIII.* (id eſt anno 393.) *Idus Octobris Hippone regio in ſecretario baſilicæ pacis. Geſta hujus concilii ideo deſcripta non ſunt, quia ea, quæ ibi ſtatuta ſunt, in ſuperioribus probantur inſerta.* Quibus verbis admonet collectionis auctor, poſtulare quidem Carthaginienſium geſtorum ſeriem, ut quæ heic illigata erant Hipponenſia ſtatuta, ſuo itidem recenſeantur loco; ſed prætermiſſa ideo fuiſſe, quod *in ſuperioribus probarentur inſerta.* Nuſquam tamen, ne in *ſuperioribus* quidem inſerta legas. Nam inter Carthaginienſia, quæ primam, uti jam diximus, aciem tenent, nullum occurrit Hipponenſis ſynodi titulo inſignitum. Niſi forte ideo inſerta dici utcumque poſſint, quod nonnullam cum his habeant conſenſionem. Verum quid inde? Aliud nihil, niſi Dionyſium hac utrorumque convenientia adductum eſſe, ut, Carthaginienſibus deſcriptis, Hipponenſia præteriret. Quamquam, ut mox oſtendemus palam, haud ita ſecum conveniunt, quin inſigniter diſcrepent in multis: atque adeo parum caute fecit Dionyſius, qui ſtatuta præcedentibus aptiſſime connexa diſſociavit, immo penitus recidit. Quod ſi vero admonitionem Africano Codici propriam eſſe quis contendat, cogitet ſupervacaneam fuiſſe, immo falſam. At enim in hunc ipſum Codicem, contra ac docet admonitio, relata erant Hipponenſia ſtatuta, neque relata ſolum, ſed ſuo etiam Hipponenſium titulo inſcripta. Cujus rei teſtem proferimus exploratum & gravem, Ferrandum Carthaginienſis eccleſiæ diaconum. Is certe Africanus homo Africanum Codicem habuit inter manus, tum maxime cum ſuam canonum Breviationem concinnavit. Atqui quo uſus eſt Codice, ille Hipponenſia ſtatuta non alieno, ſed ſuo ipſorum nomine notata repræſentabat. Argumento ſunt Breviationis capitula 34. 35. 38. 47. 54. 95. & 198. quæ Ferrandus non Carthaginienſis, ſed nominatim *Hippone regienſis concilii* titulis 3. 5. 8. & 9. confirmat. Præterea quoniam in hunc diaconum incidimus, obſervare juverit exſtitiſſe itidem in ejus Codice canones Nicænos, Ancyranos, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Antiochenes, Laodicenos, Sardicenſes alioſque complures in diverſis Africæ ſynodis conditos, quorum ut mentionem ſæpe facit ejus Breviatio, ita nullum vel leviter impreſſum habet veſtigium Juſtellianus Codex. Quare quo jure Africani Codicis titulo honeſtatus ſit, videant æqui rerum æſtimatores. Sed ad Hipponenſia ſtatuta revertamur.

Hipponenſia ſtatuta in vero eccleſiæ Africanæ Codice exſtitiſſe, in vulgato omitti.

CXIII. Quod ait Dionyſius, Carthaginienſibus decretis anno 419. conditis inſerta eſſe Hipponenſia anni 393. id ſi non undique falſum, certe nec etiam undique verum eſt. Rem clara luce clariorem reddet utrorumque canonum comparatio. Hipponenſes illos nuſpiam habemus, niſi in eo ſtatutorum *Breviario*, quod ab epiſcopis Byzacenis ad ſynodum Carthaginienſem anno 397. celebratam eſt miſſum. Hujus porro Breviarii aſſervatur exemplar in pervetuſto Codice manuſcripto Corbejenſi cum hoc titulo, *Brevis ſtatutorum.* Exſtat etiam & in antiquis Codicis a Queſnello vulgati exemplis; ſic tamen, ut Hipponenſia ſtatuta Carthaginienſi ſynodo anno 397. habitæ primo adſcribat titulus generalis, ſubinde vero ſpecialis titulus reſtituat Hipponenſi. Videlicet Hubertinum exemplar, ut de pluribus unum proferam, ſic habet in limine: *Incipiunt capitula concilii Carthaginienſis habiti ſub die Iduum Auguſtarum Attico & Cæſario conſulibus*, id eſt anno 397. Auguſti 13. die. Generalem huncce titulum proxime ſequuntur ſtatutorum Hipponenſium ſummaria 39. eiſque ſubligatur Aurelii, Mizonii &c. ad Numidiæ Mauritaniæque præſules epiſtola, cui, inquiunt, *ſubdi fecimus Brevem ſtatutorum.* Epiſtolam novus, iſque ſpecialis, titulus excipit ad hunc modum: *Statuta concilii Hipponenſis breviata, & quædam eorum in concilio Carthaginienſi cum Byzacenis*

Digitized by Google

nis epiſcopis collata & diligentius pertractata hæc ſunt. Nicæni concilii profeſſio & fides recitata & confirmata, quæ ita ſe habet, Credimus &c. Quatota Nicænæ fidei profeſſione deſcripta, appoſitiſque ejus ad calcem decretis quinque vel ſex, tandem ſuccedit *Brevis ſtatutorum*, non ſine præfixo ſingulis ſtatutis ſuo titulo, quo quid unumquodque contineat ſummatim exhibetur. De his titulis hic obiter monemus tria: 1°. ipſiſſima eſſe ſummaria 39. quæ ſimul collecta & generali titulo ſubnexa eſſe jam diximus: 2°. hæc una cum Nicænæ fidei profeſſione in Queſnelliano Codice deſiderari: 3°. reperiri quidem apud Labbeum to. 2. concil. ad Carthaginienſis III. concilii calcem, ſed temere ibidem pro ſtatutis ipſis haberi. Jam vero his in antecеſſum expoſitis, ſi Carthaginienſia, hoc eſt priora Juſtelliani Codicis decreta 33. cum Hipponenſibus conferas, deprehendes neque omnia hæc illis inſerta eſſe, neque etiam quæ inſerta ſunt, eodem eſſe ordine iiſdemque verbis deſcripta. Et primo quidem Hipponenſia 13. 17. 23. 24. 25. 26. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 36. 38. & 39. inſpice propius, ac vide num inter priora illa 33. locum habeant. Fruſtra in quærendo laboraveris: eorum unom uſpiam nullum reperies; niſi inter eos canones qui Dionyſianam admonitionem excipiunt, quique inſcribuntur, *Canones diverſorum conciliorum eccleſiæ Africanæ*. Fatemur enim ex memoratis Hipponenſibus ſtatutis conflatos eſſe canonum illorum complures, puta 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 49. & 79. Verum ex hoc vel maxime vitioſa eſt admonitio, quæ nos ad ſuperiora demum remittit, cum deberet etiam ad poſteriora. Deinde Hipponenſia ſtatuta 1. 2. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 18. 21. 27. 34. & 36. inſerta quidem leguntur prioribus Juſtelliani Codicis capitulis ſive ſtatutis 16. 18. 19. 20. 15. 21. 22. iterum 5. 23. 6. ſed non ſine maxima lectionum varietate. Primum enim ſtatutum Hipponenſe ita effertur: *Ut lectores populum non ſalutent. Ut ante 25. annos nec clerici ordinentur, niſi ut primum inſtructi vel ab infantia eruditi propter fidei aſſertionem & profeſſionem clerici promoveantur.* Quod Juſtelliani Codicis capitul. 16. inſertum ſic legitur: *Ut ante 25. annos ætatis nec diaconi ordinentur, nec virgines conſecrentur. Et ut lectores populum non ſalutent.* Item in eodem capite his paucis, *Ut lectores, cum ad annos pubertatis pervenerint, cogantur aut uxores ducere aut continentiam profiteri*, expreſſum eſt quod pluribus in Hipponenſi ſtatuto 18. ſic enuntiabatur: *Ut lectores uſque ad annos pubertatis legant. Deinceps autem niſi uxores cuſtodita pudicitia duxerint, vel continentiam profeſſi fuerint, legere non ſinantur.* Sic vero iſta Hipponenſis ſtatuti 5. *Quibuſque annis concilium convocetur, ad quod omnes provinciæ quæ primas ſedes habent, de conciliis ſuis ternos legatos mittant, ut & minus invidioſi minuſque ſamtuoſi conventus plena poſſit eſſe auctoritas*, Codicis laudati capiti 18. inſerta ſunt: *Quibuſque annis . . . de conciliis ſuis binos, aut quantos delegerint, epiſcopos legatos mittant, ut congregato conventu plena poſſit eſſe auctoritas.* Pro his autem ſtatuti 6. Hipponenſis, *nec a communione ſuſpendatur cui crimen intenditur, niſi ad cauſſam ſuam dicendam primatis litteris evocatus minime occurrerit*, in Codicis Juſtelli capit. 19. legere eſt, *nec a communione ſuſpendatur cui crimen intenditur, niſi ad cauſſam ſuam dicendam electorum judicum die ſtatuta litteris evocatus minime occurrerit.* In eodem Codice cap. 21. ſubſtitutum eſt, *at filii clericorum gentilibus vel hæreticis matrimonio non jungantur*, pro eo quod in ſtatuto Hipponenſi 12. obtinebat, *ut gentilibus vel etiam hæreticis & ſchiſmaticis filii epiſcoporum vel quorum libet clericorum matrimonio non conjungantur.* Ex ſtatuto autem Hipponenſi 14. quo prohibentur *epiſcopi in eos qui Chriſtiani catholici non ſunt, etiam ſi conſanguinei ſint, nec per donationes nec per teſtamentum, rerum ſuarum aliquid conferre*, in Codicis Juſtell. capite 22. reſectum eſt *vel per teſtamentum.* His addimus in Hipponenſi ſtatuto 34. decretum eſſe, *Presbyter inconſulto epiſcopo virgines non conſecret; chriſma vero numquam conficiat.* Quamobrem in Juſtelliani Codicis capite 6. *Fortunatus epiſcopus dixit, In præteritis conciliis ſtatutum meminimus eſſe, ut chriſma vel reconciliatio pœnitentium, necnon & puellarum conſecratio a presbyteris non fiant.* Mox poſtulante Aurelio, quid ſuper his facto opus eſſet, *ab univerſis epiſcopis dictum eſt, Chriſmæ confectio & puellarum conſecratio a presbyteris non fiat, vel reconciliare quemquam in publica Miſſa presbytero non licere, hoc omnibus placet.* Plura ejuſdem modi varietatum exempla commemorare longum foret: vel ex his unis cerni licet, quantopere interfuerit ad Africani Codicis integritatem, Hipponenſia ſtatuta non prætermitti, tametſi cum prioribus 33. decretis atque aliis itidem Africanis nonnihil conſentirent. Et re quidem vera ſuum in illo locum & ordinem obtinebant. Sed ea ſciens prudenſque a ſua, uti jam diximus, collectione ſummovit Dionyſius, ſupervacaneam ratus canonum inter ſe ſimilium congeriem. Atque id ſane licuit homini privato, qui non eccleſiæ Africanæ nomine, ſed amicorum petitu ſuoque unius arbitrio Codicem confecit, peræque cautus nil prætcrire quod neceſſarium, nil admittere quod otioſum arbitraretur.

Pars II de antiquis canonum collectionibus.

CXIV. In aliis aliarum ſynodorum geſtis pari jure uſus eſt Dionyſius, ut quidquid ad eum quem ſibi ipſe præſtituerat finem minus pertinebat, illud vel omitteret penitus, vel in epitomen redigeret. Teſtis ſynodus Carthaginienſis anno 405. x. Kal. Septembris habita, cujus geſta etſi tota reperit iis illigata geſtis, quæ Carthagine anno 419. recitata ſunt, tamen contulit in compendium circumciditque, quod ipſe præmonuit præfixa capiti 94. hac annotatione: *Hujus concilii geſta ideo non ex integro deſcripſi, quoniam magis ea, quæ in tempore neceſſaria fuerunt, quam aliqua generalia conſtituta ſunt, ſed ad inſtructionem ſtudioſorum ejuſdem concilii brevem digeſſi.* Teſtes & ſynodi aliæ duæ in eadem urbe anno 408. celebratæ, una quidem xvi. Kal. Junias, altera iii. Idus Octobris, quarum utriuſque geſta uno quaſi verbo perſtringere ſatis habuit. Teſtis denique ſynodus item Carthaginienſis anni 409. cujus geſtorum loco brevem hanc ſubſtituit notam: *In hoc concilio placuit, ut non ſibi unus epiſcopus vindicet cognitionem. Geſta hujus concilii ideo non deſcripſi, quoniam provinciale, non univerſale celebratum eſt.* Quod cum ita ſit, undenam Juſtello venit in mentem, ut collectionem maxima canonum Africanorum parte truncatam, & ne unius quidem ſynodi anno 419. habitæ geſta omnia complectentem, hoc titulo ſignaret, *Codeu canonum eccleſiæ Africanæ*? Maneat ſane quod probare inſtitueramus, vulgatam a clariſſimo viro collectionem Dionyſianæ ſegmentum eſſe, adeoque nec *integrum*, quod liberalius de ſuo adjecit Labbeus, Codicem Africanum.

Van Eſpen. de vulgatu Codice ſententia.

CXV. Parabam ex hac tabula manum tollere, cum ecce conjectis forte oculis in Tractatum Hiſtorico-canonicum Bernardi Van Eſpen, deprehendi jacta ibidem quodam modo fuiſſe ſententiæ noſtræ fundamenta. Obſervat quippe vir utriuſque juris peritiſſimus part. 2. cap. 3. *hunc Codicis collectorem non integra conciliorum acta voluiſſe referre, ſed ſtudioſorum utilitati ac commoditati præcipue conſulere ſtudentem, quæ utiliora credidit, dumtaxat colligere & proponere; adeoque in illo Codice non contineri omnia conciliorum acta a patribus illius concilii* (Carthaginienſis anno 419.) *relecta & probata; neque in eadem forma & modo*, quo in eodem concilio probata ſunt, exhiberi. Atque id, nec immerito, conficit cum ex pluribus Codicis ejuſdem locis, tum ex ea præſertim admonitione, qua rationem reddit Dionyſius, cur concilii Carthaginienſis anno 405. habiti *geſta non ex integro deſcripſerit*. Pergit eruditus Lovanienſis Doctor, & concludit: *Illud interim non gravate admiſero, Dionyſium habuiſſe acta & canones a concilio Carthaginienſi vı, partim primum edita, partim probata & confirmata, atque ex iis excerpſiſſe quæ rei canonicæ ac diſciplinæ eccleſiaſticæ promovendæ aptiora judicavit, eaque omnia ſub nomine unius concilii Africani promulgaſſe, quaſi unius ejuſdemque concilii propter approbationem cenſeri deberent.* Verum hæc concluſio, tametſi ad noſtram ſatis accedit, tamen videtur nobis paullo eſſe impeditior, neque rem ita uti eſt totam com-

Digitized by Google

Pars II. de antiquis canonum collectionibus.

Codicem illum ex unis concilii Carthaginienſis an. 419. geſtis conſlatum eſſe.

plecti. Itaque admonemur inde ut eam planius diſtinctiuſque explicemus.

CXVI. Tria hæc nobis certa ſunt, & erunt omnibus, credo, qui Codicem non levibus oculis inſpexerint, 1°. Afros anno 419. ab VIII. ad III. Kalendas Junias Carthagine ſynodum habuiſſe, in qua cum decreta firmarunt, tum relegerunt geſta conciliorum, *quæ tranſactis*, ut Dionyſii verbis utar, *temporibus Aurelii Carthaginienſis epiſcopi celebrata fuerunt*: 2°. Romam perlata eſſe hujus ſynodi geſta per Fauſtinum Zoſimi legatum, ſic tamen ut Bonifacio I. in Zoſimi defuncti locum ſuffecto reddita ſint: 3°. Dionyſium hæc geſta Romæ reperta ſuæ ſic intexuiſſe collectioni, ut plurima deſcripſerit integra, quædam redegerit in epitomam, nonnulla etiam adſtrictius contracta tribus exhibere verbis ſatis eſſe duxerit. Et vero non alia ejus in manus incidiſſe geſta argumento illud eſt, quod ea capitula referat una, quæ ab Afris anno 419. in hac ipſa ſynodo Carthaginienſi partim condita ſunt, partim recitata. Rem ita eſſe fatebitur, qui vel ad generalem huncce titulum reſpexerit, *Synodus apud Carthaginem Africanorum, quæ conſtituit canones* 138. vel ad eam, quæ deſcriptis prioribus 33. decretis ſubjicitur, annotationem in reliqua 105. ſtatuta, *Recitata ſunt etiam in iſta ſynodo* (cujus ſunt decreta ſuperiora) *diverſa concilia univerſæ provinciæ Africæ*; quod utrumque in memoratam ſynodum anno 419. celebratam unice cadit. Atque hinc eſt quod ſynodum eamdem modo *Africanam*, modo *Carthaginienſem* vocat. *Carthaginienſem* quidem, quia Carthagine habita; *Africanam* vero, quia ex omnibus Africæ provinciis convocata eſt.

Varietates quæ occurrunt inter decreta ibi relata, & ea, quæ in prioribus ſynodis ſancita erant, Dionyſio non eſſe tribuenda.

CXVII. Quod autem a Dionyſio factum dicimus, ut Africana ſcilicet geſta ſuo arbitratu deſcripſerit, cavendum eſt hoc loco ne quis ita interpretetur, quaſi quid illis attribuerit de ſuo, aut ſaltem longe plura quam opinamur, pro ſuo jure contraxerit, mutarit, expunxerit. Aliud ſuadet collectoris integerrimi fides & religio. Nobis certe quam ſit in tractandis his geſtis integre ſancteque verſatus, vel unæ videntur demonſtrare admonitiones, quibus lectorem ubi ubi opus eſt ſedulo docet, cur quædam a ſe vel omiſſa ſint, vel in compendium collata. Atque ex his credibilem facimus, uti facient probi rerum judices, de reliquo Codice, quam ſit intactus illibatuſque, conjecturam. Igitur ſi qua occurrit inducta decretis mutatio, illam æquum eſt a ſynodo potius quæ eadem relegit confirmavitque, quam a Dionyſio qui deſcripſit, profectam eſſe credamus. Fuit certe illud ab omni ævo epiſcoporum jus, eoque uſos fuiſſe Afros exploratum eſt, ut quæ decreta ſanxerat provincialis quædam ſynodus, ea non admitterent in pleniore vel generali, niſi prius ad examen vocata, ſuis ea vel firmaſſent calculis, vel emendationibus in melius reformaſſent. Neque alia re factum putamus, quod Hipponenſia ſtatuta inter, & ea quibus inſerta ſunt, tot a nobis ſuperius relatæ deprehenduntur varietates. At in promtu eſt, de quo ambigi nequeat, teſtimonium, &, quod apprime ad rem facit, ex ipſomet Codice can. eccl. Afr. cap. 33. petitum. Aurelius quippe, accepto ab epiſcopis Byzacenis ſtatutorum Hipponenſium Breviario, his præſules anno 397. Carthagine congregatos verbis alloquitur: *Si veſtræ caritati videtur, litteræ fratrum noſtrorum Byzacenorum, ſed & Breviarium, quod eidem epiſtolæ adjunxerunt, ad hunc cœtum corrogatum, legantur; ut ſi qua forte illic movere caritatis veſtræ animum poſſunt in eodem Breviario, quæ diligentius fuerint animadverſa, in melius reformentur*. Tum cap. 34. *Epigonus epiſcopus dixit: In hoc Breviario, quod decerptum eſt de Hipponenſi concilio, nihil arbitramur eſſe emendandum vel aſſuendum, niſi ut dies ſanctæ Paſchæ tempore concilii innoteſcat*. Demum in vulgato apud Leonem Codice cap. 2. ſic eidem concilio, & ſtatutis Hipponenſibus in eo recitatis ſubſcribunt epiſcopi, ut decimum-tertium de emancipandis clericorum liberis ſtatutum excipiant in hunc modum: *Aurelius epiſcopus eccleſiæ Carthaginienſis placitis a nobis omnibus confirmatis, exceptis emancipationibus, de quibus conſulendum cenſuimus, relectis & agnitis ſubſcripſi. Mizonius epiſcopus, emancipatione ad tractatum me-*

A *liorem dilata, ſubnotavi*. Unde palam eſt poſterioribus ſynodis liberum jus fuiſſe ea diſcutiendi emendandique decreta, quæ ab ſuperioribus aliis ſancita erant. Quin & ipſa hæc ſtatuta Hipponenſia etſi jam confirmarant Afri anno 397. tamen novæ denuo diſquiſitionis novique judicii trutina perpenderunt anno 419. neque perpenderunt ſolum, ſed partim minuendo, partim augendo refinxerunt. Plura jam protulimus ejuſmodi mutationum exempla. Unum addimus, idque ductum ex Hipponenſi ſtatuto 36. de canone Scripturarum; quod ſtatutum Carthaginienſi ſuæ ſynodo inſeruere iidem Afri anno 419. at non ſine inſigni varietate, ſi veteribus Hipponenſium ſtatutorum exemplis habenda fides.

B CXVIII. Quippe poſt recenſitos Scripturarum canonicarum libros, id præſcripſerat ſynodus Hipponenſis, *ut de confirmando iſto canone tranſmarina eccleſia conſuleretur*. Hæc autem verba pro ſuo jure ſic reformavit Carthaginienſis, *Hoc etiam fratri & conſacerdoti noſtro Bonifacio vel aliis earum partium epiſcopis pro confirmando iſto canone innoteſcat*. Ex quibus manifeſte apparet Afros, ſervato canonis Hipponenſis ſenſu, voces dumtaxat immutaſſe; nimirum ut ad ſynodi ſuæ tempus, quo pontificatum tenebat Bonifacius, canonem accommodarent. Scimus & alias, nec ſane leves, in illum prout circumfertur inductas mutationes: recenſeri ſcilicet in Carthaginienſi plures Scripturarum libros, qui nullum in Hipponenſi locum habent; quos una ſynodus e canonicorum claſſe removerat, eos altera pro canonicis haberi voluerit. At vero canonem ipſum qui diligentius intuebitur, cernet oculis totam hanc, quanta eſt, varietatem non Africanorum emendationi, ſed incuriæ librariorum adſcribendam. Quod enim pro his quæ in ſtatuto Carthaginienſi legimus, *Eſdræ libri duo, Machabæorum libri duo: Novi teſtamenti* &c. legamus in Hipponenſi, *Eſdræ libri duo: Novi teſtamenti* &c. factum id credimus librariorum errore, quibus ſæpe nec opinantibus accidit, ut ſi quando eas repeti vident voces, quas proxime ſcripſerunt, ſtatim intermedias quaſi jam poſitas prætermittant. Itaque qui ſtatutum Hipponenſe deſcripſit, exaratis his verbis *Eſdræ libri duo*, mox ad ea *Novi teſtamenti* ſic tamquam dato ſaltu tranſiit, omiſſis intermediis *Machabæorum libri duo*; deceptus nimirum ſimilitudine verborum *libri duo*, quæ verba nominibus *Eſdræ* ſimul & *Machabæorum* ſubnectuntur. Oberravit eadem chorda & in his vocibus, *Epiſtolæ Paulli apoſtoli tredecim, ejuſdem ad Hebræos una, Apocalypſis*: ubi ante verbum *Apocalypſis*, deſiderantur *Petri apoſtoli epiſtolæ duæ, Joannis apoſtoli tres, Jacobi una, Judæ una*, quæ recenſentur in ſtatuto Carthaginienſi. Errorem peperit verbum *una*, quo clauduntur commata hæc duo, *ad Hebræos una* & *Judæ una*: quorum primo ſemel deſcripto, mox librarius vocem *Apocalypſis* continenti ſcriptionis filo attexuit, quaſi intermediæ aliæ epiſtolæ uſque *Judæ una* præceſſiſſent. Neque non eam conjecturam adjuvat id quod inficiabitur nemo, videlicet in eccleſiis omnibus, adeoque in Africana, receptam ſemper fuiſſe primam Petri & primam Joannis epiſtolam. Quarum utramque quia non exhibet Hipponenſis canon, oportet ſcribæ properantis & incauti culpa omiſſam eſſe. Quidni vero idem & aliis pariter omiſſis contigiſſe dicam? Sed conjecturis nihil opus eſt, ubi res oculis contrectatur. Dubitationem omnem tollit venerandæ antiquitatis codex Corbeienſis uncialibus litteris ſæculo ſexto exaratus, in quo aſſervatur idem *Brevis* Hipponenſium *ſtatutorum*. Ibi porro non mutilus, qualis eſt a celeberrimo viro Queſnello in lucem datus, ſed integer exhibetur is, quo de agimus, Hipponenſis canon. In eo quippe conceptis verbis & libri & epiſtolæ omiſſæ ſic recenſentur: *Ezræ libri duo, Machabæorum libri duo. Novi autem teſtamenti Evangelia libri* IV. . . . . *Paulli apoſtoli epiſtolæ* XIV. *Petri* II. *Joannis* III. *Judæ* I. *Jacobi* I. *Apocalypſis Joannis*. Moxque legitur ea, quæ Hipponenſis ſynodi propria eſt, clauſula, ſed barbare ſcripta & ſolœciſmis ſcatens, *ita ut de confirmandus iſtos canones tranſmarina eccleſia conſuleatur*. Poſſemus codicis ejuſdem manuſcripti ope aliis aliorum canonum, quos apud Queſnellum habet hic *Brevis*,

vul-

vulneribus mederi. Verum ad rem noſtram ſatis ſit illud obiter tetigiſſe, tum ne quis Hipponenſi canoni additum quid eſſe putet ab Africanis anno 419. præter clauſulam a nobis ſuperius deſcriptam, cujus verba ſunt: *Hoc etiam fratri & conſacerdoti noſtro Bonifacio* &c. tum etiam ut ſua toti *Brevi* ſeu *Breviario* Hipponenſi fides & ſinceritas aſſeratur. Quam fidem eo nominatim argumento labefactare niſus eſt Emmanuel a Schelſtrate, quod a canone 36. abeſſent ii, quos librariorum errore umiſſos diximus, Scripturarum libri. Jam vero ex his nemo non videt, ſi quando quid inter canones una in ſynodo conditos & in altera probatos diverſitatis occurrit, tum accurate diſtinguendum eſſe quid una primum ſanxerit, quid & poſtmodum emendaverit altera. Hoc qui diligenter attendet, is facile aſſentietur primo conditum fuiſſe anno 393. ab concilio Hipponenſi ſtatutum 36. de canone Scripturarum, tametſi ſtatutum idem attribuatur Carthaginienſi an. 419. eaque attribuatur auctum clauſula, quæ Hipponenſi convenire nequit. Tum eo ſponte adducetur ut concludat, clauſulam, uti jam diximus, ab ſynodo Carthagin. an. 419. mutatam eſſe: ac procul aberit ut eamdem a Dionyſio temere immiſſam eſſe ſuſpicetur. Atque hæc hactenus Dionyſii cauſſa dicta ſint, quo ejus in deſcribendis conciliorum decretis fides pateat. Si qui forte ſunt, qui eruditi hujus monachi fidem hac in re ſaltem deſiderent, quod cap. 168. & ſeqq. Carthaginienſi ſynodo anno 418. Kalendis Maiis in ſecretario baſilicæ Fauſti habitæ octo adſignet capitula, quæ Milevitanæ II. an. 416. adſcribunt conciliorum editiones, næ illi parum conſiderate judicant. Habet enim Dionyſius in hoc ipſo, quod reprehendunt, ſuffragatores exploratos & graves. Habet celebrem illam Zoſimi Tractoriam *ad totius orbis epiſcopos* eodem anno 418. datam, & inter præteritorum apoſtolicæ ſedis præſulum auctoritates Cæleſtini epiſtolæ 21. ſubnexas citatam; habet & canonum Codicem ad Leonis operum calcem vulgatum; quorum utriuſque teſtimonio liquet octo hæc ipſa capitula non Milevitanæ ſynodi eſſe, ſed Carthaginienſis. Atque id conciliorum editores fugiſſe hoc miramur magis, quod eodem in tomo & memoratam ſynodum Milevitanam, & geſta Carthaginienſia ex Dionyſii collectione deſcripta, ac demum prædictas apoſtolicæ ſedis auctoritates vulgaverint.

Eccleſia Afric. ſub Primato Carthag. diſſert. 5. cap. 6.

CXIX. Unum reſtat, quod, quia maxime pertinet ad ea ſynodi Carthaginienſis ann. 419. geſta, de quibus fere unis hic egimus, viſum eſt ad cumulum adjicere. Mirum ſcilicet quam indigeſte perturbateque hæc ordinarint conciliorum editores, quam temere alia ſuo moverint loco, alia de integro in caſſum recuderint. Quod ut manifeſtum fiat, tres quatuorve diſtinguendæ ſunt geſtorum illorum partes. Prima prooemium eſt, in quo Fauſtinus apoſtolicæ ſedis legatus ea concilio exponit, quæ ſibi Roma proficiſcenti Zoſimus in mandatis dedit; recitatur ejuſdem Zoſimi Commonitorium, cui Sardicenſes duo canones inſerti erant & Nicænorum nomine inſigniti; mox exorta ſuper his canonibus contentione Nicænine ſint an non, conſuluntur exemplaria ſtatutorum Nicæoorum in Africam pridem per Cæcilianum allata, qui Cæcilianus Nicænæ ſynodo præſens interfuerat; hæc ipſa demum ſtatuta geſtis inſeruntur. Sed ea, lectore prius admonito, Dionyſius ut compendium operæ faceret, prætermiſit. Partem ſecundam occupant decreta 33. quæ tum temporis vel ſancivit ipſa ſynodus, vel ab aliis jam ſancita ſuos in uſus refinxit adoptavitque. Tertia, cujus initium eſt n capitulo 34. continet geſta conciliorum, quæ *tranſactis Aurelii Carthaginienſis epiſcopi temporibus celebrata ſunt*, & capitulo 127. terminatur. Quarta demum capitulis 128. 129. 130. 131. 132. 133. ſynodicaque ad Bonifacium papam epiſtola tota conſtat; cui coronidis locu attenuntur Cyrilli Alexandrini & Attici Conſtantinopolitani *ad concilium Africanum reſcripta*, *exemplaria concilii Nicæni*, hoc eſt ſymbolum, (canones enim hoc itidem loco deſiderantur,) ac demum *epiſtola concilii Africani ad papam Cæleſtinum Urbis epiſcopum*. Quatuor has partes Dionyſius non diviſit modo in capitula 138. ſed capitula ſingula ſuis illuſtravit titulis, quos & in prima collectionis fronte univerſos poſuit, additis præterea, ubi res poſceret, annotationibus, quæ lectorem de rebus a ſe vel prætermiſſis vel in breve coactis commonefacerent. Porro totum id operis, quale eſt a Dionyſio compactum, adjecta dumtaxat interpretatione græca, vulgavit Labbeus to. 2. concil. ad an. Chr. 391. atque hoc titulo inſignivit: *Integer Codex canonum eccleſiæ Africanæ*. In quo duos, uti jam obſervavimus, errores uno partu edidit: 1°. quod pro canonum Africanorum Codice eam, duce Juſtello, venditavit collectionem, quæ Dionyſianæ pars eſt; 2°. quod *integrum Codicem* appellavit eum, qui ne unius quidem ſynodi, Carthagine nimirum ann. 419. habitæ, geſta omnia contineat. Tamen hic ſtetiſſet viri ceteroqui prudentis error; nil ſaltem inane, nil otioſum haberet editio. At illud gravius, quod poſtremas eorumdem geſtorum partes duas, hoc eſt ultima 105. capitula recudit ad annum 424. * una cum Dionyſii ſummariis & notis, præmiſſo hocce titolo, *Concilium Africanum tempore Bonifacii I. Cæleſtini I. habitum*. Quæ repetitio vel ex hoc uno vitioſa eſt, quod & ſupervacanea ſit, & interrupta conciliorum ſerie lectorem ſuo quodammodo curſu excutiat. Sed hoc etiam peccat magis, quod capitula ipſa ſuo nec ordine nec anno diſpoſita, ſed temere indigeſteque mixta repræſentet. Et de anno quidem certum eſt, ex his capitulis alia ad 397. alia ad alios proxime conſecutos annos pertinere, omnia vero fuiſſe anno 419. in concilio Carthaginienſi recitata. Hujus rei, ne longius repetam argumenta, fidem facit is ipſe canonum Codex, quem ſecundum Juſtellum *eccleſiæ Africanæ Codicem* vocat Labbeus. Illa igitur non ultra 419. rejici, nedum ad 424. illigari, par erat. De ordine vero, quam ſit confuſus perturbatuſque, unum proferemus, quod in rem noſtram ſufficiat, exemplum. Prooemio ſynodi Carthaginienſis anno 401. habitæ ſubnexuit clariſſimus Editor * capitula 32. quorum priora 23. ad ſynodum an. 397. pertinere liquet. Unde vero liquet? Dicam compendio. Primu huic adſignantur ſynodo in eo canonum Africanorum Codice, cujus teſtimonio jam uſi ſumus. Deinde cum ejuſdem ſynodi præloquiu ita ſunt apte conſerta atque nexa, ut, ſi utraque cum Labbeo divellas, membra a capite ſejunxeris. In ipſo quippe limine petit Aurelius, ut recitetur ante omnia confirmeturque, ac in melius etiam, ſi opus erit, reformetur Hipponenſium canonum Breviarium. Mox ſequuntur ea, quæ capituli primi nomen & locum habent, Epigonii epiſcopi verba: *In hoc Breviario, quod decerptum eſt de concilio Hipponenſi, nihil arbitramur eſſe emendandum, vel adſuendum, niſi ut dies ſanctæ Paſchæ tempore concilii innoteſcat*. Quam cohæreant hæc inter ſe, nemo, vel tacentibus nobis, non videt. Contra, ſi prooemio ſynodi an. 401. in quo altum de Breviario ſilentium eſt, capitulum illud primum ſubnectis, hiulca erit & nullo juncta nexu oratio. Quod idem de ſequentibus aliis quibuſdam capitulis ex Breviario itidem Hipponenſi excerptis, & ad annum 401. a Labbeo relatis, dictum velimus. Denique capitulum 14. cujus hæc verba ſunt: *De Donatiſtis placuit, ut conſulamus fratres & conſacerdotes noſtros Siricium & Simplicianum de ſolis infantibus, qui baptizantur penes eoſdem* &c. capitulum, inquam, iſtud cur in annum 397. conveniat, docent Siricii ac Simpliciani nomina; cur autem anno 401. a Labbeo illigatum ſit, cauſſam quæro, nec video. At enim idne temporis præerat eccleſiæ Romanæ Siricius, Simplicianus Mediolanenſi? An non utrumque ſuprema dies jam abſtulerat? Siricii certe ſedem occupabat Anaſtaſius, Venerius Simpliciani. Quod quia probe noverant Afri Carthagine anno 401. congregati, voluere hac ipſa de re conſuli *tam venerabilem ſanctum fratrem* ſuum *Anaſtaſium ſedis apoſtolicæ epiſcopum, quam etiam ſanctum fratrem Venerium ſacerdotem Mediolanenſis eccleſiæ*. Diſerta ſunt hæc ſynodi verba, quæ cum capitulo 14. quam diſſideant, intelliget facile, qui rem uno oculorum teſtimonio æſtimabit.

* ut ipſe notat in indice prævio to. 2.

* Lab. tom. 2. pag. 1643.

CXX. Adderem his alia, quæ cenſuram flagitant, plura; niſi ſingula ex ordine perſequi longum foret,

ret, & a propoſito noſtro alienum. Illud vero non præteribo, quod miror eruditi viri fugere oculos potuiſſe: aut ſi vidit, miror magis uno certe verbo facti rationem non reddidiſſe. Synodi nimirum Carthaginienſis anno 419. VIII. Kal. Junii habitæ proœmium, necnon & initium ſynodicæ ad Bonifacium papam epiſtolæ, una cum decretis Nicænis ab Attico Conſtantinopolitano, exeunte Novembri menſe ad Afros miſſis, alligavit Labbeus anno 419. atque hoc titulo inſcripſit, *Concilium Carthaginienſe nomine* VI. *ordine temporum* V. In quo bis itidem peccavit: tum quia de integro recudit ea, quæ, ſi decreta Nicæna excipias, jam ad annum 391. ediderat; tum quia ſynodi caput & calcem, toto corpore reciſo, copulavit; neque copulavit ſolum, ſed & ſynodi totius loco dedit. Præclare tamen ab erudito viro factum eſt, quod in lucem ea prodiderit Nicæni concilii ſtatuta, quæ Dionyſius omnia voluerat. Tamen eorumdem titulum, quoniam heic ſe dat occaſio, Hubertini exemplaris ope ſic emendamus: *Conſtituta patrum in magna & ſancta ſynodo apud Nicæam civitatem metropolim provinciæ Bithyniæ, quæ de græco tranſlata ſunt a Theilone & Thariſto Conſtantinopoli*. Quæ certe lectio videtur ei præferenda, quam in contextu ſic exhibendam cenſuit idem Labbeus: *Per Theilonem & Thariſtum Conſtantinopolitanum*.

CXXI. Jam ad alias aggrediemur collectiones: ſed ſi unum illud adjecerimus, Carthaginienſium ſcilicet geſtorum, de quibus heic ſermo eſt, nihil imminutam auctoritatem fuiſſe, tametſi a Dionyſio fuerant quibuſdam in locis vel mutata, vel in epitomen redacta. Argumento eſt Trullanæ ſeu Quinisextæ ſynodi anno 692. factæ canon ſecundus, quo Græci hæc ipſa geſta ad ſe jam pridem Dionyſianæ collectionis ope tranſmiſſa, græceque poſtmodum verſa, in ſuum canonum Codicem retulerunt. Eadem etiam ita, uti ſunt a Dionyſio deſcripta, recepiſſe Afros probat canonicum Creſconii Breviarium, de quo poſtulat heic tandem locus & ordo rerum ut diſceptemus.

§. VII.

De Creſconiana collectione.

Quo tempore vixerit Creſconius.

CXXII. Creſconius, ſeu Criſconius, utrumque enim in promiſcuo uſu eſt, epiſcopus Africanus fuit. Qua vixerit ætate, docet ea; quam ipſius operi præfixam reperit Baronius in codice Vaticano, quamque ad annum Chr. 527. n. 7. exhibuit, inſcriptio: *Concordia canonum a Creſconio Africano epiſcopo digeſta ſub capitibus trecentis. Iſte bella & victorias, quas Joannes patricius apud Africam de Sarracenis geſſit, hexametris verſibus deſcripſit.* Quem porro in annum cadant hæ Joannis patricii victoriæ, diſcimus ex Anaſtaſio Biblioth. in hiſtor. eccleſ. cujus verba hæc ſunt: *Mundi anno ſexies milleſimo exc. divinæ Incarnationis* DCXC. *anno vero Imperii Leontii tertio, acie Arabes in Africam mota, hanc obtinuerunt, & ex proprio exercitu taxatos in ea quoſdam conſtituerunt. Quibus compertis Leontius mittit Joannem patricium virum idoneum cum omnibus Romanis claſſibus: qui cum Carthaginem perveniſſet, & bello catenam portus ejus aperuiſſet, inimicoſque in fugam convertiſſet, hos viriliter inſecutus, univerſa liberavit Africæ caſtra.* Anaſtaſio, quod jam obſervatum a Petro Franciſc. Chiffletio eſt, concinit Cedrenus, qui & ipſe eaſdem victorias anno Leontii imperatoris tertio aſſignat. Quare Creſconium ſæculo ſeptimo floruiſſe, atque ultra annum Chriſti 690. vitam produxiſſe nulla eſt dubitatio.

Quo auctore novam canonum collectionem ſuſcepit.

CXXIII. Is a Liberino præſule rogatus, *ut cuncta canonica conſtituta, quæ ab ipſis exordiis militiæ Chriſtianæ tam ſancti Apoſtoli, quam apoſtolici viri per ſucceſſiones temporum protulere, colligeret in unum, eorumque concordiam faciens, ac titulorum prænotationem interponens, ea lucidius declararet*, excuſavit ſe diu, ratus rem & viribus ſuis majorem eſſe, & poſt navatum eidem operi a Ferrando Carthaginienſis eccleſiæ diacono ſtudium, plane ſupervacaneam. At vero iteratis precibus victus collectionem auſpicatus tandem eſt, hiſque ad Liberinum reſcripſit verbis: *Antiſtati viri* (Ferrandi) *laude prælata, neceſſarium duxi, profectui ſerviens parvulorum, cuncta eccleſiaſtica, ut dictum eſt, conſtituta, quæ ad noſtram notitiam pervenerunt, in hoc opere ſub titulorum ſerie prænotare.* In ea porro collectione quidquid citatur ſynodalium pontificiorumve monimentorum, totum ex Dionyſiana hauſtum expreſſumque eſt. Iidem in utraque tituli decretorum; idem titulorum numerus idemque ordo; ſi modo titulos eos exceperis, quibus Carthaginienſis ſynodi ſtatuta notat Creſconius, quos a Dionyſianis aliquanto diverſos eſſe comperimus. Dionyſianæ denium collectionis ſummarium eſt, in quo non decreta ipſa tota, ſed decretorum apices leviter & punctim, ut fit in brevibus tabellis, exhibentur: adeo ut quibus defuerit Dionyſiana, hi nullum, aut fere nullum e Creſconiana capere queant utilitatis fructum.

Cur ejus opus *Breviarium canonicum* & *Concordia canonum* inſcribatur.

CXXIV. In Creſconiani operis titulo variant libri veteres: a pluribus *Breviarium canonicum*, a nonnullis vero, ut apud Petr. Franciſc. Chiffletium, inſcribitur, *Concordia canonum infra ſcriptorum, Nicænorum, Ancyranorum, Novæcæſarienſium, Gangrenſium, Antiochenorum, Laodicenſium, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Carthaginienſium; item præſulum Siricii, Innocentii, Zoſimi, Cæleſtini, Leonis, Gelaſii.* Quarum inſcriptionum, quoniam utraque in collectionem quadrat, utramvis eligas perinde eſt. Hanc enim & *Breviarium canonicum* recte dixeris, quod unos refert canonum titulos; & *Concordiam canonum*, quod ea, quæ in unum eumdemque titulum conveniunt decreta, ſimul conjuncta & ordine poſita repræſentat. Illud porro Breviarium qui penes ſe non habent, quale ſit & qua ratione compactum, facile videbunt, ſi ad unum aut alterum quod exhibemus ſpecimen oculos adjecerint. Ibi cap. I. legere eſt: *De ordinatione epiſcopi. In canonibus Apoſtolorum tit.* 1. *Concilio Nicæno tit.* 4. *Concilio Antiocheno tit.* 19. *Concilio Laodiceno tit.* 12. *Concilio Carthaginienſi tit.* 16. *Quod ſi de ordinatione ejus fuerit contradictum, quod alii debeant adjici, Concilio Carthaginienſi tit.* 17. Et cap. 3. *De ordinatione preſbyteri, diaconi & ceterorum. In canonibus Apoſtolorum tit.* 2. *Ex decretis papæ Siricii tit.* 9. *Ex decretis papæ Innocentii tit.* 32. *Item de eorum converſatione qui ab infantia Deo ſe voverunt. Ex decretis papæ Siricii tit.* 9. *Item de grandævis, ex decretis papæ Zoſimi tit.* 3. *Ex decretis papæ Siricii tit.* 10. *Ex decretis papæ Cæleſtini tit.* 16. Toto in opere nulla ſynodus Chalcedonenſi recentior, nullus pontifex Gelaſio junior laudatur, hoc eſt nulla in eo nec ſynodalia nec pontificia commemorantur decreta, quæ ſint iis poſteriora, e quibus conflata Dionyſii exigui collectio eſt. Unde confici licet, ſic in Africa receptum eſſe Codicem Dionyſianum, nulla ut illi ad Creſconii ætatem uſque adjuncta ſit acceſſio.

An Creſconius ampliorem collectionem adornavit.

CXXV. Num præter canonicum illud Breviarium, adornata ſit ab eodem præſule amplior quædam collectio, quæ integras pontificum Romanorum litteras complecteretur, veſtigiis omnibus indagavi, nullo reperi. Notantur quidem in Romana earumdem epiſtolarum editione complures ut *ex Creſconio* deſcriptæ. Meminit & eruditus Annalium parens Baronius majoris cujuſdam Creſconianæ collectionis, cujus exemplaria eaque vetuſta monet aſſervari Romæ in bibliotheca Vallicellana ſimul & in Vaticana. Verum datis ad ſodales noſtros, qui verſabantur Romæ, litteris ut Vaticanos ſorulos excuterent, accepi nullum ibidem eſſe unum Creſconii Codicem, niſi qui memoratum ejus Breviarium contineret. De ſcriniis autem Vallicellanis, quid Creſconiani operis haberent, conſultus a nobis eruditus præſul Juſtus Fontaninus, vir adjuvandis illuſtrandiſque bonis litteris natus, reſcripſit, in his extare codicem ſæculo XI. vel XII. exaratum, cujus titulus ille eſt: *Concordia canonum a Creſconio epiſcopo digeſta.* Simulque admonuit vir doctus, ipſiſſimam hanc collectionem eſſe, quæ *ſub nomine Creſconii habetur ad calcem* 1. *tomi Bibliothecæ juris canonici veteris a Voello & Juſtello editæ*, hoc eſt quæ ſynodorum & pontificum Romanorum decretis iiſ-

dem

dem conſtat, quibus Breviarium; hoc uno diſcrimine, quod in Breviario indicantur ſolum tituli decretorum, in collectione vero decreta ipſa tota repræſentantur. Hinc eſt nimirum quod Creſconii opus duas in partes ſecat Chiſſletius. Verba ejus hæc ſunt: *Concordia ſeu collectio canonum Creſconii duas habet quaſi partes. Prior eſt Breviarium canonum, in quo diſciplina omnis eccleſiaſtica, ad Ferrandi exemplum, brevibus comprehenditur ſummulis, citatis tamen ad ſingulas canonibus conciliorum aut pontificum decretis, quæ ad rem ſpectant. Poſterior integros ipſos canones ac decreta expandit eo ipſo ordine quo in Breviario allegantur.* In eamdem poſtea, ſive Chiſſletii auctoritate ſola, ſive quadam veri ſpecie ducti, ſententiam ierunt Guillelmus Voellus & Henricus Juſtellus Chriſtophori filius. Quibus & adjungimus Antonium Pagium, cujus in Critica Hiſtorico-Chronol. ad ann. Chr. 527. num. 14. hæc leguntur ex Voello & Juſtello deſcripta: *Collectio canonum Creſconii duas velati partes habet, quarum prior* BREVIARIUM CANONICUM *dicitur, poſterior integros canones ac decreta eo ipſo ordine, quo in Breviario citantur, exprimit, inſcribiturque in mſſ. codicibus vel* CONCORDIA CANONUM, *vel* LIBER CANONUM. Sed in eo fallitur cum Voello Juſtelloque Pagius, quod primæ parti, ſive Breviario, titulum *Concordiæ canonum* abradicat, quem titulum ipſi tribuunt exarati manu codices, attribui re vera poſſe docet vel ſolu operis texturu.

Chifflet. not. in Ferrand. & Creſcon. pag. 259.

Biblioth. Jur. canon. vet. præfat. pag. 6.

CXXVI. Præterea quod aiunt Concordiam, ſive ultimam collectionis partem, Creſconii fetum eſſe, id ſane, niſi noſtra nos conjectura fallit, non eſt omnino indubitatum. Neque enim a vero longe abhorret, ſtudioſum aliquem repertum eſſe, qui Breviarium canonicum, ſic tamquam oſſeam compagem, carne ſua veſtierit, hoc eſt, qui delineatam a Creſconio Concordiæ formam ſecutus, pro ſummariis canonum totos ipſos canones deſcripſerit, ſervato primo rerum ordine ac numero titulorum. Certe hoc ipſum ſi non evincunt, ſaltem innuunt codices hi duo, ad quorum fidem id operis Voellus ſimul & Juſtellus ediderunt. In altero quippe, quem hodieque aſſervat collegii Claromontani RR. PP. Soc. Jeſu bibliotheca, poſt Breviarium canonicum, qui Creſconii fetus eſt, ejuſque re vera nomine inſignitur, ſequitur ſpecies quædam præfationis, quam, ipſorummet etiam Editorum judicio, *Creſconii non eſſe multa perſuadent*. Præfationi ſtatim ſuccedit ea, quæ ab laudatis iiſdem viris Concordia canonum, ſive collectionis pars poſterior, appellatur. At illa nec in prima fronte, nec alibi uſpiam, Creſconii præ ſe fert nomen. Alter vero codex, quem e Thuanis ſcriniis profectum aiunt, Creſconiano quidem inſcribitur nomine, ſed collectionem exhibet *diverſa abs vero & germano Creſconii fetu, metho*do diſpoſitam. Unde ſatis credibile eſt, quam viri docti Creſconianæ collectionis partem ultimam vocant, illam aliud nil eſſe, niſi compilatorum opus, quibus viſum eſt ea, quæ Creſconius indicare ſatis habuerat, deſcribere ſtatuta ſuoque integra loco repræſentare; ſic tamen, ut Creſconii ordinem retinuerit alius, quomodo in codicibus Claromontano & Vallicellano legitur, alius vero ſuam ſibi methodum præſtituerit, ut videre eſt in Thuano nunc Colbertino. Quamquam quid his attinet diutius immorari? Idne operis procuderit is, quem vulgo volunt, Creſconius, an alius aliquis, tanti non eſt inveſtigare, cum in eo nil alioqui exſtet, quod non ſit e canonico ejuſdem Breviario derivatum, atque adeo non abſurde factum, ut ejus nomine inſcriberetur.

Unde quædam collectiones epiſtolis integris conſtantes Creſconio adſcriptæ.

CXXVII. Potuit & vice verſa Creſconiano nomine donari collectio Dionyſiana, utpote quam Creſconius ita expreſſit ac pene ebibit, ut ſuam ex hoc uno fonte plenam eſſe voluerit. Sane Baronius, quod jam ſupra dictum eſt, id nominis indidit vetuſto cuidam exemplari, cujus ſimile unum exſtat in bibliotheca Regia, in quo nil tamen, niſi pura puta Dionyſii collectio eſt, una cum fragmento ſynodi Romanæ, cui Gelaſius præfuit, quod fragmentum Damaſo perperam aſſignatur. Idem & de Romana epiſtolarum pontificiarum editione dictum velim, in qua pleræque omnes, quæ *ex Creſconio* exceptæ citantur, non aliunde ſunt quam ex Dionyſii excerptæ. Jam autem, inquiet aliquis, ſi verum eſt id quod remur, collectionem nimirum Creſconio adſcriptam, eamque ex integris pontificum Romanorum litteris conſlatam, nullam eſſe, niſi quæ Dionyſium parentem habet; id ſi verum eſt, quorſum exſulant a Dionyſiana epiſtolæ complures, quæ tum a Baronio, tum ab Romano earumdem Editore laudantur non ſemel, tamquam e Creſconiana ductæ? Dicam breviter, & quantum, opinor, heic ſufficiat: eas videlicet Dionyſiano Codici, quem adoptavit ſuumque ſibi proprium fecit Creſconius, poſtmodum adjectas fuiſſe & Creſconio ignotas. Atque hujus rei ne peregrinos quæram teſtes, Creſconium ipſum teſtem dabo. Is quippe *cuncta canonica conſtituta*, iiſdem utor verbis quibus ille eſt uſus, *quæ ab ipſis exordiis militiæ Chriſtianæ tam ſancti Apoſtoli, quam apoſtolici viri per ſucceſſiones temporum protulere, colligere in unum* aggreſſus, nihil neque canonum neque decretorum aut indicavit aut collegit, niſi quod e Dionyſii collectione hauſit. Alias ergo penes ſe non habuit doctus præſul litteras decretales. Alioqui, qua erat diligentia, Breviarium ex his auxiſſet ſuum. Niſi eum forte quis putet tam propoſiti ſui oblitum, tamque incurioſum fuiſſe, ut cum non præcipua, ſed *cuncta* apoſtolicorum virorum *conſtituta colligere in unum* vellet, ea tamen omiſerit imprudens, quæ haberet in manu. Neque vero mirum eſt hujuſmodi Codici novis poſtea incrementis aucto Creſconii nomen ſervatum eſſe. Plurimis id genus ſcriptis uſu venit, ut quo ſemel inſignita ſunt titulo, eum ſubinde, licet augeſcant in dies, quaſi certo uſucapionis jure ſibi retineant. Quippe vel ille ipſe, de quo mox agemus, Dionyſii Codux, tametſi novis præſulum Romanorum litteris auctior eſt factus, tamen ſuum Dionyſii nomen præ ſe ferre numquam deſtitit. Illum vero ut diſtinguamus a ceteris, viſum eſt Hadrianum vocare, utpote quem ab Hadriano I. traditum nos Galli habemus. Jam ad rem aggrediamur.

PARS II. DE ANTIQUIS CANONUM COLLECTIONIBUS.

§. VIII.

De collectione, quam Hadrianus I. papa Carolo Magno tradidit.

CXXVIII. Carolo Magno Romæ verſanti dignum regia, dignum pontificia majeſtate munus dedit Hadrianus I. papa, ſynodalium canonum & pontificiarum litterarum collectionem. Quo dederit anno, non una eſt eruditorum ſententia. Carolum Hadriano I. ſuperſtite in Urbem ter veniſſe notat Jacobus Sirmondus, *anno nimirum 774. cum Papiam obſideret, anno iterum 781. cum ejus filii, Pippinus Langobardiæ & Ludovicus Aquitaniæ reges ab Hadriano iuncti ſunt; demum 787. cum inde Capuam quoque ac Beneventum adverſus Grimoaldum ducem profectus eſt.* Mox addit vir eruditus: *Nos, tametſi res incerta eſt, Codicem Hadriani ad poſtremam potius* (Caroli) *profectionem referendum duximus.* Aliis vero eumdem ad primam referre placet. Atque eorum conjecturæ favent hæc epiſtolæ Codici præfixæ verba, quibus Carolum alloquitur Hadrianus: *Inlæſus cum tuis victor manebis, nempe per ipſos* (Petrum & Paullum, qui) *aditum petunt urbis Papiæ te ingredi victorem.* Mirum quam multu, paullo poſt allatum in Gallias huncce Codicem, deſcripta ſint ejus exempla, quam longe lateque diſſipata. Exſtant hodieque complura in bibliothecis, ac in Regia præſertim. Numerantur tria in Harlæana, in Coisliniana duo, in Colbertina duodecim, atque, ut de ceteris taceam, in Sangermanenſi noſtra duo, quorum unius e Corbeienſi monaſterio huc advecti antiquitatem oſtendit characteris ductus & librarii nota, quæ Codicem *anno* XXXVII. *regnante domno Karlo imp.* hoc eſt anno Chriſti 805. exaratum docet.

Codex canonum Carolo Magno ab Hadriano I. quando ſit datus.

Conc. Gall. to. 2. p. 118.

Quam frequens ſit in Gallicanis bibliothecis.

CXXIX. Habet collectio hæc maximam cum Dionyſiana ſimilitudinem, nec ab ea quidquam diſcrepat, ſi mutationes quaſdam in priori parte factas, eaſque paucas & leves, in ultera vero nonnullas epiſtolarum acceſſiones, exceperis. Atque in-

du

Pars II. de antiquis canonum collectionibus.

de eſt, quod titulus illi vulgo ſit, *Dionyſii exigui collectio*. Nec injuria. Quo enim jure Gregorianum ſibi nomen retinent vulgati Sacramentorum libri, licet inſigniter mutati adauctique ſint, eodem ſane, immo & potiori, Dionyſianum ſervat Hadriani Codex. Ad priorem ejus partem quod attinet, duo ſunt in quibus diſſidet a Dionyſiana. Primum quidem, quod loco præfationis, ſeu epiſtolæ ad Stephanum præſulem Salonitanum ſcriptæ, aliam præ ſe fert Hadriani ad Carolum Magnum, eamque verſibus compoſitam, quorum verſuum primæ quæque litteræ hunc titulum reddunt, *Domino Excell. filio Carulo Hadrianus papa*. Excidit hæc quidem in pleriſque omnibus libris manu exaratis, ſed in Corbeienſi, eoque vetuſtiſſimo, aſſervatur, qualis edita eſt apud Sirmondum in ſecundo tomo Galliæ conciliorum. Alterum diſcrimen illud eſt, quod Africanos canones cxxxviii. una numerorum ſerie diſpoſuit Dionyſius, unoque hocce titulo inſcripſit: *Synodus* (anno 419. habita) *apud Carthaginem Africanorum, quæ conſtituit canones* cxxxviii. Eos vero duplicem quodam modo in claſſem partitur Hadriani Codex, ſuo cuique claſſi titulo attributo. Priores nempe canones 33. ſic inſcribit: *Incipiunt Carthaginenſes canones*; ac deinde his claudit verbis: *Expliciunt canones concilii Carthaginienſis*. Mox ecce tibi titulus alius: *Incipiunt canones conciliorum diverſorum Africanæ provinciæ numero* cv. Tum qui ſequitur canon, is non, uti apud Dionyſium, trigeſimus-quartus, ſed primus numeratur; ac reliqui ſua deinde ſerie ſic procedunt, ut poſtremus, qui Dionyſio eſt 138. is ibi ſit 105. Tametſi vero a Dionyſii collectione videtur nonnihil diſcedere Hadriana, quod Africanos canones & duas in partes ſecat, & diſſimili numerorum ordine diſponit; tamen ad eam ſtatim redit, præmiſſa his ipſis canonibus 105. Dionyſii admonitione ad hunc modum: *Recitata ſunt etiam in iſta ſynodo* (ſcilicet Carthaginienſi, cujus ſunt ſuperiores 33. canones) *diverſa concilia univerſæ provinciæ Africæ, tranſactis temporibus Aurelii Carthaginienſis epiſcopi celebrata*. Atque hæc admonitio, quod jam obſervavimus, ſatis docet canones illos non fortuito collectos, neque huc temere conjectos eſſe, ſed in generali Africæ ſynodo anno 419. habita recitatos confirmatoſque, & ſynodalibus geſtis inſertos. Levis ergo eſt collectionis utriuſque diſcrepantia; ſed eam notaſſe otioſum non erit, ut qui recognoſcendis olim conciliis operam dabunt, hi Dionyſianam ab Hadriana, ut fontem a rivulo ſecernere facilius queant.

CXXX. Neque abs re videtur eſſe, quid inter utramque collectionem in ſecunda parte differat, hic attexere. Caret Hadriana Dionyſii exigui procemio, epiſtola ſcilicet ad Julianum presbyterum inſcripta: neque aliud exhibet quidquam, quod procemii vicem ſuppleat. Deinde vero pluribus Romanorum præſulum litteris, ſive decretis, aucta eſt; epiſtolas dico Leonis ad Mauros, Hilari, Simplicii, Felicis, Symmachi, Hormiſdæ & Gregorii junioris. Quas inter miror exſtare unam, videlicet Hormiſdæ ad ſecundæ Syriæ Archimandritas, cum & maxima ſui parte truncata ſit, & exordium vix retineat. Atque id librariorum errore factum non eſſe inde liquet, quod in omnibus, quos uſpiam viderim, exaratis manu libris aliud nil prorſus exſtat. Quin & vetus ille, de quo jam meminimus, Corbeienſis codex, Carolo magno imperante deſcriptus, tametſi ſolet ſummaria referre litterarum, idque in generali titulorum Indice, tamen epiſtolæ illius nil, præter exordium, in epitomen redigit. Verba Indicis generalia hæc ſunt: *Epiſtola Hormiſdæ ad Archimandritas ſecundæ Syriæ de infidelitate, pertinacia furoris vel veſania patefacta, æqualiter* (lege *ac qualiter*) *conſtanter agnitionem Dei inter adverſa ſervaverunt*. Epiſtolam igitur ſic truncatam reperit is, qui Dionyſianam collectionem auxit. Maluit quippe lacerum illud fragmentum quale quale eſt in lucem dare, quam negligere oblatum. At vero cur epiſtolas longe plures non adjecerit, plane non video; maxime cum a Dionyſio ad Hadrianum uſque tot effluxerint anni, totque res in Eccleſia ſint geſtæ, unde pontificibus Romanis obvenit ampla ſcribendarum epiſtolarum occaſio. Illas porro acceſſiones quis & quo tempore collectioni adjunxerit, non facile eſt definire. Videntur aliæ, quod ſimile veri eſſe reor, aliis temporibus & ex intervallo factæ, epiſtolis novis ſive decretis in priorum claſſem ſubinde admiſſis.

Exinde Hadriani Codex ut Romæ, ita & in Galliis pro Codice canonum habitus fuit.

CXXXI. Ceterum ex quo tradita Carolo magno eſt his additamentis aucta Dionyſii collectio, cœpere Galli ad eam ſenſim, vetere ſua canonum interpretatione poſthabita, deflectere; brevique invaluit uſus, ut non Romæ ſolum, ſed in Galliis etiam ſimplici pervulgatoque nomine *Codex canonum* appellaretur. Argumento ſunt hæc Nicolai I. papæ epiſt. olim 42. num. 4. ad epiſcopos Galliarum verba: *Quamquam quidam veſtram ſcripſerint haud illa decretalia priſcorum pontificum* (quæ nuper ab Iſidoro Mercatore conficta erant) *in toto* CANONUM CODICIS *corpora contineri deſcripta; cum ipſi ubi ſuæ intentioni ſuffragari conſpiciunt, illis indifferenter utantur, & ſolum nunc ad imminutionem ſedis apoſtolicæ poteſtatis, & ad ſuorum augmentum privilegiorum, minus accepta eſſe perhibeant*. Quibus verbis videtur notari, præter alios, Hincmarus Remenſis, qui tametſi litterarum illarum fragmentis opuſcula ſua paſſim inſpergit, tamen Iſidori collectionem confutat, ac demum affirmat his canonibus adhærendum eſſe unis, *quos*, inquit, *apoſtolica ſedes . . . & omnis catholica Eccleſia* CANONES *appellant: quique . . . . in noſtris* CODICIBUS, *quos ab apoſtolica ſede* (Hadriano tradente) *majores noſtri acceperant ſequendos*, locum habent. Unde palam eſt, quem Hadrianum Codicem vocamus, illum ab Hincmaro Gallicaniſque antiſtitibus *canonum Codicem* nuncupatum eſſe, idque ex uſu & conſuetudine ſermonis apud Romanos & Gallos recenti.

Hincmar. to. 2. pag. 476. & pag. 543.

Quamobrem pergit Romanus præſul eodem illum titulo ſignare: *Si ideo*, Nicolai verba ſunt, *non eſſe decretales epiſtolas priſcorum pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in* CODICE CANONUM *non habentur adſcriptæ: ergo nec Gregorii ſancti, nec alius alterius, qui ante ipſum vel poſt ipſum fuit, eſt aliquid inſtitutum vel ſcriptum recipiendum, eo quod in* CODICE CANONUM *non habetur*. Fuere igitur ad hæc uſque tempora Romanis Galliſque non iidem modo canones, ſed eadem etiam canonum interpretatio, eademque vox; ſi pauca quædam excipias, quibus ſuum Romani Codicem auctum voluerant. At enim ab Hadriani ævo ad tempora Leonis IV. cui poſt Benedictum VIII. ſucceſſit Nicolaus I. adjecerant canones Epheſinos & Conſtitutum Silveſtri. Cujus rei fidem facit illud ejuſdem Leonis ad epiſcopos Britanniæ, Gratiani decreto diſt. 20. c. 5. inſertum: *Quibus autem in omnibus eccleſiaſticis utimur judiciis, ſunt canones Apoſtolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæſarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodicenſium, Conſtantinop. Epheſinorum, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Africanorum, Carthaginienſium; & cum illis regulæ præſulum Romanorum Silveſtri, Siricii, Innocentii, Zoſimi, Cæleſtini, Leonis, Gelaſii, Hilari, Symmachi, Hormiſdæ, Simplicii & Gregorii junioris. Iſti omnino ſunt, per quos judicant epiſcopi, & per quos epiſcopi ſimul judicantur & clerici*. Gallis vero ad id temporis fuiſſe in uſu merum Hadriani Codicem colligimus ex Hincmari Opuſculo 33. to. 2. pag. 543. ubi monimenta ſuo canonum Codice contenta ſatis fuſe recenſet; nulla autem recenſet Hadriano Codici non inſerta. Non diſſimulandum tamen, accuratum non eſſe, quem hoc loco texit Hincmarus catalogum. At certe Conſtitutum Silveſtri, quod Romano Codici adjectum vidimus, abfuiſſe prorſus a Gallicano docet idem præſul Opuſculo 48. num. 21. ubi ejus inde fidem elevat, quod in eo *talia* decernuntur, *quæ catholica Eccleſia inter ſynodalia decreta non computat, quæ majores noſtri inde nobis tenenda ſuis poſteris reliquerunt*. Mox in medium adductis, quæ Conſtituti cap. 3. n. 6. leguntur, verbis, hæc ſubdit: *Quæ dicta quam adverſa ſibi, & quam diverſa a ſanctis canonibus & ſacris legibus ſint, nemo eſt qui dubitet*. De Gallis porro non omittendum, Codice Romano ſic uſos eſſe, ut traditas a majoribus ſuis regulas, ſynodorumque ſuarum ſanctiones conſtantiſſime retinuerint. Et vero erant illæ ea ſapientia

Nicol. I. epiſt. al. 42. n. 5.

Ad medium ſæculum VIII. nihil additum pontificiis decretis, niſi Romæ dumtaxat Epheſini canones & Conſtitutum Silveſtri.

con-

conditæ, eâ diſciplinæ ſeveritate ac prudentia temperatæ, ut earum ſæpe verbis canones ſuos conſtituerint Hiſpani, immo & in Codicem ſuum, uti mox viſuri ſumus, illas retulerint.

ſ. IX.

De antiqua conciliarum & pontificiarum epiſtolarum collectione apud Hiſpanos recepta; deque veteri canonum Codice ex eadem collectione ad ejuſdem eccleſiæ uſum conflato.

Petri de Marca judicium de priſco canonum Codice eccleſiæ Romanæ. *Conſeul. pag.* 201.

CXXXII. Qui de veteri aliqua collectione inquirunt, cujus ævi ſit, quibuſve eccleſiis uſui fuerit, caveant oportet ne arbitrium ex una aut altera demum nota faciant. Spectanda tota collectionis ſeries, ſingulæ inter ſe partes conferendæ, ut ex corporis integri filo & compage res æſtimetur. Ab hac regula dum aberravit Petrus de Marca, vir doctus & laborioſis lucubrationibus clarus, de duplici canonum collectione male pronuntiat, unam ante concilium Chalcedonenſe propriam eccleſiæ Romanæ fuiſſe, alteram vero poſt idem concilium Romanæ, Hiſpanæ, Africanæ, Gallicanæque communem. At de prima quidem etſi jam alibi bene multa diximus, tamen viſum eſt eruditi viri ſententiam non ſine obſervatione prætermittere.

CXXXIII. Eſt illud quidem verum quod ait, Zoſimo aliiſque nonnullis pontificibus uſu veniſſe, ut Sardicenſes canones pro Nicænis laudarent. Neque diffitemur id inde adeo factum, quod ante ſynodum Chalcedonenſem iis uterentur exemplaribus, quæ geminæ hujus ſynodi decreta ſimul conjuncta, uno que Nicænorum titulo ſignata continerent. At vero quam inde elicit eruditus præſul concluſionem, næ illa minus certa, minuſque, ut leviſſime dicam neceſſaria eſt: videlicet Romanæ hujus collectionis merum exemplar eſſe eum, quem *Chriſtophori Juſtelli beneficio* vidit Codicem, utpote qui canonibus 20. Nicænis annexos habet Sardicenſes, eoſque numero 40. & ſub hoc uno lemmate, *Canones Nicæni*, diſpoſitos. At enim id ſi ſit, erunt etiam, quod repugnat, Romani Codicis exemplaria Codices illi, de quibus ſ. 3. egimus, qui tametſi eccleſiis a Romana diverſis uſui fuere, eamdem tamen exhibent Nicænorum canonum Sardicenſiumque conjunctionem. Repugnare dixi, neque certe inficiabitur, niſi qui proprium uni fuiſſe volet, quod pluribus commune fuit. Licet igitur verum id foret, quod, ut ſententiæ ſuæ fidem adſtruat, ſubjungit idem ſcriptor, *non aliam* nimirum *eſſe collectionem* 40. *canonum Nicænorum, cujus meminit præfatio Iſidori*, nil tamen inde quidquam apte probaret. Totidem enim canones, immo & 46. obſervavimus exſtare in exemplaribus non paucis, iiſque non Codicis Romani; atque ita exſtare, ut generali hocce lemmate, *Nicæni canones*, prænotentur. Verum Iſidorus in ſua tota præfatione, *collectionis* 40. *canonum Nicænorum* nuſpiam meminit. Tantum epiſcopos n. 7. monet, *plura quam illa viginti capitula, quæ apud nos*, inquit, *habentur Nicænæ ſynodi*, a ſe reperta eſſe, *& in decretis Julii papæ* (in epiſtola ſcilicet quam ipſe confinxit,) LXX. *capitula ejuſdem ſynodi eſſe debere*. Deinde ut probet numero plus viginti eſſe, tria protinus in medium adducit, quorum unum a ſynodo Conſtantinopolitana, alterum ab Innocentio I. tertium ab Theophilo Alexandrino laudatum fuit tamquam Nicænum. Atque hæc tria, temere quidem, ut ſuis oſtendemus locis, cenſet ex Nicænis iis non eſſe, quæ numero viginti circumferuntur. De Nicænis vero Sardicenſibuſque decretis vel uno Nicænorum titulo inſignitis, vel una numerorum 40. ſerie diſpoſitis, altum ſilet. Quare Iſidori præfationem quia vel non legit ipſe vir doctus, vel levibus oculis legit, aſſertionis ſuæ teſtem male appellat. Diceret Codicem ſuum ad Romani veteris imitationem utcumque expreſſum eſſe, non contraibimus; at vero ipſiſſimum hunc eſſe, cujus olim Zoſimus, Innocentius aliique uſum frequentarunt, id ne largiamur vetant ea, quæ ſuperius * in Codicem Romanum diſceptavimus. Et hæc quidem de prima collectione paucis dicta ſufficiant. Jam de altera ſuſius eſt

* *num.* 77.

A

demonſtrandum, non eccleſiis pluribus communem fuiſſe, ſed omnino propriam Hiſpanorum.

Pars II. de antiquis canonum collectionibus. De altera collectione, quam idem vir Leonis juſſu confectam putat.

CXXXIV. Ut ratione & via procedat diſquiſitio, ab ipſis eruditi viri verbis ordimur. *Decreti Chalcedonenſis*, inquit, *ea fuit auctoritas, ut canones Orientalium ſynodorum, qui vigebant in Oriente, ſuſceperit eccleſia Romana, eoſque adhibuerit in cauſſarum & negotiorum eccleſiaſticorum diſceptatione; demtis iis quos juribus ſuis officere exiſtimabat.* Quod quomodo factum ſit, exponit his paucis: *Codicem illum, ex quo recitati ſunt canones aliquot in concilio Chalcedonenſi, Romam legati cum detuliſſent, auctoritate Leonis papæ confecta eſt & compoſita nova canonum collectio, quæ viguit ſola in Occidente per ſe-*

B

xaginta & amplius annos, donec altera quoque acceſſit Dionyſii exigui. Unde hæc hauſit eruditus præſul? Recitatos fatemur in concilio Chalcedonenſi canones aliquot e Codice Græcorum. Codicem vero hunc ipſum Romam a legatis allatum eſſe, adornatam deinde Leonis juſſu collectionem novam, atque hanc demum tanto in pretio & honore habitam, ut in Occidente ad Dionyſii exigui ætatem uſque ſola viguerit, hæc ſane tria cum incerta ſint, & qua facilitate dici, eadem & negari queant, miramur ab viro ceteroqui acuto dicta; neque dicta ſolum, ſed nullis nec auctoribus laudatis, nec indicatis ſaltem auctorum teſtimoniis, aſſeveranter pronuntiata. Deinde his quaſi in antecelſum perſtrictis,

C

ad collectionem ipſam venit, quam a Romanis, ab Afris, ab Hiſpanis Galliſque uſurpatam cenſet. *Illam*, inquit, *hactenus ignotam ex codicibus duobus mſſ. monaſterii Rivipullenſis in Catalaunia favente numine erutam hic explicamus: quæ majoris ponderis apud nos eſſe debet, quod ea uſi ſint Gallicani epiſcopi uſque ad tempora Hadriani pontificis & Caroli magni, & una cum Gallicanis canonibus ab eccleſia Hiſpanica uſurpata fuerit uſque ad Saracenorum adventum; quemadmodum etiam in Africa.* Digna profecto canonum collectio quam religioſe ſancteque veneremur, ſi Leonis magni juſſu confecta, ſi tot annis tot in eccleſiis recepta fuit. Sed inquiramus, nam operæ pretium eſt ſcire, quid cauſæ ſit cur

D

illam tam remotæ antiquitatis, tam pervulgati uſus fuiſſe putet. Utrumque ut contenderet, videtur inde factum eſſe, tum quod in ea vetus exſtet canonum græcorum interpretatio, quæ Dionyſianam ætate longe anteivit, tum quod etiam Africana, Hiſpana Gallicanaque concilia complectatur. Verum ex his ipſis, quibus abundat, conciliis, necnon & ex præſulum Romanorum litteris pronum eſt demonſtrare, quam collectionem Dionyſio vetuſtiorem contendit, eam longe recentiorem eſſe. Quod ut planum fiat, inveſtigandum ante omnia, quæ qualiſque fuerit. Atque interim fatendum, nullam hactenus publici juris factam eſſe, quæ non illi multitudine monimentorum ac diſpoſitione concedat.

E

Habet in ipſo limine præfationem, quam etſi jam in lucem emiſit illuſtriſſimus præſul, tamen exhibere hoc loco videtur operæ pretium.

Collectionis hujus præfatio. *Qua hoc numero comminentur, Iſidorus Hiſpal. lib. 6. Orig. c. 15. perpaucis mutatis inſeruit.*

CXXXV. *Canones generalium conciliorum a temporibus Conſtantini cœperunt. In præcedentibus namque annis, perſecutione fervente, docendarum plebium minime dabatur facultas. Inde chriſtianitas in diverſas hæreſes ſciſſa eſt: quia non erat licentia epiſcopis in unum convenire, niſi tempore ſupradicti imperatoris. Ipſe enim dedit facultatem Chriſtianis libere congregari. Sub hoc etiam ſancti patres in concilio Nicæno de omni orbe terrarum convenientes, juxta fidem evangelicam & apoſtolicam ſecundum poſt Apoſtolos ſymbolum tradiderunt. Quatuor autem principalia eſſe concilia, ex quibus pleniſſimam fidei doctri-*

F

*nam * tenet Eccleſia tam de Patris & Filii & Spiritus-ſancti divinitate, quam de prædicti & Filii & Salvatoris noſtri Incarnatione. Prior harum Nicæna ſynodus eſt* CCCXVIII. *epiſcoporum Conſtantino auguſto imperante peracta, in qua Arianæ perfidiæ blaſphemia condemnata, * qua inæqualitatem ſanctæ Trinitatis idem Arius aſſerebat. Ita conſubſtantialem Deo patri Deum filium eadem ſancta ſynodus per ſymbolum definivit. Secunda eſt* CL. *patrum ſub Theodoſio ſeniore Conſtantinopolim congregata, quæ Macedonium, ſanctum Spiritum Deum eſſe negantem, condemnans, conſubſtantialem Patri & Filio eumdem*

* Laudun. & Noviom. mſſ. *tenens eccleſia*

* Ita iidem mſſ. At Rivipullenſis cui concinit Iſidorus Hiſpal. *quæ de inæqualitate*.

*Paracliſtum demonſtravit; quam tota Gracia & Latinitas in eccleſiis prædicat. Tertia ſynodus Epheſina cc. epiſcoporum ſub juniore Theodoſio auguſto edita, quæ Neſtorium duas perſonas in Chriſto aſſerentem juſta anathemate condemnavit, oſtendens manere in duabus naturis unam Domini Jeſu Chriſti perſonam. Quarta eſt ſynodus Chalcedonenſis DCXXX. ſacerdotum ſub Marciano principe habita, in qua Eutychem Conſtantinop. abbatem, Verbi Dei & carnis unam naturam pronuntiantem, & ejus defenſorem Dioſcorum quondam Alexandrinum epiſcopum, & ipſum rurſum Neſtorium cum reliquis hæreticis una patrum ſententia prædamnavit, prædicans eadem ſynodus Chriſtum Deum ſic natum de virgine, ut * unam perſonam & divinæ & humanæ confiteamur naturæ. Hæ ſunt, ut prædiximus, quatuor principales & venerabiles ſynodi totam fidem catholicam complectentes. Sed & ſi qua ſunt concilia, quæ * ſancti patres Spiritu Dei pleni ſanxerunt, poſt iſtorum quatuor auctoritatem omni maneat ſtabilita vigore, quorum etiam geſta in hoc * corpore condita continentur. In principio autem hujus voluminis Nicænam ſynodum conſtituimus pro auctoritate ejuſdem magni concilii. Deinceps diverſorum conciliorum græcorum ac latinorum, ſive quæ antea, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, ſub ordine numerorum ac temporum capitulis ſuit diſtincta ſub hujus voluminis adſpectu locavimus. Subjicientes etiam decreta præſulum Romanorum, in quibus pro culmine ſedis apoſtolicæ non impar conciliorum exſtat auctoritas: quatenus eccleſiaſtici ordinis diſciplina in unum a nobis coacta atque digeſta, & ſancti præſules paternis * conſtringantur regulis, & obedientes eccleſiæ miniſtri vel populi ſpiritualibus imbuantur exemplis. * Canones autem qui dicuntur Apoſtolorum, ſeu quia eoſdem nec ſedes apoſtolica recipit, nec ſancti patres illis conſenſum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur, quamvis in eis quædam inveniantur utilia, auctoritate tamen * canonica atque apoſtolica eorum geſta conſtat eſſe remota, & inter apocrypha deputata.*

*Male apud Iſid. ut in eo ſubſtantiam divina, &c.

* Hæc verba ſunt concilii Toletani III. cap. 1.

* Iſidorus legit opere Iſidorus Mercator ſequenti a præfationi ſua inſeruit.

* Noviom. & Laud. mſſ. inſtruantur.

* Verba iſta Gratianus diſt. 16. c. 3. nomine Iſidori laudat.

* A mſſ. Noviom. & Laudun. abeſt canonica atque.

Præfationem hanc ante libros Originum Iſidori ſcriptam eſſe.

CXXXVI. Priorem hujus præfationis partem, & quidem maximam, obſervat laudatus præſul exſtare in libro 6. Originum cap. 15. Iſidori epiſcopi Hiſpalenſis. Ac ne quis Iſidorum potius ab præfationis auctore ſuppilatum, quam præfationem ab Iſidoro exſcriptam putet, tria ſtatim annotat: 1°. eſſe id ex Iſidori conſuetudine, *ut laudabiles locos, qui ſub inſtitutaconducunt, tacitis auctoribus, in opus illud* (Originum) *congerat*, 2°. ſingulas præfationis partes ac periodos ita inter ſe aptas eſſe atque conſertas, nihil ut appareat aliunde adſutum, 3°. ultima Iſidoriani excerpti verba, quæ ſic ſe habent, *Quorum* (conciliorum) *etiam geſta in hoc opere condita continentur*, belle quadrare in præfationem conciliorum geſtis præmiſſam, minime vero in Originum libros, qui nulla nec ſynodorum nec pontificum ſcripta repræſentant. Et hæc quidem poſtrema ratio perſuadet ante editam præfationem fuiſſe, totamque adeo collectionem ipſam, quam ſuos Originum libros ſcripſerit Iſidorus.

Eamdem Dionyſii collectione poſteriorem eſſe.

CXXXVII. Quemadmodum vero Iſidorus ex præfatione, ita & præfationis auctor ex Dionyſio & aliis excerpſit non pauca, atque uſus eſt pro ſuis. Hæc enim præfationis verba, *In principio hujus voluminis Nicænam ſynodum conſtituimus pro auctoritate ejuſdem magni concilii. Deinceps diverſorum conciliorum græcorum ac latinorum, ſive quæ antea, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, ſub ordine numerorum ac temporum capitulis ſuis diſtincta ſub hujus voluminis adſpectu locavimus*; hæc, inquam, verba liquet e ſequentibus Dionyſii verbis expreſſa eſſe atque efficta: *Regulas Nicænæ ſynodi, & deinceps omnium conciliorum, ſive quæ ante eam* (Nicænam ſynodum,) *ſive quæ poſtmodum facta ſunt uſque ad ſynodum* cl. *pontificum, qui apud Conſtantinopolim convenerunt, ſub ordine numerorum digeſſimus... Univerſarum vero definitionum titulos... ſub uno adſpectu locavimus.* Mira utrorumque conſenſio eſt; niſi quod Dionyſii verba nonnihil mutavit præfationis auctor, & ſua ſermonis peregrinitate corrupit. Ecquæ enim vocum illarum ſtructura, qui nexus? *Diverſorum* inquit, *conciliorum... capitulis ſuis diſtincta ſub hujus voluminis adſpectu locavimus.* Temere profecto & verbum *titulos*, unde certus orationis ſenſus pendebat, expunxit, & quæ boni ſenſus inania ſunt, adjecit, nempe *ſub hujus voluminis adſpectu*, pro *ſub uno adſpectu*, ſupple *legentium*, quod recte fuerat a Dionyſio ſubauditum. Neque vero Dionyſii ſolum, ſed aliorum etiam, uti diximus, monimentorum ſegmentis infarta hæc præfatio eſt. Quippe quod in ea legimus, *Sed & ſi quæ ſunt concilia, quæ ſancti patres Spiritu Dei pleni ſanxerunt, poſt horum quatuor auctoritatem omni maneant ſtabilita vigore*, perſuaſum nobis eſt fluxiſſe cum ex his Hormiſdæ epiſt. 123. *Sed & ſi qua ſunt concilia a ſanctis patribus inſtituta, poſt horum auctoritatem & cuſtodienda & recipienda decernimus*, tum ex iſtis etiam Toletanæ III. ſynodi can. 1. *Nihil ex hoc fiat*, QUOD SANCTI PATRES SPIRITU DEI PLENI SANXERUNT *fieri non debere*. Quo poſito præfationem, ipſumque adeo totum opus Toletana illa ſynodo poſterius fateri neceſſe eſt.

Eam poſt annum 589 ſcriptam eſſe.

CXXXVIII. Sane cur ita ſentiam, accedit alia ratio nec obſcura nec levis, illud nimirum ejuſdem præfationis de ſymbolo Conſtantinopolitano: *Secunda ſynodus eſt* cl. *patrum ſub Theodoſio ſeniore Conſtantinopolim congregata, quæ Macedonium, ſanctum Spiritum Deum eſſe negantem, condemnans, conſubſtantialem Patri & Filio eumdem Paracliſtum demonſtravit; quam tota Gracia & Latinitas in eccleſiis prædicat*. Symbolum enim Conſtantinopolitanum prædicari in eccleſiis & decantari non prius cœptum eſt a Latinis ad imitationem Græcorum, quam illud Toletana III. ſynodus canone 2. ſanxiſſet: *Pro reverentia ſanctiſſimæ fidei & propter corroborandas hominum invalidas mentes, conſultu piiſſimi & glorioſiſſimi domini Reccaredi regis, ſancta conſtituit ſynodus, ut per omnes eccleſias Hiſpaniæ * vel Galliciæ, ſecundum formam Orientalium eccleſiarum, concilii Conſtantinopolitani, hoc eſt* cl. *epiſcoporum, ſymbolum fidei recitetur, & prius quam dominica dicatur oratio, voce clara a populo prædicetur*. Itaque cum ex his, tum ex aliis jam ante dictis, paullatim & quaſi prono flumine deducimur ad notitiam temporis, quo lucubrata præfatio eſt, & præfationi ſubnexa collectio. Etenim illam ſi conſtat, uti conſtare nobis videtur, & Iſidori libris Originum anteriorem eſſe, & Toletana III. ſynodo poſteriorem, quid ſequitur aliud, niſi ut poſt annum 589. qui Toletanæ ſynodi annus eſt, & ante annum 636. quo vivere deſiit Iſidorus Hiſpalenſis, adornata ſit? Antiquiorem putat Petrus de Marca, & idcirco putat, quod *Symmachus papa in ſexta ſynodo Romana habita anno 504. citat duos canones ſynodi Gangrenſis ex antiqua verſione, quæ eſt in hac collectione*. Verum hæc ratio quam nulla ſit, vel ex hoc uno, ut alia mittamus, perſpici poteſt, quod ſextæ hujus ſynodi, necnon & quintæ, ſub Symmacho itidem ut volunt habitæ, parens ſit Iſidorus Mercator. Nequaquam igitur Gangrenſes canones laudavit Symmachus, ſed ſub Symmachi nomine deliteſcens impoſtor, qui & antiquam canonum græcorum interpretationem ex hac ipſa collectione deſcripſit.

* In uno mſ. Colb. Hiſpaniæ, Galliæ vel Galliciæ.

Adornatam eſſe in Hiſpania.

CXXXIX. Neque vero ſolum cujus ævi ſit, ſed cujus etiam eccleſiæ fuerit hæc collectio, inde pronum eſt dijudicare. Quod enim ait præfationis auctor, morem eſſe Latinorum, ut ſymbolum CP. publice recitent; id ſi probabimus Latinis nullis ab anno 589. ad 636. fuiſſe in uſu, præterquam Hiſpanis, annon collectionem in Hiſpania factam eſſe, ibique quotidiano uſu receptam jure merito concludemus? Atqui iſtud probare nihil negotii eſt. Hunc ritum Gallos ſæculo tantum VIII. Romanos multo ſerius recepiſſe conſtat. Et de Gallis quidem auctor eſt Walafridus Strabo cap. 22. ſymboli hujus canendi uſum nec ante Caroli magni ævum, nec niſi poſt damnatum Felicem Urgellitanum amplexos eſſe. De Romanis vero fidem facit Berno Augienſis idemque teſtis oculatus, lib. *de rebus ad Miſſam pertinentibus* cap. 2. eos ab Henrico I. imperatore anno 1014. interrogatos cur idem ſymbolum *ad hæc tempora nullo modo cecinissent*, rationem hanc attuliſſe, *quod videlicet Romana eccleſia non fuiſſet aliquando ulla hæreſeos fæce infecta..... At dominus imperator*, pergit idem ſcriptor, *non*

Dionyſ. epiſt. ad Stephan. epiſc.

antea deſiit, quam omnium conſenſu id domino Benedicto (VIII.) *apoſtolico perſuaſit, ut ad publicam miſſam illud decantarent*. Quem Afii morem tenuerint, nulla nos monimenta docent. Sed eos collectione ita, uti hæc illa eſt, Gallicanis Hiſpaniſque ſynodis referta uſos non eſſe, evidentius puto, quam ut probatione indigeat. Propriam igitur Hiſpanorum fuiſſe docet præfatio: at multo clarius demonſtrabit collectio ipſa, eujus hic ſummam exhiberi non erit alienum.

Qualis fuerit præfationi ſubnexa collectio.

CXL. Obſervat Petrus de Marca, qui collectionis hujus notitiam aliquam primus dedit, ab ea quidem abeſſe canones Apoſtolorum, ſed Nicænos ceteris præponi, tum ex ordine ſequi Ancyranos, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Sardicenſes, Antiochenos, Laodicenos, quibus Chalcedonenſes 27. ſuccedunt. Addit ſubinde ſynodos ibidem exhiberi complures Africanas, Gallicanas, Hiſpanas, una cum epiſtolis præſulum Romanorum non paucis. Atque hæc omnia dum recenſet vir eruditus, annotat collectionem illam a Dionyſiana differre cum in multis, tum in hoc nominatim, quod canonum græcorum interpretationem habeat Dionyſiana longe antiquiorem. Ex his porro notis colligere eſt, quos in Catalaunia vidit idem ſcriptor codices ejuſdem collectionis duos Rivipullenſes, eos nil diſſidere prorſus a Toletano & Urgellenſi, de quibus to. 1. concil. Hiſpan. ſub initium pag. 45. meminit vir bonæ memoriæ Cardinalis Daguirre. Horum quoque gemellos eſſe cenſemus alios itidem duos, Vigilanum ſcilicet ac Gerundenſem; quorum unum in monaſterio regio Divi Laurentii exſtare monet Garſias Loaiſa præfat. in concilia; alterius vero ſpecimen ad nos tranſmiſit vir non una laude clarus Joſephus de Taverner d'Ardene Gerundenſis epiſcopus, tunc eccleſiæ ejuſdem Vicarius generalis. Neque hanc collectionem patribus noſtris invidere Hiſpani. Argumento ſunt antiqua illa, quæ id etiam ætatis aſſervant eccleſiæ inſignes Laudunenſis, Noviomenſis, Bellovacenſis & Sueſſionenſis, exempla; quorum omnium ſumma eſt, ſi pauca excipias, cum Hiſpanis ſimilitudo. Et in Sueſſionenſi quidem eadem ſcripta, ſed, ſive incuria librariorum ſeu fortuito aliquo caſu, perturbatus ordo eſt. In ceteris idem ordo, ſed pontifi cum epiſtolis occurrunt ſpuriæ tres intertextæ, in Iſidori ſcilicet Mercatoris officina procuſæ. Tamen, quod mirere, purus ſincerusque eſt qui collectionis fronti præfigitur Index generalis: neque in eo ulla non probæ notæ epiſtola prænuntiatur. Ceterum nullam hactenus collectionem, quod jam obſervavimus, videre nobis contigit, quæ, ſive monimentorum multitudo, ſive ordinis ratio ſpectetur, poſſit cum hujus methodo & amplitudine contendere.

CXLI. Duas tribuitur in partes; quarum prior continet ea, quæ in Indice prævio ſic exhibentur monimenta.

INCIPIUNT CAPITULA

CONCILIORUM GRÆCIÆ.

Primæ partis monimenta.

I. *Canones Nicæni concilii 318. epiſcoporum.*
II. *canones Anchyritani concilii 12. epiſcoporum.*
III. *canones Neocæſarienſis concilii 19. epiſc.*
IV. *canones Gangrenſis concilii 14. epiſc.*
V. *canones Sardicenſis concilii.*
VI. *canones Antiocheni concilii 31. epiſc.*
VII. *canones Laodiciæ Frygiæ.*
VIII. *canones Conſtantinop. concilii 150. epiſcop.*
IX. *ſynodus Epheſina I. 200. epiſcop.*
X. *ſynodus Chalcedonenſis concilii 630. epiſcop.*
XI. *epiſtola Formata Attici Conſtantinop. epiſcop.*

CONCILIA AFRICÆ.

XII. *ſynodus Carthaginis Africæ I.*
XIII. *ſynodus Carthaginis Africæ II.*
XIV. *ſynodus Carthaginis Africæ III. 48. epiſcop.*
XV. *ſynodus Carthaginis Africæ IV. 210. epiſcop.*
XVI. *ſynodus Carthaginis Africæ V. 33. epiſcop.*
XVII. *ſynodus Carthaginis Africæ VI. 217. epiſcop.*
XVIII. *ſynodus Carthaginis Africæ VII. 19. epiſcop.*
XIX. *ſynodus Africæ in Milevitana urbe habita 214. epiſc.*

In Coisliniano noni circiter ſæculi codice, quo plura id genus monimenta continentur, & cui inſerta ſunt concilia ſex Carthaginienſia, ſecundum notatur habitum *æra* CCCCXXVII. tertium *ab epiſcopis 96. æra* CCCCXXXV. quartum *ab epiſcopis* 214. *æra* CCCCXXXVI. quintum *ab epiſcopis* 74. *æra* CCCCXXXVIII. ſextum *æra* CCCCLVII. *ab epiſcopis* 217. hoc eſt an. 386. 397. 398. & 419 Præterea obſervamus, jam diu quidem eſſe, cum ſuis quæque numeris notantur ſynodi Carthaginienſes, atque una *Carthaginienſis I.* altera *Carthaginienſis II.* & ſic deinceps ceteræ III. IV. V. VI. & VII. appellantur: at illud nobis videtur ex Hiſpana collectione fluxiſſe. Nam antea ſic numeratas eſſe nullo hactenus veſtigio deprehendimus.

CONCILIA GALLIÆ.

XX. *concilium Arelatenſe I.*
XXI. *concilium Arelatenſe II. 113. epiſcop.*
XXII. *concilium Arelatenſe III. 14. epiſcop.*
XXIII. *concilium Valentinum 20. epiſcop.*
XXIV. *concilium Taurinantium.*
XXV. *concilium Regienſe 13. epiſcop.*
XXVI. *concilium Arauſicum 16. epiſcop.*
XXVII. *concilium Vaſenſe.*
XXVIII. *concilium Agathenſe 25. epiſcop.*
XXIX. *concilium Aurelianenſe 20. epiſcop.*

CONCILIA SPANIÆ.

XXX. *concilium Eliberinum 18. epiſcoporum*
XXXI. *concilium Tarraconenſe 10. epiſcop.*
XXXII. *concilium Gerundenſe 7. epiſcop.*
XXXIII. *concilium Cæſaraugustanum 12. epiſc.*
XXXIV. *concilium Ilerdenſe 9. epiſcop.*
XXXV. *concilium Valentinum 6. epiſcop.*
XXXVI. *ſynodus I. Toletana 18. epiſcop.*
XXXVII. *ſynodus II. Toletana 9. epiſcop.*
XXXVIII. *ſynodus III. Toletana 62. epiſcop.*
XXXIX. *ſynodus IV. Toletana 46. epiſcop.*
XL. *ſynodus Bracarenſis I. 9. epiſcop.*
XLI. *ſynodus Bracarenſis II. 12. epiſcoporum era* DCX.
XLII. *Capitula ex Orientalium patrum ſynodis a Martino epiſcopo Galliciæ ordinata atque collecta.*
XLIII. *ſynodus Spalenſis I. 8. epiſcoporum.*
XLIV. *ſynodus Spalenſis II. 8. epiſcop.*
XLV. *Sententiæ, quæ in veteribus exemplaribus conciliorum non habentur, ſed a quibuſdam inſertæ ſunt.*

CXLII. De ſententiis illis duo ſunt a nobis §. 4. obſervata, 1°. canones hos ipſos eſſe, quos ad Agathenſium calcem dedit Sirmondus to. 1. Galliæ conciliorum; 2°. attributas a nonnullis fuiſſe ſynodo II. Hiſpalenſi; atque id forte inde factum, quod in vetuſtis quibuſdam exemplis, quemadmodum & in collectione Hiſpana, legantur Hiſpalenſibus decretis proxime ſubjectæ. Quamquam nec inde Hiſpalenſes eſſe crediderim. Nam in his ipſis, quæ laudavi, exemplis, nulli adſignantur ſynodo, tantum *a quibuſdam inſertæ* memorantur.

CXLIII. Poſt ſynodum II. Bracarenſem alias complures eaſque Toletanas exhibent manuſcripti codices Laudunenſis, Noviomenſis & Bellovacenſis; exhibent autem non in prævio Indice generali, ſed in ipſo collectionis corpore ad hunc modum: *Toletanum V. 24. epiſcoporum habitum* ERA HACTENUS DCLXIV. *Toletanum VI. era* DCLXXVII. *Toletanum* VII. *era* DCLXXXIV. *Geſta ſynodalia 42. epiſcoporum in urbe regia celebrata die Kalendarum Jun. era* DCXCI. *Synodus habita ab epiſcopis 16. in Toletana urbe poſt*

diem Kalendarum Novembrium anno VII. *Receſvinthi glorioſiſſimi principis in baſilica S. Mariæ ſemper virginis. Synodus habita in Toletana urbe die Kalend. Decemb. anno* VIII. *glorioſi domini religioſiſſimi Receſvinthi principis. Toletani concilii* XI. *acta anno* IV. *glorioſi principis Vvambani ſub die* VII. *Idus Nov. era* DCCXVIII. *Toletanum concilium* XII. *era* DCCXXIX. *Toletanum concilium* XIII. *era* DCCXXI. Repetuntur deinde Bracarenſium I. & II. conciliorum geſta. Tum ſubſequuntur Martini Capitula, Bracarenſe concilium anno III. Wambani, era DCCXIII. (ſupra DCCXVIII.) mox ſynodi I. & II. Hiſpalenſes. Atque his proxime ſubligatur iſta collectoris præfatiuncula. A

Præfatio in ſecundam partem.

CXLIV. *Hactenus digeſtis conciliis ſanctorum patrum, ſequentur decreta præſulum Romanorum. Præfatæ ſedis apoſtolicæ præſulum conſtituta, quæ ad fidei regulam vel ad eccleſiaſticam pertinent diſciplinam, in hoc libro diligenti cura collecta ſunt: ita ut ſingulorum pontificum quotquot decreta a nobis repertæ ſunt, ſub uniuſcujuſque epiſtolæ ſeriem propriis titulis prænotarentur eo modo, quo ſuperius priſcorum patrum canones noſtro ſtudio ordinati ſunt; quatenus lectoris induſtria facilius intelligere poſſit, dum capitulis propriis diſtincta intendit.* Præfationem hanc e veſtigio ſequitur Index generalis capitulis 102. diſtinctus; quibus capitulis pontificiæ 102. litteræ prænuntiantur. Ex illo porro ſecundæ partis Indice, uti & ex primæ, perſpicuum eſt, ante abſolutam collectionem fuiſſe, quam in illam admiſſæ inſertæque ſint novem hæ, quas modo recenſuimus, ſynodi Toletanæ. Qui ſic autem? Non difficilis nec longe petenda probatio eſt. In poſtremo Indice nil Gregorii ad Leandrum & Recaredum regem litteris, hoc eſt anno Chriſti 599. recentius offendas quidquam: in primo vero nil concilio Toletano IV. hoc eſt anno Chr. 633. poſterius itidem quidquam legas. Anno igitur 633. confecta erat collectio. Atqui e Toletanis novem hiſce ſynodis nulla non ævo poſterior eſt, quippe quarum prior in annum 636. poſtrema vero in 689. cadit. Quare collectioni adjectas, ut ejuſmodi libris uſu venit, jure cenſemus neque ulla re alia factam cur in Indice prætermittantur. En ſecundæ partis Indicem his ſubjicimus. B C D

DECRETA QUORUMDAM

PRÆSULUM ROMANORUM

ad fidei regulam & diſciplinam eccleſiaſticam conſtituta.

I. *Epiſtola papæ Damaſi ad Paullinum Antiochenum epiſcopum.*
II. *Confeſſio fidei ejuſdem papæ ad eumdem.*
Utrumque una hujus papæ epiſtola v. ſimul repræſentabit. E
III. SIRICII *ad Himerium Tarraconenſem.*
IV. *ejuſdem per diverſos epiſcopos miſſa.*
V. *ejuſdem per diverſos epiſcopos directa.*
Hoc eſt 1. 5. & 6.
VI. INNOCENTII *ad Decentium Eugubinum.*
VII. *ad Victricium Rothomagenſem.*
VIII. *cujus ſupra ad Exuperium Toloſanum.*
IX. *ad Felicem epiſcopum.*
X. *ad Maximum & Severum epiſcopos.*
XI. *ad Agapitum, Macedonium & Marinum epiſcopos.*
XII. *ad Rufum & ceteros epiſcopos per Macedoniam conſtitutos.*
XIII. *ad Florentium Tiburtinenſem epiſcopum.* F
XIV. *ad Probum.*
XV. *ad Aurelium & Auguſtinum Africanos epiſcopos.*
XVI. *ad Aurelium Carthaginienſem.*
XVII. *ad Julianam nobilem exhortatoria.*
XVIII. *ad Bonifacium presbyterum.*
XIX. *ad Alexandrum Antiochenum.*
XX. *ad Maximianum epiſc.*
XXI. *ad Alexandrum Antiochenum.*
XXII. *ad eumdem.*
XXIII. *ad Acacium Beroæ epiſcopum.*
A XXIV. *ad Laurentium Senienſem epiſcopum.*
XXV. *ad Rufum, Euſebium ceteroſque epiſcopos.*
XXVI. *ad univerſos Toletanos epiſcopos.*
Hoc eſt Innocentii epiſtolæ nunc 25. 2. 6. 37. 38. 89 18. 40. 16. 10. 14. 15. 23, 19. 20. 21. 22. 23. 24. 41. 16. & 3.
XXVII. *Epiſtola* ZOSIMI *ad Heſychium Salonitanum.*
XXVIII. *ad clerum Ravennenſem.*
Hoc eſt 9. & 14.
XXIX. *Epiſtola* BONIFACII *papæ ad Honorium auguſtum.*
XXX. *Reſcriptum Honorii ad eumdem Bonifacium.*
B XXXI. *Epiſtola Bonifacii ad epiſcopos Galliæ.*
XXXII. *Ejuſdem ad Hilarium Narbonenſem epiſc.*
Seu epiſtolæ nunc 7. 8. 3. & 12.
XXXIII. *Epiſtola* CÆLESTINI *papæ ad epiſcopos per Gallias conſtitutos*, cujus capitulo 111. *Præteritorum ſedis apoſtolicæ epiſcoporum auctoritates de gratia Dei ſu*bjiciuntur.
XXXIV. *Ejuſdem ad epiſcopos per Viennenſem & Narbonenſem provinciam conſtitutos.*
XXXV. *ad epiſcopos per Apuliam & Calabriam conſtitutos.*
Hoc eſt epiſtolæ Cæleſtini nunc 21. 4. & 5.
C XXXVI. *Epiſtola* LEONIS *ad Eutycem presbyterum.*
XXXVII. *ad Flavianum CP. epiſc.*
XXXVIII. *Reſcriptum Flaviani ad ſupradictum Leonem papam.*
XXXIX. *Leonis reſcriptum ad eumdem Flavianum.*
XL. *epiſtola Petri Ravennenſium ad Eutycem presbyterum.*
XLI. *Leonis papæ ad Epheſinam ſynodum.*
XLII. *ad Theodoſium auguſtum.*
XLIII. *ad Pulcheriam auguſtam.*
XLIV. *ad Pulcheriam auguſtam.*
XLV. *ad Martinum & Fauſtum presbyteros.*
D XLVI. *ad Theodoſium auguſtum.*
XLVII. *ad Pulcheriam auguſtam.*
XLVIII. *ad Fauſtum, Martinum, Petrum, Manetem & ceteros.*
XLIX. *ad Pulcheriam auguſtam.*
L. *ad Anatolium epiſcopum CP.*
LI. *ad Marcianum imper.*
LII. *ad eumdem.*
LIII. *ad eumdem.*
LIV. *ad Anatolium epiſcopum.*
LV. *ad Marcianum auguſtum.*
LVI. *ad ſynodum Chalcedonenſem.*
LVII. *ad Marcianum imper.*
LVIII. LIX. LX. & LXI. *ad eumdem Marcianum aug.*
E LXII. *ad Leonem imper. ſubjunctis teſtimoniis.*
LXIII. *ad Turibium Aſturicenſem epiſc.*
LXIV. *ad univerſos epiſcopos per Italiam provinciam conſtitutos.*
LXV. *ad epiſcopos per Siciliam conſtitutos.*
LXVI. *ad epiſcopos per Campaniam, Samnium & Picenum conſtitutos.*
LXVII. *ad Januarium Aquilegenſem epiſc.*
LXVIII. *ad Ruſticum Narbonenſem.*
LXIX. *ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem.*
LXX. *ad Nicetam Aquilegenſem epiſcop.*
LXXI. *ad Africanos epiſcopos.*
LXXII. *ad Theodorum Forojulienſem epiſc.*
F LXXIII. *ad Leonem (ſeu Neonem) epiſcop.*
LXXIV. *ad Dioſcorum epiſcopum Alexandr.*
LXXV. *ad epiſcopos per Campaniam, Samnium & Picenum*, licet ſupra cap. 66. jam notata ſit.
Hæ Leonis epiſtolæ nunc 21. 23. 25. 28. epiſt. Petri Ravennatis, 34. 44. 46. 55. 56. 61. 62. 63. 71. 72. 74. 75. 86. 97. 84. 85. 95. 97. 105. 121. 123. 154. 17. 7. 18. 4. 2. 12. 149. 1. 100. 155. 11. 4.
LXXVI. HILARI *papæ ſynodale decretum.*
LXXVII. *Cujus ſupra ad Aſcanium & ad univerſos Tarraconenſis provinciæ epiſcopos.*
LXXVIII. *ad eumdem Aſcanium Tarracon. epiſcop.*

Hoc

Hoc eſt Hilari epiſtolæ 15. 16. & 17.
LXXIX. *Epiſtola* SIMPLICII *papæ ad Zenonem Spalenſem epiſc.*
LXXX. *Acacii epiſc. CP. ad prædictum Simplicium.*
Hæ apud Simplicium 20. & 8.
LXXXI. *Epiſtola* FELICIS *papæ ad epiſcopos per Siciliam.*
LXXXII. *ad Acacium epiſcopum CP.*
LXXXIII. *ad Zenonem Spalenſem epiſc.*
Hoc eſt epiſtolæ quas nunc vocamus 15. 6. & 5.
LXXXIV. *Decreta* GELASII *papæ generalia.*
LXXXV. *ad Sicilienſes epiſcopos.*
Hoc eſt Gelaſii epiſtolæ 11. & 14.
LXXXVI. *Epiſtola* ANASTASII *papæ ad Anaſtaſium imperatorem directa.*
LXXXVII. *Epiſtola* SYMMACHI *papæ ad Cæſarium.* Hoc eſt Symmachi epiſtola 4.
LXXXVIII. *Epiſtola* HORMISDÆ *papæ ad Juſtinum imperatorem.*
LXXXIX. *Sacra Juſtini imper. ad Hormiſdam papam.*
XC. *Epiſtola Joannis CP. epiſcopi ad Hormiſdam papam directa.*
XCI. *Hormiſdæ papæ ad Joannem epiſc. Illicitanæ eccleſiæ.*
XCII. *ad eumdem Joannem.*
XCIII. *ad epiſcopos per Spaniam conſtitutos.*
XCIV. *ad eoſdem Spaniæ epiſcopos ſubinuctis exemplaribus libelli Joannis CP.*
XCV. *ad Saluſtium Spalenſem epiſcopum.*
XCVI. *ad Epiphanium epiſcopum CP.*
XCVII. *ad univerſos provinciæ Bæticæ epiſc.*
Hoc eſt epiſtolæ Hormiſdæ 135. 66. 61. 87. 24. 25. 26. 140. 139. & 141.
XCVIII. VIGILII *papæ ad Profuturum epiſcopum,* hoc eſt epiſtola 2.
XCIX. *Epiſtola* GREGORII *papæ ad Leandrum Spalenſem epiſcopum.*
C. *ad eumdem Leandrum.*
CI. *ad prædictum antiſtitem.*
CII. *ad Recaredum regem Gotthorum.*
Hoc eſt epiſt. olim 41. lib. 1. Indict. 9. 46. lib. 5. Indict. 13. 126. lib. 7. Indict. 2. & 127. ejuſdem libri.

Collectionem ab adulterinis fœtibus puram eſſe.

CXLV. Indices hi duo tametſi multa nuntiant, nil tamen quod ſit ab Iſidoro Mercatore cudam nuntiant. Puri ſunt & ab omni ſubditiorum aſino labe vacui. Collectionis vero ipſius exemplaria Noviomenſe, Bellovacenſe ac Laudunenſe quæ ab annis circiter 700. deſcripſit librarius, incorrupit, ſuppoſititiis quibuſdam in genuinorum claſſem temere admiſſis. Ex Iſidoro ſcilicet, cujus jam prodierat in lucem compilatio, dum ſuam ornare quærit imprudens, adulterat; ſic tamen, ut quæ ſincera ſunt & in prævio Indice notata, hæc tota etiam repræſentet. Adulterinas itaque litteras duas genuinis Damaſi ad Paullinum adjunxit, unam nimirum *Stephani archiepiſcopi & trium conciliorum ad Damaſum papam, Quod epiſcoporum & ſummorum negotiorum eccleſiaſticorum cauſſæ ad ſedem apoſtolicam ſint referendæ*; alteram *Damaſi ad eumdem Stephanum & ad concilia Africæ, Quod epiſcoporum judicia, & majores cauſſæ non aliter, quam apoſtolicæ ſedis auctoritate ſint terminandæ*. Atque his litteris miror cur alias ejus generis complures non adjecerit, maxime cum eſſent, quas plena manu poſſet, ſi vellet modo, congerere. Verum his contentus ad Vigilium uſque perrexit; vixque huc pervenit, ſtatim de iterum labitur Iſidorum ſecutus. Vigilii nimirum epiſtolam Profuturo inſcriptam, ſed Eutherii nomine ab Iſidoro ſignatam deſcripſit una cum additamentis Iſidorianis & epigraphe *ad Eutherium*, quamvis veterem ac veram *ad Profuturum* inſcriptionem in Indice retinuiſſet. Neque ſpuriis ſolum his monimentis, ſed genuino etiam uno collectionem auxit, inſerto præter ejuſdem Indicis fidem, Gregorii Junioris decreto. Adſcititia igitur eſſe quatuor hæc ſcripta, jure crediderim. Et requidem vera, nec in ſinceris, quæ viderimus, exemplis, nec in ullis uſpiam Indicibus comparent.

CXLVI. Jam collectionem iſtam nil vetat quo minus ſæculo VII. eoque medio antiquiorem dicamus. Certe in priori ejus parte, quam concilia totam occupant, nullum occurrit conciliorum græcorum poſterius Chalcedonenſi, hoc eſt anno 451. Africanorum nullum Carthaginienſi VII. ſeu anno 419. Gallicanorum nullum Aurelianenſi I. id eſt anno 511. nullum denique Hiſpanorum Toletano IV. cui præfuit Hiſpalenſis antiſtes Iſidorus anno 633. Altera vero pars, tota quanta eſt, nil recentius habet quidquam Gregorii litteris ad Recaredum regem datis Indictione 10. cujus initium a menſe Septembri anni 599. ducitur. Quamobrem ſi qua Iſidoro Hiſpalenſi præſuli tribuenda canonum collectio eſt, hæc illa ipſa eſt qua de agimus, non quæ Iſidori Mercatoris nomine circumfertur. Sane quam conveniet temporis ratio, pervidere eſt cum ex his quæ de collectionis præfatione diximus, tum ex monimentorum, e quibus conſtat, ætate, ac nominatim ſynodorum Hiſpalenſis II. & Toletanæ IV. quibus præſedit Iſidorus. Forte etiam antiquo illi, qui tum Hiſpanis in uſu erat, canonum Codici recognoſcendo ſimul & augendo locum dedit Toletani III. concilii canon I. cujus hæc verba ſunt. *Hoc ſanctum præcipit concilium, ut quia in nonnullis vel hæreſis vel gentilitatis neceſſitatibus per Hiſpaniarum eccleſias canonicus prætermiſſus eſt ordo, dum & licentia abundaret tranſgrediendi, & diſciplinæ optio negaretur, dumque omnis exceſſus hæreſis foveretur patrocinio: ut abundantiam mali temperet diſtrictio diſciplinæ, pace Eccleſiæ Chriſti miſericordia reparata omne quod priſcorum canonum auctoritas prohibet, ſit reſurgente diſciplina inhibitum, & agatur omne quod præcipit fieri. Maneant in ſuo vigore conciliorum omnium conſtituta, ſimul & ſynodicæ ſanctorum præſulum Romanorum epiſtolæ.* Tum enimvero ſynodalia illa conſtituta neceſſe fuit unum in corpus colligi, & per univerſas Hiſpaniarum eccleſias diſſeminari, quo quid vetarent juberentve canones, nemo non haberet probe perſpectum.

Pars II. de antiquis canonum collectionibus.

Eam & medio ſæculo VII. eſſe anteriorem.

CXLVII. Eo ſenſim adducimur ut collectionem & ab homine Hiſpano elaboratam eſſe, & ad Hiſpanarum eccleſiarum uſum pertinuiſſe concludamus. Et primo quidem id nobis cum alia multa, tum illud præſertim perſuadet, quod a ſynodo III. Toletana can. 2. legimus conſtitutum, *ut per omnes eccleſias Hiſpaniæ vel Galliciæ, ſecundum formam Orientalium eccleſiarum, concilii Conſtantinopolitani ſymbolum voce clara a populo prædicetur*. Etenim decretum illud, ut ſupra jam admonuimus, ſi cum eo conferas præfationis ſupra deſcriptæ loco, ubi dicitur ſymboli CP. fides *a tota Græcia & Latinitate in eccleſiis prædicari*, palam erit præfationem hominis Hiſpani eſſe, qui quod Toletana III. ſynodus *per omnes eccleſias Hiſpaniæ* fieri juſſerat, id ſua ætate in uſu & more poſitum eſſe teſtetur: maxime cum eumdem uſum nonniſi ſerius admiſſum eſſe conſtet a ceteris Latinorum. Deinde huic argumento robur utcumque addit memoratus ejuſdem concilii canon I. quatenus præcipit: *Maneant in ſuo vigore conciliorum omnium conſtituta, ſimul & ſynodicæ præſulum Romanorum epiſtolæ*. Hiſpanos enim inde liquet, cum ſynodorum ſtatutis, tum etiam ſynodicis, ſeu, quod idem eſt, decretalibus præſulum Romanorum litteris uti conſueviſſe. Quare & his litteris referta eſt præter ceteras ea, quam Hiſpanam vocamus, collectio. Fuit illud quidem, fatemur, eccleſiarum itidem aliarum, maxime Occidentalium, commune, ut ad pontificia decreta componerent ſe ſe; at etiam Hiſpanos id ſingulari quadam ratione hoc loco ſanxiſſe fatendum eſt. Quin & concilii IV. Toletani canone 17. decernunt, Apocalypſim divinis idcirco libris accenſendam eſſe, quod illud & *multorum conciliorum auctoritas, & ſynodica præſulum Romanorum decreta* (Innocentii ſcilicet epiſtola 6.) *præſcribunt*. Tanta erat apud eos pontificiarum epiſtolarum dignitas & momentum! Propterea & collectionis hujus auctor, cum ſciret ad eccleſiæ ſuæ regimen æque pertinere, quæ tum a ſynodis tum a præſulibus Romanis ſancita eſſent, utraque unum in corpus compegit. *Digeſtis*, inquit, *conciliis ſanctorum patrum, ſequuntur decreta præſulum Romanorum. Præfatæ ſedis apoſtolicæ præſulum conſtituta, quæ ad fidei regulam*

Digitized by Google

PARS II. DE ANTIQUIS CANONUM COLLECTIONIBUS.

gulam vel ad eccleſiaſticam pertinent diſciplinam, in hoc libro diligenti cura collecta ſunt. Quod autem e veteribus hiſce litteris nullam omiſit, quam ad Hiſpanos datam norimus, id ſane, vel ipſo etiam tacente, Hiſpanum illum fuiſſe docet. Primus omnium in lucem edidit epiſtolas Hilari ad Aſcanium Tarraconenſem, Simplicii & Felicis ad Zenonem Hiſpalenſem, Hormiſdæ duas ad Joannem Illicitanum, ejuſdem papæ unam ad Saluſtium Hiſpalenſem, alteram ad epiſcopos Bœticæ, alias itidem duas ad epiſcopos Hiſpaniæ cum Joannis CP. libello miſſas, Vigilii denique ad Profuturum Bracarenſem. An non & Hiſpanum ſe prodit, cum & conſularibus notis, quibus Romanos uti mos eſt, æram ſubjungit Hiſpanicam; & e Gregorii litteris, quas fere innumeras habemus, quatuor demum exhibet, tres videlicet ad Leandrum Hiſpalenſem, unam ad Gotthorum regem Recaredum, relictis aliis, utpote ad Hiſpanos non datis?

Hiſpanos Gallicanorum canonum ſtudioſos fuiſſe.

CXLVIII. Nec vero, quod ſynodos complures Africanas Gallicanaſque habet iſta collectio, idcirco Hiſpanam non fuiſſe argumentari liceat. De Hiſpanis enim recte obſervavit Jacobus Sirmondus vir eximiæ eruditionis præfat. to. 1. concil. Gall. *ſtudioſos & amantes ſemper viſos eſſe canonum noſtratium, quorum ſæpe verbis & ſententiis, etiam ubi eos non nominant, canones ſuos inſtituunt. Sæpe etiam non diſſimulanter & nominatim eorum ſibi exemplum & auctoritatem ſequendam proponunt; ut cum in Tarraconenſi concilio cap. 11. de monachis agentes, canonum Gallicanorum de eis conſtitutionem ſervari jubent: & in Ilerdenſi cap. 3. de iiſdem id obſervari ſtatuunt, quod ſynodus Agathenſis vel Aurelianenſis decreverant. In concilio rurſum Valentino cap. 2. epiſcopo decedente Regenſis ſynodi conſtituta obſervari placuit: & in Toletano XII. Potamium epiſcopum crimen de ſe confeſſum, damnari ex conciliis Valentini Galliæ titulo XV. cujus verba ſubjiciunt.* Neque id mirum, cum eccleſias Hiſpanas conſtet Gallicanis fuiſſe, non junctas modo viciniæ affinitate, ſed quadam etiam ratione ſubjectas. Cujus rei argumento eſt illud Symmachi papæ ad Cæſarium Arelatenſem: *Decernimus ut circa ea, quæ tam in Gallia, quam* IN HISPANIÆ PROVINCIIS *de cauſſa religionis emerſerint, ſollertia tuæ fraternitatis invigilet; & ſi ratio popoſcerit præſentiam ſacerdotum, ſervata conſuetudine, unuſquiſque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conveniat.*

Symmach. ep. 16.

Africanis vero ſynodis cur in hac noſtra collectione locus ſit, facile eſt cauſſam afferre. Quippe ſuperioribus retro ſæculis ea fuit Afrorum apud omnes veneratio & auctoritas, ut quos inſtituiſſent canones, eos ſubinde eccleſiæ aliæ ſibi pro re nata ſequendos imitandoſque ducerent. Tellus Romana, ut de ceteris taceam, quæ, recepta Dionyſii collectione, Africana ſimul decreta recepit adoptavitque. Adeoque Hiſpanos, cum alioqui Africam vicinitate contingant, nihil repugnat hujuſmodi decretis uſos eſſe. Quod igitur ex utriſque hiſce ſynodis confici putat Petrus de Marca, collectionem Afris Galliſque olim fuiſſe in uſu, næ illud leve eſt, & nullas vires habet. Quanto rectius propriam Hiſpanorum fuiſſe concluſiſſet, quod Hiſpanas ſynodos & numero plures referat, & majori ſtudio ac diligentia collectas; quod Africanarum nihil poſt annum 419. nihil itidem Gallicanarum poſt ann. 511. contineat; Hiſpanarum vero ſeriem ad annum uſque 619. perſequatur? At vero nullum dubitationi locum relinquunt memorati codices Bellovacenſis, Noviomenſis, Laudunenſis, qui præter ſynodos in Indice deſcriptas, eaſque, quod jam monuimus, ad collectionis primigeniæ corpus pertinentes, alias exhibent ſubinde adjectas, quarum nulla non Hiſpana eſt. Quænam illæ vero? Toletanæ V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. & XIII. cum Bracarenſi III. hoc eſt Hiſpanæ unæ, quæ ab anno 619. ad 683. celebratæ ſunt. Certe, ſi non Hiſpanis modo, ſed aliis etiam, ac nominatim Gallis, in uſu fuit collectio; quorſum in ea, quæſo, tot ſynodos de rebus tanti ad religionem momenti apud Gallos habitas deſideramus? Jam longo temporum tractu, ab anno nimirum 511. ad 683. nullam in Galliis factam eſſe nemo dixerit, niſi qui fuerit in conciliorum lectione peregrinus. Hiſpanorum igitur propria fuit, & nullis aliis præterea communis. Hinc & obiter illud obſervare juvat, prædictos codices Bellovacenſem & alios duos ex aliquo deſcriptos eſſe archetypo, quod in Gallias ex Hiſpaniis poſt annum 683. deportatum ſit. De hoc jam capite dictum ſatis. Supereſt ut de altero diſſeramus paucis, hoc eſt de veteri canonum Codice ex Hiſpana iſta collectione conflato.

Antiquus canonum Codex e collectione Hiſpana conflatus.

CXLIX. Hiſpanis mos olim fuit, iſque ſaltem ad ſæculi VII. exitum perſeveravit, ut ſynodis a ſe pridem habitis eas annecterent, quas temporum decurſu haberi contingeret, & in uno eodemque Codice conſignatas aſſervari curarent. Hujus rei fidem facit ampliſſimus canonum Codex in decem diviſus libros, quorum ſinguli plures in titulos, uti & tituli plura in capitula tribuuntur. Horum librorum, titulorum, capitulorumque ſeriem nobis exhibet eminentiſſimus Cardinalis Daguirre in fronte tomi 3. concil. Hiſpaniæ a pag. 2. ad 50. quam ſeriem e veteri eoque Toletanæ olim eccleſiæ exemplari deſcripſit. Codicis ejuſdem elegantiſſima duo exempla ſæculo IX. exarata nacti ſumus in bibliothecis duabus, Colbertina nimirum & Coisliniana. Atque ex his viſum eſt, non titulorum quidem & capitulorum ſummam, longum enim foret, ſed ſingulorum ſaltem librorum epigraphen heic deſcribere in gratiam ſtudioſorum. Inſcribitur, *Liber canonum ſanctorum patrum generaliter.*

Liber I. de inſtitutionibus clericorum, conſtans titulis 60. quorum etſi poſtremos duodecim omiſit idem Card. in prævio titulorum Indice; tamen eoſdem ſupplet in recenſione capitulorum.

Lib. II. de inſtitutionibus monaſteriorum & monachorum atque ordinibus pœnitentium, titulis conſtans 23.

Lib. III. de inſtitutionibus judiciorum & gubernaculis rerum, titulis conſtans 44.

Lib. IV. de inſtitutionibus officiorum & ordine baptizandi, titulis conſtans 40.

Lib. V. de diverſitate nuptiarum & ſcelere flagitiorum, titulis conſtans 18.

Lib. VI. de generalibus regulis clericorum ceterorumque Chriſtianorum & regimine principali, titulis 6. conſtans.

Lib. VII. de beneſtate & negotiis principum, cujus tituli 11.

Lib. VIII. de Deo & de iis quæ ſunt credenda de illo, cujus tituli 9.

Lib. IX. de abdicatione hæreticorum, cujus totidem tituli.

Lib. X. de idololatria & cultoribus ejus, ac de ſcripturis pacis & muneribus miſſis, cujus tituli 7.

Continet is Codex bene multa conciliorum pontificiarumque epiſtolarum teſtimonia; immo & epiſtolas ſæpe totas refert: at nihil refert quidquam, ſi pauca modo e Toletanis quibuſdam hauſta ſynodis excipias, quod non e laudata collectione Hiſpana, eaque primigenia, dimanarit. Eaſdem quippe lectiones, eoſdem titulos, eadem & capitula titulis ſubjecta retinet; ut in eo mera collectionis ſegmenta deprehendas. Unum heic liceat, quoniam & ad rem facit & ſe dat occaſio, paucis obſervare. Diximus Hiſpanorum, ſaltem ad ſæculi VII. exitum, morem fuiſſe, ſuas ut ſynodos, cum primum habitæ fuerant, in collectionem referrent, prioribuſque jam ſuo & ordine & loco diſpoſitis accenſerent. Id porro firmat is ipſe, quo de agimus, Codex, quippe qui Toletanas ſynodos & Bracarenſem III. quas primigeniæ collectioni inſertas eſſe oſtendimus, citat non ſemel, ſic tamen ut nullam, quod rei caput eſt, citet, quæ * Toletana ſynodo XVI. recentior ſit, hoc eſt quæ ultra æram DCCXXXI. ſive annum Chriſti 693. excurrat.

* *Citatur lib. 5. titul. 13.*

Codex ille poſt annum 693. ſed non multo poſt eſt concinnatus.

CL. Indidem quoque de Codice Hiſpano, cujus ævi ſit promtum eſt definire. Cum enim ea claudatur ſynodo, quæ in annum 693. cadat, neque recentius uſpiam quidquam habeat, palam eſt vel ante, vel non multo poſt ſæculi octavi initia concinnatum eſſe. Atque adeo debetur Hiſpanis ea laus, ut in texendis ejus generis lucubrationibus Reginones, Anſelmos, Burchardos, Ivones, Gratianos ceteroſque canonum compilatores anteverint.

Huc

Huc adde quod a nothis illis undique purus eſt monimentis, quibus iidem, quos memoravimus, viri collectiones ſuas inquinarunt. Spurias illas merces dico, quas ab Iſidoro in Chriſtianum orbem invectas norunt eruditi; at quas ineunte ſæculo octavo necdum in Hiſpaniam delatas eſſe inde colligimus. Errat igitur & longe errat Juliani Toletani Chronicon a Laurentio Ramirez vulgatum, ubi dicitur Iſidorus Mercator is eſſe, qui Seſabitanus epiſcopus fuit, quique Toletano xvi. concilio anno 693. ſubſcripſit. Chronici verba refero: *Florebat Iſidorus Mercator, venitque ad annum 808. fuitque epiſcopus Seſabitanus. Scripſit amico ſuo fideli monacho Benedicto, qui fuit collector ejuſdem Iſidori. Vixit plus quam 118. annos, ſcilicet, ut dixi, ad annum 808. die 15. Maii.* Sane Seſabitanus præſul, Iſidorus nomine, Toletano duplici concilio ſubſcripſit, xii. nimirum anno 681. & xvi. anno 693. Is porco ſi, quod ait Chronici ſcriptor, ad annum Chriſti 808. vitam produxit, ſequitur ut annis plus 127. epiſcopatum tenuerit. Quod quis ſupra fidem eſſe non videat? Julianum feſellit Iſidoriani nominis ſimilitudo, atque ita feſellit, ut Seſabitano præſuli famoſum opus attribuere parum habuerit, niſi & Mercatoris nomen affingeret. Quod ſi quis tamen Hiſpanum Codicem in libros decem tributum Hiſpano huic epiſcopo adſcriptum velit, minus repugnabimus, cum in ejus ætatem apte quadret operis lucubratio. Unum eſt de Benedicto, cujus heic mentio fit, quod obſervemus. Probabile eſt Julianum, qui Chronicon ad annum 1135. proſecutus eſt, adeoque medio fere ſæculo xii. ſcribebat, de diacono loqui, eoque monacho, cui nomen Benedicto erat, quique Capitularium regum noſtrorum libros tres ultimos medio circiter ſæculo ix. collegit. Quod ſi ita eſt, uti ſimile veri eſſe remur, Julianum hoc loco iterum erraſſe fatendum erit.

Hiſpanorum in ſervandis canonibus ſtudium.

CLI. Ex his autem quæ in medium hactenus prolata ſunt, manifeſte apparet, ſin certum, ſaltem proximum certo eſſe, collectionem quidem Iſidori fuiſſe Hiſpalenſis ævo concinnatam, Codicem vero, Iſidori Seſabitani. Neque levi argumento eſt utrumque opus, quam in ſequendis ſynodorum pontificumque decretia religioſi fuerint Hiſpani, quam & ſervatæ a majoribus ſuis diſciplinæ retinentes. Parum illis fuit in collectionem referre integra conciliorum inſtrumenta, totaſque ſedis apoſtolicæ præſulum litteras, niſi & decreta quæque in certum digeſta ordinem, & ſuis titulis capituliſque diſtincta, breviori Codici conſignarent; quo ſibi quiſque quod vellet, hauriret inde facilius & quaſi in numerato haberet. Huc adde quod ab eminentiſſimo Cardinali Daguirre obſervatum eſt, *id ſemper in conciliis Hiſpanis moris fuiſſe, ut initio ſynodi legeretur coram omnibus Codex ſacrorum canonum, conciliorum & epiſtolarum decretalium.* Erudito viro favent ea ſynodi Bracarenſis I. anno 563. celebratæ can. 17. verba: *Relecti* (ſunt) *ex Codice coram concilio tam generalium ſynodorum canones, quam localium.* Favet in primis & illa Toletani iv. concilii canone 4. conſtituta lex, *Ut diaconus alba indutus Codicem canonum in medio proferens, capitula de conciliis agendis pronuntiet.* Non omnia quidem, nam ampliſſimo Codici, hoc eſt collectioni, prælegendo vix ſuffeciſſet ſolidus dies, immo nec hebdomada; ſed ea ſeorſim una capitula, quæ ad controverſias in concilio dirimendas pertinerent. Niſi quis forte audiendum hoc loco putet Iſidorum Mercatorem, qui poſtrema hæc decreti verba, *capitula de conciliis agendis pronuntiet*, interpolans, de iis unis interpretatur capitulis, quibus præſcribitur celebrandæ ſynodi ratio & forma. Hoc vero quam ſit a canonis ſenſu alienum ſentient facile, qui formam hanc uno comprehendi capitulo 4. animadverterint. Atqui non unum, ſed plura, quotquot ſcilicet res poſtularet, heic prælegenda definitur. Quid enim aliud volunt eæ, quæ proxime ſequuntur voces: *Finitiſque titulis, metropolitanus epiſcopus concilium alloquatur dicens, Ecce, ſanctiſſimi ſacerdotes, recitata ſunt ex canonibus ſanctorum patrum ſententiæ de concilio celebrando?* Hoc eſt nimirum, quod modo aiebam, vel canonum titulos omnes a diacono recitatos fuiſſe, vel ea certe capitula, quorum ad normam aut decidendæ, quæ inciderant in cauſſam, quæſtiones, aut componenda diſciplina.

Pars II. de antiquis Canonum collectionibus. Quid Hiſpanus collector a Dionyſio exiguo mutuatus ſit.

CLII. Unum addam, Dionyſianæ ſcilicet methodo inſiſtere collectionis Hiſpanæ auctorem. Titulos decretis ſeu ſynodicis ſeu pontificiis a Dionyſio præfixos plerumque exſcribit; plerumque dico, nonnullos enim interdum mutat, ſed perpaucos, & id quidem parce. Contextum etiam ea reddit fide, ut ab eo parum, nec ſæpe, diſcedat. Canonum vero græcorum interpretationem aliam exhibet a Dionyſiana. Quod ut faceret, videtur ſuaſiſſe auctoritas interpretationis, quæ dubio procul in veteri Hiſpaniarum Codice locum habebat. Neque enim ut addere titulos, aut lectionum menda tollere, ita & novam interpretationem, vetere ſubmota, inducere facile fuit. Legentium laborem levabat lectionum emendatio, levabant & tituli decretis ſingulis præfixi; at vero interpretatio nova, tametſi melior erat & caſtigatior, vel hoc uno tamen quod nova erat, diſcrepabatque ab ea quam in uſu hactenus eccleſiæ Hiſpanæ omnes habuerant, moram & impedimentum pleriſque intuliſſet. Habemus qui veterem illam interpretationem dicant Iſidori Mercatoris fetum eſſe: atque in hac ſententia ſunt conciliorum editores. Verum ab Iſidoro potius e collectione Hiſpana deſcriptam cenſemus. Jam de illo agendum paucis.

§. X.

De collectione Iſidori Mercatoris.

Quomodo ex veris, falſis interpolatiſque monimentis conſtet.

CLIII. De Iſidori collectione non una eſt hujus ævi hominum ſententia, nec una etiam hallucinatio. Sunt qui nullum in ea monimentum videant non genuinum; ſunt & qui nullum e contrario non ſubdititium eſſe pertendant. Utrique oppido nimia peccant aut laudatione aut cenſura. In alias non pauci opiniones abeunt, peræque iniqui rerum judices. Fictitia nimirum putant eſſe, quotquot in ea leguntur a Clemente I. ad Siricium uſque, præſulum Romanorum ſcripta; quæ autem a Siricio ac deinceps, hæc in genuinis habenda pronuntiant. Erit olim locus ubi hos abunde refellamus errores, cum Iſidori collectionem totam edemus. In præſenti vero eos uno quaſi verbo diſpungere ſufficiat. Pontificum litteras uſque a Clemente ad Gregorium Magnum, eumque, ut aiunt, incluſive, collegit Iſidorus. Genuinas quotquot reperit, aut edidit integras, aut ſuis interpolavit figmentis. Adulterinas vero plures confinxit, ne quem præteriret apoſtolicæ ſedis præſulem, cujus nulla exſtarent decreta. Ejus itaque collectionem vere diveris genuinorum, interpolatorum, ſubdititiorumque monimentorum congeriem. En paucis rem probamus. Spuriis epiſtolis, quas Siricii anteceſſorum nominibus cohoneſtavit, ſinceras Damaſi duas admiſcuit; unam videlicet ad Paullinum Antiochenum, alteram ad Orientales. Sinceris vero ejuſdem papæ ſucceſſorum, ſpurias itidem intertexuit non paucas. Anaſtaſio I. duas affinxit; unam Innocentio I. unam & Xyſto III. necnon & Leoni unam; deinde Symmacho decreta duo ſynodica, tamquam in ſynodis v. & vi. publicata eſſent; ut Ennodii litteras omittam duas huic papæ adſcriptas. Poſtea laxatis quaſi habenis, audendi modum ſibi non fecit. Teſtes ſunt Joannes I. II. III. Felix III. ſive IV. ut ejus calculo utamur. Teſtes Bonifacius II. Agapetus, Silverius, Pelagius I. & II. ac Benedictus, quorum auctoritate ac nomine eſt abuſus, ſuis ut fabulis decus & honeſtamentum conciliaret. Neque intra hoſce limites ſtetit injuria. Vera enim falſis permiſcuiſſe non contentus, vera ipſa, quod gravioris flagitii eſt, partim interpolando, partim augendo minuendove fœdavit. Quod enim Vigilii papæ epiſtola ad Profuturum Bracarenſem prius inſcripta, nunc in codicibus manu exaratis, iiſque non paucis, Ætherii nomen præ ſe fert, quin & grandi etiam additamento aucta legitur, totum id Iſidorianæ licentiæ eſt. Ejus itidem errore factum eſt, ut longe lateque propagata ſit acceſſio hæc Gregorianæ ad Secundinum epiſtolæ adjecta, qua ſtatuitur,

Sacer-

Pars II. de antiquis canonum collectionibus.

Sacerdotes lapſos poſt dignam ſatisfactionem ad Eccleſiæ miniſterium debere revocari, Quod quam ſit a Gregorii mente horumque temporum diſciplina alienum, norunt eruditi omnes, & ſuis oſtendemus locis. Denique ut a reliquis id genus exemplis unum ſeligamus, huc attinet etiam falſa illa quidem, ſed antiqua Clementis ad Jacobum epiſtula, quam a Rufino latinitate donatam habemus. Hanc porro parum habuit Iſidorus veris accenſere; ſed ſuis, ut ſolebat, placitis large auxit, additis etiam & craſſo filo adſutis, quas ex Venantio Fortunato, Iſidoro Hiſpalenſi, S. Benedicti regula &c. corrogaverat, laciniis. Adeo vili apud eum venibant adulterinæ merces, illas ut etiam non licitantibus obtruderet.

Genuina ex antiquis tribus collectionibus deſcripſit Iſidorus.

CLIV. His in anteceſſum delibatis, videndum paucis, quibus e fontibus genuina hauſerit, quæ deinde collectionis totius ſumma ſit, quæ diſtributio. Genuina quotquot habet, exceptis Gregorii quibuſdam epiſtolis ex ejus Regiſtro deſcriptis, hæc e triplici collectione duxit; una nempe, de qua fuſius modo diximus, videlicet Hiſpana; altera, quam eruditus vir in lucem emiſit Paſchaſius Queſnellus; tertia demum, qua Carolum magnum donavit Hadrianus I. quamque ideo Hadrianam vocare viſum eſt. Hiſpanam, cujus duæ ſunt partes, ſic in ſuam transfudit Iſidorus, ut partem primam ita, uti erat diſpoſita, deſcripſerit integram, nec ei peregrinum quidpiam inſeruerit, retentu conciliorum ordine, ac titulis canonum ſumma fide ſervatis. Quod ex Indice generali pervidere eſt. Alteram vero partem ſic adoptavit totam, ut epiſtolis tamen bene multis eam auxerit. Harum epiſtolarum alias, ut modo aiebam, e cerebro ſuo extudit homo impudenter mendax; alias autem eaſque genuinas, quæ in Hiſpana collectione deerant, ex Hadriana ſimul & Queſnelliana, nec non & ex Gregorii Regiſtro adſcivit. En collectionis Iſidorianæ fontes. Jam de ſumma & ordine.

Collectionis totius ordo & ſumma.

CLV. Præfationi ſatis amplæ ac generali pontificiorum ſynodicorumque decretorum Indici ſuccedunt decreta ipſa. Primam aciem tenent Apoſtolorum canones 50. quales ſunt a Dionyſio exiguo latine converſi. Sequuntur *deinde*, ut Iſidori verbis utar, *quarumdam epiſtolarum decreta, Apoſtolicorum*, (ſive pontificum,) . . . . . *id eſt Clementis, Anacleti, Evariſti, & ceterorum Apoſtolicorum quas hactenus reperire* (ſeu potius *confingere*) potuit, *epiſtolæ, uſque ad Silveſtrum papam* excluſive. *Poſt modum*, inquit idem collector, *Nicænam ſynodum conſtituimus propter auctoritatem ejuſdem magni concilii, deinceps diverſorum conciliorum græcorum ac latinorum, ſive quæ antea, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, ſub ordine numerorum, ac temporum, capitulis ſuis diſtincta, ſub hujus voluminis adſpectu locavimus*. Obſervandum hoc loco, varias illas Græcorum ſynodos ac Latinorum nuſpiam extare in veteribus, quæ conſuluerim, collectionis Iſidorianæ exemplis. Tantum ſupereſt Index generalis, in quo ſingulæ eodem recenſentur numero atque ordine, quo in Hiſpana modo vidimus. Conciliis itaque prætermiſſis, ſtatim a Melchiadis decreto ſequitur Index novus epiſtolarum. Mox illæ cum genuinæ tum adulterinæ lungo agmine incedunt, frontem occupante Silveſtro, Gregorio noviſſimam aciem claudente: adeo ut quam Iſidorus operis ſui formam in præfatione delineat, hanc diligentiſſime & ad plenum ſit executus.

Nil genuinum protulit, quod non fuerit ante publicatum.

CLVI. Jam igitur hinc liquet, collectionem prorſus nullam eſſe genuinis litteris refertiorem. Ditiſſima eſt, fatemur, Hiſpana, eoque pretioſior, quod in ea nil ſubdititium, nil non omni interpolationis labe purum offendas. At vero Iſidoriana Hiſpanam totam una capit, ac præterea epiſtolas complures ex Hadriana Queſnellianaque deſcriptas; ut de his taceam, quas ex Gregorii Regiſtro excerptas modo admonebam. Atque adeo conjectura non levi adducor, ut Iſidorum putem, non eccleſiarum ſcrinia, non bibliothecarum forulos, non muſæa eruditorum excuſſiſſe, ſed ex his demum unis, quos indicavi, fontibus hauſiſſe quidquid genuinorum in collectionem ſuam traduxit. Neque etiam Romanis conſilium impertiit ſuum. Etenim illos quis credat auctoritatis ſuæ adeo negligentes fuiſſe, ut qui eam ſinceris vellet inſtrumentis firmare, illi archivorum ſuorum copiam non feciſſent? Quod utinam tamen auguſtos illos incorruptoſque adiſſet fontes, non cœnoſas ingenii ſui & impoſtorum ſui ſimilium lacunas! At eum pruritus fingendi mentiendique nimius urebat.

Quantum Eccleſiæ damnum attulerit.

CLVII. Porro hac fraude quam ſit pernicioſe de Eccleſia meritus, dici vix poteſt. Hinc debilitati penitus fractique diſciplinæ nervi, perturbata epiſcoporum jura, ſublatæ judiciorum leges, aut miſerum ſaltem in modum afflictæ; hinc diſcordiarum, ſeditionum, ac litium ſeges immenſa, quæ tot ſæculis ad Eccleſiæ dedecus fideliumque offenſionem fruticavit. Neque id ſolum; ſed alienæ etiam communionis hominibus aperta ingens ad calumniam feneſtra. Cum enim putida tot ſcripta mendacii inſimulare promtum eſſet, ac re quidem vera inſimularent ipſi convincerentque, gradum inde ad genuina in dubium vocanda fecerunt. Errorem, ut par erat, refellere parum contenti, in veritatem ipſam involarunt. Exprobrata Catholicis nimia credulitas, fuco falſi adſperſa ſapientiſſima decreta, ſanctiores ritus exploſi, rejecta ſine pudore ac modo fundatiſſima quæque ſummorum pontificum jura, aut certe ad tenuem exilemque umbram redacta. Utinam nec eſſent apud Catholicos, qui ob adulterinarum epiſtolarum admixtionem, de genuinis non ſatis æque ſentirent. Spurios quidem hos fetus in ipſo ſtatim ortu exſtingui ad Eccleſiæ utilitatem pertinebat. Neque deerat expedita fraudis retegendæ via. Tantum eccleſiarum ac præſertim ſedis apoſtolicæ ſcrinia conſulerentur. Hoc enim pridem in uſu habebant Romani veteres illi, ut, ſi cujus vel epiſtolæ vel decreti fides in dubium veniret, ſtatim ad ſcrinia, tamquam ad idoneum veritatis teſtem, appellarent; quæ in illis extarent ſcripta, hæc haberent pro veris, ſecus autem pro falſis, aut fallaciæ certe ſuſpectis, niſi aliunde certa conſtaret eorum auctoritas. Atque id ſatis oſtendunt ea, quæ jam in priori Diſſertationis hujus parte protulimus, Hieronymi, Leonis, Romanæ ſynodi ſub Bonifacio II. Gregoriique teſtimonia. Verum Iſidori ætate nil mirum ab hujuſmodi fraudibus non ita cautum eſſe. Diſciplinæ veteris ſeveritatem laxaverat præpoſitorum incuria, ſeu fatalis illa rerum humanarum conditio, ut optimæ quæque non ſint diuturnæ. Accedebat paucitas hominum, qui & intimam antiquitatis cognitionem & ſanioris critices guſtum haberent. In hoc rerum ſtatu irrepſit ſenſim neque animos ſtatim perculit latens error, & ſub graviſſimorum nominum perſona invaluit, ſic tamen ut majorum noſtrorum quaſi ſomno adoleviſſe videatur.

Ubi innotescere cœperit.

CLVIII. Crediderim certe Romanos medio circiter ſæculo nono nihildum quidquam de ſpuriis Iſidori decretis audiviſſe. Quippe ſummus pontifex Leo IV. cujus mors in annum Chr. 847. cadit, ea tacitus præterit, cum pontificia recenſet conſtituta, quorum ex præſcripto eccleſiaſticas cauſſas componi mos erat. Verba ipſa tametſi ſuo jam retulimus in loco, tamen iterum exhibere juvat. Sunt vero hæc ad epiſcopos Britanniæ: *Quibus autem incumbit animar eccleſiaſticis judiciis, ſunt canones qui dicuntur Apoſtolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæſarienſium, Gangrenſium, Laodicenſium, Conſtantinopolitanorum, Epheſinorum, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Africanenſium, Carthaginienſium; & cum illis regulæ præſulum Romanorum, Silveſtri, Siricii, Innocentii, Zoſimi, Cæleſtini, Leonis, Gelaſii, Hilarii, Symmachi, Hormiſdæ, Simplicii & Gregorii junioris. Iſti omnino ſunt, & per quos judicant epiſcopi, & per quos ſimul judicantur & clerici*. Hæc Leo, quibus deſcriptis Baronius ad annum 855. ſic infert: *Vides*, inquit, *hactenus non uſu receptas epiſtolas illas, quæ ante Silveſtrum diverſorum feruntur Romanorum pontificum, ab Iſidoro collectas*. Inde & eaſdem jure colligimus necdum fuiſſe id temporis in apoſtolicæ ſedis ſcrinia relatas. Cœpere quidem illæ paucis poſt annis in majus innoteſcere, Nicolai ſcilicet I. ævo; at nec tum tamen in Romanum Codicem relatæ erant. Has enim eum ſi

pon-

pontifex laudaſſet, quod pontificum hactenus fecerat nemo, reſcripſiſſentque Gallicani præſules citatas ab eo eſſe litteras, quæ a recepto canonum Codice abeſſent, non inficias ivit, unum id reſpondere contentus: *Si ideo non eſſe decretales epiſtolas priſcorum pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in Codice canonum non habentur adſcriptæ, ergo nec Gregorii ſancti, vel ullius alterius, qui ante ipſum vel poſt ipſum fuit, eſt aliquod inſtitutum vel ſcriptum recipiendum, eo quod in Codice canonum non habeatur adſcriptum*. Nicolaum nemo eſt qui non videat aliter locuturum, ſi quod negarent illi, id quoquo modo approbare quiviſſet. Atque hæc ſatis argumento ſunt, nec inauditas etiam Gallis tunc fuiſſe Iſidori litteras, nec eodem, quo genuina pontificum decreta, loco habitas. Unde autem & quo tempore in Gallias delatæ ſint, quam longe lateque brevi proſeminatæ, declarant Hincmari Remenſis ad Laudunenſem Hincmarum hæc verba: *Si vero ideo talia, quæ tibi viſa ſunt, de memoratis epiſtolis detruncando & præpoſterando atque deſordinando collegiſti, quia forte putaſti neminem alium .... ipſas epiſtolas præter te habere, idcirco talia libere te æſtimaſti poſſe colligere, res mira eſt, cum .... plena ſit iſta terra de libro collectarum epiſtolarum ab Iſidoro, quem de Hiſpania allatum Riculphus Moguntinus epiſcopus .... obtinuit, & iſtas regiones ex illo repleri fecit*. Ex quibus liquet, ignotum Gallis fuiſſe ad ſæculi noni uſque initia Iſidori librum: quippe quem in Gallias primus attulit Riculphus, qui Moguntinæ ſynodo ann. 813. interfuit. Quod autem *ex Hiſpania* dicitur in Riculphi manus veniſſe, næ illud Hincmari forte conjectura eſt, quam eo fecit, quod Hiſpanam collectionem totam contineat Iſidoriana. Neque vero his epiſtolis unus in rem ſuam abutebatur Hincmarus Laudunenſis. Idem & Remenſi uſu veniſſe manifeſtum eſt. Sive enim contentionis æſtu abreptus, ſive hoc hominis ingenium erat, eas ad cauſſæ ſuæ defenſionem modo adhibet, ubi ſavent; modo ejerat palam, ubi incommodant. Verſatilem hunc Remenſis archipræſulis animum carpit Nicolaus I. in epiſtola generali ad epiſcopos & archiepiſcopos Galliarum, ſic tamen ut ab ejus nomine appellando abſtineat: *Quamquam*, inquit, *quidam veſtrum ſcripſerint, haud illa decretalia priſcorum pontificum in toto Codicis canonum corpore deſcripta; cum ipſi, ubi ſuæ intentioni hæc ſuffragari conſpiciunt, illis indifferenter utantur*. Quod utinam Hincmarus rem totam ſuis expendiſſet momentis, & poſt erectum in impoſtorem vexillum, juſto illum prælio adortus eſſet. Ejus epiſtolarum fallaciam odore aliquo jam ſenſerat vir, ut ferebant tempora, emunctæ naris; at ſive hominum judicia reformidaret, ſive abſtruſioris critices defugeret laborem, prima velitatione contentus, liberum Iſidoro campum reliquit. Ad hanc rem aggredi, nec otii noſtri eſt, nec hujus loci. Satis ſit, dum collectionem ejus totam edamus, quibus fallaciæ notis inſignita ſit generatim præfari.

Hincmar. to. 2. pag. 627.

to. 2. pag. 476.

Iſidorum impoſturam eſſe prodit, 1.° veterum de his litteris ſilentium.

CLIX. Quas pontificibus Romanis epiſtolas affinxit Iſidorus, alias legimus ad epiſcopos omnes, alias ad omnes orthodoxos, quaſdam ad fideles omnes aut ad univerſas eccleſias, item ad omnes Italiæ, ad omnes Galliæ, Hiſpaniæ, Africæ, Siciliæ, Germaniæ, totius Orientis epiſcopos inſcriptas. Occurrunt & nonnullæ ad ſingulares quoſdam præſules datæ. Porro ex his epiſtolis unam qui laudarit, ante ſæculum nonum inventus eſt nemo. Tot in ſynodis ad dirimendas diſciplinæ controverſias habitis, tot in hiſtoriis, actis, monimentiſque publicis ad æternandam rerum geſtarum memoriam conſcriptis, nulla earum vel leviſſima videas veſtigia. Tantum ſub ſæculi noni initia prodiere in lucem, non particulatim aut ex intervallo, ſed uno mane & ſimul conjunctæ, non in omnibus ſtatim eccleſiis, ſed in una primum, deinde in alia, ſic tamen ut brevi per Chriſtianum orbem diffuſæ jam quaſi pacifice regnare viderentur. Unde autem illarum oblivio tam diuturna, unde tam repentina editio? Evanuiſſe ſtatim in ſuo ortu, ac deinde ab Iſidoro quaſi è tumulo excitatas eſſe nemo credat, niſi qui pontifices Romanos non norit, quorum in ſervandis deceſſorum ſuorum conſtitutis quam accurata, tam conſtans fuit diligentia. Præterea hujuſmodi ſcripta partim ad fideles omnes, partim ad omnes Germaniæ, Italiæ, Galliæ ceterarumque eccleſiarum epiſcopos data, quis in animum inducat ubique quaſi ex compacto periiſſe nemine ſentiente, nemine animadvertente? Id cordatorum hominum judicio fidem nullam habet. Sane cur latuerint, cauſa palam eſt. Videlicet necdum exſtiterat, qui hujuſmodi monetæ ſignator fuit, Iſidorus.

2.° ſententiarum patrum, quibus infartæ ſunt, multitudo.

CLX. Deinde ad eaſdem litteras ſi propius oculos mentemque adjiciamus, patebit antiquiorum quidem pontificum nomine inſcriptas eſſe, at poſteriorum etiam auctorum ſententiis integris verbiſque infartas: quæ certa ſuppoſitionis nota eſt. Qui enim, ſi non ſunt ita, ut dicimus, ab Iſidoro confictæ, qui fieri potuit ut auctores tanto a ſe locorum ac temporum intervallo diſſiti eaſdem non ſententias modo, ſed voces, neque voces ſolum, ſed periodos eaſque bene longas ac bene multas, eadem expreſſas forma, eademque ſerie diſpoſitas adhibuerint? Nihil ſane portenti ſimilius, nihil quod veritatis ſpeciem minus habeat. Noſtro quiſque ingenio ſcribimus. Ut ſua eſt cuique propria facies animi & corporis, ita & ſuus eſt cuique ſtili color. Pone plures in eodem argumento verſari, non eadem erit forma, non idem numerus orationis, nec quæ illum nexu individuo ſequitur verborum diſpoſitio. Taceo ætatum regionumque varietates, quæ ſtili varietatem pariunt. Verum, inquies, fieri potuit, uti vulgo fit, ut has veterum litteras ſæpe contriverint ſcriptores conſecuti, & plura inde teſtimonia ad verbum exſcripſerint. Atque id erudito viro Cardinali Daguirre *facilius* videtur eſſe ac *veriſimilius, quam quod earum collector aſſuerit iis teſtimonia poſteriorum*. Belle quidem. Erant illæ ſcilicet in pervulgato uſu. Ex his fontibus, quæ convenirent ſibi, hauſit non unus ſcriptor, ſed quidquid fere eſt magnorum virorum, pontificum, patrum, conciliorum. Hauſere Siricius, Innocentius, Zoſimus & alii prorſus omnes qui ad Hormiſdam uſque apoſtolicam ſedem tenuerunt, ac ſubinde Vigilius, Gregorius I. Agatho, Gregorius II. & III. ac Zacharias. Hauſere regionum fere omnium ſynodi; græcæ complures, nominatimque Conſtantinopolitana I. & Chalcedonenſis; Africanæ, puta Carthaginienſis I. II. III. IV. V. VI. VII. Milevitana I. & alia ſub Romano præſule Theodoro anno 646. habita; Gallicanæ, nimirum Agathenſis, Aurelianenſis V. Pariſienſis III. & Pariſienſis VI. anno 829. acta; Hiſpanæ, ſcilicet Hiſpalenſis II. Toleranæ VI. VIII. X. & XI. Bracarenſis III. ann. 675. celebrata: Romanæ denique ſub Hilaro, Felice II. Symmacho, Martino I. & Gregorio II. Hauſere ſancti patres aliique ſcriptores permulti, Ambroſius, Hieronymus, Rufinus, Auguſtinus, Proclus, Proſper, Julianus Pomerius, Ithacius Clarus ſeu Vigilius Tapſenſis epiſcopus, Benedictus, Caſſiodorus, Ennodius, Venantius, Stephanus Dorenſis epiſcopus, cujus libellum Martinus papa juſſit in concilio Lateranenſi ſecret. 2. legi, Victor Carthaginienſis epiſcopus, cujus ad Theodorum papam epiſtola in eodem lecta concilio eſt, Sergius Cypri, cujus itidem exſtat ad Theodorum epiſtola, Deuſdedit Caralitanus in Sardinia epiſcopus, Bonifacius Moguntinus. Hauſere demum Imperatores, quorum ſanctiones paſſim exhibet Theodoſianus Codex, ut Juſtinianum imperatorem, Philonem Judæum, Xyſtum Pythagoreum philoſophum & alios prætermittam. At vero id ſi ita eſt, quorſum igitur, (nam de hoc iterum percontari juvat,) quorſum in tanto patrum, pontificum, ſynodorum, aliorumque id genus auctorum numero, ne unus quidem eſt ante Iſidori ævum repertus, qui vel epiſtolæ unde hæc ſumeret quæ laudabat, vel pontificis qui epiſtolam ſcripſerat, mentionem fecerit? Quid enim? Plagiarios fuiſſe, qui alienis ſe pannis induerint? Nimis hoc injurium eſt, neque in viros, pleroſque doctrinæ juxta & ſanctitatis laude præſtantiſſimos, cadit. Itane parvi feciſſe ſummorum pontificum auctoritatem, ut ne illorum quidem nomen laudare dignarentur? At ſi placita, ſi verba ipſa pontificum exſcribebant, quidni & ipſa quoque nomina laudarent?

Daguir. to. I. concil. Hiſp. pag. 73. n. 18.

Pars II. de antiquis canonum collectionibus.

Et laudarunt ſane, ubi de his, quas in lucem damus, genuinis agebatur. Quippe de Hiſpania ſi percontemur, proferet illa Bracarenſe concilium I. ann. 563. in quo tum de Leonis epiſtola *ad ſynodum Galliciæ* facta mentio eſt, tum relecta etiam *ſedis apoſtolicæ*, id eſt Vigilii papæ, *ad Profuturum epiſcopum* Bracarenſem *auctoritas*. Proferet & Toletanum concilium IV. ann. 633. habitum, cujus canone 6, *de trina & ſimpla in baptiſmo merſione* definitur id ſequendum eſſe, quod eflagitante Leandro epiſcopo *reſcripſit beatæ memoriæ Gregorius Romanæ eccleſiæ pontifex, qui non ſolum partes Italiæ illuſtravit, ſed & longe exſiſtentes eccleſias ſua doctrina perdocuit*. De Africa præter Facundum Hermianenſem, Ferrandum & alios bene multos, auctor erit Creſconius Carthaginienſis eccleſiæ diaconus, cujus in Breviario non ſynodica ſolum, ſed & pontificia etiam conſtituta ſuo ſingula nomine paſſim appellantur. Pro Gallis loquetur ſynodus Agathenſis anno Chr. 506. habita, quæ *de clericis & diaconibus qui ad conjugalem torum revertantur*, id obſervari jubet, *quod Innocentii papæ ordinatione & Siricii epiſcopi auctoritate* conſtitutum eſt. Loquetur & Turonenſis II. ann. 567. quæ can. 20. *de virginibus & caſtitatem profeſſis* id ſciſcit, *quod in ſententia papæ Innocentii ad Victricium Rotomagenſem lata legitur ſcriptum*. De Romanis vero pontificibus, quis neſcit quam ſæpe quamque honorifice deceſſorum ſuorum ſtatuta commemoraverint? In promtu eſt Siricii epiſtola 1. in qua diſerte laudantur ea, quæ *Liberius poſt caſſatum Ariminenſe concilium* ſancivit de non iterando Arianorum baptiſmo *generalia decreta*. Eſt & Innocentii epiſtola 6. quæ de ſummovendis a clero incontinentibus *evidentia Siricii monita* commendat. Vigilius denique, ut de ceteris taceam, ſub Conſtituti ſui ſeu epiſtolæ 14. finem, totus eſt in appellandis majorum ſuorum Leonis, Gelaſii, Simplicii litteris. Neque genuinas ſolum, ſed & quandoque etiam adulterinas, vel ab hæreticis vel ab male feriatis hominibus confictas, laudarunt. Teſtis Epheſina ſynodus act. 1. apud Labbeum pag. 509. in qua pro vera Julii papæ epiſtola citatur a Catholicis una ad Proſdocium inſcripta, quam & Timothei Apollinariſtæ fetum eſſe tradit Leontius. Teſtes & ſynodi Vaſenſis 1. patres aliique nonnulli, a quibus allegata legitur *epiſtola Clementis ad Jacobum*, eaque non ex Iſidori collectione, ſed ex Rufini libris deſcripta. Adeo ſolebant veteres illi, pro ſua in apoſtolicam ſedem obſervantia, pontificum litteras allegare, idque non ſine pontificis, cujus illæ erant, aut laude, aut aliqua ſaltem appellatione. Quid ergo, cum de litteris Iſidori ævo vulgatis ſileant, quid reſtat, niſi ut eas non a veteribus exſcriptas eſſe, ſed ex veterum potius verbis ac ſententiis ab Iſidoro conflatas concludamus?

Concil. Hiſp. to. 2. pag. 293. 294. ib. pag. 480.

Concil. Gall. to. 1. pag. 163.

Ib. pag. 336.

CLXI. Neque concluſionem pigebit uno firmare argumento. Quippe has ſententias ſi apud patres ceteroſque, quos dixi, auctores inſpexerimus, patebit ita eſſe cum his quæ præcedunt & quæ ſequuntur apte conſertas, ut non aliunde adſcitæ, ſed ſponte fuſæ, non factitio, ſed naturali nexu junctæ videantur. Neque id ſolum; ſed eodem quo ceteræ factæ ſunt ſtilo, eodem colore & ſucco tinctæ; ut ſibi conſtans & æquabilis ubique fluat oratio. Contra in Iſidoro ſuam ipſæ peregrinitatem produnt, ita craſſo conſutæ ſunt filo, ita nulla plerumque coagmentatione vinctæ. Præterea ut varium eſt auctorum, unde excerptæ ſunt, dicendi genus, ita & varia eſt apud Iſidorum ex his laciniis conflata oratio; modo elegans & comta, modo hiſpida & rudis; modo humilius, modo grandius incedens. Denique, ut paucis abſolvam, ubi integras, quod ſæpe accidit, ex Auguſtino, ex Leone, ex Ennodio, Vigilio Tapſenſi, Gregorio &c. ſententias compilat, ſtatim non Iſidorum, ſed Auguſtinum, ſed Leonem, ſed alios loqui ſentias; ita ſuus cujuſque proprius ſermo eſt, ita ſua cuique phraſis, illam ut facile guſtu quodam intus admonente recognoſcant, qui legendis patribus aſſueverunt. Verum de his litteris in præſenti ſatis. Jam qua ratione a nobis edendæ olim ſint, paucis dicendum.

3°. In una eademque epiſtola ſtilus plerumque inæquabilis.

CLXII. Conſtat apud omnes, aut fere omnes, falſas eſſe, eoque nullius auctoritatis, Iſidori litteras. Quia tamen ab ſuo ſtatim ortu magno in uſu fuere, atque ita deinceps manibus omnium tritæ ſunt, ut eccleſiaſticis in cauſis vim legum obtinuerint, viſum eſt eas non eliminare penitus, at nec etiam una cum veris ita, uti erant, permixtas edere. Itaque ſua ſeparatim claſſe, ſuoque temporum ordine, quoad fieri poterit, prodibunt. Temporum dico: poſtulat enim, præter alias cauſas, chronologica ratio, ut ad id circiter referantur ætatis, qua vixit, aut qua ſaltem eas colligere deſiit Iſidorus. Is erit, quem ipſe tenuit, editionis ordo. Adulterinas, quotquot e cerebro ſuo extudit, proferemus integras. Genuinarum vero, quia jam ſuo excuſæ loco erunt, nihil dabimus præter inſcriptionem & prima epiſtolæ cujuſque verba. Quod niſi fiat, afferet legenti tædium otioſa repetitio, ac præterea, quod vitari in primis oportuerat, rerum ac temporum confuſionem inducet. Sunt & aliæ a pontificibus quidem Romanis ſcriptæ, ſed alienis etiam additamentis auctæ & interpolatæ, cujuſmodi ſunt Vigilii ad Profuturum & Gregorii I. ad Secundinum. Has porro ſic excudemus, ut deſcripto itidem epiſtolæ cujuſque cum titulo tum exordio, ſubjiciantur quæ ſunt ab Iſidoro vel factæ, vel adoptatæ, interpolationes. Atque ita quæ prima fuerit collectionis ſeries; quid pontificum, quid Iſidori ſit, facile erit vel oculis unis cernere. Neque deerit, quæ cenſuræ noſtræ rationes exponat, præfatio generalis, in qua de litterarum ætate ac parente diſceptabitur fuſius, probabiturque nec ante ſæculum nonum jam cœptum natas eſſe, nec in alia quam Iſidori officina procuſas: atque id rurſus præfixis in epiſtolarum ipſarum fronte cenſuris, ac notis margini inferiori ſuppoſitis, confirmabitur. Jam vero accurata hæc genuinorum ſpuriorumque ſecretio, quantum ad diſciplinæ cum veteris tum novæ ab Iſidoro inductæ uotitiam allstuia ſit, neceſſe non eſt commemorare. Patebunt nimirum ſuo ſeorſim loco poſita, quæ veteres conſtituerint, quæ confinxerit aut interpolarit Iſidorus decreta, hinc pura, hinc adulterata; ut in utriſque, tamquam in ſpeculo, quid primis Eccleſiæ ſæculis ſervatum, quid non mutari cœptum; quibus denique initiis a ſapientiſſimis majorum noſtrorum inſtitutis deflexerimus, nullo negotio deprehendatur.

Quomodo edendæ ſint a nobis Iſidori lirreræ; quid utilitatis habitura ſit editio.

§. XI.

De pluribus aliis collectionibus quædam ſummatim perſtringuntur.

CLXIII. Collectionum poſtrema, opinor, fuit Iſidoriana. Satis habuere, qui hujuſmodi libris delectabantur, novis eam ſubinde, ſi quas reperiſſent, epiſtolis augere; ſive antiquiorum ſive recentiorum pontificum illæ forent. Cujus rei argumento eſt collectionis ejuſdem Remigianus codex, iſque eximius, in quo tum Leonis exſtant litteræ longe plures, quam in ceteris Iſidori exemplis, tum etiam leguntur permultæ Nicolai I. Hadriani II. & aliorum.

Iſidori collectio ſubinde a ſtudioſis aucta.

CLXIV. Fuere, præter generales id genus collectiones, aliæ nonnullæ, quæ ſuos ſibi in uſus eccleſiæ quædam procuderant aſſervabantque. Collegit eccleſia Theſſalonicenſis præſulum Romanorum litteras, quibus apoſtolicæ ſedis vicarii in Illyrico creabantur epiſcopi Theſſalonicenſes. Inde excerptæ ſunt variæ illæ, ſed unius ejuſdemque argumenti, litteræ, quas in ſynodo Romana ſub Bonifacio II. habita recitatas eſſe conſtat. Eas primus omnium protulit in lucem vir clari nominis Lucas Holſtenius e bibliothecæ Barberinæ forulis erutas. Nil tamen inde eſt cur in ſuſpicionem falſi veniant, quaſi unius dumtaxat exemplaris fide niterentur. Ex his enim nonnullas, puta Leonis, aſſervant alia eaque probæ notæ exemplaria; quas Leonis litteras qui ſemel admiſerit, uti certe admittendæ ſunt, is & alias quoque genuinas agnoſcat neceſſe eſt. Eo quippe redeunt omnes, ut iis, quos laudavi modo, antiſtitibus conferatur vicaria pontificis Romani auctoritas, eademque vel aſſeratur adverſus contradicentium rixas, vel quibus incluſa ſit finibus explicetur. Ne-

Peculiares quarumdam collectiones. Una eccleſiæ Theſſalonicenſis.

que

que id ſolum, ſed aliarum aliæ mentionem faciunt: unde & tam arcta inter ſe colligatione conſertæ contextæque ſunt, ut quemadmodum mutuam ſibi facem lucent, ita & mutuam quoque ſibi fidem afferant. Adde quod & cum hiſtoricis etiam monimentis apte concordant. Quippe Juſtinianus imp. dum Novella 11. anno Chriſti 535. & Novella 131. anno 541. data decernit, ad Catellianum primæ Juſtinianæ epiſcopum transferenda eſſe tum primatis ſive archiepiſcopi, tum apoſtolicæ ſedis vicarii iura, fatetur id quod litteræ illæ aiunt, utraque nimirum dignitate hactenus uſum eſſe epiſcopum Theſſalonicenſem. Quamquam quo tempore uti cœperit, male adſignat idem imperator; quod ſuo alias elucidabitur in loco.

Altera eccleſiæ Arelatenſis.

CLXV. Viſum eſt & Arelatenſibus eas itidem colligere unumque compingere in corpus pontificum litteras, quibus ſua tum privilegia tum jura continerentur. Rem probant vetera collectionis hujus exempla, quorum duo in Colbertina exſtant bibliotheca, unum in Regia, idque ſæculo nono exaratum. Adſtipulantur & Gregoriani Regeſti codices omnes, utpote qui papæ hujus litteras ad Virgilium Arelatenſem inſcriptas habent, quibus in litteris memorantur & aliæ ſuper eadem re ad Virgilii deceſſores datæ. Atque adeo ex præcedentibus poſtremæ, immo ex ſingulis ſingulæ robur ac pondus trahunt.

Lib. 5. indict. 13 epiſt. al. 8.

Aliæ duæ Romanæ.

CLXVI. Romanos vero nemo neſcit hujuſmodi ſcriptorum ditiſſimos fuiſſe, cum apoſtolicæ ſedis litteras non ad Italos modo, ſed ad Hiſpanos, ad Gallos, ad Africanos, ad utriuſque demum orbis epiſcopos inſcriptas & in unum cogi, & ſuis in archivis ſervari diligentiſſime curarint. Ex his, ni fallor, deſcriptus eſt codex olim bibliothecæ monaſterii S. Petri Avellani in Umbria, nunc Vaticanæ, cujus ope immenſum crevit pontificiarum epiſtolarum collectio. Hinc ad nos tranſmiſſa de Bonifacii I. electione deque ſchiſmate Urſini monimenta complura. Hinc de Pelagii Cæleſtiique cauſa ſingulares quædam Innocentii ac Zoſimi litteræ, Paullini diaconi adverſus Cæleſtium libellus, epiſtolæ ſex Leonis poſt ejectum e ſede Alexandrina Timotheum Ælurum in eamque evectum Timotheum Soloſaciolum datæ. Hinc & plures Simplicii & Felicis, ac bene multæ, quas de componendo Acacii ſchiſmate Hormiſda vel dedit ipſe, vel ab aliis accepit; itemque Joannis I. Agapeti ac Vigilii nonnullæ, quæ ſcripta omnia quanti ſint pretii, norunt qui bonas litteras curæ habent. Tamen de codice illo monemus obiter, genuinis epiſtolis non ita conſertum eſſe, ut ſpuriarum nil contineat. Habet unam Felicis II. habet & alias epiſcoporum aliorum ad Petrum Fullonem, in quibus ponitur is Fullo damnatus idcirco eſſe, quod Triſagium auxerit, additis in appendicis morem his verbis, *qui crucifixus es pro nobis*: quas epiſtolas & falſas eſſe, & medio circiter ſæculo ſexto conſictas, Deo dante, olim demonſtrabimus. Minoris eſt molis, at etiam purior, codex alter ex eodem, ut conjicimus, eccleſiæ Romanæ archivo ante annos 700. deſcriptus; qui codex olim Cardinalis Grimani fuit, nunc in Pariſienſium Inſtitutionis Oratorii patrum bibliotheca ſervatur. Is quidem, ſi epiſtolam Symmachi unam exceperis, nullas exhibet, præterquam Leonis; at vero exhibet ita multas, ita ſingulares, ut inde non aucta ſolum, ſed mirifice etiam illuſtrata ſit noviſſima Leonis operum editio. Has epiſtolas, etſi non vulgatas, ad archetypi fidem de integro recognovimus, ne qua forte Editori, licet oculatiſſimo, menda exciderint: quam eamdem operam in his poſuimus, quas Vaticanus habet codex; neque nullus operæ fructus fuit.

CLXVII. Veteres hactenus collectiones, quibus integræ ſummorum pontificum litteræ continentur, eæque vel ſynodorum decretis permixtæ; vel ſua ſeparatim claſſe diſpoſitæ. Nunc ad ſe nos vocant aliæ complures, quæ cum ſint ex iis, quas in tota hac ſecunda Diſſertationis parte laudavimus, exſcriptæ, ſuum hic quodam modo locum ſibi vindicant. Collectiones eas dico, quæ ex ſynodicis quidem pontificiiſque decretis conſtant, ſed ab ipſo ſynodorum epiſtolarumque corpore diſtractis; neque diſtractis ſolum, ſed ad certos etiam relatis titulos, quibus vel integra, vel in compendium collata, vel ſuo tantum indicata nomine ſubjiciuntur, adjectis etiam quandoque ſanctorum patrum teſtimoniis. Qui hujuſmodi ſcripta concinnaverint, ſingulatim perſequi non eſt animus: veteres dumtaxat ac primarios recenſere ſatis erit. Viam ceteris muniit Ferrandus Carthaginienſis diaconus, cujus poſtea veſtigiis inſtitit Creſconius in Africa epiſcopus; inſtitere & alii regionum aliarum ſcriptores bene multi. Atque ut a Græcis initium ducamus, in promtu eſt collectio Joannis, qui primum ſcholaſticus, tum Antiochenæ eccleſiæ presbyter; poſtmodum anno 563. in Eutychii patriarchæ Conſtantinopolitani a Juſtiniano imperatore pulſi locum ſubrogatus, anno 578. vita functus eſt. Is canones veteres colligere aggreſſus, rem ſic perfecit, ut eos, tametſi inter ſe diverſiſſimos, lucido certoque ordine diſpoſuerit. Quippe collectionem totam in 50. titulos diviſit; titulo cuique canones eos ſubjecit, qui ejuſdem eſſent argumenti, & conſentirent inter ſe: in hoc uno Ferrandum Creſconiumque non ſecutus, quod illi ſummaria canonum, hic vero canones ipſos, quanti quanti ſunt, integros repræſentaverit. Illam una cum aliis itidem græcis edidere Guillelmus Voellus & Chriſtophorus Juſtellus in to. 2. bibliothecæ juris canonici. Conflata eſt ex canonibus apoſtolicis 85. Nicænis 20. Ancyranis 30. Neocæſarienſibus 14. Sardicenſibus 21. Gangrenſibus 20. Antiochenis 25. Laodicenis 59. Conſtantinopolitanis 6. Epheſinis 7. Chalcedonenſibus 27. & Baſilii 68. Unde colligimus Codici Græcorum factas identidem fuiſſe acceſſiones. Et ſane ſynodi Chalcedonenſis ævo carebat is Codex canonibus Apoſtolorum, carebat Sardicenſibus & Epheſinis, carebat & canonicis Baſilii litteris: atque his etiam tum temporis carebat, cum novos canones, puta Chalcedonenſes, admiſit. Illum deinde Dionyſius latino ſermone ſic donavit, ut alia re nulla auxerit, præterquam canonibus apoſtolicis L. Quod igitur laudatas Baſilii litteras, quod Sardicenſes canones & Epheſinos, quod apoſtolicos demum non modo L. ſed LXXXV. proferat Joannis hujus collectio, id ſane, ſi quid judicamus, argumento eſt Codicem Græcorum his ab Dionyſio ad Joannem uſque decretis auctum fuiſſe. Quare Sardicenſia cum negaret Photius perveniſſe ad Græcos, merito reſcripſit Nicolaus I. epiſt. 11. *Quomodo non ſunt penes vos canones Sardicenſes, quando inter quinquaginta titulos, quibus* CONCORDIA CANONUM (Joannis) *apud vos texitur, ipſi quoque reperiuntur?*

Parall. du antiquis canonum collectionibus.

CLXVIII. Suæ quoque Latinis, & majori quidem numero quam Græcis, fuere compilationes. Has hodieque aſſervant inſigniores bibliothecæ. Unam in medium jam protulimus, quam ad Hiſpanos pertinuiſſe, ac paulo poſt annum 693. procuſam eſſe conſtat. Aliquantu ante prodierat in Hiſpania Orientalium canonum collectio, quæ ab Martino Bracarenſi epiſcopo nova quidem, at liberiori, interpretatione donata, nonnullis etiam latinorum conciliorum Toletani 1. Bracarenſis 1. & Carthaginienſium ſtatutis aucta eſt, ac diſtributa in partes duas, quarum una canones eos habet, qui ad epiſcopos & clerum, altera qui ad laicos pertinent. Cetaras ſidemus. At vero poſt emiſſum in lucem Iſidori Mercatoris opus, mirum quam denſæ pullulaverint ejus generis lucubrationes. Quippe ſic erant hujus ævi homines, ut alieno ſcribere, immo & cogitare, ingenio mallent quam ſuo, neque in alio fere ſtudiorum genere, quam in exſcribendis conſarcinandiſque veterum teſtimoniis verſarentur. Adde quod Iſidorus, ut erat diſciplinæ veteris plane rudis, ad ſuorum temporum uſus moreſque litteras ſuas finxit: quo factum eſt ut ex his, tamquam e penu ac repoſito theſauro, ſibi quiſque ſumeret quæ convenirent. Nimius fuerim, ſi appellare ſingulos id genus collectores velim, Anſegiſum abbatem Lobienſem & Benedictum levitam, quorum opera concinnata eſt Capitularium regum noſtrorum compilatio, Iſaacum epiſcopum Lingonenſem, Chrodegandum Mettenſem, Aldegarium Cameracenſem, Florum magiſtrum, Herardum Turonenſem & alios, omnes ſæculi noni ſcriptores. Inſignes vero præ ce-

Pars II. De antiquis canonum collectionibus.

teris fuerunt Regino Prumienſis abbas, Anſelmus Lacenſis, Burchardus Vormatienſis, & Ivo Carnutenſis antiſtes, qui quidem Ivo Burchardi opus ſic tranſtulit in ſuum, ipſos ut nævos etiam retinuerit: His adjungimus Cardinalem Deuſdedit, & Gregorium, quem Polycarpum vulgo vocant, eo ſcilicet nomine, quo ſuum ipſe librum inſcripſit. Ex his collectoribus tres omnino habemus, quorum ineditæ hactenus collectiones latent in bibliothecis, Anſelmi nimirum, tacito licet ejus nomine, in Sangermanenſi, Gregorii in Colbertina, utriuſque necnon & Cardinalis Deuſdedit in Vaticana: atque his vel ſimilibus exemplis uſi ſunt Gratiani emendatores. Mitto anonymos ejuſdem modi codices, quorum duos conſtat in manibus fuiſſe editoribus conciliorum; unum ſcilicet in libros 5. alterum in libros 16. diviſum. Inde quippe hauſerunt ea, quæ vulgata necdum erant vel necdum eſſe exiſtimabant pontificum decreta; ſic tamen, ut Codicem utrumque non alio, quam *Codicis librorum* 5. & *Codicis librorum* 16. nomine appellent.

CLXIX. Minus nota eſt, at nulli tum amplitudine tum vetuſtate concedit ea collectio, quam elegantiſſimus aſſervat Sorbonicæ bibliothecæ codex. Duodecim conſtat partibus, quarum prima eſt,

De primatu & dignitate Romanæ ſedis, aliorumque primatum, archiepiſcoporum atque metropolitanorum.

Secunda, *de honore competenti & diverſo negotio epiſcoporum & chorepiſcoporum.*

Tertia, *de ſynodo celebranda & vocatione ad ſynodum, de accuſatoribus & accuſationibus, de teſtibus & teſtimoniis, de judicibus & judiciis eccleſiaſticis vel ſæcularibus.*

Quarta, *de congruenti dignitate & diverſo negotio* (& miniſterio) *presbyterorum & diaconorum, ſeu reliquorum ordinum eccleſiaſticorum.*

Quinta, *de clericorum inſtitutione ac nutrimento vel qualitate vitæ.*

Sexta, *de præpoſito monachorum & profeſſione ſanctimonialium ac viduarum.*

Septima, *de laicis, imperatoribus ſcilicet, principibus, & reliquis ſæculi ordinibus.*

Octava, *de norma fidei Chriſtianæ, & gratia Chriſti, ac divinorum mandatorum exſecutione.*

Nona, *de ſacramento baptiſmatis & baptizandis, ac baptizatis.*

Decima, *de templorum divinorum inſtitutione & cultu ac prædiis, de ſacrificiis, oblationibus ac decimis.*

Undecima, *de ſollemnitate Paſchali & reliquis feſtivitatibus ac feriis.*

Duodecima, *de hæreticis, ſchiſmaticis, Judæis atque paganis.*

CLXX. Singulas partes in capitula tribuit compilator, & ſuum capitulo cuique titulum præfixit. Monimenta vero ſic diſpoſuit, ut longo agmine, eoque primo, incedant ea, quæ deſcripſit ex Iſidori collectione, tum ſequantur nonnulla ex Gregorii Regiſtro & Romanæ legis Codice decerpta. In priori ſcilicet parte, ut exemplum ponam, prolatis ex Iſidoro capitulis 119. ſuccedit titulus novus ad hunc modum: *Item ex Regiſtro B. Gregorii quædam capitula ad eamdem primam partem pertinentia*; indeque ſuppletis capitulis 120. 121. &c. uſque 128. ſubjicitur alter hic titulus, *Item capitula legis Romanæ ad eamdem partem pertinentia*, capitula nimirum quinque; ita ut capitulis CXXXIII. prima pars tota claudatur. Idem & partium ceterarum ordo eſt, eadem monimentorum diſpoſitio. Quo fit ut compilatorem credam aliud nil habuiſſe præ manibus præter Iſidori collectionem, Gregorii Regiſtrum, Romanarumque legum exemplar, ſeu Codicem ac Novellas Juſtiniani: ſic tamen, ut ex Iſidoro totam operis ſui ſummam, ex aliis vero duobus ſupplementa demum quædam & acceſſiones excerpſerit. Non libet referre præfationem in ipſo collectionis limine poſitam, qua quid propoſiti habuerit, quem tenuerit ordinem, ita, uti eſt a nobis dictum, paucis explicat. Tantum præfationis epigraphen appono, quæ ſic habet: *Domino magnifico, vigilantiſſimo paſtori ac præcellentiſſimo archipræſuli* ANSELMO, *ego minima gregis ipſius ovicula & peculiaris quodam modo vernula.* Quis Anſelmus ille ſit, quis ejus vernula, necdum expiſcari nobis licuit. Unum eſt quod affirmemus, utrumque ſcilicet ante annum Chriſti 1009. vixiſſe, quod aperte docet is, qui Sorbonicum exemplar deſcripſit, cujus ad calcem hæc leguntur. *Juſſu domni Heimonis venerandi præſulis eccleſiæ Virdunenſis accepi ego Rodulphus obedienter ac gratanter hunc librum ad ſcribendum, finivique anno Incarnationis dominicæ milleſimo* IX. *Indict.* VII. X. *Kal. April. regnante Heinrico* in regno Hlotarii. Obſecro autem quicumque hic legeris, ut mei jam dicti Rodulphi peccatoris indigni monachi memineris, ne pro commiſſis recipiam pœnas, ſed oramine tuo vel omnium hic legum jura pertractantium aliquantiſper æterni capiam refrigerii. Vale domine Heimo præſul beate, tuique ſervuli memento benigne.* Hinc porro collectionem patet ante abſolutam fuiſſe, quam ſuæ manum admoveret Burchardus. Id enim operis tum elucubravit primum, cum Vormatienſem in ſedem evectus eſt; quod anno dumtaxat 1008. contigit. Quare & hac ipſa, qua degimus, uti potuit. Et re quidem vera uſum eſſe oſtendunt tituli librorum ejus 1. 2. & ſeqq. quos inter & laudatæ collectionis titulos partibus 1. 2. 3. 4. 5. & 10. præfixos ſumma conſenſio eſt.

* qui ſcil. anno 1002. Junii die 7. inauguratus fuerat.

CLXXI. Nefas ſit hoc loco præterire Gratianum, monaſterii S. Felicis Bononienſis, Ordinis S. Benedicti, aſcetam, cujus nomine etiamnum perſonant ſcholæ juriſperitorum. Is anno 1151. ſedente ad Eccleſiæ clavum Eugenio III. compilationem edidit, quam alii *Decretum* vulgo vocant, ipſe vero *Concordiam canonum diſcordantium*. Opus nec exigui fructus, nec parvi laboris; at Iſidorianis, uti & antehac vulgatæ compilationes, fæcibus inquinatum. Adulterina dico decreta, quæ genuinis temere immixta refert, tamquam ſi utraque uno eodemque numero habenda forent. Et hæc quidem decreta quam abhorrerent a ſuperiorum temporum inſtitutis videbat Gratianus; at idem etiam videbat graviſſimis ſummorum pontificum nominibus inſcripta eſſe, diuturnoque uſu recepta: cui tantæ auctoritati repugnare non auſus, ſatis habuit canones conferre inter ſe, adhibitiſque diſtinctionibus diſcordes in concordiam redigere. Unde titulum operi eum fecit, quem modo vidimus. Operam ſane Eccleſiæ navaret non infructuoſam, qui tum illam Gratiani, tum alias ejuſdem generis compilationes ſic de integro ederet, ut vera ſecerneret a falſis. Eſto ſuum utraque retineant locum, at ſuo etiam ſingula indicio deſignentur. Diverſis ſcilicet cudantur typis, genuina Romanis, Italicis vero ſuppoſititia. Quod niſi fiat, afferet indiſcreta rerum congeries, vel non animadverſa errorem, vel animadverſa moleſtiam: immo & ex ſpuriorum admixtione nonnihil imminuetur auctoritas genuinorum. Veritati enim ſuſpicionem falſi ſæpe adſpergit conjunctus error, aut meticuloſam certe fidem reddit, niſi quid falſum, quid verumve ſit, in bono lumine collocetur. Sed his omiſſis, ad ultimam Diſſertationis noſtræ partem aggrediamur.

PARS TERTIA.

Pars III. De pontificiarum epiſtolarum editionibus.

De pontificiarum epiſtolarum editionibus.

CLXXII. Tertiæ hujus partis ſumma eſt, quid in priſcis pontificiarum epiſtolarum editionibus, quid in hac noſtra præſtitum ſit. Utrumque paucis, & ſuo quidque ordine ac loco, exſequemur.

§. I.

Qua ratione hactenus edita fuerint pontificum Romanorum litteræ.

Primum editæ ſunt opera Cardin. Carafæ & Antonii de Aquino.

CLXXIII. Fuit hoc priſcis collectoribus in more poſitum, ut pontificum litteras conciliis miſcerent. Eas primus omnium e turba extractas ſeorſim collegit Dionyſius exiguus, cujus exemplum imitati deinde ſunt, qui compilandis ejuſdem modi collectionibus operam navarunt ſuam. In his excipiendi conciliorum editores prorſus omnes, quibus inſtitutum vetus ſequi placuit; ſic tamen ut epiſtolas non per-

perturbata, ſed ſua temporum ſerie inter concilia diſtribuerint. Intermortuum Dionyſii morem excitare in animum induxit, labente ſæculo XVI. Antonius Caraſa Cardinalis & apoſtolicæ bibliothecæ præfectus, vir eruditione juxta & laboribus ad Eccleſiæ utilitatem impenſis clariſſimus. Is quippe Sixti V. auctoritate ac diplomate munitus, epiſtolas conjunctim edere ſibi ſumſit, quotquot nimirum ab ſancto Clemente ad Gregorium uſque VII. nactus erat. Properabat ad finem & jam prelo matura pene erat collectio, cum ecce veluti e tranſverſo incurrens intempeſtiva mors eruditum virum abſtulit. Labori ſucceſſit jubente Gregorio XIV. Antonius de Aquino, qui jam ante Caraſæ comes in hoc ipſo curriculo induſtriam ſuam exercuerat. Et vero ſuſceptum opus tanta celeritate confecit, ut decimo poſt ſublatum e vivis Caraſam menſe ann. 1591. tomos tres Romanis typis in lucem emiſerit, quorum primus a ſancto Clemente ad Pelagium II. protenditur, ſecundus ab uſque Gregorio Magno inchoatus deſinit in Leone IV. tertius demum a Nicolao I. initium ducit, & Gregorii VII. regiſtro clauditur. In limine eſt epiſtola ad Innocentium IX. inſcripta, qua pontifici Romano tum opus nuncupat ſuum, tum operis rationem exponit. Illam viſum eſt non minus ornamenti quam documenti gratia, hic referre; cujus verbis ſi quid ad calcem ſubtraxero, nihil officiet narrationi. Itaque ſic Romæ Idus Novembris anni 1591. ad Innocentium ſcribebat vir doctus.

Epiſtola Antonii de Aquino ad Innocentium IX. cui rationem operis explicat.

Epiſt. 2.

CLXXIV. *Magnam in univerſa Eccleſia auctoritatem, Beatiſſime Pater, ſummorum Pontificum epiſtolæ ſemper habuerunt. Ex omnibus enim Chriſtiani orbis partibus Romanam eccleſiam omnium eccleſiarum caput & magiſtram epiſcopi conſulere ſoliti ſunt, inde (ut Epiſcoporum Tarraconenſium verbis ad S. Hilarum papam utar) reſponſa quærentes, unde nihil errore, nihil præſumptione, ſed pontificali totum deliberatione præcipitur. Graviores in illis explicantur cauſæ, orthodoxæ fidei definiuntur dogmata, hæreſes damnantur, eccleſiaſticæ ſtatuuntur leges, injuſte damnati reſtituuntur; atque omnia, quæ ad totius Eccleſiæ gubernationem & eccleſiaſticam diſciplinam ſpectant, in iis fere continentur. Præterea Romanorum Pontificum epiſtolæ in univerſalibus conciliis primum legi conſueverunt; in quibus eæ tantum fidei quæſtiones tractabantur, quæ in ipſis epiſtolis erant præſcriptæ: columnæ orthodoxæ fidei appellantur, & ac ſi ipſo Principis Apoſtolorum ore prolatæ eſſent, magnis Patrum acclamationibus ſuſcipiuntur. Imperatores etiam & Reges eas, ut par eſt, plurimi fecerunt, idque multis exemplis conſtat, quæ ſingula recenſere longum eſſet. Neque vero Imperatores Chriſtiani tantum, ſed gentiles quoque illarum agnoverunt auctoritatem, ut Aurelianus, qui in Pauli Samoſateni hæretici controverſia id obſervandum præcepit, quod Romani Epiſcopi litteris præſcriberetur. Hæretici etiam non defuerunt, qui ut ſuas hæreſes harum epiſtolarum auctoritate tueri poſſent, alias ex illis mutare, alias corrumpere, alias quaſi ſcriptas nomine ipſorum Pontificum fingere conati ſunt. Quamobrem veteri inſtituto primaria & authentica earum exempla in Romanæ eccleſiæ tabulariis conſervabantur. Sanctus etenim Hieronymus teſtatur in chartario, ut ipſe appellat, Romanæ eccleſiæ ſummorum Pontificum epiſtolas reperiri. Sanctus item Gregorius in Romanæ Eccleſiæ ſcriniis Eccleſiarum privilegia aſſervari ſcribit. Cum autem piæ record. Antonius Card. Caraſa, vir ſingulari pietate, ſumma doctrina atque prudentia, qui Eccleſiæ catholicæ utilitati ſua ſtudia perpetuo dicaverat (cujus illuſtres labores in ſacris Bibliis & SS. Patrum monumentis edendis Sanctitati tuæ & eruditis omnibus noti ſunt) crebra animadverſione perſpiceret, quantos hæ ipſæ epiſtolæ, quarum major pars in libris manuſcriptis quaſi in tenebris jacebat, Eccleſiæ Dei fructus eſſent allaturæ, ſi in unum collectæ atque e latebris eductæ in publicum ederentur, comprobante B. memoriæ Sixto V. Pont. Max. hanc editionem eximio ſtudio aggredi ſtatuit. Quapropter non ſolum ex pervetuſtis codicibus Vaticanæ Bibliothecæ, verum etiam ex diverſis ac longinquis regionibus epiſtolas a S. Clemente uſque ad S. Gregorium VII. per annos mille & amplius undique conquiſivit. Sed cum variæ temporum injuriæ multa priſcorum Pontificum regeſta nobis abſtulerint, opus fuit in hac editione ſæpe confugere ad antiquos auctores, in quibus ipſæ epiſtolæ reperiuntur, itemque ad eos, qui Conciliorum canones & Pontificum decreta collegerunt. Ex quibus quoniam aliqui a B. Siricii epiſtolis initium faciunt, videlicet Dionyſius exiguus, * Fernandus diaconus, & Creſconius: alii vero ab epiſtolis ſancti Clementis, ut Iſidorus, ſive is fuerit Hiſpalenſis, ſive alius quidam cognomento Mercator illa poſterior, & alii recentiores, qui illum ſunt ſecuti: ideo non incommodum viſum eſt hunc primum tomum in duas partes dividere, quarum prior continet omnes illas epiſtolas, quas Iſidorus ponit; poſterior vero incipit a B. Siricii epiſtolis eo modo, quo incœpit Creſconius. Huic parti adduntur nonnullæ epiſtolæ priorum Pontificum, quæ ex graviſſimis auctoribus excerptæ ſunt: epiſtolæ præterea Imperatorum, Epiſcoporum, & aliorum, quæ ad Pontificias epiſtolas cognoſcendas pertinere videntur; præcipue quæ adhuc in lucem editæ non erant. Verum cum inter multas utilitates, quæ ex iis percipiuntur, illa parva non ſit, quod inde hiſtoria illorum temporum, quibus conſcriptæ fuerunt, dilucide colligitur: cumque ea ipſa utilitas percipi non adeo poſſit, niſi juxta temporum ſeriem collocentur; idcirco in eo pro viribus elaboratum eſt, ut temporum ordo ſervaretur. Idem quoque effectum eſt in his, quæ nuper ex codicibus manuſcriptis depromtæ ſunt, in quibus tanta erat temporum perturbatio, ut interdum poſteriorum Pontificum epiſtolæ priorum epiſtolis anteponerentur. Hæc autem omnia Antonii Card. Caraſæ de republica Chriſtiana optime meriti præſcripto, ſingularique ſtudio propemodum confecta jam erant, cum ipſe magno bonorum & eruditorum omnium mœrore decimo ab hinc menſe e vita exceſſit. Poſt cujus obitum mihi, qui eidem Cardinali pro mea clientela, cum aliis in rebus, tum in his quoque epiſtolis colligendis ac diſponendis qualemcumque operam, fidelem certe navaveram, id negotii a ſanctæ recordationis Gregorio XIV. Sanctitatis Tuæ prædeceſſore mandatum eſt, ut inchoatum opus perſequerer, atque ad exitum perducerem: quod dum pro mea virili parte conor efficere, jam opere abſoluto, ecce TU PATER SANCTISSIME admirabili ſacri Collegii concordia, & plane Spiritus ſancti inſtinctu Eccleſiæ catholicæ gubernaculis præfectus es; ac non ſine quadam divini numinis providentia factum eſt, ut perfecta hujus operis editio tam diu differretur, quoad ſub tui feliciſſimi Pontificatus initio in lucem prodiret, ut hæ epiſtolæ te patronum haberent, qui præcipuis earum auctoribus tum eruditione, tum innocentia & vitæ integritate te ſemper ſimilem præbuiſti.* Huc uſque Antonius.

Euſeb. lib. 7. cap. 24.

Apol. 3. con. Rufinum.

lib. 2. Ind. 11. ep. 54.

Pars III. De Pontificiarum Epiſtolarum editionibus.

* leg. Ferrandus.

Collectionis ejuſdem Auctarium ab Antonio de Aquino paratum.

CLXXV. Vix abſolverat injunctum opus, cum de altera editione, aut primæ ſaltem appendice adornanda cogitavit. Excuſſis quippe bibliothecarum forulis, nonnullas inde litteras eruerat luce dignas. At vero novas undique meſſes dum metit, fato præoccupatus rem infectam relinquere cogitur. Perierat Auctarium, niſi epiſtolas quaſdam inde excerptas Baronio antea commodaſſet: qui Baronius ſuos inde Annales auxit mirificeque ornavit. Scilicet is erat Antonius, qui non tam ſuæ quam publicæ utilitati ſerviret; neque eo laboraret vitio, quo nonnulli ſolent, qui ſua ſibi inventa ſervant, iiſque domi ſepoſitis tamquam theſauro incubant paullo tenaciores. Quæ collegerat vir doctus, hæc ſi judicaret ſtudioſis ſuique ſimilibus uſui eſſe poſſe, impertiebat liberaliter, ac jubebat uti pro ſuis. Porro his obiter notandis, redimus in memoriam Sebaſtiani le Nain, vulgo Tillemontii, viri ab inani nominis gloriola ſupra quam cuiquam credibile eſt, alieni; qui diu noctuque in litteras abditus, legens, orans, ſcribens, totum ſe Deo, totum Eccleſiæ conſecraverat; ſuos vero ſtudiorum fructus, commentarios ſcilicet in hiſtoriam eccleſiaſticam, reconditioris doctrinæ plenos, ultro cum aliis, ubi res poſceret, communicabat; eaque, quod mirere, communicabat lege, ut ejus nomen ſilentio premerent. Adeo ſua ſe modeſtia contra omnes humanæ laudis illecebras munierat, ut quantus eſſet nec ſcire ipſe, nec ab aliis ſciri, vellet!

Sed

Pars III. de pontificiarum epiſtolarum editionibus.

Sed a propoſito evagamur longius. Ad Antonium itaque noſtrum regrediamur. Quantum illi deberet, teſtatus palam eſt Baronius, & gratiam perſolvit his verbis: *Accepimus ambas* (Cæleſtini epiſtolas) *cum aliis ejuſdem* * *Cæleſtini inferius recitandas a viro egregio de Aquino, qui nobilis plantæ claræ familiæ, memoria S. Thomæ clarioris, nobile germen, eoſdem ex radice deducit & producit fructus probitatis atque doctrinæ. Unde auctor ipſe* (prædictas epiſtolas) *acceperit, notum faciet, cum ad decretales epiſtolas Romanorum pontificum, in quibus colligendis mirum in modum laboravit, locupletiſſimum Auctarium addet.* Quod utinam hæ reliquiæ, quales quantæque erant, ad nos integræ perveniſſent. At vero nil, uti diximus, ſupereſt quidquam, præter deſcriptas a Baronio litteras, quæ cum pretioſæ ſint, aliquem Auctarii guſtum ſic præbent, ut deſiderium accendant. Rudis igitur, qualis primum fuit, manſit collectio, & quaſi intra initium ſtetit, cum non defuerint inſtrumenta, quibus augeri juſtamque ad molem aſſurgere potuiſſet.

* Scilicet Cæleſtini 16. 19. 22. 23. 24. & 25. item Xyſti III. ep. 5. & 6.

CLXXVI. Tamen primo ejus parenti Cardinali Caraſæ multum debemus, quod e Vaticana bibliotheca & aliis, quarum haud ita facilis aditus eſt, eruerit non pauca, quæ publicam necdum lucem viderant. Debemus autem plurimum, quod hæc ita, uti reperit, ſumma exſcripſerit fide, probe cautus nihil addere de ſuo, nihil reſecare, contra quam nonnullis mos eſt, qui ſi vitiata quædam & a grammaticæ legibus aliena offendunt, hæc ita plerumque ſanant, ut novo ſauciata ulcere reddant inſanabilia. Quod non eo dictum veſimus, ut eorum culpemus inſtitutum, qui certas criticæ leges ſecuti, diuturnoque veterum codicum uſu edocti, maculas e monimentis antiquorum eluunt, & labore ſuo laborem minuunt ſtudioſorum. De his loquor unis, qui veterum aut ſententias aut verba, ſi vel mendoſa ſunt vel eſſe putant, aut etiam non intelligunt, ſtatim arbitratu ſuo mutare, circumcidere, immo & abſonis etiam gloſſulis illuſtrare, verius dixerim obſcurare, religioni non habent. Præterea intellexit vir prudens parum eſſe, ſi ſecernantur a ſuppoſititiis genuina, niſi etiam ſuo temporum ordine diſponantur. Quod ſi fieret, ſentiebat, id quod res eſt; habituram plus lucis editionem, nihilque in mora lectori fore, quo minus ipſa monimentorum ſerie quaſi duce percurrat eventus quovis ſæculo memorabiles. Et quidem rem ita, uti animo deſtinaverat eruditus Cardinalis, exſequi niſus eſt Antonius de Aquino; at eo ſucceſſu, qui labori noſtro reliquerit non pauca; ita confuſe perturbateque epiſtolas complures ordinavit. Tamen, qua erat ſagacitate ac judicio, vidit quid Critici partes requirerent, quid poſtularet editionis utilitas; nobiſque viam exemplo ſuo muniit. Cum enim litteras ab ſancto Clemente ad Siricium uſque ſcriptas ſecrevit a ceteris, ideoque ſecrevit, quod ab Iſidoro primum prolatæ eſſent in lucem, neque in vetuſtis compilationibus extarent; ſane auctor nobis fuit, ut neque veris admiſceremus eas, quæ poſt Siricii ævum datæ ſunt, & ab Iſidoro primum editæ, niſi veras itidem eſſe conſtaret. Jam de noſtræ hujus editionis ratione paucis dicendum.

§. II.

Quid a nobis in editione hac nova præſtitum ſit.

Unde aucta ſit nova editio.

CLXXVII. Primum id nobis ſtudium fuit, revolvere ſcrinia bibliothecarum, monimenta ſparſim hinc inde diffuſa ſcrutari, & quidquid e re noſtra erat, ſive jam editum foret, ſive ineditum, ſtudioſe deſcribere. Ingratus quidem, at neceſſarius labor, cujus difficultates omnes ac moleſtias, lautæ meſſis copia recreati, devoravimus. Mirum quam multa undique offerrent ſeſe, quam diverſi generis inſtrumenta, quibus partim augeri, partim emendari poſſet hæc editio. Atque ut omittam exaratos manu canonum Codices, in quos relata eſſe pontificum decreta nemo neſcit, acceſſionem ſuppeditant immenſam libri typis excuſi. Felici quippe ſorte contigit, ut poſt emiſſam in vulgus editionem Romanam, extiterint tum noſtra tum & ſuperiori A ætate viri antiquitatis amantes; qui revocandis in lucem veterum ſcriptis, ac litteris præſertim, operam ſuam impenderunt. In hoc ſtudio inſignem præ ceteris laudem tulit Cardinalis Baronius, cujus Annales jure dixeris locupletiſſimum litterariæ rei penum. Jacobus vero Sirmondus vir infinitæ lectionis exquiſitique judicii, quot ediderit, vel inaudita hactenus, vel irreperta, quæ noſtros in uſus cedant, neceſſe non eſt commemorare; cum id loquantur ſatis ac prædicent antiquæ tot ſcriptiones quibus eccleſiaſticas opes immenſum auxit. His adjungendi ſtudioſi complures alii, quorum vigiliis adornatas habemus conciliorum editiones, hiſtorias eccleſiarum, Spicilegia, Analecta, Miſcellanea, collectiones omnigenas, B quibus affatim uti nobis licuit.

Quo pacto textus emendatus.

CLXXVIII. Parum erat diſſipatas hinc inde litteras collegiſſe. Reſtabant tria, quæ ſi defuiſſent, fruſtra hic nobis ſuſceptus labor erat. Reſtituenda ſcilicet ſua textui puritas, ſuus nitor: complanandæ ſalebræ & aſperitates, quæ ſane occurrunt non paucæ: ſingula denique ſuo diſponenda ordine, ſuoque apte tempori aſſignanda. Uno verbo efficiendum primo ut accurata, deinde ut plana, demum ordinata ſit editio. Atque ut de textus emendatione primum dicam, norunt omnes ad eam requiri cum multa, tum lucem in primis fidemque manuſcriptorum. Quamobrem codices veteres adhibuimus in conſilium, eoſque bene multos & pro- C batiſſimæ notæ. Quinam illi ſint & cujus ævi, nihil hic juvat exponere; ſi quidem & plures jam in ſecunda Diſſertationis parte protulimus, ubi de antiquis canonum collectionibus dictum eſt, & ſuo alios atque alios nomine, ſive in Monitis, ſive in Notis, ubi res feret, laudaturi ſumus. Hic obiter & paucis expoſtulare mihi liceat cum nupero Dictionarii cujuſdam gallici, Trevoltiani ſcilicet, editore. Is ad *Corbejæ* vocabulum obſervat, verius dixerim, aſſeveranter definit, *Artis criticæ peritiſſimis* (ejus verba ſunt) *ſuſpectam eſſe Corbejenſium manuſcriptorum fidem*. Cujus effati, tamquam publica vox & ſententia eſſet, auctorem nullum appellat. Saltem e Criticorum illorum grege nomi- D naſſet vel unum: facile erat, quem pro perito habet, eum ſi non in ceteris, certe in Criticis rebus hoſpitem peregrinumque demonſtrare. Verum hæc non urgeo vehementius. Tantum ad Vindicias veterum codicum typis Joannis Baptiſtæ Coignard anno 1715. vulgatas editorem remitto. Quas ſi, ut acris judicii eſt, diligenter leget, errorem, ſpero, pervidebit ſuum; fatebiturque laudatos codices, ſi ſuſpecti ſunt, iis ſuſpectos eſſe unis, qui ejuſmodi monimentorum aut uſum nullum habeant, aut defugere auctoritatem velint. Quod cœperam exſequor. Una eſt, eaque maximi momenti, criticæ lex, quam quia minus præ oculis habuere pontificiarum epiſtolarum editores, multa vel vitiarunt E ipſi, vel vitiata reliquerunt. Videlicet plus ponderandi codices, quam numerandi; plus qualitati, quam turbæ tribuendum. Qui ſunt ex uno eodemque exemplo deſcripti, ſi multi ſint, ſi conſentiant inter ſe, plerumque tamen plus uno codice non valent. Contra qui e diverſo fonte fluxere, ſuntque inter ſe concordes, hi ceteros ſi non multitudine, certe auctoritate ſæpe vincunt. Hoc & res ipſa loquitur, & verum fatetur eſſe tota natio Criticorum. Quare cum plurimæ ſint, eæque diverſæ, pontificiarum epiſtolarum collectiones, ita judicavi, plus æſtimari debere quid variæ collectionum ſpecies, quam quid varia collectionis ejuſdem exempla ferant. Qui enim Dionyſii codices centum F evolverit, is, ſi librariorum excipiantur menda, miram ubique lectionum conſenſionem reperiet. Quid tum inde? Nihil ſane aliud, niſi ſic Dionyſium legiſſe. Utrum autem ſic legendum, alia res eſt momentis aliis æſtimanda. Quod idem & de ceteris id genus compilatoribus dictum velim. Hanc ergo ſecutus legem, optimum duxi diverſas, quotquot exſtant, collectiones in manibus habere; neque unum dumtaxat aut alterum, ſed quam licuit plurima & vetuſtiſſima collectionis cujuſque exemplaria revolvere: quod utrumque quantum conferat ad evitanda librariorum ſphalmata, ſeligendaſque ex omnibus optimas lectiones, cordati quique

vi-

vident. Si qua collectionum pugna interdum fuit, ſi qua variatio, ſecimus ut collatæ inter ſe vulneribus ſuis mederentur invicem, & mutuis quaſi auxiliis convaleſcerent; vel certe præ ceteris ſecuti eas ſumus, quæ ſuo ſunt fonti viciniores, hoc eſt, quæ ab pontificum illorum, quorum epiſtolas continent, ætate propius recedunt. Conjecturas interdum adhibuimus; at perquam ſobrie; nec niſi ubi defuit auctoritas manuſcriptorum. Sunt autem illæ vel probabili dumtaxat, vel evidenti ratione ſuffultæ. Si probabili, ſatis duximus ad oram libri ſejectas permittere judicio lectoris; id ſancte rati, nefas eſſe peregrinum quid aut incertum textui allinere: ſi ſolida & evidenti, eaſdem retulimus in contextum, appoſita itidem ad marginem nota, quæ lectorem emendationis commoneſaceret. Ubi vero hæſit aqua, neque quid certi aut veriſimilis repertum, quo mederemur corruptis, nihil potuimus aliud, quam digitum intendere ad vulnus, & ſanationis difficultatem confiteri.

Difficultates Notis & Monitis explanatæ.

CLXXIX. Sequitur alterum, quod in officii parte poſitum mihi eſſe duxi, difficultatum explanatio. Sunt in his litteris multæ ambages, ſunt ſpinæ, quas ſibi recidi lector ſuo jure poſcit. Aſſerenda epiſtolarum auctoritas, ſeries ætaſque vindicanda, approbandus lectionum delectus, cetera denique id genus expedienda, quæ lectori vel ſatietatem, vel certe moram afferre ſolent. Porro totum id ſumus, partim Notis margini inferiori ſuppoſitis, partim Admonitionibus epiſtolarum fronti præfixis, exſecuti, aut ſaltem exſequi habuimus in votis. Et prima quidem Nota epiſtolæ cuique appoſita huc ſpectat, ejus ut fidem & γνησιότητα, cum in ſuſpicionem falſi venit, aſtruat; deinde indicet, quorum ad codicum fidem recognita ſit; quo ductu & canali ad nos uſque tranſmiſſa; demum quo tempore ſcripta ſit, niſi res evidentibus aliunde ſignis expreſſa in oculos incurrat. In ceteris vero Notis repræſentantur lectiones e codicibus tum ſcriptis manu tum excuſis collectæ: neque id ſolum, ſed cur aliæ aliarum loco poſitæ ſint ratio redditur, niſi ſi ratio ſe ipſa prodit, quod accidit non ſemel, in mendis præſertim librariorum. In hoc ſane delectu nihil quidquam a me peccatum eſſe mentiar, ſi dicam. Errare & falli humanum eſt, adeoque nec a me alienum. At vero his erroribus perfacile eſt medicinam facere. Tantum ad lectiones Notis inſertas mentem adjiciat eruditus lector, & quam ceteris prævalere judicaverit, hanc ſibi ſeligat. Quamquam non diffitebor facilem hac in re lapſum eſſe lectori vel erudito. Sæpe non bona, quæ melior videtur, lectio eſt. Vitioſa interdum, quæ cum aliis aptius nexa, quæ Grammaticorum placitis magis conſona, quæ plus præ ſe fert lucis atque perſpicuitatis. Fuere quippe patrum noſtrorum memoria librarii fœde barbari, dormitantes & incurioſi, quorum nævos eluere cum alii tentarint, iique ſibi forte viſi doctiores, dici vix poteſt quam libere textum detexuerint, plus videlicet habita ſenſus ſui aut ſtructuræ verborum, quam primigeniæ vocis reſtituendæ, ratione. Lectiones porro inde excerptas niſi internoſcis, quid certi tandem ſtatuere, quid eligere tuto poſſis? Sane, ſi eſt vere dicendum, nemo ad id magis idoneus, quam qui codices ipſos oculis vidit ſuis; qui non modo contextum ipſum, ſed ſingulas etiam voces ad criticæ amuſſim exegit, cumque aliis aliorum codicum lectionibus contulit, quorum ut diverſa ætas diverſuſque fons, ſic & diverſa auctoritas eſt. Non eo tamen hæc dico, ut quidquid in textum ſemel retuli, fixum id & immotum velim. Non ſinunt mores mei, non ſinit tenuitatis meæ conſcientia, ut magiſterii partes mihi arrogem. Tantum obſervo, tum cautione ſumma opus eſſe, ne lectiones ſuo quis loco moveat; tum nihil reliqui a nobis eſſe factum, quo veræ ſecernerentur a falſis. Ceterum, quod inſtituti mei erat, admiſcui his notis bene multa, quibus ſalebroſi complanantur loci; peregrini ſenſus aut refelluntur jam temere affıcti, aut quaſi anticipato removentur; ſolvuntur hiſtoriarum nodi; illuſtrantur pro re nata nonnulla fidei diſciplinæque capita; barbaræ demum & exoticæ locutiones explicantur.

Pars III. De pontificiarum epistolarum editionibus. Cur additæ ſint notæ longiores.

CLXXX. Tamen noſter hic labor, etſi ſtudioſorum cauſſa ſuſceptus eſt, vereor ne apud aliquos, & eos plerumque maxime eruditos, offenſionem habeat. Quippe pro levi ac faſtidioſo contemnunt totum hoc auctores illuſtrandi genus, quo lector & ſingulis pene veſtigiis hærere, & in magnam rerum tenuitatem deſcendere cogitur. Verum qui ſic ſentiunt, quamvis ſentiant non omnino inique, nihilo minus exoratos velim, ne rem indicta cauſſa judicent. Primum quidem mihi tantum non ſumo, ut quas explicandis obſcuris locis notas adhibui, has eruditis neceſſarias putem. Noſtro nil egent lumine, qui ſibi ipſi facem lucent. Sat mihi fuerit ſi meam, quod præcipuum reor, in repurgando textu nec diligentiam deſiderent nec fidem: quamquam haud ſcio an multa etiam notis adſperſerim, quæ ſe ſe auribus eorum non probent. Deinde non diffitebuntur id quod res eſt, plurima eſſe cum in aliis veterum ſcriptis, tum in litteris præſertim, abſtruſiora, quæ lectorum vulgus morari poſſint. Solent illæ verſari fere totæ in factis; quæ facta cum alia ex aliis, ut plurimum, apta ſint, adeoque inter ſe conſerta, notarum lucem requirunt. Quid ſi autem his in litteris aguntur, uti aguntur in pontificiis, graviſſima eccleſiarum negotia, intricatæ epiſcoporum cauſſæ, ſinuoſi hæreticorum errores, obſcura multiſque implexa nodis fidei dogmata, diſciplinæ denique, ut alia omittam, obſoleti ritus & a noſtris diverſi; quis non videat ex huiuſmodi ſalebris extricare ſe plurimos vix poſſe? Paucis ad id ſuppetit ſatis ampla patrum, conciliorum, eccleſiaſticæque hiſtoriæ Scriptorum ſupellex, paucis idonea & ſatis multa lectio; plures deterret ipſe criticæ labor, qui ut contentionis, ita & operæ plenus eſt. Itaque non male de his meriturus videbar, ſi hoc eos onere quoquo modo levarem, fretus præſertim approbatione doctorum virorum, qui, ut hoc ipſum aggrederer auctores mihi maximopere fuerunt. Denique ſunt in his quidem, fateor, nota nonnulla, quæ videantur levicula, ſunt errata librariorum, ſunt lectiones infinitæ, quas ſive reprobes, ſive in textum reponas, orationis ſenſus & integritas in tuto ſint. Verum his tamen locum dari, ad multa utile eſſe duxi. Nam præterquam quod genuina plus elucent ex comparatione ſpuriorum, ſane editionis novæ para eſt annotare quid in ſuperioribus peccatum ſit, quidve ſcripti manu codices præ ſe ferant. Deinde memineram ſuum quandoque pretium eſſe neglectis, ac fieri interdum, ut e vitioſis lectionibus ſani aliquid eliciant viri criticæ periti, quas lectiones ſi promiſcue reciſas omnes voluiſſem, ſubeunda mihi erat nimii faſtidii invidia, querentibus nonnullis repudiatum quod ſua opinione pulcrum erat. Tamen earum recenſioni modum aliquem finivi, ratus heic etiam locum habere ſapiens illud Romani oratoris dictum: *Nimium quod eſt, offendit vehementius, quam quod videtur parum.* Itaque adeo quæ pinguia ſunt & aperta librariorum errata, exſulare juſſi e notis; niſi ſi forte aut in codicibus plurimis occurrunt, aut aliquid afferunt ad textus emendationem. Eamdem repulſam tulit lectionum otioſarum ingens turba, quæ cum nihil intus habeant, nihil aliud poſſunt quam & lectori tædium, & volumini molem addere. Neque mihi plus licere volui in notis illuſtrando textui attributis. Quæ jam alii tractarunt, ſatis habui a quibus & ubi pertractata ſint quaſi digito monſtrare: niſi ab his vel omiſſum aliquid, vel parum apte probatum videretur; alterum enim ſupplere, firmare alterum, operæ pretium duxi. Trita vero & vulgaria nuſquam, aut leviter attigi, idque dumtaxat, ubi quid conjunctum habent in quo nonnihil obſcuritatis inſit. Demum ſi quas interdum notas aliquanto longius produxi, feci, quantum in me fuit, ut longitudinem ſuam utilitate penſarent. Quibus tamen ſi quis gravabitur, aliis utendas relinquat, & ſuo ſi libet faſtidio obſequatur. Erunt forte qui eas mallent, ſi non omnes, certe paullo fuſiores, ad cujuſque tomi calcem dimiſſas. Atque hæc, fateor, diſpoſitio mihi prima fronte blandiebatur, & eſt antehac a viris magni nominis uſurpata. Verum re maturius expenſa, ſingulas ſuis apponere paginis

PARS III. DE PONTIFICIARUM EPISTOLARUM EDITIONIBUS.

nis viſum eſt expeditius, & lectori minus laborioſum. Ecquem enim, dum lectionis impetu fertur, non pigeat ad explanationes procul rejectas, quaſi curſu alíorſum flexo digredi, adeoque ſedem ex ſede ſingulis pene veſtigiis mutare? Aut ſi quem non piget, annon tamen eaſdem malit ſuis quaſque locis annexas eſſe, ut oculos feriant, in caſque ſtatim intendi poſſit? Adde quod ad oram textus poſitas facile ſit cum ipſo textu conferre, neque repetendæ præterea ſint voces ad quas referuntur, cum præſto ſint. At de his ſatis, & forte nimis multa.

Quid in monitis præſtitum.

CLXXXI. Monita epiſtolarum fronti præmiſſa quod attinet, ſerviunt explicationi rerum, quæ gravioris erant operæ, quæque intra notarum anguſtias minus apte concludi quibant. Exſpatiantur illa, fateor, interdum ſatis late, & diſſertationum more in longum exeunt. Verum quod modo de notis longioribus, idem & de monitis illis dicere liceat. Tot ſunt ſuperiorum Eccleſiæ temporum obſcuritatea, tot perplexarum in his litteris diſquiſitionum tricæ, ut ſine moroſa diſputatione eluctari eas vix poſſis. Nobis deinceps brevioribus licebit eſſe, cum primævæ hujus antiquitatis prætergreſſi tenebras, in majori luce verſabimur. Interim ſatius viſum eſt aliquid explanationi ſupereſſe, quam deeſſe. Quamquam a ſuperfluis, quæ παρεργα vocant, abſtinere nobis curæ fuit. Jam, quod ultimum ſupereſt, de litterarum ordine, deque aliis ad earum notitiam pertinentibus breviter dicendum.

Cur ſingulorum pontificum litteris non præmiſſa ſit eorum vita.

CLXXXII. Ad litterarum ordinem notitiamque rerum refert ſcire, quo die & anno pontifex quiſque initium ſedendi, quo vivendi finem fecerit. Id porro ſtatim in ipſo limine exponit diſquiſitio ſingulis pontificibus præmiſſa; brevis illa quidem, ſed ad inſtituti mei rationem ſatis longa. Non etam neſcius cum id opus ſuſcepi, fore qui pontificum geſta ordine a nobis deſcripta cuperent. Quibus ut facerem ſatis, manum labori admoveram, immo & promoveram nonnihil; ſed malui perdere quæ jam effecta erant, quam hujuſmodi acceſſionibus & prolixis & minus neceſſariis editionem onerare. Neque tamen eſt cur ea re lector, quaſi debito fraudatus, offendatur. Nam ſi litteras, ita ut ſunt, ordine diſtributas leget, ſi quæ de ſcriptis temporum injuria perditis diſceptamus percurret, vix ulla credo aut certe pauca deſiderabit ad pontificis cujuſque vitam pertinentia.

Pontificum litteris intermixtæ aliæ ad ipſos ſcriptæ; & in utriſque temporum ordo ſervatus.

CLXXXIII. Brevem hanc diſquiſitionem ſequuntur pontificis cujuſvis epiſtolæ ſinceræ, eæque chronologica ſerie diſpoſitæ. Has inter viſum eſt locum dare litteris ad pontifices eoſdem ſcriptis. Quippe utræque tam arto inter ſe nexu vinctæ confertæque ſunt, ut his inter pontificias relatis, non facta collectioni acceſſio, ſed aliqua ſui pars reſtituta videatur. Porro eo multimodis id genus ſcriptis unum in finem conſpirantibus, ſuoque temporum ordine collocatis, coaleſcit veluti ſullum quoddam hiſtoriæ corpus, non uno quidem orationis tenore, ſed continenti factorum filo textum: quæ varietas & ordo rerum lectoris animum ſic arrectum tenet, illi ut faciat legendi ſitim. Adde quod ſicubi occurrunt, & ſane occurrunt non raro, ſpiſſa quædam & obſcura, adſunt plerumque etiam e proximo alia, quæ nebulam depellant, ut quæ luce ſua non lucent, luceant aliena. Neque omittendum id, quod experti reapſe ſumus ex litterarum ſcilicet epocha, ſuaque certa ſerie, fieri nonnumquam genuinarum ſpuriarumve dijudicationem. Cujus rei exemplo eſſe poteſt celebre illud Gelaſii papæ de recipiendis libris decretum. Sunt qui ſubjectam, immo qui nullam illius fidem eſſe autumant, idque invictis, ut putant, argumentis innixi. Verum decreto ſua aſſignetur ætas, ſuus reſtituatur ordo, expungatur denique adſcripta temere conſularis nota: concidet præcipua contradicentium probatio, & manebit eadem, quæ ſemper fuit ac debet illi eſſe idoneis argumentis firmata fides. Tamen litteras omnes ſua diſponere temporum ſerie, ut voluerim, penes me non fuit. Sunt quæ nullam, nec ætatis ſuæ inſignitam notam, nec hiſtorici alicujus facti memoriam conſervent. Quid his facerem, cum ad nullum, nec ordinem, nec annum revocari poſſent, niſi rejicerem ad calcem aliarum? Et rejici quidem, ſed præfixo ad paginæ oram hoc lemmate, *incerti temporis*, ne, quod ceteris poſtpoſitæ ſunt, recentiores ideo eſſe quis putet. Neque hæc, opinor, lectori gravis erit ignoratio: cum alioqui tanti non ſit epiſtolarum ejuſmodi ævum ſcire, e quibus nihil aut certe parum, quod ad hiſtoriam faciat, extundi poteſt.

Notitia epiſtolarum non exſtantium adjecta.

CLXXXIV. His e veſtigio ſuccedit Notitia epiſtolarum non exſtantium, quarum non exhibemus modo quæ ſuperſunt fragmenta, ſed ordinem, ætatem argumentumque, quoad ejus fieri poteſt, annotamus; rati non parum inde lucis acceſſurum iis, quæ naufragio temporum ereptæ ſunt. Quod idem in his quoque fecimus litteris, quæ ſunt ad pontifices ſcriptæ, & malo etiam litteratorum fato amiſſæ. Habent utræque, quod jam obſervavi, magnam inter ſe cognationem, nec ſine collectionis noſtræ damno divelli poſſunt. Hic vero anceps me diu deliberatio tenuit, quo pacto id operis tractarem. Principio venerat in mentem, quidquid ad has pertineret litteras, id ſuo ſic ordine ac loco repræſentare, ut ſingularum notitia epiſtolis aliis iiſque integris intermixta, ſuam ſibi propriam ſedem haberet. Verum id ſi facerem, ſenſi fore ut collectio variis quaſi lacunis interrupta, & e ſingulis non membris conſtans, ſed coagmentata fruſtis videretur. Itaque conſultius viſum eſt, epiſtolas id genus omnes in unum veluti agmen coactas communi tractatione complecti, ordinate tamen, & ſervata annorum rerumque ratione.

Decretorum ſummis pontificibus adſcriptorum cenſura.

CLXXXV. Notitiam excipit Cenſura Decretorum, quæ pontificis, cujus epiſtolæ proxime præcedunt, nomine circumferuntur. Singula vel auctoribus ſuis, vel ſuæ ſaltem ætati ut plurimum reſtituimus: addimus Cenſuræ rationes, paucis id quidem & tribus quaſi verbis, niſi ubi res ipſa prolixiorem exigit diſputationem.

Epiſtolæ ſpuriæ a genuinis ſeparatæ.

CLXXXVI. Demum, quod Editores ſolent, a genuinis ſpuria ſeparavimus. Ablegatæ ſunt ad cujuſque tomi calcem ſubdititiæ litteræ, quas vel ſtili quædam ſimilitudo, vel inficetorum hominum ignorantia, vel fraus impoſtorum pontificibus affinxit. Erant illæ quidem indignæ, quæ cum ſinceris eodem quaſi lare uterentur; at etiam non ita ad nihil utiles, ut repudiari penitus & foras extrudi deberent. Itaque ſeorſum & in angulum quemdam rejectas facile erit vel omittere, vel conſulere in loco. Cenſoriam ſingulis notam inuſſi, inuſtæ cauſſam attuli; ac præterea, ut lectori conſtaret operæ ſuæ fructus, oſtendi quo ſint auctore, quo conſilio, qua tempeſtate procuſæ. In quo, ut ſæpe alias, expertus ſum opuſculum vix ullum eſſe, invita licet veritate ſcriptum, quod non ad aliquam ſuam utilitatem transferre lector poſſit.

Quæ utilitas ea ſalſis opuſculis percipi queat.

Et ſane, ut exemplis agam, contemtiſſima illa Sinueſſanæ ſynodi ſub Marcellino, Romanæ ſub Silveſtro, Liberii denique & Xyſti III. geſta qui legerit, is, fateor, ad tot fabularum adſpectum nauſeabit. At vero idem ſi viderit hæc Symmachi ævo, vel non multo poſt, eſſe conficta; id ſaltem inde fructus capiet, ut intelligat qua circiter ætate, quave occaſione, pervagari cœperint ſingulares quædam his geſtis inſperſæ de pontificum auctoritate opiniones. Quin & epiſtola Zoſimi nomine ad Simplicium Viennenſem archiepiſcopum inſcripta, etſi breviſſima eſt, num otioſa tamen & nulli uſui eſt? Ejus artifex, quiſquis ille ſit, unum id ſequitur, ut certa quædam eccleſiæ Viennenſi privilegia aſſerat. Ea vero cum ad privilegiorum Arelatenſium ſimilitudinem exprimit, nihil fraude ſua Viennenſibus confert, ſed Arelatenſibus vires addit. Etenim ſi qua ſuſpicione falſi laboraſſent, caviſſet, dubio procul ne illa ſibi imitanda proponeret. Ita ſibi ipſe mentitur error, & veritati ſervit vel invitus. Quid litteras illas Julio I. tam diu affictas, & in Epheſina ſynodo Julii nomine laudatas, qui norit non Julii eſſe, ſed Apollinarianæ ſcholæ fetum, an non amabit in his intueri, tamquam in ipſo fonte, arcanos hæreticorum illorum ſenſus, artes, ſuffugia, doloſ? an moleſte ferat, notis ad has litteras additis ſibi monſtrari, quibus verborum involucris tegerent ſe ſe vafri homines, quibus cunicu-

lis

ſis ad catholici dogmatis ſubverſionem graſſarentur? Quid, illæ denique Innocentii ad Arcadium, Arcadiique ad Innocentium epiſtolæ, nihilne nos præter mendacia docebunt? Eſt, opinor, quod nos doceat ipſarum ætas; illudque, ſi non manifeſte verum, certe haud vero abſimile. Scilicet cum editæ ſint, quod probabile reor, Juſtiniani imperatoris ævo, hoc eſt medio circiter ſæculo ſexto, atque a Græcis ad nos uſque fluxerint, videtur confici inde poſſe, eam tum fuiſſe opinionem Græcorum, imperatores ſuus ſpiritali Romanorum præſulum ditioni eſſe obnoxios. Alioqui nullus epiſtolis adſperſus eſſet veri color: quippe quibus fingitur, hinc quidem Innocentius Arcadium a myſteriorum ſumtione arcere, hinc vero Arcadius apud Innocentium excuſatione uti, irrogatamque ſibi pœnam deprecari. Quamquam nec ea tamen ætate ferebat Romanorum præſulum conſuetudo, ut in principes eccleſiaſticis id genus pœnis ſævirent. Satis habebant viri moderatiſſimi, eos vel ab Eccleſia vexanda dehortari precibus, vel dedocere monitis; rati, quod ſapientiſſime monet Auguſtinus, *tolerandos* interdum malos homines *ad neceſſitatem pacis, ut habeant ſacramenta communia . . . ne ſi inſtiterit aliquis, eatur in diſruptiones Eccleſiæ*. Otio abutar, ſi quid e ſingulis ejuſmodi litteris decerpi fructus poſſit, velim perſequi. Vel ipſa etiam Iſidori figmenta non ſine aliqua tua utilitate percurras; ſi modo in extimo rerum cortice non hæreas, quæ figmenta cur ſint ad alterius tomi calcem edenda, jam ſuperius dictum eſt, nec videtur hoc loco repetendum.

Aug. Ser. 4. Tom. 2. pag. 26. n. 35.

Cur priſca epiſtolarum quarumque numerus atque ordo non ſit ſervatus.

CLXXXVII. Habes, erudite Lector, quid in hac noſtra collectione ſecuti ſimus. Unum veremur, ne ſcilicet ut offenſionem vulgo habet quidquid eſt novum, ita reprehenſione non careat numeralium notarum novus ordo. Quippe litteras ad pontifices ſcriptas, & pontificiis immixtas, ſuis quaſque numeris inſignivimus, quod eorum, a quibus editæ ſunt hactenus, fecit nemo. Hincque adeo factum, ut novos itidem numeros pontificiis adſignaremus; uno enim ſemel addito, pleroſque omnes mutari neceſſe eſt. Quæ Siricii v. g. epiſtolarum ſecunda erat, hæc numero quarta ſit oportet, ob alienas duas primam inter & hanc ſecundam interjectas. Atque hic ordo, ne quid diſſimulem, vel ex hoc uno moleſtus eſſe poteſt, quod cum receptis longoque uſu tritis citationibus ſtare nequit. Verum ejus tamen utilitatem demonſtrare pronum eſt; pene dixi neceſſitatem. Ac primo quidem litteræ pontificiis inſertæ, ſi ſuis, uti ante hac, numeris careant, citari vix poſſunt ſine multa verborum circuitione. Deinde pontificiæ ipſæ, ſi veterem ſuum retineant numerorum ordinem, manebunt inordinatæ: ita loco plerumque non ſuo poſitæ fuerant, & præter rerum ac temporum ſeriem diſtributæ. Ad hæc, litteris recens inventis debuit ſuus proprius inter alias dari locus: dari autem, niſi mutata veteri numeralium notarum diſpoſitione, prorſus nequibat. Poteram equidem (neque deerant qui viam hac in re mihi feciſſent) novas id genus acceſſiones ad pontificis cujuſque calcem amandare: id quod ab conciliorum Editoribus factum eſt, qui cum antiquam illam Nicolai I. epiſtolarum collectionem intactam vellent, ſatis habuere litteras ejus novas in appendices duas conferre. Verum hæc diſpoſitio, ut minus laborioſa ſit Editori, certa quantum lectori negotium faceſſat, nemo, vel tacentibus nobis, non videt. Poſtremo nec veterum quidem editionum idem ordo eſt. Alium aliæ præ ſe ferunt. Unam ſi ſequar, a ceteris aberrem neceſſe eſt. Ecqui vero inſiſtam, cum omnes & mendoſæ ſint & confuſæ? Novam itaque viam inveſtigare conſultius duximus. Nec multum ſane in eo laborandum nobis fuit; nam illuc ſtatim nos impulit collectionis ipſius conſilium, ut litteris omnibus chronologica methodo ordinatis ſuos præfigeremus numeros, eoſque ad rectam veluti lineam ductos: in quo ſi quid eſt ab recepto uſu alienum, illud non minima, uti ſperamus, ſtudioſorum utilitas compenſabit.

Quid præſtitum circa epiſtolarum interpretationes.

CLXXXVIII. Pene exciderat unum aliud, de quo lectorem jam antea monitum oportuerat, epiſtolarum dico interpretationes cum latinas tum græcas. Fuit hæc quidem Romanorum præſulum conſuetudo, ut non alio quam ſuo latinorum ſermone ſcriberent. At etiam ſolebant latinis ſuis ad Græcos litteris interpretationem græcam annectere. Et is viciſſim ſatis frequens fuit mos Græcorum, ut quas ad pontifices Romanos epiſtolas dabant, eas & græcas darent, & latine interpretatas. Satis frequens dico; nam fuiſſe qui id neglexerint, docet præter alios Cæleſtinus, qui ad Neſtorium reſcribens, tarditatis litterarum ſuarum cauſſam hanc affert, miſſas nimirum a Neſtorio fuiſſe meras græcas, quibus latine vertendis idoneus aliquis quærendus fuerit. *Dudum*, inquit, *ſumſimus epiſtolas tuas, quibus in anguſto nihil potuimus dare reſponſi; erat enim in latinum ſermo vertendus*. Ita pauci tum erant, qui cum græcis latina conjungerent, eſſentque in utriuſque orationis facultate pares. Porro his interpretationibus, etſi inſabre maximam partem cuſis, ſæpe contigit, ut primigenio textui præferrentur. In conciliorum geſtis locum plerumque ſolæ habent, græcæ quidem in græcis, in latinis vero latinæ. Litterarum græcarum nil tota, quanta eſt, quidquam exhibet editio Romana: tantum Chriſtophorſoni aut veteris cujuſdam interpretis latini ſermonem legas. Nos vero ita judicavimus, ſententiam ex ipſo fonte melius hauriri. Idque adeo dedimus operam, ut authentica, quoad ejus fieri poterat, exemplaria revocarentur; ita cuique interpretatione veteri adjuncta. Quæ res cum alias opportunitates habet, tum eam maxime, quod ob oculos ſtatim ponat, quid ex ipſa auctoris manu, quid ex interpretis officina prodierit. Quod ſi deſit, & ſane deeſt non raro, genuinus epiſtolarum textus; jacturam utcumque ſarcio, retenta, velut e naufragio tabula, interpretatione. Atque hæc interdum plus una eſt, quod qua ratione factum ſit, præteriens monebo. Deperditis nimirum, uti vulgo fit, primigeniis exemplaribus, fuere cum apud Latinos qui ex interpretationibus græcis latinas novas cuderent, tum apud Græcos qui græcas facerent e latinis. Cujus rei non unum ſpecimen in his, quas edimus, litteris videre eſt.

Cæleſtin. ep. 13. num. 5.

CLXXXIX. Utraſque porro verſiones, ſi fidæ modo eſſent, aut paucis ſaltem nævis inſperſæ, retinui: ea vero retinui cautione, ut nævos vel indicarem in notis, vel etiam e textu, admonito lectore, tollerem. Quod idem ut auderem etiam in ceteris, hortata me eſt utilitas ſtudioſorum. Nam aliud ſcriptorem ipſum, aliud interpretem loqui, quid eſt, niſi moleſtiam eruditis afferre, obiicere errorem ineruditis? Si quas offendi, quæ perpetuis ſcaterent mendis, nec ſanationem ullam admitterent; his omiſſis, novas aliunde advexi, eaſque ab clariſſimis ævi noſtri viris adornatas; ſic tamen, nullam ut admiſerim non antea cum græco textu rite collatam, immo non emendatam, ſicubi emendatione opus habuit. Meas interdum, at pauciores, idque dumtaxat cum aliæ deeſſent, appoſui; de quibus nihil aliud affirmo, niſi id me ſtuduiſſe, ut ſua ſe, ſi non elegantia, ſaltem fide, veritatis amantibus viris probarent. Ceterum veteres ita ſubmovi, ut earum tamen lectiones, quotquot alicujus pretii erant, notis inſeruerim.

CXC. In expendendis eruditorum virorum ſententiis par cura fuit, par religio. Fatebor equidem, ne quid mihi alienum arrogem, multa me ex eorum ſcriptis aut inventa ſollerter, aut accurate diſputata, meos in uſus tranſtuliſſe. Abſque illis fuiſſet, mea ſæpius hæſiſſet opera. Tamen, quod poſtulabat veritatis amor, diligenter cavi, ne quidquid illi ſcripſerant, ad id me ſtatim auctoritate ductus applicarem. Quippe hanc Auguſtini regulam, quam proxime licuit, ſequendam duxi: *Alios* (a canonicis auctoribus) *ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione quod a vera ratione non abhorreat, perſuadere potuerunt*. Itaque ſingula ad rationis libram pro meo judicii modulo revocavi, dubitandi aut affirmandi cauſſas excuſſi, ut in uno veritatis arbitrio acquieſcerem. Sicubi res tulit, ut eorum ſphalmata quædam detegerem, feci hoc libere quidem, at ſine cujuſquam offenſione,

Epiſt. al. 19. nunc 92. n. 3.

PARS III. DE PONTIFICIARUM EPISTOLARUM EDITIONIBUS.

aut certe facere animus fuit. Nihil enim minus propoſitum mihi eſt, quam ut ad quos adſpirare non poſſum, aliquid ex eorum gloria deteram. Quod ſi in varias varie diſtracti ſententias quandoque abibant, ſatis habui quid e rei veritate magis A eſſe intelligerem, in medium afferre. Nam ſingula opinionum capita perſequi, recenſere quæ cuique ſaveant argumenta, totumque deinde litis arbitrium in lectorem trajicere, quid aliud eſt, quam lites ſovere, aut lectorem ipſum dare in perturbationem?

S Y L L A B U S

Eorum quæ in præcedenti Diſſertatione continentur.

PROOEMIUM. Pag. 3

PARS I. *In qua nonnulla de Pontificum Romanorum auctoritate delibantur.* 4

PARS II. *De antiquis canonum collectionibus.* 25

§. I. *De antiqua collectione quæ apud Græcos ante concilium Chalcedonenſe ac poſt viguit. An etiam apud Latinos recepta ſit.* 26

§. II. *De antiquis canonum Codicibus in Occidente adornatis, nominatimque de collectione in pervetuſto exemplari Corbeienſi aſſervata.* 28

§. III. *De Codice canonum ad calcem operum S. Leonis in noviſſima editione vulgato.* 30

§. IV. *De antiqua collectione Langobardicis litteris exarata.* 35

§. V. *De ampliori collectione præſertim ex duabus præcedentibus conflata.* 38

§. VI. *Dionyſii Exigui collectio qualis primum fuerit.* 40

§. it. VI. *De vulgato Codice canonum eccleſiæ Africanæ.* 41

§. VII. *De Creſconiana collectione.* 46

§. VIII. *De collectione quam Hadrianus I. papa Carolo magno tradidit.* 47

§. IX. *De antiqua conciliorum & pontificiarum epiſtolarum collectione apud Hiſpanos recepta; deque veteri canonum Codice ex eadem collectione ad uſum ejuſdem eccleſiæ conflato.* 49

§. X. *De collectione Iſidori Mercatoris.* 55

§. XI. *De pluribus aliis collectionibus quædam ſummatim perſtringuntur.* 58

PARS III. *De pontificiarum epiſtolarum editionibus.* 60

§. I. *Qua ratione hactenus editæ fuerint pontificum Romanorum literæ.* ibid.

§. II. *Quid a nobis in editione hac novæ præſtitum.* 62

II.

PETRI DE MARCA

DISSERTATIO

DE VETERIBUS COLLECTIONIBUS CANONUM.

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE VETERIBUS COLLECTIONIBUS CANONUM.

CAPUT PRIMUM.

De vetuſtiſſima collectione canonum Eccleſiæ Romanæ ante Concilium Chalcedonenſe.

I. DUæ ſunt, quæ huc uſque latuerunt, canonum collectiones, quibus uſa eſt variis temporibus Eccleſia Romana: quarum altera poſt Concilium Nicænum emerſit, altera poſt Chalcedonenſe.

De prima acturis obſervandum eſt, ante Concilii Chalcedonenſis definitionem canone primo comprehenſam, qua regulis patrum robur & auctoritas additur ut per univerſam Eccleſiam vigeant, canones Ancyranos, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Antiochenos, & Laodicenos in occidentem non penetraſſe. Solis Eccleſia Romana canonibus Nicænis regebatur, ut diſerte docet Innocentius in epiſtola ad clerum Conſtantinopolitanum. Quo nomine Sardicenſes continebantur; ut patet ex Zoſimi commonitorio quod Fauſtino Legato ſuo dedit ad firmandum in Africa uſum appellationum in cauſſis Epiſcoporum: ubi canon in Sardicenſi ſynodo ea de re editus, ſub titulo Concilii Nicæni profertur. Refragati ſunt quidem Africani Epiſcopi, & canonem illum in veris exemplaribus ſynodi Nicænæ non haberi contenderunt, contra nitentibus Legatis Zoſimi. Qui quidem adeo ab omni fraudis & doli ſuſpicione aberat, quemadmodum & Bonifacius illius ſucceſſor, ut paſſus ſit Legatos a Carthaginienſi ſynodo Conſtantinopolim & Alexandriam mitti ad earum civitatum Epiſcopos, ut exempla canonum Nicænorum ex authenticis codicibus deſcripta mitterent. Illi vero teſtati ſunt canones illos numero viginti eſſe tantum; quales Africana Eccleſia penes ſe habebat. Unde factum ut conſtiterit Romanis, æque ac Africanis, canones illos Sardicenſes alios eſſe a Nicænis. Quod tamen non obſtitit quo minus Leo I. in epiſtola ad Pulcheriam, conquerens de Flaviani Epiſcopi Conſtantinopolitani & ceterorum ſacerdotum depoſitione a ſynodo Epheſina ſub Dioſcoro decreta, eoſdem Sardicenſes canones, ſub nomine Nicænorum, orientalibus objiciat, contendens ex eorum præſcripto omnia in priſtino ſtatu retinenda donec ad Apoſtolicam ſedem referatur.

II. Innocentius quoque primus in epiſtola ad Victricium, poſt commemoratam Nicænam ſynodum, ait majores cauſſas ad ſedem apoſtolicam referendas, *ſicut ſynodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit*. Unde ſequi videtur eum ad Nicænam ſynodum reſpexiſſe, cui acceptos ferebat canones, ad Sardicenſe licet Concilium pertinerent, quos poſtea Zoſimus quoque Nicænos eſſe jactabat; præcipue cum Innocentius ſolos, ut monebam, canones Nicænos obtinuiſſe apud Romanam Eccleſiam doceat.

III. Occaſio iſtius hallucinationis alia non eſt præter collectionem canonum quam ſolam ea tempeſtate in ſcriniis ſuis habebat Eccleſia Romana; cujus nos exemplar in vetuſtiſſimo codice ms. vidimus beneficio Chriſtophori Juſtelli claræ memoriæ viri & antiquitatum eccleſiaſticarum curioſi exploratoris: qui licet communionis Calvinianæ partes ſequeretur, ſincere ſe gerebat in eruendis e ſitu veterum monumentis ad rem canonicam exornandam.

In ea collectione hoc erat lemma: CANONES NICÆNI. Deinde ſequebatur ſeries quadraginta canonum numeris ſuis diſtinctorum: quorum priores
A viginti erant veri & genuini canones Nicænæ ſynodi, reliqui autem viginti continebant canones unum & viginti Concilii Sardicenſis, duobus capitibus in unum compactis; nulla interim mentione facta hujus Concilii Sardicenſis. Non dubitandum, quin ſtatim poſt editionem adjecti fuerint canones illi Sardicenſes priori collectioni, conſequentibus numeris, ſub antiquo titulo. Illud autem an fato acciderit, vel per incuriam, an vero data opera, ut major eſſet horum canonum auctoritas, prudentis eſto judicium. Sane in veteribus codicibus reperiri canones Nicænos numero quadraginta adnotatum eſt in editione Moguntina Dionyſii Exigui: quæ
B collectio ſimilis eſt antiquæ illi quam nos vidimus. Nec alia erat collectio quadraginta canonum Nicænorum, cujus meminit præfatio Iſidori:. unde auctor ille occaſionem arripuit augendi numerum uſque ad LXXII. ex ſuppoſititiis Julii epiſtolis.

IV. Quare Innocentius, Zoſimus, & Leo alieni ſunt ab omni dolo in proferendis canonibus Sardicenſibus ac ſi ad Nicænam ſynodum pertinerent, cum auctoritate ſcriniorum ſuorum & veteris collectionis freti eſſent. Viri ampliſſimi eruditione & dignitate Cardinales Perronius & Baronius, ut horum Pontificum bonam fidem tuerentur, ex ingenio conjecerant ea illos collectione canonum uſos
C eſſe quam nos olim in Eccleſia Romana exſtitiſſe teſtimoniis comprobavimus.

CAPUT II.

De collectione canonum poſt Concilium Chalcedonenſe.

I. DEcreti Chalcedonenſis ea fuit auctoritas ut canones orientalium ſynodorum, qui vigebant in oriente, ſuſceperit Eccleſia Romana, eoſque adhibuerit in cauſſarum & negotiorum eccleſiaſticorum diſceptatione; demtis iis quos juribus
D ſuis officere exiſtimabat. Quare codicem illum canonum ex quo recitati ſunt canones aliquot in Concilio Chalcedonenſi Romam Legati cum detuliſſent, auctoritate Leonis Papæ confecta eſt & compoſita nova canonum collectio, quæ viguit ſola in occidente per ſexaginta & amplius annos, donec altera quoque acceſſit Dionyſii Exigui, quæ in quibuſdam a priore diſcrepat, ut mox obſervabimus.

II. Priorem illam, hactenus ignotam, ex codicibus duobus manuſcriptis monaſterii Rivipullenſis in Catalonia favente numine erutam heic explicamus: quæ majoris ponderis apud nos eſſe debet quod ea
E uſi ſunt Gallicani Epiſcopi uſque ad tempora Hadriani Pontificis & Caroli Magni, & una cum Gallicanis canonibus ab Eccleſia Hiſpanica uſurpata fuerit uſque ad Sarracenorum adventum; quemadmodum etiam in Africa.

Ejus autem collectionis hæc eſt methodus. Incipiunt canones Nicæni. Sequuntur Ancyrani, Neocæſarienſes, & Gangrenſes. Deinde Sardicenſes canones. Poſtea Antiocheni, & Laodiceni. Subjunguntur ſtatim viginti ſeptem canones Concilii Chalcedonenſis. Deinde Carthaginienſes; de quibus mox dicemus.

III. Huic

III. Huic collectioni præfigitur præfatio; cujus hæc ſunt verba: *Canones generalium Conciliorum a temporibus Conſtantini cœperunt. In præcedentibus annis namque, perſecutione fervente, docendarum plebium minime dabatur facultas. Inde Chriſtianitas in diverſas hæreſes ſciſſa eſt: quia non erat licentia Epiſcopis in unam convenire, niſi tempore ſupra dicti Imperatoris. Ipſe enim dedit facultatem Chriſtianis libere congregari. Sub hoc etiam ſancti patres in Concilio Nicæno de omni orbe terrarum convenientes, juxta fidem evangelicam & apoſtolicam ſecundum poſt apoſtolos ſymbolum tradiderunt. Quatuor autem principalia eſſe Concilia, ex quibus pleniſſimam fidei doctrinam tenet Eccleſia tam de Patris & Filii & Spiritus ſancti divinitate quam de prædicti Filii & Salvatoris noſtri incarnatione. Prior harum Nicæna ſynodus eſt* CCCXVIII. *Epiſcoporum Conſtantino Auguſto imperante peracta: in qua Arrianæ perfidiæ blaſphemia condemnata, quam de inæqualitate ſanctæ Trinitatis idem Arrius aſſerebat. Conſubſtantialem Deo Patri Deum Filium eadem ſancta ſynodus per ſymbolum definivit. Secunda ſynodus eſt* CL. *patrum ſub Theodoſio ſeniore Conſtantinopolim congregata; quæ Macedonium ſanctum Spiritum Deum eſſe negantem condemnans, conſubſtantialem Patri & Filio eundem paraclitum demonſtravit, dans latius ſymboli formam quam tota Græcia & Latinitas in Eccleſiis prædicat. Tertia ſynodus Epheſina* CC. *Epiſcoporum ſub juniore Theodoſio Auguſto edita; quæ Neſtorium duas perſonas in Chriſto aſſerentem juſto anathemate condemnavit, oſtendens manere in duas naturas unam Domini Jeſu Chriſti perſonam. Quarta eſt ſynodus Chalcedonenſis ſexcentorum* XXX. *ſacerdotum ſub Marciano Principe habita; in qua Eutychem Conſtantinopolitanum Abbatem, Verbi Dei & carnis unam naturam pronuntiantem, & ejus defenſorem Dioſcorum quondam Alexandrinum Epiſcopum, & ipſum rurſum Neſtorium, cum reliquis hæreticis, una patrum ſententia prædamnavit, prædicans eadem ſynodus Chriſtum Deum ſic natum de virgine ut unam perſonam & divinæ & humanæ confiteamur naturæ. Hæc ſunt, ut prædiximus, quatuor principales & venerabiles ſynodi totam fidem catholicam complectentes. Sed & ſi qua ſunt Concilia quæ ſancti patres ſpiritu Dei pleni ſanxerunt, poſt iſtorum quatuor auctoritatem omni manent ſtabilita vigore: quorum etiam geſta in hoc corpore condita continentur. In principio autem hujus voluminis Nicænam ſynodum conſtituimus pro auctoritate ejuſdem magni Concilii. Deinceps diverſorum Conciliorum Græcorum ac Latinorum, ſive quæ antea, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, ſub ordine numerorum ac temporum, capitulis ſuis diſtincta, ſub hujus voluminis aſpectu locavimus. Subjicientes etiam decreta Præſulum Romanorum, in quibus, pro culmine ſedis apoſtolicæ, non impar Conciliorum exſtat auctoritas: quatenus eccleſiaſtici ordinis diſciplina in unum a nobis coacta atque digeſta, & ſancti præſules paternis conſtringantur regulis, & obedientes Eccleſiæ miniſtri vel populi ſpiritualibus imbuantur exemplis. Canones autem qui dicuntur Apoſtolorum, ſeu quia eoſdem nec ſedes apoſtolica recipit, nec ſancti patres illis conſenſum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dinoſcuntur, quamvis in eis quædam inveniantur utilia, auctoritate tamen canonica atque apoſtolica eorum geſta conſtant eſſe remota, & inter apocrypha deputata.*

IV. Priorem hujus præfationis partem Iſidorus Hiſpalenſis retulit in librum ſextum *Originum* cap. XV. Etenim cum ſibi propoſuiſſet eo capite de canonibus Conciliorum agere, ſolemneque illi ſit laudabiles locos qui ſuo inſtituto conducunt, tacitis auctoribus in opus illud congerere, (quo nomine ab eruditis majorem conſecutus eſt laudem) more illo ſuo hunc quoque centonem aliis addidit, & iiſdem verbis præfationem illam ex parte tranſcripſit. Si quis autem pervicaciter contendere velit ex Iſidoro potius depromtam hanc præfationem, omnino ſe victum fatebitur, ſi ſepoſito dimicandi ſtudio perpendat præfationis corpus eſſe integrum, aliquot periodos complectens uno ſpiritu cum prioribus conjunctas; quæ tamen deſunt apud Iſidorum, qui ex loco laudato decerpſit quod ſibi commodum videbatur. Deinde ultima verba excerpti quod eſt apud Iſidorum, iſta nempe; *Quorum etiam geſta in hoc opere condita continentur*, nullius operæ ſunt in libris Originum; immo vero aperte falſa, cum in eo volumine nec canonum nec Conciliorum acta contineantur. Quare prudenter obſervavit vir eruditus in ſcholiis hujus loci: *Hæc omiſſa oportuit.* Quæ ſane verba in præfatione leguntur opportune, quia præfixa eſt collectioni canonum. Unde exſcriptor qui juſſu Iſidori in Origines hunc locum tranſtulit, manifeſte hallucinatus eſt non omittendo verba hæc, quæ in volumine canonum ſunt aptiſſima, ſed ab Originibus prorſus aliena. Pars ultima præfationis, quæ reprobat canones Apoſtolorum, tranſſcripta eſt a Gratiano ex Iſidoro: qua de re capite ſequenti dicemus. *Diſt.16.c.1.* Canones.

V. Ex hac collectione Symmachus Papa in ſexta ſynodo Romana habita anno DIV. citat duos canones ſynodi Grangrenſis ex verſione antiqua quæ eſt in hac collectione. Unde *apoſtolica auctoritate hos canones conditos* ait; quoniam etſi provincialis eſſet ſynodus Gangrenſis, tamen cum auctoritate ſedis apoſtolicæ jam eſſet in occidente recepta, perinde erat ac ſi ab initio eadem auctoritate canones ſuos conſtituiſſet. Neque enim confugiendum eſt ad conjecturas quas adhibet Baronius, qui putat Oſium Cordubenſem legatione Romana functum huic ſynodo interfuiſſe. Recenſetur quidem ille in epiſtola ſynodica, ſed permiſtus aliis Epiſcopis, & inter ultimos: quod non congruit dignitati ſedis apoſtolicæ.

CAPUT III.

De diſcrimine collectionis iſtius & Dionyſianæ.

I. IN eo primum differunt hæ duæ collectiones, vetus & Dionyſiana, quod diverſis canonum Græcorum translationibus utantur. In vetere quippe interpretatio canonum Græcorum eadem eſt omnino cum illa quam Iſidori collectio præfert, quæque uſurpatur in libris Capitularium; ut ex ſtudioſa earum inter ſe collatione didicimus. Plane Dionyſiana verſio videtur eſſe accuratior & verbis magis affixa. Sed altera eſt elegantior; & verba quædam ſi alicubi diſſimulet, alibi ſententiam veram canonis, alioquin obſcuri, feliciter patefacit. Hæcque eſt illa translatio cujus obſcuritate adductum ſe Dionyſius fatetur ad novam condendam. Quamquam & alia quoque in manu ſcriptis codicibus reperiatur paullo obſcurior hac noſtra.

II. Alia ſunt diſcrimina inter utramque collectionem quæ ſunt majoris ponderis, & meram antiquitatem redolent. Secunda ergo differentia hæc erit, quod canones apoſtolici abſunt ab iſta collectione eo titulo quod nullius eſſent auctoritatis, ut docet diſerte ſuperior præfatio. In quo illi egregie convenit cum Decreto Galaſii in ſynodo Romana, quo liber canonum Apoſtolorum inter apocrypha numeratur. Inde quoque præſtans argumentum trahitur hanc eſſe collectionem canonum qua Gallicana Eccleſia utebatur; quippe quæ his canonibus Apoſtolorum careret, ut ex Gregorio Turonenſi docuimus libro III. *de Concordia ſacerdotii & imperii* cap. IV. §. III.

III. At Dionyſiana collectio canones iſtos, ſaltem priores numero quinquaginta, in occidentem invexit. Et ejus exemplo auctor Iſidorianæ collectionis eodem numero & iiſdem verbis cum Dionyſio canones illos tranſtulit in ſuam, licet in canonibus Græcis verſionem antiquam ſequatur: quæ cum iſtis canonibus apoſtolicis careret, neceſſario ex Dionyſii verſione & collectione petendi fuerunt. Rationem facti ſui hanc proponit Iſidorus: *Denique propter eorum auctoritatem ceteris Conciliis præpoſuimus canones qui dicuntur Apoſtolorum, licet a quibuſdam apocryphi dicantur; quoniam plures eos recipiunt, & ſancti Patres eorum ſententias ſynodali auctoritate roboraverunt, & inter canonicas poſuerunt conſtitutiones.* Quod ſynodalem patrum auctoritatem laudat, de ſynodo Trullenſi intelligendum eſt; cujus decreto canones apoſtolici numero LXXXIV. recepti ſunt in oriente. Priores autem quinquaginta, qui ſoli erant in occidente noti, nullum robur obtinue-

tinuerunt, ſaltem in Galliis & Hiſpaniis, uſque ad tempora Caroli Magni; quando Dionyſiana collectio, monente Hadriano Papa, vigere incepit in his regionibus.

IV. Tertium diſcrimen verſatur in canonibus Sardicenſis Concilii, qui loco quinto poſiti ſunt in hac collectione poſt Nicænos, Ancyranos, Neocæſarienſes, & Gangrenſes; & Antiochenos atque Laodicenſes ordine antecedunt. Ancyrana, Neocæſarienſis, & Gangrenſis ſynodi vetuſtiores ſunt Nicæna ſynodo; ſed iſtius reverentia factum eſt ut in capite collocetur. His quatuor ſuccedit Sardicenſis anno CCCXLVII. quæ licet poſterior Antiochena, (quæ coacta fuit anno CCCXLI.) illi tamen in hac ſerie prælata eſt ob dignitatem. Dionyſius vero collectionis Græcæ interpretationem aggreſſus, in qua Sardicenſes canones non habentur, eis poſt univerſos canones orientalium Conciliorum, licet tempore poſteriorum, locum in ſua collectione dedit.

V. Memoriæ lectoris occurret quod ſuperius adnotavimus de Leone primo, qui canones Sardicenſes ſub nomine Nicænorum orientalibus objiciebat. Ex quo ſequi videtur ut aut de bona fide periclitetur ille, cum ex hac collectione quam ejus auctoritati tribuimus, illi conſtaret liquido alios eſſe Sardicenſes canones quinto loco poſitos, a Nicænis qui frontem codicis occupabant; vel dicendum erit hanc collectionem poſteriorem eſſe Leonis temporibus.

VI. Sed ex temporum diſcrimine pendet hujus difficultatis explicatio. Ante Concilium Chalcedonenſe data eſt epiſtola Leonis ad Pulcheriam anno CCCCXLIX. ubi Nicænos canones cum Sardicenſibus permiſcet; adeo ut querelæ litteris illis comprehenſæ, de fide violata, Flaviano oppreſſo, & reſtituto Eutychete, Marcianum auctore Leone ad convocandum Chalcedonenſe Concilium adegerint. Poſt illud vero Concilium (quod habitum eſt anno CCCCLI.) & ex ejus præſcripto aggredienda fuit nova collectio, in quam canones orientalium ſynodorum impingerentur. Tunc diſcutienda fuit ratio temporum, & ſuis quique Conciliis canones vindicandi. Quod egregie factum eſt in hac collectione; in qua Sardicenſes a Nicænis ſecreti ſunt, & ſuis locis poſiti.

VII. Unde quoque illud addiſcimus, eos graviter falli qui Sardicenſes canones univerſo orbi Chriſtiano, etiam ipſi Romanæ Eccleſiæ, vel ignotos vel apocryphos fuiſſe docent uſque ad tempora Dionyſii Exigui, qui eos e tenebris in lucem primus protulerit. Etenim iſta collectione quæ antiquior eſt Dionyſiana, in canonum auctoritatem recepti ſunt per univerſas Eccleſias. Plane illorum uſus receptus erat Damaſi Papæ temporibus; ut patet ex ſynodo Romana & edicto Gratiani a Sirmondo publicatis, ubi cauſſæ Epiſcoporum datis a Romano Pontifice judicibus definiendæ conſtituuntur.

VIII. In Galliis invaluerant, licet tacito nomine, ante Leonis tempora; cum ex ejus epiſtola ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis conſtet Gallicanorum Epiſcoporum judicia per varias appellationes & relationes a Romanis Pontificibus retractata fuiſſe: quod initium aut robur habuit a Concilio Sardicenſi. Idem juris obtinuit in Hiſpaniis, ut patet ex epiſtola ejuſdem Leonis ad Turibium Aſturicenſem, qua ſynodum a quatuor provinciis Hiſpaniarum adverſus redivivam hæreſim Priſcillianiſtarum habendam indicit, nempe a Tarraconenſibus, Carthaginienſibus, Luſitanis & Gallæcis; adjecto quod ſi quid obſtiterit quo minus poſſit celebrari generale Concilium, Gallæciæ ſaltem in unum conveniant ſacerdotes: *Quibus congregatis*, inquit, *fratres noſtri Idacius & Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis inſtantia tua, quatenus de provinciali conventu remedium tantis vulneribus afferatur*. Indictio Synodi & delegatio Idacii & Ceponii Epiſcoporum ut ſynodo immineant, canonum Sardicenſium auctoritate fulta eſt.

IX. Idem Pontifex per Mauritaniam Sardicenſium canonum vigorem pleniſſime exercuit, non ſolum relationes ſynodi recipiendo, & reſponſis ſuis de relatis negotiis decernendo, quod jus eſt antiquius ipſa ſynodo Sardicenſi, ſed cognitione de cauſſa Lupicini Epiſcopi ſuſcepta, qui ad eum provocaverat; quam definiendam ſynodo provinciali Mauritaniæ reliquit, eamque habendam indicit juxta ordinem præſcriptum in Sardicenſi ſynodo. Unde quoque deſumtum eſt quod adjungit, contra eccleſiaſticam diſciplinam ſuperordinatum fuiſſe Epiſcopum Lupicino, pendente appellatione ad Romanam ſedem.

X. Sed quid hæremus in temporibus Leonis? Ipſa Zoſimi, Bonifacii & Cæleſtini tanto vetuſtior diſputatio cum Africanis Epiſcopis pro recipiendis appellationibus Epiſcoporum, prolatis quoque ipſis verbis canonum Sardicenſium, nonne aperte docent eorum apud Romanos auctoritatem, immo vero & apud Africanos, qui tandem provocantibus conſenſerunt; id unum deprecantes, ne facilius admitterentur; & cauſſæ in provinciis judicarentur; ut patet ex epiſtola ad Cæleſtinum.

Ceterum poſtquam collectio iſta in lucem emerſit auctoritate Leonis publicata, Africana Eccleſia illius uſum admiſit, & canonum Sardicenſium ut exſecutionem, ſic etiam & nomen: quamquam ignoti non eſſent olim in Africa canones Sardicenſes, quorum Gratus unum Epiſcopus Carthaginienſis laudavit in Concilio ſuo Carthaginienſi.

XI. Collectionis ab Africanis uſurpatæ Breviarium ſive compendium per varios titulos digeſtum compoſuit Ferrandus Diaconus Eccleſiæ Carthaginienſis; & poſt illum Breviationem alteram canonum Eccleſiæ Africanæ concinnavit Creſconius.

XII. Duæ illæ collectiones in eo differunt quod poſterior uſa eſt collectione Dionyſiana, laudatis tum Apoſtolorum tum Africanis canonibus juxta ſeriem numerorum qui exſtant apud Dionyſium. Sed Ferrandus, Dionyſio vetuſtior, antiquam collectionem ſecutus eſt, quæ canonibus apoſtolicis carebat, quos auctor ille numquam laudat; licet Ancyranos, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Antiochenos & Laodicenos titulis ſuis diſtinctos adhibeat; omiſſis quoque canonibus Conſtantinopolitanis. Quæ omnia collectioni noſtræ congruunt, & manifeſte probant illam a Romanis in Africam tranſmiſſam fuiſſe: cui Africani ſuos canones, alio longe ordine quam habeantur in Dionyſiana collectione, ſuis uſibus profuturos adjunxerunt.

XIII. Porro in Breviario Ferrandi canones Sardicenſes, illique præcipue qui de provocationibus Epiſcoporum ad Romanam ſedem decernunt, diſerte laudantur; quos ille non potuit una cum canonibus orientalibus publicare aliunde depromtos quam ex collectione recepta, cujus ipſe compendium exhibet: quæ prorſus eadem eſt cum hac noſtra.

Ex iſta quoque vetere collectione Theodoretus Epiſcopus Cyri hauſit canones Sardicenſes, quos laudat numero XXI. in compendio canonum per quinquaginta titulos digeſtorum. Quæ collectio Theodoreti exſtat M S. in bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi: de qua diximus in capite III. §. VIII. libri III. de *Concordia ſacerdotii & imperii*. (*)

XIV. Quartum diſcrimen eſt, illodque maximi momenti, quod Dionyſii codex tres canones ſynodi Conſtantipolitanæ ſecundæ ex codice Græco tranſcriptos exhibet; in quibus Thraciæ, Ponticæ & Aſianæ diœceſeon privilegia ſic confirmantur ut primatus tribuatur Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, fiatque ſecunda poſt Romanam, ea ratione adjecta, quoniam Conſtantinopolis eſt nova Roma. Sed canones iſti in hac vetere collectione penitus deſiderantur. Ex quo ſolo capite illius veritatem colligere & genuinam Romanæ Eccleſiæ collectionem hanc eſſe demonſtrare licet.

XV.

(*) De hujuſmodi Canonum collectione Theodoreto epiſcopo Cyrenſi tributa, diſſeruerat Marca lib. III. *de Concordia* citato, ubi etiam conatus fuerat eorum objectionibus reſpondere, qui illam Theodoreto abjudicant. Sed res iſthæc difficultate non caret, ut patet ex his quæ Chriſtophorus Juſtellus præfatur in eam collectionem, cujus auctorem eſſe contendit Joannem Scholaſticum. Hæc monuit Baluzius in præfatione ad Opuſcula Marcæ §. XIV. In eamdem cum Marca ſententiam ivit quoque Salmaſius lib. *de Uſuris* pag. 633. Sed utrumque arguit Fabricius Bibl. Gr. tom. XI. pag. 6. §. IV.

XV. Quippe nota eſt vehemens illa dimicatio quæ in Concilio Chalcedonenſi inter Aetium Archidiaconum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ & Legatos Romanos exarſit ob canonem XXVIII. quo præter Metropolitarum ordinationes in tribus illis diœceſibus adſcriptas ſedi Conſtantinopolitanæ, exæquata erant privilegia utriuſque ſedis, etiam in rebus eccleſiaſticis, eo quod nova Roma ſenatu & imperio, æque ac ſenior Roma, potiretur, hoc ſolo excepto quod Eccleſia Conſtantinopolitana ſecunda eſſet poſt Romanam. Legatis illa ſe abſentibus clanculum geſta & per vim ab Epiſcopis extorta conclamantibus, magiſtratus Principis interlocuti ſunt, ut quibus ſe canonibus tueretur Aetius, proferret in medium: qui ſynodicum ſynodi Conſtantinopolitanæ exhibuit, & ex eo relegi fecit tres canones qui exſtant apud Dionyſium, omiſſis aliis quos ultima collectio Græcorum continet.

XVI. Legati, poſt prolatum cononem ſextum Nicænum, cum judicum cognitorum ſententia irritam vidiſſent interceſſionem ſuam, ſe ad ſedem apoſtolicam omnia relaturos conteſtati ſunt. Leo totius rei certior factus, Anatolii Patriarchæ ſuperbos conatus ſeria oratione compreſſit, & inter cetera aſſeruit canones illos Conſtantinopolitanos numquam ad deceſſores ſuos relatos fuiſſe aut ab iis probatos. Aiebat quidem Euſebius Epiſcopus Dorylæi, in actione ultima Concilii Chalcedonenſis, canonem iſtum Conſtantinopolitanum Leoni gratum fuiſſe. *Hanc regulam*, ſcilicet ſynodi Conſtantinopolitanæ, *ſanctiſſimo Papæ in urbe Roma ego relegi*, inquit, *præſentibus clericis Conſtantinopolitanis*, *eamque ſuſcepit*. Sed inſinuatio iſta privata, quando agebatur de cauſſa Flaviani Conſtantinopolitani per ſummum ſcelus a Dioſcoro Alexandrino damnati, ut faciebat ad augendam hominis audaciam, qui dignioris Eccleſiæ Epiſcopum oppreſſerat, quæ dignitas canone Conſtantinopolitano probabatur, ſic obtinere non poterat ut canon ille publica auctoritate Romanæ Eccleſiæ receptus dici poſſet.

XVII. Succeſſit tandem collectio Dionyſii, quæ occidenti canones illos tres Conſtantinopolitanos a corpore Græcorum deſumtos publicavit. Id tamen non fuit impedimento quin Gregorius Magnus Joannis Patriarchæ Conſtantinopolitani temeritatem comprimens, profeſſus ſit canones ſynodi Conſtantinopolitanæ quibus ille nitebatur, numquam ab Eccleſia Romana receptos. Quod ſanctus ille vir aſſerere potuit & debuit; quoniam collectio illa vetus quæ publici juris facta fuerat, canones illos ut repudiatos & ab apoſtolica ſede rejectos non continebat. Alioqui ſi ſola Dionyſii collectione quæ nunc manibus omnium terebatur, uſa fuiſſet Eccleſia Romana, retorqueri potuiſſet in Gregorium tres illos canones, ut pote non expunctos, juris publici factos. Quam exceptionem elidere poterat prolatis contrariis inſtrumentis vetuſtioribus, nempe collectione iſthac a Leone approbata, quæ illis omnino caret.

XVIII. Quod attinet ad canones Concilii Chalcedonenſis; utraque collectio, tum vetus, tum Dionyſiana, ſolos viginti ſeptem continet, omiſſo XXVIII. qui ob Leonis reprobationem numquam in canonum cenſum adſcriptus eſt; neque etiam apud orientales, ut patet ex Dionyſio, qui collectionem illorum in Latinam linguam vertit. Unde Theodoretus in ſua ſynagoge, & Theodorus lector viginti ſeptem numero canones Chalcedonenſes concludunt. Synodus deinde habita in Trullo vigeſimum octavum in auctoritatem recepit; cum antea ejus mente & ſententia tantum Conſtantinopolitani uterentur, fulti poteſtate Imperatoris, ut adnotavit Liberatus in Breviario, & nos uberius diximus libro III. *de Concordia ſacerdotii & imperii* cap. III. §. V.

XIX. In neutra vero collectionum Epheſini Concilii ſit mentio: quoniam cum nullos ad diſciplinam pertinentes canones ediderit, ſed tantum fidem rectam adſtruxerit adverſus inſaniam Neſtorii, non erat cur anathemata contra hæreſim ejuſque fautores corpori canonum adjicerentur.

CAPUT IV.

De Canonibus Africanis.

I. IN canonibus Africanis enumerandis immenſum eſt diſcrimen. Collectio vetus eos canones exhibet quos Eccleſia Romana recepit, eadem ſerie & ordine quo ſunt in Conciliis Africanis editi; omiſſis canonibus ceteris, quibus edendis defuit auctoritas Eccleſiæ Romanæ.

II. Quod ut liquidius intelligatur, ſciendum eſt præſente Fauſtino Legato Romanæ ſedis habitam fuiſſe ſynodum univerſalem totius Africæ, quæ ſexta dicitur, ſub Aurelio Carthaginis Epiſcopo: in qua relecti ſunt canones illi omnes qui diverſis in Conciliis editi fuerant tempore Aurelii, & nova definitione, conſentiente Fauſtino, approbati ſunt. Horum Conciliorum geſta & canones Fauſtinus Romam cum retuliſſet, apoſtolicæ ſedis conſenſu adeo probata ſunt ut partem deinde fecerint collectionis noſtræ veteris; quæ incipit a tertio Carthaginienſi Concilio, & cetera ex ordine complectitur quæ habita ſunt ſub Aurelio uſque ad ſeptimum Carthaginienſe, & præterea Milevitanum ſub Aurelio.

III. Primum Carthaginienſe Concilium ſub Grato, & ſecundum ſub Genetlio, licet canones aliquot conſtituerint, non deſcribuntur in hac collectione: quæ propria Romanæ Eccleſiæ cum eſſet, nefas erat ut aliis iſta legibus uteretur quam iis de quibus ad eam relatio facta fuerat, aut quas præſentia Legatorum ſuorum probando, ſuas fecerat. Concilia ſub Grato & Genetlio, quemadmodum & Telenſe, Septimunicenſe, & Macrianenſe, quorum meminit Ferrandus in Breviario, Eccleſiæ Africanæ ordinandæ deſtinata erant, ejuſque erant decreta ſpecialia. Sed Concilia habita ſub Aurelio, ad Romana ſcrinia delata primum, publicæ legis vim tandem obtinuerunt in occidente univerſo in conſequentiam hujus collectionis. In ea canones ſingulorum Conciliorum deſcribuntur, & ſpecialiter canones Concilii Carthaginienſis quarti, quibus forma celebrandarum ordinationum in ſingulis gradibus præſcribitur: quæ ſingulare eſt antiquitatis ſacræ & veteris eccleſiaſticæ diſciplinæ venerandum monumentum; cui auctoritas & robur generalis legis ab hac collectione cum ſit impenſum, vel eo nomine nobis cara eſſe debet. Proferimus ſæpe in controverſis fidei capitibus, præcipue cum de ſacramento ordinis agitur, canones ex iſto Carthaginienſi Concilio quarto petitos; quos ſectarii elevare ſolent eo nomine quod rejecti videantur ab Eccleſia Romana, quoniam abſunt a collectione Dionyſii. Immo vero quidam male ſani non ſolum dubios canones illos, ſed etiam falſos, & ab otioſis hominibus conſarcinatos jactant, ejuſdemque eſſe farinæ cum ſubdititiis epiſtolis quibus Iſidorus Mercator collectionem ſuam infercit: quorum injuſtas querelas hac veteris collectionis exceptione repellimus.

IV. Dionyſius quidem alium ordinem ſecutus eſt in deſcribendis canonibus Africanis ab eo qui jam receptus erat. Etenim præmiſſo univerſali totius Africæ Concilio, quod habitum fuit ſub Aurelio, & poſitis XXXIII. canonibus in eo editis, ſtatim ſubjungit collectionem a ſe confectam canonum in variis Conciliis Africanis editorum: in qua ſelectis iis qui ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinebant, ceteros omiſit. Præterea cum canones aliqui in ſuperiore Concilio editi poliantur aut explicentur in ſequenti, Dionyſius, ut compendium laboris legenti faceret, unica editione contentus fuit; & ipſe alicubi verba quædam ex prioribus addit aut demit.

V. Dubitandum enim non puto quin collectio illa Africana auctorem habeat Dionyſium; quippe quæ ante illius ætatem incognita eſſet etiam ipſis Africanis, ne dicam Latinis ceteris. Etenim Ferrandus Diaconus, Dionyſio vetuſtior, Carthaginienſia ſub Grato & ſub Genetlio, univerſale primum, ſecundum, tertium, & quartum laudat, quoniam nondum erat in compendium redacta canonum Africanorum rhapſodia. Sane poſt publicatum Dionyſii codicem Creſconius Africanus ordinem & ſeriem

cano-

canonum, prout exſtant apud Dionyſium, ſecutus eſt. Diffitendum tameu non eſt quin plurimum Dionyſio debeat Eccleſia ob collectionem illam Africanam. Etenim vetus collectio ut plurimum omiſſis Conciliorum geſtis, a canonibus auſpicatur. Præterea conventus illus omittit in quibus de variis Africanarum provinciarum negotiis diſceptatum eſt: quorum tamen Dionyſius brevem ſummam, aliquando verba ipſa repræſentat.

VI. Eccleſia Africana canonibus Nicænis quos ſolos noverat, ſuas deinde regulas adjunxit in Conciliis Africanis decretas, quibus negutia eccleſiaſtica componerentur. Nomina Conciliis indita a civitatibus ubi cogebantur; u Carthagine ut plurimum, quoniam frequentius illo conveniebant Epiſcopi, tamquam ad caput & metropolim Africanarum provinciarum; quod ceteras civitates, iſtius dignitati fere invidas, urebat. Unde & prupter faciliorem cauſſarum communium ordinationem expreſſus ille canun Hippunenſis, quo Concilium univerſale totius Africæ nunc in hac, poſtea vero iu illa provincia cugendum eſſe definitur. Quare Concilium Hipponenſe & Milevitanum inter plenaria recenſentur; præter Macrianenſe, Septimunicenſe, Tuſduritanum, Thenitanum, laudata unu cum uliis u Ferrando Diaconu; quorum canones in auctoritatem recepti erant pro regimine univerſæ Eccleſiæ Africanæ.

VII. Sane plurimos couventus Carthagine habitus conſtat ob negutia emergentia, ſeu adverſus paganos & Donatiſtas, quorum cauſſa legatio ad comitatum Principis vel etiam ad ſedem apoſtolicam ſuſcipienda erat, ſeu ob Epiſcoporum inter ſe controverſias & inferioris gradus clericorum judicio canonico finiendas. In ſingulis illis Conciliis non ſunt editi canones, ſed in quibuſdam. Quæ ubſervatio ut certa, itu ad diſcuſſionem corum quæ ſequuntur valde conducibilis.

VIII. Quæ diſceptatio ut urdine procedat, brevem ſummam pruponemus Conciliurum a catholicis Carthagine habitorum. Donatiſtarum enim conventicula hac nos in parte non tangunt. Deinde quæ canones Concilia ediderint, a reliquis ſecernemus. Unde patebit ratio quam vetus collectiu ſecuta eſt in Conciliis Carthaginienſibus ex ordine digerendis.

Cypr. in epiſt. ad Quirinum. Auguſt. lib. 4. de baptiſ. c. 5.

Vetuſtiſſima ſynodus Carthaginienſis eſt illa quam habuit Agrippinus ejus urbis Epiſcopus, de baptiſmo hæreticorum, anno CCXVII. cujus meminere Cyprianus & Auguſtinus.

Temporibus Cypriani, in Labeſitana colouiu, Privatus hæreticus, nonaginta Epiſcoporum ſententia condemnatus, facit ut Labeſitanum Concilium heic adſcribamus, ex Cypriano iu epiſtola ad Cornelium, anno CCXLII.

Sed facultate conveniendi data, frequentes Carthagine & alibi, ſed illic præcipue, habuit ſynodos Cyprianus, ut docet in ſuis epiſtolis: quas ſynodos heic tantum indicamus.

I. De pace lapſis pœnitentibus danda anno CCLIV. *Cyprianus lib. 4. epiſt. 21.*

II. Ob quæſtionem eamdem, in cauſſa Feliciſſimi & Novatiani, anno CCLV. Exſtat apud Cyprianum epiſtola ſynodicu ad Cornelium Papam.

III. De baptizandis infantibus unte octavum diem unno CCLVII. *Epiſtola ſynodica ad Fidum, apud Cyprianum.*

IV. De admittendis ud pœnitentiam libellaticis anno CCLVIII. *Cyprianus lib. 1. epiſt. 4.*

V. VI. VII. De baptiſmo hæreticorum non admittendo, Concilium primum, & ſecundum; dein tertium univerſale ex provincia Africa, Numidia, & Mauritania unno CCLVIII. cujus acta habentur upud Cypriauum & Auguſtinum.

Poſt tempora Cypriani, primum quod deprehenditur Concilium Carthaginienſe eſt illud quod Gratus Epiſcopus, e Concilio Sardicenſi redux, ſatis frequentem coegit poſt legationem Paulli & Macarii miſſam a Conſtante Imp. in Africam ad mulliendos ſchiſmaticorum animos circa annum CCCXLIX. ubi quatuordecim canones editi ſunt.

Sequitur Concilium Carthaginienſe ſub Genetlio ejus urbis Epiſcopo, Valentiniano Aug. & Neoterio Coſſ. unno CCCXC. ubi XIII. canones conſtituti ſunt.

(A) Quæ vero ſequuntur, habita ſunt ſub Aurelio Carthaginis Epiſcupo.

Hipponenſe, Theodoſiu III. & Abundantio Coſſ. VIII. Idus Octobr. anno CCCXCIII. in quo canones XLI. editi ſunt.

Carthaginienſe, Arcadio III. & Honorio II. Coſſ. VI. Kalend. Julias, anno CCCXCIV.

Carthaginienſe, Cæſario & Attico Coſſ. V. Kal. Septembris anno CCCXCVII. in quo canunes XLIX. publicati ſunt.

Carthaginienſe, Cæſario & Attico Coſſ. VI. Kal. Julias.

Carthaginienſe, Honorio Auguſto IV. & Eutychiano Coſſ. VI. Idus Nuvembris, anno CCCXCVIII. ubi (B) CIV. canones de myſtica Eccleſiæ diſciplina ſtatuti ſunt.

Carthaginienſe, poſt conſulatum Honorii IV. & Eutychiani, V. Kal. Maias, annu CCCXCIX.

Carthaginienſe, poſt conſulatum Flavii Stiliconis, XVI. Kalend. Julias, anno CCCCI. ubi novem capitula definita ſunt.

Carthaginienſe, Vincentiu & Flavitu Coſſ. Idibus Septembris, anno CCCCI. cum vinginti capitulis.

Milevitanum I. Arcadio & Honoriu V. Coſſ. VI. Kal. Septembr. unno CCCCII. cum quinque capitulis.

Carthaginienſe, Theodoſio Auguſto & Rumorido Coſſ. VIII. Kal. Septembris, anno CCCCIII. cum (C) octo capitulis.

Carthaginienſe, Honorio Auguſto VI. Coſ. VI. Kalend. Julias, anno CCCCIV.

Carthaginienſe, Stilicone II. & Anthemio Coſſ. X. Kal. Septembr. anno CCCCV.

Carthaginienſe, Honorio VII. & Theodoſio II. Coſſ. Idibus Junii unno CCCCVII. cum ſedecim capitulis.

Carthaginienſe, Baſſo & Philippo Coſſ. XVI. Kalend. Julias.

Carthaginienſe, iiſdem Conſulibus, III. Idus Octobris.

Carthaginienſe, Honorio VIII. & Teoduſio III. Coſſ. XVII. Kal. Julii, annu CCCCIX.

Carthaginienſe, poſt conſulatum Honurii VIII. (D) & Theodoſii III. XVIII. Kalendas Julias anno CCCCX.

Carthaginienſe, Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. Kal. Maii, unno CCCCXVIII. ubi conſtituti ſunt canunes XIX.

Carthaginienſe, poſt conſulatum Hunorii XII. & Theoduſii VIII. V. Kal. Julias, anno CCCCXIX. quod canones XXXIII. conſtituit.

Carthaginienſe, poſt conſulatum Honorii XII. & Theoduſii VIII. III. Kal. Junias; ubi editi ſunt ſex canunes.

IX. Concilia iſthæc & canones ab eis promulgati ſine dubio nus laterent niſi veterum collecturum diligentia factum eſſet ut iis Eccleſia non careret. Duo ſunt qui olim ſtudioſe in eam curam cogendi hos (E) canones in unum corpus incubuerunt. Alter eſt antiquus ille collector, qui ex mandato Leonis priori collectioni uperam dedit. Alter vero Dionyſius; qui privato labore, amicorum precibus excitatus, ſuum codicem dedit Africanis canonibus auctum. Vetus ille aliqua in parte eſt accurutior Dionyſio, in aliis vero ab iſto ſuperatur. Etenim antiquus exhibet canones Conciliorum ſub Grato & ſub Genetliu, qui deſunt in collectione Dionyſii. Habet præterea canones omnium Conciliorum quæ coacta ſunt ſub Aurelio; etſi in Conciliis illis ab invicem ſecernendis non pari induſtria laboraverit ac fecit Dionyſius: quamvis huic quoque ſuæ non deſint hallucinationes. Ex utriuſque auctoris collatione ple- (F) nam & integram veterum Carthaginienſium Conciliorum cognitionem adipiſcetur lector; quæ ſincera ex omnibus partibus u ſingulis hauriri non poteſt: quod manifeſtius patebit ex utriuſque diſcrimine quod ſtatim adnotabimus.

X. Uterque ſane Africanos canones depromſit ex actis Concilii Carthaginienſis habiti ſub Aureliu anno CCCCXIX. quod vocant ſextum, ubi interſuit legatiu Eccleſiæ Romanæ. Fauſtinus quippe Potentiuus Epiſcopus in Italia, miſſus in Africam u Zoſimo Papa una cum Aſello & Philippo Presbyteris Eccleſiæ Romanæ collegis ſuis, ut componeret con-

troverſiam motam de appellationibus Epiſcoporum ad Romanam ſedem admittendis juxta Nicænos canones, quos proferebat, (Africanis Epiſcopis cauſſantibus canones illos dubios eſſe, nec haberi in exemplaribus ejus ſynodi quæ ſecum Cæcilianus Epiſcopus Carthaginienſis detulerat) occaſionem dedit ut in plenaria illa ſynodo canones Nicæni juxta fidem exemplaris illius recitarentur, & canones omnes poſt illa in Africanis Conciliis editi; quæ omnia geſtis illius Concilii inſerta ſunt. Ubi obſervandum eſt, non ſolos canones editos in Conciliis habitis ſub Aurelio tunc recitatos & relatos in acta, ſed præterea illos omnes qui a deceſſoribus Aurelii promulgati erant. Quod apertiſſime oſtendunt Aurelii verba in actis illius Concilii: *Nunc patimini exemplaria ſtatutorum Nicæni Concilii, ſed & quæ heic ſalubriter a noſtris deceſſoribus ſecundum ejuſdem Concilii formam, vel quæ nunc a nobis ordinata ſunt, recitari & geſtis inſeri. Omne Concilium dixit. Exemplaria fidei & ſtatuta Nicænæ ſynodi, quæ ad noſtrum Concilium per beatæ recordationis olim prædeceſſorem tuæ ſanctitatis, qui interfuit, Cæcilianum Epiſcopum allata ſunt, ſed & quæ patres exemplaria ſequentes heic conſtituerunt, vel nunc communi tractatu ſtatuimus, his geſtis eccleſiaſticis inſerta manebunt.*

XI. Itaque oportuit ex iſta definitione ut ſtatuta præcedentium Conciliorum, non ſolum quæ ſub Aurelio, ſed etiam quæ ſub deceſſoribus ejus coacta erant, recitata primum, in hujus acta Concilii deinde referrentur poſt canones Nicænos. Sane exemplaria Nicæni Concilii a Cæciliano allata, id eſt, fidei profeſſio, & viginti canones ex verſione Teilonis & Thariſti Conſtantinopolitani inſerta ſunt actis Concilii ſexti; ut patet ex veteri noſtra collectione. Dionyſius quoque id obſervavit in ſuo codice: *Statuta quoque Nicæni Concilii in xx. capitulis ſimiliter recitata ſunt, ſicut in ſuperioribus inveniuntur adſcripta.* Intelligit Dionyſius canones Nicænos locatos in capite ſuæ collectionis: qui tamen aliis verbis ſunt concepti, id eſt, ſuis a Dionyſio novo interprete, non autem Teilonis & Thariſti verbis expreſſi; qua interpretatione careremus niſi conſervata fuiſſet in veteri collectione; quæ aliam quoque præ ſe fert in capite collectionis, nempe antiquam quæ in uſu erat in Eccleſia Romana.

XII. Poſt Nicænos canones actis inſerta ſunt quæ ab Aurelii deceſſoribus ſtatuta fuerant, id eſt, a Grato & a Genetlio Carthaginienſibus Epiſcopis, deinde quæ Aurelius in variis Conciliis Africanis definierat, & in illo ultimo quod tunc gerebatur.

XIII. Quare Dionyſii adnotatio quæ inſerta eſt poſt xxxII. canonem Concilii Carthaginienſis ante ceteros Africanos, caute accipienda eſt. *Recitata ſunt*, inquit, *etiam in iſta ſynodo diverſa Concilia univerſæ provinciæ Africanæ tranſactis temporibus Aurelii Carthaginienſis Epiſcopi celebrata.* Sunt illa quidem recitata; ſed præterea relecta ſunt & geſtis inſerta quæ celebrata ſunt ſub deceſſoribus Aurelii, ut ſuperius oſtendimus.

XIV. Is autem ordo ſervatus eſt ut ſtatim poſt recitata capitula ſynodi Nicænæ, ſextum Concilium Carthaginienſe ſuos canones ediderit, quos Dionyſius exhibet numero xxxIII. quorum primus quod aſſerimus, oſtendit manifeſte. *Aurelius Epiſcopus dixit. Hæc ita apud nos habentur exemplaria ſtatutorum quæ tunc patres noſtri de Concilio Nicæno ſecum detulerunt; cujus formam ſervantes, hæc quæ ſequuntur conſtituta, firmata a nobis cuſtodiantur.* Canones iſti Concilii ſexti Carthaginienſis abſunt a veteri collectione; quoniam ex Conciliis ſub Grato, ſub Genetlio, & ex Hipponenſi, quibuſdam aliquando receiſis & mutatis, conflati ſunt. Eos autem debemus diligentiæ Dionyſii.

XV. Enimvero cum Africanorum canonum corpus geſtis Carthaginienſis ſexti inſertum eſſet, & geſta illa integra a Legatis Romam delata fuiſſent ad Bonifacium Papam, ut docet diſerte epiſtola Concilii ad illum data; hinc factum ut quo tempore receptæ & publicatæ ſunt auctoritate apoſtolica ſynodi diœceſeon orientalium, eadem auctoritate adjuncti illis fuerint canones Conciliorum Africæ, quæ una erat ex diœceſibus occidentis. Quæ quidem Concilia ad Romanum Pontificem traſmiſſa, poſt cauſſæ cognitionem, retenta ſedis dignitate, firmari poterant; omiſſis & mutatis quibuſdam, quæ collector ex auctoritate ſibi delegata Eccleſiæ univerſæ commoda judicavit, ut ſtatim patebit.

XVI. Ceterum cum ſint Concilia duodecim, in quibus conſtituta ſunt capitula, ſive canones, eorum numerum ad octo Concilia redegit collector vetus; cujus inſtituti ratio reddetur inter recenſendum Concilia illa ex quibus canones ſuos hauſit.

XVII. Aliam rationem ſecutus eſt Dionyſius; quippe qui ſola ſub Aurelio habita Concilia in collectione ſua retinuerit, commemoratis illis quoque Conciliis ubi canones editi non fuerant; adſcriptis canonibus ſuæ quibuſque ſynodo ut plurimum. Aliquando enim ab eo peccatum hac in parte docebimus, tum etiam in eo quod ſynodi quartæ canones integros omiſerit, quemadmodum etiam Concilia ſub Grato & ſub Genetlio, eorumque canones.

XVIII. Unde patet graviter falli virum eruditum Chriſtophorum Juſtellum, qui in præfatione ſua ad codicem canonum Eccleſiæ Africanæ contendit collectionem illam, prout extat apud Dionyſium, in Concilio Carthaginienſi probatam & confirmatam, in acta dein relatam fuiſſe; quam poſtea Dionyſius Exiguus ſuæ collectioni inſeruerit, & primus in occidente evulgaverit. Compendium enim illud Conciliorum Africanorum eſt a manu Dionyſii; cum Concilia integra geſtis Carthaginienſis Concilii ſexti inſerta fuerint, ut jam monui.

XIX. Ejus compendii auctorem præſto Dionyſium; ut conſtabit lectori, ſi expendat quod ſuperius obſervavi de verſione canonum Nicænorum, quæ quidem inſerta fuit actis, prout elucubrata fuerat a Teilone & Thariſto Presbyteris, atque Cæciliano tradita; ut docet vetus collectio, cujus antiquitas ex eo nomine commendatur. Dionyſius autem verſionem illam penitus omiſit; ſuamque, quam novam cudit, in capite collectionis ſuæ poſuit, ad quam referuntur verba illa ſuperius laudata: *Statuta quoque Nicæni Concilii in xx. capitulis ſimiliter recitata ſunt, ſicut in ſuperioribus inveniuntur adſcripta.* Hæc adnotatio tribui non poteſt Africanis patribus, qui octoginta & amplius annis Dionyſii tempora antecedebant; ſed ipſi Dionyſio, qui canones Nicænos ex ſua interpretatione ſignificat.

XX. Quo etiam alludit hæc ejuſdem collectoris adnotatio, poſt relatas Cyrilli Alexandrini & Attici Conſtantinopolitani ad Africanos epiſtolas, una cum exemplaribus Concilii Nicæni e Græco verſis per Innocentium Presbyterum & ad Bonifacium Papam miſſis a Carthaginienſi ſynodo: *Hinc ſymbolo fidei etiam exemplaria ſtatutorum ejuſdem Concilii Nicæni a memoratis Pontificibus annexa ſunt, ſicut ſuperius per omnia continentur; quæ nos heic iterum conſcribi neceſſarium non eſſe credimus.* Ex quo etiam patet hunc ſcriptorem hominem eſſe privatum, qui geſta a Pontificibus refert. Sane privatum eſſe & nulla publica auctoritate fultum qui hoc compendium digeſſit in ordinem ex eo etiam patet, quod de ſe veluti ſtudioſorum anteceſſore loquatur in Concilio habito anno cccc v. Stilicone II. & Anthemio Coſſ. *Hujus concilii geſta ideo non ex integro deſcripſi, quoniam magis ea quæ in tempore neceſſaria fuerunt quam aliqua generalia conſtituta ſunt, ſed ad inſtructionem ſtudioſorum, ejuſdem Concilii brevem digeſſi.*

XXI. Fulgentius Ferrandus Diaconus Eccleſiæ Carthaginienſis, qui vixit Juſtino imperante, Breviationem canonum inſtituit ante Dionyſium, ubi ſynodos orientales auctoritate Leonis Papæ jam in occidente receptas, Nicænam, Ancyritanam, Neocæſarienſem, Gangrenſem, Antiochenam, & Laodicenam laudat, & Sardicenſem, dein Carthaginienſes ſub Grato & ſub Genetlio, ceteras quoque ſuis titulis diſtinctas; quæ ſine dubio charactere quodam temporis apud eum auctorem ab invicem erant diſcretæ, ſed incuria librariorum, Conſulum notæ perierunt. Attamen expenſis cum cura quos citat titulis Conciliorum, cognitionem adepti ſumus eorum ad quæ ſinguli pertinent: quamvis in quibuſdam numerorum fides vacillet, ut mox oſtendemus.

Præ-

Digitized by Google

Præter eas vero ſynodos Carthaginienſes quas exhibent quoque vetus collectio & Dionyſiana, alias profert quarum auctoritas recepta erat in Africa, ut Zellenſem ſive Teleptenſem, Septimunicenſem, Macrianenſem, Mazarenſem, Juncenſem, Tuſduritanam, Thenitanam, & Hipponenſem ſecundam, immo vero & Carthaginienſem quamdam aliis collectoribus incognitam. Quod autem Concilii Carthaginienſis quarti canones nullos producat, non debet cuiquam mirum videri: quoniam de diſciplina tantum exteriori in ſuo canonum Breviario tractat, omiſſis iis quæ fidem & dogmata ſpectant; ut factum ab illo eſt in capitulis novem quæ de gratia Dei definita ſunt in Concilio Carthaginienſi anno CCCCXVIII. quamvis ejuſdem Concilii canones de diſciplina editos citet. Statuta itaque Concilii quarti, quæ ordinationum myſteria & formulas graduumque atque ordinum varias functiones reſpiciunt, juxta inſtituti ſui rationem Ferrandus prætermittere debuit. Illud unum me habet anxium, cur in ſua Breviatione de canonibus Chalcedonenſis Concilii tacuerit: qui recepti cum fuiſſent ab Eccleſia Romana, valere quoque debebant in Africa, quæ flagrantibus Concilii Chalcedonenſis propugnatoribus abundavit, & inter eos præcipue Facundo Hermianenſi Epiſcopo, cujus exſtant libri duodecim de tribus capitulis ejus Concilii in controverſiam adductis tamporibus Juſtiniani, quæ tamen auctor ille vehementi oratione tuetur; licet poſtea in Quinta ſynodo damnata fuerint.

CAPUT V.

Ordo Conciliorum Africæ in veteri collectione.

I. NUnc ſpecialiter conſideranda ſunt ea Concilia ex quibus compacta eſt vetus collectio. Statim occurrit Concilium Cartbagine habitum ſub Grato illius urbis Epiſcopo, in quo omnium primo canones conſtituti ſunt: unde dicitur eleganter in collectione illa *Concilium Carthaginienſe primum*.

II. Secundum ordine eſt Concilium ſub Genetlio: cujus nomen perperam ſcribitur in editis *Gemedias pro Genetlio*, ut habet Ferrandus & veteres manuſcripti codices. De iſtius Concilii veritaie nul lus ſupereſt dubitandi locus, cum & in collectione veteri exhibeatur, & ex eo plures canones citet Ferrandus. Juſtellus tamen ait falſum & fictum omnino eſſe: quod probare tentat, quia conveniſſe dicitur in præfatione Valentiniano Auguſto IV. & Theodoſio Conſulibus. Nuſquam enim, inquit, Valentinianus cum Theodoſio, ſed cum Neoterio anno CCCXC. conſulatum geſſiſſe reperitur. Quod ſane notum eſt. Sed id ſolum evincit, errorem in nomen Theodoſii exſcriptorum vitio irrepſiſſe, legendumque *Neoterium*, ut habeamus par Conſulum illius anni.

III. Addit, Alypium Tagaſtenſem Epiſcopum, qui hac in ſynodo interloquitur, non niſi quatuor annis poſt prædictorum conſulatum ordinatum fuiſſe Epiſcopum, ut obſervat Baronius ex Auguſtino & Hieronymo: quo argumento cum ipſe quoque Baronius utatur, illud ſtatim diluemus. Sane Baronius mitius agit cum hoc Concilio, quod gradu ſolum movendum putat, & poſterius eſſe Conciliis omnibus quæ ab Aurelio Carthaginienſi habita ſunt; qui quidem, velut emeritus, ſucceſſorem ſibi deſignarit Genetlium: unde factum ut in actis ejus Concilii Genetlii & Aurelii mentio injiciatur, ac ſi uterque ſynodo præeſſet; ille ut actu Epiſcopus, alter ob dignitatem retentam, cum tamen certum ſit vice verſa Aurelium ſucceſſiſſe Genetlio. Probat autem ſententiam ſuam ex eo quod Valentinus Numidiæ Primas huic ſynodo interfuerit, qui fuit Xantippi ſucceſſor. Porro Xantippus Milevitano Concilio præſens aderat anno CCCCII. ante quod tempus Carthaginienſe tertium quod vocant, quartum, & quintum habita fuerant. Ergo ſecundum dici non poteſt in quo Valentinus Xantippi ſucceſſor interfuit. Huic argumento aliud addit, nempe canone ſecundo hujus Concilii citari canonem XXXVII. collectionis Dionyſianæ, *de continentia clericorum*, qui petitus eſt ex Concilio habito anno CCCCI. & canone tertio laudari canonem *de chriſmate, reconciliatione pœnitentium, & puellarum conſecratione*, qui exſtat in Concilii ſexti canone decimo.

IV. His difficultatibus ut ſatisfiat, obſervandum eſt canones Concilii Carthaginienſis ſexti petitos eſſe ex variis Conciliis prioribus, nempe ex Concilio ſub Grato canonem quintum, ex Carthaginienſi tertio pleroſque, & ex ſynodo ſub Genetlio canones II. III. IV. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. & XIII. iiſdem quandoque verbis, aliquando vero paulliſper mutatis. Unde accidit ut interlocutiones Epiſcoporum, quæ tribuuntur recte Aurelio, Alypio, Numidio, & aliis in Concilio ſexto, in quod canonum ſub Genetlio verba transſcribuntur, fuerint deinde inter exſcribendum, librariorum vitio, retentæ in actis Concilii ſub Genetlio ſub nominibus eorumdem Epiſcoporum; qui alii erant in vero exemplari illius Concilii ſub Genetlio, ut ſtatim patebit.

V. Interim ut tota res ſit adhuc apertior, canones editi a Concilio ſub Genetlio, quos habet Ferrandus, heic proponendi ſunt, & reliqui expendendi: unde conſtabit vetuſtas hujus Concilii præ ceteris habitis ſub Aurelio; tantum abeſt ut ſit ultimum, quemadmodum ſibi perſuaſerat Baronius. Tum etiam manifeſtum fiet diſcrimen iſtius Concilii a ſexto; quod tamen a priore pleraque mutuatum eſt, ut dixi. Denique quid ſignificetur per *præteritum Concilium* in canone II. & III. ſub Genetlio. Sicque Baronii argumentis reſpondebitur.

VI. Quatuor hujus Concilii canones citat Ferrandus in Breviario, quartum, octavum, nonum, & decimum. Quarti canonis compendium hoc eſt apud illum auctorem numero CXCIV. *Ut qui aliquibus ſceleribus irretitus eſt, vocem accuſandi non habeat. Concilium Carthaginienſe ſub ſancto Genetlio tit.* IV. *Concil. Carthag. tit.* VI. *Hoc & in Concilio Thenitano ſtatutum eſt.* Ex collatione iſtorum canonum patet duo fuiſſe Concilia Carthaginienſia quæ criminoſos ab accuſatione ſummoverunt; alterum ſub Genetlio, idque prius, ut docet ordo ſcripturæ, & alterum Carthaginienſe: quod congruit cum antiqua collectione; ubi res eadem ſancitur in Concilio ſub Genetlio tit. VI. & præterea apud Dionyſium in Carthaginienſi ſub Aurelio, quod vocant ſextum, tit. VIII. Ubi diligenter obſervandum eſt, hunc canonem editum in Concilio ſub Genetlio teſte Ferrando, & in Carthaginienſi ſexto, eodem teſte; in utroque fieri ad ſuggeſtionem Numidii, Aurelio interloquente & Præſidis munus exercente: quod ut conveniat Concilio ſexto, non poteſt convenire Concilio ſub Genetlio. Quare dicendum, canonis verba deprompta quidem a patribus Concilii ſexti ex Concilio ſub Genetlio, ſed a librariis transſcribentibus vices mutatas, & Epiſcoporum nomina ex Concilio ſexto in hoc translata, quod caput probandum ſumſeramus. Idem error pervaſit canones VII. X. & XI. Concilii ſexti, qui reſpondent canonibus IV. & VIII. Concilii ſub Genetlio, ubi fit mentio Alypii & Valentini.

VII. Tituli octavi lemma hoc eſt num. LV. apud Ferrandum: *Ut Epiſcopus ſi cauſſam habuerit, a duodecim Epiſcopis audiatur. Concilium Carthaginienſe ſub ſancto Genetlio tit.* VIII. Et de Presbyteris numero XCVI. apud eumdem: *Ut Presbyter qui reatum incurrerit, a ſex vel a ſeptem Epiſcopis audiatur. Concil. Carthagin. ſub antiſtite Genetlio tit.* IX. in collectione veteri can. X. ad ſuggeſtionem Felicis Epiſcopi Selemſelitani: quæ repetita ſunt iiſdem verbis in Carthaginienſi ſexto ſub Aurelio; demta tamen iſthac clauſula, quæ eſt in illo ſecundo: *Genetlius Epiſcopus dixit: Quid ad hoc dicit ſanctitas veſtra? Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, a nobis veterum ſtatuta debere ſervari.* Unde manifeſte patet hunc canonem e Concilio ſub Genetlio translatum fuiſſe in Concilium ſextum, ut nos toties diximus.

VIII. Ad rem ipſam quod attinet, numerus duodecim Epiſcoporum ad judicandum Epiſcopum conſtitutus fuerat a Concilio ſub Grato can. XI. ſex in judicio Presbyteri, trium autem in cauſſa Diaconi. Quare non inutiliter in Concilio ſub Genetlio ad-

ditum eſt illud conſtitui *juxta veterum canonum ſtatuta*. Quod iterum confirmatum fuit canone VIII. Concilii Carthaginienſis tertii, qui repetitus eſt in canone XX. Concilii Carthaginienſis ſexti, explicata phraſi quæ in præcedenti Concilio obſcurior videbatur. Dicto enim canone VIII. ſtatuitur quod ſi Presbyteri vel Diaconi fuerint accuſati, adjuncto ſibi ex vicinis locis legitimo numero collegarum, id eſt, in Presbyteri nomine quinque, in Diaconi duorum, Epiſcopi ipſorum cauſſas diſcutiant. Quem loquendi modum retinuit Ferrandus num. LI. *Ut Epiſcopus accuſatos Presbyteros convocatis quinque Epiſcopis audiat*. Quod ita enuntiatur in dicto canone XX. Concilii Carthaginienſis ſexti, ut ſententia prioris canonis explicetur. Ait enim vicinos Epiſcopos petendos & eligendos ab accuſatis, & debere eos eſſe numero ſex, una cum proprio Epiſcopo, in Presbyteri nomine, & in Diaconi tres.

IX. In Concilio ſub Genetlio conſtitutum docet Ferrandus numero XXIV. *Ut nullus Epiſcopus plebem alienam uſurpet. Concil. Carthagin. ſub ſancto Grato tit. XI. Concilium Carthagin. ſub antiſtite Genetlio tit. IX. Concil. Carthagin. III.* v. Canon iſte nonus eſt undecimus numero in collectione veteri; editus ad ſuggeſtionem Victoris Epiſcopi. In Concilio ſexto ſub Aurelio canone v. quem laudat Ferrandus, ad relationem Aurelii de avaritiæ variis capitibus cavetur; inter cetera generaliter, *ne quis alienos fines uſurpet*. Unde patet diſcrimen utriuſque Concilii, & prius eſſe Concilium ſub Genetlio quam Carthaginienſe ſub Aurelio.

X. Eadem differentia & antiquitas magis elucet ex titulo X. quem laudat Ferrandus numero IV. *Ut Epiſcopus a tribus ordinetur, conſentientibus aliis per ſcripta, cum confirmatione Metropolitani vel Primatis. Concil. Carthag. ſub antiſtite Genetlio tit. X. Concil. univerſale Carthagin. tit* XLIV. Sane conſenſus & præceptum Primatis diſerte requiritur & numerus trium ſacerdotum in ordinando Epiſcopo, ex definitione canonis XII. ſub Genetlio in editis, qui ad ſuggeſtionem Numidii Maſſulitani conſtitutus eſt. Quæ ſententia brevioribus verbis, referente Aurelio, expreſſa eſt canone XIII. Concilii Carthaginienſis ſexti, licet decretum iſtud & interlocutio diſerte tribuatur Genetlio in ſuperiori Concilio. Quo exemplo docemur Aurelii interlocutiones inſertas actis Concilii ſub Genetlio corrigendas eſſe & tribuendas ipſi Genetlio, non autem Aurelio, qui nondum erat Epiſcopus.

XI. Ea omnia docent apertiſſime diſcrimen Concilii ſub Genetlio a ceteris Africanis & illius vetuſtatem; quamvis canones aliquot ex eo tranſcripti ſint in Concilium Carthaginienſe ſextum ſub Aurelio, iiſdem quandoque verbis; quandoque vero illorum ſententia ſola, ut ſuperius dixi & probavi. Quod accidit quoque in ſecundo canone Carthaginienſis ſexti; qui, demta præfatione quæ eſt in Concilio ſub Genetlio, tranſcriptus eſt e primo capitulo illius Concilii; nempe, ut Trinitas credatur & prædicetur.

XII. Canon tertius & quartus ejuſdem Concilii ſexti, *de continentia ſacerdotum*, quorum primus Aurelio ſuggerente conſtituitur, & alter Fauſtino quoque interloquente, deſumti ſunt ex canone ſecundo ſub Genetlio; ubi Aurelius interloquens introducitur, ſed de Fauſtino tacetur; quæque in ſexto Concilio, Fauſtino Legato Romanæ ſedis tribuuntur, in Concilio habito ſub Genetlio univerſis Epiſcopis adſcribuntur. Unde fit manifeſtum Concilium ſub Genetlio vetuſtate præcedere aliud, quod ex priore locupletatur. Quod autem conſtituitur de ſacerdotum continentia, juxta *præteriti Concilii* definitionem, ut ajunt, intelligendum eſt de Concilio habito ſub Siricio ſtatim poſt epiſtolam ſynodicam Concilii Romani ad Africanos directam poſt conſulatum Arcadii Auguſti & Brutonis, id eſt, anno CCCLXXXVI. ubi cavetur ſpecialiter de ſacerdotum abſtinentia ab uxoribus, ut docui libro I. *de Concordia ſacerdotii & imperii* cap. VIII. §. IV. Quare fallitur Baronius, qui canone illo ſecundo laudari putat canones Concilii Carthaginienſis ſexti.

XIII. Sextus canon *de chriſmate, reconciliatione pœnitentium, & puellarum conſecratione* a Presbyteris non agenda, ad ſuggeſtionem Fortunati, rogante ſententias Aurelio, iiſdem verbis exhibetur in canone tertio Concilii ſub Genetlio. In quo ſine dubio eſt hallucinatio exſcriptoris, qui canonem Concilii ſexti adſcripſit Concilio ſub Genetlio; in quo ea de re nihil ſtatutum fuit, ſed in Carthaginienſi tertio can. XXXI. & XXXVI. quod præteritum Concilium dicitur in canone illo ſexto. Sane Ferrandus numero XCI. utitur in hac re ſolo teſtimonio Carthaginienſis tertii; *Ut Presbyter inconſulto Epiſcopo virgines non conſecret; chriſma vero nunquam conficiat. Concil. Carthagin. tit.* XLI.

XIV. Vetuſtas quoque Concilii iſtius ſub Genetlio deprehenditur ex canone quinto, ubi ad ſuggeſtionem Felicis Selemſelitani, interloquente Genetlio, definitum eſt ut diœceſes quæ numquam Epiſcopos habuerunt, non habeant, niſi ex conſenſu proprii Epiſcopi. Quæ definitio deinde confirmata eſt in canone XLII. Concilii tertii, ubi habetur illud in multis Conciliis jam fuiſſe conſtitutum: quibus verbis Concilium ſub Genetlio, inter cetera, indicatur. Hæc ſententia dein aucta eſt, requiſito tamen conſenſu Primatis & Concilii Carthaginienſis habiti anno CCCCVII. qui relatus eſt in collectione Dionyſii.

XV. Aliud quoque ſuggerente eodem Felice, & interloquente Genetlio, conſtitutum eſt canone ſeptimo, nempe ut Epiſcopus ille excommunicetur qui ab alio excommunicatum ſuſceperit: quod in nullo poſteriore Concilio inſertum eſt. Et canone nono ad ſuggeſtionem Numidii ſtatuitur, *ut Presbyter inconſulto Epiſcopo in quolibet loco agenda non audeat celebrare*: quod exſtat apud Ferrandum numero XC. ex Concilio Carthagin. tit. VII. ubi deeſt ſine dubio nota quam addit alibi, nempe ex Concilio ſub Genetlio. Tandem Genetlius Concilium ſuum claudit ſanctione iſta; ut quæ ſtatuta ſunt ab eo glorioſiſſimo cœtu cuſtodiantur, & qui ſubſcriptionem ſuam violaverit, deponatur.

XVI. Poſt ſynodum habitam ſub Genetlio, Concilium univerſale omnium provinciarum Africæ coactum eſt in Hipponenſi civitate ſub Aurelio, Theodoſio Auguſto III. & Abundantio Coſſ. id eſt, anno CCCXCIII. ut adnotavit Dionyſius in collectione. Quadraginta canones & unum conſtituit, qui deinde recenſiti ſunt in Concilio Carthaginienſi tertio: de quo ſtatim.

XVII. Sequitur plenarium Africæ Concilium, quod Cæſario & Attico Coſſ. v. Kalendas Septembris Carthagine habuit Aurelius, id eſt, anno CCCXCVII. Ubi breviarium canonum, quod a Byzacenis Epiſcopis excerptum erat de Hipponenſi Concilio, quodque ad Aurelium tranſmiſerant, recitatum eſt & probatum; ut patet ex interlocutione Epigonii canone primo iſtius Concilii Carthaginienſis apud Dionyſium, qui omiſſus eſt in veteri collectione. Quod breviarium poſtea remiſſum eſt ad univerſas provincias; ut compendio recenſentes Epiſcopi quæ ſtatuta ſunt, ea facilius memoria retinerent, & ſolicitius atque diligentius obſervarent. Exſtat epiſtola ſynodica cum abbreviationibus Concilii Hipponenſis in veteri collectione & tomo primo Conciliorum. Sed in eo non ſtetit patrum ſollicitudo. Quippe non contenti brevem canonum Hipponenſium per provincias traſmiſiſſe, canones ipſos accuratiori examine perpenſos in corpus Carthaginienſium canonum quos in eo Concilio ſtatuerunt, tranſtulere, additis quibuſdam quæ ad interpretationem vel ad novam definitionem pertinere videbantur. Unde in Concilii Milevitani præfatione hæc ſunt Aurelii verba, quibus confirmationem illorum capitulorum ab Epiſcopis exigit: *Quæ jam dudum vel in Hipponenſi ſynodo firmata ſunt, vel poſtmodum meliore conſilio apud Carthaginem definita, nunc quoque nobis ex ordine recitentur*.

XVIII. Hinc factum ut numerus canonum hujus Concilii Carthaginienſis in quinquaginta excreverit, comprehenſis in ſumma uno & quadraginta Hipponenſis Concilii. Hoc eſt quod vocatur Carthaginienſe tertium in collectione veteri, quæ quinquaginta canones exhibet, compactos, ut dicebam, ex Hipponenſibus inibi diligentius diſcuſſis & ex propriis: quorum magna eſſe debet auctoritas, cum fuerint probati a tribus plenariis Conciliis, Hipponenſi & Car-

Carthaginienſi, & demum a Milevitano. Eadem ratione quam vetus collector amplexus eſt, canones hujus Concilii laudantur a Ferrando Diacono ſub nomine Concilii Carthaginienſis, etiam illi quorum mentio in breviario Concilii Hipponenſis: quod ad faſtidium ex collatione variorum canonum probari poſſet. Sed ſufficiet illuſtre exemplum in canone de ſcripturis canonicis, quem tribuit Hipponenſi Concilio ejus breviarium; Ferrandus vero numero ccxxviii. tribuit Concilio Carthaginienſi tit. xlv. qui eſt xlvii. in edito Concilio Carthaginienſi tertio.

XIX. Laudantur quidem a Ferrando canones Concilii Hipponenſis, ſed alterius quam noſtri. Etenim canones quos ex eo Concilio per compendium profert, non pertinent ad noſtrum Hipponenſe. Quippe num. xxxiv. Ferrandus notat iſta: *Ut Epiſcopi ſive Presbyteri ea quæ ſunt in locis ubi ordinantur, ad alia loca non transferant, niſi cauſſas ante reddiderint. Concilium Hipponenſium tit.* v. Et num. xxxv. *Ut Epiſcopi quidquid nomine ſuo comparaverint, cogantur Eccleſiæ refundere; quidquid autem eis donatur, cui voluerint conferant. Concil. Hippon. tit.* viii. Item numero xxxviii. *Ut Epiſcopus matricis non uſurpet quidquid fuerit donatum Eccleſiis quæ in diœceſi conſtitutæ ſunt. Concil. Hippon. tit.* ix. Laudatur quoque idem Concilium a Ferrando numero liv. & num. xcv. Tum numero cxxxviii. *Ut accuſator, ſi in loco ubi eſt ille qui accuſatur, violentiam timuerit, locum ſibi proximum eligat.* Quorum omnium eſt altum ſilentium in Hipponenſi noſtro, ut patet ex illius breviario, immo & in Carthaginienſibus; præter titulum viii. qui videtur coincidere cum canone xlix Concilii tertii, quo Ferrandus utitur: quem maluit ex Hipponenſi ſecundo citare ob rei qua de agebatur continentiam quam ex Carthaginienſi tertio, ubi prius definitus erat; ut vel hinc pateat poſt omnia Carthaginienſia editum iſtud Hipponenſe ſecundum.

XX. Ceterum quod attinet ad canones Carthaginienſis tertii, ex eo Ferrandus laudat xlv. & vetus collectio eos omnes ad quinquaginta redigit. Quare caſtiganda potius quam laudanda eſt Dionyſii nimia diligentia, qui canones Hipponenſes a Carthaginienſibus diſtinxit, cum ſatius fuiſſet in unum corpus eos redigere, exemplo tum veteris collectionis, tum ipſius Ferrandi Diaconi Carthaginienſis. Sed toleranda eſſet hujuſmodi ἀκρίβεια, ſi puros Hipponenſes exhibuiſſet abſque mixtura, & Carthaginienſe ab iis ſecreviſſet. In quo dupliciter peccavit. Partem quippe Hipponenſium canonum, quos Aurelius ſelegerat ut ex eorum compage canones Concilii ſexti partim conficeret, in ſua collectione Dionyſius omiſit; quoniam in eo Concilio ſexto, a quo collectionem orditur, jam erant inſerti. Quæ ſententia eſt horum verborum in collectione Dionyſii agentis de Concilio Hipponenſi: *Geſta hujus Concilii ideo deſcripta non ſunt, quia quæ ibi ſtatuta ſunt, in prioribus inſerta ſunt*, id eſt, in Concilio ſexto, quod ordine antecedit. Atqui debuerat id obſervaſſe ſaltem, quinam canones pertinerent ad Concilium Hipponenſe, brevi eorum canonum vel eorum numero propoſito, ut diſtingui poſſent a ceteris Concilii ſexti.

XXI. Aliud eſt hominis erratum, quod Carthaginienſis Concilii ſub conſulatu Cæſarii & Attici, quod eſt tertium, canones cum diſerte exhibere ſe ſe profiteatur, aliquot tamen permiſcet qui ſunt meri Hipponenſes. Ejus rei periculum faciemus ex breviario Hipponenſi, ubi de filiis non facile emancipandis ab Epiſcopis & clericis canone xv. agebatur, qui ſecundus eſt Concilii Carthaginienſis apud Dionyſium. Ne in ſacramentis aliud offeratur præter panem & vinum aqua mixtum ſtatuit Hipponenſe Concilium num. xxv. quod Dionyſius adſcribit canoni iv. Carthaginienſis tertii. Ut Epiſcopi & clerici ad virgines & viduas ſoli non accedant cavet Hipponenſe num. xxvi. quod canoni quinto Carthaginienſi tribuit Dionyſius. Idemque erratum admittit in pleriſque aliis canonibus, ut in can. vi. vii. viii, ix. x. xi. xii. xiii. xiv. xv. qui omnes pertinent ad Hipponenſe Concilium, ut patet ex eorum breviario. Attamen quoniam probati & aucti in Carthaginienſi, rectius cum veteri collectione & Ferrando Carthaginienſi tertio omnia adſcri-

A bemus; omiſſa mentione Hipponenſis illius Concilii, quod transfuſum eſt in Carthaginienſe & ab eo penitus abſorptum.

XXII. Faceſſit tamen negotium in hoc Carthaginienſi tertio adnotatio quæ canoni xlvii. (ubi quænam ſcripturæ ſint canonicæ definitur) adjecta eſt his verbis: *Hoc etiam fratri & conſacerdoti noſtro Bonifacio vel aliis earum partium Epiſcopis pro confirmando iſto canone innoteſcat, quia a patribus iſta accepimus in Eccleſia legenda.* Bonifacius enim in pontificatum evectus fuit anno quadringenteſimo decimo octavo. Quare non potuit ejus mentio fieri in Concilio tertio, quod habitum fuit anno trecenteſimo nonageſimo ſeptimo. Unde ſequi videtur

B confuſa & permiſta omnia a veteri collectore, qui huic Concilio tertio tribuit canonem iſtum *de ſcripturis*, Concilio ſexto adſcriptum apud Dionyſium; ubi adnotatio illa de canone a Bonifacio confirmando inſerta eſt recte, juxta rationem temporis. Attamen, ut antea monui, cum canon iſte editus fuerit primum in Hipponenſi Concilio, dein a Carthaginienſi tertio firmatus, ipſo etiam Ferrando teſte; non eſt quod lis ulla moveatur adverſus fidem veteris collectoris: qui quidem canones Concilii ſexti cum omitteret, noluit tamen lectorem fraudari eleganti illa & neceſſaria definitione quæ in eo Concilio ſexto adjecta fuerat huic capitulo *de ſcripturis*, ſcilicet ea de re ad ſummum Pontificem referen-

C dum, ut auctoritate ſua canonem illum confirmaret. Quæ adnotatio recte congruit cum eo quod tunc gerebatur, quando ipſum Carthaginienſe tertium actis Concilii ſexti una cum aliis inſertum eſt & ad Bonifacium tranſmiſſum.

XXIII. Porro ex eo canone inſignis illa & eximia Romanæ ſedis auctoritas demonſtratur quam in communibus Eccleſiæ negotiis ordinandis poſſidebat. Licet enim canones univerſos ad Bonifacium ſynodus Africana tranſmitteret illius decreto vel ſilentio firmandos; at in gravi illo negotio de ſcripturarum canone ſpecialiter ejus auctoritatem imploravit, ut eum confirmaret. Quod a Pontifice in ſynodo Romana fieri debere, ex more in ceteris negotiis mi-

D noris etiam momenti jam recepto, noverant Africani. Ideo Bonifacium præ ceteris & nominatim, ſed alios quoque *earum partium*, id eſt, Italiæ ſive Romanæ ſynodi Epiſcopos conſulendos ſtatuunt. Itaque in veteri codice apud Binium, hujus adnotationis lemma ſic conceptum eſt: *De confirmando iſto canone tranſmarina Eccleſia conſulatur.* Unde patet Africanos patres latuiſſe conſtitutionem Innocentii primi; qui epiſtola quam dedit ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum Stilicone II. & Anthemio Coſſ. id eſt anno ccccv. eaſdem eſſe ſcripturas canonicas definierat quas complexi ſunt Africani iſto canone; & deinde, majorum exemplo, Tridentina ſynodus.

XXIV. Sane Judæorum canon anguſtior erat quam

E fuerit poſtea canon Eccleſiæ catholicæ; quæ procanonicis ſcripturis libros aliquot habuit quos Judæi in ſua notitia non deſcribebant, ut de libris Machabæorum diſerte docuit Auguſtinus. Inter ipſos quoque veteres Eccleſiæ Chriſtianæ magiſtros de quibuſdam libris controverſum fuit, non ſane an eorum lectio ad pietatem conduceret, ſed an pari auctoritate cum aliis cenſeri deberent: quod tandem his definitionibus Innocentii & Africani Concilii compoſitum eſt. Inde factum ut in collectione Dionyſii ultimus canon id eſt ſexageſimus Laodicenæ ſynodi deſideretur, in quo juxta ſententiam orientalium, veteris & novi teſtamenti libri canonici deſcribuntur, quoniam a definitione occidentalis Ec-

F cleſiæ diſcrepabat. Quam tamen regulam ſexageſimam vetus collectio non rejecit; quia in pleriſque illi conveniebat cum Romanæ & occidentalis Eccleſiæ uſu, qui canone Carthaginienſi explicatur.

CA-

CAPUT VI.

De ſynodo Africana habita Cæſario & Attico Coſſ.

I. SUpereſt ut diſcutiamus quæ ratio Dionyſium impulerit, ut duo nobis Concilia obtrudat habita Cæſario & Attico Conſulibus; alterum nempe ſexto Kalendas Julias, ubi conſtitutum ait, *ut nullus Epiſcoporum naviget ſine formata Primatis*; & addit, *Geſta in authenticis, qui quæret, inveniet*; alterum iiſdem Conſulibus v. Kalend. Septembris, ex quo plura capitula proponit. Attamen dubium non eſt quin hæc ſynodus una ſit, quam in duos conventus partitur: quoniam, ut diſcimus ex Aurelii interlocutione quam habuit v. Kalendas Septembris, Legati ex omnibus provinciis Africæ non advenerant ad diem præſtitutam Concilii; quidam vero diem Concilii prævenerant. Cum iſtis quædam tractavit Aurelius, quæ deinde in plenario Concilio relecta ſunt. Unde factum ut quædam capitula tribuat Dionyſius priori conventui, inter quæ illud obſervat de vetita navigatione abſque formata Primatis; reliqua vero ſecundo. Qui tamen duo conventus in unum Concilium tandem coaluere; adeo ut quæ in primo erant tractata, in ſecundo ſint relecta, & omnium Legatorum auctoritate definita. Quare vetus collector una cum Ferrando canones horum conventuum rectiſſime ſolo Concilii tertii nomine comprehendit: ubi canone XXVIII. in editis Epiſcopi prohibentur trans mare proficiſci inconſulto primæ ſedis Epiſcopo, ut ab eo formatam accipiant. Qui quidem tranſcriptus eſt in Concilium ſextum canone XXIII. paucis verbis tum additis, tum omiſſis. Sed eum Ferrandus citat ex Carthaginienſi tertio, ubi re vera eum quoque conſtitutum fatetur Dionyſius. Ait ergo Ferrandus numero XLVI. *Ut Epiſcopi ſine formata Primatis non navigent. Concil. Carthaginienſe tit.* XXXVI. Qui quidem titulus XXXVI. non ſolum accedit ad XXVIII. prout exſtat in editis Concilii Carthaginienſis tertii; ſed numerum XXIII. Concilii ſexti excedit, ubi hac de re conſtitutum; immo & omnium canonum ejus Concilii numeros ſuperat, qui XXXIII. comprehenſi ſunt.

II. Interim monendus eſt lector, in collectione Græca Conciliorum Africanorum ſeriem ſincerius conſervatam quam in editione Latina Dionyſii Exigui juxta editionem Moguntinam & Pariſienſem. Quippe allocutionem Aurelii habitam in Concilio ſub Cæſario ſtatim ſequuntur canones, quorum primus apud illum auctorem eſt ille *de probando breviario Hipponenſi*. In editione vero Latina, perverſo ordine, librariorum vitio, allocutionem Aurelii ſequitur Concilium habitum ſub conſulatu Stiliconis.

III. Illud quoque obſervandum eſt, aliquando ſinceriorem eſſe textum in collectione veteri quam in collectione Dionyſii: quod non eſt animus in quibuſque variis lectionibus perſequi, illuſtriora tantum diſcrimina adnotabo. In canone XXXIV. Concilii tertii recte legitur in veteri: *Ut ægrotantes, ſi per ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium, hi qui ſui ſunt, periculo proprio dixerint, baptizentur*. Cujus ſententiam ſic Ferrandus recte expreſſit num. CCII. *Ut ægrotantibus, quando loqui non poſſunt, ſi pro eis teſtimonium alii dixerint, baptiſmus non negetur. Concil. Carthagin. tit.* XLI. Apud Dionyſium, in editione Moguntina, canone XII. Concilii Africani: *Ut ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium hi qui ſuis periculo proprio aſſuere dixerint, baptizentur*. Hæc lectio ſapit gloſſema parum felicis critici, qui *periculo proprio* de periculo ægritudinis contrahendæ explicuit: quod pertinet ad fidem teſtium, qui periculo ſuo teſtantur, reddituri ſcilicet teſtimonii ſui rationem ſevero judici quem nihil latet eorum quæ geruntur. Et ſi enim legibus vetitum ſit ne domeſticorum teſtimonia admittantur, placuit tamen patribus ut ſuo periculo favore ægri reciperentur. Sincerior eſt lectio quam ex veteri codice Nicolai Fabri V. C. expreſſit in editione canonum Africanorum Chriſtophorus Juſtellus(*): *Ut ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium ſui periculo proprio dixerint, baptizentur*. Perinde eſt autem reſpondere *per ſe*, ut eſt in veteri, ac *pro ſe*, ut eſt apud Dionyſium & apud Ferrandum atque Fulgentium. Apertior autem eſt ſententia in veteri, *hi qui ſui ſunt*, quod ſapit gloſſema, quam *ſui*, ut eſt in authentico. Quæ lectio, licet vera, in errorem induxit Græcum hujus collectionis interpretem, qui *ſuos* non ad domeſticos retulit, ut debuerat, ſed ad ægros ipſos, nullo ſenſu: *ὅτι τὰς ἀσθενεῖς· εἴ τινες ὑπὲρ ἑαυτῶν ἀποκρίνασθαι οὐ δύνανται, ἵνα βαπτίζωνται, ὅτε τῇ αὐτῶν προαιρέσει, τὴν περὶ αὐτῶν μαρτυρίαν κινδύνῳ ἰδίῳ εἴπωσιν.* Iſto exemplo cautum quoque fuit ſaluti ejus ægri qui petita pœnitentia morbo oppreſſus obmutuit, aut in delirium incidit: cui, ſi teſtimonium dederint ejus poſtulationis qui eam audierunt, beneficium pœnitentiæ & reconciliationis tribuitur. Concilium Carthaginienſe IV, can. LXXVI.

IV. Sed non omittenda eſt elegans diſputatio, ſuper hujus canonis ſententia, Ferrandi Diaconi & Fulgentii Ruſpenſis. Ille hunc interrogavit per epiſtolam an baptiſmus cujuſdam colore Æthiopis, qui ex ultimis barbaræ provinciæ finibus ſerviturus Carthaginem adductus fuerat, & poſt abſolutam catechumenorum exercitationem profeſſamque publice fidem in ægritudinem inciderat, amiſſoque ſenſuum uſu, domini ſui ſtudio in ſolemni Paſchæ baptiſmo una cum aliis tinctus fuerat, an baptiſmus ille, aliis pro eo fidem ſpondentibus, homini adulto qui originis peccato propria quoque addiderat, ſufficeret ad remiſſionem peccatorum, infantium exemplo, qui ſolius originalis peccati ſunt rei. Tum ſibi hunc canonem Africanum objicit: *Video*, inquit, *in hoc articulo poſſe uſitatam canonum proponi ſententiam, quæ infirmos jubet, ſi pro ſe reſpondere non valeant, ſed eorum voluntati teſtimonium ſui proprio periculo dixerint, baptizari. Sub quo definitione magis arbitror quid Eccleſia facere debeat imperatum quam quid ille percipiat indicatum; videlicet ut miniſter verbi liber ſit a culpa negligentiæ, non ut ille oſtendatur conſors particepſque juſtitiæ.*

Reſpondet graviter Fulgentius, & longa diſputatione concludit baptiſmi ſalutaris effectu non fraudari hunc baptizatum; moxque addit: *Proinde firmiſſime tenenda eſt illa canonum ſententia paternorum, quæ infirmos jubet, ſi pro ſe reſpondere non valeant, ſed eorum voluntati teſtimonium ſui periculo proprio dixerint, baptizari. Viderunt enim ſancti patres ream non eſſe voluntatem quæ impedita cognoſcitur, non mutata, nec debere denegari ſacramentum baptiſmatis ubi firmitas cognoſcitur voluntatis. Hoc autem ſtatuenter ſancti patres, & quid Eccleſia facere debeat, & quid ille percipiat, indicarunt. Neque enim hoc Eccleſia faceret, ſi ille nullum in hoc facto beneficium percepiſſet.* Mox poſt pauca: *Quia veraciter columna & firmamentum veritatis ab Apoſtolo Eccleſia nuncupatur, quidquid ſecundum ipſius Eccleſiæ conſtituto in ſanctis myſteriis redemtionis & reconciliationis humanæ intra eam datur & accipitur, firma veritate percipitur.* Poſtea refellit Ferrandi conjecturam: *Dixiſti propterea hoc paternis canonibus definitum, ut miniſter verbi liber ſit a culpa negligentiæ. Quomodo autem in hac negligentia culpam miniſter incurrit, ſi in diligentia non aliquid proficit?* Mox:

(*) Heic Marca veterem citat codicem doctiſſimi viri Nicolai Fabri ex fide Juſtelli, qui non admonuit ubinam exſtaret liber ille. Hic autem codex cum aliis pluribus optimis & antiquiſſimis, quos vir ille clariſſimus in uſum ſuum comparaverat, evolverat, legerat notiſque auxerat, nunc habetur in locupletiſſima bibliotheca Colbertina. Idem autem codex ex fide Juſtelli a Marca citatus, fuerat antea doctiſſimi viri Claudii Fauchetii. Porro præter illum Fabri codicem, alius quoque admodum vetus qui olim celeberrimi viri Petri Pithoei fuit, exſtat in eadem bibliotheca Colbertina, in quo canon ille Africanus iiſdem omnino verbis habetur, quibus editus eſt ex libro Fabri. Hæc Baluzius in præfatione ad Opuſcula Marcæ §. XV.

Mon: Proinde debet ſecundum paternos canones infirmus ille, cujus voluntati non deeſt atteſtatio proximorum, ſine dubio baptizari, ut & miniſter verbi liber ſit a culpa negligentiæ, & ille fiat conſors particepſque juſtitiæ.

V. Ceterum diſſimulandum non eſt duriorem eſſe Fulgentii ſententiam in alio capite & alienam a beato Ambroſio; qui fuit benignior, & hodiernæ ſcholarum doctrinæ præivit, docens Valentinianum Auguſtum, qui catechumenum in Eccleſia gerebat, oppreſſum ante ſuſceptum baptiſma, non fraudari fidei ſuæ effectu. Unde profluxit vim baptiſmi voto deſiderati, qui dicitur baptiſmus flaminis, æquare baptiſmum re ipſa ſuſceptum. Fulgentius vero iſtum Æthiopem catechumenum, cui nec credulitas defuit nec fidei profeſſio, ideo ſalvum aſſerit quia re vera tinctus fuit. *Neque enim ab hac ſententia*, inquit, id eſt, de ſalute Æthiopis, *noſtrum animum revocare debet ulla ſuſpicio, ne quis dicat quod ille ſalvus eſſet, ſi nec ad ipſam tinctionem corporis perveniſſet; cum utique non dicamus illum ſine baptiſmi ſacramento, ſola confeſſione potuiſſe ſalvari. Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Illum utique adoleſcentem, quia credidiſſe & confeſſum fuiſſe novimus, ideo per ſacramentum baptiſmatis ſalvum fuiſſe firmamus. Qui ſi non baptizaretur, non ſolum neſciens, ſed etiam ſciens, nullatenus ſalvaretur. Via enim ſalutis fuit in confeſſione, ſalus in baptiſmate.*

VI. Deinde in eodem Concilio canone XXXV. ſic habet vetus: *Ut ſcenicis atque hiſtrionibus ceteriſque hujuſmodi perſonis, vel apoſtaticis converſis vel reverſis ad Dominum, gratia vel reconciliatio non negetur.* Abſunt a Dionyſii collectione Latina hæc verba: *Vel apoſtaticis converſis vel reverſis ad Dominum gratia vel &c.* quæ tamen extant in Græca interpretatione Dionyſii. Ut vel hinc pateat librariorum vitio ea jam olim omiſſa fuiſſe in Latinis codicibus. Græca ſic ſe habent: *ὥςε τοῖς σκηνικοῖς, καὶ μίμοις, καὶ τοῖς λοιποῖς τοιουτοτρόποις προσώποις, ἢ ἀποστάταις, μετανοοῦσι, καὶ ἐπιστρέφουσι πρὸς τὸν Θεὸν, χάριν ἢ καταλλαγὴν μὴ ἀρνεῖσθαι.* Quæ recte reddunt lectionem quæ eſt in veteri; cujus hæc eſt ſententia: Non ſolum ſcenicis & hiſtrionibus & ceteris hujuſmodi perſonis, mimis puta, thymelicis, & univerſo gregi qui ludit in theatris, & paganam gentilemque vitam agit, ſi ad Dominum convertantur, hujuſmodi gratiam non eſſe denegandam, baptiſmi ſcilicet; ſed etiam iiſdem, ſi apoſtaſia & deſertione a fide cum deſecerint, revertantur deinde, non eſſe denegandam reconciliationem. Recte dicuntur *apoſtatici* fidei deſertores, ut in codice Theodoſiano, quos Græcus interpres *ἀποστάτας* uſitato verbo reddidit. De hiſtrionibus qui ad Chriſtianitatis gratiam venire voluerint, ne cogantur ad eadem exercenda, legem petendam ſtatuit canon ſeptimus Concilii Carthaginienſis anno quadringenteſimo primo, poſt conſulatum Stiliconis.

VII. Canon de legendis paſſionibus martyrum eſt XVII. Concilii Africani apud Dionyſium, alieno loco poſitus, cum ſit appendix canonis editi de ſcripturis divinis; cujus exordium cum ſic conceptum ſit, *Item placuit ut præter ſcripturas canonicas nihil in Eccleſia legatur ſub nomine divinarum ſcripturarum*; poſt enumeratos legis divinæ libros recte ſubjungitur in veteri collectione: *Liceat etiam legi paſſiones martyrum, cum anniverſarii dies eorum celebrantur.* Quare hunc ordinem ſecutus Ferrandus, poſtquam expreſſit e titulo XLV. Concilii Carthaginienſis, ut præter ſcripturas canonicas nihil in Eccleſia legatur, addit ex titulo XLVI. ejuſdem Concilii: *Ut non liceat paſſiones martyrum legere in natalibus eorum.* Sed emendandum eſt erratum quod in hunc locum irrepſit; delenda negatio; legendumque, *Ut etiam liceat*: facili lapſu in manuſcriptis codicibus legendi *non* pro *etiam*, ob litterarum breviationem.

Ex editione Petri Pithœi.

VIII. Non omittenda quoque eſt illa lectio canonis XLII. qui eſt vigeſimus Concilii Africani apud Dionyſium. Agitur de plebibus quæ diœceſi epiſcopali ſubjectæ numquam proprios Epiſcopos habuerunt: ubi contumacium Presbyterorum factione popularium animi concitati, proprium Epiſcopum ſciſſa diœceſi habere poſtulant, exoſo propter ſuperbiam legitimo paſtore: quod ne fiat, prohibetur. Sed locus adducendus eſt ex veteri collectione, ut ibi doceatur eſſe ſinceriorem lectionem quam quæ habetur apud Dionyſium. *At vere*, inquit Epigonius, *quia nonnulli, quodam dominatu adepto, communionem fratrum abhorrent, vel certe cum elevati fuerint, quaſi in quadam arce, tyrannicam ſibi dominationem vindicant.* Significat typhum ſæcularem & tumorem quorumdam Epiſcoporum, qui dominatum in clero exercebant, & in cathedram elevati, ac ſi eſſet ſolium quoddam regium & arx velut imperii, tyrannicam ſibi dominationem vindicabant. *Elevari* eſt dictio illius ætatis, quæ provectionem Principum ſignificat ſæpe apud Marcellinum & alibi: quo alludit canon iſte cum elevatos Epiſcopos & velut in arce collocatos proponit. Sane cathedra epiſcopalis ſublimior erat & velut in faſtigio conſtituta, unde poſſent Epiſcopi de ſuperiori loco fideles monere; ut docent, non ſolum auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſed veteres plerique, & ipſum Concilium Carthaginienſe quartum canone XXXV. Hinc illa Gregorii Nazianzeni in oratione ad ſynodum Conſtantinopolitanam: *χαῖρε μοι ὦ καθέδρα, τὸ ἐπίφθονον ὕψος τοῦτο, καὶ ἐπικίνδυνον. Vale e cathedra, invidioſum hoc & periculoſum faſtigium.* Hoc dicendi genus periit apud Dionyſium, ubi hæc ſunt verba: *Quia nonnulli, quodam dominatu adepto, communionem fratrum abhorrent, vel certe cum depravati fuerint, quaſi in quadam arce tyrannica ſibi dominatum vindicant.* Confer hæc verba cum ſuperioribus, & veteris collectionis fidem laudabis.

IX. Attamen vetus collector auctoritate ſibi delegata uſus, quædam ſibi licere putavit quæ non cadunt in exſcriptorem merum vel in hominem privatum: quod in reliquis Conciliis oſtendemus uberius: in hoc unum & alterum obſervabimus.

Caput iſtius Concilii *de viſitandis provinciis*, quod eſt XIX. numero apud Dionyſium, omiſſum eſt in antiqua collectione: quoniam cum reſtrictum ſit ad ſpeciale negotium Mauritaniæ viſitandæ ab Aurelio, a quo ſe tunc officio excuſavit, nec poſſit res ipſa trahi ad conſequentiam, inutiliter paginas illius collectionis occuparet, quæ ad generalem diſciplinæ informationem pertinere debet.

Vice verſa canon XLIX. Concilii tertii, quo cavetur ut Epiſcopi vel clerici pauperes qui agros vel prædia comparaverint poſt ordinationem, Eccleſiæ illa conferant, omiſſus eſt a Dionyſio in recenſendis canonibus Concilii hujus ſub Cæſario & Attico Conſſ. qoia confirmatus cum fuiſſet a Concilio ſexto, eum eo loco retulit, nempe canone XXXII. & abſtinuit ab eo repetendo in actis Concilii tertii.

CAPUT VII.

De Concilio Carthaginienſi quarto.

I. SEquitur in veteri collectione Concilium Carthaginienſe quartum, habitom Honorio Auguſt. IV. & Eutychiano Conſſ. ſexto Idus Novembris, anno ſcilicet trecenteſimo nonageſimo octavo, quod repudiandum eſſe Juſtellus edicit, & plerique cum ipſo ſectarii, nec ullam fidem adhibendam canonibus centum & quatuor qui huic Concilio adſcribuntur. Quam fiduciam ex eo deſumunt quod nec Dionyſius nec Ferrandus hujus Concilii meminere, ejuſque prima mentio apud Iſidorum Mercatorem habeatur, qui mercibus minus vendibilibus compilationem ſuam ſuffercit, in quarum faſcem Concilium illud fere compingunt.

II. Sed ſi veteris collectionis auctoritas illi affulſiſſet, non dubito quin gradu ceſſuri fuiſſent, & obviis ulnis amplexuri tam religioſum antiquitatis eccleſiaſticæ monumentum, quod ætatem illam & dicendi charactere & rebus ipſis deciſis omnino redolet. Quippe in examine Epiſcopi, præter Marcionis, Paulli Samoſateni, Arii & Apollinaris dogmata quæ inibi confodiuntur, licet tacito eorum nomine, ab Epiſcopo exigitur profeſſio contraria hæreſibus tunc vigentibus, nempe ut novi & veteris teſtamenti eumdem credat auctorem: quod eſt contra

tra

tra Manichæos. Ut credat hujus quam geſtamus, & non alterius carnis reſurrectionem: quod eſt contra pullulantes tunc Origeniſtas. Quæritur ab eo ſi nuptias non improbet, ſi ſecunda matrimonia non damnet, ſi carnium perceptionem non culpet, ſi pœnitentibus reconciliatis communicet: quod eſt contra Novatianos & Priſcillianiſtas. Si in baptiſmo tam originale peccatum quam quæ voluntate admiſſa ſunt dimittantur: quod ad Cœleſtii dogma pertinet, nondum plane detecto Pelagianæ hæreſis veneno: de qua non tacuiſſent patres, ſi hac ætate erupiſſet. Unde patet hujus Concilii veritas & antiquitas. Hoc autem in Concilio ordinationum celebrandarum myſteria explicantur, ordinum & graduum in Eccleſia diſcrimina & miniſteria panduntur. Non omittuntur viduarum & ſanctimonialium conſecrationes ac munia, & ſponſarum benedictiones. Epiſcopis præterea & clericis morum regulæ præſcribuntur, quin immo & laicis, juxta quas vitam inſtituere debeant, Ut Chriſtianæ ethices compendium hoc Concilio contineri non immerito dixeris. Ex præfatione diſcimus habitum Carthagine ſub Aurelio: quod ipſæ quoque ſubſcriptiones Epiſcoporum teſtantur, Aurelii, Donatiani, & ſancti Auguſtini Hipponenſis.

III. Tempus celebrati Concilii incidit, ut dicebam, in ſextum Idus Novembris, Conſulibus Honorio Auguſto IV. & Eutychiano. Poſt eorum conſulatum aliud habitum eſt Carthaginienſe Concilium quinto Kalendas Majas, ſcilicet anno ſequenti trecenteſimo nonageſimo nono, in quo legatio decreta ad Imperatores ut lege caverent ne quis ab Eccleſiis ad eas confugientes abſtraheret. Ejus meminit Dionyſius, omiſſo priore. Nec ſilentii pœnas ſuſtinere debet ille, nec præteritione quoque ſua cenſendus eſt damnaſſe Concilium noſtrum. Eamdem ob cauſam præterivit in collectione ſua hanc ſynodum qua duas habitas ſub Grato & Genethlio: quoniam collectio vetus eas integras complexa cum eſſet, non erat quod Dionyſius eas iterum ad ſuam curam revocaret. Quod de ceteris quas ille commemorat, dici non poteſt: quoniam vel omiſſæ penitus erant in collectione veteri, illæ nempe quæ canones non ediderant; aut aliarum canones ordine diverſo recenſiti vel etiam imminuti erant, ut novam operam requirere viderentur: quod in hac Diſſertatione noſtra ſatis manifeſte oſtenditur.

IV. Præterea Concilii iſtius quarti ratio & inſtitutum, cum ad reconditam diſciplinam ordinum ſacrorum explanandam & ad mores informandos pertineret potius quam ad externam diſpoſitionem judiciariamque trituram, de qua in aliis Conciliis ſtatuitur; Dionyſius exiſtimavit non eſſe quod illud ſuæ collectioni adjungeret, præſertim cum ſatis priore illa & antiqua vulgatum eſſet.

V. Sane de Ferrando dubitandum non eſt quin ſciens & conſulto, ob ſuperiorem rationem, non meminerit hujus Concilii in ſua Breviatione canonum, ut dixi ſuperius, utpote qui Concilii Carthaginienſis habiti anno CCCCXVIII. titulos cum laudet, eos tamen qui ab eo de gratia Dei editi ſunt prætermittat, quoniam ad fidem, non autem ad diſciplinam eccleſiaſticam, pertinent: quos tamen Dionyſius non omiſit, ut nobis integrum Concilium proponeret.

CAPUT VIII.

De Concilio Carthaginienſi quinto.

I. CONcilium quintum in collectione veteri eſt illud quod habitum fuit poſt conſulatum Flavii Stiliconis, XIV. Kalendas Julias, id eſt, anno quadringenteſimo primo; cui adjuncti ſunt quoque canones ſynodi habitæ Vincentio & Flavito Conſulibus, Idibus Septembris ejuſdem anni. Concilii prioris præfatio exſtat integra in collectione Dionyſii: quæ quidem ſuo loco poſita eſt in editione Latina & Græca Pariſienſi codicis canonum Africanorum; quæ perverſo ordine poſita fuerat in editione Moguntina, nempe ante canones Concilii tertii Cæſario & Attico Coſſ.

II. Præcipua hujus ſynodi cura fuit ut legatio decerneretur ad tranſmarinas partes, tum ad ſedem apoſtolicam, tum ad Imperatores, ut Eccleſiæ Africanæ neceſſitatibus ſubveniretur. Ac primo cum ob Donatiſtarum ſævitiam graſſantem & bellorum excidium apud Eccleſias catholicas maxima clericorum eſſet penuria, ſupplere numerum aliter non poterant Africani, niſi liberum illis eſſet redeuntes ab hæreſi Donatiſtarum in clerum adſciſcere: quod prohibitum ne fieret a ſede apoſtolica & a Mediolanenſi profitetur Aurelius, id eſt, in plenario Concilio Italico: atque ideo conveniendus Anaſtaſium ſedis apoſtolicæ Epiſcopum & Venerium ſacerdotem Mediolanenſis Eccleſiæ, ut communi periculo provideant & *conſentiant*, quemadmodum loquitur canon primus; ut ſaltem qui parvuli baptizati ſunt a Donatiſtis, & majores facti cognitum errorem deſeruerunt, poſſint clericatus officio admoveri. Qua de re conſulendos quoque Siricium & Simplicianum antea conſtituerant canone XLVIII. Carthaginienſis tertii. Unde patet decreta Romanæ ſedis in Concilio Italico edita ipſos quoque Africanos obſtrinxiſſe, & eorum veniam atque remiſſionem ob publicam neceſſitatem a ſede apoſtolica præcipue, & a Mediolanenſi quoque, utpote per Italiæ vicariatum ceteris Epiſcopis præfecto, petitam. Itaque caput primum iſtius Concilii, quod eſt apud Dionyſium, recte omiſſum eſt in collectione veteri; quoniam cum res ipſa penderet ex arbitrio ſedis apoſtolicæ, & nullum ea de re illius exſtaret reſcriptum, inutile erat conſultationis iſtius iterum meminiſſe.

III. Secundum quoque caput recte omiſſum eſt a collectore, quoniam nihil definitur quod ad diſciplinam pertineat: id tantum decernitur poſtulari ab Imperatoribus, ut templa idolorum quæ ſunt in agris, dirui jubeant. Qua ratione omiſſa ſunt etiam caput quartum *de paganorum conviviis* lege Principis tollendis, & quintum *de ſpectaculis* quoque *& ludis theatrorum* lege prohibendis, ne ſaltem fiant die dominica vel ceteris diebus celeberrimis.

IV. Tertium ſane caput omiſſum non eſt a collectore veteri, ſed ſumma auctoritate in melius commutatum. Agitur de cognitione quam clerici de cauſſis laicorum ſuſcipiebant *jure apoſtolico*, ut loquitur canon, *Eccleſiis impoſito*, ubi alludit ad locum Paulli, quo monentur fideles ne ad forum coram ethnicis litigaturi pergant, ſed potius Epiſcopi & clericorum arbitrio ſe committant. *Si enim angelos judicabimus*, inquit Paullus, *quanto magis ſecularia?* Ex quo Apoſtoli monito inductum ut litigatorum arbitria in ſe reciperent Epiſcopi, ac ſi mandato apoſtolico, ob fidelium concordiam alendam, ad id eſſent adſtricti: quo de onere Epiſcopis impoſito non tacent auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus & alii. Quod confirmatum fuit lege Conſtantini, adeo ut unus e litigatoribus invitum adverſarium cogere poſſit ad ſubeundum Epiſcopi judicium. Enimvero cum Epiſcopi ſenatum ſuum haberent, ut loquitur Hieronymus, ſive presbyterium, ut loquitur Cyprianus una cum Paullo, Presbyteros ſuos velut aſſeſſores ſuos contrahere debebant ad judicandas cauſſas, ut docet eleganter canon XXIII. Concilii quarti his verbis. *Ut Epiſcopus nullius cauſſam audiat abſque præſentia clericorum ſuorum. Alioqui irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi clericorum præſentia confirmetur.* Quoniam vero a ſententiis illis provocari poterat ad judicem publicum; (licet interim res judicata exſecutioni demandari poſſet, ut cautum erat legibus) contingebat aliquando ut clericus cognitor, aut qui præſens fuerat cognitioni, evocaretur a judice publico ad teſtimonium dicendum de iis quæ apud ſe geſta erant. Quod ideo accidebat frequentius, quia ſine ſcripto lites iſtæ, id eſt ſummarie, abſque ſtrepitu & figura judicii, ut hodie loquuntur, ab Epiſcopis & clericis dirimebantur. Quod ſane grave erat atque injurioſum clericis. Ideoque Africani, ut ab hac ſe vexatione liberarent, petendum ajunt ab Imperatoribus, *ut ſtatuere dignentur ut ſi qui forte in Eccleſia quamlibet cauſſam jure apoſtolico Eccleſiis impoſito agere voluerint, & fortaſſe deciſum* (deciſio) *clericorum uni parti diſplicuerit, non liceat cle-* Cod. Can. Eccl. Afric. c. 59.

clericum ad teſtimonium devocari eum quia cognitor vel præſens fuerit, ut nulla ad teſtimonium dicendum eccleſiaſtici cujuslibet perſona pulſetur. Sed collector vetus ex auctoritate ſibi mandata hunc canonem emendavit; & quod poſtulandum erat a Principe, ipſe ut conſtitutum a Concilio ponit. Unde niſi quis moroſus eſſe velit, facile ſibi perſuadebit hanc collectionem, non privato ſtudio, ſed publica poteſtate compactam, & deinde Eccleſiis pro lege publicatam. Hæc ſunt itaque canonis iſtius apud collectorem verba, alioqui etiam ſincerioris lectionis. *In principio ſtatuendum eſt ut qui forte in Eccleſia quamlibet cauſſam jure apoſtolico agere voluerit, & fortaſſe deciſio clericorum uni parti diſplicuerit, non liceat clericum ad teſtimonium devocari eum qui cognitor vel præſens fuit. Et ut nulla ad teſtimonium dicendum eccleſiaſtici cujuslibet perſona pulſetur.*

V. Hinc docemur duo conſtituta. Primum, ut qui cognitor fuit, non evocetur ad teſtimonium dicendum. Secundum, ut nullus e clero ad teſtimonium dicendum in qualibet cauſſa evocetur a judice publico. Corrupta lectio apud Dionyſium primam illam regulam ſolam exprimit, quoniam apud illum clauſula ultima non eſt diſcreta a prioribus verbis, ut decet, propter amiſſam particulam conjunctivam *Et*; ita ut videatur potius ratio prioris definitionis quam nova definitio. Quod ipſe Dionyſius eo modo intellexit, ut patet ex lemmate quod huic canoni præpoſuit. *Ut clerici de judicii ſui cognitione non cogantur in publico dicere teſtimonium.* Sed in veteri collectione lemma generaliter conceptum eſt de omni teſtimonii dictione interdicta clericis in judicio publico: *De clericis ad teſtimonium non pulſandis.* Sane lectio veteris collectionis, *Et ut*, unde oritur ſecunda illa generalis definitio, confirmatur ab interprete Græco, qui lectionem illam agnoſcit. *καὶ ἵνα μηδὲ προσώπῳ εἰς ἐκκλησιαστικῷ προσώπων ἀναγκάζειν περὶ τὸ ὀφείλειν μαρτυρεῖν.* Hinc colliget lector antiquam eſſe prohibitionem ne clerici a judicibus ſæcularibus ad teſtimonium citentur, niſi ex conſenſu Epiſcopi. Quod Decretalibus ſevere ſancitum eſt, & ubique obſervatur præter quam in Galliæ regno, quod ſuis privilegiis utitur: quamquam diffitendum non ſit a Juſtiniano aliter conſtitutum.

VI. Eadem collectoris auctoritas elucet in capite ſexto, ubi petendum decernitur a Principibus ut ſtatuere dignentur ne clerici judicio Epiſcoporum damnati, ab Eccleſiis quibus præfuerant nec a quolibet defenſentur, interpoſita pœna damni pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem nec ſexum excuſandum præcipiant. Lex petenda erat ob pœnam civilem, quæ ab Eccleſiis infligi non poterat, ſed tantum canonica. Sed collectori viſum ut canonem iſtum ſecundum in ſua collectione locaret, conſtituendo ſynodi auctoritate quod poſtulandum erat a Principe. *Et illud ſtatuendum*, inquit, & cetera ſubjungit. Unde factum crediderim ut plures mediæ ætatis Pontificum conſtitutiones damno honoris & privatione dignitatum afficiendos jubeant qui ſuis decretis reluctati fuerint.

VII. Caput ſeptimum *de hiſtrionibus ad fidem converſis*, ne ad ludicras artes iterum cogantur, quoniam lex petenda decernitur, omiſſum eſt. Octavum quoque manifeſtam ob cauſſam; quoniam illud tantum proponit Aurelius, ut manumiſſiones ſervorum in Eccleſiis Africanis fiant, ſi conſacerdotes per Italiam id facere reperiantur. Quare cum ex legibus Conſtantini relatis in Codice & a Sozomeno commemoratis manumiſſi in Eccleſia libertatem Romanam adipiſcerentur, non erat quod in dubium adduceretur in reliquis occidentis Eccleſiis quod Africani in poſterum facere debebant. Nonum quoque & ultimum caput omittitur, quia pertinet ad ſpeciale negotium Equitii Epiſcopi jam olim damnati & ad tranſmarinas partes profecti ut turbaret Africanæ Eccleſiæ ſtatum, cujus impudentiam repellendam a Legato decernitur.

Sozom. lib. 1. c. 9.

CAPUT IX.

De eodem Concilio quinto Carthaginienſi, & de Donatiſtis.

I. EOdem anno cccci. Vincentio & Flavio Coſſ. Idibus Septembris habitum eſt Concilium Carthagine ex omnibus provinciis Africæ, quod ſane aliud eſt a priore. Attamen eum eodem anno celebratum fuerit, ſub unius Concilii quinti nomine exhibetur in collectione veteri. Quod accuratius & rectius diſtinguitur apud Dionyſium, & ab ipſo quoque Ferrando.

II. Donatiſtarum machinationes, & inſidiæ quibus Eccleſiam Africanam vexabant, Anaſtaſii Epiſcopi Romani pectus adeo commoverant ut litteris ad Epiſcopos Africæ datis eos hortaretur ne de hæreticorum inſidiis & improbitatibus diſſimularent, ut capitulo primo hujus Concilii docemur. Carthaginienſis ergo ſynodus de Donatiſtarum cauſſa tractans, eum eis lenius agendum cenſuit, & plebes eorum communione infectas miſerabilis illius erroris commonendas, quo ſunt devinctæ. Tum ut a judicibus petatur ut auctoritate ſua juvent communem matrem Eccleſiam catholicam, judiciaria poteſtate inquirentes quid geſtum ſit in iis locis in quibus Maximianiſtæ qui a Donatiſtis ſchiſma fecere, baſilicas obtinuerunt. Magni momenti hæc perquiſitio videbatur futura, quoniam Maximianus Epiſcopus Carthaginienſis ex parte Donati, cum a Primiano ejuſdem partis Epiſcopo ſchiſmate diviſus eſſet & anathemate ab adverſariis ictus, part eos damnatione excepiſſet, (ut copioſe docet Auguſtinus lib. III. contra Creſconium cap. XL. lib. IV. cap. VI. & in enarratione pſalmi XXXVI.) iſtius Maximiani ſectatores, ut ſchiſmatici, Donatiſtis petentibus a baſilicis quas tenebant per juſſa judicum deturbati erant, ut ſcribit Auguſtinus libro III. contra litteras Petiliani cap. XXXIX. maxime eum illa tempeſtate Maximianiſtæ recepti fuiſſent a ceteris Donatiſtis in communionem abſque baptiſmi repetitione. Quo exemplo convinci poterant tum ab initio Donatiſtas tam inique ab Eccleſiæ unitate diſceſſiſſe temporibus Cæciliani quam inique nunc clamabant Maximianiſtas a ſe ſchiſma feciſſe, tum ſtolide pacem Eccleſiæ toto orbe diffuſæ atque illius communionem baptiſmumque reſpuere, qui ſuos olim ſui Concilii plenarii auctoritate damnatos in communionem cum ſuis honoribus recipiant; quo argumento quoque utitur Auguſtinus epiſtola quinquageſima & libro de hæreſibus. Ut autem facilius Donatiſtæ ad Eccleſiam accedendi ſtudio accenderentur, ſuomet exemplo alliciendos putavit hæc ſynodus. Itaque ſicut ipſi Maximianiſtas ſuſceperant in clero cum ſuis honoribus, ita reſipiſcentes Donatiſtas & ad catholicæ Eccleſiæ communionem redeuntes in ſuis gradibus recipiendos decernunt. Attamen quoniam Capuano Concilio vetitum fuerat ne clerici Donatiſtæ reſipiſcentes in ſuis honoribus ſuſciperentur, ea fuit hujus ſynodi pro tranſmarini Concilii decretis reverentia, ut quam prohibitioni generali exceptionem adhibendam putabat, nempe ut ii ſoli recipiantur per quos unitati catholicæ conſulitur, judicio ſedis apoſtolicæ committat; ad quam *maxime*, ut ait, & ad reliquos Epiſcopos tranſmarinos ſcribendum decernit. Unde patet ſedis apoſtolicæ auctoritas præcipua in canonibus temperandis, ab ipſis Africanis & ab orientalibus quoque jam olim agnita, ut uberius docui libro tertio *de Concordia* cap. XIII.

III. Quæ dixi, quatuor Concilii huius capitibus comprehenſa, cum ad negotia ſpecialia Africæ pertineant, in veteri collectione diſſimulata ſunt. Sed omiſſum non eſt iteratum interdictum canone quinto Concilii comprehenſum, & in tertium Concilii quinti conjectum, quo Epiſcopi, Presbyteri & Levitæ ab uxoribus continere jubentur *ſecundum priora ſtatuta*, id eſt, juxta priorum canonum Carthaginienſium decreta, de quibus ſuperius egimus. Græcus interpres, depravatam lectionem ſecutus, reddidit ac ſi ſcriptum eſſet *ſecundum propria ſtatuta*, *κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους.* Quæ verſio tolerari poſſet niſi

eam interpretatione ſua corrupiſſent Zonaras & Balſamo, qui ambiguum vocis ὅρος, quæ legem & ſtatutum æque ſignificat ac limitem ſive etiam temporis terminum, ad ſuos orientalium mores confirmandos transferentes, hunc canonem ſic explicant ac ſi decerneret ut tempore vicis ſuæ, Judæorum exemplo, quiſque ſacerdotum contineat, rediturus poſt miniſterii & ἱερατείας functionem illam temporariam ad uxoris commercium: quod hebdomadariis Presbyteris quos inſtituere Græci, competere poſſet. Sed quid fiet de Epiſcopis, qui Presbyteris & Levitis hoc canone junguntur, a quibus tamen Græci ipſi continentiam perpetuam ab uxoribus exigunt, & ex illo capite ſingularitas eorum in quaque Eccleſia vetat ne per vices fungi poſſint munere ſuo? Quare cum clauſula iſthæc, κτ̄ τοὺς ἰδίους ὅρους, ex interpretatione Græca, eos æque comprehendat ac Sacerdotes & Levitas, alia eſt adhibenda explicatio quam ea quæ recentioribus Græcis placuit, nempe ut propriis & gradibus ſuis aptis continentiæ legibus adſtringantur. Quamquam alia lectio & verior eſt atque ſincerior, omnemque difficultatem adimit, ſcilicet *ſecundum priora ſtatuta*, id eſt, juxta id quod in prioribus Conciliis conſtitutum eſt. Ferrandus videtur hunc canonem laudare ex iſto Concilio num. VI. *Ut Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi ab uxoribus abſtineant. Concil. Carth. tit.* III.

IV. Sequitur in veteri collectione canon quartus de rebus Eccleſiæ ſine conſilio Primatis non alienandis: qui ſine dubio ad hoc Concilium habitum Vincentio & Flavito Conſſ. pertinet, non ſolum juxta fidem antiqui collectoris, ſed etiam juxta Ferrandum, qui notat num. XLVII. *Ut Epiſcopi rem Eccleſiæ ſine Primatis Concilio non vendant. Concil. Carthagin. tit.* V. *Hippon. tit.* IX. Dionyſius vero heic canonem iſtum omiſit, quoniam a Concilio ſexto can. XXVI. firmatus cum fuiſſet, ejus Concilii canones in capite Africanorum collocanti inutile videbatur hunc ſuo loco reddere. Sed vetus, qui Carthaginienſis ſexti canones omiſit ex prioribus compactos, retinuit hunc canonem ſuo loco. Grave eſt hoc interdictum de rerum eccleſiaſticarum alienatione abſque ſynodo Primatis ſive Metropolitani. Libera quondam Epiſcopis ſingulis, ſaltem cum presbyterii conſilio, rerum eccleſiaſticarum alienatio; ſed non vice verſa Presbyteria vacante Eccleſia, cum reſcindendum juſſerit hoc caſu contractum ſynodus Ancyrana canone XIII. Hanc poteſtatem Eccleſiarum damnis cavens Concilium Carthaginienſe, & deinde Hipponenſe ſecundum, optime reſtrinxit, & Primatis ſynodique provincialis decreto negotium commiſit, exceptione ſolum addita, niſi tam gravis premeret neceſſitas ut Primatem adeundi non ſupereſſet ſpatium. Sed tunc quoque venditor vicinis Epiſcopis antea indicare, & poſt factum, Concilio provinciali referre debet Eccleſiæ ſuæ neceſſitates. Hæc eſt enim ſententia canonis; cujus lectio luxata, ſic conſtituenda eſt in veteri: *ſaltem curioſitatem habeat* (id eſt, curam, Africana dictione) *& vicinis Epiſcopis hoc ante indicare, & poſt factum, ad Concilium referre ſuæ Eccleſiæ neceſſitates. Quod ſi non fecerit, reus Concilio venditor teneatur.* Hunc locum canon ſexti Concilii interpretatus eſt potius quam exſcripſit: *ſaltem vicinos teſtes convocet Epiſcopos, curans ad Concilium omnes referre Eccleſiæ ſuæ neceſſitates. Quod ſi non fecerit, reus Deo & Concilio venditor honore amiſſo teneatur.* Priorem partem Græcus non eſt aſſecutus. Legit enim, *vicinos teſtes convocet Epiſcopus*, cum legendum ſit *Epiſcopos*.

V. Hunc canonem excipit alius in veteri collectione, quo definitur ne quis, relicta cathedra principali, in alia diœceſeos Eccleſia aut in proprio fundo diutius quam oportet reſideat. Quod his verbis Ferrandus expreſſit num. XVII. *Ut nullus Epiſcopus, dimiſſa matrice, in diœceſi conſtituat.* (legendum *conſiſtat*) *Concil. Carthagin. tit.* VI. Ubi cathedra principalis recte matrix redditur. Unde matrices cathedræ in Conciliis Carthaginienſis cap. CXXIII. apud Dionyſium.

VI. Canon de infantibus baptizandis quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes de illorum baptiſmo, nec ipſi idonei ſunt propter ætatem de traditis ſibi ſacramentis reſpondere, a Leone primo probatus eſt, qui ejus in ſimili ſpecie ſententiam ſequitur in epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem. Sed mutilus eſt canon ille apud Dionyſium; ubi omiſſa eſt ultima clauſula, quam exhibet vetus, de conſecrandis Eccleſiis quoties de earum conſecratione dubitatur. Obiter autem monendus eſt lector magnum oriri beneficium ex tabulis parochialibus in quas baptiſmorum acta referuntur; unde non ſolum infantium ætas ad res civiles, ſed etiam baptiſmi teſtatio probari poteſt: quibus tabulis ſi uſa fuiſſet vetus Eccleſia, ut liberorum cenſitione in actis publicis olim utebatur Imperium, difficultatibus iſtis de baptiſmo infantium ſe exemiſſet.

VII. Cautum fuerat in Concilio Carthaginienſi tertio canone XLS. ut quotannis ad Concilium univerſale Africæ convenirent Epiſcopi, & per legatos redeuntes in provincias dies Paſchæ ab Eccleſia Carthaginienſi denuntiaretur. Nunc duo conſtituuntur. Primum, ut formatarum ſubſcriptione dies ille omnibus intimetur, id eſt, ut in formatis quæ clericis peregre proficiſcentibus dantur, dies Paſchæ adnotetur; quod ſi adhuc incertus eſt dies anni illius, præcedens adjungatur quo modo ſolet *Poſt conſulatum* in publicis geſtis adſcribi, ut explicuit canon vigeſimus ſynodi Milevitanæ in veteri collectione, qui eſt centeſimus ſextus in codice canonum Africanorum ex Concilio Carthaginienſi anni quadringenteſimi ſeptimi. Secundum eſt, ut tempus fixum & certum Concilii in decima die Kalendarum Septembrium conſtituatur. Quæ dies Africanis conventibus apta eſſe poterat propter anni tempeſtatem a provinciis Europæ diverſam. *Dies vero Concilii idem ſervetur qui in Hipponenſi Concilio conſtitutus eſt, id eſt, x. Kalendas Septembris.* Vetus autem collector tempus illud immutavit auctoritate ſibi delegata, ut alibi dixi. *Dies Concilii*, inquit, *undecimo Kalendas Novembris ſervetur*, ſcilicet poſt exactas ferias vindemiales, omiſſa mentione Concilii Hipponenſis, in quo ſcilicet dies decima Kalendarum Septembrium conſtituebatur; a quo cum recederet, non erat quod illud Hipponenſe Concilium laudaret. Ceterum obſervare non pœnitebit heic agi de generali & univerſali totius Africæ, de quo etiam canone decimo, non autem de provincialibus ſynodis, quæ a Primatibus ſive Metropolitanis cogebantur: de quibus heic cavetur ut Primates, quando Concilium apud ſe congregant, diem heic præſtitutum univerſali Concilio non impediant. Ad iſtud exemplum decretum eſt de patriarchica ſynodo in canone XVII. octavæ ſynodi.

VIII. Canonem de interceſſore dato Eccleſiæ Ferrandus ex titulo nono Concilii Carthaginienſis laudat, id eſt, ex Concilio habito Vincentio & Flavito Conſulibus, cui numerus ille reſpondet. Vacantibus Eccleſiis præficiebatur a Metropolitano Epiſcopus ad diſſidia populi componenda, ne per varia ſtudia in eligendo Epiſcopo in apertam ſeditionem erumperent. Dictus fuit interceſſor, quia diſſidentibus intercedebat, medium ſe præbebat & conciliatorem. Unde μεσίτης dictus ab interprete Græco. A Ferrando dicitur interventor num. XXII. *Ut nullus Epiſcopus cathedram cui datus fuerit, interventor plus quam annum teneat, ſed ipſe eis Epiſcopum petat. Conc. Carthag. tit.* IX. Dionyſius quoque in lemmate canonis interventorem appellat. Sequenti ſæculo dictus eſt viſitator a Gregorio Magno. Viſitatoris uſum & nomen retinuere poſteri, ut patet ex Hincmari epiſtolis a Sirmondo editis; qui ex more tunc recepto non ante viſitatorem Epiſcopum Eccleſiæ vacanti præficiebat quam Regem conſuluiſſet, ut ex ejus arbitrio perſona viſitatoris penderet, nempe ut cleri & populi animos ad electionem Regi gratam inflecteret.

IX. Capita duo apud Dionyſium, quorum alterum agit de conveniendo Creſconio Villaregienſi ut ſe ſiſtat proximo univerſali Concilio Africano, & alterum de ordinando Epiſcopo in Eccleſia Hipponenſium Diarrhytorum, omiſſa ſunt a veteri, quia ſunt ſpecialia Africæ negotia.

X. Canon autem undecimus, quo ſtatuitur ne Presbyteris aut Diaconis ob graviorem culpam a

gra-

gradu remotis manus pœnitentiæ imponatur tamquam laicis, heic eſt ſuo loco poſitus in collectione veteri; quem Dionyſius inter capita Carthaginienſis ſexti jam ſemel a ſe poſitum heic repetere noluit. Ratio vero hujus ſtatuti petenda eſt ex Baſilio cap. xxxii. qui ait duplici pœna affligendum non eſſe Presbyterum & Diaconum, tum depoſitione, tum laboribus pœnitentiæ publicæ.

XI. Undecimi canonis definitioni recte conjungitur canon duodecimus, quo accuſatis clericis annus conceditur ad diluendum crimen ſibi impoſitum. Quoniam vero textus corruptus eſt tam in collectione veteri quam in Dionyſiana, emendandus a nobis erit, poſtquam vulgatam lectionem propoſuero. *Quoties*, inquit, *clericis convictis & confeſſis in aliquo crimine, vel propter eorum quorum verecundiæ parcitur, vel propter Eccleſiæ opprobrium, aut inſolentem inſultationem hæreticorum atque gentilium, ſi forte cauſſæ ſuæ adeſſe voluerint & innocentiam ſuam aſſerere, intra annum excommunicationis ſuæ hoc faciant &c.* Quænam amabo conſequentia eſt in his verbis, ut convictus & confeſſus innocentiam deinde ſuam aſſerat? Convictus & confeſſus pro judicato habetur juxta legum præſcripta; eſt αὐτοκατάκριτος, ut loquitur Paullus. Presbytero de ſe confeſſo non parcitur, ex canone nono Concilii Neocæſarienſis: quia (ut inquit Valentina ſynodus habita anno ccclxxiv.) *reus eſt vel veri confeſſione vel mendacii falſitatis*. Quare ſine dubio legendum eſt: *Quoties clericis convictis nec confeſſis in aliquo crimine vel propter eorum verecundiam parcitur, vel propter Eccleſiæ opprobrium*. Mutandum enim illud, *quorum verecundiæ parcitur*, ne alioqui ſuſpenſa ſit oratio, & ne verbum deſit a quo nomina dativi caſus, *clericis convictis*, regantur. Attamen vetus eſt mendum, ab ipſo etiam interprete Græco expreſſum, ne dicam ab Ivone & Gratiano xi. q. iii. *Rurſus conſtitutum*: ubi ancipites ſunt gloſſatorum de mente canonis iſtius opiniones. Sententia itaque canonis hæc eſt quam exhibet Ferrandus num. cxxxvi. *Ut accuſatus clericus intra annum cauſſam ſuam agere debeat. Concil. Carthag. tit. xiii.* Ordo antiquus judiciorum eccleſiaſticorum hinc deſumi poteſt. Teſtes recipiebantur adverſus reum gravioris criminis. Eorum teſtimonio convictus, communione abſtinebatur: qui deinde vel ſe purgabat, vel confeſſione criminis facta, pœnitentiæ beneficium petebat abſque ulla temporis præſcriptione. Heic anni tempus poſt excommunicationem illi inflictam computandum clerico conceditur, ut ſe purget: quo tempore elapſo, non amplius auditur. Inde factum ut decretis recentioribus laici quoque excommunicati ad purgationem vel ad petendam abſolutionem adigantur.

Vide Balſamon. in can. 32. ſynodi Carthag.

XII. In canone xiii. de alieno monacho non ordinando vox *repertum*, quam vetus & Dionyſius præferunt, & ex eis Gratianus, cubat in mendo, & reſtituenda lectio ex interprete Græco: *Si quis de alterius monaſterio receptum*. ἐάν τις ἀπὸ ἀλλοτρίου μοναστηρίου ὑποδέξηται ἕνα.

Diſt. 56. Si quis de alterius.

XIII. Titulus xvi. apud Dionyſium abeſt a veteri, recte; quoniam huic ſpeciei ſatis cautum erat duobus capitulis Concilii Carthaginienſis tertii. Etenim canone xiii. conſtitutum eſt ut Epiſcopi & clerici hæreticis, etiamſi conſanguinei ſint, nihil per donationem aut teſtamentum conferant. Canone autem xlix. Epiſcopi & clerici quod ex peculio Eccleſiæ acquiſierint, jubentur ſuis Eccleſiis conferre. De eo autem quod illis ex liberalitate alicujus vel ex ſucceſſione cognationis obvenerit, libera diſponendi facultas relinquitur; dummodo ita ſe gerant ut eorum propoſito congruit. Alioqui honore eccleſiaſtico indigni judicabuntur. Quam in pœnam incidiſſent ſine dubio, ſi hæreticis vel gentilibus conſanguineis aliquid contuliſſent, quia id vetitum canone decimo tertio: ne de perſonis infamibus loquar. Ceterum ſi extraneos heredes inſtituiſſent, dummodo Chriſtianos, immunes erant a culpa. Canon autem xvi. hujus Concilii tacens de clericis, vetat ne heredes extraneos a conſanguinitate ſua Epiſcopus Eccleſiæ præferat, nedum conſanguineos hæreticos aut paganos; addita graviſſima pœna, nempe anathematis poſt mortem: de qua tantopere diſceptatum fuit in quinta ſynodo. Additur quoque, quod huic pœnæ eſt conſectarium, ne nomen ejus inter Dei ſacerdotes recitetur; ſcilicet in ſacrificio, quando ex diptychis ſive libellis Eccleſiæ cujuſque nomina defunctorum Epiſcoporum recitata, Deo commendabantur, ut patet ex actis quintæ ſynodi. Unde diſcimus hanc quoque conſuetudinem in Eccleſia Africana perinde ac in ceteris univerſi orbis Chriſtiani invaluiſſe.

XIV. Canones reliqui hujus Concilii quinti cum Dionyſio conveniunt; adeo ut operam noſtram non deſiderent, præcipue cum Notas in univerſos canones non edamus.

CAPUT X.

De Concilio Carthaginienſi ſexto.

I. ORdo veteris collectionis nos ducit ad Concilium Carthaginienſe ſextum: quod aliud eſt apud Iſidorum, aliud apud veterem collectorem. In illo quippe perturbata Conciliorum ſerie octavum ſeu Milevitanum dicitur; quod in collectione antiqua rectiſſime ſextum nuncupatur, depulſis ex eo gradu ſexto vulgato & ſeptimo, quæ in veteri ſeptimum & octavum vocantur. Sane cum in eo, quod dicitur ſextum recitata fuerint priora Concilia, neceſſe eſt ut ea de quibus ſtatim agemus, inſerta fuerint illius Concilii actis, & numero ſuo tempore Concilium ſextum vulgo dictum anteverterint. Nos tamen recepta numerandi conſuetudine uſi perpetuo ſextum Carthaginienſe vocamus quod eo nomine huc uſque deſignatum fuit juxta collectionem Iſidori depravatam in illis numeris; qui tamen hujus mutationis cauſſam ſibi viſus eſt aliquam habere ex eo quod ſynodum Milevitanam a Carthaginienſibus ſecernebat.

II. Quod ad rem attinet, in collectione Dionyſii exhibetur ſynodus Milevitana prima celebrata Arcadio & Honorio Augg. v. Conſſ. ſexto Kalendas Septembris, id eſt, anno quadringenteſimo ſecundo, in civitate Milevitana, conſidente Aurelio Carthaginienſi Epiſcopo *in Concilio univerſali*, ut habent acta. Differt hæc ſynodus ab altera ejuſdem nominis, quæ habita fuit contra Pelagium Honorio vii. & Palladio Conſſ. anno ccccxvi. ſub Silvano Primate Numidiæ ab Epiſcopis ejus provinciæ; cujus epiſtola ſynodica exſtat inter epiſtolas ſancti Auguſtini. Exiſtimabat Baronius duo iſthæc Milevitana Concilia in unum compacta a collectoribus, & canones de gratia in ſecundo editos, tranſſcriptos eſſe in primum, & ceteris canonibus editis in primo adjunctos. Quod tamen dici non debet, cum nullos canones de gratia ediderit ſecundum Milevitanum, licet Pelagii hæreſim Epiſcopi proſcripſerint, contenti datis ad Innocentium litteris, quæ exſtant apud Auguſtinum, ſententiam ſuam ſignificaſſe.

Auguſt. n. epiſt. 92.

III. Fatendum eſt quidem in collectione veteri canones quoſdam deſumtos ex ſynodo Milevitana prima, compactos fuiſſe in unum corpus cum aliis canonibus depromtis ex duobus Conciliis Carthaginienſibus celebratis anno quadringenteſimo ſeptimo & anno quadringenteſimo decimo octavo. Quare huic compilationi ſequens titulus præfigitur in veteri. *Concilium ſextum Carthaginis Africæ, & in Milevitana civitate habitum.* Quibus verbis ſatis ſignificatur hoc corpus e variis Conciliis eſſe conſarcinatum. Enimvero licet Milevitanum tempore ſit potius, quoniam tamen Carthaginis nomen dignitate præcellit, & plures canones petiti ſunt e duobus Conciliis Carthaginienſibus, huic Carthaginienſis nomen inditum eſt a veteri collectore, tum etiam ne perturbaretur ordo numerandi hæc Concilia ſub nomine Carthaginienſium, quamvis non taceatur in titulo nomen Milevitani.

IV. Ceterum quoniam ratio fidei ceteris articulis præfulgere debet, vetus collector Concilium iſtud auſpicatus eſt ab octo canonibus de gratia Dei editis adverſus Pelagium, quos ex univerſali Concilio Carthaginienſi celebrato anno quadringenteſimo decimo octavo, cujus acta ſunt apud Dionyſium, tranſſcripſit, & in capite ceterorum canonum po-

fuit. Sane partem præfationis Milevitano primo præfixæ uſurpavit; & ut materias connecteret, de ſuo hæc ultima verba addidit aut ex præfatione Carthaginienſi illi præfixa qua caremus: *Ideoque pariter quædam de cauſſis fidei, unde nunc quæſtio Pelagianorum imminet, in hoc cœtu ſanctiſſimo primitus tractentur, deinde ſubſequantur & aliqua quæ diſciplinæ eccleſiaſticæ neceſſaria exſiſtunt.*

V. Præterea ut Carthaginienſibus Conciliis potiorem locum daret, poſt octo canones de gratia ſubjunxit canones petitos ex altero Carthaginienſi anni CCCCVII. quorum primus eſt apud Dionyſium, de Concilio univerſali Africæ, ne fiat quotannis, ſed quando exegerit cauſſa communis; qui eſt in hoc noſtro nonus. Depromti ſunt ex eodem Concilio anni CCCCVII. canones X. XI. XII. & XVI. qui proprius eſt Africæ apud Dionyſium. *Placuit præterea ut exſecutores in omnibus deſideriis quæ habet Eccleſia quinque poſtulentur, qui in diverſis provinciis impertiantur.* Agit de publicis exſecutoribus poſtulandis a Principe, qui rebus Eccleſiæ immineant. Vetus autem, non deſignato numero, ſic generaliter expreſſit: *Placuit præterea ut exſecutores in omnibus juſtis deſideriis impertiantur*: addita quoque per modeſtiam voce *juſtis*, quæ patribus Africanis exciderat.

Decimus ſeptimus indidem quoque eſt deſumtus, quo cavetur ne dimiſſus vel dimiſſa, etiam ob adulterium, alteri conjungantur. Qua definitione tandem ſopita eſt antiqua illa quæſtio in Arelatenſi primo & apud Græcos indeciſa.

Decimus octavus eſt hauſtus ex eodem Carthaginienſi, verbis quæ in authentico ſunt Africæ propria ad conſtitutionem generalem accommodatis. *Quicumque non communicans in Africa, in transmarinis ad communionem obrepſerit, jacturam clericatus accipiat.* Ita Dionyſius. Vetus autem ſic habet. *Quicumque non communicans in provincia propria, & in aliis provinciis vel transmarinis partibus ad communicandum obrepſerit, jacturam communionis vel clericatus accipiat.*

Petita quoque ſunt ab eodem Concilio capitul. XIX. & XX. ubi conſtituitur ne quis pergat in comitatum Principis ſine formata, verbis accommodatis in veteri ad uſum communem, quæ in authentico de formata miſſa ad Romanam Epiſcopum loquuntur. Omiſſa vero ſunt alia illius Concilii capita a collectore veteri, quoniam propria erant Africæ.

VI. Ex Milevitano Concilio deſumta ſunt capitula XIII. XIV. XV. quæ agunt de Epiſcoporum ordine inter ſe, de litteris dandis ab ordinatoribus cum die & Conſule, & ne quis ad aliam Eccleſiam trahatur quicumque in ſua vel ſemel legerit. Reliqua capita, de archivo Numidiæ, de Quodvul deo & Maximiano, ideo ſunt omiſſa a veteri quia ſunt ſpecialia negotia Africæ.

VII. Ex Concilio Carthaginienſi anni CCCCXVIII. petiti ſunt canones XXI. XXII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. Reliquos omiſit vetus, quia de Donatiſtis Epiſcopis converſis & de partitione diœceſeon inter eos & catholicos Epiſcopos cum agant, ad Africam ſolam pertinent. Sane canon viceſimus tertius, qui eſt de converſo ab hæreſi ad unitatem catholicam & ſuſceptam apud hæreticos pœnitentiam gerente, ut arbitrio Epiſcopi catholici tempus pœnitentiæ vel reconciliationis ei decernatur, neſcio quam ob cauſſam omiſſus ſit a Dionyſio; quem tamen vetus exhibet, & ſeries rerum docet ad hoc Concilium pertinere, ubi de converſione Donatiſtarum copioſe tractatur. Ex Ferrando qui meminit hujus canonis, colligitur in authentico actum de Donatiſta converſo, licet vetus ad omnes hæreticos generaliter definitionem more ſuo tranſtulerit. Ferrandus num. I. *Ut Epiſcopi judicio Donatiſtæ, qui apud ſuos acta pœnitentia convertitur, tempus pœnitentiæ vel reconciliationis decernatur. Concilium Carthagin. tit. II.*

Ceterum acta Conciliorum habitorum annis CCCCIII. CCCCIV. & CCCCV. quæ de conveniendis Donatiſtis agunt & de legationibus ad Principes, prudenter vetus collector diſſimulavit, quoniam ſuo inſtituto non ſerviebant.

CAPUT XI.

De reliquis Conciliis Africanis.

I. AGmen Conciliorum Carthaginienſium claudet illud quod vocant ſeptimum, cum de ſexto & octavo ſuperius egerimus. De ſeptimo controvertitur an ſit idem Concilium cum ſexto. Non differre putant Binius & Juſtellus, quoniam ſextum habitum eſt poſt conſulatum Honorii XII. & Theodoſii VIII. octavo Kalendas Junias Carthagine, ſeptimum vero eodem loco & quinque poſt illa diebus, nempe III. Kalendas Junias. Non ſolum autem locus & tempus conveniunt, ſed etiam numerus Epiſcoporum ducentorum decem & ſeptem qui reſediſſe in Concilio ſexto dicuntur in præfatione Concilii, & huic ſeptimo eodem numero ſubſcripſiſſe teſtatur collectio Dionyſii. Attamen vetus collector adnotat hoc Concilium a triginta octo Epiſcopis celebratum, corrupto calculo. Legendum enim, XXIII.

II. Ante quam hunc nodum diſſolvam, obſervandum eſt a Ferrando canones huic ſeptimo Concilio tributos laudari tamquam e Concilio a reliquis Carthaginienſibus diverſo, ut patet ex numerorum ſerie quam ſequitur, ſimilem computationi quæ eſt in veteri collectione; cujus fides ex eo probanda eſt quod in Concilio iſto diſtinguendo in ſexto adſtipulatorem habeat Ferrandum Diaconum. Ille vero canones iſtos citat num. LXXIII. CXCV. CXCVI. & CXCVII. Ratio vero hujus diſcriminis patet ex actis Concilii ſeptimi, quæ docent pleroſque Epiſcopos ex illis CCXVII. qui convenerant, conqueſtos fuiſſe ceterorum quæ agenda ſupererant, moras ſe ſuſtinere non poſſe. Quare ut illis redeundi in Eccleſias commeatus facilior eſſet & ſe ad iter accingendum parare poſſent, ab univerſali Concilio delecti ſunt judices numero XXIII. qui reliqua peragerent, ſcilicet præter Aurelium Carthaginienſem & Fauſtinum Epiſcopum Potentinum Legatum Eccleſiæ Romanæ, decem Epiſcopi legati provinciæ proconſularis, tres legati Numidiæ, tres legati provinciæ Byzacenæ, tres legati Mauritaniæ Sitifenſis, tres legati Mauritaniæ Cæſarienſis. Una cum judicibus delectis conſedit Aurelius, & canones quinque promulgavit. Quare non immerito Concilium diverſum dici poteſt quod nova ſtatuta minore judicum numero decernit. His capitulis conſtitutis ſubſcripſere qui ea ediderant. Die ſequenti, id eſt, ſecundo Kalendas Junias, iidem electi judices epiſtolam ad Bonifacium Papam dictarunt, quæ clauſit acta Concilii ſexti, & poſita eſt poſt canones hujus ſeptimi conventus. His geſtis in unum compactis & epiſtolæ ad Bonifacium die illo, nempe ſecundo Kalendas Junias, ſubſcripſere, non ſolum Aurelius & provinciarum legati, ſed etiam Epiſcopi omnes uſque ad ſuperiorem numerum CCXVII. ante quam Carthagine diſcederent; non autem in ſuis quique Eccleſiis, ut putabat Baronius.

III. Quæ dixi hauſta ſunt ex interlocutione Aurelii apud Dionyſium: qui poſt decreta quinque illa capitula a ſe & a legatis provinciarum, ait ſibi placere rerum omnium concluſionem facere, id vero ita fieri poſſe ſi primum quæ die illa tractata fuerant, id eſt, capitula quinque, geſtis inſerantur: quæ eſt ſententia horum verborum: *Univerſi tituli deſignati & digeſti hujus diei tractatum Eccleſiæ geſta ſuſcipiant.* Titulus ille generalis qui diſceptandus in hoc cœtu propoſitus fuerat, reſpicit perſonas quæ ad clericorum accuſationem admitti non poſſent. Hujus quæſtionis deciſio digeſta eſt per capita quædam, ita ut primo excommunicati non admittantur; ſecundo ſervi, liberti, hæretici, pagani, Judæi, & infames; tertio ut qui unum crimen non probaverit, ad cetera non admittatur; quarto qui ad teſtimonium admittendi non ſint; quibus ſubjungitur de Epiſcopo qui excommunicat eum quem ſibi ſoli crimen dicit eſſe confeſſum. Hæc omnia per capita digeſta, ad explicandum titulum ſive argumentum propoſitum, geſtis illius diei inſerenda interloquitur Aurelius. Subjungit: *Quæ vero adhuc expreſſa non ſunt, die ſequenti per fratres*

no-

noſtros Fauſtinum Epiſcopum, Philippum & Aſellum Presbyteros, venerabili fratri & coepiſcopo noſtro Bonifacio reſcribemus. Et ſubſcripſerunt. Aurelius &c. Die itaque ſequenti judices illi delecti de reſcribendo ad Bonifacium acturi erant. Interim ſubſcribunt huic definitioni, ſcilicet iidem illi qui de ea tractaverunt. Deinceps, quia perventum erat ad finem totius diſceptationis & geſtorum in controverſia cum Fauſtino, ceteri quoque Epiſcopi uſque ad numerum CCXVII. actis ſubſcripſere, & ipſi quoque epiſtolæ ad Bonifacium datæ: quæ univerſis Epiſcopis præſentibus relecta eſt.

C A P U T XII.

De canonibus adverſus Pelagium.

NUnc operæ pretium eſt canonum de gratia latorum adverſus Pelagium occaſionem & definitionum rationes paucis recenſere, remiſſa ad Theologos uberiori harum rerum tractatione.

I. Primo capitulo de ſtatu & conditione naturæ Adami ante illius lapſum decernitur adverſus Pelagianos, qui dicebant Adamum ſic creatum ut etiam ſine peccati merito moreretur, teſte Auguſtino. Cur autem illhæc aſſererent, cauſſa in promru eſt, ne pœnam aliquam in poſteros ex primi parentis peccato tsaduci faterentur. Hoc dogma cum objectum eſſet Pelagio ex Cæleſtii ſcriptis in ſynodo Dioſpolitana, nempe *Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet; quoniam peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit & non genus humanum*, hæc (inquit Auguſtinus libro de geſtis Pelagii cap. XI.) *judicio illo eccleſiaſtico, anathematizante Pelagio, & Epiſcopis interloquentibus, conſtat eſſe damnata.* A qua tamen perverſa ſententia non diſceſſere Pelagiani, ut paſſim docet Auguſtinus, tum libro primo imperfecti operis contra Julianum cap. LXVI. Quare neceſſaria fuit Concilii hujus Carthaginienſis conſtitutio; quam ſecuta eſt Tridentina ſynodus. Dogmatis hujus auctoritas ex ſacris libris petenda eſt, in quibus diſerte traditur mortem humano generi pœnæ loco inflictam eſſe propter peccatum primi hominis, in epiſtola ad Romanos cap. V. & VIII. in libro Sapientiæ cap. I. & II. Quare non immerito caput iſtud intra fidei regulam reponitur ab Auguſtino lib. XIII. de civ. cap. XV. *Unde conſtat inter Chriſtianos veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipſam nobis corporis mortem, non lege naturæ, quia nullam mortem homini Deus fecit, ſed merito inflictam eſſe peccati; quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini in quo tunc omnes eramus: Terra es, & in terram ibis.* Mediæ igitur conditionis Adamus erat inter immortalitatem & mortalitatem, amborum capax; ut eleganter obſervat vetus auctor Theophilus Antiochenus ad Antolycum; ita tamen ut natura mortalis eſſet, quippe qui pabulo egeret quod illi Deus ex omnibus fructibus conceſſerat præter vetitum; ſed gratia & beneficio Dei futurus immortalis ex paſtu ligni vitæ, ut docet Auguſtinus lib. XII. de civit. cap. XX.

Auguſtin. lib. de peccat. mer. c. 2.

II. Secundo capitulo damnatur aliud Pelagianorum dogma quod primo conſequens erat, ſcilicet nullum reatum ex Adami proprio peccato ad ejus poſteros origine tranſire; integram proinde ac nulli ſceleri nullique pœnæ obnoxiam eſſe parvulorum recentium ab uteris matrum naturam. Peccatum itaque originale tollebat. Hoc inter capita de quibus interrogatus fuerat Cæleſtius in ſynodo Carthaginienſi anno CCCCXII. primum fuit, ut teſtatur Auguſtinus lib. I. de peccat. orig. cap. II. III. & IV. *Et Cæleſtius quidem*, inquit, *in hoc fuit errore liberior, ut neque in epiſcopali judicio damnare voluerit eos qui dicunt quod peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum, & quod infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu ſunt in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Ideo traducem peccati negabat, idque ſe Romæ dicentem aſſerebat audiſſe Rufinum, teſte eodem Auguſtino. Quod objectum eſt quoque Pelagio in Dioſpolitana ſynodo. Fatebatur quidem, ut ſcripturæ teſtimoniis ſatisfacere aliquo pacto videretur, ſolo Adamum exemplo nocuiſſe, quo poſteros traheret ad imitandum, ſed nec reatum neque pœnam peccati ad poſteritatem tranſmiſſam.

III. Opponebatur illis grave argumentum petitum ex baptiſmo parvulorum. Eum quidem illi admittebant, ſed in hoc tantum ut baptizati in filios Dei adoptarentur & conſequi poſſent regnum cælorum, non autem ut ab originalis peccati vinculo ſolverentur; a quo cum liberos dicerent, vitam illis beatam & æternam promittebant, quamvis extra regnum Dei, ad quod per ſolum regenerationis lavacrum admitti poſſe dicebant; ut copioſe ſcribit Auguſtinus hæreſi LXXXVIII. lib. I. de peccat. mer. & rem. cap. XXIX. epiſt. LXXXIX. & alibi. Non erat iſtud ſolius Pelagil commentum, quod illi commune fuit cum aliis qui ætate illa peccatum ex traduce negabant, ideoque baptiſmum in parvulis ad alium finem quam remiſſionis peccatorum trahebant. Inter quos Rufinus Palæſtinus in libro de fide, nuper editus a Sirmondo: qui alius eſt a Rufino Hieronymi adverſario. Rufini Palæſtini hæc ſunt verba: *Baptiſma igitur infantes non propter peccata percipiunt, ſed ut ſpiritalem procreationem habentes, quaſi per baptiſma in Chriſto creentur, & ipſius regni cæleſtis participes fiant.*

IV. Quare Cæleſtius in Carthaginienſi ſynodo anno CCCCXII. & in libello Romæ oblato dixit infantes egere baptiſmo. Hoc tamen admiſſo profligata eſt omnino nefaria Pelagii ſententia de peccato originali. Etenim baptiſmus adminiſtratur in remiſſionem peccatorum, ut docent ſcripturæ & fidei regula, in qua univerſa Eccleſia unum baptiſma confitetur in remiſſionem peccatorum. Ergo ipſi quoque infantes tinguntur ut peccata illis remittantur, non ſane propria, ſed vetus illud & originale peccatum. A quo nodo his verbis Cæleſtius expediebat ſe ſe in libello oblato Romæ apud Auguſtinum libro de pecc. orig. cap. V. *Infantes debere baptizari in remiſſionem peccatorum ſecundum regulam univerſalis Eccleſiæ & ſecundum evangelii ſententiam confitemur, quia Dominus ſtatuit regnum cælorum non niſi baptizatis poſſe conferri; quod quia vires naturæ non habent, conferri neceſſe eſt per gratiæ libertatem.* Mox addit: *In remiſſionem autem peccatorum baptizandos infantes non ideo diximus ut peccatum ex traduce firmare videamur: quod longe a catholico ſenſu alienum eſt &c. Et illud ergo confiteri congruum, ne diverſa baptiſmatis genera facere videamur. Et hoc præmunire neceſſarium eſt, ne per myſterii occaſionem ad creatoris injuriam malum ante quam fiat ab homine tradi dicatur homini per naturam.* Oppreſſum fere rationis hujus pondere ſe fatetur, qui tam molliter reſpondet. Neceſſe eſt, inquit, ut dicamus baptiſmum parvulis conferri in remiſſionem peccatorum. Alioqui duo genera baptiſmorum admittenda eſſent, alterum in adultis, quod in remiſſionem peccatorum datur, alterum in parvulis abſque remiſſione: quod eſſet abſurdum. Itaque dicit confitendum baptizari infantes in remiſſionem peccatorum. Quod ſic intelligere eum oportebat juxta ſuæ ſectæ regulam, quoniam idoneus eſt baptiſmus ad ea delenda, quando inciderint in futurum; ſed nihil aliud in parvulis agi tunc vi lavacri quam ut Deo conſecrentur, adoptentur in filios, & regnum cælorum adipiſci poſſint. Addebant quoque, ut bene nati meliores fierent, apud Proſperum initio libri *De ingratis*.

V. Cavillationem illam elidit robuſte Auguſtinus, & ſynodus ipſa Carthaginienſis hoc capitulo ſecundo. Etenim ſi parvuli nihil ex Adam trahunt originalis peccati quod lavacro regenerationis expietur, inde fit conſequens ut in *eis forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur.* Quæ verba videntur prima fronte innuere ampliorem fuiſſe baptiſmi formulam quam ſit illa qua hodie utitur Eccleſia Romana, *Baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, addita ſcilicet iſthac clauſula, *in remiſſionem peccatorum*. Alioqui mancum & elumbe videtur ſynodi argumentum. Sed obſervandum eſt formam baptiſmatis non accipi ea ſignificatione quæ in ſcholis huic nomini tribuitur, quando de materia & forma baptiſmi diſputant. Sumitur heic pro ritu, ordine, & forma

ba-

Digitized by Google

baptiſmi in Eccleſia univerſali exerceri ſolitæ; ubi ſuus eſt locus interrogationi qua a cathecumenis mox tingendis fidei Chriſtianæ profeſſio exigitur, & inter cetera capita, remiſſionis peccatorum per baptiſmum conſequendæ. Hoc fidei compendium vocatur regula fidei ab Irenæo, Tertulliano, Auguſtino, & aliis veteribus. Hæc eſt quam regulam univerſalis Eccleſiæ vocabat Cæleſtius in loco ſuperius prolato. Symbolum quoque fidei dicitur ab Hieronymo hac de re loquente libro tertio adverſus Pelagianos. *Hoc unum dicam*, inquit, *ut tandem finiatur oratio, aut novum vos debere ſymbolum tradere, ut poſt Patrem & Filium & Spiritum Sanctum baptizetis infantes in regnum cælorum; aut ſi unum & in parvulis & in magnis habetis baptiſma, etiam infantes in remiſſionem peccatorum baptizandos in ſimilitudinem prævaricationis Adam*. Poteſt quoque Hieronymus explicari de ſymbolo ſeu fidei libello a patribus in ſynodo Conſtantinopolitana ſecunda edito, ubi confitentur diſerte baptiſma dari in remiſſionem peccatorum: quem libellum cum ſynodus œcumenica anno CCCLXXXI. conſtituiſſet, anno ſequenti iterum coacta Conſtantinopoli, per ſynodicam epiſtolam ad Damaſum Papam tranſmiſit. Quare regulam fidei a ſynodo Nicæna & Conſtantinopolitana explicatam ſequi ſe profitentur Legati apoſtolici in Concilio Chalcedonenſi. Attamen uſus ſymboli illius recitandi in myſteriis ſtatim non obtinuit, qui primum inductus eſt in occidente a Concilio Toletano tertio ſub Recaredo Rege.

VI. Ceterum Hieronymi argumentum ſimile eſt illi quod uſurpant patres Africani, qui præterea praxim Eccleſiæ de tingendis infantibus in remiſſionem peccatorum confirmant Apoſtoli teſtimonio, qui ait in Adamo omnes peccaſſe: quem locum de peccato originis Eccleſiam catholicam ubique diffuſam ſemper intellexiſſe dicunt. Mox definitionem his verbis concludunt: *Propter enim hanc regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in ſe ipſis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remiſſionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt.*

CAPUT XIII.

De Pelagii dogmatibus & arcanis.

I. ANtequam ad ſequentia capitula accedamus, quæ agunt de vi & neceſſitate gratiæ, penetrare oportet in Pelagii arcana, qui ſubdolis & verſutis artibus doctrinam ſuam occulebat; ut qui gratiam Chriſti evertere conabatur, eam tamen videretur aſtruere, ne catholicorum hominum conviciis pateret. Docebat itaque liberum hominis arbitrium, quod ex Adami peccato nullum vitium contraxerat, innatis viribus ex ſolo ſuæ conditionis præſidio poſſe bonum amplecti, malum vitare, & aſſequi regnum cælorum, *& ubi in utraque parte libera eſſent ſtudia voluntatis, non facultatem his qui mali ſunt ad bonum deeſſe, ſed ſtudium*, ut loquitur Proſper de illius hæreſi agens in libro de libero arbitrio ad Rufinum. Hanc ergo liberi arbitrii facultatem, gratiam vocabat, quæ nullis præcedentibus meritis, beneficio Dei, hominibus erat conceſſa, teſte Auguſtino pluribus in locis. Legis quoque & Prophetarum doctrinam alteram gratiam docebat Dei beneficio hominibus conceſſam, ut intelligerent quid ſequi deberent, quid fugere, objectis ſuppliciorum terroribus & gloriæ magnitudine & piorum hominum exemplis. Gratia legem in adjutorium miſit, ut rationis lumen quod pravitatis exempla hebetabant, & conſuetudo vitiorum multimodis eruditionibus excitaret atque invitatu ſuo foveret, inquit Julianus Pelagianus.

Auguſt. lib. de hæreſ. & epiſt. 105.

II. Addebat tamen Pelagius, poſt adventum Chriſti neminem ad ſalutem pervenire poſſe niſi per fidem in Chriſtum, per quam fidelis remiſſionem peccatorum ſive juſtificationem conſequebatur: quam gratiam per ſingula momenta & per ſingulos actus neceſſariam dicebat; quæ evangelii doctrina & Chriſti ipſius exemplo incipiebat & fovebatur. Sed calliditatem hominis detegit Auguſtinus, poſt relata Pelagii verba, in libro de gratia Chriſti cap. II. Docet enim eum ſignificaſſe, *ut ſemper in memoria retinentes & reminiſcentes dimiſſa nobis eſſe peccata, non peccemus ulterius, adjuti non aliqua ſubminiſtratione virtutis, ſed viribus propriæ voluntatis, quid ſibi remiſſione peccatorum præſtitum fuerit recordantes*. Idem libro de gratia & libero arbitrio cap. XIII. *Dicunt etiam gratiam Dei quæ data eſt per fidem Jeſu Chriſti, quæ neque eſt lex neque natura, ad hoc tantum valere ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia ſuperentur*. Idem libro III. contra Julianum cap. XXIII. *Verum tu a veſtro dogmate non recedis*, inquit, *quo putatis gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ſic in ſola peccatorum remiſſione verſari, ut non adjuvet ad vitanda peccata & deſideria vincenda carnalia, diffundendo caritatem in cordibus noſtris*. Hic Pelagii error damnatur tertio capitulo ſynodi Carthaginienſis. *Item placuit ut quicumque dixerit gratiam Dei qua juſtificatur homo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur, anathema ſit.*

III. Porro veræ gratiæ remiſſionis per fidem in Chriſtum multum detrahebat, qui ab ea auxilium non committendi peccata tollebat, ut dictum eſt. Præterea docebat fidem in Chriſtum, voluntate per evangelii prædicationem excitata, viribus naturæ elicitam provocare quidem Dei miſericordiam ut peccata hactenus admiſſa gratis condonet, ceterum recordatione illius remiſſionis ſemel adeptæ voluntatem hominis opera legis ſtudioſe exercentem poſſe reſtituere ſe a lapſu & perfectam juſtitiam colere. Remiſſionem autem illam in ſola peccatorum relaxatione conſtituebat & favore Dei externo, non in caritate in cordibus diffuſa, ut docuit Auguſtinus; qui recte adverſus Pelagium diſputat, ſi fides naturæ viribus acquiratur, ipſaque fides remiſſionem impetret, hanc non omnino citra ulla merita dari, ut tradebat Pelagius victus Apoſtoli auctoritate docentis hominem juſtificari gratis. Unde ſequebatur primum illud Pelagii dogma de fide naturæ viribus adepta, eſſe falſum. Ut autem hoc gratiæ genus melius aperiatur, ſciendum eſt duplicem ab eis gratiam conſtitutam, alteram quæ extrinſecus oblata menti, voluntatem alliciat, quæ libero arbitrio ſit veluti magiſtra, ſeque per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, per terrores extrinſecus judicio ejus oſtendat; quo unuſquiſque ſecundum voluntatis ſuæ motum, ſi quæſierit, inveniat: quia ſcilicet gratiæ ipſius vocatio hoc primum circa nos agat ut noſtræ facultatis arbitrium admoneat, nec aliud ſit gratia quam lex, quam propheta, quam doctor, ut loquitur Proſper ad Rufinum. Quæ quidem auxilia a Deo conferri dubium non eſt. Sed quæ ſequuntur, damnabuntur in doctrina Pelagii, nempe *ut qui ſic educti voluerint credant, & qui crediderint, juſtificationem merito fidei & bonæ voluntatis acquirant*, ut loquitur idem Proſper. Hanc gratiam juſtificationis per fidem in Chriſtum in baptiſmo conſerri ajebant; de qua Julianus apud Auguſtinum libro primo operis imperfecti: *Hæc ergo gratia, quæ in baptiſmate non ſolum peccata condonat, ſed cum hoc indulgentiæ beneficio & provehit & adoptat & conſecrat; hæc inquam gratia meritum mutat reorum, non liberum condit arbitrium.*

IV. Præter gratiam remiſſionis, aliam quoque Pelagius admittebat qua Deus interiore mentis illuſtratione cordis oculos aperit, ut ſciat homo quid fugiendum, quid amplectendum, ſed qua nihil in voluntate efficit ut homo agere valeat: quam gratiam his verbis exponit apud Auguſtinum libro primo de gratia Chriſti cap. VII. *Adjuvat enim nos Deus per doctrinam & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi & ineffabili dono cæleſtis gratiæ illuminat. Qui hæc dicit, gratiam tibi videtur negare? An & liberum hominis arbitrium & gratiam Dei confitetur?* Et capite decimo eamdem gratiam a Pelagio commendari dicit qua *Deus*

futu-

futura gloria magnitudine & præmiorum pollicitatione ſuccendit, dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem, dum nobis ſuadet omne quod bonum eſt. Quare gratiam profitebantur quæ mentem illuminaret, non quæ dilectionem inſpiraret voluntati. Hunc errorem diſpunxit ſynodus Carthaginienſis capitulo quarto. *Cum enim dicat Apoſtolus*, ſcientia inflat, caritas vero edificat, *valde impium eſt ut credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Chriſti, ad eam quæ ædificat non habere; cum ſit utrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.*

V. Deinde Pelagius tum gratiæ illi ſuæ, id eſt, illuminationi mentis, tum etiam gratiæ juſtificationis, id ſolum tribuebat ut juvaret ad facilius operandum, ita ut abſque gratia difficilius quidem, implere tamen poſſet homo divina mandata. Hæc ſunt Pelagii verba apud Auguſtinum libro primo de gratia cap. VII. Deum ait *illis quibus imperavit etiam gratiæ ſuæ auxilium ſubminiſtrare, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam.* Quem impii hominis errorem ſynodus Carthaginienſis damnavit anathemate capitulo quinto, ubi docet Pelagium iſta intellexiſſe etiam de illa quam docebat juſtificationis & remiſſionis gratia: quæ ſane illius etiam opinione munificentior erit quam mentis illuminationes quæ extrinſecus adveniebant.

VI. Poſſet mirari aliquis cur in capitulo tertio damnetur opinio Pelagii docentis gratiam juſtificationis ad peccatorum remiſſionem valere quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur; contraria autem opinio hoc capitulo illi tribui videatur ut gratia iſthæc conferat ad facilius operandum. Immo vero docebat Pelagius diſerte gratiam juvare ad reſiſtendum diabolo, quod idem eſt ac ſi diceret, ad peccata non committenda. Hæc ſunt illius verba apud Auguſtinum libro primo de gratia cap. XI. *Subditi ſimus Deo, ejuſque faciendo voluntatem, divinam mereamur gratiam, ut facilius nequam ſpiritui ſpiritus ſancti auxilio reſiſtamus.* Ad quæ iſthæc adnotat Auguſtinus: *In quibus ejus verbis certe manifeſtum eſt ita eum velle nos adjuvari gratia ſpiritus ſancti, non quia ſine illo etiam per ſolam naturæ poſſibilitatem non poſſimus reſiſtere tentatori, ſed ut facilius reſiſtamus.*

VII. Dicendum eſt Pelagium initio detraxiſſe gratiæ remiſſionis vires reſiſtendi peccatis; deinde vero catholicorum querelis exagitatum, ut invidiam tam novi & pernicioſi dogmatis amoliretur, hoc verbo negotium temperaſſe, dari gratiam ut facilius operetur homo & tentationi reſiſtat. Ceterum qui ſub ea voce latebat dolum ſynodus detegit, nempe ſignificari ſine iſto auxilio voluntatem bonum agere poſſe. Quod damnat Concilium; eaque damnatio coincidit cum ea quæ inſerenda eſt capiti tertio, qua docemur gratiam juſtificationis dari in adjutorium, non tantum ut facilius vitemus peccata, ſed abſolute ut vitemus, quoniam abſque ſubſidio gratiæ non poteſt liberum arbitrium reſiſtere tentatori nec concupiſcentiæ libidinibus. Quare tertio capitulo gratiæ neceſſitas docetur ad agendum; iſto vero Pelagii aſtutia detegitur & damnatur, qui auxilium illius admittebat ad facilius agendum.

VIII. Reſtat ultimum Pelagianæ hæreſeos dogma, quod tribus capitulis ſynodi confoditur, nempe ſanctos & juſtos eſſe ſine peccato. Sane Hieronymus in epiſtola ad Creſiphontem docet Pelagium initio dixiſſe poſſe hominem ſine peccato eſſe ſi velit; quod ille cum principio ita ſentiret & palam profiteretur, quoſdam fuiſſe & etiamnum eſſe perfectos qui peccato prorſus carerent, cum ea res invidiam illi crearet, eo confugit ut poſſe, ſi vellet, hominem ſine peccato eſſe diceret; non tamen aut eſſe aut fuiſſe quemquam ejuſmodi poſſe in natura: velle in arbitrio, eſſe in effectu locabat; *& poſſibilitatis acceptæ confeſſione laudari Deum, qui hoc poſſe largitus eſt, nec eſſe ibi ullam laudandi hominis occaſionem ubi ſolius Dei cauſſa tractatur. Non enim de velle aut eſſe, ſed tantummodo de eo quod poteſt eſſe diſſeri*; ut loquitur Pelagius apud Auguſtinum lib. 1. de gratia cap. IV.

IX. Ceterum cum verſutus iſte arcana doctrinæ ſuæ per vafritiem publice diſſimulata diſcipulos ſuos clanculum doceret, ut teſtatur Hieronymus, neceſſe eſt ut impeccantiæ iſtius dogma ſuorum auribus inſuſurrarit. Alioqui, niſi hoc foret, & niſi jam fœdus error vulgo ab hæreticis ſpargeretur, fruſtra laboraſſent Africani patres in damnatione eorum qui dicerent ſanctos & juſtos eſſe abſque peccato. Quod falſum eſſe probant capitulo ſexto, teſtimonio Joannis in epiſtola prima: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Idem conficiunt capitulis ſeptimo & octavo, teſtimoniis Jacobi Apoſtoli, Salomonis, & Danielis adductis, & ipſis quoque orationis dominicæ verbis graviter expenſis. Sane Auguſtinus hunc Pelagianis errorem tribuit libro quarto contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. IV. *Dicunt ſanctos in hac vita non habuiſſe peccatum; & ſic evacuatur oratio quam ſanctis tradidit qui non habebat peccatum, & per quam ſanctis orationibus dimittitur omne peccatum.*

X. Alius erat ejuſdem Pelagii error, cum diceret poſſe hominem eſſe abſque peccato, ſi velit. Attamen, ut animadvertit Auguſtinus, non ex eo præciſe condemnata eſt Pelagiana hæreſis quod hominem ſine peccato poſſe eſſe defenderet. *Nam qui dicunt eſſe poſſe in hac vita hominem ſine peccato*, inquit, *non eſt eis continuo incauta temeritate obſiſtendum. Si enim eſſe poſſe negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel miſericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus.* Itaque poſſe eſſe confitetur ſine peccato per Dei gratiam & liberum arbitrium; tametſi non eſſe confiteatur, eo quod ſcriptura neminem ſine peccato eſſe teſtetur. Quamquam Hieronymus libro primo contra Pelagianos, ex eo quod nemo umquam ſine peccato fuit, ne poſſe quidem eſſe quemquam arbitratur: quod de ordinaria potentia intelligendum eſt. Itaque Pelagiana hæreſis in eo conſiſtit, tum quod clanculum docebat ſanctos & juſtos eſſe quoſdam eo ſanctitatis gradu ut ſine peccato ſint, tum etiam quod ita poſſe perveniri ad illum ſtatum ajebat viribus liberi arbitrii, ut minime eſſet neceſſaria gratia Chriſti. Quamquam ſubdole addebat id non contingere abſque Dei gratia. Sed qualem intelligeret gratiam, patet ex antecedentibus.

Auguſt. lib. 1. de peccat. mer. c. 6.

Auguſt. n. ibid. c. 7.

XI. Ex iis quæ diſſeruimus manifeſtum fit damnatum a ſynodo fuiſſe quod in Pelagii commentis hæreſim olebat, prætermiſſis aliis capitibus quæ non abhorrebant a ſana doctrina; quale eſt de liberi arbitrii definitione, de auxiliis voluntatis. Certum quidem eſt Pelagium ſanam integramque putaſſe naturam hominis nulla originali labe infectam & debilitatam, quæ in poteſtate haberet tam bonum velle quam malum, nec præſidiis gratiæ egeret ut agere recte poſſet. Libertatem arbitrii dicebat Julianus Pelagianus, teſte Auguſtino libro primo contra Julianum operis imperfecti, in admittendi peccati & abſtinendi a peccato poſſibilitate conſiſtere & in quadam indifferentia ad plura. Hoc nullibi refellit Auguſtinus. Sed *liberum in hominibus eſſe arbitrium utrique dicimus*, inquit. *Non hinc eſtis Cæleſtiani & Pelagiani.* Quid autem in doctrina Pelagiana de libero arbitrio reprehendendum eſſet addit: *Sed ſi quis ad colendum recte Deum ſine ipſius adjutorio dicit eſſe in hominibus liberum arbitrium, & quiſquis ita dicit Deum naſcentium conditorem ut parvulorum neget a poteſtate diaboli redemtorem, ipſo Cæleſtianus & Pelagianus vocatur.* Quare non audiendi ſunt recentiores quidam, qui proprietatem & naturam liberi arbitrii qualem Pelagiani definiebant, ſcilicet in illo indifferenti ſtatu, inter hæretica decreta non ſatis bona fide percenſent contra veterum mentem, Hieronymi, Auguſtini, & ſynodi Carthaginienſis, qui litem nullam ea de re Pelagianis moverunt, quos auctores hujus doctrinæ ſcirent non eſſe, ſed illos eam ex communi Eccleſiæ ſenſu hauſiſſe.

Auguſtin. lib. 2. de nupt. c. 3.

XII. Legis magiſterium atque doctrinam prophetarum, evangelii prædicationem, exemplum Chriſti, gratiam juſtificationis, quæ peccata condonat in baptiſmo, adoptat & conſecrat, adjumenta & beneficia tum extrinſecus advenientia, tum interiores men-

mentis illuminationes a ſpiritu ſancto profectas docebat & admittebat Pelagius. Sed omnia recte inſtituendæ vitæ auxilia non damnavit Concilium Carthaginienſe, quoniam a regula catholicæ fidei non erant aliena. Præclare autem dixit Cyrillus Alexandrinus in commonitorio: *Non omnia quæ dicunt hæretici, fugere ac detrectare oportet. Multa enim aſſerunt ex iis quæ & nos ipſi profitemur.* Quippe, ut obſervat Gregorius Papa, *habent hoc hæretici proprium ut malis bona permiſceant, quatenus facile ſenſui audientis illudant.*

Gregor. lib. 5. Moral. c. 10.

XIII. Quæcumque autem perverſa & a veritate fidei Chriſtianæ abhorrentia docebant Pelagius & ejus ſectatores, anathemate confixa ſunt a patribus Africanis. Mortem inflictam Adamo in peccati pœnam, traductam in ejus poſteros originalis peccati labem negabant. Gratiæ neceſſitatem in adjutorium voluntatis, ut peccata vitare poſſit & mandata divina implere, non fatebantur. Sanctos eſſe ſine peccato, adverſantibus ſcripturis, tecte & ſubdole ſecreti ſui conſciis tradebant. Hæc ſunt falſa & hæretica dogmata, ex quibus præcipue conflatum erat ſectæ illius corpus, quæ damnata ſunt a patribus Africanis.

XIV. De vita æterna & regno cælorum quod docuit, gratiam eſſe, nec crimini vertit Auguſtinus neque ſynodus Carthaginienſis, niſi quatenus eam comparari per ſanctitatem docuit, quæ poſt adeptam gratuito juſtificationem per fidem in Chriſtum, naturalibus arbitrii viribus abſque gratiæ cooperantis neceſſitate per bonorum operum incrementa exercetur. Unde præedeſtinaſſe Deum ait filios *quos futuros ſanctos immaculatoſque præſcivit. Utique ipſe non fecit, nec ſe facturum, ſed illos futuros eſſe præſcivit*; ut loquitur Pelagius apud Auguſtinum. Caput erroris in eo verſatur quod conſtantiam illam & perſeverantiam in ſanctitate in ſola liberi arbitrii poteſtate abſque gratiæ neceſſariis adjumentis conſtituebat. Quod caput damnatum ſemel, non erat quod iterum in explicatione prædeſtinationis damnaretur a Carthaginienſi ſynodo, quæ ſpecialem de prædeſtinatione quæſtionem attingere noluit ob eas quas inferius pandemus illius conſilii rationes.

Auguſtin. lib. de prædeſt. c. 18. & 19.

CAPUT XIV.

De Concilio Dioſpolitano & aliis habitis in cauſa Pelagii.

I. CUm autem juxta legum & canonum ordinem nemo de crimine impeti poſſit, niſi aliquis accuſationem ſuſcipiat; hinc factum ut in conventu Hieroſolymitano quæ fuerat derelicta cognitio adverſus Pelagium, renuente Oroſio accuſatorem ſe gerere, ſtatim teſtaurata fuerit in ſynodo Dioſpolitana. Hæc a quatuordecim Epiſcopis Palæſtinis anno CCCCXV. in urbe Dioſpoli acta; cui præerant Eulogius Metropolita Cæſareenſis & Joannes Hieroſolymitanus, qui Pelagii perſonæ favebat. Eros quippe Arelatenſis & Lazarus Aquenſis Epiſcopi Gallicani Palæſtinam advecti, capitulis aliquot ex Pelagii libris collectis, eum libello dato reum detulerant apud ſynodum illam: quo cum ſe ad accuſationem proſequendam conferrent, alter eorum morbo implicitus, ut neque ſocius illius qui curam ægri gerebat, adeſſe potuerunt, ut docet vetus auctor apud Photium codice LIV. Quare judicium factum eſt reo tantum præſente, abſentibus ex juſta cauſſa & non tergiverſantibus accuſatoribus: quod non oportuit factum, ſed differenda cognitio ex juris ordine. Verumtamen cum ex libelli editione de crimine objecto conſtaret, & Pelagius evocatus capitula ſibi objecta damnaret anathemate, viſum judicibus catholicum pronuntiandum qui catholicam fidem profiteretur & dogma hæreticum abnegaret. Subreptum tamen illis fuit ab homine doloſo & veteratore, qui verborum ambiguis ſtrophis virus ſuum tegens, Epiſcoporum ſententiam a capite ſuo avertit: quod non accidiſſet ſi accuſatoribus præſentibus judicium ex more actum fuiſſet, qui diſſimulatorem urgentes, quas nectebat cavillationes ſolviſſent. Judicio ergo ex una parte facto, denuo poterat eadem cauſſa diſceptari, nec ſententia eo modo lata poterat in rei judicatæ vim tranſire; præſertim cum ſtatim de Pelagii doliſqui ſubinde detecti ſunt, viri pii & eruditi conqueſti fuerint. Hinc eſt quod Auguſtinus obſervat ut rem magni momenti, accuſatores ad diem ſynodi occurrere non potuiſſe, & illis abſentibus, licet perlecto libello, Pelagium abſolutum. *Per idem tempus in Oriente, in Syria, Palæſtina Pelagius a quibuſdam catholicis fratribus ad epiſcopalia geſta perductus, eiſque abſentibus qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem ſynodi non potuerunt occurrere, ab Epiſcopis quatuordecim auditus eſt; ubi cum dogmata ipſa damnantem quæ inimica gratiæ Dei adverſus eum de libello legebantur, catholicum pronuntiaverunt.* Idem auctor iiſdem Epiſcopis libro primo contra Julianum cap. v. Pelagium *ut homines, nullo ex altera parte urgente adverſario, putantes catholicum, tamquam catholicum pronuntiaverunt.* Quare cum ſynodus iſta Pelagii artibus deluſa fuerit, miſerabilem ſynodum Hieronymus eam appellavit; præcipue cum poſt judicium iſtud Dioſpolitanum Pelagii fautores in Hieronymum, qui ſui tuendi cauſſa ad turrem munitam ſe recepit, & in ejus monaſteria cædibus & incendiis crudeliſſime graſſati ſint, teſte Auguſtino in libro de geſtis Pelagianorum.

Aug. lib. 2. retract. cap. 47.

Hieron. epiſt. 79.

II. In his itaque anguſtiis, hinc Pelagii a ſynodo abſoluti, inde erroris redivivi, quem nec a ſe ejuratum Pelagius jactabat, inducta nova gratiæ Dei interpretatione, Eros & Lazarus accuſatores inſtaurandum eſſe judicium arbitrati ſunt. Porro cum juxta canones Antiochenos major ſynodus minorem diſcutere debeat, certum eſt Pelagii cauſſam vel apud orientis univerſi Exarchum, Antiochenum Epiſcopum, agendam fuiſſe, vel ſane apud Romanum Pontificem, cum cauſſa communis eſſet & univerſalem Eccleſiam contingeret. Hoc ergo conſilium ceperunt, Hieronymo ſine dubio auctore, ut per Oroſium Presbyterum in Africam redeuntem Epiſcopos Africanos litteris monerent de iis quæ Dioſpoli geſta erant & de gravi illo diſcrimine in quo vera fides verſabatur ob Pelagii abſolutionem præpropere & præpoſtere factam. Non ſe contulere Carthaginem, tum quia eorum præſentia neceſſaria non erat, cum rei abſentes eſſent, tum quia ex ægritudine nondum erant reſtituti. Quo alludit Zoſimus cum illis exprobrat iratus quod otioſi & delicati in lectulis ſuis reſediſſent, ut patebit ex loco inferius proferendo. Adeundorum Africanorum hic color fuit quod de hac cauſſa ante quinquennium adverſus Cæleſtium ea decreviſſent quæ abſolutione Pelagii ſubverti videbantur. Veritatis ergo Chriſtianæ tuendæ ſuique decreti propugnandi cauſſa in hæreſim iſtam Carthagine ſynodus provinciæ proconſularis coacta ſub Aurelio anno CCCCXVI. inquiſivit, & ſtatim ejus exemplo ſynodus quoque Numidiæ Milevi habita, cui interfuit Auguſtinus. Utraque ſynodus, diſcuſſo negotio, relationem mittit ad Innocentium Papam, ut ipſe ſua auctoritate firmaret quod Epiſcopi cenſuiſſent de damnando Pelagio & Cæleſtio eorumque hæreſi.

III. Sane ſynodica epiſtola Concilii Carthaginienſis litterarum ab Erote & Lazaro miſſarum per Oroſium meminit & judicii Dioſpolitani; cujus tamen acta nondum ad Africam pervenerant. Non tacent damnationis ante quinquennium adverſus Cæleſtium hujus erroris complicem a Carthaginienſi Concilio latæ decretum. Moxque ſubjungunt: *Quo recitato, quamvis judicatio manifeſta conſtaret, quia illo tempore epiſcopali judicio exciſum hoc tantum vulnus ab Eccleſia videretur, nihilominus tamen id deliberatione communi cenſuimus, hujuſmodi perſuaſionis auctores,* Pelagium & Cæleſtium, *quamvis & ad presbyterium idem Cæleſtius poſtea perveniſſe dicatur,* (in Aſia ſcilicet, ut docet ſynodica Concilii Milevitani) *niſi hæc apertiſſime anathematizaverint, ipſos anathematizari oportere; ut ſi ipſorum non potuerit, ſaltem eorum qui decepti ſunt ab eis vel decipi poſſunt, cognita ſententia quæ in eos lata eſt, ſanitas procuretur.* Ceterum hic admonendus eſt lector cognitionem quidem adverſus Pelagium & Cæleſtium ab hac ſynodo inſtitutam juriſdictione ordinaria, quæ illos eorumque errores damnandos cen-

cenſuit, non autem illa auctoritate privata qua magiſtri placita philoſophorum vel ſectariorum expungere ſolent. Epiſcopi enim quod cenſent in ſynodo, ut judices controverſiæ propoſitæ conſtituunt.

IV. Non diſſimulanda eſt quæ in contrarium promi poteſt objectio, Epiſcopis Africanis nihil competiviſſe juris in Pelagium, nec retractandæ ejus abſolutionis quam impetraverat a ſynodo Dioſpolitana, in quam Concilium Carthaginienſe nullam poterat exercere juriſdictionem. Hoc quidem ultimum certum eſt, cum illa juriſdictio ſoli Antiochenæ vel apoſtolicæ ſedi competeret. Attamen cum de Cæleſtio judicium olim ſuſcepiſſet Carthaginienſis ſynodus, poterat in correum ejuſdem criminis Pelagium, ne continentia cauſſæ divideretur, inquirere & conſtituere quid agendum videretur; præcipue cum de fide mota eſſet quæſtio, quæ omnes tangit, & cujus conſervandæ ſolicitudo omnibus Epiſcopis impoſita eſt. Sed obſervandum eſt temperamentum quod prudenter & neceſſario adhibent in dijudicando negotio. Judicant, ſed non pronuntiant. Referunt ad Papam Innocentium, ut ipſe ſummo jure decernat. Prorſus eo modo ſe geſſerunt quo ſolebant Præſides provinciarum agere erga Principem, ad quem graviores & difficiliores cauſſas referebant, ſententia ſua ad eum cum litis actis tranſmiſſa ante quam litigatoribus pronuntiaretur, ut Princeps aut decerneret ipſe, aut quid decernendum a Præſide, reſcriberet. Exſtant tituli de relationibus & conſultationibus in corpore juris, & earum uſus apud Plinium; quæ duplex illud nomen ſortitæ, quia referebatur ad Principem, & ipſe conſulebatur. Relationum quoque ſynodicarum orientis & occidentis ad Romanam ſedem exempla ſuperſunt; de quibus nos egimus libro primo *de Concordia ſacerdotii & imperii* cap. x.

V. Quare expendenda ſunt ſynodi Carthaginienſis verba. *Cenſuimus*, inquiunt, *anathematizari oportere*. Definiunt quid agendum videatur, ſed non pronuntiant. Id ſummæ ſedi reſervant, cujus auctoritas per univerſam Eccleſiam expanſa porrigitur. Quod docent verba ſequentia. *Hoc itaque geſtum, Domine frater, ſanctæ caritati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas pro tuenda ſalute multorum & quorumdam etiam perverſitate corrigenda*. Eodem tendit ſynodica Concilii Milevitani, quæ Epiſcoporum culpæ imputandum fore ait, ſi quæ ſunt ſuggerenda ſedi apoſtolicæ pro Eccleſiæ commodo tacuerint. Quapropter de nova hæreſi ad Innocentium reſcribunt, ut ipſe paſtoralem diligentiam magnis periculis adhibeat. *Quia te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in ſede apoſtolica collocavit, talemque noſtris temporibus præſtitit ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem quæ pro Eccleſia ſunt ſuggerenda tacuerimus, quam ea tu poſſis vel faſtidioſe vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris. Nova quippe hæreſis & nimium pernicioſa tentat aſſurgere inimicorum gratiæ Dei*: adverſus quam deinde copioſe diſputant.

CAPUT XV.

Quid egerit Innocentius I. poſt acceptas Afrorum litteras.

I. HOrum Conciliorum mentem Innocentius intellexit, qui reſcripto ſuo ad ſynodum Carthaginienſem eos Epiſcopos laudat quod antiquæ traditionis exempla ſectantes, ad ſedis apoſtolicæ judicium controverſiam iſtam retuliſſent. Proferenda ſunt verba, quæ aliqua indigent interpretatione. *Inquirendo de his rebus quas omni cum ſolicitudine decet a ſacerdotibus, maxime a vero juſtoque & catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla ſectantes, & eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, veſtræ religionis vigorem non minus nunc in conſulendo quam antea cum pronunciaretis veneratione firmatis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quid apoſtolicæ ſedi (cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum) debea*-

A *tur, a quo ipſe epiſcopatus & tota auctoritas nominis hujus emerſit*. Ex duplici capite eos laudat, tum quod olim in hac cauſſa pronuntiaſſent, nempe adverſus Cæleſtium, tum quod nunc venerationem debitam ſedi apoſtolicæ conſervent, eam conſulendo, & omnia ad ejus referendo judicium. Quam quidem venerationem etiam cum adverſus Cæleſtium pronuntiarent, cuſtodiiſſe teſtatur Innocentius. Quod ſignificat eadem ſententia conſtitutum ut geſta ad ſedem apoſtolicam mitterentur pro more in cauſſa communi totius Eccleſiæ obſervari ſolito; quem a Dioſpolitanis judicibus omiſſum miratur Innocentius, ut ſtatim patebit. Referendo autem ad ſedem apoſtolicam, *patrum inſtituta* cuſtodiſſe illos

B aſſerit, *quæ illi non humana ſed divina decrevere ſententia, ut quidquid quamvis de disjunctis remotiſque provinciis ageretur non prius ducerent finiendum niſi ad hujus ſedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate juſta quæ fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque ſumerent ceteræ Eccleſiæ quid præcipere* & quid vitare deberent.

II. Ut autem manifeſtius ſit diſcuſſam fuiſſe ab Epiſcopis quæſtionem, hæreſim quoque damnatam, ſed nondum promulgatam ſententiam, quæ decreto ſedis apoſtolicæ procul dubio egebat ut omnes teneret, addit: *Gratulor igitur, fratres cariſſimi, quod per fratrem & coepiſcopum noſtrum Julium litteras ad nos deſtinaſtis: & cum pro illis curam geritis*

C *quibus præſidetis Eccleſiis, ſolicitudinem veſtram pro omnium utilitate monſtratis, & per cunctas totius orbis Eccleſias quod omnibus proſit decernendum eſſe una depoſcitis: ut ſuis conſtabilita regulis Eccleſia, & hoc quod illos caveat, pronuntiationis juſtæ firmata decretalibus patere non poſſit, qui perverſe inſtructi immo deſtructi verborum argutiis, ſub imagine catholicæ fidei diſputantes, totam veri dogmatis quærunt evertere diſciplinam*. Qui locus integer deſcribendus fuit ut oſtenderetur Africanos rem diſcuſſiſſe & quid decernendum eſſet ab Innocentio popoſciſſe, ut univerſa Eccleſia generali conſtituto ſtabiliretur. Interim corrigenda ſunt verba quæ in omnibus exemplaribus perverſe leguntur,

D & ſic reponendum: *Ut ſuis conſtabilita regulis Eccleſia & habeat quo illos caveat, & pronuntiationis juſtæ firmata decretalibus, patere non poſſit iis qui &c.* Ceterum quemadmodum decreta Principis dicebantur quæ cognitione habita controverſiam dirimebant, ſic quoque Romani Pontifices ſua reſcripta, quibus aliquid in perpetuum & generaliter conſtituebatur, decreta & decretalia vocavere. Unde Siricius in epiſtola ad Himerium ait miſſa ad provincias a Liberio prædeceſſore ſuo generalia decreta. Et Idem Innocentius decretalia conſtituta appellat.

III. Ut autem Innocentii religio manifeſtius inſtrueretur, Aurelius, Alypius, Auguſtinus, Evodius,

E & Poſſidius Epiſcopi epiſtola familiari eum monuerunt Pelagii cauſſam a pluribus in urbe foveri, Dioſpolitanam ſynodum ab eo deluſam ambigua gratiæ ſignificatione. Tum Pelagii librum miſerunt a Jacobo & Timaſio adoleſcentibus, illius quondam diſcipulis, ſubminiſtratum, in quo gratiam conditionis agnoſcit, non gratiam Chriſti: cui reſponderat Auguſtinus altero libro, nempe *De natura & gratia*, quem Innocentio ſimul tranſmiſere. *Signa fecimus his locis*, inquiunt, *ubi petimus inſpicere non graveris, quemadmodum ſibi objecta quæſtione quod gratiam Dei negaret, ita reſpondit ut eam non diceret niſi naturam in qua nos condidit Deus*. Inſtructo probationibus negotio, adjiciunt quoque conſilium

F ſuum, ut aut Pelagium evocet Romam, aut cum eo litteris agat ut reſpondeat quam intelligat gratiam.

IV. Innocentius tam atroci quæ Chriſti gratiæ fiebat injuria commotus, poſt longam diſputationem duo quædam conſtituit reſcriptis ſuis ad utramque ſynodum datis. Ac primo quidem nefarium dogma Pelagii condemnat ut regulæ fidei contrarium. *Quiſquis ergo huic aſſentiens videtur eſſe ſententiæ, quo dicat adjutorio nobis non opus eſſe divino, inimicum ſe catholicæ fidei & Dei beneficiis profitetur indignum*, inquit in epiſtola ad ſynodum Carthaginienſem. Deinde auctores hæreſeos a communione ſe-

M parat

parat donec reſipiſcant, quos nominatim appellat in reſcripto ad Concilium Milevitanum. *Quare Pelagium Cæleſtiumque, id eſt, inventores vocum novarum, quæ, ſicut dicit Apoſtolus, ædificationis nihilum ſed magis vaniſſimas conſueverunt parere quæſtiones, eccleſiaſtica communione privari apoſtolici vigoris auctoritate cenſemus donec reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo captivi teneatur ſecundum ipſius voluntatem, eoſque interim dominico ovili non recipi quoad ipſi perverſæ viæ quam ſecuti ſunt tramitem deſerere voluerint.*

V. Porro epiſtolæ quoque Epiſcoporum quinque reſpondit, neſcire ſe an in urbe ſint qui Pelagii doctrinæ faveant, ſaltem latere, nec ſimilia jactare. Quod attinet ad purgationem Pelagii in oriente actam habere ſe quidem ait geſta epiſcopalia a laicis hominibus ad ſe perlata, ſed dubitare an vera ſint, *quod ſub nulla illius Concilii proſecutione venerunt, nec eorum aliquas accepimus de hac re litteras apud quos iſtius rei iſte præſtitit cauſſas. Quod ſi de ſua illa potuiſſet purgatione confidere, hoc magis credimus quod ege*[illegible] *quod multo verius eſſe poterat, ut illos cogeret epiſtolis ſuis quid judicaverant indicare.* Nullam actorum ſynodi Dioſpolitanæ rationem habet, quoniam Epiſcoporum relatione (ut debuit, cum de cauſſa communi ageretur) de iis certior factus non eſſet. Præterea vero hanc adjungit cauſſam, nempe quod ex geſtorum lectione pateat judicibus ſubreptum fuiſſe per cavillatorias Pelagii reſponſiones; atque adeo *aliqua magis falſis argumentis*, inquit, *quam vera ratione, ut ad tempus videri poterat, purgavit, alia negando, alia falſa interpretatione vertendo.* Quare recte concludit, ne judicum gravitatem lædat, nec ſuæ auctoritati detrahat, totumque damnationis pondus refundat in reum: *Unde non poſſumus illorum nec approbare nec culpare judicium*, (quod alioqui in ejus poteſtate ſitum erat, qua ſtatim utitur) *cum neſciamus utrum vera ſint geſta, aut ſi vera ſunt, illum conſtet magis ſubterfugiſſe quam ſe tota veritate purgaſſe.* Illum itaque non habet pro abſoluto & purgato ab accuſatione quam Epiſcopi Gallicani inſtituerant, etſi a ſynodo Dioſpolitana abſolutus fuiſſet.

VI. Noluit autem Innocentius Pelagium evocare Romam aut cum eo per litteras agere, ut monebant quinque Epiſcopi, ſed ſuo ipſius libro convictum communione privavit. Nefas putabit aliquis & alienum a judiciorum ordine, inauditum hominem damnare. Sed ſi quis expendat veterem uſum, inveniet ſceleris alicujus, homicidii puta, per teſtes convictum, ſtatim communione abſtentum, nulla admonitione prævia qua vocaretur ad ſe purgandum, ut cenſura illa coactus, ad Epiſcopum accederet, aut innocentiam ſuam probaturus, aut confeſſione crimen agnoſcens, beneficium pœnitentiæ petiturus. Quod tanto accuratius obſervandum erat in hæreſeos crimine, quanto diligentius eſt huic morbo occurrendum. Recte itaque & juxta vetuſtum morem ſubjungit Innocentius de Pelagio loquens. *Qui ſi confidit, novitque non noſtra dignum damnatione quod dicat jam hoc ſe totum refutaſſe quod dixerat, non a nobis accerſiri, ſed ipſe debet potius feſtinare ut poſſit abſolvi*, ſcilicet ab excommunicatione qua nunc illum Innocentius percellit, non ab aliqua anteriore quam Baronius comminiſcitur.

VII. Ex iis quæ retuli patet primam quæ Pelagio inflicta eſt damnationem ab apoſtolica ſede proceſſiſſe. Addo etiam ab eadem ſede primum Pelagii atque Cæleſtii illius diſcipuli dogma proſcriptum, tamquam fidei catholicæ contrarium, generali decreto. Sane Carthaginienſis ſynodus anno ccccxii. repulit Cæleſtium a presbyterio & ab Eccleſiæ communione, quod errores illos ſpargeret. Sed hæc erat privata in eum hominem cenſura, quam ille appellatione ad Romanam ſedem ſe eluſiſſe putabat; ipſique adeo Africani ad eam referendum tunc quoque cenſuerant; a qua proinde totius rei definitio exſpectabatur. Itaque Proſper non immerito Romanæ ſedi prima Pelagianæ hæreſeos damnationem tribuit his verſibus in carmine de ingratis.

Peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ paſtorali honoris
Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis
Religione tenet. Non ſegnior inde orientis
Rectorum cura emicuit.

Heic agitur de damnatione ab Innocentio edita, & de nulla alia; ne quis cum Baronio referat ad ſententiam Siricii adverſus Jovinianum; qui licet Pelagio præiviſſe videri poſſet teſte Hieronymo, heic tamen de ipſa Pelagiana hæreſi loquitur Proſper, & de judicio Innocentii, quod poſtea Zoſimus ſecutus eſt. Unde ad Innocentii, non autem ad Zoſimi decretum hæc verba referre oportet, ut putabat M. Antonius Capellus. Ceterum Innocentius *Pelagianam hæreſim primus condemnavit*; ut loquitur Facundus Hermianenſis, & rei geſtæ ſeries oſtendit. *Facund. lib. 7. c. 3.*

VIII. Enimvero non leve viris eruditis negotium faceſſit quod ſubjungit Proſper, Palæſtinorum Epiſcoporum in oriente judicio, id eſt, ſynodi Dioſpolitanæ, dogma quoque Pelagianum condemnatum: quod cum actum fuerit anno ccccxv. & reſcripta Innocentii ad ſynodos Africanas promulgata ſint anno ccccxvii. primi videntur Epiſcopi illi hac de re decreviſſe. Sed facilis eſt reſponſio. Pelagium illi non condemnarunt, abſolverunt per ignorantiam facti: & quamvis gratiam Chriſti probarent, ſeque illius vindices gererent, non damnavere ignotos ſibi per Pelagii verſutiam errores. Eorum itaque cura profuit Eccleſiæ ad aſſerendam gratiam, ſed nullo eorum decreto hæreſis ignota proſcribi diſerte potuit.

IX. Gravior eſt quæ procedit ex unico apud Proſperum verbo difficultas, a qua ſe eruditiſſimus Petavius expedire non potuit. Videtur enim ſignificare, poſt damnatam Pelagii hæreſim, in oriente Palæſtinos Epiſcopos judicaſſe, *Inde orientis rectorum cura emicuit*, cum certum ſit judicium Dioſpolitanum anteceſſiſſe duobus annis Romani Pontificis decretum. *Inde* hoc in verſu non tempus, ut putant, ſed locum ſignificat. Scribebat Proſper in occidente, & habita ratione elimatum ait, *Inde orientis rectorum cura emicuit*; ac ſi diceret; *Hinc* in occidente peſtis adverſus gratiam reciſa eſt, & *Inde* in oriente ejus quoque rei curam geſſerunt Epiſcopi Palæſtini.

CAPUT XVI.

Quid poſt Innocentium Papam egerit in eadem cauſſa Zoſimus illius ſucceſſor.

I. DAmnatio ab Innocentio irrogata Pelagium atque Cæleſtium commovit, adeo ut ambo ſedi apoſtolicæ facti ſui rationem dare ſategerint, Pelagius quidem ſcriptis ad Innocentium ex Palæſtina litteris, quæ ſucceſſori ejus Zoſimo traditæ ſunt: Cæleſtius vero Romam adiit, Zoſimoque ſe purgare voluit, libello de fide ſua edito: cujus verba cum veram fidem de gratia redolerent, non tam de dogmate quærendum videbatur quam de Cæleſtii abſolutione, qui præpropera & præfeſtinata cognitione ab Africanis Innocentio ſubrepentibus fervore fidei oppreſſus exiſtimabatur a Zoſimo, ut ipſe teſtatur in epiſtola ad Africanos data. Non eſſe locum conjecturæ ait an bene ſentiret Cæleſtius, cum ejus verba manifeſta extarent inſerta geſtis habitis in baſilica ſancti Clementis, ubi cognitio ea de re inſtituta eſt a Zoſimo. Addit ab ipſis Africanis Epiſcopis in hac cauſſa, quando præſens Cæleſtius Carthagine auditus eſt, nihil liquido judicatum. Quod autem attinet ad litteras Erotis & Lazari, eas fidem non facere, quod abſentibus adverſus abſentem fides adhiberi non debeat, tum etiam quod vix Cæleſtio cogniti, nullum de talibus contentionibus cum eo ſermonem habuiſſent. Deinde quod eorum teſtimonium admitti non debeat qui ordinationibus inordinatis, clero & plebe contradicente, *cum alienigenæ intra Gallias ſacerdotia vendicaſſent*, illis pulſi fuiſſent, & gradu atque communione a Zoſimo ſummoti. Quare videri retorquendum in melius judicium. Attamen ne præcox & immaturum procederet, conſtituit ad Africanos geſta cum litteris ſuis tranſmittere; præcipit-

cipitque *intra ſecundum menſem aut venire qui præſentem redarguant aliter ſentire quam libellis & confeſſione contexuit; aut nihil, poſt hæc tam aperta & manifeſta quæ protulit, dubii ſanctitas veſtra reſediſſe cognoſcat.*

II. Statim poſt datam priorem illam epiſtolam lectæ ſunt Pelagii litteræ coram Zoſimo, quas ad deceſſorem illius Innocentium ſcripſerat; quæ Praylii Epiſcopi Hieroſolymitani, qui Joannis ſucceſſor erat, aſtipulatione nitebantur. Illis fidem abſolutam de gratia ſine fuco profiteri viſus eſt, adeo ut miraretur Pontifex talem virum infamari potuiſſe. Qua de re gravius cum Africanis ſecunda epiſtola expoſtulat, & acrius in accuſatores Erotem & Lazarum invehitur, velut in procellæ iſtius auctores, & ſacerdotiis ſuis multatos, quibus propterea fides adhiberi non debeat. Neque porro credendum adoleſcentibus Timaſio & Jacobo, qui ſcripta quædam velut Pelagii prodiderant. Præſto eſſe reos ſedi apoſtolicæ, abeſſe accuſatores illos, immo vero nec præſentes fuiſſe quando judicium prius latum eſt. Nihil agi niſi præſens reus præſentibus accuſatoribus arguatur: mature agitanda eſſe judicia: quam in rem multa congerit. Tandem exemplaria ſcriptæ profeſſionis quam Pelagius miſerat, ad Africanos tranſmittit, ut de abſoluta ejus fide gaudium capiant.

III. Ubi obſervanda ſunt duo. Zoſimus binis iſtis litteris nullam & invalidam fuiſſe relationem Concilii Carthaginienſis oſtendit, quia nimis præpropere facta, reis nec præſentibus nec per ſcripta ſaltem auditis, abſentibus accuſatoribus, contra judiciorum ordinem; præcipue cum adverſus perſonam accuſatorum, ſcilicet Erotem & Lazarum, excipi poſſet eos non eſſe admittendos ob crimina perpetrata & gradus communioniſque jacturam; nec credendum duobus adoleſcentibus Jacobo & Timaſio: qua relatione ſubverſa, ſequebatur Innocentii damnationem quæ illi innixa erat, eſſe nullam; licet de illa in Zoſimi litteria altum ſilentium. Quamvis nec cognitionis quoque ab Innocentio factæ vitium omnino diſſimulet, quod conſtituit præcipue in accuſatorum abſentia. Quo tendunt hæc verba: *Grave fuit Lazaro & Eroti litterarum ſuarum pediſſequos eſſe*: ſcilicet accedendo Romam aut Carthaginem. *An neſciebant dilectionem veſtram ad ſedem apoſtolicam relaturam? Hue certo calumniæ compendio navigaſſent. Ubi de epiſcopatu abdicando agitur*, id eſt, de ſubmovendis Erote & Lazaro, *maria terraque luſtrantur, nec ulla ſuffragia prætermittunt. Ubi vero innocentium fama percellitur, otioſi & delicati ſive accuſatores ſive teſtes (in utrorumcum fallentibus nomen infame eſt) in cubilibus & lectis in ſuis litteris abutuntur, & totam Africam univerſumque tranquillum catholicæ ſerenitatis innubilant ad libidines ſuas duæ peſtes.* Nun erat tamen quod tam graviter excandeſceret Zoſimus ob ſententiæ invaliditatem. Duplex enim erat excommunicationis genus; alterum quod poſt interrogationem reo legitime convicto aut etiam confeſſo infligebatur, quo uſus tandem ipſe Zoſimus, ut mox dicam, adverſus Pelagium & Cæleſtium; alterum quo reus probationibus preſſus, communione ſummovebatur donec innocentiam ſuam purgaret. Quo ſecundo genere uſus eſt Innocentius adverſus eoſdem novatores. Quæ diſtinctio controverſiam iſtam componit.

IV. Ceterum quod obſervandum ſecundo dixeram, poſitum eſt in expendenda Zoſimi de Pelagio & Cæleſtio opinione, quos ille ſanæ fidei & *abſolutæ*, ut loquitur, eſſe putabat & injurioſe vexatos, cum diſertis verbis gratiæ adjutorium profiterentur, nondum deprehenſa verſipellium hominum aſtutia & nova gratiæ interpretatione, & adderent libellis ſuis, *ſi minus perite aut parum caute aliquid forte poſitum eſſet, emendari cupere* a Zoſimo, *qui Petri fidem & ſedem teneret*: quæ eſt ultima clauſula profeſſionis Pelagii.

V. Acceptis Pontificis litteris, Africani Concilio CCXIV. Epiſcoporum apud Carthaginem coacto liberius conqueſti ſunt quod eos homines tueretur qui ſemel damnati non poterant judicium reſtituere niſi diſertiſſime errores a ſe olim profeſſos confixerent. Implexas demum iſtius ſcenæ ſtrophas aperiunt, & petitionibus Cæleſtii atque Pelagii ad ſe miſſis reſpondent; ut patet ex epiſtola ſequente Zoſimi. Ex hac epiſtola qua caremus, deſumpta ſunt verba quæ Proſper citat adverſus Collatorem: *Erraverunt ducenti quatuordecim ſacerdotes, qui in epiſtola quam ſuis conſtitutionibus prætulerant, ita apoſtolicæ ſedis antiſtitem beatum Zoſimum ſunt allocuti: Conſtituimus in Pelagium atque Cæleſtium per venerabilem Innocentium de beatiſſimi Petri ſede prolatam manere ſententiam, donec apertiſſima confeſſione fateantur gratiam Dei per Jeſum Chriſtum, non ſolum ad cognoſcendam, verum etiam ad faciendam juſtitiam, nos per actus ſingulos adjuvare, ita ut ſine illa nihil veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Sane Zoſimus tantiſper quoque accenſus eſt, ac ſi de apoſtolicæ ſedis privilegio, quo ex divina promiſſione & canonica auctoritate potiri ſe ait ut de illius ſententia nullus retractare poſſit, aliquo modo detraherent. Et tandem docet epiſtola ſua ad Aurelium & ceteros qui in Concilio Carthaginienſi adfuerant data ſe nihil immutaſſe, ſed in eodem ſtatu reliquiſſe cuncta donec Africanorum litteris in commune conſuluiſſet: quia, ut ait ille, *numquam temere quæ ſunt diu tractanda finiuntur, nec ſine magna deliberatione ſtatuendum eſt quod ſummo debet diſceptari judicio.*

VI. Ac certum quidem eſt ex Auguſtino lib. II. de peccato orig. cap. VII. Cæleſtium, licet falſis ſuggeſtionibus Pontifici obrepentem, numquam excommunicatione ſolutum fuiſſe. Zoſimus quippe conſulere cum Africanis voluit; non quaſi neſciret quid fieri deberet; *ſed pariter vobiſcum voluimus*, inquit, *habere tractatum de illo qui apud vos, ſicut ipſi per litteras dicitis, fuerit accuſatus, & ad noſtram, qui ſe aſſereret innocentem, non refugiens judicium, ex appellatione priſtina venerit ſedem, accuſatores ſuos ultro depoſcens, & quæ in ſe crimina per rumorem falſo dicebat eſſe illata condemnans.*

VII. Africanorum litteris, quibus adjunctus erat libellus Paullini Diaconi adverſus Cæleſtium olim oblatus, pleniſſime inſtructus Pontifex, fraudem & impoſturam Pelagii atque Cæleſtii detexit. Quod probat inſignis Facundi Hermianenſis locus: *Invenient poſtremo beatum quoque Zoſimum apoſtolicæ ſedis antiſtitem contra ſancti Innocentii deceſſoris ſui ſententiam, qui primus Pelagianam hæreſim condemnavit, fidem ipſius Pelagii ejuſque complicis Cæleſtii, quem in Eccleſia Carthaginienſi convictum atque appellantem apoſtolicam ſedem & ipſe geſtis diſcuſſerat, tanquam veram & catholicam laudantem, inſuper etiam Africanos culpantem Epiſcopos quod ab illis hæretici crederentur, cum necdum ipſi Africanis Epiſcopis dolos eorum multo manifeſtius detegentibus, memoratos Pelagium & Cæleſtium putaret orthodoxos. Et tamen nec Athanaſium nec Damaſum nec illos Palæſtinos Epiſcopos & Zoſimum hæreticos credit Eccleſia, quia de hæreticis bene ſenſerant, ſed potius pro merito ſuæ fidei catholicos judicat & honorat; quoniam non debet crimini deputari ſimplicium, non intellecta verſutia malignorum.* Facund. lib. 7. c. 3.

VIII. Quare Zoſimus, propalata ſibi hæreticorum fraude, acceitum Cæleſtium, cum ſe ſubtraheret examini, nolletque reſpondere Paullini libello, atque Pelagium ejuſdem criminis reum decreto ſuo damnavit, teſte Auguſtino libro ſecundo contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. III. & IV. Id factum intervallo ipſo quod eſt inter diem XXI. Martii anni CCCCXVIII. (qua data eſt epiſtola Zoſimi ad Africanos) & diem XXIX. Aprilis, qua eadem epiſtola accepta eſt. Quod conſtat ex edicto Honorii adverſus ambos lato pridie Kalendas Majas. Neque enim proſcripti eſſent Principis decreto pendente cognitione de eorum fide apud Pontificem, ſed poſt ſententiam adverſus eos a Zoſimo decretam; cum in his rerum articulis leges Principum non antecedant judicia eccleſiaſtica, ſed ſubſequantur, eaque muniant auctoritate publica, & pœnis legum reos coerceant.

IX. Interim Carthagine coactum eſt aliud plenarium Concilium ducentorum decem & ſeptem Epiſcoporum ipſis Kalendis Maiis, quod Zoſimi litteras quas acceperant tertio Kalendas Maias, per-

pendens, cum in ſuſpenſo videret Cæleſtii cauſſam privatam, ne publica & communis, quæ univerſam Eccleſiam contingebat, quia nondum ſatis explicata fuerat, adverſariorum cavillationibus in diſcrimen adduci poſſet, conſtituit octo canones quibus fidem veram explicat & hæreſim robuſte conficit. His conſtitutionibus a ſe nunc editis Africani prætulerant epiſtolam Concilii præcedentis, ut loquitur Proſper, id eſt, ante aliquod tempus miſerant Romam; nunc autem ſynodalia decreta ſeu canones octo a ſe editos in hoc Concilio ccxvii. Epiſcoporum ad Zoſimum dirigunt, quos ille anno eodem ccccxviii. edicto generali probavit; ſicque per univerſum orbem Chriſtianum hæreſis Pelagiana damnata eſt. Hæc ſunt ad eam rem probandam verba Proſperi in Chronico anno ccccxviii. *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum decem & ſeptem Epiſcoporum, ad Pontificem Zoſimum ſynodalia decreta perlata ſunt; quibus probatis, per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.*

X. Hunc ergo ordinem ſecutus eſt Zoſimus in cognitione iſta, Libello Cæleſtii litteriſque Pelagii receptis, monuit Africanos per binas litteras datas menſe Octobris anni ccccxvii. ut mitterent aliquos intra ſecundum menſem qui reos iſtos peragerent. Anni ſequentis exordio Concilium Carthagine cogitur ccxiv. Epiſcoporum, quod ampliſſima epiſtola ad Zoſimum ſcripta fraudes hæreticorum detegit. Eam ſe recepiſſe teſtatur Zoſimus epiſtola quam dedit xxi. Martii anni ccccxviii. ad Aurelium & ad ceteros qui affuerunt Concilio Carthaginienſi. Unde patet prius Concilium ſolutum fuiſſe. Poſtea detectis Pelagii & Cæleſtii dolis, eos damnat tamquam de crimine ſibi impoſito convictos, & proſcribi curat ab Honorio pridie Kalendas Majas.

XI. Celebratur aliud Carthagine Concilium plenarium ccxvii. Epiſcoporum Kalendis Maiis; quod ante quam reſcire potuiſſet Pelagii damnationem, octo capita conſtituit, quæ ſanciendæ & ſtabiliendæ fidei cauſſa mittit ad Zoſimum. Ille vero ut reos damnaverat, ita cauſſam ipſam & hæreſim edicto generali configit epiſtola generali ad univerſos Epiſcopos data; quæ quidem non exſtat, ſed laudatur a Cæleſtino Papa in epiſtola ad Gallos cap. viii. diciturque *Papæ Zoſimi regularis auctoritas ad totius orbis Epiſcopos*; eamque mox laudat cap. ix. qua probati ſunt canones hujus ſynodi Carthaginienſis,

A ut patet ex eadem Cæleſtini epiſtola cap. iii. *Africanorum ſententias ſuas fecerunt apoſtolici antiſtites cum probarent.*

XII. Hujus decreti a Zoſimo editi tempus incidit in annum ccccxviii. (ut patet ex Chronico Proſperi) poſt habitum Carthaginienſe Concilium. Quare non aſſentimur eruditiſſimo viro Petavio, qui decretum illud Zoſimi ad Africanos prius delatum putat, eoque accepto, Epiſcopos illos in Concilio Carthagin. Kalendis Maiis ejuſdem anni ccccxviii. Pelagianam hæreſim octo canonibus editis anathemati ſubjeciſſe. Decretum generale Zoſimi adverſus Pelagianam hæreſim editum eſt poſt receptos

B ſynodi Carthaginienſis canones, ut diſerte docet Proſper in Chronico. Sententia vero lata adverſus nomen Pelagii & Cæleſtii antecedit Kalendas Maias anni ccccxviii. ut dixi. Hallucinatio itaque verſatur in eo quod duo iſta decreta, generale & privatum, inter ſe miſcentur a viris doctiſſimis, quæ diſtingui oportet. Ceterum licet canones ſynodi Carthaginienſis editi ſint ante Zoſimi decretum in re aperta, de qua Romanæ Eccleſiæ eadem erat cum Africana ſententia, & in qua definienda iſthæc Innocentium ſequi ſe profitebatur auctorem; attamen eorum capitum relatio ex more facta eſt ad Zoſimum; ut apoſtolicæ ſedis auctoritate acce-

C dente, quod erat limitibus Africæ circumſcriptum, univerſæ Eccleſiæ per occidentem & orientem regula fieret eccleſiaſticæ fidei. Huic Pontifici ea de re Afri Epiſcopi gratias egerunt litteris ſuis quas ad eumdem Zoſimum ſcripſerunt, ut patet ex Cæleſtino in epiſtola ad Gallos cap. viii. Laudato enim ex Zoſimi epiſtola regulari teſtimonio, addit: *Hunc autem ſermonem ſinceriſſimæ veritatis luce radiantem tanto Afri Epiſcopi honore venerati ſunt, ut ita ad eumdem virum ſcriberent: Illud vero quod in litteris quas in univerſas provincias curaſti eſſe mittendas poſuiſti dicens &c.* *Auctoritates de gratia Dei c. 5.*

XIII. Quare ut initio hujus Diſſertationis excita-

D ta difficultas ſolvatur, certum eſt primam quæ peremtoria fuit, & generalem hæreſis Pelagianæ damnationem ab Innocentio profectam, quam deinde Zoſimus decreto ſuo generali ad totius orbis Epiſcopos dato confirmavit. Uterque vero Pontificum relationibus Carthaginienſium Conciliorum uſus, auctoritate Romanæ ſedis negotium omne conſtituit.

INDEX CAPITUM

DISSERTATIONIS

De veteribus Collectionibus Canonum.

CAP. I. D*E vetuſtiſſima Collectione Canonum Eccleſiæ Romanæ ante Concilium Chalcedonenſe.* 69
CAP. II. *De Collectione Canonum poſt Concilium Chalcedonenſe.* ibid.
CAP. III. *De diſcrimine Collectionis iſtius, & Dionyſianæ.* 72
CAP. IV. *De Canonibus Africanis.* 72
CAP. V. *Ordo Conciliorum Africæ in veteri Collectione.* 75
CAP. VI. *De Synodo Africana habita Cæſario, & Attico Conſſ.* 78
CAP. VII. *De Concilio Carthaginienſi quarto.* 79
CAP. VIII. *De Concilio Carthaginienſi quinto.* 80
CAP. IX. *De eodem Concilio quinto Carthaginienſi, & de Donatiſtis.* 81
CAP. X. *De Concilio Carthaginienſi ſexto.* 83
CAP. XI. *De reliquis Conciliis Africanis.* 84
CAP. XII. *De Canonibus adverſus Pelagium.* 85
CAP. XIII. *De Pelagii dogmatibus & arcanis.* 86
CAP. XIV. *De Concilio Dioſpolitano & aliis habitis in cauſſa Pelagii.* 88
CAP. XV. *Quid egerit Innocentius I. poſt acceptas Afrorum litteras.* 89
CAP. XVI. *Quid poſt Innocentium Papam egerit in eadem cauſſa Zoſimus illius ſucceſſor.* 90

III.

DE ANTIQUIS

TUM EDITIS, TUM INEDITIS

COLLECTIONIBUS & COLLECTORIBUS

CANONUM

AD GRATIANUM USQUE

TRACTATUS

IN QUATUOR PARTES DISTRIBUTUS;

AUCTORIBUS

PETRO ET HIERONYMO

FRATRIBUS BALLERINIIS

PRESBYTERIS VERONENSIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD EMINENTISSIMUM FORTUNATUM TAMBURINUM S. R. E. CARDINALEM

PRÆFATIO.

QUANTUM ad veteris novique juris canonici ſcientiam conferant antiquæ canonum collectiones, quæ in manuſcriptis exemplaribus continentur, norunt quicumque in jure canonico ſunt apprime verſati, ac Tu præſertim noris, CARDINALIS EMINENTISSIME, qui inter ſacra ſtudia, in quibus vitam totam maxima cum laude traduxiſti, jure canonico potiſſimum delectaris. Probe nimirum intelligis, has collectiones illos eſſe fontes, ex quibus vetuſta canonum & pontificiarum conſtitutionum documenta prodierunt. Intelligis præterea pluris eſſe æſtimandum, quid diverſæ, licet paucæ, collectiones ferant, quam quid plurima unius collectionis exempla. Si quis enim centum ex. gr. Dionyſianæ collectionis vetuſtos codices reperiret & evolveret, is nulla alia monumenta canonica nanciſceretur, niſi quæ Dionyſius recepit; & in his ipſis (ſi librariorum excipiantur menda) miram fere lectionum conſenſionem deprehendens, nihil aliud diſceret, niſi ſic Dionyſium legiſſe. Qui autem diverſarum collectionum exempla conſuluerit, alia atque alia identidem documenta inveniet; ac in documentis, quæ pluribus collectionibus communia ſunt, diverſas lectiones nactus, plurimum ſe juvari ſentiet, tum ut tutius emendet amanuenſium ſphalmata, tum ut ex omnibus optimas lectiones ſecernat ac præferat.

Duæ tantum collectiones olim prodierunt, Dionyſio-Hadriana, & Iſidoriana. Cum ex hac poſtrema, quæ præter multa ſpuria, in ipſis ſinceris documentis non paucas, ut ſuo loco dicemus, liberiores lectiones & arbitrarias emendationes receperat, pleraque antiqua canonum ac decretalium documenta a Merlino primum edita fuerint; ea ſubinde in editiones Conciliorum tranſierunt, ac proinde lectiones eorumdem documentorum minus exactæ latius obtinuere. Juvit non modicum editio collectionis Dionyſio-Hadrianæ, quæ poſt Merlinum impreſſa fuit. At præter quam quod hæc editio purum Dionyſium non exhibet, permagnique intereſt ſcire, quid vulgaverit Dionyſius, quidque Dionyſio ſuperadditum fuerit; aliæ plures collectiones in manuſcriptis codicibus exſtant, quæ vel ipſo Dionyſio antiquiores ſunt, vel aliam certe a Dionyſio originem habent. Unam ex his produxit Queſnellus; quam nobis hoc tomo integriorem & emendatiorem recudentibus, quantum præſidii attulerint aliarum antiquarum collectionum, quas reperimus, manuſcripta exemplaria, ex notationibus in eamdem collectionem palam fiet. Poſteriorum etiam collectionum, quarum auctores aliqua ex Dionyſio ſumſerunt, alia vero aliunde derivarunt, cognitio non inutilis erit. Immo earum quoque collectionum, quæ antiquiorum abbreviationes continent, vel decreta Romanorum Pontificum & Conciliorum canones in libros ac titulos diſtributos repræſentant, rationem deſcribere, & originem, ſi fieri poſſit, detegere, quantum utilitatis afferat, peritus quiſque perſpiciet. Ex horum enim omnium complexu cognoſcere licebit, quæ exordia, & quos progreſſus habuerit ſtudium juris canonici; quid ex una collectione traductum fuerit in alias; quæ fuerint apocryphorum initia; quid interpolatum obrepſerit, quid corruptum, quid mutilum; & quandonam documenta in antiquis collectionibus integra, in partes diſcindi, ac per materias diſtribui cœperint, quod uſui magis commodum jamdiu receptum obtinuit.

Hinc etſi multum debemus iis, qui de vulgatis collectionibus diſſeruere; plurimum tamen illis obſtringimur, qui antiqua tabularia excutientes, veterum manuſcriptarum collectionum notitiam aliquam nobis dederunt. Quamplurium ejuſmodi codicum, qui in Cæſarea Vindebonenſi bibliotheca abundant, deſcriptionem proferre meditabatur Petrus Lambecius, ut ipſe teſtatur libro primo Commentariorum in eamdem bibliothecam cap. 8. pag. 932. Indicato enim pervetuſto ejuſdem bibliothecæ codice collectionis Hiſpanicæ, addit: *Multo autem prolixius & accuratius de eodem alias volente Deo acturus ſum in peculiari Diſſertatione de plus quam ducentis auguſtiſſimæ bibliothecæ Cæſareæ antiquis & bonæ notæ codicibus MSS. partim Græcis, partim Latinis, quorum ope & beneficio hiſtoria Conciliorum tam generalium quam provincialium non mediocriter poteſt locupletari*. Idipſum quoad Romana exemplaria in mentem venerat Emanueli Schelestratio Vaticanæ bibliothecæ Cuſtodi, qui tertio *Antiquitatum* tomo edere volebat *Opus ſynodicon de canonibus Conciliorum, deque collectionibus canonum, & de Pontificum decretis*, in cujus appendice varias collectiones ex MSS. majori ex parte erutas ſe ſe prolaturum, in ſcheda poſt ejus mortem relicta & præfationi tomi ſecundi earumdem *Antiquitatum* inſerta receperat. Omnium vero maxime hac in re laboravit Benedictini Ordinis decus P. Petrus Couſtantius, cujus præfatio in tomum primum epiſtolarum Romanorum Pontificum locupletiſſimam priſcarum manuſcriptarum collectionum, quas reperire potuit, deſcriptionem exhibet.

Dum vero nos hoc eodem conſilio ejuſmodi collectionum exempla in bibliothecis deliteſcentia ſollicitius inquireremus, vetuſtiſſimos codices nacti ſumus, in quibus partim ignotæ collectiones fuerunt detectæ, partim vero peculiares notitiæ quantum ad collectiones jam vulgatas patuerunt. Hinc ube-

rio-

riorem de collectionibus canonum tum editis, tum ineditis Tractatum lucubrari poſſe perſpeximus, qui huic tomo tertio præſtantiſſimam collectionem aliaque veteris juris canonici documenta continenti non incongrue præfigeretur. Totus hic Tractatus dividetur in partes quatuor. Prima aget de Græco canonum Codice, & de quibuſdam particulis, ſeu canonibus, qui in eo aliquam difficultatem faceſſunt. Secunda verſabitur circa antiquiores collectiones Latinas, quæ val Dionyſio vetuſtiores ſunt, vel a Dionyſio non prodeunt: ubi inter cetera canonum Africanorum, qui pluribus difficultatibus involvuntur, exacta diſcuſſio atque diſtinctio exhibebitur. Tertia explicabit collectionem Dionyſianam, & ceteras, quæ ex Dionyſio aliqua documenta recepere, uti ſunt Hadriana, Hiſpanica, & Iſidoriana. Quarta differet de antiquis abbreviationibus canonum, aliiſque collectionibus Latinis, quæ jus canonicum in libros ac titulos digeſſerunt.

Hac autem de re dum alter e nobis Romæ tecum aliqua diceret, CARDINALIS EMINENTISSIME, totumque conſilium noſtrum, quod tunc vix conceptum fuerat, Tibi aperiret; acriores addidiſti ſtimulos ut perficeretur, eodemque reverſo in patriam ipſi operi auxilium tuum, quod ubi opus eſſet pollicitus fueras, humaniſſime præſtitiſti. Hunc igitur qualemcumque Tractatum Tibi non ingratum futurum confidentes, ad Te dirigendum credidimus, ut præcellentis hac in re ſtudii & favoris tui, noſtrique erga Te grati animi atque obſervantiæ perenne teſtimonium præbeat.

Digitized by Google

DE ANTIQUIS COLLECTIONIBUS & COLLECTORIBUS CANONUM.

PARS PRIMA.

DE GRÆCIS CANONUM COLLECTIONIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Græca canonum Apoſtolorum collectione omnium antiquiſſima. Quænam fuerit collectio Sabini Macedoniani Epiſcopi Heracleenſis. Prima Græci codicis canonum expreſſa mentio in Concilio Chalcedonenſi. Codex canonum univerſæ Eccleſiæ a Chriſtophoro Juſtello editus, non fuit vetus Græcorum codex, nec univerſæ Eccleſiæ. De Græca collectione Stephano Epheſiorum Epiſcopo tributa.

I. ETSI inſtituti noſtri ſit de Latinis potiſſimum antiquis canonum collectionibus agere; cum tamen Græcarum Synodorum vetuſtiſſimi canones Latinitate donati in collectiones Latinas traducti fuerint, de Græca eorumdem collectione, ex qua illos Latini interpretes deduxerunt, antea differendum eſt. Cum vero præter canones Conciliorum Græcorum ad Latinos pervenerint etiam illi canones, qui Apoſtolorum nomine circumferuntur; de horum collectione omnium antiquiſſima, de qua plures late diſſeruerunt, non quæcumque dici poſſent, ſed quæ omitti non debent, ne quid huic Tractatui deeſſe videatur, brevius perſtringenda ſunt. Certum eſt nullum corpus ſine ſtatis legibus regi atque conſiſtere umquam poſſe. Hinc Apoſtolos regendæ Eccleſiæ certas regulas ſeu canones præfixiſſe dubitari nequit. Has autem regulas, quas illi verbo tradiderunt Eccleſiis, ſubinde ſcripto fuiſſe collectas, & *Canonum Apoſtolorum* titulo prænotatas ſatis credibile eſt. Neque propterea credimus, omnia quæ in ipſis canonibus continentur, Apoſtolis referenda. Solent quippe ejuſmodi opera, ut ſcite animadvertit * P. Couſtantius, licet variis incrementis augeantur, ejus nomen in epigraphe retinere, quo primum auctore cœpta vel conſtituta fuerunt. Cum vero quidam canones iiſdem inſerti errores præferant manifeſtos, qui traditis Apoſtolorum regulis adſcribi nequeunt; plurimi ipſis facilem non præbuere conſenſum * Dionyſio teſte, ac in celebri decreto de libris recipiendis, vel non recipiendis inter apocrypha jure cenſiti fuere: unde in præfatione collectionis Hiſpanicæ ſcriptum fuit: *Canones autem, qui dicuntur Apoſtolorum, ſeu quia eoſdem nec Sedes Apoſtolica recipit, nec Sancti Patres illis conſenſum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur, quamvis in eis quædam inveniantur utilia, auctoritate tamen apoſtolica eorum geſta conſtat eſſe remota, & inter apocrypha deputata.* Quæ *utilia* ſunt, Apoſtolis convenire queunt.

Canones ab Apoſtolis verbo traditi, & poſtea ab aliis collecti.

Non omnes inter canones apoſtolicos relati, ſunt Apoſtolorum.

* In præf. ad tom. I. epiſt. Rom. Pontif. n. 51.

* in epiſt. ad Stephanum.

A B C D

II. Menſis Hyperberetæi nomen, quod legitur canone 38., hos canones non a Græcis Europæis, nec ab Ægyptiis, qui menſibus alia nomina indiderant, ſed ab Orientalibus, qui Syromacedonicis menſium nominibus utebantur, fuiſſe collectos & ſcriptos oſtendit. Ante Nicænam vero Synodum hanc collectionem in iis Orientis regionibus compactam, in quibus rebaptizationis error obtinebat, non improbabiliter ſtatuit Petrus de Marca libro tertio Concordiæ cap. 2. Pleraque ſane, quæ in iiſdem canonibus decernuntur, cum diſciplina eccleſiaſtica ſecundi ac tertii ſæculi congruunt: & nonnullas regulas, quæ ab Orientalibus quarti ſæculi allegantur, in illis canonibus tantum invenire licebit.

Hæc collectio canonum Apoſt. in Oriente condita. Quando.

III. De antiquo uſu horum canonum, ſeu hujus vetuſtiſſimæ collectionis apud Græcos nemo ambigit. Vide Petrum de Marca loco paullo ante memorato, & Guillelmum Beveregium in *Codice canonum Eccleſiæ primitivæ illuſtrato*. De uſu autem apud Latinos ante Dionyſium Exiguum quæſtio vertitur. Sunt enim qui exiſtimant, a Patribus Latinis, & a Romanis etiam Pontificibus Dionyſio antiquioribus canones apoſtolicos paſſim allegari regularum eccleſiaſticarum nomine, quo etiam ornantur ab eodem Dionyſio. Id Queſnellus palam aſſeruit Diſſert. XVI. §. 6. At Latinis uſui non fuerunt niſi * poſt verſionem Dionyſianam, quæ prima, immo unica interpretatio fuit. Anterioris certe verſionis, qua illi canones a Latinis adhiberi potuerint, nullum uſpiam indicium eſt. Quod ſi quædam regulæ ab antiquis Latinis Scriptoribus indicatæ cum apoſtolicis canonibus concordant, nihil refert. Non paucæ enim ejuſmodi regulæ, antequam canonum Apoſtolorum titulo inſcriptæ Græca lingua ederentur, ab ipſis Apoſtolis verbo traditæ fuerant, ac uti verbo traditæ ab antiquioribus Scriptoribus Latinis laudari potuerunt citius, quam Græci illi canones iiſdem ante Dionyſium ignoti. Præclare autem in hanc rem monuit Queſnellus nota 8. in epiſtola 10. *Quemadmodum*, inquit, *ipſi apoſtolici canones ex conſuetudinibus reguliſque ab Apoſtolis viriſque apoſtolicis velut per manum traditis & acceptis conflati fuerant ab Orientalibus; ita certum eſt, complures regulas eccleſiaſticas in Romana Eccleſia viguiſſe primis temporibus, non aliunde acceptas quam ex conſuetudine antiqua & ex traditione Sanctorum Apoſtolorum Petri & Paulli. Has porro cum aliquibus canonibus apoſtolicis convenire quis miretur? cum una eſſet omnium Apoſtolorum fides, una plerumque diſciplina ex unius Magiſtri ſchola deſcendens. Hinc factum eſt*, ut quædam conſtituta Pontificum ex ipſis canonibus aſſumta eſſe videantur, *ut loquitur Dionyſius Exiguus in præfatione canonum, cum potius ex communis traditionis fonte tam conſtituta fuerent, quam canones apoſtolici*. Quod porro ſubdit, ſe non gravate fateri, S. Leonem in eadem epiſtola 10. unum canonem apoſtolicum reſpexiſſe, noluiſſe tamen apoſtolicos canones nuncupare, ne dubiis & nondum receptis canonibus auctoritas inde accederet; conjectura eſt omnino infirma, immo incredibilis, niſi probetur verſionem aliquam exſtitiſſe ante Dionyſium, qua iidem canones noti eſſent Latinis: quod tamen nondum probatum eſt, nec, ut credimus, probari umquam poterit. Neque obtrudatur Gelaſii decretum de libris recipiendis, vel non recipiendis, quod tametſi editum ante interpretationem Dionyſii, canones tamen Apoſtolorum inter apocrypha referens, eos ipſi aliqua ratione cognitos adſtruit. Nam primo

De uſu ejus apud Græcos.

Quid apud Latinos.

* Vid. part. 2. cap. 10. §. 2. n. 18. & noſtras Obſerv. in Diſſert. 16. Queſnelli.

tom. 2. col. 1324.

E

Gelaſius hos canones, etſi inter Latinos nondum vulgatos, ita accenſere potuit apocryphis, uti in eumdem catalogum retulit alia quædam Græcorum opuſcula, quæ nondum latine reddita fuerunt. Dein ſatis probabile nobis eſt, hanc ejus decreti particulam de canonibus Apoſtolorum in plerisque atque potioribus Gelaſiani decreti exemplaribus omiſſam, ad ea additamenta pertinere, quæ Hormiſdam habent auctorem, uti conjiciemus part. 2. c. 11. §. 5. Ipſa quidem verba Dionyſii in epiſt. ad Stephanum Epiſcopum Salonitanum, *quibus* (canonibus) *quia plurimi conſenſum non præbuere facilem, hoc ipſum veſtram nolumus ignorare ſanctitatem*, rem Latinis ignotam indicant: ac propterea quæ ſequuntur, *quamvis poſtea quædam conſtituta Pontificum ex ipſis canonibus ſumta eſſe videantur*, non de Romanis Pontificibus aut Latinis Epiſcopis, ſed de Græcis intelligenda ſunt, quorum conſtituta quædam *in pontificalibus*, ut ibidem ait, *conventibus* edita, cum apoſtolicis canonibus conveniunt.

Hæc collectio canon. Apoſt. diſtincta a collectione canonum ſynodalium.

IV. Hæc Græca eorumdem canonum collectio diſtincta fuiſſe videtur a Codice canonum ſynodalium, qui poſtea lucubratus fuit: unde hi Græcarum Synodorum canones in quibuſdam MSS. exemplaribus ea continua numerorum ſerie notabantur, quæ a Nicænis ordiebatur, eo quod Apoſtolorum canones, qui Nicænis præmittendi erant, ab iiſdem exemplaribus abeſſent. Hinc etiam Dionyſius Exiguus, qui Græco hujus generis Codice uſus eſt, apoſtolicos canones ex alio codice ſumſit, eum coſque latine redditos ſuæ verſioni præfixit. Quinquaginta tantum apoſtolicos canones is in ſuo codice reperit, ac latinitate donavit. Verum in aliis Græcis exemplaribus, quæ adhibuerunt Joannes Scholaſticus, & alii poſteriores Græcarum collectionum auctores, octoginta quinque cenſebantur. Hunc autem auctiorem numerum perantiquum fuiſſe cognoſcimus ex Concilio CP. anni 394., ubi * decernitur, *non licere in poſterum nec a tribus quidem, nedum a duobus, eum, qui reus examinatur, deponi, ſed ma... Synodi & provinciæ Epiſcoporum ſententia, ſicut apoſtolici definiere canones*: quæ definitio continetur in canone Apoſtolorum 74. Sed de hac primæva Græca collectione ſatis: de qua ſi quis plura deſideret, conferat Bevergium loco laudato, ubi tribus libris de iiſdem canonibus luculentiſſime diſſerit.

Numerus canonum Apoſtolorum.

* tom. 2. Concil. Venet. edit. col. 1380.

V. Plura dicenda ſunt de alia collectione Græcorum ſcilicet canonum, qui a Synodis ſanciti fuerunt. Hi enim potiſſimum in collectiones Latinas manarunt; præcipuamque portionem conſtituunt antiqui juris canonici. Primum Græcæ collectionis compilatorem Petrus Pithœus in Synopſi hiſtorica eorum, qui canones collegerunt, profert Sabinum Heracleæ in Thracia Epiſcopum, quem Socrates libro primo cap. 8. teſtatur compoſuiſſe *congeſtionem eorum, quæ per diverſa Concilia Sacerdotum ex ſcripto prolata ſunt*. At hic Macedonianæ ſectæ Epiſcopus non canones catholicorum Conciliorum, ſed ea documenta collegit, quæ ſuo ingenio placebant, Synodoſque præſertim ab hæreticis habitas ſuæ collectioni inſeruit: ac proinde hæc de ipſo ſcribit idem Socrates lib. 2. c. 17. *Sabinus Macedonianæ ſectæ Epiſcopus in collectione Synodorum*, ſeu melius, ut notavit Valeſius, *geſtorum ſynodalium* (nam pro τῶν συνόδων legendum credit συνοδικῶν, uti habetur lib. 3. c. 10. & 25. ac lib. 4. c. 12.) *epiſtolas Julii neutiquam intexuit: tametſi eam minime prætermiſerit, quam Epiſcopi Antiochiæ collecti ad Julium ſcripſere. Verum Sabinus ita ſemper facere conſuevit. Nam ſi quæ forte ſynodales epiſtolæ vocem* conſubſtantialis *aut reticent, aut omnino rejiciunt; eas ſtudioſe operi ſuo inſerit; contrarias vero ſciens & prudens ſilentio tranſilit*. Hinc uberius egit de Seleucienſi Concilio anni 359. ac de Synodis Macedonianis, de Antiochena anni 363. ac de aliis ſimilibus, ut * idem Socrates prodidit. * E contra Nicænis Patribus adeo detraxit, ut eos * veluti rudes ac illitteratos traduxerit. Hoc ergo Sabini opus inter codices ſacrorum canonum, de quibus in præſentiarum agimus, computandum non eſt.

De collectione Sabini Epiſcopi Heracleæ.

* lib. 2. c. 15. & 39. lib. 3. c. 10. & 25.

* Idem lib. 1. c. 9.

VI. Quod ad Græcam itaque canonum collectionem, ſunt qui exiſtimant, ipſam jam inde a Concilii Epheſini tempore indicari ea Græca formula ἀκολουθία τῶν κανόνων *canonum conſequentia*, quæ in eadem Synodo frequens legitur; eo quod in ejuſmodi collectione omnes diverſorum Conciliorum canones deſcriberentur continuata & conſequenti numerorum ſerie, quam Joannes Scholaſticus τάξιν & ἀκολουθίαν ἀριθμῶν *ordinem & conſequentiam numerorum* in canonum codice exhibitum appellavit. Verum eam formulam in eodem Concilio Epheſino alia omnino ſignificatione uſurpari oſtendemus cap. 6. num. 3. Certiora & manifeſta hujus Græcæ collectionis teſtimonia præſto ſunt ex Concilio Chalcedonenſi. In aliquot enim hujus actionibus non ſolum Codicis canonum expreſſa fit mentio, verum etiam ex hujuſmodi Codice recitantur aliquot canones, & nonnulli etiam iis numeris diſtincti, qui continuatam numerorum ſeriem ſoli canonum collectioni congruentem demonſtrant. Actione quarta: *Aetius Archidiaconus Conſtantinopolitanæ ſanctæ & catholicæ Eccleſiæ dixit: Regula eſt hæc CUM ALIIS poſita a Sanctis Patribus .... & ex Codice relegit hæc. De clericis & monachis, qui ſemetipſos a communione ſuſpendunt. Si Presbyter aut Diaconus ſuum contemnens Epiſcopum &c. Omnes reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Hæc juſta regula, hæc regula Patrum*. Eſt autem canon quintus Concilii Antiocheni. In actione de Caroſo & Dorotheo deſignantur canonum numeri. *Sancta Synodus dixit: Sacri Patrum canones legantur, & commentariis inſerantur*. Sumtoque libro Aetius *Archidiaconus & Primicerius magnæ Eccleſiæ legit. Canon LXXXIII. Si quis Epiſcopus* &c. *Canon LXXXIV. Si quis Presbyter aut Diaconus* &c. Sunt duo canones Antiocheni quartus & quintus, qui in Codice deſcripti poſt canones Nicænos XX. Ancyranos XXV. Neocæſarienſes XIV. & Gangrenſes XX. ex continuata numerorum ſerie a Nicænis incœpta erant canones LXXXIII & LXXXIV. Similiter actione undecima duo alii canones Antiocheni XVI. & XVII. cum numeris XCV. & XCVI. ejuſdem Codicis recitantur. *Stephanus reverendiſſimus Epiſcopus Epheſi dixit: Supplico, ut canones relegantur .... Glorioſiſſimi judices dixerunt: Relegantur hi canones. Leontius reverendiſſimus Epiſcopus Magneſiæ ex Codice relegit. Regula XCV. Si quis Epiſcopus vacans* &c. ut in Antiocheno can. 16. Et mox: *Idem reverendiſſimus Leontius Epiſcopus ex eodem Codice legit. Regula XCVI. Si quis Epiſcopus ordinationem* &c. ut in Antiocheno can. 17. Notandum videtur, hos canones non appellari Antiochenos, ſed Codicis numero tantum diſtingui, quod hunc Codicem, & hanc allegandi methodum jamdiu obtinentem & cunctis exploratam declarat. Sic etiam Epiſcopi provinciæ Piſidiæ in epiſtola ſynodica ad Leonem Auguſtum, quæ inſerta eſt Codici encyclio, laudatum Antiochenum canonem quartum ex ſimili Codice numero LXXXIII. allegarunt. *Eos .... extraneos eſſe a Dei Eccleſia judicamus, ſecundum conſequentiam regularem, nulla eis venia, nec ſpe reſtitutionis ullo modo remanente, ſicut tertia & octogeſima regula de talibus aperte diſcernit, cujus initium eſt: Si quis Epiſcopus a Synodo depoſitus* &c. Dionyſius Exiguus paullo diſſimilem Græcum Codicem canonum habuit, quem cum latinitate donavit, tum vero exactius deſcripſit in epiſtola ad Stephanum Salonitanum ſuæ verſioni præfixa his verbis. *Regulas Nicænæ Synodi & deinceps omnium Conciliorum, ſive quæ ante eam, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, uſque ad Synodum centum quinquaginta Pontificum, qui apud Conſtantinopolim convenerunt, ſub ORDINE NUMERORUM, id eſt A PRIMO CAPITE USQUE AD CENTESIMUM SEXAGESIMUM QUINTUM, SICUT HABETUR IN GRÆCA AUCTORITATE digeſſimus*. Græcus itaque Codex, quem Dionyſius interpretatus eſt, complectebatur canones Nicænos, Ancyranos, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Antiochenos, Laodicenſes, & Conſtantinopolitanos; atque omnes hos canones continuata numerorum ſerie ſignatos præferens, numerum producebat *uſque ad centeſimum ſexageſimum quintum*. Hunc autem Codicem *paullo diſſimilem* diximus ab eo, qui in Chalcedonenſi cum continuatione numerorum lectus fuit; numeri enim apud Dionyſium uno decreſcunt. Idem ſane Dionyſius in epiſtola prima paſchali canonem primum Concilii

Prima Græci codicis canonum mentio in Chalcedonenſi.

Canones omnium Synodorum continua numerorum ſerie notati.

t. 4. Concil. Ven. ed. col. 1418. d.

Ib. col. 1427. c

Ib. col. 1610. d.

tom. 4. Concil. Ven. ed. col. 1877. e

cilii Antiocheni juxta ſui Codicis ſeriem ſic allegavit. *In ſanctis canonibus ſub titulo LXXIX. qui primus eſt Antiocheni Concilii, his verbis invenitur expreſſum: Omnes qui auſi fuerint diſſolvere* &c. Hic primus canon Antiochenus, qui in ipſius Dionyſii codice erat LXXIX. ex computatione numerorum, quibus Antiocheni canones in Chalcedonenſi Concilio allegantur, in exemplo a Patribus Chalcedonenſibus adhibito canon erat octogeſimus. Num vero omnes antiqui Græci codices hac continua numerorum ſerie notarentur, ut plerique exiſtimant, diſcutiemus capite *6. n. 3.* & ſeqq.

Codex canonum univerſæ Eccleſiæ a Juſtello editus.

VII. Chriſtophorus Juſtellus *Codicem canonum Eccleſiæ univerſæ*, quem Pariſiis edidit anno 1610. eum veterem Græcum codicem eſſe prætulit, qui in Synodo Chalcedonenſi lectus fuit, quique apud univerſam tum orientalem, tum occidentalem Eccleſiam ante ipſum Chalcedonenſe Concilium auctoritatem obtinuit. Continet hic Codex canones Synodorum Nicænæ, Ancyranæ, Neocæſarienſis, Gangrenſis, Antiochenæ, Laodicenſis, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ, & Chalcedonenſis continua numerorum ſerie diſtributos uſque ad numerum CCVII. Appoſuit quidem ille canonibus hos numeros ita, ut numeris in Chalcedonenſi indicatis reſponderent.

Ex nullo veteri codice erutus.

At nullum codicem antiquum habuit, qui hanc collectionem, uti ab ipſo eſt edita, contineret. Græcum textum ſumſit ex poſteriorum Græcarum collectionum libris ſive editis, ſive manuſcriptis; unde in ipſo ejus titulo hæc leguntur: *Chriſtophorus Juſtellus primum reſtituit; ex Græcis codicibus editis & MSS. collegit & emendavit.* Sed tota collectio, ac numerorum diſtributio nulli codici vetuſto innixa, ab ejus ingenio compacta fuit. Id ſatis aperte fatetur in epiſtola ad Jacobum Leſchaſerium editioni præfixa, ubi poſtquam ſcripſit: *Omnibus, quas reperire potui, Græcis Latiniſque editis & manu exaratis canonum collectionibus collatis & inter ſe comparatis, nullam inveni illa antiquiorem, cui jam inde ab initio titulus fuit*, Codex *ſeu* Corpus canonum, *quam Latinam ex Dionyſii Exigui interpretatione etiamnum habemus*: addit, ſe, ut hanc *priſtinæ luci reſtitueret non ſolum Latinam, ſed & Græcam, cogitaſſe primum Græcum textum ex editione Tilii producere, & ad MSS. codices emendare.* At cum deprehendiſſet hanc editionem Tilii continere multa, *quæ non erant in antiquiori Græca collectione, qua uſus eſt Dionyſius Exiguus*, eam tandem *hujus reſtitutionis rationem antea incompertam* ſe tenuiſſe affirmat, quam laudatus Leſchaſerius indicaverat in *Conſultatione* anni 1607. cujus fragmentum idem Juſtellus inſeruit. Ratio autem ab hoc indicata eo paucis refertur, ut in Codice deſcribantur canones earum Synodorum, quas Dionyſius in ſuo Græco codice reperit, & eodem ordine ita referantur, continuata nec interrupta numerorum ſerie, ut numeri in Chalcedonenſi deſignati iiſdem canonibus plane congruant. Qui autem hanc methodum in ſuo Codice compingendo ſequutus eſt, nullum profecto exemplum cum hac ſua collectione invenit, ſed tum editis, tum MSS. Græcis collectionibus in ſubſidium adſcitis, eum, quem antiquum & primitivum univerſæ Eccleſiæ Codicem credidit, ſuo marte compoſuit atque emendavit. Hinc in notis ſolos codices Zonaræ & Balſamonis, ac Tilii editionem lectionum cauſſa laudavit.

De collectione Stephano Epiſcopo perperam attributa.

VIII. Neque reponas, eumdem Juſtellum in præfatione ſcribere: *Stephani Epiſcopi Epheſini exſtat canonum collectio nondum edita, quæ omnino convenit cum veteri Codice Eccleſiæ univerſæ, canoneſque Conciliorum Nicæni, Ancyrani, Neocæſarienſis, Gangrenſis, Antiocheni, Laodicenſis, & Conſtantinopolitani eadem ſerie & ordine exhibet, quibus ipſe Epheſinos addidit.* Hic Stephanus Epheſiorum Epiſcopus ille eſſe creditur, qui pſeudo-Epheſini Concilii & Chalcedonenſis tempore vixit. Huic ergo vetuſtiſſimo exemplo Juſtellianus Codex innititur. Cui argumento antequam reſpondemus, error detegendus eſt Guillelmi Voelli, & Henrici Juſtelli in præfatione ad Bibliothecam Juris canonici Pariſiis impreſſam anno 1661. ubi de Codice Eccleſiæ univerſæ ſcribunt: *Collectus autem fuit paullo poſt Concilium Conſtantinopolitanum I. ſub Theodoſio Magno a Stephano quodam Epheſino Epiſcopo, ut præferebat olim vetus Palatinæ codex, quem vidit Juſtellus, ut refert Petrus de Marca Archiepiſcopus Toloſanus.* Hic quidem Archiepiſcopus lib. 3. Concordiæ c. 3. n. 4. affirmavit, veterum Conciliorum canones 165. *in unum corpus collectos Epiſcopi alicujus induſtria, FORTASSE Stephani Epheſini, ut præferebat vetus codex MS. in bibliotheca Palatina, quemadmodum accepi a viro fide digniſſimo atque integerrimo:* & in margine *Chriſtophorus Juſtellus* nominatur. Non abſolute, ſed ſuſpicative loquitur, ut innuit particula *fortaſſe*; nec ejuſmodi collectionem ad Theodoſii Magni ætatem evehit. Chriſtophori vero Juſtelli verba, quæ paullo ante recitavimus, cum manifeſtum Voelli ac Henrici Juſtelli errorem, tum vero hallucinationem aliquam Petri de Marca in intelligendo ac referendo ipſius Chriſtophori teſtimonio apertiſſime adſtruunt. Neque enim is Stephanum Epheſinum auctorem prodidit totius collectionis Theodoſio Magno imperante; ſed ſolam additionem canonum Epheſinorum, poſt Epheſinam utique Synodum, eidem attribuit; idque ipſum particula *forte* quaſi incertus anterioribus verbis expreſſit. *Cui* antiquo codici, inquit, *poſtea adjecti ſunt Concilii Epheſini III. œcumenici octo canones, FORTE a Stephano Epheſino, cujus exſtat canonum collectio nondum edita* &c. ut ſupra proſequitur. Ubi autem exſtaret hæc nondum impreſſa collectio, in prima editione anni 1610. non prodidit. At in ſecunda anni 1661. his ejus verbis præfationi inſertis exprimitur: *Hæc vero in bibliotheca Palatina apud heredes Gelharti Ermenhorſtii Hamburgi aſſervatur, a quibus huc uſque nanciſci non potuimus.* Si hunc codicem nanciſci non potuit, eo proculdubio in editione uſus non fuit. Cum ipſum codicem fortaſſis olim vidiſſet, eum ſubinde memoria repetenti idem ſuæ collectioni ſimilis videri potuit. Ne quid vero dubitationis circa hunc Palatinum codicem ſuperſit, Joannis Alberti Fabricii verba hic appendenda ſunt ex tomo xi. Bibliothecæ Græcæ n. 10. pag. 26. *In bibliotheca Cæſarea aliquot reperiuntur canonum collectiones adhuc ineditæ, ut quam Lambecius III. pag. 66. memorat* Κανονικὴ σύνοψις *Stephani Epheſii, quæ fuit quoque in Palatina cod. 33.... canoneſque Apoſtolorum Conciliique Nicæni & Ancyrani complectitur. Vide Friderici Sylburgii catalogum manuſcriptorum bibliothecæ Palatinæ pag. 14. ubi Stephanus ille Epheſinus appellatur Epiſcopus.*

Quæ fuerit collectio ejuſdem Stephani, & quando digeſta.

Fridericus Sylburgius, qui catalogum edidit codicum Palatinorum, aliam in his collectionem non prætulit Stephani Epheſini nomine inſcriptam, niſi quæ non integros Conciliorum canones, ſed canonum ſynopſim continebat. Hæ canonum ſynopſes poſterioris ætatis fuere: & ſiquidem ſynopſi laudatæ canones Epheſini fuere adjecti, id (ut poſtea dicemus) ſerius multo poſt Chalcedonenſem Synodum factum fuit; ac propterea ſi Stephanus Epheſinus hujus collectionis, ſeu ſynopſis auctor credatur; non fuit ille Stephanus Epiſcopus, qui Chalcedonenſis Concilii ævo memoratur, ſed alius poſterior, qui in MS. bibliothecæ Cæſareæ Epiſcopi titulo caret.

Codex a Juſtello impreſſus non eſt vetus Græcorum codex. Detectus ejus notati.

IX. Sed ut redeamus ad codicem canonum, quem Chriſtophorus Juſtellus edidit, hunc non eſſe illam veterem collectionem in Chalcedonenſi allegatam, cujus codicem Dionyſius Exiguus adhibuiſſe creditur, nonnulla argumenta plane demonſtrant. Græcos quidem vetuſtiores canonum codices, ex quibus duæ antiquiores interpretationes Iſidoriana & Priſca deductæ fuerunt, una cum Nicænis canonibus prætuliſſe etiam ſymbolum, nec non ſubſcriptiones, ſeu catalogum Patrum Nicænorum, eædem verſiones teſtantur. Præterea una cum canonibus Gangrenſibus deſcriptam in illis MSS. fuiſſe epiſtolam ipſius Concili, Antiochenos item relatos fuiſſe cum ſynodicis litteris & cum Epiſcoporum nominibus, & Conſtantinopolitanos non caruiſſe ſubſcriptionibus Epiſcoporum, non ſolum ex laudatis verſionibus, ſed etiam ex ipſo Græco textu liquet. Hæc autem omnia Juſtelli editio præterit. Etſi vero Dionyſiana interpretatio his omnibus pariter caret; infirma tamen eſt hæc Juſtelliani Græci codicis defenſio, qui dum *univerſæ Eccleſiæ codicem* præfert, ad Dionyſii verſionem exactus, ab illis vetuſtioribus

bus Græcis codicibus abeſt , ex quibus antiquiores illæ verſiones ſumtæ fuerunt . Quid quod neque cum Dionyſiana plane concordat ? In interpretatione enim Dionyſii non minus quam in Iſidoriana & Priſca , ac in ipſo Græco textu canonibus Ancyranis, Neocæſarienſibus, atque Gangrenſibus adnotationes quædam præmittuntur, quibus duæ priores Synodi anteriores Nicæna , tertia vero Synodus poſterior traditur. Has in Juſtelliano Codice fruſtra requires.

Additamenta a veteri Græco codice aliena.

X. Hic porro alia addit , quæ in antiquo Græco codice non exſtabant . Canonibus quatuor Synodi Conſtantinopolitanæ anni 381. Juſtellus tres alios adjecit. Hi utique non erant in veteri Græco codice , cum nec in Dionyſiana , nec in aliis antiquis verſionibus inveniantur . Certe canon ſeptimus ad eamdem Conſtantinopolitanam Synodum nequaquam pertinet : unde nec apud Joannem Scholaſticum , qui canones quintum & ſextum licet addititios recepit , hic ſeptimus legitur. Serius multo hic conditus, nedum adjectus fuit. Quintus autem & ſextus canones forte conſtituti fuerunt in alia Conſtantinopolitana Synodo ſubſequentis anni 382. Hac vero ſecunda Synodo ob idem nomen urbis & ob temporis propinquitatem cum priori confuſa, facili hallucinatione alterius canones cum canonibus alterius confuſi & copulati fuerunt. Epheſinos canones nulla verſio præfert , ſicut nec præferebat Græcus codex Dionyſii Exigui. Neque hæc Synodus proprie ſimul condidit octo illos canones, quos Juſtelli editio exhibet ; ſed ex diverſis ejus actionibus hinc & hinc excerpti fuere . Id poſteriori tantum tempore factum fuit. Antiquior, quod ſciamus , Græca collectio , in qua hi Epheſini canones cum ceteris recenſerentur , erat in eo codice, quo poſt medium ſextum ſæculum Joannes Scholaſticus uſus eſt: & exinde illi in poſteriores Græcas collectiones tranſierunt. Idem Juſtellus in notis ad hos canones pag. 91. poſteriores fontes indicans , ex quibus eoſdem hauſit, ait: *Hi octo Concilii Epheſini canones extant in codice Tilii, & in codicibus MSS. Balſamonis & Zonaræ , & in actis Concilii Epheſini Tom. 1. Concil. Œcum. Romæ edit. an. 1608. ſex ſcilicet priores pag. 499. duo vero poſteriores pag. 492. & 497.* Canonibus Chalcedonenſibus, qui in veteri Græco codice, & in ejuſdem antiquis verſionibus , ac etiam in Dionyſiana ſunt tantum XXVII. Juſtellus duos alios addidit , quos ſoli poſteriores Græci codices recepere. Laudatus Joannes Scholaſticus, etſi ſæculo ſexto vixit , ſolos XXVII. canones refert . Quis igitur hunc Juſtelli codicem, qui alia antiqui codicis præterit , alia addit , pro veteri germano codice canonum habere poteſt?

Neque fuit *Codex univerſæ Eccleſiæ.*

XI. Multo autem minus inſcribendus erat *Codex univerſæ Eccleſiæ* , ac ſi ante Concilium Chalcedonenſe non tam apud Orientalem , quam apud Occidentalem Eccleſiam auctoritatem obtinuiſſet. Nullos alios canones Romana & Occidentalis Eccleſia per hæc tempora receperat niſi Nicænos & Nicænorum nomine Sardicenſes, ut probabimus par. 2. c. 1. Quantum Antiochenos canones reprobaverit Innocentius I. Epiſt. 7. ad Clerum Conſtantinopolitanum, quantum item Conſtantinopolitanis canonibus Græco codici inſertis Leo Magnus reſtiterit, quos ſuo quoque ævo non receptos teſtatur S. Gregorius lib. 7. epiſt. 34. ad Eulozium, omnibus notum eſt . Quomodo igitur *univerſæ* , ac proinde etiam Occidentalis & Romanæ Eccleſiæ Codex affirmari poterat ille a Juſtello vulgatus, qui canones tunc repudiatos continet , & Sardicenſibus ab ea potiſſimum ſuſceptis caret ? Fruſtra vero Juſtellus ſe Leonis ipſius auctoritate fulciri ſtudet, cum pag. 16. indicat ejus verba ex epiſt. 44. ſuo & Romanæ Synodi nomine ſcripta ad Imperatorem Theodoſium , quibus petiit , ut is juberet generalem Synodum celebrari , quam poſt appellationem a Flaviano interpoſitam neceſſario poſtulari , *canonum*, inquit , *Nicææ habitorum decreta teſtantur .... quæ ſubter annexa ſunt*; ubi *ſubter annexorum voce intelligi par eſt*, ait Juſtellus, *canones Conciliorum , qui a Nicæno ad Conſtantinopolitanum numerorum ſerie in unum collecti , in veteri codice canonum reperiuntur* . Fallitur , & adeo evidenter fallitur , ut Leo his verbis ſolos canones Sardicenſes reſpiciat , qui in Juſtelliano codice deſiderantur : unde Sardicenſis canon de appellationibus decernens, huic quidem epiſtolæ in vulgato Græco ſubjicitur . Confer quæ in hanc rem diximus in Admonitione præmiſſa epiſtolæ 43. n. 8. tom. 1. pag. 898. & adnot. 18. in epiſt. 44. P. Couſtantius , qui Juſtelliani codicis inſcriptionem pariter rejicit in præfatione tom. 1. epiſt. Romanorum Pontificum num. 58. ſcribit : *Videtur ergo melius accuratiuſque inſcribi poſſe Juſtelliana collectio: Canonum codex, qualis in Eccleſia Græca medio ſæculo VI. obtinebat* . Nimium adverſario conceſſit. Etenim ex Joanne Scholaſtico , qui medio quidem ſexto ſæculo floruit , Sardicenſes canones continebat Græcus codex , nec non canones Apoſtolorum , qui a Juſtelliano excluduntur : & e contra nondum in eum illati erant ſeptimus canon Conſtantinopolitanus, & duo ultimi Chalcedonenſes, qui apud Juſtellum leguntur.

CAPUT II.

Antiquus canonum codex apud Græcos quinam initio fuerit, & quomodo ſubinde auctus.

Vulgata opinio.

I. CUM numeri quatuor Antiochenis canonibus adſcripti in Codice canonum , qui lectus fuit in Concilio Chalcedonenſi, fere congruant cum numeris in ſuo Græco codice inventis a Dionyſio Exiguo (*fere* ſcripſimus, eo quod numeri in Chalcedonenſi memorati Dionyſianos unitate excedunt :) communis præſumptio invaluit , Græcum codicem canonum in ea Synodo adhibitum ſimilem fuiſſe codici ejuſdem Dionyſii, in quo ſub numeris , ſeu titulis 165. continebantur canones XX. Nicæni , XXIV. Ancyrani, XIV. Neocæſarienſes, Gangrenſes XX. Antiocheni XXV. Laodiceni LIX. & Conſtantinopolitani III. Hanc quoque fuiſſe putant primam Græcam canonum collectionem , quæ poſt Conſtantinopolitanum Concilium hoc ordine & numero canonum compacta fuerit. Id vero nobis non ita videtur certum, ut plerique exiſtimant. Ut autem hac in re ad vetuſtiſſimum tempus pertinente lumen aliquod effulgeat, deficientibus Græcis hujus ævi exemplaribus, ad veteres interpretationes Latinas anteriores Dionyſio, quæ ex antiquiſſimis Græcis canonum codicibus traductæ fuerunt, confugiendum eſt, nec non ad alias pervetuſtas collectiones Latinas, quæ ex interpretationibus Dionyſiana anterioribus Græcarum Synodorum canones derivarunt.

Unde decidenda quæſtio.

Verſiones Græcorum canonum vetuſtiores Dionyſio.

II. Duas autem horum canonum verſiones habemus antiquiores Dionyſio : Priſcam , quam Juſtellus vulgavit, nos autem integriorem & emendatiorem hoc tomo recudemus; & eam , quæ ab Iſidoro recepta ex collectione Hiſpanica, Iſidoriana vocari ſolet, non quod Iſidorum habeat auctorem , ſed quia cum Iſidori collectione primum edita fuit. Priſca verſio uti a Juſtello eſt typis impreſſa, hunc ordinem præfert. Canones exhibet Ancyranos XXIV. Neocæſarienſes XIV. Nicænos XXI. quibus ex noſtris codicibus addemus totidem Sardicenſes apud Juſtellum mutilos , Gangrenſes XX. Antiochenos XXIV. Chalcedonenſes XXVII. & quatuor Conſtantinopolitanos, adjecto ſine numero alio canone Chalcedonenſi *de primatu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ* , qui conficiunt canones CLXV. ſeu (ſi computetur etiam canon Chalcedonenſis Conſtantinopolitanis ſubjectus) canones CLXVI. Iſidoriana autem verſio omnes canones, etiam Chalcedonenſes XXVII. profert, qui apud Dionyſium leguntur . Antiquæ collectiones Latinæ, quas deinceps ſingillatim deſcribemus, non ex una tantum verſione Græcos canones receperunt , ſed alios ex Iſidoriana , alios ex Priſca.

Laodiceni canones olim in Græco Codice deerant.

III. His præmiſſis duo potiſſimum in verſione Priſca animadverſionem merentur. Primo in ea deſunt canones Laodiceni . Neque id peculiari defectui ejus codicis, quem Juſtellus invenit , tribuendum eſt. Deſunt enim pariter in duabus vetuſtiſſimis collectionibus, quæ ex aliis antiquiſſimis manuſcriptis Priſcæ interpretationis aliquot alios Græcorum Conciliorum canones ſuſceperunt, nimirum

in

Digitized by Google

in collectione Vat. Reginæ 1997. & in alia, quæ exhibetur in duobus MSS. Lucano 88. & Colbertino 784. Auctor alius vetuſtiſſimæ collectionis contentæ in codicibus Barberino 2888. & Vaticano 1342. qui ex eadem Priſca verſione profecit, cum in ea non reperiſſet canones Laodicenos, ipſos ex Iſidoriana ſumſit. Hæc manifeſtum nobis efficiunt, hos canones ab origine defuiſſe non minus in Priſca verſione, quam in codice Græco, ex quo hujus verſionis auctor Græcorum canonum Latinam interpretationem lucubravit: alias Laodicenos æque ac ceteros latinitate donaſſet. Laodiceni ergo canones Græcæ collectioni non ſtatim ab initio inſerti, ſed poſterius additi fuerunt. Secundo canones Conſtantinopolitani in eadem Priſca verſione poſt Chalcedonenſes recenſentur: eodemque ordine deſcribuntur in tribus aliis diverſis & antiquiſſimis collectionibus manuſcriptis paullo ante memoratis Vat. Reginæ 1997. Lucano-Colbertina, & Vat. Barberina, quæ horum Conciliorum canones ex Priſca verſione recepere. Hoc ergo inverſo ordine canones Conſtantinopolitani Chalcedonenſibus ſubjiciebantur etiam in eo Græco codice, quem ejuſdem verſionis auctor adhibuit. Conſtantinopolitani igitur Concilii canones, uti leguntur in Priſca, poſt Chalcedonenſes adjecti fuere: idque adeo eſt evidens, ut inter canones ejuſdem Synodi Conſtantinopolitanæ accenſeatur etiam canon Chalcedonenſis *de primatu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ*, ac trium Legatorum Romani Pontificis ſubſcriptiones iiſdem canonibus ſubjiciantur, quæ non ad Conſtantinopolitanam, ſed ad Chalcedonenſem Synodum pertinent, ut ex ipſius Priſcæ verſionis editione huic tomo inſerta palam fiet. Cuicumque autem hoc Conſtantinopolitanorum canonum additamentum tribuendum putes, ſive auctori ipſius verſionis, qui hos canones in ſua Græca collectione non inveniens, aliunde traduxerit, ſive ipſi Græcæ canonum collectioni, quam ille adhibuit (quod nobis probabilius eſt ex iis, quæ dicentur nota 5. in eoſdem canones hujus verſionis;) ſemper verum erit eos ab initio defuiſſe in collectione Græca: alias in nullo hujus collectionis exemplo defuiſſent, nec poſt Chalcedonenſes fuiſſent adjiciendi in quopiam MS. Græco, ſive in Priſca verſione. Hinc fortaſſis Lucentius Apoſtolicæ Sedis Legatus in Concilio Chalcedonenſi actione XVI. de Conſtantinopolitanis canonibus dixit: *In ſynodicis canonibus non habentur*: quia ſcilicet in vulgata collectione & codice canonum deerant. Primævus itaque Græcus codex canonum & Laodicenis canonibus, & Conſtantinopolitanis carebat. Id non modicum confirmat vetuſtiſſima Breviatio canonum, quæ invenitur in duobus MSS. Veronenſi 59. & Lucano 88. Hujus enim auctor, qui ex diverſis antiquioribus canonum codicibus excerpta quædam compendio exhibuit, num. 2. abbreviationem proferens canonum Græcorum, quos continuata numerorum ſerie diſtribuit in numeros XCI. poſt relatos canones Nicænos, Sardicenſes, Ancyranos, Neocæſarienſes, & Gangrenſes in Antiochenis deſinit. Nonne id indicio eſt, eum Latinum codicem, ex quo abbreviationes ejuſdem numeri ſecundi fuerunt excerptæ, a Græco canonum exemplo derivare, quod ultra Antiochenos canones haudquaquam progrediens, nec Laodicenos, nec Conſtantinopolitanos præferebat? Si autem in prima collectionis Græcæ origine defuere Laodiceni & Conſtantinopolitani canones; non fuit ergo hæc collectio ab initio, qualem Dionyſius Exiguus in ſuo codice cum iiſdem invenit, ac latine reddidit.

Nec Conſtantinopolitani.

V. infr. col. 555.

tom. 4. Conc. V. ed. col. 1747.

IV. Quod ſi in verſione Iſidoriana, quæ forſitan antiquior eſt interpretatione Priſca, tum Laodiceni, tum Conſtantinopolitani canones nunc leguntur; non tamen exinde ſequitur eos ſemper in primo ejuſdem verſionis exemplo exſtitiſſe. Suſpicamur autem hoc exemplum ab origine utriſque caruiſſe, eoſdemque canones poſteriori additamento deputandos. Caruit enim olim profecto hæc verſio canonibus Chalcedonenſibus, uti colligere licet ex Ferrando, qui com Græcos canones ex Iſidoriana verſione in ſuum Breviarium retulit, ut ſuo loco oſtendemus, Chalcedonenſes non alia de cauſſa præterivit, niſi quia in ſuo ejuſdem verſionis exemplo eos non invenit. Idipſum deprehenditur in perantiqua collectione Corbejenſi, quæ iiſdem canonibus Chalcedonenſibus caret; eo quod in codice verſionis Iſidorianæ, unde aliarum Synodorum Græcarum canones recepit, illos ejuſdem collectionis auctor minime reperit. Eadem de cauſſa auctor collectionis Queſnellianæ hoc tomo recuſæ, qui omnes alios Græcos canones ex Iſidoriano fonte derivavit, ſolos Chalcedonenſes ex Priſca ſuſcepit. Sicut ergo canones Chalcedonenſes Iſidorianæ interpretationi poſtea adjecti fuerunt; ita & Laodicenos & Conſtantinopolitanos eidem aliquando poſterius acceſſiſſe nobis credibile eſt. Aliud hujus rei non leve indicium ſuppetit ex antiqua collectione Latina, quæ in memoratis codd. Lucano & Colbertino legitur. Hujus enim auctor, qui priorum Conciliorum canones ſumſit ex Iſidoriana verſione, Conſtantinopolitanos & Chalcedonenſes addidit ex Priſca, ea ut videtur de cauſſa, quia iſtos Iſidorianæ verſionis exemplum, quod adhibuit, nequaquam proferebat; Laodicenos autem plane omiſit, quod hoc nec in Priſca invenit, nec in ſuo Iſidorianæ verſionis exemplo.

V. Cum porro in hac Latina collectione codicum Lucani & Colbertini Antiocheni quoque canones referantur ex verſione Priſca, non vero ex Iſidoriana, ex qua quatuor anteriorum Synodorum canones deſcripti fuere; ſuſpicio exoritur, Antiochenos etiam canones in exemplo primævo interpretationis Iſidorianæ defuiſſe; ac propterea auctor laudatæ collectionis eos in ſuo Iſidorianæ verſionis exemplo non inveniens, ex Priſca deſcribere coactus fuit. Id ſi probabile judicetur, dicendum erit, Græcam collectionem ab initio ſolos canones Nicænos, Ancyranos, Neocæſarienſes, atque Gangrenſes prætuliſſe, & ex hoc primo Græci Codicis exemplo primum Iſidorianæ verſionis auctorem eoſdem tantummodo canones latinitate donaſſe, qui in memoratam collectionem Lucano-Colbertinam inſimul tranſiere. Enimvero ſoli canones eorumdem quatuor Conciliorum peculiaribus chronicis adnotationibus in omnibus Latinis diverſæ originis interpretationibus, & apud ipſum Joannem Scholaſticum, ac in MSS. Græcis Tilii ita diſtinguuntur, ut Ancyrani & Neocæſarienſes, licet poſt Nicænos deſcripti, Nicænis eſſe anteriores, Gangrenſes vero iiſdem Nicænis poſteriores tradantur. Hæ autem peculiares adnotationes diſtinctum veterem harum Synodorum & canonum collectorem indicare videntur, qui ſi aliorum quoque Conciliorum canones collegiſſet, aliquam ſimilem adnotationem non videtur fuiſſe omiſſurus. In hac autem ſententia ceterarum Synodorum canones, qui poſt Gangrenſes in codice Græco leguntur, poſterius additi dicendi ſunt. Id ſane manifeſtius fiet, ſi Gangrenſes canones inter annum 362. ac 370. editi fuerint; quod quidem multo probabilius eſſe probaturi ſumus cap. 4. §. 1. Si enim primus Græcæ collectionis auctor Antiochenos canones collegiſſet cum ceteris; hos proculdubio uti anteriores, Gangrenſibus præpoſuiſſet. Ea igitur ſola de cauſſa illi iſtis inveniuntur poſtpoſiti, quia non a primo auctore deſcripti fuerunt in Codice canonum, ſed poſteriori additamento acceſſerunt.

Antiocheni quoque canones initio deerant.

Quid contineret primus codex Græcus Canonum.

VI. Heic autem conjecturam quoque proferre liceat de primo hujus collectionis auctore. Obſervamus tres Synodos Ancyranam, Neocæſarienſem, atque Gangrenſem ad diœceſim Ponticam pertinuiſſe. Galatia enim in qua Ancyra exſtitit, non minus quam Pontus in quo Neocæſarea, & Paphlagonia in qua Gangres, diœceſi Ponti adſcribitur non ſolum in Notitia a Scipione Maffejo edita, quæ ſub Theodoſio I. ſcripta fuit, verum etiam in Notitia dignitatum. Hinc Theodoſii lex a Sozomeno allegata Helladio Epiſcopo Cæſareæ Ponti totam regionem tribuit a Bithynia ad Armeniam uſque. Igitur probabile nobis eſt, primum Græci Codicis auctorem fuiſſe aliquem ſtudioſum diœceſis Ponti, qui idcirco præter Nicænam generalem Synodum ubique celebrem ex Synodis particularibus ſolos canones trium celebriorum Conciliorum ſuæ diœceſis præſto habuit, atque in codicem retulit. Is autem cum generali Concilio Nicæno primum locum ob reverentiam tribuendum crediderit, ne hinc error chronologicus lectoribus fortaſſis ſubreperet, eas ad-

Quo auctore primævus Codex conditus fuerit.

no-

Additamenta quando.

notationes ceteris præfixit, quibus Ancyranam & Neocæſarienſem Synodos Nicæna anteriores, Gangrenſem vero poſteriorem eſſe quiſque intelligeret. Ex hac porro primæva collectione cum plura exempla deſcripta fuiſſent (quorum unum primo Iſidorianæ verſionis auctori præ oculis fuiſſe ſuſpicati ſumus;) alius ſubinde forſitan ex diœceſi Orientis Antiochenus canones adjecit, quos etſi anteriores Gangrenſibus, ne primævi Codicis ordinem perturbaret, vel ne totum Codicem tranſcriberet, poſt Gangrenſes deſcripſit. Hi certe canones in Græco Codice canonum continebantur ante ſæculum V. quippe qui ex eodem, ut videtur, Codice contra S. Joannem Chryſoſtomum objecti fuerunt ab ejus inimicis, ſicuti & poſtea ab Orientalibus obtruſi ſunt adverſus S. Cyrillum. Inſcriptio quidem erronea iiſdem canonibus præfixa *in encæniis*, de qua dicemus cap. 4. §. 2. ſi in iis Græco codici inſerendis appoſita fuit, horum canonum additamentum ſerius factum indicat, cum hujus Synodi tempus, & occaſio ignorari facile potuit. Confer quæ laudato capite differentur.

VII. De canonibus Sardicenſibus quid ſentiendum ſit quantum ad Græcam collectionem, explicabimus cap. 6. Porro in aliquo codice, qui Antiochenorum canonum additamentum receperat, canones Chalcedonenſes & Conſtantinopolitani adjecti fuerunt. Hujus generis fuit ille codex, ex quo priſca verſio ſumta fuit. Aliis vero codicibus poſt Antiochenos ex ordine additi primum canones Laodiceni, dein Conſtantinopolitani: cujuſmodi fuit Græcus codex, unde Dionyſii Exigui interpretatio manavit, cui ipſe Chalcedonenſium verſionem aliunde ſubtexuit. In aliis autem MSS. exemplaribus & Laodiceni, & Conſtantinopolitani, & Chalcedonenſes canones ſubinde adnexi, quorum interpretatio Iſidorianæ aliquando acceſſit. Sub medium ſæculum VI. additi ſuo loco Epheſini canones in ſolis Græcis exemplis, qui numquam inſerti fuerunt antiquis interpretationibus Latinis. Hi cum ceteris canonibus inventi ſunt in Græcis codicibus, qui præſto fuerunt Joanni Scholaſtico, aliiſque nonnullis ante ipſum, quorum collectiones in ſexaginta titulos diſtributas, quæ deſiderantur, in præfatione commemorat. Canones enim hiſce collectionibus inſerti, ex decem Synodis ſumti dicuntur, inter quas ſane comprehenditur Synodus Epheſina, cujus quidem canones idem Joannes ſuæ collectioni in quinquaginta titulos diſtinctæ inſperſit. Canones Apoſtolorum quinquaginta tantum Dionyſius in ſuo Græco codice reperiſſe videtur, cum totidem tantum ſuæ Latinæ verſioni præmiſerit. At in aliis Græcis exemplaribus a Joanne Scholaſtico laudatis amplior eorum numerus inventus fuit, nimirum uſque ad LXXXV.

Alia additamenta Græci codicis.

VIII. Præterea Græco Codici acceſſerunt canones ex apiſtolis S. Baſilii ad Amphilochium. Idem Joannes Scholaſticus hujus rei teſtis eſt, quippe qui ordinem canonum in ſuo ſaltem codice exhibitum ſic in præfatione deſcribit.

ORDO CANONUM.

Sancti Domini diſcipuli & Apoſtoli octoginta quinque canones Clementis opera ediderunt. Poſt hos vero qui deinceps conſequuti ſunt, prout infra ſubjectum eſt.

Sanctorum CCCXVIII. Patrum Nicææ congregatorum, Conſulatu Paullini & Juliani clariſſimorum, anno ab Alexandro ſexcenteſimo ſexto menſis Diſii decimo nono, XIII Kal. Julii canones XX.

Beatorum Patrum Ancyræ congregatorum canones XXV., qui quidem Nicænis canonibus tempore priores, propter auctoritatem vero, ſeu libertatem generalis Synodi poſteriores ſunt.

Sanctorum Patrum Neocæſareæ congregatorum canones XIV. Ipſa etiam Synodus Nicæna quidem prior fuit, Ancyrana vero poſterior: honoriſque vero gratia Nicæna ipſis præpoſita eſt.

Patrum Sardicæ congregatorum poſt Nicænos Patres canones XXI.

Patrum Gangris congregatorum, a quibus expoſiti ſunt, canones XX.

Patrum Laodiceæ Phrygiæ congregatorum, a quibus expoſiti ſunt, canones LIX.

Patrum Conſtantinopoli congregatorum, a quibus expoſiti ſunt, canones VI.

Patrum Epheſi congregatorum, a quibus expoſiti ſunt, canones VII. In corpore vero operis tit. 1. allegat etiam octavum.

Patrum Chalcedone congregatorum, a quibus expoſiti ſunt, canones XXVII.

Exſtant etiam S. Baſilii canones numero LXVIII., qui ſcilicet in ſecunda ac tertia canonica ejuſdem epiſtola continentur, uti ex canonibus ab ipſo Joanne in ſua collectione recitatis perſpeximus. Hæc collectio olim ob erroneam inſcriptionem codicis bibliothecæ regiæ Pariſienſis Theodorito Epiſcopo Cyrenſi tributa fuit. At ex tribus probæ notæ MSS. exemplaribus eam Chriſtophorus Juſtellus ſuo auctori reſtituit: Joannis enim Scholaſtici, non autem Theodoriti nomen iidem codices prælerunt, quibus addi poſſunt alii codices Cæſarei memorati a Lambecio lib. 6. Comment. Biblioth. Cæſar. pag. 55. 56. 61., & lib. 8. pag. 458. Hinc porro indicata Græcæ collectionis additamenta non ad Theodoriti, ſed ad Joannis Scholaſtici ætatem pertinent.

Jo. Scholaſtici collectio Theodorito perperam attributa.

IX. Aliæ deinde acceſſiones Græco Codici factæ fuerant tempore Concilii Trullani, in cujus canone ſecundo approbantur uti jam recepti in Codice canones Carthaginienſes græce redditi ex collectione Dionyſii Exigui, uti ſuo loco probabimus, ac præterea Concilium Conſtantinopolitanum anni 394. & canonicæ epiſtolæ Dionyſii, Petri, Athanaſii, Timothei, Theophili, ac Cyrilli Alexandrinorum Antiſtitum, item Gregorii Thaumaturgi, Baſilii Cæſarienſis, Gregorii Nyſſæni, verſus Gregorii Theologi, ſeu Nazianzeni, & Amphilochii Iconienſis, epiſtola Gennadii Conſtantinopolitani, & Synodus Carthaginienſis S. Cypriani. Additi dein canones Conciliorum Trullani, & Nicæni II., & epiſtola Tharaſii Conſtantinopolitani ad Hadrianum I. Romanum Pontificem. Joannes Tilius ex codice bibliothecæ Canonicorum S. Hilarii Pictavienſis memoratorum Conciliorum canones græce vulgavit Pariſiis an. 1540. alterumque tomum edere cogitabat, quo Græcorum Patrum canonicæ epiſtolæ proferrentur. Hanc vero integram Græcam collectionem legere eſt in celebri Oxonienſi editione Guillielmi Beveregii anni 1672., cui præterea Zonaræ & Balſamonis Scholia inſeruit. Inter MSS. Græca exemplaria, quæ cuſtodiuntur in bibliotheca Monachorum S. Baſilii de Urbe, duo ſignata num. 19. & 20. Græcam collectionem continent ſcriptam ſæculo decimo: catalogus enim Epiſcoporum Byzantinorum, & Patriarcharum Conſtantinopolitanorum deſinit in Triphone, qui, dum iidem codices ſcribebantur, extremum diem obiit eodem ſæculo exeunte. In eadem vero collectione, quæ diſtinguitur in capitula XL., recentius Concilium eſt Nicænum II. Inter epiſtolas canonicas deſunt Gregorii Theologi & Amphilochii verſus, ac epiſtolæ Gennadii atque Tharaſii. At canonibus Synodi Chalcedonenſis ſubduntur duæ epiſtolæ, una S. Flaviani ad Leonem, altera S. Leonis ad Flavianum, quæ in noſtra editione ſunt epiſtolæ 26., & 28. In MS. Cæſareo Vindebonenſi Græcæ collectionis, quod memoratur a Lambecio lib. 6. Comment. pag. 51. & lib. 8. pag. 431., eadem Leonis epiſtola 28. exhibetur. In alia MS. collectione eorumdem Monachorum S. Baſilii diſtributa in titulos, ſeu capitula 26., poſt epiſtolam Gennadii Conſtantinopolitani ad Metropolitanos de ſimoniacis, additur alia ejuſdem epiſtola ad Martyrium Epiſcopum Antiochenum de recipiendis hæreticis, quæ item legitur in uno MS. Græco bibliothecæ Cæſareæ. Hæc potiora & antiquiora additamenta recenſenda viſa ſunt. Alia poſteriora, quæ in aliis codicibus proferuntur, prætermittimus.

Aliæ poſteriores acceſſiones Græci Codicis.

C A P U T III.

De catalogis Patrum Nicænorum, Ancyranorum, Neocæſarienſium, atque Gangrenſium: num a primævo Græco Codice derivent.

§. I.

Catalogus Patrum Nicænorum Symbolo ſubjectus, non ſolum in primævo Græco Codice canonum inerat, verum etiam antiquior eſt ipſa collectione Græca. Provinciæ in eo deſignatæ ſunt juxta civilem diſpoſitionem, quæ Nicænæ Synodi tempore vigebat. Nonnullarum civilium provinciarum diviſiones Concilio Nicæno poſteriores probantur. Phrygia nondum diviſa in duas tempore ipſius Synodi Sardicenſis. S. Hilarii locus emendatus. Inſcriptio Sardicenſis Synodicæ apud Theodoritum vitiata. Conſtituitur tempus Synodi Laodicenæ.

I. DEſcripto Græco canonum Codice nonnullas obſervationes, quæ in eo expendendo menti occurrerunt, nec inutiles viſæ ſunt, exponere libet. Primo dicendum eſt (1) de catalogo Patrum Nicænorum, qui apud quoſdam poſterioris ætatis opus, ac exiguæ auctoritatis habetur. Quatuor diverſæ originis verſiones hunc catalogum exhibent. Priſca, quam hoc tomo ſuppletam & emendatam dabimus: alia antiquior, quæ ſcilicet ab Iſidoro recepta, Iſidoriana vulgo appellatur; tertia antiquiſſima, quæ in codicibus collectionum Vat. Reginæ 1997. & Queſnellianæ hoc tomo recudendæ legitur: ac tandem illa, quæ in MSS. collectionis Hadrianæ inſerta, a tribus præcedentibus omnino diverſa eſt. Cum porro tres priores verſiones diverſæ e Græco fonte canones Græcos derivarint; hic quoque Nicænorum Patrum catalogus e Græco originem ducit. Ideo enim in his diverſis verſionibus, quarum nulla ab altera pendet, idem catalogus legitur, quia ab harum interpretationum auctoribus in Græco exemplari, ſeu in Græca collectione canonum una cum Nicænis canonibus inventus fuit. Hæc autem Græca origo potiſſimum elucēſcit ex quarta verſione ejuſdem catalogi, qui in MSS. collectionis Hadrianæ Nicænis canonibus Dionyſianæ interpretationis adjectus fuit. In his enim codicibus (ut in Vallicellano A. 5.) quædam Græcæ voces efferuntur, quæ dum interpretem in iiſdem latine reddendis minus peritum oſtendunt, Græcam catalogi originem pateſaciunt. Hujuſmodi ſunt *Alexandrias micreas* pro *Alexandriæ minoris*, & nomen provinciæ *Neſſon* pro *Inſularum*. Sicut autem Græca collectio, ex qua hujuſmodi verſiones derivatæ fuerunt, antiquiſſima eſt, ita hic catalogus vetuſtiſſimus, ac proinde ex germanis Græcis exemplis, non minus quam canones, profectus agnoſcitur. Hinc alius pervetuſtus interpres canonum Nicænorum, cujus verſionem ex MS. Capituli Veronenſis hoc tomo edemus, etſi catalogum Epiſcoporum omittat, eum tamen in Græco, quod adhibuit, exemplo exſtitiſſe prodit his verbis: *Quorum* CCCXVIII. Epiſcoporum) *nomina cum provinciis & civitatibus in exemplaribus continentur*. Neque refert Dionyſii verſionem, uti in puris ejus codicibus continetur, hoc catalogo carere: caret enim etiam Symbolo; qui certe Nicænus eſt, aliiſque præter ea caret certis aliarum Synodorum particulis, quæ etſi abeſſent a Græco Dionyſii exemplo, inventæ tamen in aliis MSS. Græcis ab aliis interpretibus latine redditæ fuerunt.

Catalogus Nicænorum Patrum a Græco proficiſcitur. Probatur ex antiquis verſionibus.

II. Hunc autem catalogum præter quatuor laudatas verſiones alii quoque veteres Scriptores confirmant. Gelaſium Cyzicenum, qui ante Dionyſium hiſtoriam Nicænæ Synodi ſcripſit, catalogum Nicænorum Patrum illi plane ſimilem, qui cum priſca verſione edetur, in ſuis Græcis exemplaribus reperiſſe manifeſtum eſt. Nam poſt adnotationem, quæ in eadem verſione catalogo præfigitur, Nicænos Patres recenſens, primo loco nominat Oſium & Romanos Presbyteros, uti primi in eadem aliiſque omnibus memoratis verſionibus deſcribuntur: & dein ex reliquis Patribus præcipuos Epiſcopos cum ſua cujuſque provincia ita nominat, ut ipſum catalogum præ oculis habuiſſe perſpiciatur. Hunc eumdem catalogum non obſcure etiam indicat S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos ſcripto in Oriente ſub annum 378. *Legamus*, inquit num. 20., *acta & NOMINA EPISCOPORUM* (eſt ipſe titulus laudati catalogi in collectione hoc tomo edenda, nec non in aliis quibuſdam exhibitus) *apud Nicæam; & hos, quos ſupra diximus fuiſſe receptos, ſubſcripſiſſe homouſion inter ceteros reperiemus.* Heic profecto innuit noſtrum catalogum, in quo ſane ii referuntur, quos ille ex *nominibus*, ſeu catalogo, *Epiſcoporum* a Nicæna Synodo receptos probaverat. Aliud teſtimonium maximi habendum addemus ex Socrate, qui lib. 1. Hiſt. c. 13. poſtquam dixit, utile futurum deſcribere *NOMINA EPISCOPORUM, qui Nicææ convenerunt, & cujus quiſque provinciæ & civitatis Epiſcopus fuerit*, incipit ab Oſio & Romanis Preſbyteris ſic: *Oſius Epiſcopus Cordubæ Hiſpaniæ ita credo, ut ſuperius ſcriptum eſt. Vito & Vincentius Presbyteri urbis Romæ.* Et proſequitur: *Ægypti Alexander Epiſcopus, magnæ Antiochiæ Euſtachius, Hieroſolymorum Macarius, Arpocratio Cynopoleos, & reliqui, quorum nomina in libro Athanaſii Epiſcopi Alexandrini, qui Synodicus inſcribitur, pleniſſime digeſta ſunt.* Nonnulla heic obſervanda. Primo titulus *Nomina Epiſcoporum*, & horum diſtributio in provincias, addito cuique ſuæ civitatis nomine, noſtro catalogo prorſus conveniunt. Dein primæ duæ ſubſcriptiones iiſdem verbis in eodem catalogo reperiuntur. Poſt has inchoat Socrates a deſignatione provinciæ Ægypti, uti prima quidem in catalogo legitur. Quoad Epiſcoporum vero nomina præter tres præcipuarum Sedium Antiſtites Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum, quos ille honoris cauſſa ſuis nominibus laudandos credidit, ex aliis confuſe indicatis illa formula *& reliqui*, ſolum Arpocrationem Epiſcopum Cynopoleos appellat. Cum vero Arpocration nec per ſe, nec ob præſtantiam Sedis præcipuam ejuſmodi mentionem exigeret; ea tantum de cauſſa nominatus dici poteſt, quod Socrates inter ceteros Epiſcopos unum aliquem nuncupaturus, eum primum in ſuo catalogo invenit, uti primus ſane poſt Alexandrum Alexandrinum notatur in catalogo verſionum Priſcæ & Iſidorianæ.

lib. 1. Hiſt. Conc. Nic. c. 27.

Infra col. 30.

Quod ſi in nulla verſione laudati catalogi hic Arpocration dicitur Epiſcopus Cynopoleos, uti apud Socratem legitur; Cynopoleos vero, ſeu Cynenſis, aut Cyni Epiſcopus in iiſdem verſionibus appellatur Adamantius, qui Arpocrationi immediate ſubjicitur: facilis lapſus Socratis detegitur, qui oculorum tranſcurſu Arpocrationis civitatem ex ſubſequenti Epiſcopo ſumſit. Qua obſervatione multo magis confirmatur, eum in Nicænorum Patrum deſcriptione uſum fuiſſe catalogo omnino ſimili illis verſionum Priſcæ & Iſidorianæ, in quibus poſt Alexandrum Arpocrationi, ut ibidem vocatur, Alphocratenſis, & poſt hunc Adamantius Cynenſis, ideſt Cynopoleos, ſimiliter notabantur. Quod ſi eumdem catalogum cum iiſdem Epiſcoporum, provinciarum, ac civitatum nominibus Socrates invenit apud Athanaſium in libro *Synodico*, qui intercidit; quis hinc non perſpiciat, quantum confirmetur catalogus tanti Epiſcopi, qui in Nicæno Concilio interfuerat, auctoritate probatus?

Socratis locus notatus.

Catalogus apud S. Athanaſium.

III. Epiſcoporum quidem, qui in Synodis ſederunt, nomina colligere ac diſtribuere per provincias priſca illa ætate non inſuetum patet etiam ex Concilio I. Arelatenſi, ex quo habemus non ſubſcriptiones ipſas, ſed Epiſcoporum per provincias diſtributorum catalogum Nicæno plane ſimilem, cujus antiquitatem luculenter vindicavimus in Obſervationibus ad Diſſertationem quintam Queſnelli par. 2. c. 3. n. 14. tom. 2. pag. 1019. Simile quidpiam accidit etiam Concilio Chalcedonenſi, niſi quod non ſolum habemus catalogum Pa-

Ex antiquis Scriptoribus.

(1) Hic catalogus cum MSS. diverſarum verſionum collatus bis hoc tomo invenietur, primum in collectione ſubjicienda cap. 1, col. 30, dein in editione Priſca col. 503.

Patrum ejuſdem Concilii, qui per provincias ſimiliter dividuntur, ut videre eſt in MSS. collectionis Hadrianæ, & exinde tom. 4. Conciliorum noviſſimæ editionis Venetæ col. 1710., verum etiam ipſas ſubſcriptiones eorumdem Patrum habemus, quibuſcum idem catalogus ex Græco originali ſumtus maxime concinit. Sicut autem hi duo catalogi Patrum Arelatenſium atque Chalcedonenſium ex ipſis documentis ſeu geſtis Synodorum Arelatenſis I. atque Chalcedonenſis excerpti noſcuntur; ita pariter Nicænorum Patrum catalogus ex hujus Synodi monumentis, vel certe ex perſpecta eorumdem Patrum notitia ab Athanaſio, vel ab alio coævo auctore ſumtus dici debet.

IV. Alia animadverſio hujus catalogi antiquitatem auctoritatemque multo magis conſtituet. Obſervantes enim provincias, quæ in eo deſignantur, eaſdemque conferentes cum provinciis, quæ in Philippopolitanæ, ſeu Pſeudoſardicenſis Synodicæ inſcriptione leguntur, deprehendimus tum in eo catalogo, tum in hac inſcriptione ſimilem provinciarum diſpoſitionem indicari, ita ut utrobique earum provinciarum nomina deſint, quæ poſteriori ævo inſtitutæ fuerunt. Utrobique enim omittuntur ex. gr. Euphrateſia, & Oſroene; ac in Nicæno catalogo harum provinciarum Epiſcopi ei provinciæ adſcribuntur, ad quas ante diviſionem pertinebant: quod ipſum ſimiliter legeremus in Pſeudo-ſardicenſis ſubſcriptionibus, ſi in his nominarentur provinciæ, quæ in Synodicæ inſcriptione leguntur. Id quidem antiquam civilem diſpoſitionem provinciarum reſpicere, quæ Nicæni Concilii tempore vigebat, palam fit ex Antiochena Synodo, quæ ex iiſdem fere Patribus Nicænis conſtabat, & anno 332. habita fuit, uti probabimus capite ſequenti §. 2. In hac Synodo convenerunt Epiſcopi ex omnibus provinciis Orientis, qui Antiochenæ Eccleſiæ ſuberant. Licet autem in ea interfuerint Epiſcopi, qui ex poſteriori diviſione ad Oſroenem & Euphrateſiam ſpectabant, in inſcriptione tamen Græca Synodicæ inter provincias ſingillatim recenſitas nec Oſroena, nec Euphrateſia legitur. Quid ita? Nempe quia nondum hæ provinciæ civili diſpoſitione conſtitutæ & diviſæ fuerant; ſed altera in Meſopotamia, alter in Syria comprehendebatur. Sicut autem Nicænorum Patrum catalogus ob omiſſas has duas provincias Oſroenæ & Euphrateſiæ veterem diviſionem Orientis Conſtantini ævo obtinentem refert; ita & in aliis provinciis eamdem diſpoſitionem Nicæni Concilii tempori congruentem exhibet: quod antiquitatis ejus evidentiſſimum argumentum eſt.

Civilis provinciarum diſpoſitio in catalogo congruit Nicæno tempori.

Oſroene & Euphrateſia poſt Nicænum inſtitutæ.

tom. 2. Conc. V. Ed. col. 583.

V. Quod ſi opponas inter provincias in Pſeudo-ſardicenſis Synodicæ inſcriptione nominatas cenſeri duplicem Phrygiam, & Helleſpontum, quas tamen laudatus catalogus ignorat; duo reponemus. Primo ex diſpoſitione provinciarum, quæ indicatur in poſterioris ætatis documento, minus recte in ſuſpicionem adducitur documentum anterioris temporis, in quo eadem diſpoſitio non inveniatur. Curſu enim temporis, quarto præſertim ſæculo, novæ provinciæ ſubinde diſectæ, novaque diſpoſitio inducta fuit. In ipſa epigraphe pſeudo-ſynodicæ memoratæ non legitur provincia Oſroene, tametſi eidem conciliabulo ſubſcripſerit *Baſſus a Car*, ideſt Epiſcopus Caræ, quam Notitiæ in Oſroene collocant. Hanc autem Oſroenem jam diviſam prodit *Expoſitio totius mundi & gentium* a Jacobo Gotofredo græce & latine edita, atque a Scheleſtratio recuſa tom. 2. Antiquit. Eccleſ. pag. 625., quæ imperantibus Conſtantini filiis exarata fuit. Numquid propterea quiſpiam repudiabit certiſſimum Pſeudo-ſardicenſis documentum, in quo Oſroene omittitur; an vero hinc potius colliget, laudatam *Expoſitionem totius mundi* poſt hanc pſeudo-Synodum fuiſſe lucubratam, ac Oſroenem poſt hujus conciliabuli tempus diſectam fuiſſe a Meſopotamia, quæ antea Oſroenem in ſe continebat? Idipſum igitur dicendum de Helleſponto. Si hæc provincia ex epigraphe Pſeudo-ſardicenſi tempore hujus conciliabuli jam diviſa cognoſcitur; ex noſtro catalogo evincitur, eam in Aſia fuiſſe comprehenſam tempore Concilii Nicæni, ita ut ejus diviſio ab Aſia poſt Nicænam, & ante Pſeudo-ſardicenſem Synodum adſtruenda ſit. Secundo quantum ad Phrygiam hæc quidem *duplex* nominatur in vulgata inſcriptione Fidei ejuſdem Synodi Pſeudo-ſardicenſis apud S. Hilarium in libro de Synodis. At errorem in vulgato textu latere nobis certum eſt. In MS. enim antiquiſſimo Veronenſis Capituli 55. eadem inſcriptio, & fides eadem, quæ apud S. Hilarium legitur, ex alia vetuſtiſſima verſione affertur, ac in ea unius tantum Phrygiæ nomen occurrit. Immo idem Hilarius in fragmento tertio, ubi totam ejuſdem pſeudo-ſynodi epiſtolam cum Fide, ſeu Fidei formula deſcribit, in inſcriptione ipſius Synodicæ unicam Phrygiam notat. Hinc ergo interpolatus agnoſcitur textus libri *de Synodis*; cumque P. Couſtantius in notis ad eumdem librum moneat, aliquot probæ notæ codices habere *Aſiæ, Phrygiis* ſine voce *duabus*; pro *Phrygiis* corrigendum eſt *Phrygia*. Unica ſane Phrygia nominatur etiam in laudata *Expoſitione totius mundi*, quam poſt ipſum Concilium Sardicenſe lucubratam oſtendimus: ex quo eamdem Phrygiam poſt hoc opuſculum, & ante Synodum Conſtantinopolitanam anni 381. in qua duæ Phrygiæ leguntur, in duas diviſam perſpicimus. Ex his vero patet, errorem quoque irrepſiſſe in inſcriptionem epiſtolæ veræ Synodi Sardicenſis a Theodoreto inſertæ libro 2. Hiſt. cap. 6. ubi duæ Phrygiæ diſtinguuntur, cum una fuerit. Neque ſolum in duabus Phrygiis erratum eſt. Error enim adhuc ineſſet, ſi una tantum Phrygia eidem inſcriptioni inſerta fuiſſet. Immo aliquot etiam aliæ provinciæ Aſia, Caria, Bythynia, Helleſpontus, Piſidia, Cappadocia, Pontus, Cilicia, Pamphilia, Lydia, Inſulæ Cyclades, & Galatia in ipſa inſcriptione apud eumdem Theodoretum perperam cenſentur, quæ in laudato codice Veronenſi jure omittuntur, ſicut etiam deſunt in epigraphe alterius Sardicenſis epiſtolæ ad Eccleſiam Alexandrinam apud S. Athanaſium Apologia 2. Jure, inquam, in eo codice omittuntur: harum enim provinciarum Epiſcopi una cum illis Phrygiæ non ad Sardicenſem, ſed ad Pſeudo-ſardicenſem conventum pertinuerunt; & exinde fortaſſis in inſcriptionem epiſtolæ Sardicenſis apud Theodoretum irrepſere. Enimvero dum S. Athanaſius initio Apologiæ 2. ſex & triginta provincias nominat, quarum Epiſcopi ſibi ſuffragati ſunt in Conciliis Alexandrino, Romano, & Sardicenſi, nullam ex memoratis provinciis ad Pſeudo-ſardicenſem pertinentibus nominat.

Oſroene quando inſtituta.

Helleſpontus quando.

tom. 2. ed. Veron. pag. 482.

Ibid. pag. 647.

Phryhia quando in duas diviſa.

Emendatur locus apud Theodoretum.

VI. Si porro ex hactenus diſputatis Nicænorum Patrum catalogus veterem illam provinciarum diſpoſitionem præfert, quæ Nicæno tempore vigebat; quis eum ex ipſis ejus Synodi geſtis, ſeu ex certis ejuſdem notitiis accuratiſſime excerptum non agnoſcat? Si enim poſterius ſine priſco aliquo documento fuiſſet digeſtus, poſteriorum quoque temporum diviſionem auctor fuiſſet ſequutus, vel ſaltem eam vetuſtam diſpoſitionem, quam non noſſet, accurate non potuiſſet exprimere. Sicuti vero catalogus Patrum Synodi Conſtantinopolitanæ anni 381. in quo & Oſroenes & duæ Phrygiæ, & Lycaoniæ, & Euphrateſia, aliæque novæ provinciæ diſtinguuntur, eam provinciarum diſpoſitionem, quæ tum obtinebat, repræſentans, vel eodem tempore lucubratus, vel ex ipſis eorumdem Patrum ſubſcriptionibus, quibuſcum concinit, expreſſus jure creditur; ita idipſum ſentiendum eſt de catalogo Patrum Nicænorum, qui diſpoſitionem provinciarum Nicæni Concilii ævo vigentem refert.

VII. Nunc quibuſdam difficultatibus ſatisfaciendum, quæ Tillemontium moverunt. Harum præcipuæ ad duplex caput revocantur: 1. quia in noſtro catalogo non recenſentur CCCXVIII. Patres, quot Nicænos fuiſſe plures antiqui teſtes tradunt; ac in eo profecto deſunt aliquot Epiſcopi, qui ex aliis documentis Nicænæ Synodo certiſſime interfuerunt. 2. Quia e contra nonnulli in eodem deſignantur, qui a Nicænis Patribus expungendi videntur. Addit duo alia leviora, nimirum Narciſſum Neroniadis, & Narciſſum Irenopolis veluti diſtinctos Ciliciæ Epiſcopos nominari, cum Neronias & Irenopolis una eademque civitas fuerit; & Ancyranum Epiſcopum in vulgatis appellari Pancratium, cum eum omnes Scriptores Marcellum vocent.

Tillem. not. 3. in Concil. Nicæn. Objecta proponuntur.

VIII.

Solvuntur.

VIII. Hæc autem omnia ne antiquitati noſtri catalogi jam ſatis probatæ aliquid præjudicii afferant, aliud in primis exemplum proponimus. De antiquitate & auctoritate ſubſcriptionum Pſeudoſynodi Sardicenſis, quæ a S. Hilario producuntur, nemo dubitare poteſt. Nihilo tamen minus eædem fere difficultates in iiſdem ab ipſo Tillemontio indicantur not. 52. in Athanaſium. Quidam enim Epiſcopi ibidem certo omiſſi, uti plures apud eumdem Hilarium omiſſos videbimus in ſubſcriptionibus veræ Synodi Sardiceoſis. Duo præterea Troadis Epiſcopi in illis recenſiti ſunt, cum nonniſi unam tantum Troadem omnes Geographi noverint. Chalcedonenſis Epiſcopus Thelaphius ſcribitur, cum appellaretur Maris. Si autem hæc efficere quidem poſſunt, ut hujuſmodi ſubſcriptiones non integras, & alicubi mendoſas credamus; non vero ut earum antiquitatem, quam S. Hilarius ſatis tuetur, & originem ex ipſius Pſeudoſynodi actis negemus; cur difficultates non abſimiles idem judicium non obtinebunt quantum ad catalogum Patrum Nicænorum, quem ſub ipſum ejuſdem Synodi tempus compactum oſtendimus?

Subſcriptiones Pſeudoſardic. vitiatæ.

IX. Quidam defectus ſcribarum oſcitantiæ referendi ſunt. Cum Narciſſi urbs prius Neronias, dein Irenopolis vocaretur; facile fuit hoc poſtremum nomen poſterius inductum margini affigere, & ex margine in textum induci, ita ut ex uno duplex Epiſcopus crederetur. Confer, quæ in hanc rem animadvertemus capite primo ſequentis collectionis not. 59. col. 35. Pancratii, vel Pancarii nomen Ancyrano Epiſcopo tribuunt codices collectionum Vat. Reginæ 1997. & Queſnellianæ hoc tomo edendæ, qui ex uno fonte prodeunt. Corriguntur autem a ceteris verſionum Priſcæ & Iſidorianæ ex alio fonte manantibus, in quibus Marcellus ſignatur. Vide not. 72. ibidem col. 37. Hic quoque in Pancratii lectione antiqui alicujus librarii lapſus, qui in alios codices tranſiit, manifeſtus eſt. Nihil in vetuſtis libris frequentius deprehenditur, ut ne idcirco de ſuppoſitione operis ſuſpicio eſſe queat.

X. Minor Patrum numerus, & Patrum nonnullorum omiſſio facilius in catalogo Nicænorum, quam in ſubſcriptionibus Sardicenſium, aut Pſeudoſardicenſium incidere potuerunt. Nicæni enim Patres CCCXVIII. etſi omnes ſubſcripſiſſe ſymbolo probabiliſſimum nobis ſit; cum tamen hic ſubſcriptionum numerus nimium procederet, ex originali ejuſdem ſymboli, qui ſingulas ſubſcriptiones autographas continebat, plura exempla videntur excerpta cum duabus ſolis Oſii & Legatorum Romanæ Eccleſiæ ſubſcriptionibus, quæ poſt ſymbolum nobis conſervatæ fuerunt. Ceterorum autem Epiſcoporum nomina brevitatis ergo prætermiſſa ſunt. Horum tantum catalogum quiſpiam in ipſa Synodo, vel paullo poſt contexuit, qui autographum ipſius Synodi cum ſubſcriptionibus CCCXVIII. præ oculis non habuit, nec omnes Patres ex ejuſdem autographi ſubſcriptionibus cognoſcere potuit. Ita quidem etiam Euſebius, licet unus e Nicænis Patribus, horum tamen numerum CCCXVIII. exploratum non habuit, quippe in Conſtantini vita lib. 3. c. 8. eos fuiſſe tradit *ſupra ducentos & quinquaginta*. Similiter S. Euſtathius Antiochenus, qui in Nicæna Synodo interfuit, in fragmento apud Theodoretum lib. 1. c. 8. ait: *Cum ob eas res maxima Synodus Nicæam conveniſſet, ducentis circiter ac ſeptuaginta Epiſcopis in unum collectis: neque enim numerum certo referre poſſum ob ingentem conventus illius multitudinem; quippe cum nec in eo inveſtigando curioſus fuerim*. Si plura exemplaria ſymboli cum omnibus & ſingulis ſubſcriptionibus CCCXVIII. edita fuiſſent; hos Patres Nicænorum Epiſcoporum numerus non potuiſſet latere, nec in eo inveſtigando laborandum fuiſſet. Quam autem operam curioſiorem ponere noluit S. Euſtathius, eam ſibi ſumſit catalogi auctor; qui cum eum contexuerit non ex ſubſcriptionibus integris ſymboli, nec ex plenioribus Synodi actis, quæ ſcripta non fuiſſe poſt Valeſium & Pagium ſatis probavit Joannes Albertus Fabricius tom. 11. Bibliothecæ Græcæ lib. 6. c. 4. pag. 356. ſed ex recenti memoria rerum geſtarum, ac ex aliis Synodi documentis, quæ non omnia ſemper nomina ita neceſſario exhiberent, ut in ſymboli ſubſcriptionibus deſcripta fuiſſe credimus; nihil mirum, ſi aliquot Patrum nomina præterivit. Forte auctor aliquo Nicænæ Synodi documento uſus eſt, cui pauciores ſubſcripſerant, quam ſymbolo, ut videmus accidiſſe in Synodica Sardicenſi ad Eccleſias Mareotidis hoc tomo impreſſa, quæ non omnes Epiſcopos ſubſignatos refert; quia, uti teſtatur Athanaſius in epiſtola ad eaſdem Eccleſias, *non omnes ſcribere Epiſcopi occurrerunt*.

Catalogus quomodo conditus.

Inf. col. 607.

Ib. col. 610.

XI. Ex his autem purgato defectu numeri Epiſcoporum, difficilior eſſet defenſio, ſi in catalogo quidam recenſerentur, qui inter Nicænos Patres non exſtiterint. Duos Tillemontius notavit, Zenonem Tyrium, ac Theodorum Tarſenſem. Zenonem Nicænæ Synodi tempore a Tyrio Epiſcopatu expungendum cenſet, ut Paullinum ſubſtituat. Sed Epiphanius hæreſi 69. cap. 4. ſex Epiſcopos recenſens, ad quos S. Alexander Antiſtes Alexandrinus paullo ante Nicænam Synodum ſcripſit, inter hos Zenonem Tyrium nominat, quem ſolum non fuiſſe Epiſcopum inveriſimillimum eſt; cum præſertim ex ipſo contextu ea epiſtola ad Epiſcopos directa noſcatur. Hic autem Zeno, licet poſt quinque Epiſcopos poſtremo loco nominetur, ſpeciali tamen titulo *ἀρχῶν*, ideſt *principalis*, commendatur, eo quod inter omnes præſtaret: Epiſcopus enim Tyri erat protothronus, ſeu poſt Antiochenum primus Epiſcopus totius diœceſis Orientis. Sicut ergo alii quinque Epiſcopi ab eodem Epiphanio appellati, Nicænæ Synodo coævi, in noſtro catalogo jure notantur; ita etiam Zeno Tyrius. Duo autem Paullini Tyrii ſi diſtinguantur, alter Zenone anterior, poſterior alter, tota difficultas a Tillemontio ingeſta in S. Euſtathii vitam diſjicietur. Quantum ad Theodorum Tarſenſem, Suidæ, ſeu potius Philoſtorgii auctoritati nixus opponit idem Tillemontius, eum ſerius multo fuiſſe Epiſcopum ordinatum. Sed præterquam quod ſcriptore fulcitur in aliis nonnullis erranti, qui noſtro catalogo certo certius poſterior eſt; ſi Theodorus a Philoſtorgio memoratus ſerius fuit Epiſcopus Tarſi, alium antiquiorem Theodorum Nicæno Concilio coævum adſtruere oporteret, ut vetuſtius noſtri catalogi teſtimonium efflagitat. Monendum tamen eſt, hunc Theodorum Tarſenſem omitti in eodem catalogo, qui Iſidorianæ verſioni ſubnectitur in antiquiſſimo MS. Capituli Veronenſis 58. Addit Tillemontius Macedonium Mopſueſtenum celebrem Euſebianorum fautorem, quem inter Nicænos nemo eorum recenſuit, qui alios Nicænæ Synodi Patres Ario faventes nominarunt. Verum hoc argumentum mere negativum nihil conficere poteſt. Macedonius in Pſeudo-ſardicenſi Synodica vocatus *Confeſſor a Mopſo* antiquus Epiſcopus videtur, qui perſecutionis tempore fidem confeſſus fuerat, & idcirco Nicænæ Synodo intereſſe potuit. Forte vero is in hac Synodo ad Euſebianorum partes nondum acceſſerat, vel ita remiſſe eis favit, ut inter celebres eorum principes nominandus non fuerit. Majorem difficultatem parit Secundus Ptolemaidis. Is enim una cum Theona Marmaricenſi damnatus ac in exilium pulſus, eo quod ſymbolum ſubſignare noluit, haud accenſendus fuit illis Patribus, qui ſymbolo ſubſcripſere. At noſtrum catalogum non ex ſubſcriptionibus ſymboli, ſed aliunde ſumtum monuimus. Num titulus *NOMINA EPISCOPORUM*, qui eidem catalogo præfixus fuit, eorum qui Nicææ interfuerunt, an vero eorum, qui ſubſcripſerunt, nomina ex auctoris mente exhibeat, incertum eſt. Cum autem Secundus Ptolemaidis certe adfuerit Nicæno Concilio, in primo ſenſu catalogo inſeri potuit. Quod ſi in eum catalogum, utpote duabus primis ſubſcriptionibus ſubjectum, ſoli referendi erant, qui ſymbolum ſignaverant; Secundus Ptolemaidis ipſi inſertus fuit hallucinatione aliqua ſimili, qua in geſtis Synodi Chalcedonenſis inter Patres actionis 15. nec non in actione 16. a nobis edita recenſetur Stephanus Epheſinus, qui in antecedenti actione 12. depoſitus, in poſterioribus actionibus Patrum locum certiſſime non obtinuit. Alios lapſus in nominibus hujus Synodi animadvertimus in notis ad eamdem actionem 15. tom. 1. not. 3. col. 1492. ac dein notis 4. 5.

Zeno Tyrius Epiſc. in Nicæno.

Theodorus Tarſenſis.

Quid de Macedonio Mopſueſt. Hilar. Fragm. 2.

Secundus Ptolemaidis.

6. & 7. Si autem in ipſa geſta Synodorum hujuſmodi lapſus irrepere queant; quis miretur, ſi Secundus Ptolemaidis noſtro catalogo inſertus fuit? Etſi ergo nonnulla menda, defectus nonnulli in hoc catalogo notari poſſint; nihil tamen ex his ad eam antiquitatem excludendam confert, quam ſuperius demonſtraſſe nobis videmur, quamque aliæ ſimiles difficultates non adimunt aliis catalogis, vel ſubſcriptionibus Sardicenſis, aut Pſeudoſardicenſis Synodi, quæ apud S. Hilarium leguntur.

Laodicena Synodus quando habita.

XII. Quoniam vero Orientalium provinciarum diſpoſitionem, quæ notatur in Nicænorum Patrum catalogo, hoc paragrapho vindicavimus, liceat ex conſtitutis quaſi corollarium adjicere, quo Laodicenæ Synodi tempus magna apud eruditos controverſia quæſitum certiori quam antea argumento conſtituatur. Hæc Synodus *apud Laodiciam Phrygiæ Pacatianæ* habita tum in Græco, tum in omnibus antiquis interpretationibus traditur. Cum vero in diſpoſitione civili, quæ Sardicenſis Synodi tempore vigebat, unica tantum Phrygia nominetur, ut antea probavimus; Phrygiæ Pacatianæ nomen, quod poſt ejuſdem Phrygiæ diviſionem in duas, ideſt in Salutarem & Pacatianam, inductum fuit, poſt Sardicenſe Concilium adſtruendum eſt. Perperam igitur quidam Laodicenam Synodum Sardicenſi anteriorem putarunt. Cum porro in Græcis exemplaribus, ac in verſionibus Iſidoriana & Dionyſiana, Laodiceni canones ante Conſtantinopolitanos deſcribantur, Synodum Laodicenam inter Sardicenſe & Conſtantinopolitanum Concilia, ideſt inter an. 347. ac 381. cui tempori maxime convenit, celebratam dubitare non licet.

§. II.

Catalogi Patrum Ancyranorum, ac Neocæſarienſium, qui cum civitatum ac provinciarum nominibus in vulgatis Conciliorum exhibentur, a Græco canonum Codice alieni, & ſuppoſititii demonſtrantur.

XIII. EPiſcoporum Nicænorum catalogum cum civitatum ac provinciarum nominibus digeſtum idcirco vindicavimus, quia & in Græco textu a primo Codicis auctore inſertus fuit ex antiquiori aliquo exemplo ſub tempus ejuſdem Synodi exarato, & cum diſpoſitione provinciarum ejuſdem temporis concinit. Alia vero eſt ratio de Epiſcoporum catalogis, qui cum urbium ac provinciarum nominibus poſt canones Ancyranos, & Neocæſarienſes * in vulgatis Conciliorum proferuntur. Hos enim nihili faciendos credimus, tum quia nec in originali Græco Codice inveniuntur, nec in verſionibus antiquis, tum quia diſpoſitionem civilem provinciarum, quæ cujuſque Synodi tempore obtinebat, nequaquam referunt. Ex tribus antiquis interpretationibus Latinis duæ tantum Iſidoriana & Priſca in canonibus Ancyranis ſola Epiſcoporum & civitatum nomina ad nos tranſmiſere, in Neocæſarienſibus vero mera Epiſcoporum nomina. Dionyſius in utriſque hæc ipſa nomina Epiſcoporum ignorat, ut ex duobus MSS. Vaticano 5845. & Vat. Palat. 577. purum Dionyſium continentibus didicimus. Hadrianæ autem collectionis exemplaria, quæ Dionyſianam verſionem eorumdem canonum receperunt, huic verſioni Epiſcoporum & civitatum nomina in Ancyranis, ſola vero nomina Epiſcoporum in Neocæſarienſibus addidere ex alia interpretatione, quæ nec cum Iſidorianæ, nec cum Priſcæ ordine concordat, ut videre eſt tom. 1. Conciliorum Venetæ edit. col. 1499. not. 1. & 1515. not. 1. ubi hæ duæ Epiſcoporum ſeries Dionyſio perperam tribuuntur. Igitur provinciarum deſignatio, quæ in vulgatis horum Synodorum catalogis legitur col. 1505. d & 1518. c, nulla autem verſione antiqua, aut originali Græco fulcitur, poſteriori additamento referenda eſt.

* tom. 1. Ven. edit. col. 1505. & 1518.

XIV. Multo autem evidentius poſteriorem ſuppoſitionem demonſtrant ipſa provinciarum nomina. Hæc non eam diſpoſitionem exprimunt, quæ earum Synodorum tempori congruebat, ſed aliam, quæ poſtea inducta fuit. Non ſolum enim nominatur Phrygia Pacatiana, quam poſt Sardicenſem Synodum inſtitutam probavimus; ſed præferuntor etiam Ciliciæ 1. & 2. Galatia 1. Cappadocia 1. quæ multo poſt diviſæ fuerunt. Nihil luculentius ad poſterius commentum adſtruendum deſiderari poteſt.

CAPUT IV.

De notationibus chronicis, quibus Ancyrani, & Neocæſarienſes canones dicuntur anteriores Synodo Nicæna, Gangrenſes vero poſteriores: & de vera epocha canonum Antiochenorum, ac de Synodo in qua conditi fuerunt.

§. I.

Notationes chronicæ in collectionibus præfixæ canonibus Ancyranis, Neocæſarienſibus, atque Gangrenſibus a primævo Græco Codice dimanant. Expungitur ſententia, qua Gangrenſis Synodus Nicæna anterior traditur, ejuſque tempus conſtituitur. Num anteriorum Synodorum canones lecti & confirmati fuerint in Nicæna.

I. CHronicæ notationes, quæ canonibus Ancyranis, Neocæſarienſibus, atque Gangrenſibus præfiguntur, apud nonnullos in ſuſpicionem venerunt Gangrenſis Concilii cauſſa. Etſi enim *Gangrenſes regulæ poſt Nicænam Synodum expoſitæ* in notatione tradantur; hanc tamen notationem P. Couſtantius poſthabendam credidit cuidam præfatiunculæ, ſeu interlocutioni Oſii deſcriptæ in vetuſtiſſimo MS. Corbejenſi circa Vigilii tempus exarato, in qua iidem canones non minus, quam Ancyrani & Neocæſarienſes in Nicæna Synodo lecti & confirmati, ac proinde Nicænis anteriores dicuntur. Ibi enim poſt titulum, *Incipiunt conſtitutiones canonum Anquiritanorum*, hæc Oſii interlocutio deſcribitur. *Oſius Epiſcopus dixit: Quoniam multa prætermiſſa* (forte *præmiſſa*) *ſunt, quæ ad robur eccleſiaſticam pertineas, quæ jam priori Synodo Anquiritana, Cæſarienſi, Granienſi* (hoc eſt *Gangrenſi*) *conſtituta ſunt, & nunc præ manibus habeatur, præcipiat beatitudo veſtra, ut lectione pandantur, quo omnes acta modo innoteſcant* (ſeu *noſcant*,) *quæ a prioribus noſtris acta ſunt, recitentur. Et recitata ſunt.* Subjiciuntur autem canones Anquiritani Cæſarienſes, atque Gangrenſes, ac tandem Nicæni. quod indicare putat idem P. Couſtantius, præmiſſam interlocutionem Oſii, licet titulo canonum Anquiritanorum ſubjectam, ad Nicænam Synodum pertinere, cujus Patres memorata anteriorum Synodorum decreta relegi & confirmari voluerint, antequam ipſi canones conderent. Hæc ergo ſententia, quæ Gangrenſem Synodum Nicæna anteriorem adſtruit, huic uni interlocutioni Oſii nititur, quam ille ex unico codice Corbejenſi excerpſit.

Præfat. t. 1. epiſt. Rom. Pontif. n. 61.

Oſii interlocutio in MS. Corbejen. exhibita.

II. At hæc interlocutio nonnulla præfert manifeſtæ ſuppoſitionis indicia. Habemus aliquot diverſas antiquiſſimas verſiones canonum Nicænorum, quas in MSS. Vat. Reginæ 1997. & Capituli Veronenſis 55. invenimus. Habemus præterea tres alias verſiones omnium Græcorum canonum Iſidorianam, Priſcam, & Dionyſianam, quæ ex Græcis vetuſtis exemplaribus traductæ fuerunt. Habemus etiam eorumdem canonum Græcos codices partim editos, partim ineditos. Nullibi autem ea interlocutio exhibetur. Adde quod Corbejenſis codex Nicænos canones profert ex interpretatione Dionyſii Exigui, uti explorate nos docuit verſio canonis octavi Nicæni ab eodem Couſtantio deſcripta in admonitione ad epiſt. 17. Innocentii pag. 826. Anquiritanos autem, Cæſarienſes, & Gangrenſes canones ex antiqua Iſidoriana verſione producit. Porro ea Oſii interlocutio nec in Dionyſiana interpretatione legitur, nec in Iſidoriana, nec in ulla ex iis collectionibus, quæ ex alterutra verſione eoſdem canones derivarunt: immo in iiſdem contraria prorſus adnotatio continetur, de qua mox dicemus. Hinc ergo ea interlocutio ab iiſdem verſionibus aliena, Corbejenſi exemplo intruſa perſpicitur. Accedit eam inſeri poſt titulum, *Incipiunt conſtitutiones canonum Anquiritanorum:* perinde ac ſi non ad Nicænam, ſed ad Anquiritanam Synodum ſpectet: ubi pro

Suppoſititia oſtenditur.

An-

Anquirit. corrigendum eſſe *Nicæn.* P. Couſtantius ſuſpicatur ex hypotheſi, quod hæc interlocutio ad Nicænum Concilium pertinere debeat, in quo Oſius interſuit, non vero ad Anquiritanum, in quo non interſuit. At hic ipſe inſcriptionis error eam interlocutionem multo magis ſuſpectam reddit, ipſamque hypoteſim imbecilli admodum fundamento innixam oſtendit. Stephanus Baluzius ante P. Couſtantium hanc interlocutionem in eodem MS. Corbejenſi nactus, nihil de Nicæno Concilio ſuſpicatus eſt. Eam ad Eliberitanam Synodum pertinere cenſuit, in qua Oſius adſuit: ſed nulla pariter probabilitate hanc ſuam conjecturam conſtituit. Neque vero Couſtantii ſententiam vindicant verba Andreæ Rhodii in Concilio Florentino deſcripta act. 2. Ferrariæ habita, ſed potius impugnant. *Ante primam Synodum* (generalem) inquit, *multæ aliæ Synodi celebratæ ſunt, Antiochiæ adverſus Paullum Samoſatenum, Ancyræ contra eos, qui non ſuſcipiebant accedentes ad fidem, quod Chriſtum abnegaſſent per tormenta, & Neocæſareæ tertia, quas omnes Synodos recepit Synodus Nicæna.* Etſi enim hic valde recentior Epiſcopus, qui in re antiqua non eſt idoneus teſtis, crediderit Synodos Nicæna anteriores a Nicænis Patribus fuiſſe receptas; non tamen anteriorem tradidit Gangrenſem, ſed tres alias, quæ vere præceſſerant.

Vid. t. 1. Conc. Ven. edit. col. 987. not. 4. Baluzii opinio.

III. Hac igitur Oſii interlocutione ſepoſita, major fides habenda eſt notationi chronicæ, qua Gangrenſis Synodus Nicæna poſterior agnoſcitur. Neque hæc adnotatio poſterioris alicujus Latini librarii additamento tribuenda eſt. Cum enim hæc non minus, quam aliæ duæ canonibus Ancyranis atque Neocæſarienſibus præfixæ, eodem ſenſu, licet aliis atque aliis verbis, latine reddita inveniatur in tribus antiquis diverſæ originis interpretationibus, Iſidoriana, Priſca, & Dionyſiana, eam a primigenio Græco canonum codice proficiſci, ac in ipſo a tribus illis interpretibus fuiſſe inventam dubitari nequit. In Græcis quidem qui ſuperſunt codicibus canonum ea adnotatio adhuc legitur, quæ ſane non e Latinis exemplaribus in Græcum traducta, ſed ex antiquioribus Græcis MSS. ſumta cognoſcitur. Quis his omnibus & Latinis & Græcis exemplis præferendum exiſtimet unum Corbejenſem Latinum codicem, & interlocutionem Oſii in eo deſcriptam, quæ aliquot ſuppoſitionis indiciis nutat? Neque vero collectionis Corbejenſis antiquitatem cum P. Couſtantio obtrudas. Cum enim in ea, ut paullo ante monuimus, Nicæni canones ex Dionyſiana verſione producantur; hæc Corbejenſis collectio poſterior eſt utique ipſa verſione Dionyſii, nedum Iſidoriana, & Priſca, ac multo magis originali Codice Græco, ex quo ea adnotatio in eaſdem verſiones manavit: nec ulla ratio eſſe poteſt, ob quam his omnibus anterioribus teſtibus eam notationem probantibus, Corbejenſis poſterior collectio anteferenda ſit. Immo vero interlocutio Oſii, quæ hac ſola collectione fulcitur, ex tot anterioribus teſtibus, qui Gangrenſem Synodum Nicæna poſteriorem prodiderunt, ſuppoſititia evidentius cognoſcitur, ſiquidem Gangrenſes canones io Nicæna lectos & anteriores indigitat, ut P. Couſtantius interpretatus eſt.

Notationes chronicæ a Græco fonte dimanant.

IV. Quid quod eamdem notationem chronicam confirmant duo Græci Scriptores, Socrates & Sozomenus, Gangrenſiſque Synodi tempus non tam Nicæno, quam Sardicenſi Concilio poſterius eſſe ſatis declarant? Tota hæc quæſtio ex ea pendet, quiſnam fuerit Euſtathius, qui in Synodica Gangrenſibus canonibus præfixa & ad Armeniæ Epiſcopos ſcripta memoratur. Omnes antiqui Scriptores cum Socrate & Sozomeno conveniunt in ſtatuendo Euſtathio Epiſcopo Sebaſteno, qui quidem in Armenia ſub medium quartum ſæculum vixit. Porro Sozomenus Euſtathium excuſare videtur, quaſi non ipſe, ſed diſcipuli ejus, qui in partes abierant, fuerint earum hæreſum aſſertores, quæ in ea Synodo condemnatæ ſunt; Synodicæque contextus huic interpretationi favet, quatenus Euſtathianos potiſſimum perſtringit. Hos inter S. Epiphanius hæreſ. 75. nominat Aerium, ipſique ſane plures ex his erroribus, qui in ea Synodica feriuntur, attribuit. Quodſi alios errores addit, de quibus in eadem Synodica ne verbum quidem; hi ab ipſo Aerio poſterius additi eredi poſſunt. Vide in hanc rem plura in vita S. Baſilii, quam PP. Benedictini præfixerunt tomo tertio Operum ejuſdem cap. 5. n. 4. 5. & 6. Illa vero oppoſitio, quæ ingeritur ex eo quod Euſtathius in Synodica memoratus non appellatur Epiſcopus, minima eſt: cui profecto prævalet concordia errorum, qui in ea notantur, cum illis qui Euſtathii Sebaſteni diſcipulis ab Epiphanio adſcribuntur.

Gangrenſis Synodus eſt poſterior Sardicenſi. Quis Euſtathius in Gangrenſi ſynodica memoretur. Socr. l. 2. c. 43. Sozom. l. 3. c. 14.

V. Non levis autem hujus ſententiæ confirmatio ex inſcriptione ſeu nominibus Epiſcoporum Synodicæ præfixis colligi poteſt. Hæc inſcriptio non ſolum in Græco, verum etiam in diverſarum collectionum atque verſionum exemplaribus Latinis, quæ Synodicam præferunt, primum locum tribuit Euſebio. In libello ſynodico, ubi de Gangrenſi Concilio agitur, hæc leguntur: *δῖον, Dium præſidem habuit.* Cum vero nullus hujus nominis Epiſcopus in laudata inſcriptione uſpiam notetur, quidam ſuſpicati ſunt legendum eſſe *Oſium*, quem ſane inter Gangrenſes Patres in eadem inſcriptione recenſitos vulgati Conciliorum ex aliquo codice præferunt ſic: *Oſius Cordubenſis*. At hujus Synodicæ Græcum textum habemus, ac duas præterea verſiones Iſidorianam & Priſcam. Dionyſius enim Synodicam omiſit: in Hadriana vero collectione, quæ canones ex Dionyſio recepit, Synodica ex interpretatione Iſidoriana addita fuit. Porro Oſii nomen non ſolum abeſt ab originali Græco, verum etiam ab antiquiſſimis & præſtantioribus codicibus utriuſque verſionis Iſidorianæ & Priſcæ, immo etiam ab Hadrianis, quos conferre licuit: ex quibus Epiſcoporum nomina deſcribuntur tom. 2. Conc. col. 428. a Conſer not. 9. in cap. 4. Codicis canonum, quem hoc tomo edemus col. 121. Etſi igitur in aliquo poſteriori codice collectionis Iſidorianæ, vel Hadrianæ, cujus mentio in vulgatis Conciliorum facta non fuit, Oſii nomen legatur; nihil tamen dubitandum eſt, quin præter Græci textus & aliorum codicum Latinorum fidem cujuſpiam librarii arbitrio inſertum fuerit. Hujus quidem additamenti illud etiam indicium eſſe poteſt, quod cum alii Epiſcopi ſine civitatis nomine in inſcriptione proferantur, in ſolo Oſio *Cordubenſis* patronimicum nomen notetur. Cum ergo Oſius inter Patres Gangrenſes referendus non ſit, in libello ſynodico non *δῖον*, ſed *βίον* mutilum ſcriptum credimus pro *Εὐσέβιον Euſebium*: cujus ſane nomen cum & Græci, & Latini omnes catalogi, ſeu inſcriptiones omnes primum recenſeant, hunc Gangrenſis Synodi *præſidem* jure arbitramur. Hic autem non alius fuiſſe videtur niſi Euſebius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, qui cum ex ſuæ ſedis prærogativa in tota diœceſi Pontica, ac proinde in Paphlagonia & Armenia Primatum gereret, Gangrenſi Concilio ejuſdem diœceſis præivit. Hujus autem ætas concinit cum Euſtathii Sebaſteni ac diſcipulorum ejus tempore: cumque idem Euſebius S. Baſilii Magni celebris prædeceſſor Cæſarienſem Sedem tenuerit ab an. 362. ad an. 370., intra hoc ſpatium Gangrenſem Synodum habitam fuiſſe non immerito colligimus. Ita quidem Socratis ac Sozomeni teſtimonia, Euſtathii & Euſebii tempus, libelli ſynodici, & inſcriptionis, ſeu catalogi Epiſcoporum ordo probe concordant, veriſſimaque evincitur ea chronica adnotatio, qua Gangrenſes canones poſt Nicænos conditi traduntur.

Oſius non interſuit Gangrenſi.

tom. 2. edit. V. col. 423.

Euſebius Cæſarienſis in Gangrenſi præfuit.

Tempus Synodi Gangrenſis.

VI. Hæc ſententia qua Synodum Gangrenſem locavimus inter annum 362. & 370., recepta fuiſſet a pluribus, niſi obtitiſſet ordo canonum Græci Codicis, in quo Gangrenſes Antiochenis præmittuntur. Hinc enim Antiocheno Concilio anteriores dicendi videntur, quod cum Euſebii Cæſarienſis in Cappadocia, & Euſtathii Sebaſteni ævo nequaquam concinit. Hæc autem objectio, quæ Tillemontiam aliosque magni nominis viros maxime movit, facile diſſolvetur ex conſtitutis cap. 2. n. 5. ubi primigeniam Græcam collectionem in canonibus Gangrenſibus deſiiſſe, Antiochenos vero cum ceteris, intacto primævo Codicis ordine, poſteriori additamento Gangrenſibus fuiſſe ſubjectos conjecimus.

Cur canones Antiocheni in Græco Codice Gangrenſibus præpoſiti. Tillem. not. 27. & 28. in S. Baſil. tom. 9.

§. II.

Canonum Antiochenorum celebritas. Variæ ſententiæ de eorum auctoribus, ac tempore. Oſtenditur nos non pertinere, ut hactenus invaluit, ad Synodum Antiochenam ab Euſebianis hæreticis coactam in encæniis anno 341. ſed ad aliam anteriorem ex Nicænis fere Patribus celebratam anno 332. Catalogus Patrum ejuſdem Synodi in Conciliis vulgatus poſt Synodicam ſuppoſititius probatur. De numero Patrum, qui eoſdem canones edidere.

Antiochen. canonum celebritas unda.

VII. Antiochenorum canonum fons eſt Græca collectio, ex qua iidem latinitate donati triplici verſione Iſidoriana, Priſca, & Dionyſiana in Latinas collectiones tranſierunt. Cum Chalcedonenſes Patres aliquot ex his canonibus allegarunt, Græco Canonum Codice uſi ſunt, qui continuam numerorum ſeriem præferebat, uti capite primo obſervavimus. Magnam porro ipſis canonibus celebritatem auctoritatemque conciliavit hæc generalis Synodus, quæ eoſdem canones veluti *Patrum regulas* habuit. Nam actione quarta recitato Antiocheno canone quinto, *Omnes reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Hæc juſta regula Patrum.* Joannes II. inter canones ad Cæſarium Arelatenſem directos quartum & decimum quintum Antiochenos deſcripſit. Zacharias Papa eoſdem canones *Beatorum Patrum ſanctiones* vocat in epiſt. 7. ad Pippinum. Nicolaus I. epiſt. 9. ad Michaelem Imperatorem *venerabiles Antiochenos & ſacros canones* appellat. Leo IV. in Romano Concilio eorumdem canonum honorificentiſſime meminit his verbis: *Quid aliud arbitrari aut proferre valemus, niſi ut Sancti Patres, qui in Antiocheno Concilio reſidentes, tertio capitulo promulgarant, & inviolabiliter ſtatuerunt?*

tom. 9. Concil. V. ed. col. 1137.

De eorum canonum auctoribus ſententiæ.

VIII. Magni vero intereſt horum canonum auctores cognoſcere: male enim apud nonnullos audierunt. Quatuor hac in re ſententias invenimus. Prima eſt Cardinalis Bellarmini lib. 1. de Conciliis c. 6., ubi recenſitis quatuor Antiochenis Conciliis ait: *Quintum eſt catholicum provinciale Epiſcoporum triginta, cujus canones 25. habentur tomo 1. Conciliorum. Videtur fuiſſe tempore Joviniani & Liberii. Vide Sozomenum lib. 6. c. 4.* At Sozomenus hoc loco memorat Concilium Antiochiæ coactum anno 363. ſub Meletio, cui ſolum tribuit Synodicam ad Jovinianum circa fidem, nec ullius canonis ab eo editi meminit. Cum porro Epiſcopi eidem Synodicæ ſubſcripti ab Epiſcopis, qui canonibus Antiochenis ſubjiciuntur, diverſi ſint, quis non videat, eoſdem canones ad alienam Antiochenam Synodum pertinere?

Baronii.

IX. Secunda ſententia eſt Eminentiſſimi Baronii & aliorum quamplurium, qui eoſdem canones conditos putant in Concilio Antiocheno ab Euſebianis adverſus S. Athanaſium habito anno 341. occaſione dedicationis celeberrimæ Eccleſiæ Antiochenæ, quam Conſtantinus Magnus ædificare cœperat, & Conſtantius ejus filius abſolverat. Hujus ſententiæ duo fundamenta ſunt. Primum eſt inſcriptio *in encæniis*, ſeu *in dedicatione* eiſdem canonibus præfixa in antiquis verſionibus Dionyſio Hadriana, & Priſca, quæ indicio ſunt, eamdem inſcriptionem in Græco quoque Codice ab interpretibus olim inventam fuiſſe. Secundum eſt teſtimonium Palladii & aliorum defenſorum S. Joannis Chryſoſtomi, cui cum objectus fuiſſet Antiochenus canon quartus, illi hunc canonem a quadraginta Arianis adverſus S. Athanaſium editum fuiſſe repoſuerunt. Ariani autem, qui S. Athanaſium Antiochiæ condemnandum curarunt, pertinent ad Antiochenam Synodum in encæniis celebratam anno 341.

Schelestratii.

X. Hæc vero Baronii ſententia Schelestratio improbabilis viſa eſt, quippe quod incredibile exiſtimet, canones ab Arianis conditos, ab Eccleſia tum Græca, cum Latina fuiſſe receptos. Igitur in opere de *Antiocheno Concilio* Antuerpiæ impreſſo anno 1681. probare ſtudet, viginti quinque canones eſſe quidem Antiocheni Concilii in encæniis coacti anno 341. ut eos perperam Arianis tribui. Licet enim ibidem conveniſſent Ariani quadraginta, plures tamen catholicos Antiſtites iiſdem canonibus auctoritatem dediſſe contendit. Illum vero canonem, qui Joanni Chryſoſtomo objectus, quadraginta Arianis a Palladio tribuitur, diverſum eſſe cenſet a canone quarto, qui non a quadraginta, ſed a nonaginta quinque circiter Epiſcopis, ac pleriſque ex iis catholicis in laudata Synodo una cum ceteris canonibus ſancitus fuit. Hinc ipſa canonis Chryſoſtomo objecti verba, quæ Palladius recitat, a canone quarto Antiocheno diſcrepare contendit; ac idcirco eum canonem a Palladio deſcriptum, poſt Synodum in encæniis a ſolis Euſebianis conditum putat adverſus S. Athanaſium, quem poſt eam Synodum ab eiſdem damnatum oſtendere nititur. Qui vero rerum geſtarum hiſtoriam diligentius ſcrutati ſunt, ſicut in pleniori illa Synodo occaſione encæniorum coacta Euſebianos licet pauciores prævaluiſſe, & initio Synodi in Athanaſii condemnationem alios etiam Epiſcopos pertraxiſſe certis teſtimoniis demonſtrarunt; ita canonem S. Joanni Chryſoſtomo objectum, & contra S. Athanaſium, uti traditur, editum, initio ejuſdem Synodi a cunctis Patribus conditum, ac ipſum eſſe Antiochenum canonem quartum nihilum dubitant. Quod ſi verba hujus quarti canonis, & ejus, quem Palladius producit, non omnino conveniunt, quid refert, cum ſenſus utrobique idem ſit? Neque enim Palladius canonem ipſum iiſdem verbis recitavit, ſed ejus compendium expreſſit in eum ſenſum, quem Joannis Chryſoſtomi circumſtantiæ ferebant. Tota varietas eſt, quia apud Palladium leguntur verba *juſte vel injuſte*, quæ canon quartus non exhibet. At Chryſoſtomi hoſtes impacta eidem crimina probari non poſſe videntes, *non de alio crimine, ſed hoc ſolum in judicium adduci oportere dicebant, nimirum quod poſt abdicationem abſque Concilii ſententia ſe ipſe in epiſcopali ſede collocaverat.* In id autem Antiochenum canonem quartum obtrudentes, qui id vetabat, perinde erat ac ſi dicerent, hunc canonem æque valere, ſive quis *juſte*, ſive quis *injuſte* depoſitus fuerit: huncque ſenſum rei ſuæ congruentem Palladius expoſuit, ut objecti canonis vim, ac perverſam interpretationem elideret. Certe hunc canonem Palladius non aliunde quam ex collectione Græca cognovit, ac ob inſcriptionem *in encæniis*, quam ſuus Græcus ejuſdem collectionis codex præferebat, eumdem Arianis attribuit, quos quidem in encæniis condemnaſſe S. Athanaſium ex hiſtoria didicerat. Quare Socrates, qui ex Palladio ac ex aliis S. Joannis Chryſoſtomi defenſoribus ſumſit, quæ ad ejuſdem Joannis cauſſam pertinent, non ſolum canonem quartum, ſed omnes Antiochenos canones eidem Concilio in encæniis habito adſcripſit.

Canon quartus Antiochenus S. Jo. Chryſ. objectus.

Socrat. lib. 6. c. 16.

Tillemontii ſententia.

XI. Tillemontius vero etſi de hoc quarto canone nihil dubitet, quin ab Euſebianis conditus fuerit in Synodo anni 341. non pauca tamen, quæ in editione horum canonum leguntur, ei Concilio & eiſdem Euſebianis non convenire animadvertit. Præmiſſa canonibus epiſtola tempus pacificum indicans, magnæ rerum perturbationi ab Arianis hoc tempore, & hac præſertim in Synodo excitatæ nequaquam congruit. Quidam etiam canones Euſebianis auctoribus tribui non poſſe videntur. Gregorii enim Alexandrini ordinatio in eodem Concilio peracta reprobatur canone 19. & Euſebii Nicomedienſis tranſlationes rejiciuntur canone 21. nec veriſimile eſt ab Arianis ſub Conſtantio prævalentibus Nicænam Synodum ſolemni honore laudatam fuiſſe canone primo, in quo etiam de Conſtantino adhuc vivente potius quam mortuo ſermo eſt. Numerus quoque tam exiguus Epiſcoporum triginta præfixus vel ſubjectus canonibus non convenit cum illo multo majore Synodi anni 341. cum præſertim inter illos non inveniantur ea præcipua Euſebianorum capita, quæ in hac Synodo omnia geſſerunt, deſitque inter ipſos Flacillus, qui eo anno Antiochenam Eccleſiam regens abeſſe non debuit. Præterea Epiſcopi, qui canonum auctores fuerunt, coacti dicuntur ex provinciis diœceſis Orientis Antiocheno Epiſcopo ſubditis, cum Synodus habita in encæniis ex aliis etiam Ponti ac Thraciæ diœceſibus coaluerit. Hinc laudatus Tillemontius ſuſpicatus eſt, duo Concilia Antiochena a collectore Græco in unum fuiſ-

ſe

Tillem. not. 16 in Arian. hiſt. Duo Antiochen. Concilia confuſa opinatur.

ſe confuſa, nimirum illud frequentiſſimum in encæniis habitum anno 341. cui attribuit canonem quartum in Athanaſium Euſebianorum opera conſtitutum, & fortaſſis etiam duodecimum, quem adverſus eumdem editum exiſtimat: ac alterum ex provinciis Antiocheno Epiſcopo ſubjectis coactum ante annum 335. cui epiſtolam, ſubſcriptiones, & reliquos canones adſcribendos opinatur.

XII. Nobis hæc Tillemontii opinio, etſi probabilior ceteris videatur, non tamen plane ſatisfacit. Hanc enim Græci antiqui Collectoris confuſionem improbabilem credimus. Duos nimirum canones quartum & duodecimum, qui ab Euſebianis in encæniis conſtituti creduntur, collector non intermiſcuiſſet canonibus alterius Synodi, ſi a diverſis Synodis editos ac diſtinctos nactus fuiſſet; ſed in fine addidiſſet. Cum in unum juncti fuerunt Nicæni & Sardicenſes canones; prius Nicæni, dein Sardicenſes deſcripti fuere. Ita etiam cum in Græco codice canones Concilii Conſtantinopolitani anni 381. & alii duo alius Synodi copulati fuerunt, iſti duo poſt illos ſubjecti inveniuntur. Vel igitur omnes Antiocheni canones Synodo anni 341. adſcribendi ſunt, ſi canon quartus, vel etiam duodecimus Euſebianos habuit auctores; vel omnes in anteriori Synodo ſanciti fuerunt, nec niſi per hallucinationem & errorem quartus canon Concilio anni 341. Chryſoſtomi tempore adſcriptus fuit. Quid porro? Nos obſervationes Tillemontii graviſſimas judicantes, ac ſolicitius hac in re inquirentes, num anterius Antiochenum Concilium inveniri poſſet, cui omnes canones convenirent; feliciter tandem deteximus hos prorſus convenire Antiochenæ Synodo anni 332.

Vera ſententia.

De catalogis Patrum Antiochenorum. Eorum vitia detecta.

XIII. Cum nomina Epiſcoporum, quibus Antiocheni canones tribuuntur, hujus rei nobis indicio fuerint; de his nonnulla exactius præmittenda ſunt. Græca collectio cum ad nos pervenerit ex Græcis codicibus circa Photii tempora exaratis, qui nonnulla antiquorum codicum prætermiſere, Epiſcoporum nominibus caret, ſed provincias tantum commemorat, ex quibus Epiſcopi convenerunt, his verbis. *Sancta & pacifica Synodus a Deo congregata in Antiochia ex provinciis Syriæ Cœles, Phœniciæ, Palæſtinæ, Arabiæ, Meſopotamiæ, Ciliciæ, Iſauriæ, iis, qui per provincias ſunt, unanimibus ſanctis Conſacerdotibus in Domino ſalutem*. Nomina vero Epiſcoporum conſervata nobis fuerunt in vetuſtiſſimis Latinis verſionibus, quæ olim ex Græcis vetuſtioribus exemplis hos canones recepere. In verſione Iſidoriana triginta Epiſcopi recenſentur; in verſione autem Priſca duo tantum & viginti Epiſcoporum nomina deſignantur, quæ tamen cum Iſidorianæ verſionis nominibus conveniunt. Dionyſii interpretatio nomina Epiſcoporum omittit, uti colligimus ex duobus MSS. purum Dionyſium continentibus Vat. 5845. & Palat. 577. In MSS. vero collectionis Hadrianæ, quæ Dionyſianam verſionem recepit, Epiſcoporum nomina ex alio fonte adjecta fuere. In his autem Hadrianis codicibus ſeptem primis Epiſcopis ſua cuique provincia aſſignatur. Hæ vero provinciæ ſeptem cum iis e Græco codice paullo ante memoratis concordant. Sic enim ibidem legitur. *Euſebius Palæſtinenſis, Theodotus Meſopotamicenſis, Theodorus Iſaurienſis, Antiochus Phœnicenſis, Agapius Arabienſis, Alphius Cilicienſis* (ita legendum ex codice Pithœano, quem Harduinus laudat: alias mendoſe *Vilicienſis*, vel *Syricienſis*) *Narciſſus Cœles Syriæ*. Reliqui porro Epiſcopi ſine provinciarum nomine ſubjiciuntur. In vulgatis autem Conciliorum poſt epiſtolam ſynodicam canonibus Antiochenis præmiſſam Epiſcoporum catalogus ſic deſcribitur, ut quævis provincia cum ſuis Epiſcopis, & quivis Epiſcopus cum ſuæ urbis nomine efferatur.

tom. 2. Conc. V. ed. col. 585.

Provinciæ Palæſtinæ

Euſebius Gadarenſis

Provinciæ Phœniciæ

Anatolius Emiſenus

Æneas Ptolemaidis &c.

Hanc catalogi methodum nulli, ut notavit Harduinus, codices exhibent. Hic itaque catalogus ab aliquo ſtudioſo poſterius compactus fuit, qui Antiochenæ Synodi Patres ad ſeptem Orientales provincias * in Iſidorianæ verſionis codicibus nominatas

*Vide hunc tomum col. 424.

A pertinere intelligens, conferenſque cum catalogo Patrum Nicænorum (plerique enim utrobique convenerunt,) ex hoc catalogo urbes & provincias ſingulorum excerpſit atque deſcripſit: cumque duorum Epiſcoporum Patricii & Alexandri nomina inter Epiſcopos illarum ſeptem provinciarum in Nicæno catalogo non invenerit, hos ſine ulla urbis ac provinciæ deſignatione in finem rejecit, addito his Euſtathio, quippe quem ab Euſtathio Antiocheno jam depoſito diverſum eſſe perſenſerat. Hic porro ſtudioſus vir dum Euſebium, qui in Palæſtina fuit Epiſcopus Cæſarienſis, *Gadarenſem* effecit, e catalogo Nicænorum Patrum, qui exhibetur in codici-

B bus Hadrianis, errorem ebibit. Duæ verſiones Iſidoriana & Priſca inter Epiſcopos Palæſtinæ duos Sebaſtenos efferunt ſic: *Marinus Sebaſtenus, Gajanus Sebaſtiæ*, ac dein proſequuntur: *Euſebius Cæſarienſis, Sabinus Gadarenſis, Longinus Aſcalone* &c. In MSS. vero Hadrianis ne duo ejuſdem Sebaſtis Epiſcopi referrentur, poſt Marinum Sebaſtenum urbium nomina a ſubſequenti Epiſcopo traducta fuerunt ad præcedentem ſic: *Gajanus Cæſarienſis, Euſebius Gadarenſis, Sabinus Aſcalone* &c. Hoc vero errore ſtudioſi illius viri excepto, deſignatio urbium & provinciarum in ceteris Epiſcopis ex Nicæno catalogo deducta non improbabilis videri poteſt; cum plerique Antiocheni Patres fuerint etiam Nicæni. Hinc porro agnoſcimus erroneum potius eſſe eum cata-

Vid. infra col. 32.

C logum in Hadrianis exemplis deſcriptum, quo ſeptem primis Epiſcopis ſua cuique provincia aſſignatur. Primi enim tantum Epiſcopi *Euſebii Palæſtinenſis* provincia cum Nicæno catalogo congruit, ceterorum non item: ac propterea palam fit, ſeptem provinciarum nomina, quæ in Græco textu & in verſione Iſidoriana ſeparatim proferuntur, ita ut ſingula aliquos tantum Epiſcopos indeterminate reſpiciant, in MSS. Hadrianis librarii alicujus arbitrio aſſuta & accommodata fuiſſe ſeptem primis Epiſcopis, nullo præmiſſo examine, num ipſis conveniret provincia, quæ cuique affixa fuit. In Græca origine, quam ex antiquis verſionibus agnoſcimus, ſola nomina Epiſcoporum ſine ulla provinciæ

D notatione expreſſa fuerunt: nec ſicubi aliquid Epiſcoporum nominibus additur, ſolius provinciæ, ſed civitatis præſertim nomen deſignari ſolet.

De Synodo Antioch. an. 432. in qua canones conditi. Euſeb. De vita Conſtantini lib. 3. c. 62.

XIV. His notitiis præmiſſis anno 332. Antiochena ſede vacante ante electionem Euphronii Synodus Antiochiæ coacta fuit, ut novum Antiſtitem crearet. In hanc rem ſoli Epiſcopi Antiochenæ diœceſis convenire debebant. Cum epiſtola Conſtantini ad Antiochenam Synodum hac de cauſſa congregatam inſcribatur *Theodoto, Theodoro, Narciſſo, Aetio, Alpheo, & reliquis Epiſcopis, qui ſunt Antiochiæ*; hos præcipuos ejuſdem Synodi Epiſcopos ex provinciis ejus diœceſis fuiſſe nihil eſt dubitandum. Alia porro peculiaris ejuſdem Imperatoris epiſtola eam-

E dem in rem ſcripta fuit ad Euſebium Cæſarienſem, qui cum ex provincia Palæſtinæ Antiocheno ſubjecta eodem accurriſſet; deficiente Epiſcopo Antiocheno, primas in eodem Concilio partes pro ſua celebritate geſſiſſe cognoſcitur. Separatim vero is a ceteris Epiſcopis ad Conſtantinum ſcripſerat, eo quod omnium vota in ejus electione concurriſſent, a qua ipſe abhorrens, noluit ſuum nomen Synodicæ ceterorum epiſtolæ inſcribere, qua ipſius confirmatio petebatur; ſed aliis litteris ne hoc fieret enixe poſtulavit. Habes igitur in hac Antiochena Synodo præcipua Epiſcoporum nomina, qui ex provinciis Antiochenæ diœceſeos anno 332. convenerant, nimirum Euſebii, Theodoti, Theodori, Narciſſi, Aetii, & Alphei. In his autem ſex nonne vides quinque

F eorum nomina, quos primo loco ex Hadrianis codicibus paullo ante retulimus? Unus Aetius, qui inter Nicænos Patres Lyddæ Epiſcopus in Palæſtina traditur, in catalogo eorumdem codicum deeſt: qui tamen errore librariorum, vel auctoris Græcæ collectionis leviſſima mutatione perperam traductus videtur in *Enium*, al. *Ænium*, uti legitur in iiſdem MSS. Hadrianis, pro quo auctor verſionis Iſidorianæ *Ænam* reddidit. Igitur nihil dubii eſſe debet, quin laudati canones in hac Antiochena Synodo anni 332. conditi fuerint, non vero in illa anni 341.

XV. Id autem ex eo maxime confirmatur, quia

hac

Digitized by Google

Omnia conciliantur, quæ difficultatem movebant. Euſeb. l. 3. de vit. Conſtant. c. 60. Ib. c. 59.

hac in ſententia omnes a Tillemontio propoſitæ difficultates ſolvuntur, probeque omnia conciliantur, Pax, quam poſt graviſſimum Antiochenæ Eccleſiæ diſſidium Conſtantinus feliciter compoſitam in epiſtola ad populum Antiochenum gratulatur, mire congruit cum illis Antiochenæ Synodicæ verbis: *Sancta & pacifica Synodus* &c. *Gratia & veritas Jeſu Chriſti Domini & Salvatoris noſtri ſanctam Antiochenam Eccleſiam viſitans, & in unum connectens per concordiam & conſenſum pacatiſſimi ſpiritus* &c. Euſebius Cæſarienſis, *cujus interventu pax inter Antiochenos facta fuit*, primas, uti monuimus, in eadem Synodo partes geſſit; ac proinde primus tum in catalogo canonibus præfixo, tum in ſubſcriptionibus apud omnes nominatur. Deeſt autem nomen Epiſcopi Antiocheni, quippe hæc Synodus habita fuit Antiochena Sede vacante. Cum porro idem Euſebius translationem, ſeu mutationem Sedis recuſaſſet, canon 21. qui has translationes vetat, huic Synodo maxime congruit: cum præſertim Imperator has translationes eccleſiaſticæ diſciplinæ contrarias ſuis ad Synodum litteris declarans, id ſe cupere ſcripſerit, ut ante electionem novi Præſulis *ea decernerentur, quæ Apoſtolorum traditioni conſentiunt. His enim præſtructis*, inquit, *veſtra prudentia juxta Eccleſiæ regulam & apoſtolicam traditionem ita hanc electionem dirigere poterit, quemadmodum eccleſiaſticæ diſciplinæ ratio poſtulat*. Hinc præciſum tempus, quo in hac Synodo conditi fuerunt canones, manifeſtum eſt, nimirum poſt Imperatoris litteras & ante electionem Euphronii. Cum porro hic ab Epiſcopis ſuæ diœceſeos fuerit ordinatus, canon decimus nonus nihil repugnat. Nicæna Synodus vivente Conſtantino maximo honore habita erat; ac propterea primus canon huic Synodo ac tempori optime congruit, Euſebio præſertim curante, qui conſtitutum Nicænum de Paſchate in eo canone confirmatum eximiis laudibus extulit. Numerus Epiſcoporum triginta, & provinciæ ſeptem ſolius Antiochenæ diœceſis tum in Græco textu, tum in verſionibus Latinis recenſitæ cum hac Synodo probe conveniunt, quæ cum alia pleniori Synodo anni 341. nulla ratione concordant. Quod ſi Theodorus, Jacobus, & Anatolius in catalogo Antiocheno deſcripti, eſſent, ut videntur, Theodorus Laodicenus, Jacobus Niſibenſis, & Anatolius Emiſſenus, qui in Nicæno catalogo inveniuntur; nova evidentior confirmatio accederet ad conſtituendam Synodum anni 332. & excludendam illam anni 341. Etenim anno 335. Laodicenam Sedem non tenebat amplius Theodorus, ſed Georgius, qui in Synodo Tyri anni ejuſdem ſedit, ut liquet ex Athanaſii Apologia ſecunda. S. Jacobus Niſibenſis anno 649. epochæ Græcorum, ideſt æræ vulgaris anno 338. e vivis exceſſerat, ut in Edeſſeno Chronico notatur, nec non in alio Chronico Dionyſii Patriarchæ Jacobitarum apud Joſephum Simonium Aſſemanum tom. 1. Bibliothecæ Orientalis pag. 18. & 395. Anatolius tandem Emiſſenus in Concilio anni 341. intereſſe non potuit, cum initio ejuſdem Concilii Euſebius Emiſſenæ Eccleſiæ Epiſcopus datus fuerit. In hac igitur tanta rerum omnium concordia cum ſola Synodo anni 332. quis adhuc ambigere poteſt, num canones Antiocheni eidem Synodo adjudicandi ſint?

Ibi. c. 62.

Ib. c. 18.

Num canon quartus Antioch. fuerit editus contra S. Athanaſium.

XVI. Neque vero ſcrupulum incutiat canon quartus, quem contra S. Athanaſium in Arianorum Synodo anni 341. editum defenſores S. Joannis Chryſoſtomi tradiderunt. Nam præter quam quod id negarunt Theophiliani ejuſdem Chryſoſtomi hoſtes, qui eumdem canonem oppoſuerant; ipſius defenſores in hoc erraſſe credimus, ac in eumdem errorem induxiſſe etiam alios tum veteres, tum recentiores. Omnia enim, quæ S. Athanaſio ab Euſebianis objecta fuerunt crimina, exacte referuntur in epiſtola Julii Papæ, & in operibus ipſius S. Athanaſii. In his autem nullum uſpiam indicium eſt ejus criminis canone quarto perſtricti, quod ſcilicet poſt depoſitionem ſine ullo novo judicio in ſuam ſedem redierit: cum tamen hoc maxime crimen ab illis opponendum fuerit, ſi contra Athanaſium eum canonem edidiſſent. Id ſolum præſumſerunt defenſores S. Joannis Chryſoſtomi, eo quod hunc canonem eidem Sancto Epiſcopo a Theophilianis objectum inter Antiochenos nacti, ſolam cognoſcerent Antiochenam Synodum in encæniis habitam anno 341. quam condemnaſſe S. Athanaſium ex aliis documentis notiſſimum erat. Hinc etiam per errorem huic frequentiori ac pleniori Synodo adſcripſerunt minorem numerum Epiſcoporum quadraginta, ut ex Palladio audivimus, apud quem tamen pro *τεσσαράκοντα quadraginta* legendum eſt *τριάκοντα triginta*: totidem enim præferebat Græca collectio, uti ex verſionibus antiquis Iſidoriana & Hadriana colligere licet. Hunc nimirum Epiſcoporum numerum illi non ex ipſis actis Synodi anni 341. ſed ex Græca collectione evidenter ſumſerunt. Si enim acta ejus Synodi conſuluiſſent; & in iis reperiſſent canones, non triginta, vel quadraginta, ſed XCV. circiter Epiſcopos in eo Concilio coactos didiciſſent. Eo igitur præjudicio, quo ſolam Synodum Antiochenam anni 341. cognoſcebant, hos canones in Græca collectione inventos cum eodem triginta, ſeu quadraginta Epiſcoporum numero eidem Synodo tribuerunt. Immo hunc errorem ebibiſſe videntur ex ipſa inſcriptione Græci Codicis, quæ in quibuſdam exemplaribus eoſdem canones conſtitutos præferebat Antiochiæ *in encæniis*. In quibuſdam exemplaribus Græcis diximus, non autem in omnibus. Cum enim voces *in encæniis* pura Dionyſii verſio in antea memoratis codicibus exhibita prætereat, Græcum Dionyſii exemplum iiſdem caruiſſe manifeſtat. Ex his porro ſi Innocentius I. epiſt. 7. n. 3. Antiochenos canones hæreticis auctoribus tribuit; cum id non ex propria notitia, ſed ex relatione defenſorum Chryſoſtomi, quibus reſpondet, ſcripſerit (ſolos quidem Nicænos canones Romanam Eccleſiam agnoſcere ibidem fatetur;) nihil movere debet, ſicut nec poſteriorum ſcriptorum auctoritas, qui eamdem rem ex iiſdem Chryſoſtomi defenſoribus tradiderunt.

XVII. Interim ſi canon quartus contra S. Athanaſium editus non credatur in Synodo anni 341. nihil per ſe continet, quod eccleſiaſticæ diſciplinæ non maxime congruat: unde nihil mirum, ſi ab Eccleſia tum Græca, tum Latina inter regulas Patrum relatus fuit cum ceteris canonibus Antiochenis, qui per ſe ſe ſimiliter, perverſa interpretatione ſecluſa, æquiſſimi ſunt. Etſi enim canones ſecundus & quintus in Concilio anni 332. editi videantur contra eos catholicos, qui cum S. Euſtathio Antiocheno aliquanto ante inique Arianorum arte depoſito communicantes, eorum Epiſcoporum, qui illi ſubrogati fuerunt, communionem recuſabant; cum tamen iidem hæretici, Conſtantino imperante occulti, in eo deponendo non veram cauſſam, ob quam eum uti Nicænæ fidei acerrimum defenſorem deponendum curarunt, ſed fictitia crimina ea fallacia produxerint, quæ multos etiam non Arianos decepit: jure depoſitus credi potuit, juſtique proinde habiti fuerunt ii canones, qui contra Euſtathianos ſucceſſorum ejus communionem vitantes in hoc Concilio ſtatuti ſunt. Hoc autem dolo ſepoſito, iidem canones adverſus ſchiſma editi adeo juſti ſunt, ut in aſſenſum pertrahere potuerint etiam S. Jacobum Niſibenſem & S. Paullum Neocæſarienſem, ſi quidem hi ſunt illi Jacobus & Paullus, qui in hujus Synodi catalogo recenſentur. Nihil ergo dubii ſupereſt, quo minus omnes hi canones Antiochenæ Synodo anni 332. adjudicentur.

C A P U T V.

De Canonibus Sardicenſibus. Hi duplici exemplo ab ipſa Synodo editi, græce, & latine. Horum exemplorum diſcrimen. Quid ſentiendum de inſignibus variantibus lectionibus exemplarium Latinorum, ob quas nonnulli diverſas interpretationes Latinas præferri opinati ſunt.

I. CUM Synodus Sardicenſis in epiſtola ad Julium Papam apud S. Hilarium fragm. 1. n. 10. eorum meminit, *quæ acta ſunt, quæ geſta, quæ conſtituta*, voce *conſtituta* canones ab eadem conditos indicari nemo ambigit. At nonnullis dubium

bium eſt, num iidem canones græce, an latine editi fuerint. Cum plerique Sardicenſes Patres Græco ſermone uterentur, pauciores Latino; canones græce potius, quam latine fuiſſe ſcriptos opinio invaluit. Hinc antequam ederetur Dionyſii Exigui epiſtola ad Stephanum, credebatur a pluribus Latinum textum eorumdem canonum ab eodem vulgatum, eſſe verſionem ex Græco: idque eo credibilius fiebat, quia Latinus item textus ab Iſidoro receptus, alia interpretatio videbatur. Hæc ſententia antiquis etiam temporibus obtinebat; in vetuſto enim codice 55. Capituli Veronenſis poſt deſcriptos canones Sardicenſes ex Græco latine redditos, alia poſteriori, ſed antiqua mano ſubjicinntur iidem canones uti a Dionyſio editi fuerunt hoc titulo ipſis præfixo: *Item iidem canones ſecundum aliam translationem*. Editio quoque eorumdem canonum inſerta verſioni Priſcæ, quam hoc tomo recudemus, ita a Dionyſiana & Iſidoriana lectione diſcrepat, ut non ex eodem originali Latino, ſed ex diverſa interpretatione tanta varietas profecta videatur. Cum porro obſervatum fuit, Dionyſium in laudata epiſtola teſtari, ſe ſtatuta Sardicenſis Concilii & Africani dediſſe, *quæ latine ſunt edita*; ſicut Africana ſtatuta ab origine prodierunt latine; ita etiam Sardicenſia latine ab ipſa Synodo edita fuiſſe cogitari cœpit.

Duplex originale, Græcum, & Latinum.

II. Ne autem Græcus textus, quem habemus, interpretatio credatur ex originali Latino, Sardicenſes canones duplici originali exemplo in ipſo Concilio ſcriptos credere oportet, Græco nimirum pro Græcis Patribus, & pro Latinis Latino. Aliquot hujus Concilii epiſtolas habemus, quæ vel ad omnes Epiſcopos miſſæ, Græcos præſertim reſpiciebant, vel ad Græcas Eccleſias ſcriptæ fuerunt. Harum Græcus textus invenitur, vel interpretatio Latina ex Græco, propterea quod græce editæ ſunt. At epiſtolam ad Julium Papam latine tantum habemus tum apud S. Hilarium, tum in aliquot collectionibus Latinis, quæ eam ab Hilario non videntur recepiſſe, cum in ſubſcriptionibus aliquantulum diſcrepent. Nihilo tamen minus idem eſt in omnibus Latinus textus, eo quod tum Hilarius, tum earum collectionum auctores eam epiſtolam derivarunt ex eodem originali Latino, ex qua aliquot exemplaria olim vulgata fuerant. Sardicenſes ſcilicet Patres, inter quos non pauci erant Latini, non græce, ſed latine ſcribendum putarunt ad Julium Pontificem, qui Latina lingua utebatur. In ceteris Græcis Conciliis Ancyrano, Neocæſarienſi, Nicæno, Gangrenſi, Antiocheno, Laodiceno, & Conſtantinopolitano, ex quibus canones latine redditos ſuſcepimus, vel nulli, vel pauciſſimi Latini Epiſcopi aderant: unde nil mirum, ſi iidem canones græce tantum exarati fuera. In Concilio autem Sardicenſi etſi plures eſſent Græci, non pauci tamen Latini Patres convenerunt ex Italia, Gallia, Hiſpania, Africa, atque Pannoniis: ſeptem enim & viginti ſaltem Epiſcopos ad has provincias pertinere ex catalogo Patrum Sardicenſium paullo poſt ſubjiciendo palam fiet. Canones autem cum non pro ſolis Græcis, ſed pro Latinis etiam fuiſſent conſtituti, & nonnulli quidem in gratiam potiſſimum Latinorum; non tam græce pro Græcis, quam latine pro Latinis Patribus exarandi fuerant. Quod ſi generalis ejuſdem Concilii Synodica ad Græcos non minus, quam ad Latinos miſſa non tam Græco, quam Latino ſermone edita videtur, ut indicant formulæ Latini exempli apud Hilarium diverſæ prorſus a Græco textu, quæ interpretationi non congruunt: quanto magis idipſum de canonibus judicandum eſt?

Vid. t. 2. Concil. V. edit. col. 700. & 711.

Diſcrimen eorum originalium.

III. Hujus duplicis originalis exempli canonum evidens argumentum præbent aliquot, nec exigua diſcrimina inter Græcum textum atque Latinum, ob quæ alter ab altero per translationem profectus dici nequit. In vulgato Græco tres canones deſunt, qui leguntur in quovis texto Latino, uti ſunt apud Iſidorum canones X. XII. & XVIII.: & e contra duo canones abſunt a quovis Latino textu, qui in Græco inveniuntur can. XVIII. & XIX. Quod ſi unus e tribus canonibus in vulgato Græco deficientibus, nimirum canon apud Iſidorum XVIII., qui incipit *Januarius*, extabat in eo Græco exemplo, ex quo ſumta fuit antiquiſſima eorumdem canonum verſio hoc tomo edenda, nobiſque conſervata in memorato MS. 55. Capituli Veronenſis; nullibi tamen invenire licuit in Græco duos alios canones, qui ſunt in Latino exemplo: ſicut inter tot diverſæ originis exemplaria textus Latini nullibi reperire licuit duos illos canones, quos omnia Græca exemplaria conſtanter exhibent. Si alter textus alterius interpretatio fuiſſet; iidem proculdubio canones tum in Latino, tum in Græco legerentur, nec unus textus alios canones omitteret, alios adderet. Accedit ordo canonum in utroque textu plane diverſus. Licet ordo canonum Græci textus in omnibus MSS. conveniat, ſicut & ordo canonum Latini textus in Latinis diverſæ originis collectionibus idem deprehenditur; ordo tamen canonum Græci textus ab ordine canonum textus Latini maxime diſcrepat: quod ab interpretatione alterius ex altero alieniſſimum eſt.

Inſr. col. 595.

Diſcrimen ſententiarum notatur.

IV. Aliam apertiorem duplicis originalis Græci & Latini rationem proponemus. Duo canones in Græco *Metropolitani* mentionem ingerunt, quam in Latino fruſtra requires. Canon ſextus Græcus ita latine redditur. *Si contigerit in una provincia, in qua ſunt plurimi Epiſcopi, unum Epiſcopum conventui non intereſſe, & ille per quamdam negligentiam nolit convenire, & Epiſcoporum inſtitutioni & electioni aſſentiri; congregata autem populi multitude inſtet, ut fiat inſtitutio Epiſcopi, qui ab eis poſtulatur; oportet illum prius, qui non adfuerit, Epiſcopum admoneri per litteras Exarchi provinciæ, nempe Epiſcopi Metropolitani, quod rogat populus ſibi paſtorem dari: & exiſtimo recte habere, hunc quoque expectari, ut adſit. Si autem litteris rogatus non adfuerit, ac ne reſcripſerit quidem; populi voluntati ſatisfiat. Oportet autem ex vicina quoque provincia accerſiri Epiſcopos ad Metropolitani Epiſcopi inſtitutionem.* Antiquiſſima verſio e Græco, quæ in laudato codice Veronenſi legitur, pro *ad Metropolitani Epiſcopi inſtitutionem* habet *ad ordinationem Epiſcoporum*, cujus verſionis ſenſus contextoi concinens (neque enim de Metropolitani, ſed de ordinatione Epiſcopi a Metropolitano peragenda agitur) alianı m lioren, quam in vulgatia, Græci textus lectionem interpreti præ oculis fuiſſe ſignificat. In Latino autem Dionyſii textu hic idem canon num. 5. effertur ſic. *Si contigerit in una provincia, in qua plurimi fuerint Epiſcopi, unum forte remanere Epiſcopum; ille vero per negligentiam noluerit ordinare Epiſcopum, & populi convenerint; Epiſcopi vicinæ provinciæ debent illum prius convenire Epiſcopum, qui in ea provincia moratur, & oſtendere, quod populi petant ſibi rectorem; & hoc juſtum eſſe, ut & ipſi veniant* (al. melius *ipſe veniat*) *& cum ipſo ordinent Epiſcopum. Quod ſi conventus litteris tacuerit, & diſſimulaverit, nihilque reſcripſerit; ſatisfaciendum eſſe populis, ut veniant ex vicina provincia Epiſcopi, & ordinent Epiſcopum.* Quod in Græco tribuitur Primati, ſeu Metropolitano provinciæ, in Latino Dionyſii textu, qui idem eſt in aliis collectionibus Latinis, alia prorſus ſententia elatum Epiſcopis vicinæ provinciæ aſſeritur. Similiter canone XIV. Græci textus de Presbytero vel Diacono depoſito legitur: *Qui ejicitur poteſtatem habeat confugiendi ad Epiſcopum Metropolis ejuſdem provinciæ. Si autem Metropolitanus abeſt, ad ſiantiınum concurrendi & rogandi, ut ſuum negotium accurate examinetur. Neque enim non ſunt aures præbendæ iis, qui rogant. Ille quoque Epiſcopus, qui jure vel injuria eum expulit, æquo animo ferre debet, ut rei fiat examinatio, & vel ejus confirmetur ſententia, vel corrigatur.* In Latino autem apud Dionyſium canone XVII. *Habeat poteſtatem is, qui abjectus eſt, ut ſinitimos Epiſcopos interpellet, & cauſſa ejus audiatur, & diligentius tractetur: quia non oportet ei negari audientiam roganti: & ille Epiſcopus, qui aut juſte, aut injuſte eum abjecit, patienter ferat, ut negotium diſcutiatur, ut vel probetur ſententia ejus a plurimis, vel emendetur.* In Græco negotiom ac judicium committitur Metropolitano ejuſdem provinciæ, vel, ſi abſit, Metropolitano provinciæ finitimæ: in Latino autem vicinis Epiſcopis. Quid ita? Hæc, quæ pluribus difficultatem mpverunt, facile intelligentur, ſi duo originalia canonum diſtinguas, alterum Græcum pro Græcis, alterum vero pro Latinis Latinum.

tinum. Cum apud Græcos Metropolitani plures jamdiu obtinerent, Clericorum inferioris ordinis appellatio Metropolitis in Græco textu addicta fuit. Cum autem apud Latinos in Italia præſertim, in Galliis, & Hiſpaniis ſub hoc tempus nondum Metropolitani ita eſſent uti apud Græcos inſtituti, quemadmodum oſtendimus in Obſervationibus ad diſſert. V. Queſnelli part. 2. c. 5. idcirco Clericorum appellationes non ad Metropolitas, ſed ad vicinos Epiſcopos deferendas in Latino textu ſancitum fuit: eademque de cauſſa quod in præcitato canone Græco Exarcho provinciæ ſeu Metropolitano tribuitur, in Latino vicinis Epiſcopis aſſertum vidimus. Hinc etiam patet neceſſitas quædam edendi hos canones tum Græco, tum Latino exemplo, ut ſcilicet diverſæ Latinorum & Græcorum diſciplinæ, atque eccleſiaſticæ diſpoſitioni accommodarentur. Neque vero ad Metropolitas apud Latinos quoque adſtruendos opponas canonem nonum, qui commendatitias epiſtolas accipiendas decernit ab Epiſcopo, *qui eſt in maiori civitate*, ut Græcus textus præfert, vel, ut habet Latinus textus Dionyſii, *qui in Metropoli conſiſtit*. Metropolim enim civilem, vel geographicam, non vero eccleſiaſticam hic indicari credimus: unde in aliis Latinis exemplaribus MSS. Vat. Reginæ 1997., & Iſid. legitur, *qui in maxima civitate, ideſt Metropoli, conſiſtit*: ubi *maxima civitas* geographicam, ſeu civilem Metropolim explicat. Apud Africanos quidem Epiſcopus Metropolis civilis ſeu geographicæ per ſe ſe non erat Metropolitanus; & nihilominus in Synodo Hipponenſi anni 393. dum Mauritani Sitifenſes proprium Primatem petierunt, qui ex Afrorum more ſenior Epiſcopus erat, ſimul poſtularunt, ut ſi quæ a Carthaginienſi Primate Epiſcopis Mauritanis nuntianda eſſent cauſſa diſciplinæ, ad Sitifenſem, ideſt ad Metropolis civilis aut geographicæ Epiſcopum ſcriberentur. Similiter ſtatutum fuit in Concilio Milevitano anni 402., *ut matricula & archivus Numidiæ & apud primam Sedem eſſet, & in Metropoli, ideſt Conſtantiaa*. Quidni ſimile quidpiam ſtatui poterat in Sardicenſi, ut profecturis ad Comitatum commendatitiæ litteræ darentur ab Epiſcopo civilis aut geographicæ Metropolis, licet is apud Latinos non eſſet præditus jure metropolitico? Nondum enim inſtitutis apud eos Epiſcopis Metropolitanis, commendatitias tradere præ aliis deferendum viſum eſt Epiſcopo Metropolis, eo quod Metropoles eorumque Epiſcopi notiores ac celebriores eſſent, ut ne exinde Metropoles eccleſiaſticæ ibidem apud Latinos inſtitutæ inferantur, quas ex aliis documentis ſerius erectas alio loco probavimus, & hoc quidem tempore nondum inductas ex duobus laudatis canonibus Sardicenſibus Latini exempli non modicum confirmari perſpeximus. Interim vero horum canonum ſententia diverſimode propoſita in Græco & in Latino textu, ut diverſæ Latinorum ac Græcorum diſpoſitioni aptaretur, diverſum originale Græcum & Latinum mirifice comprobat. Eadem fortaſſis de cauſſa in Latino exemplo omiſſi fuerunt duo canones in Græco editi, propterea quod ad Theſſalonicenſem Eccleſiam pertinentes, nihil ſtatuerent, quod ad Latinarum Eccleſiarum regulam conferre poſſet.

V. tom. 5. Concil. V. ed. col. 782. Cod. Eccl. Afric. c. 86.

Variantes Latinorum codicum unde. Sardicenſium Latina exempla non ſunt verſio e Græco.

V. Neque vero ad excludendum originale Latinum quempiam moveant illæ variantes lectiones, quæ in diverſæ originis collectionibus Latinis ita incurrunt in oculos, ut aliam atque aliam eorumdem canonum formam ac veluti translationem exhibere nonnullis viſæ ſint. Nam præterquam quod & numerus & ordo, & aliquot etiam ſententiæ a Græco nimium diſcrepantes verſionis rationem nequaquam ferunt; exactius perpendentibus & conferentibus ſingula in exemplaribus Latinis, totam varietatem ſitam eſſe in quibuſdam vocibus hic illic diſperſis, integras vero lineas & commata integra totidem verbis convenire patebit: quod cum in verſionibus reipſa diverſis non reperietur, primævum originale Latinum liberioribus amanuenſium variantibus alicubi transformatum, ſed in radice idem cognoſcetur. Ne vero hæc tanta antiquorum amanuenſium licentia, atque in textu ab origine Latino varietas tanta incredibilis videatur, ſimile plane indubitatum exemplum præſto eſt ex iis Africa-

A nis canonibus celebris Synodi Carthaginienſis anni 419., quos Latinæ quidem originis Dionyſius æque ac Sardicenſes ſe protuliſſe affirmat, uti latine editi fuerant. Hujus enim Synodi canones, qui apud laudatum Dionyſium ſunt inter Africanos primi canones triginta tres, ex MSS. collectionibus Vat. Reginæ 1997., Vat. 1342. & Lucano-Colbertina hoc tomo edemus non ſolum alia diviſione diſpertitos in canones quadraginta, verum etiam cum inſignibus variantibus lectionibus, quales in Sardicenſibus invenimus. Quod ſi de eorum Latino originali ob ejuſmodi variantes nemo dubitare poteſt; ita nec de Sardicenſibus ſuſpicandum eo nomine, quod ſimiles variantes receperint, cum de utriſque eamdem La-
B tinam originem Dionyſius teſtetur. Qui porro Sardicenſium canonum Latinum originale in Latinis collectionibus conſervatum apertius cognoſcere velit, duas interpretationes eorumdem ex Græco conferat, alteram recentiorem in Conciliis impreſſam, alteram antiquam, quam e MS. Capituli Veronenſis hoc tomo edemus: & ingens cum rerum, & ordinis, tum verborum etiam diſcrimen perſpiciens, Latinum diverſarum collectionum textum in omnibus cohærentem non e Græco redditum, ſed ab originali Latino profectum agnoſcet.

Infr. col. 635.

Infr. col. 589.

CAPUT VI.

C *Nam Sardicenſes canones Græco canonum Codici inſerti fuerint. Non omnes Græci Codices canonum fuere ſimiles, nec in omnibus canones continua numerorum ſerie notati. D Sardicenſium canonum auctoritate apud Græcos etiam Orientales.*

I. SArdicenſes canones non tam latine, quam græce ab origine editos, ita ut Græcus originalis eorum textus nobis a Græcis ipſis conſervatus, & ordine & numero canonum, & nonnullis etiam ſententiis Græcarum Eccleſiarum diſciplinæ aptatis ab originali Latino diſferat, ex diſputatis capite præcedenti manifeſtum fit. Tota nunc controverſia in eo verſatur, num, & quando iidem cano-
D nes græce ſcripti, relati fuerint in Græcum Synodorum & canonum Codicem, & num apud Græcos præſertim Orientales ſemper auctoritatem obtinuerint. Chriſtophorus Juſtellus eoſdem in Græco Codice ſerius deſcriptos, & ab antiquis Orientalibus haud receptos opinatus, excludendos cenſuit a primigenio Græco canonum Codice, quem *univerſæ Eccleſiæ Codicem* inſcripſit, ſuoque (ut capite primo oſtendimus) arbitrio compegit. Huius ſententiæ potiſſimum, ſeu verius unicum fundamentum elicitur ex Dionyſio Exiguo. Continuata enim ſeries titulorum, ſeu canonum CLXV., quos a Nicænis ad Conſtantinopolitanos uſque canones in ſua *Græca auctoritate*, ſeu Græco Codice canonum de-
E ſcriptos notavit, proprium intermedium locum Sardicenſibus non relinquit. Hinc illos non e Græco tranſtulit, ut ceteros quos in eo codice reperit, ſed latine, uti editi fuerant, adjecit. Id autem ne peculiare & proprium unius Dionyſiani Græci codicis fuiſſe credatur; commune omnibus Græcis exemplaribus idem Juſtellus venditat in præfatione his verbis. *Unde apparet primitivæ Eccleſiæ Patres in illo veteri Codice canonum componendo, juxta quem de rebus ſacris judicia habebantur, ſingula conſequentia Concilia, certo ordine diſpoſuiſſe, certaque & continua ſerie nec interrupta numerorum connexione canones illorum numeraſſe, ne quid huic Codici detrahi, aut addi poſſet: quem ideo Patres Epheſini &*
F *Chalcedonenſes aliique eccleſiaſtici Scriptores τάξιν & ἀκολουθίαν τῶν κανόνων, ἀκολουθίαν ἐκκλησιαστικήν, & ἀριθμῶν ἀκολουθίαν ſeriem & conſequentiam canonum, conſequentiam eccleſiaſticam, & conſequentiam numerorum paſſim vocant*. Ita Græcum Codicem canonum jam ab ipſa ejus origine, qua Patrum & Eccleſiæ Græcæ auctoritate conditum putat, continuata numerorum ſerie & ſucceſſione omnes canones ſignatos præfert, uti in Dionyſiano exemplo inventi fuerunt, nec non in illo ſimili, quod Patribus Chalcedonenſibus uſui fuit. Totus autem hic niſus eo tendit, ut Sardicenſes canones ex hac numerorum ſerie a Græco Dionyſii Codice expunctos, a

Chriſtophori Juſtelli opinio.

tom. 1. Biblioth. Jur. Canon. pag. 56.

pri-

primitivis & antiquis Eccleſiæ Græcæ exemplaribus excludat, ſicque eos a veteri Græca Eccleſia non receptos, ſed rejectos oſtendat.

Refellitur. Græcus codex Canonum fuit publicæ auctoritate conditus.

II. Hoc vero argumentum multis ex capitibus nutat. Primo falſum eſt illud, quod Juſtellus initio præſumit, Codicem primitivum Patrum Græcæque Eccleſiæ auctoritate fuiſſe conditum atque probatum. Nos enim Græcam canonum collectionem privato ſtudio compactam credimus, omnique auctoritate publica diutius caruiſſe. Id palam efficitur ex eo quod accidit in cauſſa S. Joannis Chryſoſtomi. Objectus ipſi fuit a ſuis hoſtibus Antiochenus canon quartus. Canones autem Antiochenæ Synodi relati jam erant in Codicem. Quid ad hæc Chryſoſtomus & ſuarum partium Epiſcopi? Eos canones non a catholicis, ſed ab Arianis conditos nihil auctoritatis habere proteſtati ſunt. Legatur Palladius, qui in dialogo de vita ejuſdem Sancti diſputationem hac de re utrinque habitam refert. Decepti quidem illi fuerunt inſcriptione illa *in encæniis*, quam iidem canones in Græco Codice præferebant, uti explicavimus cap. 4. §. 2. At qui ſic repudiarunt hos canones quamvis relatos in Codicem canonum, hunc ſane Codicem a Græcæ Eccleſiæ Patribus conditum & approbatum ignorabant. Quem autem Codicem approbatum neſcierunt Joannes Chryſoſtomus alique Orientales Epiſcopi ejus partium, undenam is ante hoc tempus ab Eccleſia Græca approbatus conſtitui queat, non intelligimus.

Non omnes Græci codd. continua ſerie numerorum deſcripti.

III. Quod ſecundo Juſtellus affirmat, in primitivo Græco canonum Codice, ac exinde in ceteris antiquis Græcis exemplaribus canones omnium Synodorum continua numerorum ſerie fuiſſe ſignatos, uti erant *in Græca auctoritate*, ſeu exemplo Dionyſii Exigui, in quo omnium canonum numerus perveniebat uſque ad CLXV., non minus falſum arbitramur. Ratio, quam ille affert ex teſtimoniis Conciliorum Epheſini atque Chalcedonenſis ante ejus præfationem deſcriptis, inaniſſima eſt. Ludit & innititur Græcis vocibus τάξις & ἀκολουθία τῶν κανόνων, quas *ſeriem canonum*, & *canonum conſequentiam* interpretatur, ut his formulis indicetur Codex, in quo canones conſequenti numerorum ſerie deſcripti continerentur. At voces τάξις & ἀκολουθία nec *ſeriem*, nec *conſequentiam numerorum* ſignificant, ſed ordinem, methodum, ac ſtylum, uti vocant, canonicum ab iis omnino ſequendum, qui rite ex eccleſiaſticarum regularum canonumque præſcripto agere velint. Ita act. 1. Synodi Epheſinæ κατὰ τὴν τῶν κανόνων τάξιν *juxta canonum ordinem* (Juſtellus *ſeriem reddidit*) judicium inſtituendum decernitur. Alibi vero illegitima ac irregularia geſta contra S. Cyrillum & Memnonem ἔξω πάσης ἀκολουθίας ἐκκλησιαστικῆς καὶ κανόνων, *præter omnem eccleſiaſticum ordinem & præter canones* acta dicuntur in relatione ejuſdem Synodi ad Imperatorem: & iterum aliquanto poſt: παρὰ θεσμοὺς, καὶ κανόνας, καὶ πᾶσαν ἀκολουθίαν ἐκκλησιαστικήν, *contra leges & canones omnemque eccleſiaſticum ordinem*: & rurſum παρὰ πᾶσαν τὴν τῶν κανόνων ἀκολουθίαν, *contra omnem canonum ordinem*; & poſt pauca apertius in hanc ſententiam additur: *Quamobrem cum & ipſe* (Joannes Antiochenus) *& reliqui quoque, quos ſecum habet, adeo* ἀθεσμως καὶ ἀτάκτως *illegitime inordinateque* καὶ ἔξω πάσης ἀκολουθίας ἐκκλησιαστικῆς *& præter omnem ordinem eccleſiaſticum egerint*. Neque vero eædem voces alio ſenſu in Synodo Chalcedonenſi accipiuntur, uti multis, ſi opus eſſet, ejuſdem Concilii teſtimoniis confirmare liceret.

tom. 3. Concil. V. ed. col. 1005. e Ib. col. 1185. a

col. 1588. a

IV. Formula vero ἀριθμῶν ἀκολουθίαν *numerorum ordinem*, quam Juſtellus in deſcripto textu oppoſuit, in unico Joannis Scholaſtici teſtimonio legitur, quod inter alia idem Juſtellus recitavit pag. 8. Hic autem uſus eſt ea formula alio prorſus ſenſu, qui Juſtello nihil favet. Non Codicis canonum, ſed ſui operis rationem redditurus ait: *Cum ea, quæ paſſim ab ipſis* (decem Synodis) *definita ſunt pro temporibus, in unum colligere magno ſtudio enixi fuerimus, eaque in titulos quinquaginta diſtribuerimus*; οὐ τάξιν τινὰ καὶ ἀκολουθίαν ἀριθμῶν, *non ordinem quemdam & ſeriem numerorum ſervavimus, primum, ut ita dicam, & ſecundum, & tertium, & quartum, & quintum deinceps canones conjungentes; ſed ſimilia ſimilibus, quantum fieri potuit, copulantes, & par pari capiti connectentes* &c. Joannes nimirum in ſuo opere non ſimul Nicænos canones unum poſt alium, nec ſimul Ancyranos, aut alios aliarum Synodorum continua cujuſque Synodi numerorum & canonum ſerie deſcripſit; ſed in titulos quinquaginta canones diverſorum Conciliorum, qui ad quemque titulum pertinent, hinc & hinc ſumtos diſtribuit. Num vero in Codice, ex quo canones in ſuum opus tranſtulit, numerorum ordo & ſeries continua eſſet a canonibus primi Concilii ad canones ultimi, nihil indicii eſt. Immo ex methodo, qua utitur in citandis cujuſque Synodi canonibus numero diſtincto & proprio, ex. gr. *Antiocheni Concilii canon primus, ſecundus*, vel *tertius*, non vero canon LXXX., LXXXI., vel LXXXII., uti ſignati fuiſſent in Codice continuam numerorum & canonum ſeriem præferente, palam effici videtur, Joannem eum codicem canonum adhibuiſſe, qui hac continuata numerorum ſerie carebat.

Jo: Scholaſt. in præfat. pag. 500. tom. 2. Bibl. Juris can.

V. Hanc quidem continuam numerorum ſeriem a quibuſdam Græcis exemplaribus apertius excludunt duæ verſiones Priſca & Iſidoriana. Hæ in Nicæna Synodo præter canones exhibent ſymbolum & catalogum Patrum, quæ duæ particulæ item leguntur in duabus aliis vetuſtis interpretationibus, quarum altera continetur in MS. Vat. Reginæ 1997., ex altera vero ſymbolum, & catalogus Patrum Hadrianæ collectioni inſerta fuerunt. Græca igitur exemplaria, ex quibus hæ verſiones ſumtæ ſunt, & ſymbolum & Patrum Nicænorum catalogum præferebant. Certe cum Africani anno 419. petiiſſent ab Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano notitiam canonum Nicænorum; is non tam canones, quam ſymbolum e ſuis Græcis exemplaribus latine redditos miſit. Vide part. 2. cap. 2. n. 3. Eadem ratione Græca exemplaria, quibus auctores verſionum Priſcæ & Iſidorianæ uſi ſunt, in Gangrenſibus canonibus atque Antiochenis præter canones Synodicas etiam continebant, quarum quidem Græcus textus inventus & editus eſt. Hæc autem omnia cum deſiderentur in pura verſione Dionyſii, uti ex duobus puris ejus MSS. Vat. 5845. & Vat. Palat. 577. colligere licuit; Græcum profecto Dionyſii exemplum, quod a capite ad calcem accurate reddidit, iiſdem carebat. Græci igitur codices canonum ab aliis memoratis antiquis interpretibus adhibiti a Dionyſiano erant diverſi, & ita diverſi, ut eam numerorum ſeriem, qua præditus erat codex Dionyſii, haudquaquam ferrent. Additiones enim ſaltem ſymboli in canonibus Nicænis, & Synodicarum in Gangrenſibus atque Antiochenis cum auxiſſent numeros, aliam auctiorem numerorum computationem induxiſſent, quæ ad abjudicandam ab his codicibus numerorum ſeriem codicis Dionyſiani, & ad ſententiam publici codicis hac ſtatuta numerorum ſerie notati refellendam ſufficeret. Cum vero in iiſdem verſionibus hujus continuatæ numerorum notationis nullum indicium ſit; probabilius credimus, Græcos codices, unde illæ profectæ ſunt, numeris ejuſmodi continua ſucceſſione notatis caruiſſe.

VI. Neque idcirco negamus exſtitiſſe codices aliquos canonum, qui hac numerorum ſerie notarentur. Immo probabile nobis eſt, eum, qui in Græcum Codicem hanc continuam numerorum ſeriem induxit, ut ſolos canones computaret, cetera, quæ non ſunt canones, nimirum ſymbolum, ſubſcriptiones, ſeu catalogum Patrum, & Synodicas prætermiſiſſe, uti in Græco Dionyſii codice evenit. Id autem in rem noſtram ſolum contendimus, non omnes Græcos canonum codices fuiſſe hujus generis, neque hanc numerorum ſeriem, quibus in codicibus inerat, publica auctoritate fuiſſe inductam, aut eos tantum canones ab Eccleſia Græca fuiſſe receptos, qui in ejuſmodi codicibus numerorum ſerie diſtinctis continerentur. Canon quartus Antiochenus S. Joanni Chryſoſtomo objectus, apud Palladium nullo numero diſtinguitur. Idem canon ſine ullo numero oppoſitus quoque fuit S. Cyrillo in epiſtola legatorum Pſeudoſynodi Epheſinæ ad Rufum. Socrates ex antiqua verſione Epiphanii Scholaſtici in Hiſtoria Tripartita lib. 11. c. 8. citat regulam XVIII.

t. 2. Concil. col. 1270. d.

P An-

A Antiochenam numero canonum ipſius Synodi proprio (qui numerus XVIII. in vulgato Græco textu Socratis excidit ;) cum ex codice , in quo ineſſet continua numerorum ſeries, canon, ſeu regula XCVII. alleganda fuiſſet.

tom. 4. Conc. col. 1430. a b.

VII. Textus, qui codicem cum numerorum ſerie indigitent, pauciſſimi ſunt. In Chalcedonenſi actione de Caroſo & Dorotheo duo canones Antiocheni recitantur ex codice cum numeris continuatæ ſucceſſionis, & ſimiliter duo actione XI. Epiſcopi etiam Piſidiæ in epiſtola ad Leonem Auguſtum inſerta Codici encyclio, eadem ratione Antiochenum canonem aſſerunt ex regula LXXXIII. Præter hæc autem duo, vel tria teſtimonia anteriora Dionyſio, B nullum aliud invenire hactenus licuit, quod ſimilem numerorum ſeriem indicet . In eodem Concilio Chalcedonenſi act. 4. canon Antiochenus quintus ſine ulla Synodi, vel numeri indicatione ab Aetio Conſtantinopolitano ex codice lectus fuit . *Aetius Archidiaconus Conſtantinopolis ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ dixit: Regula eſt hæc cum aliis poſita a Sanctis Patribus, quam cuſtodientes ſanctiſſimi Patres Epiſcopi , docent & Clericos & Monachos & omnes Chriſtum colentes . Si autem inveniant aut reſultantes , aut acquieſcere non volentes, hac utuntur regula. Et ex Codice relegit hæc : De Clericis & Monachis, qui ſemetipſos a communione ſuſpendunt . Si Presbyter aut Diaconus ſuum contemnens Epiſcopum* &c. Titulus peculiaris *De Clericis & Monachis* &c. C in Aetii codice deſcriptus , qui in nulla antiqua , nec in Dionyſiana verſione, nec in Græco vulgato invenitur, diverſum codicem manifeſtat , in quo nullus, ne peculiaris quidem numerus , canonibus appoſitus erat, & diverſum etiam a Dionyſiano , cui numerorum continua ſeries inerat . In actione de Photio Tyri Atticus Nicopolitanus Epiſcopus canonem quartum Nicænum ex codice recitavit hoc titulo: *Trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, qui Nicææ convenerunt , canon quartus* . Idem vero canon iterum recitatur act. 13. ſine ullo titulo ex alio codice , quem Eunomius Epiſcopus Nicomedienſis exhibuit. *Glorioſiſſimi judices dixerunt : Canones legantur. Veronicianus vir devotus magiſtria-* D *nus & ſecretarius divini conſiſtorii ex codice dato ab Eunomio reverendiſſimo Epiſcopo legit capitulum ſextum: Epiſcopum oportet quidem præcipue ab omnibus Epiſcopis provincialibus ordinari* &c. Notabile eſt diſcrimen allegandi hujus canonis, in actione de Photio nomine canonis κανὼν δ' *canon quartus* , in actione autem XIII. voce capituli κεφαλ. ς', ubi corrigendum δ'. *capitulum quartum*. Obſervamus præterea in illis teſtimoniis, quæ ex continuata numerorum ſerie canones allegarunt, conſtanter præferri vocem κανὼν, uti videre eſt in laudatis actione de Caroſo & Dorotheo, & actione XI. Codex ergo ab Eunomio productus cum voce κεφαλ. diverſus videtur ab iis, qui numerorum continuam ſeriem con- E tinebant. Quod ſi lectio κεφαλ. ς'. *capitulum ſextum*, quæ tum in MSS. Græcis , tum in antiqua verſione Concilii Chalcedonenſis, & in codicibus Ruſtici uniformiter exhibetur actione XIII. errori antiqui amanuenſis deputanda non eſt, ut Baluzius indicavit; ſed potius diviſioni diverſæ canonum Nicænorum, quæ ita in aliquo Græco codice, ut in MSS. collectionis hoc tomo edendæ , eum canonem ſextum efficeret (in codice Vat. Reginæ 1997. alia diviſione ſeptimus evadit :) nova hinc ratio ſuppeteret , ex qua diverſitas ejus codicis Eunomiani luculentius comprobaretur.

Ib. col. 1418. d.

Ib. col. 1438.

Ib. col. 1634. d.

Infr. col. 50.

Duo vitia texus act. 16. Chalc. notata.

VIII. Aliud apertius teſtimonium Græci exempli F ab eo diverſi, ex quo canones cum numerorum ſerie allegati fuere, ſuppetit ex actione XVI. Id antequam probetur, detegenda ſunt duo vitia , quæ vulgatum textum inficiunt . In eadem actione poſt recitatum a Paſchaſino Nicænum canonem ſextum * in eam formam , quam Italici codices exhibebant, editiones Conciliorum Conſtantinum ſecretarium inducunt, qui eumdem ſextum canonem Nicænum, & alium Synodi Conſtantinopolitanæ legit ex Græco Aetii Archidiaconi codice . Vehemens primum ſuſpicio exoritur, hanc iteratam Nicæni ſexti canonis recitationem intruſam eſſe ; non ſolum quia hic canon Nicænus veluti ab Aetio Conſtantinopolitano productus, in quæſtione, de qua tunc agebatur, pro Conſtantinopolitana Sede nihil conferret , quin potius eidem adverſaretur , ſoluſque canon Conſtantinopolitanæ Synodi in eamdem rem a Conſtantinopolitanis ingereretur ; ſed multo magis quia in antiqua verſione, quæ pura conſervatur in codice olim Joliano, nunc autem Capituli Pariſienſis , hic repetitus canon ſextus , ut notavit Baluzius , omittitur: unde a primo illo interprete in ſuo Græco codice inventus non fuit . Forte vero cum lectio ejuſdem canonis a Paſchaſino producti prioribus verbis differret aliquantulum a Græcorum codicum lectione; quidam Græcus ſtudioſus horum codicum lectionem olim deſcripſit in margine , ac ex margine deinceps irrepſit in textum . Quæ inſitio cum legatur in MSS. editionis Ruſtici, antiqua cognoſcitur. Ipſa porro Ruſtici editio, licet hoc additamentum receperit, aliam tamen Græci vulgati textus poſteriorem corruptionem detegit . In hoc ſcilicet præter inſertum Nicænum canonem aliis atque aliis verbis introducitur canon Conſtantinopolitanus ſic. Ο' αὐτὸς σηκρητάριος ἀνέγνω ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ βιβλίου συνοδικὸν τῆς δευτέρας συνόδου· Τάδε ὥρισαν οἱ ἐν Κωνσταντινουπόλει χάριτι Θεοῦ συνελθόντες ἑκατὸν πεντήκοντα ἐπίσκοποι ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν &c. *Idem ſecretarius relegit ex eodem codice . Synodicum ſecundæ Synodi . Hæc conſtituerunt CL. Epiſcopi, qui in Conſtantinopolim Dei gratia convenerunt ex diverſis provinciis* &c. Prima illa verba *Idem ſecretarius relegit ex eodem codice* , quæ expuncto Nicæno canone ſuperflua ſunt, & in antiqua ſane verſione eumdem canonem ignorante omittuntur, deſunt etiam apud Ruſticum ; ac proinde is hæc in ſuis quoque Græcis codicibus nequaquam reperit . Præterea idem Ruſticus in ſequentibus antiquæ verſionis lectionem retinens, non habet : *Synodicum ſecundæ Synodi* . Synodi quidem *ſecundæ* appellatio Conſtantinopolitanæ tributa , ad poſteriora tempora pertinet , cum in Græcis canonum codicibus generalia Concilia a topicis ſeparari, & poſt Nicænam Synodum Conſtantinopolitana collocari cœpit.

t. 4. Concil. col. 1749. not. 22.

Ib. col. 1749. a

IX. Sed age jam in rem noſtram ſincerum textum , qui excluſa Nicæni canonis repetitione veram lectionem præfert , ex antiqua verſione producamus. *Conſtantinus vir devotus ſecretarius divini conſiſtorii ex dato codice ab Aetio Conſtantinopolitanorum ſanctiſſimæ Eccleſiæ recitavit . Synodicum primi Concilii ſub Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano Epiſcoporum CL. Hæc conſtituerunt Epiſcopi , qui in Conſtantinopolim Dei gratia convenerunt ex diverſis provinciis ſecundum evocationem religioſiſſimi Principis Theodoſii ſub Nectario Conſtantinopolitano Epiſcopo . Non recuſari fidem, neque regulas trecentorum decem & octo Patrum, qui in Nicæa Bithyniæ convenerunt, ſed maneat illa propria, & anathematizetur omnis hæreſis* &c. ubi uno contextu recitantur Conſtantinopolitanæ Synodi canones duo, ſive tres ſine diſtinctione ulla canonum aut numerorum. Duo autem hic animadvertenda ſunt. Primo notandus titulus canonibus Conſtantinopolitanis præfixus in ipſo Græco Aetii codice: *Synodicum primi Concilii ſub Nectario Epiſcopo* cum reliquis , quæ cum nec in textu Græco codicis canonum , nec in ullis verſionibus legantur ; collectionem diverſam canonum indicant : idque eo magis , quia voces *primi Concilii* alterum ſaltem ſub eodem Nectario in eodem canonum codice ſubjectum ſignificant , nimirum vel illud anni 382. * ad quod pertinere videntur duo canones primo illi Concilio adjecti , vel aliud anni 394. cujus acta in aliquot MSS. Græcorum collectionibus leguntur. Secundo cum ſolus tertius canon, aut, ut alii dividunt , ſecundus de privilegio Sedis Conſtantinopolitanæ ad rem pertineret , hic ſolus recitandus fuerat, ſi in Aetii codice a primo , vel etiam ſecundo canone fuiſſet diſtinctus . Simul autem omnes hi canones uno contextu recitati fuerunt, quia Aetii codex ea canonum ac numerorum diſtinctione carebat, quæ non ſolum in MS. Græco Dionyſii, ſed in aliis etiam adhibitis ab auctoribus verſionum Iſidorianæ & Priſcæ inventa fuit . Hic ergo Aetii codex Græcus diverſus erat ab omnibus, quorum indicia ad nos pervenere. Quod ſi in ipſa Chalcedonenſi Synodo lecti fuerant diverſi gene-

t. 4. Conc. col. 1747. d

* Vid. ſup. c. 1. n. 10.

* Vid. hoc tomo col. 51. not. 32.

neris codices, alii cum continuata numerorum ſerie, alii ſine ejuſmodi numeris, & alii etiam aliis auctiores; inanis proculdubio perſpicitur Juſtelli hypotheſis, qua ſolum codicem canonum continuam numerorum ſeriem exhibentem ab Eccleſiæ Patribus receptum, & in Chalcedonenſi lectum atque approbatum præſumit. Adde quod expreſſa canonum approbatio, quæ ab eadem Synodo edita eſt canone primo, non ad hunc vel illum, qui lectus fuit, canonum codicem reſtringitur, ſed ad canones Patrum omnium & ſingularum antecedentium Synodorum extenditur. *Regulas*, inquit, *Sanctorum Patrum per ſingulas nunc uſque Concilia conſtituta proprium robur obtinere decrevimus.*

X. Nunc ut ad Sardicenſes canones revertamur, cum hi reipſa defuerint in eo codice, qui continua numerorum ſerie in Chalcedonenſi Synodo lectus fuit, ſicuti defuere in Græco codice Dionyſii, certo pronuntiari nequit. Numeri enim, qui in eo Concilio allegati fuerunt, Antiochenos canones non prætergrediuntur. Quis autem affirmare queat, in eo codice poſt Antiochenos non fuiſſe deſcriptos canones Sardicenſes, qui poſt Antiochenam Synodum conditi fuere? Immo cum Græcus codex canonum non totus ſimul initio conditus fuerit, ſed ſenſim auctus non ſervato temporum ordine, uti cap. 2. notavimus: eoſdem canones ſaltem poſt Laodicenos aut Conſtantinopolitanos in laudato Chalcedonenſi codice non fuiſſe adjectos nemo affirmare poterit. Similitudo Græci codicis Dionyſiani, qui numerorum ſerie diſtinctus, Sardicenſes canones ignorabat, non convincit. Cum enim codex Græcus Dionyſii uno numero in Antiochenis canonibus diſcrepet a numeris codicis, qui lectus fuit in Synodo Chalcedonenſi; idem codex ab hoc aliquantulum diverſus agnoſcitur. Sicut autem codex, ex quo ille latine tranſtulit canones Apoſtolorum quinquaginta, imperfectus erat; (iidem enim canones jamdiu ante Dionyſium recepti, erant multo plures, uti ſtatuimus cap. 1. n. 4.) ita minus perfecto canonum ſynodalium exemplo uti potuit, ut ne omnes codices ſimilem numerorum ſeriem præferentes, canonibus Sardicenſibus caruiſſe dicendi ſint.

Sardicenſes non deerant in omnibus antiquis Græcis codd.

XI. Quod ſi etiam in ejuſmodi codicibus hi canones prætermiſſi fuiſſent, num deerant etiam in omnibus aliis exemplaribus, quæ ea numerorum continua ſerie carerent? Certe in quibuſdam ſaltem codicibus eorum frequentiſſimorum Patrum Græcorum, qui ad Chalcedonenſe Concilium convenerant ex Eccleſiis præſertim Illyrici, pro quibus aliqui Sardicenſes canones conſtituti fuerant, eos fuiſſe deſcriptos negari non poteſt. Quid quod Sardicenſis Synodus in illis comprehenditur, quarum regulæ canone primo Chalcedonenſi confirmatæ fuerunt? Patrum quidem Sardicenſium fides laudatur in allocutione Concilii Chalcedonenſis ad Marcianum Auguſtum. *Illi quidem*, ait, *qui apud Sardicam contra reliquias Arii convenerunt*, *Orientalibus direxerunt ſui conſtituta judicii*: quæ conſtituta paullo ante vocantur *decretum de fide*. Innuitur autem decretum fidei, quod legitur in fine Synodicæ Sardicenſis apud Theodoretum lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 6. Hoc quidem decretum, ſeu hanc expoſitionem fidei additiam eſſe, & laudatæ Synodicæ aſſutam jam omnes fatentur. At hæc additio ante Chalcedonenſe obtinebat, & codicibus erat inſerta, ex quibus jam antea præter Theodoretum Socrates libro 2. cap. 20. & Sozomenus lib. 3. cap. 12. eamdem fidei expoſitionem a Sardicenſi Concilio editam allegarunt. Certe hoc additamentum Synodicæ, quo expoſitio Nicænæ fidei a Sardicenſibus Patribus condita præfertur, jam conſcriptum erat anno 362. & Sardicæ etiam propoſitum fuiſſe a nonnullis Patribus, ſed ab aliis pluribus & a Synodo rejectum colligere licet ex Concilio Alexandrino anni ejuſdem, ubi illa expoſitio fidei addititia in vulgata interpretatione ejuſdem Synodi *tabellæ* nomine ſignificatur. *Tabellam igitur*, inquiunt Alexandrini Concilii Patres, *quam nonnulli jactant, quaſi ex Sardicenſi Synodo de fide conſcriptam, ne legi quidem ſemel aut proferri ſinatis. Nihil enim tale Synodus definivit. Quamvis enim certi homines nonnulla, quaſi quæ deeſſent Nicæno Concilio, adſcribere vellent, idque acriter contenderent: ſancta tamen Synodus, quæ Sardicæ convenit, indigne id tulit, decretoque ſancivit, ne quid ulterius de fide ſcriberetur, & ſe ſe contentos eſſe Nicæna fide declaraverunt, ut cui nihil deeſſet, & quæ plena pietatis eſſet: neque edendam eſſe aliam profeſſionem fidei, ne illa, quæ Nicææ ſcripta eſt, imperfecta crederetur; neve illis occaſio hujuſmodi ſuppeditaretur, qui ſæpe numero volunt de fide definire & ſcribere.* Similiter a S. Euſebio Vercellenſi in ſubſcriptione ejuſdem Synodi Alexandrinæ *excluſa* dicitur *tabella Sardicenſis Concilii, ne ultra Nicænam fidem decretum aliquid exiſtimetur*. Cum vero hæc tabella, ſeu expoſitio fidei hoc ſolo fine diſpliceret; nihil mirum, ſi exemplaria hujus additamenti propagata fuere, ac exinde eam expoſitionem a Sardicenſi conditam poſteriores crediderint. Patres itaque Chalcedonenſes, qui Sardicenſem Synodum maxime probabant, laudatam Synodicam cum hac addititia expoſitione fidei ita in aliquo Græco codice habebant, ut illam habuerunt Socrates, Sozomenus, ac Theodoretus. Quinam vero eſſent ejuſmodi codices, in quibus hæc Sardicenſis Synodica cum laudato additamento legebantur, diſcimus ex pervetuſto inſigni codice 55. Capituli Veronenſis majuſculis litteris exarato, in quo ejuſdem Synodicæ interpretationem invenimus. Hæc autem cum diverſa ſit a verſione Epiphanii ex Theodoreto traducta ac Tripartitæ inſerta lib. 4. c. 24. proficiſcitur ab alio Græco antiquiori exemplo, in quo alia rariſſima & præſtantiſſima documenta ad Sardicenſem Synodum pertinentia exhibebantur: hæc enim omnia latine reddita in eodem codice Veronenſi continentur. Inter cetera autem documenta, quæ hoc uno codice nobis conſervata iſti tomo inſerentur, ante memoratam Synodicam poſt titulum *Definitiones apud Sardicam* profertur epiſtola Oſii atque Protogenis ad Julium Pontificem, quæ licet apocrypha habeatur, coæva tamen eſt ſuppoſititio additamento Synodicæ, cujus ratio in hac epiſtola exponitur. Forte Oſius & Protogenes ex iis fuerunt, a quibus ea expoſitio fidei Synodo Sardicenſi propoſita fuit cum hac epiſtola; ſed utraque ibidem rejecta, & eatenus inter apocrypha recenſenda. Cum vero hæc epiſtola allegetur a Sozomeno lib. 3. c. 12. una cum Synodica ejuſque additamento, utraque in ipſius Græco codice inventa fuit. Porro in laudato MS. Veronenſi poſt prædictam Synodicam ſine alio titulo ſubjiciuntur canones Sardicenſes eodem ordine ac in vulgato Græco, ſed ex diverſæ originis Græco exemplo ignota hactenus verſione traducti: inter eos enim canones unus exhibetur, qui etſi exſtet in omnibus exemplaribus originalis Latini cum initio, *Januarius*, in Græco tamen vulgato nequaquam legitur. Horum quidem, & aliorum, quæ edemus, Sardicenſium documentorum interpres Græcum exemplum habuit, quod hæc omnia continebat: hæcque fuiſſe collecta jamdiu ante Concilium Chalcedonenſe Socrates, Sozomenus, & Theodoretus, qui ante eamdem Synodum ſcribentes, duo ex iis documentis retulere, fidem faciunt. Eo autem vetuſtior hæc collectio agnoſcitur, quod tria alia ſincera monumenta Sardicenſia præterat, quæ cum aliunde non ſuppetant, ſub ipſius Sardicenſis tempus aut non multo poſt collecta videntur. Si autem ex aliquo hujus collectionis Græco codice expoſitionem fidei Sardicenſis, vel etiam Oſii ac Protogenis epiſtolam allegarunt non minus Socrates, Sozomenus, ac Theodoretus, quam Patres Concilii Chalcedonenſis, ut ſane probabiliſſimum eſt; en igitur Græcum codicem ab his Patribus adhibitum, in quo Sardicenſes quoque canones cum aliis documentis Sardicenſibus jamdiu ante deſcripti fuerant.

tom. 4. Conc. col. 1766.

Additamentum in fine Synodicæ Sard. e. ante Chalcedon.

Quando & a quibus ſcriptum.

tom. 2. Conc. col. 944. a.

Ib. col. 949. e.

Vide Infra part. 2. c. 9. Infr. col. 573. & ſeqq.

XII. Alia porro argumenta ſuppetunt, quibus hi canones in Græcis codicibus exſtitiſſe noſcuntur. Auctor verſionis Priſcæ, qui Dionyſio Exiguo præceſſit, codicem Græcum invenit, in quo Sardicenſes canones poſt Nicænos ſubjecti fuiſſe videntur. Quod ſi eos non e Græco interpretatus eſt, ſed Latinum originale prætulit; idcirco factum eſt, quia Latinis interpretibus id uſitatum erat, ubi invenirent originale Latinum, illud ſuis collectionibus inſerere, & a labore verſionis e Græco abſtinere. Sic vetus

interpres Concilii Chalcedonenſis originale Latinum epiſtolæ 28. Leonis ad Flavianum pro verſione e Græco inſeruit actioni ſecundæ: & ſimiliter Epiphanius Scholaſticus interpres Codicis encyclii, ſuæ tranſlationi appoſuit originale Latinum epiſtolæ 156. ejuſdem Pontificis ad Leonem Auguſtum. Eadem igitur ratione ſi auctor verſionis Priſcæ ex originali Latino deſcripſit canones Sardicenſes, non idcirco ſequitur, eos in ſuo Græco codice non reperiſſe. Immo cum ipſos non in fine poſt Græcos canones addiderit, ſed inter Græcarum Synodorum canones Nicænis ſubjecerit; eos hoc ordine in Græco codice nactum fuiſſe veriſimillimum eſt. Alias ſi eis caruiſſet Græcum exemplum, quo utebatur, poſt interpretationem canonum Græcorum, quos in eo manuſcripto recepit, Sardicenſes canones ex Latino originali in fine adjeciſſet, ut fecit Dionyſius Exiguus, vel in alium ſaltem locum chronologiæ ejuſdem Synodi congruentem poſt Antiochenos tranſtuliſſet.

Jo. Scholaſtici collectio.

XIII. Exſtitiſſe quidem olim Græca canonum exemplaria, in quibus Sardicenſes ſtatim poſt Nicænos locabantur, confirmatur ex *Ordine canonum*, quem Joannes Scholaſticus in ſuo Græco codice nactus eſt. Eum ex ipſo dedimus cap. 2. Chriſtophorus Juſtellus, qui in Sardicenſes canones non bene erat animatus, in præfatione ad ſynagogen canonum ejuſdem Joannis Scholaſtici affirmat, eum *primum* addidiſſe Græco codici canones Sardicenſes. Sed fallitur manifeſte. Nam primo idem Joannes teſtatur, ſe non eſſe *primum*, qui ſynagogen canonum, in quibus ſunt Sardicenſes, conſcripſerit; ſed alii ante eum eamdem operam ſuſceperant; iique illam in ſexaginta titulos digeſſerant ex iiſdem decem Synodorum canonibus, ex quibus ipſe ſuam reſtrinxit ad titulos quinquaginta, exceptis ſolis canonibus S. Baſilii, quos ab illis omiſſos adjecit. *Cum*, inquit, *non ipſi ſoli, & PRIMI inter ceteros ad hoc faciendum incitati fuerimus, ſed alios comperierimus ea* (decem Synodorum ſtatuta) *in titulos ſexaginta diviſiſſe, nec S. Baſilii canones cum aliis conjunxiſſe* &c. Secundo nec Joannes, nec illi, qui ante eum in hoc opere laborarunt, fuere auctores Græcæ collectionis, ſed ex collectione Græca, cujus exemplar præ oculis habebant, decem Synodorum canones in ea deſcriptos, *non ſervato ordine & ſerie canonum*, ad certa capita atque titulos revocarunt, illi in ſexaginta, Joannes vero in quinquaginta. Inter has vero decem Synodos erat etiam Sardicenſis, cujus quidem canones utrique in ſynagogen redegere. Fuerunt igitur Græcæ collectiones, quæ ante Joannem Scholaſticum, immo & ante alios Joanne anteriores canones Sardicenſes cum ceteris præferebant. *Ordo* quidem *canonum*, quem ex decem Synodis Joannes præmiſit, cum Sardicenſes collocet poſt Nicænos, & ante Gangrenſes, ut in verſione Priſca ſimiliter deprehenditur, non eſt ordo chronologicus, ex quo Sardicenſes poſt Antiochenos canones collocandi fuerant; ſed ſolus ordo eſſe poteſt, qui in Joannis Græco codice inerat. Quæ animadverſio ſi confirmat ſimilem pariter Græcum codicem præſto fuiſſe auctori interpretationis Priſcæ, qui non alia de cauſſa hunc ordinem ſequi potuit; luculentius evincetur, nedum ante Joannem Scholaſticum, verum etiam jamdiu ante ipſum Dionyſium Exiguum, cui Priſca verſio præceſſit, Sardicenſes canones in aliquot Græcis exemplaribus exſtitiſſe. Si Græca vetuſtiora exemplaria canonum ad nos perveniſſent, idipſum evidentius poſſemus ſtatuere. Ex ſolo autem defectu ejuſmodi codicum vetuſtiorum negare apud antiquos Græcos auctoritatem horum canonum, quos certe ab ipſa Synodo pro Græcis græce editos vidimus, quorumque originale exemplar Græcum in collectionibus poſteriorum Græcorum, quæ ſolæ ſuperſunt, nobis conſervatum fuit, plenum audaciæ eſt. Quod ſi deſunt Græca exempla vetuſtiora Concilio Chalcedonenſi, ſupplent collectiones licet recentiores Eutychianorum, quæ antiquiorem Chalcedonenſi originem habent. Illi enim ab Eccleſia ſeparati ſæculo quinto, non receperunt ex antiquis canonibus niſi illos, qui ante eorum ſeparationem erant in Græco Codice: ac propterea eorum collectiones ſunt totidem teſtimonia ejus antiqui Græci Codicis, qui ante Eutychianam hæreſim in Eccleſia Græca obtinebat auctoritatem. Hinc in iis collectionibus non ſunt canones Chalcedonenſes. At cum ceteris inveniuntur Sardicenſes, uti videre eſt apud * P. Echard, & * Jobum Ludolphum. Sardicenſes igitur canones erant in Græco Codice, antequam illi ab Eccleſia deſciſcerent.

tom. 2. Biblioth. Jur. can. vet. pag. 495.

Aliæ collectiones Græcæ anteriores.

* t. 2. de Script. Ord. Prædic. p. 193.

* Ep. ad Hortingerum in hujus Biblioth. Orient. p. 325.

Sardicenſium auctoritas, & uſus apud Græcos etiam antiquos.

XIV. Horum certe canonum auctoritatem apud antiquiores Græcos etiam Orientis ex vetuſtiſſimo Orientali Concilio demonſtrare poſſumus. Patres nimirum Synodi Conſtantinopolitanæ anni 382. in epiſtola ad Damaſum alioſque Occidentales a Theodoreto deſcripta lib. 5. Hiſt. c. 9. Nicæni Concilii nomine Sardicenſem canonem allegarunt his verbis: *De adminiſtratione autem ſingularum Eccleſiarum, cum vetus, uti noſtis, lex obtinuit, tum Sanctorum Patrum in Concilio Nicæno deciſio, ut videlicet ſingularum provinciarum Antiſtites una cum finitimis* (*modo ipſis ita viſum fuerit*) *Epiſcopis ad Eccleſiarum commodum habeant ordinationes*. Eſt canon quintus Sardicenſis, ut monuit P. Harduinus in hunc locum, & in notatione ad ipſum canonem Sardicenſem. Et P. Couſtantius tom. 1. epiſtolarum Romanorum Pontificum col. 566. not. e. *Nicæni Concilii*, inquit, *canone quarto ſancitur*: Epiſcopum convenit maxime quidem ab omnibus qui ſunt in provincia Epiſcopis ordinari: *ſed de finitimis Epiſcopis, ubi placuerit, convocandis nihil in eo habetur. Sardicenſis vero canon quintus, ſeu ſecundum Græcos ſextus*, Quando quis debeat a vicinis provinciæ Epiſcopis ordinari, *explicat. Ad quem canonem ſi nunc reſpiciunt Orientales, dicendum erit, Sardicenſes canones non modo in Occidente, ſed & in Oriente pro Nicænis fuiſſe habitos; adde & in codice ab his Patribus adhibito Nicænis fuiſſe ſubjectos*. At de hac Nicænorum & Sardicenſium conjunctione, ob quam hi pro Nicænis habiti fuerunt, plura dicentur part. 2. c. 1. Nunc ſatis ſit animadvertere, hoc tam antiquum Orientalium teſtimonium certam fidem facere, Sardicenſes canones a Græcis etiam Orientalibus fuiſſe receptos, & ſuis codicibus inſertos; eorumque auctoritate Orientis Eccleſias fuiſſe directas: unde ſtatim poſt recitata verba in eadem epiſtola ſubditur: *Ex cujus legis & deciſionis præſcripto ſcitote, tum alias quoque Eccleſias apud nos adminiſtrari, tum illuſtriſſimarum Eccleſiarum Sacerdotes delectos*. Nihil illuſtrius & evidentius ad elidendum Juſtelli commentum deſiderari poteſt. In hoc enim Concilio non convenerunt Græci Illyriciani ad Occidentalem Eccleſiam pertinentes, qui hoc nomine Sardicenſes canones recepiſſe creduntur, ſed Epiſcopi totius Orientis, iique fere omnes, qui in Synodo præcedentis anni 381. ibidem coiverant. Theodoretus nempe lib. 5. Hiſt. c. 8. poſt recenſitos Epiſcopos Synodi præcedentis hæc de præſenti Synodo tradit: *Sequenti vero ætate cum PLERIQUE eorum ad eamdem urbem veniſſent: eccleſiaſtica enim negotia eos rurſus illuc evocaverant* &c. Orientales ergo Epiſcopi hoc quoque vetuſto tempore ſuas Eccleſias ex præſcripto Sardicenſium canonum adminiſtrabant, & ordinationes Sacerdotum peragebant, ordinationeſque Nectarii Conſtantinopolitani, & Flaviani Antiocheni ad laudatæ Synodi normam *canonice* factis probarunt. Qui autem canones regendarum Eccleſiarum & ordinationum Epiſcoporum regulam Orientalibus præſtabant, recepti utique ab ipſis & magna auctoritate habiti dici debent, ſive tunc inſerti fuerint Græco Codici, ſive non fuerint: canonum enim auctoritas ex ipſorum Conciliorum auctoritate pendebat, non autem ex Græco Codice, quem non publica, ſed privata auctoritate conditum vidimus. Ex his autem illud obiter colligere licet, quam perperam nonnulli Sardicenſe Concilium, cujus canones pro Græcis græce editi, in pleniſſima Orientali Synodo, eodem quo Nicæni loco & nomine habiti ſunt, Occidentale Concilium fuiſſe, eoque titulo inter œcumenica non referendum contendant.

CA-

CAPUT VII.

De Patrum Sardicenſium ſubſcriptionibus ac numero. Accuratus ipſorum catalogus ex certioribus monumentis contextus. Num Sardicenſis Synodus fuerit œcumenica.

Veræ ſubſcriptiones exciderunt. Cur. Quid in MSS. & editis.

I. Sicuti tria vel quatuor Sardicenſia documenta, quæ mox allegaturi ſumus, ſubſcriptiones aliquot Patrum exhibent; ita etiam canones Patrum ſubſcriptionibus fuiſſe firmatos nihil ambigimus. At quæ ſubſcriptiones ipſorum canonum erant propriæ, exciderunt: earumque loco in nonnullis manuſcriptis, ac exinde in vulgatis Conciliorum libris, canonibus ſubjiciuntur illa Patrum Sardicenſium nomina, quæ poſt epiſtolam Sardicenſem ad Julium Papam ſubſcripta apud Hilarium leguntur. In his vero ipſis ſubſcriptionibus iidem MSS. & editi libri Vincentium Capuanum, Januarium Beneventanum, & Calepodium Neapolitanum Apoſtolicæ Sedis Legatos præterunt errore manifeſto, qui apud Hilarium non invenitur: alii enim in Sardicenſi legatione apoſtolica functi ſunt. Cum canones Sardicenſes in vetuſtioribus exemplaribus Latinis conjuncti eſſent cum Nicænis, ac pro Nicænis haberentur, uti probaturi ſumus part. 2. c. 1. non Sardicenſium, ſed Nicænorum Patrum catalogus ipſis adnexus fuit, quemadmodum in pluribus antiquiſſimis codicibus eoſdem canones copulantibus deprehendimus. Hinc ſubſcriptiones Sardicenſium Patrum, quos in originali fuiſſe ſignatos non videtur dubitandum, exciderunt. Cum porro hi canones Sardicenſes ſeparari cœperunt a Nicænis, in nonnullis codicibus ſine ulla ſubſcriptione deſcripti ſunt; in aliis retenta fuit ſola formula primæ ſubſcriptionis Nicænæ, quam in puris Dionyſianis exemplis ac in Juſtelliano notavimus: in aliis vero, ut ſubſcriptiones Patrum Sardicenſium iiſdem canonibus vindicarentur, illæ quæ in Hilarii fragmentis appenduntur poſt ipſius Sardicenſis Synodi epiſtolam ad Julium Pontificem, ex hac epiſtola traductæ fuerunt ad canones: ac propterea quædam MSS. collectiones Latinæ, his ſubſcriptionibus deſcriptis poſt canones, eam epiſtolam ſine ſubſcriptionibus exhibent. Imperitus autem librarius cum inter ſubſcriptiones Synodicæ non reperiſſet Legatorum Apoſtolicorum nomina; traducens eaſdem ſubſcriptiones ad canones, tres laudatos Epiſcopos ſuburbicarios Apoſtolicæ Sedis Legatos ſuo arbitrio conſtituit. Verum hæ ipſæ ſubſcriptiones, ſeu potius hæc Patrum Sardicenſium nomina pauciora ſunt, quam iidem Patres fuere. Hinc de numero iſtorum Patrum magna vertitur inter eruditos quæſtio. In qua cum nos diligentiori ſtudio, ac documentorum ex Veronenſi codice edendorum præſidio aliquid certius afferre poſſe credamus, hac de re latius hoc loco diſſerere non ingratum lectoribus futurum confidimus.

Numerus PP. Sardicenſium.

II. Sardicenſes Patres tercentos circiter fuiſſe, ex S. Athanaſio plures crediderunt. Is enim initio Apologiæ ſecundæ tercentos ſibi ſuffragatos tradit; & dein poſt recitatam epiſtolam Synodi Sardicenſis ducentorum & octoginta circiter Epiſcoporum, qui eidem ſubſcripſerunt, nomina ſubjicit. At in primo textu non ſolius Sardicenſis Concilii Epiſcopos notavit, ſed memoratis tribus Conciliis, Alexandrino, in quo interfuerunt centum Epiſcopi, Romano, in quo ſederunt Epiſcopi quinquaginta, ac tandem Sardicenſi, hæc ſubjicit: *Iis vero, quæ noſtri gratia decreta fuerunt, ſuffragati ſunt pluſquam tercenti Epiſcopi ex provinciis*, quarum triginta ſex nomina refert. His autem verbis Athanaſium noluiſſe indicare Epiſcopos tercentos ſolius Sardicenſis Concilii, ſed complecti omnes, vel qui in tribus antea nominatis Conciliis ſibi faverunt, vel qui etiam abſentes Sardicenſi decreto ſubſcripſere, patet ex alio textu ejuſdem Apologiæ, in quo poſt recitatam Sardicenſem Synodicam, CCLXXXII. Epiſcoporum nomina relaturus, ſic præloquitur. *Hæc ita ſcriptis mandata ſacrum Sardicenſe Concilium ad eos, qui intereſſe non poterant, miſit: qui ipſi quoque ſuis ſuffragiis decreta Synodi approbarunt. Eorum autem, qui in Synodo ſubſcripſerunt, ceterorumque aliorum* (notanda hæc verba, quæ abſentes reſpiciunt) *iſta ſunt nomina*. Adde quod idem Athanaſius in Hiſtor. Arianorum ad Monachos de Epiſcopis, qui ad Sardicenſe Concilium initio convenerunt, hæc habet: *Conveniunt cum ex Oriente, tum ex Occidente in Sardica urbe Epiſcopi plus minus centum ſeptuaginta*: a quibus Euſebiani deinde ſeparati, pſeudoſynodum Philippopolitanam conflarunt. Hi Euſebiani Orientales, teſte Sabino apud Socratem, fuerunt LXXVI. in ſubſcriptionibus autem pſeudo-ſynodicæ Philippopolitanæ LXXIII. tantummodo recenſentur; adeo ut catholici, qui Sardicæ pro Athanaſio ſteterunt, & Sardicenſem Synodum habuere, ſoli XCIV. aut XCVII. circiter Epiſcopi fuiſſe dicendi ſint. Quinam vero hi fuerint, vel cujus civitatis ac provinciæ, conſtituere difficilius hactenus fuit. S. Hilarius in ſubſcriptionibus epiſtolæ Sardicenſis ad Julium Pontificem LIX. tantum Epiſcopos nominat, ubi plures omittit, quos interfuiſſe aliunde liquet. Nomina Patrum LIX. quæ in vulgatis Conciliorum & in MSS. collectionibus ſubjiciantur canonibus Sardicenſibus, cum Hilario conveniunt. Unum tantum *Alexandrum ab Acia*, al. *ab Acha de Ceporiſma* (legendum *ab Achaja de Cypariſſa*) ſupra illos Epiſcopos ex Hilario editos nonnulli codices præferunt, uti ſunt ex. gr. Vat. 1342. & Vallic. A 5. ex quo conficiuntur Epiſcopi LX. In his vero non omnes comprehendi ſatis indicat clauſula poſt ultimum Epiſcopum in iiſdem codicibus adjecta: *Et ceteri ſubſcripſerunt*. Inter nomina autem Epiſcoporum CCLXXXII. quæ ab Athanaſio proferuntur, cum & abſentes, & præſentes ab eo memorati fuerint, Sardicenſium nomina cognoſcere non facile fuit.

tom. 1. Athan. pag. 352.

lib. 2. c. 16.

III. Noviſſime vero duo præſtantiſſima monumenta ad Sardicenſe Concilium pertinentia cum ſubſcriptionibus e MS. 55. Capituli Veronenſis a Marchione Maffejo edita ſunt, quæ hoc tomo cum aliis documentis illuſtrata prodibunt. Primum eſt epiſtola ipſius Synodi Sardicenſis ad Eccleſias Mareoticas, cui ſola Epiſcoporum nomina XXVI. aut XXVII. ſubſcripta leguntur. Alterum eſt epiſtola S. Athanaſii ad eaſdem Eccleſias, quam ſubſignarunt Epiſcopi LXI. quorum priores decem & octo ſola nomina appenderunt: ceteri vero civitatis, & quandoque etiam provinciæ nomen addidere. In priori epiſtola animadvertenda maxime eſt ſubſcriptio ultima: *Vincentius Epiſcopus incolumes vos in Domino opto dilectiſſimi fratres. Juſſus a fratribus meis & Coepiſcopis ſcripſi & ſubſcripſi pro ceteris.* Hinc nihil mirum, ſi pauci ſint, qui ſubſcribunt; cum non omnes per ſe ſubſcripſerint, ſed ut Vincentius *pro ceteris* ſubſcriberet, omnes mandarint. Hac de cauſſa S. Athanaſius in altera epiſtola, qua antecedentem Synodicam e Sardica in Mareotidem direxit, *Licet*, inquit, *non omnes ſcribere Epiſcopi occurrerunt; attamen ab omnibus ſcripta ſunt, & pro omnibus ſubſcripſerunt*. Si autem Vincentius, qui in fine ſubſcripſit *pro ceteris*, idem eſt, ac qui eodem Vincentii nomine per ſe ſe ante ſignatus legitur; hæ ſubſcriptiones erunt XXVI. Si vero ſit alius Vincentius, erunt XXVII. Has autem hujuſmodi documentorum ſubſcriptiones conferentes cum illis, quæ epiſtolæ Sardicenſi ad Julium ſubjiciuntur (idem eſt de ſimilibus nominibus, quæ ex hac epiſtola canonibus appenſa ſunt) deprehendimus nonnulla quidem Epiſcoporum nomina in laudatis documentorum ſubſcriptionibus deeſſe, quæ leguntur in ſubſcriptionibus epiſtolæ ad Julium: alia vero nomina in iiſdem exhiberi, quæ in ea ad Julium epiſtola deſiderantur: ex illis enim documentis ſupplentur ſubſcriptiones, ſeu Epiſcopi XXX. Quibus ſi addantur Epiſcopi LIX. ſubſcripti epiſtolæ ad Julium, Sardicenſes Patres elicimus LXXXIX.

Catalogus unde eruendus.

Infra col. 608.

Ibi col. 610.

Non omnes Epiſc. ſubſcripti. Unus pro ceteris ſubſcripſit.

IV. Hoc autem Patrum numero invento, Athanaſii catalogum Epiſcoporum CCLXXXII. deſcriptum in Apologia ſecunda, conferentes cum laudatis Epiſcopis LXXXIX. cum omnia fere iſtorum nomina nacti ſimus inter eos Epiſcopos LXXVIII. qui ab Athanaſio primo loco ſeparatim a ceteris deſignantur; deteximus hos Epiſcopos LXXVIII. Sardicenſi Synodo interfuiſſe; ac propterea præmiſ-

Catalogi Athanaſiani notabilis diſtinctio.

ſo Oſii nomine, nulla diſtinctione provinciarum ſimul recenſentur; ceteros vero, qui in provincias diſtributi ab eo ſubjiciuntur, illos eſſe, qui abſentes Sardicenſe decretum approbarunt. Id ſane reſpondet ordini, quo in recitato teſtimonio idem Athanaſius ſcripſit, ſe producturum nomina, primo quidem *eorum, qui in Synodo ſubſcripſerunt*, & dein *ceterorum aliorum*, qui licet *intereſſe non poterant*, miſſa tamen ad eos Synodica, *ipſi quoque ſuis ſuffragiis decreta Synodi approbarunt*. Porro ex prima Epiſcoporum ſerie apud Athanaſium accedunt ſex alii Epiſcopi, qui nec ex ſubſcriptionibus epiſtolæ ad Julium, nec ex duobus aliis monumentis ſuppetunt. Hi autem ſi addantur Epiſcopis LXXXIX. quos ex ſubſcriptionibus novimus, fient Sardicenſes Epiſcopi XCV. Alii porro duo Epiſcopi & ab Athanaſio in prima ſerie, & in ſubſcriptionibus omiſſi certo fuerunt, nimirum Euphratas Agrippinenſis, & Gratus Carthaginienſis, quos tamen ejuſdem Synodi Patribus accenſendos aliunde probabimus. Ita in catalogo, quem hic proferimus, deſcribentur Epiſcopi Sardicenſes XCVII. quod cum ſupputatione paullo ante ex Athanaſio propoſita Epiſcoporum circiter XCIV. aut XCVII. probe concordat.

Catalogus alphabeticus Patrum Sardicenſium ex monumentis contextus & confirmatus.

I. *Adolius*. Hic tantum memoratur in S. Athanaſii catalogo.

II. *Aetius a Macedonia de Theſſalonica*. Aetii nomen tantum legitur in Athanaſio, ac in Synodica ad Mareotidis Eccleſias. In ſubſcriptionibus vero apud S. Hilarium, ac in Conciliis & provinciæ & civitatis nomina adduntur. Neque obeſt epiſtola pſeudoſynodi Sardicenſis, verius Philippopolitanæ, in qua apud Labbeum Joannes Theſſalonicenſis Epiſcopus memoratur. Joannis enim nomen ex eadem epiſtola expungendum probat P. Couſtantius tom. 2. Operum Hilarii editionis Veronenſis col. 658. not. 6. Aetium quidem, & non Joannem fuiſſe Epiſcopum Theſſalonicæ confirmatur etiam ex Sardicenſi canone 20. Dionyſii, in quo ipſe de Theſſalonicenſi Metropoli loquitur.

III. *Alexander Gyparenſis Achajæ*: ita in epiſtola Athanaſii ad Eccleſias Mareoticas. Forte legendum *Cypariſſenſis*: Cypariſſa enim in Achaja invenitur. Hic idem eſt ac ille, qui in quibuſdam codicibus antea memoratis poſt canones additur ſic: *Alexander ab Acia*, ſeu *ab Acha de Ceporiſma*.

IV. *Alexander ab Achaja de Montemnis*: ita ſubſcriptiones apud Hilarium. In vulgatis Conciliorum *de Moreniis*, in MS. Vat. 1342. *de Moromis*. Vallicel. A 5. civitatis nomen omittit.

V. *Alexander a Theſſalia de Lariſſa*: ſic Hilar. & edit. Concil. S. Athanaſius duos tantum Alexandros nominat. Unus legitur in ſubſcriptionibus Synodicæ ad Mareotes, & unus in ſubſcriptionibus epiſtolæ S. Athanaſii: num utrobique idem ſubſcripſerit, an duo diverſi, ignoratur.

VI. *Alypius ab Achaja de Megara*. In omnibus ſubſcriptionibus recenſetur. Solum in Synodica dicitur *Alyſius*. Alypius refertur ab Athanaſio, & in canonibus interloquitur.

VII. *Amaſitius Viminiacenſis per Presbyteram Maximum*; in ſubſcriptionibus epiſtolæ Athanaſianæ, & in catalogo item Athanaſii.

VIII. *Ammonias* in ſubſcript. ejuſdem epiſtolæ.

IX. *Anianus de Caſtulone*, vel *Caſtolona ab Spaniis*, apud Hilar. & in Concil. Inter ſubſcriptiones epiſtolæ Athanaſii perperam ſcribitur: *Ammianus de Caſtello Pannoniæ*. Aniani nomen eſt in catalogo Athanaſii.

X. *Antigonus Pallenenſis Macedoniæ*, corrige *Pellenſis*: in epiſtola Athanaſiana, & laudatur in Athanaſii catalogo.

XI. *Appianus* in eadem epiſtola, ubi præter hunc deſcribuntur etiam duo ſequentes.

XII. *Aprianus de Petabione Pannoniæ*: ibidem, & in Athanaſiano catalogo.

XIII. *Aprianus* alter in ſubſcript. epiſtolæ Athanaſii.

XIV. *Arius a Palæſtina*, apud Hilar. in Concil. in Synodica ad Mareot. atque in Athanaſii catalogo. Hic in epiſtola ad Solitarios vocat *Arium Petræ in Palæſtina*.

XV. *Aſclepius a Palæſtina de Gaza*, apud Hilar. in Concil. in epiſt. Athanaſii, ac in hujus catalogo.

XVI. *Aſterius de Arabia*: ita in Concil. in Synodica, & apud Athanaſium. In Hilario, ac in nonnullis codd. dicitur *Aſturius*. Athanaſius in epiſt. ad Solitarios vocat Epiſcopum *Petræ in Arabia*.

XVII. *Athanaſius Alexandriæ Ægypti*: apud omnes.

XVIII. *Athenodorus ab Achaja de Blatea*, corrige *de Platea*: apud Hilarium. In Conciliis mendoſe *Athenodorus a Dacia de Blacena*. Iſte memoratur in ſubſcriptionibus Synodicæ, & epiſtolæ Athanaſii, nec non in hujus catalogo.

XIX. *Baſſus a Macedonia de Diocletianopoli*: apud Hilar. & in Conciliis. S. Athanaſius in catalogo, & Synodica ad Mareot. laudant hunc Baſſum. Memoratur etiam in Pſeudo-ſynodica Sardicenſi n. 20. Cum nulla inveniatur Diocletianopolis Macedoniæ, ſed aliæ ejuſdem nominis inveniantur in aliis provinciis, error ineſſe videtur in verbis *a Macedonia*: ſicuti per errorem *a Macedonia* inſertum eſt etiam ſubſcriptioni Marcelli, qui fuit Epiſcopus Ancyræ in Galatia. Forte vero Baſſus fuit Epiſcopus Diocletianopolis in Thracia.

XX. *Calepodius a Campania*, apud Hilarium. In Conciliis dicitur *Neapolitanus*. Hic Calepodius nominatur in Synodica ad Mareot. nec non in Athanaſii catalogo.

XXI. *Calvus a Dacia Ripenſi de Caſtro Martis*: apud Hilar. & in Conciliis. In ſubſcriptionibus epiſtolæ Athanaſianæ vocatur *Caloes Caſtromartis*.

XXII. *Caloes* alius, in eadem epiſt. Athanaſii. Forte eſt is, qui in catalogo Athanaſiano *Galba* appellatur.

XXIII. *Caſtus de Spaniis de Cæſarea Auguſta*: apud Hilar. in Concil. & in epiſt. atque catalogo Athanaſii.

XXIV. *Cocras ab Achaja de Aſapoſebiis*: apud Hilar. & in Conciliis. In Achaja apud Hieroclem collocatur *Aſopolis*, & apud Strabonem ac Ptolomeum *Aſopus*. Num hæc urbs indicatur? Athanaſius nominat *Socratem*. Num *Cocras* pro *Socrate* ſcriptum fuit?

XXV. *Cydonius Cydonenſis Cretæ*: ſubſcribit epiſtolæ Athanaſii.

XXVI. *Diodorus ab Aſia de Tenedos*: apud Hilar. & in Concil. Recenſetur in Athanaſii catalogo. In ſubſcriptionibus epiſtolæ Athanaſianæ perperam vocatur *Liodoras*.

XXVII. *Dionyſius ab Achaja de Elida*: apud Hilar. in Concil. & in Synodica. Refertur in Athanaſii catalogo, ac in Pſeudo-ſynodica Sardicenſi n. 20. Elis Metropolis Ætoliæ eſt in Achaja.

XXVIII. *Dioſcorus de Thracia*: in iiſdem documentis.

XXIX. *Dometius ab Acaria Conſtantias*: ſic corrupte in ſubſcriptionibus epiſtolæ Athanaſii. Num hic unus eſt e duobus Domitianis, quos Athanaſianus catalogus præfert?

XXX. *Domitianus ab Spaniis de Aſturica*: ſic in Hilar., & Conciliis. Solum nomen eſt in ſubſcriptionibus Synodicæ ad Mareot. ſicut etiam in Athanaſii catalogo.

XXXI. *Eliodorus*, vel *Heliodoras a Nicopoli*: apud Hilar. in Concil. & in Synodica, nec non in catalogo Athanaſii.

XXXII. *Eucarpus Openſias Achajæ* in epiſtola Athanaſii, ac in ejus catalogo. Legendum *Opuntius* ex *Opunte* Achajæ urbe.

XXXIII. *Eucarpus* alter in eadem epiſtola.

XXXIV. *Euciſſus Chiſamenſas* ibidem. Ciſſamus eſt urbs Cretæ, ex qua provincia alii Epiſcopi Sardicenſi interfuerunt.

XXXV. *Eugenius de Hecleal Cychnis*: in eadem Athanaſii epiſtola. Apud Hilarium *Evagrius a Macedonia de Heracliahnco*, & in Conciliis *de Heraclia*

elianopoli. In Macedonia eſt Heraclea, & apud Hieroclem Heraclea Laoci.

XXXVI. *Eugenius* alter in ſubſcriptionibus laudatæ epiſtolæ. Athanaſius in catalogo unum Eugenium recenſet.

XXXVII. *Eulogius* in eadem epiſtola, & in eodem catalogo.

XXXVIII. *Euterius a Pannoniis* in Conciliis. Apud Hilarium *Eutaſius*.

XXXIX. *Euterius a Procia de Caindo*, vel *de Candos* apud Hilar. & in Conciliis. Locus corruptus. Unus Euterius in Athanaſiano catalogo legitur.

XL. *Eutychius de Methona* in Athanaſii epiſtola. *Tychius ab Aſia* (lege *ab Achaja*) *de Methonis* in Conciliis ſcribitur. *Thitius ab Aſia de Montonis* apud Hilarium. Hic Eutychius fuit Epiſcopus Methonenſis in Achaja, & refertur in Athanaſiano catalogo.

XLI. *Eutychias ab Achaja* alius a præcedenti recenſetur apud Hilarium, & in Conciliis. In catalogo autem Athanaſiano duo Eutychii memorantur.

XLII. *Florentius ab Spaniis de Emerita*: apud Hilar. & in Conciliis. Eſt in catalogo laudato: Corrupte in epiſt. Athanaſii ſcribitur: *Florentius Meriæ Panoniæ* pro *Emeritæ Spaniæ*.

XLIII. *Fortunatianus ab Italia de Aquileia*: apud Hilar. & in Conciliis. In catalogo Athanaſii dicitur *Fortunatus*.

XLIV. *Gaudentius ab Achaja* (corrige *a Dacia*) *de Naiſſe*: apud Hilar. & in Conciliis. In epiſtola Athanaſii *Gaudentius Naiſitanus*. Memoratur in catalogo Athanaſiano, & in ipſis canonibus Sardicenſibus.

XLV. *Gerontius a Macedonia de Brevi*: in Concil. & apud Hilarium. Solum nomen in tribus aliis documentis refertur.

XLVI. *Helianas de Tyrtanis*: In ſubſcriptionibus epiſtolæ Athanaſii. Hujus catalogus hunc eumdem Epiſcopum nominat.

XLVII. *Hermogenes de Syceono*, forte *de Sicyone* Achajæ: ibidem utrobique.

XLVIII. *Himenæus de Hypata Theſſaliæ*. Nomen Epiſcopi verum præbent Hilar. Concil. & catalogus Athanaſii. Urbis nomen exhibent ſubſcriptiones epiſtolæ Athanaſii, in quibus perperam pro *Himenæus* ſcriptum eſt *Hypeneris*. Male vero in Conciliis & apud Hilarium nomen urbis effertur *de Pearata*, vel *de Pharata*.

XLIX. *Januarius a Campania de Benevento*: apud Hilar. in Concil. & in epiſt. atque catalogo Athanaſii.

L. *Joannes* in ſubſcriptionibus Synodicæ.

LI. *Jonas a Macedonia de Particopoli*: apud Hilar. & in Concil. Habetur etiam in Synodica, atque in catalogo Athanaſii.

LII. *Irenæus Syconeus*: in epiſt. Athanaſii. Alias *Irenæus ab Achaja de Secoro* in Conciliis, & apud Hilarium, in quo ſolum male *Leranius*. In MS. Vat. 1342. *de Scoro*, forte *de Scyro* Achajæ. Irenæum refert etiam catalogus Athanaſii.

LIII. *Julianus de Thoris Epeapoli* in ſubſcriptionibus epiſtolæ Athanaſianæ. Apud Hilarium *Julius ab Acacia de Thebe Eptapyleos*. In Conciliis *Julius ab Achaja de Thebeſſe*. Cod. Vat. 1342. *de Theopus*. Cod. Vallic. A 5. *de Tereſſe*. Hic Julianus relatus etiam in catalogo Athanaſiano, fuit Epiſcopus in Achaja Thebarum in Græco dicta *ἑπταπύλοι* propter ſeptem portas, at diſtinguatur a Thebis Theſſaliæ, cujus Epiſcopus Moyſius Sardicæ pariter interfuit.

LIV. *Julianus* alter ſubſcripſit epiſtolæ Athanaſii, in cujus catalogo duo Juliani recenſentur.

LV. *Lucius a Thracia de Caynopoli*: apud Hilarium & in Conciliis. In aliis tribus documentis ſolum hujus nomen deſcribitur. Conveniunt omnes corrigendum *de Hadrianopoli*, cum conſtet Hadrianopolim eſſe in Thracia, & Lucium Hadrianopolitanum fuiſſe in Concilio Sardicenſi, uti teſtatur Socrates lib. 2. c. 20. & 23.

LVI. *Lucius ab Italia de Verona*: apud Hilarium, in Conciliis, & in epiſtola Athanaſiana. S. Athanaſius non ſolum in catalogo, ſed etiam in Apologia prima eum ſemper Lucillum vocat: quo quidem nomine tria antiquiora documenta Veronenſia appellant noſtrum ſextum Epiſcopum.

LVII. *Macedonius a Dardania de Ulpianis*: apud Hilar. & in Concil. Male in epiſt. Athanaſiana *Lypianenſis* pro *Ulpianenſis*. Recenſetur in Athanaſii catalogo. Ulpiana apud Hieroclem inter Dardaniæ urbes ponitur.

LVIII. *Marcellus ab Ancyra Galatiæ*: apud Hilariam & in Conciliis, abi perperam intruſa eſt alia provincia *a Macedonia*. In ſubſcriptionibus epiſtolæ Athanaſii ſolum Marcelli nomen legitur. In catalogo Athanaſii memoratur *Marcellianus*, qui ſi alius non eſt a Marcello Ancyrano, mendoſe *Marcellianus* dicitur.

LIX. *Marcas Sciſcenſis Saviæ*: in epiſt. Athanaſiana. Apud Hilarium vero *Marcus ab Aſia de Fiſcia*: in Conciliis *ab Aſia de Sciſia*. Corrige *a Savia de Siſcia*. Marcum recenſet Athanaſii catalogus. Idem Athanaſius initio Apologiæ II. inter provincias triginta ſex, quarum Epiſcopi ſibi ſuffragati fuerant, *Siſciam* refert. Cum vero provincia *Siſciæ* nulla fuerit, Siſcia autem urbs ad Savum locata, ad provinciam Saviam pertineat; in Athanaſii Apologiam manifeſtus error irrepſit, qui exinde ortus videtur, quod in ſubſcriptione ejuſdem Marci nomen urbis pro provinciæ nomine acceperit.

LX. *Martyrius Naupactis*: in epiſt. Athanaſii. Apud Hilarium & in Conciliis *Martyrius ab Achaja de Neapoli*, Vallicel. A 5. *de Neapot*: corrige *a Naupacto*; Naupactus enim fuit urbs Achajæ.

LXI. *Martyrius* alter in eadem epiſt. Athanaſii; qui in catalogo unum Martyrium recolit.

LXII. *Maximus a Tuſcia de Luca*: apud Hilar. in Conciliis, & in catalogo Athanaſiano.

LXIII. *Maximus ſimiliter per epiſtolas de Galliis*; ſic in ſubſcriptionibus epiſtolæ Athanaſii, ſed mendoſe; & cum Marchione Maffejo legendum videtur *Maximus*, ſive *Maximinas Trevirenſis Epiſcopus de Galliis*, quem Athanaſii hoſtes exagitant in pſeudoſynodica Sardicenſi. Hunc Athanaſius quidem in catalogo non refert in prima ſerie, ſed in ſecunda, ubi ii memorantur, qui abſentes ſibi patrocinati ſunt. At iſtam in hac ſerie primo loco memorat, & jungit cum Veriſſimo Epiſcopo Lugdunenſi, quem Sardicæ interfuiſſe videbimus.

LXIV. *Moſinias Heracleæ* inter Epiſcopos Cretæ ſubſcriptus epiſtolæ Athanaſianæ. Multæ fuerunt Heracleæ. *Heraclei* Cretenſis meminerunt Strabo & Ptolemæus. In catalogo Athanaſii *Muſonius* vocatur.

LXV. *Moyſius a Theſſalia de Thebis*: apud Hilarium. In Conciliis vero *Moſchus*: in Vat. 1342. *Moeſtus*: in Vallic. A 5. *Moyſtas*. Videtur eſſe is, qui in catalogo Athanaſiano *Muſæus* appellatur.

LXVI. *Olympius de Eno Rodope* ſubſcriptus epiſtolæ Athanaſii. Nominatur in canonibus Sardicenſibus. *Ænos*, vel *Ænus* urbs eſt in Thracia ex provincia Rodope. Ex hac autem ſubſcriptione cognoſcitur, quam vere ſuſpicatus ſit Tillemontius, Olympium in canonibus Sardicenſibus memoratum eſſe illum Æni Epiſcopum, quem ab Euſebianis exagitatum Athanaſius laudat in Apologia II.

LXVII. *Oſius ab Spania Cordabenſis*: in omnibus documentis.

LXVIII. *Palladius a Macedonia de Dui*: apud Hilarium, & in Conciliis: melius in MS. Vallicel. & in epiſtola Athanaſiana *de Diu*. Diu enim eſt in Macedonia. Hunc Epiſcopum nominat catalogus Athanaſii.

LXIX. *Paregorius a Dardania de Scupis*: apud Hilar. & in Conciliis. Inter ſubſcriptiones epiſtolæ Athanaſianæ male ſcribitur *Caſpinus* pro *Scupinus*. Memoratur in Synodica, & in Athanaſii catalogo.

LXX. *Patricius*) Horum nomina tantum
LXXI. *Petrus*) legantur in eodem ca-
LXXII. *Philologius*) talogo.

LXXIII. *Plutarchus ab Achaja de Patras*: apud Hilar. & in Conciliis. Refertur in Synodica, & in laudato catalogo.

LXXIV. *Porphyrius a Macedonia de Philippis*: ſic apud Hilar. & in Conciliis. Memoratur etiam in tribus aliis documentis.

LXXV. *Prætextatus ab Spaniis de Barcelona*: in Hilar. & Conciliis. Inter ſubſcriptiones vero epiſtolæ Athanaſianæ mendoſe legitur *Prætextatus de Narcidono Pamm*. Nominatur quoque in Athanaſii catalogo.

LXXVI. *Protaſius ab Italia de Mediolano*: apud Hilar. in Conciliis, & epiſtola Athanaſii, nec non in hujus catalogo.

LXXVII. *Protogenes a Dacia de Serdica*: apud Hilar. in Conciliis, & catalogo Athanaſiano. Subſcriptus eſt etiam Athanaſii epiſtolæ.

LXXVIII. *Reſtitutus* ſubſcriptus Synodicæ. Refertur in eodem catalogo.

LXXIX. *Saprisias* nominatur in laudato catalogo.

LXXX. *Severus a Calciſo Theſſaliæ*: ſubſcripſit epiſtolæ Athanaſii. Chalcis Eubœæ celebris urbs, tempore Concilii Sardicenſis Theſſaliæ attributa, poſtea Achaiæ.

LXXXI. *Severus ab Italia de Ravenna*: apud Hilar. & in Conciliis. Unum Severum nominat catalogus Athanaſianus, & unus quoque Synodicæ ſubſcriptus legitur.

LXXXII. *Spudaſias* relatus in ſolo Athanaſii catalogo.

LXXXIII. *Stercorius ab Apulia de Canuſio*: apud Hilar. & in Conciliis. In epiſtola Athanaſii, ubi duæ ſubſcriptiones in unam coaluerunt, omiſſo Epiſcopi nomine corrupte ſcribitur: *Sunoſio Apuliæ* pro *Canuſio*. Hic Epiſcopus in Athanaſii catalogo recenſetur.

LXXXIV. *Symphoras de Hierapythnis Cretæ*: ſubſcripſit epiſtolæ Athanaſii, & refertur in hujus catalogo.

LXXXV. *Tryphon ab Achaja de Marciarce* apud Hilarium. Vat. 1342. *de Macarcens*: in Conciliis *de Macarce*, al. *Marathonenſis*: in ſubſcriptionibus epiſtolæ Athanaſii *Trypho de Magara*. Inter tot variantes corruptas difficile eſt conſtituere veram urbem hujus Tryphonis, quem Athanaſianus etiam catalogus memorat. Megara magis placeret, niſi *Alypius ab Achaja de Megara* antea recenſitus fuiſſet.

LXXXVI. *Valens a Dacia Ripenſi Scythopolitanas*: ſic in Conciliis. Vat. 1342. *de Sciopolitano*: Vallic. A 5. *de Sciopt*. Male apud Hilarium *ab Achaja Ripenſi de Scio*. Hic Epiſcopus nominatur in Synodica, & Athanaſii catalogo. Verum nomen urbis nequit conſtitui, cum pleræque Daciæ Ripenſis urbes ſint ignotæ.

LXXXVII. *Veriſſimus a Gallia de Lugduno*: apud Hilar. & in Conciliis. In epiſtola Athanaſii mendoſe *Broſeus Ludonenſis Galliæ*. Ex his tribus teſtimoniis Veriſſimus in Sardicenſi Concilio interſuit; & nihilominus ab Athanaſio in prima caralogi ſerie omittitur, & initio ſecundæ deſcribitur.

LXXXVIII. *Vincentius a Campania de Capua*: apud Hilar. & in Conciliis. Synodicæ ſubſcribit *pro ceteris*: cumque in Athanaſii catalogo unus Vincentius nominetur, incertum eſſe poteſt, num hic, qui in fine ſubſcripſit *pro ceteris*, idem, an diverſus ſit ab eo, qui eodem Vincentii nomine eamdem Synodicam paullo ante ſubſignaverat.

LXXXIX. *Vitalis a Dacia Ripenſi de Aqais*: apud Hilar. & in Conciliis. Locus *ad Aquas* in Dacia memoratur in Antonini Itinerario.

XC. *Vitalis Vertarenſis Africæ* ſubſcriptus epiſtolæ Athanaſianæ. Duo Vitales recenſentur in Athanaſii catalogo: & unus inter ſubſcriptiones Synodicæ.

XCI. *Urſatius ab Italia de Brixia*: apud Hilar. in Concil. & in epiſtola Athanaſii, nec non in hujus catalogo.

XCII. *Zoſimus a Macedonia de Lignedo*: in Conciliis. Codex Vallic. A 5 *Zoſimus a Dacia de Lignedone*. Apud Hilarium vocatur *Dionyſius ab Acaaja de Lignedom*. Gelaſius Papa epiſtolam ſcripſit ad Laurentium de Lignido, qui ſuberat Theſſalonicenſi Metropolitæ. Hic idem Zoſimus in epiſtola Athanaſii ſubſcribitur ſic: *Zoſimus Lychnis Sunoſio Apuliæ*. His ultimis verbis *Sunoſio Apuliæ* Stercorii Epiſcopi ſubſcriptio Zoſimo perperam affixa fuit. Urbs autem *Lychnis*, a Livio *Lychnidus*, λυχνιδες a Stephano vocatur. In Notitia Hieroclis corrupte *Aulinidos* dicitur, & ponitur in Epiro nova. Antoninus Epiſcopus *Lychnidius* ſubſcripſit epiſtolam Epiſcoporum novæ Epiri ad Leonem Auguſtum. tom. 3. Concil. col. 1929.

XCIII. *Zoſimus Oreomargeaſis* ſubſcripſit epiſtolam Athanaſii. Corrige *Horreomargenſis*. *Horrea Margi* in Antonini Itineratio inter Viminacium & Sardicam collocatur. Apud Hieroclem in Myſia prima cum Viminacio *Ortemarcus* ponitur, ubi corrigendum *Horreomargas*.

XCIV. *Zoſimus* tertius ignoti loci Epiſcopus ſubſcriptus legitur in eadem epiſtola Athanaſii. Tres quidem Zoſimi in Athanaſiano catalogo recenſentur.

XCV. Præter hos Synodo Sardicenſi vice Julii Romani Pontificis adfuerunt ejus Legati, qui ſic ſubſcripſerunt epiſtolam Athanaſii ad Mareoticas Eccleſias: *Archidamus & Philoxenus Presbyteri, & Leo Diaconus de Roma incolumes vos optamus*. Athanaſius autem in catalogo ſtatim poſt Oſium ab Hiſpania Presbyteros tantum nominat his verbis: *Julius Romæ per Archidamum & Philoxenum Presbyteros*: omittit vero Leonem Diaconum: ſed in textu Synodicæ Sardicenſis ad Julium Papam apud S. Hilarium & duo Presbyteri, & Leo Diaconus Synodo præſentes memorantur.

Hæc ex quinque documentis nomina excerpſimus. Alia duo in iiſdem omiſſa adjicienda ſunt, nimirum Grati Carthaginienſis, & Euphratæ Agrippinenſis.

XCVI. Gratum Carthaginienſem Epiſcopum interfuiſſe Concilio Sardicenſi ſatis aperte colligitur ex Græco textu canonis ſeptimi, & multo magis ex canone quinto Concilii Carthaginienſis ſub eodem Grato. Athanaſius quidem hunc Gratum recenſet in ſecunda ſerie inter Epiſcopos Africæ, qui abſentes Sardicenſia decreta approbarunt. At ſicut idem Athanaſius Veriſſimum Lugdunenſem, qui ex ipſis ſubſcriptionibus Sardicæ fuit, & Maximinum Trevirenſem in prima ſerie omiſit, ac in ſecunda iis Gallis, qui abfuerant, præpoſuit; ita etiam de Grato idipſum efficere potuit. Quod ſi hos tres Epiſcopos in ſecunda ſerie idcirco deſcripſit, quia in ſuas provincias reduces, iterum cum Epiſcopis earumdem provinciarum, qui non fuerant in Concilio, Sardicenſia decreta approbarunt: in utraque ſerie ab eo collocari poterant, ſicut eadem, ut videtur, de cauſſa Arius Palæſtinus in utraque Athanaſiani catalogi ſerie deſcriptus legitur, in prima, quippe Concilio interſuit, in ſecunda, quippe rurſum laudata decreta cum aliis Epiſcopis Palæſtinis probavit.

XCVII. Euphratas Agrippinenſis a Concilio Sardicenſi legatus una cum Vincentio Capuano in Orientem, una cum eodem ipſi Concilio procul dubio interſuit. Vide Athanaſium Hiſt. Arian. ad Monachos.

V. Cum plerique ex his Epiſcopis tum Latini, tum Græci ex provinciis Occidentalibus fuerint; non œcumenicum, ſed Occidentale fuiſſe Sardicenſe Concilium non pauci exiſtimant. Etſi enim fateantur, hujus Concilii indictionem eo conſilio factam, ut generalis Synodus ex univerſis tum Orientis, tum Occidentis provinciis haberetur; cum tamen Orientales fere omnes Sardica receſſerint, & aliud conciliabulum coegerint Philippopoli; Sardicenſia decreta ſine his Epiſcopis Orientalibus condita, Occidentalis Synodi decreta fuiſſe & habenda eſſe opinantur. Petrus de Marca, qui huic ſententiæ calculos adjecit, S. Hilarii & Epiphanii teſtimonia obtrudit: quippe qui, ut ait, *Concilium illud Sardicenſe vocant Concilium Occidentalium*. Hinc etiam ipſi Romani & alii Latini Epiſcopi quatuor generalia Concilia tantopere inculcantes, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe, numquam vero Sardicenſe memorarunt.

Num Sardic. Synod. fuerit œcumenica. Argumenta negantium.

lib. 7. Concord. c. 3. num. 5.

VI. Cum vero certum per omnes ſit, hujus Concilii indictionem fuiſſe generalis Synodi; ſicut nihil præjudicii creat, ſi omnibus Epiſcopis ad œcumenicam Synodum convocatis, plures ad ipſum non accedant; ita nihil obeſt, ſi ex iis, qui ad locum Synodi convenerunt, aliquot ſe ſubducant, ſi præſertim perverſo & ſchiſmatico fine alio ſe conferant, ut altare contra altare erigant, atque ſchiſma conficiant. Ii enim, qui in indicta Synodo cum ſummo

Refelluntur.

mo Pontifice totius Eccleſiæ capite vel per ſe vel per Legatos præſente coeunt, atque decernunt; ſatis per ſe totam Eccleſiam & paſtorum corpus repræſentant, ac tamquam œcumenicum Concilium decernunt, judicant, ac leges & regulas condent: aliud autem Epiſcoporum corpus tamquam a Synodo totius Eccleſiæ legitime congregata & e capite ſe ſe ſeparans, non pro legitima Synodo, ſed pro conventiculo & conciliabulo habendum eſt: quod ſi detrahere poſſet auctoriteti & juri legitimæ Synodi, eſſet in poteſtate hominum perfidorum Epiſcopos, ſi qui eſſent ſuarum partium, alioſque ſollicitando & ſubducendo e ceterorum conventu, quamcumque generalem Synodum irritam reddere; ſchiſmaticoque conventiculo privilegium & jus tribueretur, quod in Eccleſia numquam obtinuit. Ita quidem etſi ab Epheſina Synodo prima ſe ſe ſepararunt quadraginta circiter Epiſcopi, & in his fere omnes Orientis; nihil tamen ea Synodus præjudicii paſſa eſt, quominus generalis haberetur. Idem igitur ſentiendum de Sardicenſi, cui Euſebianorum conciliabulum perverſo & iniquo conſilio Philippolim traductum quicquam detrahere non potuit. Hinc quidem Sardicenſe *magnum Concilium* vocatum fuit a S. Athanaſio Apologia ſecunda; & *Synodus ex toto orbe coacta*, ideſt generelis, a Liberio Papa apud eamdem Athanaſium in Hiſtoria Arianorum ad Monachos n. 37. ejuſque decreta olim a Romane Eccleſia & a pluribus Occidentalibus, nec non etiam, ut vidimus capite præcedenti, ab Orientis Epiſcopis Synodi Conſtantinopolitanæ anni 382. Nicænis addita, ac pro Nicænis ellegate fuere: quod ſatis indicat, illud Concilium œcumenicum habitum fuiſſe æque ac Nicænum. Quod ſi poſteriori ætate apud ipſos Romanos inter quatuor Concilia œcumenica relatum non fuit; id eam ob cauſſam evenit, ſive quia in Nicæno Concilio Sardicenſe eidem adnexum complectebantur, ſive potius quia Concilia recenſentes, quæ tamquam Evangelia ſuſcipienda erant, ea ſola Concilia memoranda putarunt, quæ ut ſartam tectam cuſtodirent catholicam fidem, peculiarem aliquam hæreſim condemnarunt. Ita quidem laudata eſt Nicæna Synodus, quæ Arii, Conſtantinopolitana, quæ Macedonii, Epheſina, quæ Neſtorii, & Chalcedonenſis, quæ Eutychis errorem proſcripſit. Sardicenſis autem Synodus cum in Arii reliquias ſe ſe exerens, nullam diſtinctam hæreſim protriverit, veluti Nicænæ appendix habita, diſtincte recenſenda non fuit; ut ne tamen idcirco inter œcumenicas habita non fuiſſe credatur.

Cur Sardicenſis non memorara fuerit una cum quatuor generalibus.

VII. Enimvero Juſtinianus Imperator, licet quatuor generalia Concilia multis in locis celebret; Sardicenſem nihilominus *œcumenicam Synodum* in edicto fidei appellavit. Ea vero frequentior quatuor generalium Conciliorum commendatio poſterioribus Græcis, qui in codicibus canonum generales Synodos a particularibus, ſeu topicis ſeparare cœperunt, occaſionem præbuiſſe videtur recenſendi Sardicenſem inter Synodos topicas, cum antiquiores Græci canonum codices ipſam ſtatim poſt Nicænam collocarent, ut ex Joanne Scholaſtico antecedenti capite obſervavimus. Equidem uti œcumenica non ſolum pro Occidentalibus, ſed pro Orientalibus etiam Eccleſiis ſtatuit: & ſicuti reſtitutio S. Athanaſii Alexandrini, Marcelli Ancyrani, & Aſclepii Gazenſis ab eadem Synodo decreta, & exequutioni mandata, ad Orientis Eccleſias ſpectabat, ita etiam canones, quos quidem in Conſtantinopolitana Orientali Synodo anni 382. Nicænorum nomine laudatos vidimus, non minus Occidentales, quam Orientales reſpiciebant. Hinc in MSS. editionis Priſcæ & collectionis Hadrianæ ſtatim poſt ultimum canonem hæc clauſula legiſlativam vim in totum orbem declarans legitur; *Omnis Synodus dixit: Univerſa, quæ conſtituta ſunt, catholica Eccleſia in univerſo Orbe diffuſa cuſtodiet. Et ſubſcripſerunt* &c. Hilarii & Epiphanii teſtimonia, quæ opponit Petrus de Marca, nihil officiunt. Hilarius enim in libro adverſus Conſtantium Auguſtum n. 25. ſcribens: *Damnas quoque & ſubſtantiæ nomen, quo te & Sardicenſi Synodo & Sirmienſi pium eſſe Occidentalibus mentiebaris*; non de Sardicenſi Concilio, ſed de Pſeudo-ſardicenſi loquitur, ſicut & de Sirmienſi; quæ non Occidentalium, ſed Orientalium conventicula fuerunt; idque unum ſignificare voluit, Conſtantium harum Pſeudoſynodorum exemplo damnans ſubſtantiæ nomen, pium ſe Occidentalibus prætuliſſe. S. Epiphanius vero hæreſ. 71. cap. 1. alio pariter ſenſu intelligendus eſt, qui Marcæ opinioni nihil favet. Sardicenſem enim Synodum Occidentalem, vel Occidentalium vocat, ut eam ſecernat ab Orientali Euſebianorum conventu; quatenus ille Sardicæ in urbe Occidentis, hic vero Philippopoli in Oriente congregatus fuit. Quid quod S. Epiphanius hoc loco Sardicenſem Synodum pro Sirmienſi, aut Mediolanenſi accepiſſe videtur? uti Tillemontius conjicit not. 40. in Arian. Hiſt. tom. 6.

c. 6. Concil. col. 393. b

Infr. col. 527. tom. 2. Conc. col. 680.

VIII. Dubitant nonnulli, num in ipſo Occidente Synodus Sardicenſis œcumenica habita fuerit. Moventur ea Africanorum reſiſtentia, qua Sardicenſibus canonibus ex commonitorio Zoſimi in Apiarii cauſſa productis ſe ſe oppoſuere. Qui vero hæc ingerunt, non ſolum dubitent oportet, num Sardicenſis Synodus fuerit œcumenica, verum etiam num fuerit generalis totius Occidentis; de quo tamen ambigi nequit, adeout illi ipſi, qui huic Synodo ſunt magis infenſi, hanc generalem Occidentis Synodum fateantur. In quo autem verſaretur Africanorum contentio, ut nihil exinde contra canonum Sardicenſium auctoritatem elici queat, fuſe explicavimus in Obſervationibus ad Diſſertationem V. Queſnelli part. 2. cap. 6. tom. 2. col. 958. & ſeqq.

Digitized by Google

DE ANTIQUIS
COLLECTIONIBUS & COLLECTORIBUS
CANONUM.
PARS SECUNDA.
DE ANTIQUIORIBUS COLLECTIONIBUS LATINIS,

quæ vel ſunt anteriores Dionyſio Exiguo, vel ex fontibus Dionyſio anterioribus originem ducunt.

CAPUT PRIMUM.

De primæva canonum collectione apud Latinos præſertim Romanos, quæ ſolos Nicænos canones & Sardicenſes ſimul junctos complectebatur.

§. I.

Canones, qui olim apud Latinos præſertim Romanos auctoritatem habuere, ſoli fuerunt Nicæni & Sardicenſes. Expungitur ſententia, qua alii Græci canones Nicænorum nomine laudati, aut in Nicæna Synodo confirmati dicuntur.

I. ETSI omnium Græcarum Synodorum canones, qui in Græco Codice continebantur, olim redditi ſuerint latine duabus antiquis verſionibus Iſidoriana & Priſca ante Dionyſianam pervulgatis, ut capite ſequenti dicetur; his tamen verſionibus privato ſtudio lucubratis & editis, ſoli Nicæni canones, & Sardicenſes Nicænis ſine ulla diſtinctione ſubjecti, eodemque Nicænorum nomine inſcripti, apud Latinos, præſertim Romanos, publicam auctoritatem habuerunt. Solos quidem canones Nicænos (quo titulo comprehendebantur, ut §. 3. oſtendemus, Sardicenſes) Romanam Eccleſiam recepiſſe, diſerte tradit Innocentius I. in epiſtola ad Theophilum Alexandrinum, ubi memoratis canonibus Nicænis addit: *Alium enim canonem Romana non admittit Eccleſia*. Et in alia epiſtola ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum num. 3. *Quod autem ad canonum obſervationem attinet, SOLIS illis parendam eſſe dicimus, qui Nicææ definiti ſunt; quos SOLOS ſectari & agnoſcere debet Eccleſia catholica.* Idipſum autem verum fuiſſe in tota Eccleſia Latina vel ex eo cognoſcitur, quod nulli alii Græcarum Synodorum canones a Latinis ſcriptoribus allegati inveniuntur ante ſextum ſæculum niſi Nicæni, & Nicænorum nomine etiam Sardicenſes: impoſſibile autem videtur alios quoque canones fuiſſe receptos, nec ullum aliquando a quopiam fuiſſe laudatum.

Romana Eccleſia quos canones recipiebat.

Quos Eccleſia Occidentalis.

II. Non deſunt, qui exiſtimant, Nicænorum canonum nomine apud Innocentium I. omnes Græcarum Synodorum canones intelligi, propterea quod omnes in codicibus canonum poſt Nicænos deſcripti, a prima Nicænæ Synodi inſcriptione *Nicæn* appellari potuerint, uti S. Gregorius Turonenſis Concilii Gangrenſis canonem quartum decimum veluti Nicænum laudavit. *Ego*, inquit, *accedens ad Monaſterium canonum Nicænorum decreta relegi, in quibus continetur, quia ſi quæ reliquerit virum, & torum, in quo bene vixerit, ſpreverit* &c. Sed hic peculiaris lapſus auctoris multo poſterioris ævi traduci nequit ad Innocentium I. cum præſertim is non aliquem cujuſpiam Synodi canonem allegarit, ſed generalem propoſitionem conſtituerit, ſolos Nicænos canones a Romana Eccleſia recipi, ſoloſque ſectandos & agnoſcendos ab Eccleſia catholica. Forte Gregorius Turonenſis Gangrenſem canonem

Non omnes canones Græci Nicænorum nomina laudati.

lib. 9. c. 33.

Gregor.

A ſumſit ex aliqua poſteriori collectione ſeu abbreviatione canonum, in qua diverſorum Conciliorum decreta ſine proprio intermedio titulo deſcripta erant, uti in cod. 59. Capituli Veronenſis ſub hac generali inſcriptione initio præfixa: *Ex Concilio Nicæno, vel aliis Conciliis*.

Turon. allegatio unde.

III. Alii aliam rationem ineuntes contendunt, idcirco aliarum Synodorum canones pro Nicænis habitos & laudatos ab Innocentio, quia in Nicæna Synodo confirmati fuerunt. Id manifeſtum eſſe ajunt de canonibus trium antiquiorum Synodorum Ancyranæ, Neocæſarienſis, atque Gangrenſis, quos B in Nicæno Concilio lectos & confirmatos, ex interlocutione Oſii antiquiſſimæ collectioni Corbejenſi inſerta collegit P. Couſtantius in præfatione ad tom. 1. epiſtolarum Romanorum Pontificum pag. LXI. qui poſtea de recitatis Innocentii I. teſtimoniis loquens, ſubdit pag. LXVI. *Quid obſtat quo minus Nicææ definiti dicantur canones, qui Nicææ lecti confirmatique, & in ſynodicis actis recenſiti ſunt? Quid cauſſæ eſt, cur Nicænos canones eoſque ſolos ſectari non cenſeatur is, qui eos ſectatur unos, quos Nicæni Patres ſua ipſorum approbatione fecere ſuos?* C Interlocutionem vero Oſii, cui hæc Couſtantii ſententia innititur, ſuppoſititiam nulliuſque auctoritatis eſſe oſtendimus part. 1. c. 4. §. 1. ubi etiam Gangrenſem Synodum nedum Nicæno, ſed Sardicenſi etiam Concilio poſteriorem probavimus. Romanam profecto Eccleſiam Ancyranos canones non recepiſſe vel ex eo manifeſtum eſt, quod nonnulla ſuæ diſciplinæ contraria contineant. Neque vero hæc auctore Oſio reformata & Occidentali diſciplinæ accommodata præferantur. Etenim non omnes canones, qui Occidentali adverſantur diſciplinæ, inveniuntur correcti; ii vero, qui fuerunt emendati, D ejuſmodi ſunt in ſolis collectionibus Corbejenſi, & Queſnelliana hoc tomo impreſſa, quæ fuerunt, ut videbimus, Gallicanæ, non autem Romanæ: in aliis vero collectionibus Italicis, quæ Romanis uſui eſſe potuerunt, ſine ulla emendatione reperiuntur. Adde quod hæ emendationes non fuerunt inductæ in Græcum textum, qui in hanc ſententiam lectus fuiſſet in Concilio Nicæno, ſed in verſionem antiquam Iſidorianam, uti vocant, quæ in memoratis collectionibus Queſnelliana & Corbejenſi recepta eſt. Cum vero alia antiquiora, & puriora ejuſdem interpretationis exemplaria ejuſmodi emendationibus ca-

Vide part. 4. c. 4. n. 11. Anteriores canones Græci num lecti in Nicæna Synodo.

Romana Eccleſia non recepit Ancyranos.

careant; palam fit has emendatinnes poſterioritempore induƈtas, Oſio tribui non poſſe. Niſi ergo aliis documentis, quæ nondum produƈta ſunt, nec, ut credimus, unquam proferentur, demonſtretur, aliquem vel Ancyranum, vel Neocæſarienſem, vel Gangrenſem canonem a ſummis Pontificibus, aliiſque Latinis Patribus fuiſſe allegatum ante ſæculum ſextum; hos canones Nicænorum nomine ab Innocentio I. fuiſſe comprehenſos, & apud Latinos auƈtoritatem obtinuiſſe perſuaderi non poterit.

§. I I.

Nec Antiocheni, nec Conſtantinopolitani canones a Romana Eccleſia olim recepti. Conſtantinopolitana Synodus ejuſque ſymbolum poſt Chalcedonenſe Concilium a Latinis celebrata; nec tamen eadem Synodus habita fuit ut œcumenica niſi aliquanto poſt, nec canones ejus recepti uſque ad S. Gregorium Magnum, ſed ſolum ſymbolum ejus receptum. Ante Chalcedonenſe hæc Synodus ab ipſis Græcis non fuit recenſita inter Concilia œcumenica. Siricii ac Cæleſtini verba pro Græcorum canonum uſu apud Latinos objeƈta explicantur. Eorum uſus apud eoſdem induƈtus ſæculo VI.

De canonibus Antiochenis.

IV. MUlto autem minus comprehenſi, & a Latinis recepti dici queunt Antiocheni canones atque Conſtantinopolitani. Etenim Antiochenos canones S. Joanni Chryſoſtomo a ſuis hoſtibus oppoſitos Innocentius I. rejecit, ac repudiandos contendit in laudata epiſtola ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum. Quod ſi unus canon Antiochenus legitur in * Synodo Regenſi anni 439. ex Hiſpanico codice Urgellenſis Eccleſiæ adjeƈtus a Stephano Baluzio; hunc poſteriori additamento intruſum fuiſſe nihil ambigendum eſt. Primo enim in eo codice ille Antiochenus canon cum alio ignoto, teſte eodem Baluzio, ſuffeƈtus eſt in locum oƈtavi canonis, qui licet proprius ſit ejus Synodi, ut ex aliis MSS. Gallicanis liquet, ibi tamen omittitur. Secundo hoc additamentum ab eadem Synodo alienum multo clarius patebit, ſi conſiderentur codices, qui ipſam Synodum continent. Ipſam exhibent codices collectionis Hiſpanicæ, ex qua in Iſidorianam tranſivit, ac plura diverſarum collectionum Gallicanarum exemplaria. Codices collectionis Hiſpanicæ alii aliis auƈtiores ſunt, ut explicabimus part. 3. c. 4. Urgellenſe exemplum ad Hiſpanicam auƈtiorem collectionem pertinet, qualem invenimus in MS. Cardinalis Paſſionei, & in alio Vat. Palat. 575. Obſervatis autem diverſis MSS. libris collectionis Hiſpanicæ tum auƈtioribus, tum brevioribus, nec non Iſidorianis, qui ex brevioribus Hiſpanicis exemplis proficiſcuntur, perſpeximus hos omnes in Regenſi Concilio præferre tantum canones ſeptem omiſſo oƈtavo, qui veluti clauſula non neceſſaria primo collectionis Hiſpanicæ auƈtori videri potuit, & omiſſis etiam Antiocheno alioque canone ignoto, qui cum in ſolo MS. Urgellenſi legantur, ſatis ex hoc additititii dignoſcuntur. Oƈtavus vero canon ex ſolis Gallicanis diverſæ originis collectionibus prodiit; quæ tamen æque ac Hiſpanica, & Iſidoriana exempla duos illos canones in Urgellenſi codice inventos ignorant. Cum porro ubi agatur de Conciliis Galliæ, uti eſt Regenſe, collectiones Gallicanæ collectioni Hiſpanicæ & Iſidorianæ præferendæ ſint; ſi illarum auƈtoritate oƈtavus canon ab eo Concilio abjudicari nequit, multo certius ab eo ablegandi ſunt illi duo additititii canones, quos omnia tum Gallicana, tum Hiſpanica etiam auƈtiora (uno Urgellenſi excepto) & Iſidoriana exemplaria prætereunt.

* tom. 4. Concil. col. 537.

Duo canones additiſii in Synodo Regenſi.

De canonibus Conſtantinopolitanis.

V. Canones vero Conſtantinopolitani ante Chalcedonenſe Latinis fuere ignoti: & adhuc poſt hoc Concilium, etſi in collectiones Latinas traduƈti, non tamen ſtatim fuerunt recepti; adeo ut S. Gregorius ſuo quoque tempore ſcripſerit in epiſt. 34. lib. 7. *Romana Eccleſia eoſdem canones vel geſta Synodi illius* (Conſtantinopolitanæ) *hactenus non habet, nec accepit: in hoc autem eamdem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum*, nimirum Conſtantinopolitanum ſymbolum. Hic autem cum nonnulli, ac inter ceteros Queſnellus not. 4. in epiſt. 106. propugnent, Conſtantinopolitanam Synodum *ſemper inter primarias & œcumenicas fuiſſe enumeratam etiam a Pontificibus Romanis*, aliqua addere oportet, quibus tota hæc res exploratior fiet. Certe Romana Synodus anni 385. ſub Felice III. in epiſtola ad orthodoxos Conſtantinopoli & in Bithynia conſiſtentes, œcumenicas Synodos recenſens, tres tantum Nicænam, Epheſinam, & Chalcedonenſem memoravit; de Conſtantinopolitana vero ne verbum quidem. *Et ut caritas veſtra*, inquit, *poſſit agnoſcere, venerandas Synodos Nicænam, & Epheſinam priorem, atque Chalcedonenſem contra Neſtorium & Eutychetem impiiſſimum nos tenere* &c. Vide tom. 5. Concil. Venetæ editionis col. 248. Queſnellus loco laudato opponit Gelaſii decretum de libris recipiendis, vel non recipiendis, & Gregorii epiſtolam 24 nunc 25. libri 1. in quibus eadem Synodus cum aliis tribus œcumenicis æquali honore cenſetur. At genuinum decretum Gelaſii Conſtantinopolitana Synodo caret, ſicut etiam expers eſt illis verbis, *& ſi qua ſunt Concilia* &c. uti ex antiquioribus ac pluribus quoque MSS. exemplaribus probaturi ſumus c. 11. §. 5. ac propterea hoc ipſum decretum contrariam ſententiam potius ſtatuit, nimirum eam Synodum nondum Gelaſii ævo inter œcumenicas a Romana Eccleſia fuiſſe receptam neque quoad ſymbolum fidei, de quo uno in vulgato Gelaſiani decreti additamento ſermo eſt. Quod ſi S. Gregorius in epiſtola memorata eamdem Synodum inter œcumenicas refert; cum eo tantum nomine referat, quia in ea *Eunomii & Macedonii error convincitur*; unam definitionem fidei reſpicit, non vero canones, quos epiſt. 34. lib. 7. a Romana Eccleſia *hactenus* non receptos tradidit. Quod porro eidem Concilio ob definitionem & ſymbolum fidei œcumenici locum tribuis, quem Gelaſii ævo non obtinebat; id poſt Gelaſii ætatem induƈtum evincitur. Olim quidem Conſtantinopolitanam ſymbolum una cum tomo, quo Orientales anno 378. vel 379. in Antiochena Synodo Romani Concilii definitioni adverſus Macedonianos editæ ſubſcripſerant, ad Damaſum miſſum fuit anno 382. ut liquet ex Synodica alterius Conſtantinopolitani Concilii hoc anno celebrati ad eumdem Pontificem ac ceteros Romanæ Synodi Patres direƈta, quæ apud Theodoretum legitur lib. 5. c. 9. Etſi vero tum illud ſymbolum, tum tomus Antiochenæ Synodi cum Romana antecedenti definitione concordes inventi, ab Occidentalibus fuerint approbati; non tamen idcirco pro œcumenico habitum dicendum eſt Conſtantinopolitanum Concilium anni 381. in quo ipſum ſymbolum conditum fuit; ſicut nec Antiochenum, quod tomum emiſit. Neque refert, quod eadem Synodus Conſtantinopolitana *œcumenica* vocetur in laudatis ſynodicis litteris. Hæc enim, quam S. Leo epiſt. 106. c. 5. *paucorum Epiſcoporum conſcriptionem* appellat, non alio ſenſu *œcumenica* vocari potuit, niſi eo quo Concilium ex tota Africa congregatum *plenarium*, ſeu *univerſale* appellare Auguſtino ceteriſque Africanis ſolemne fuit, ut ſcite animadvertit P. Couſtantius in epiſtolam 13. inter illas Damaſi not. 6. col. 566. Solum cum idem Conſtantinopolitanum ſymbolum in Chalcedonenſi fuerit inſertum, ſummiſque laudibus comprobatum; Romana Eccleſia, dum uti vere œcumenicum recepit Concilium Chalcedonenſe, idem ſymbolum quaſi ejus portionem aƈtis inſertam pariter recepit.

Queſnelli opinio t. 2. col. 2459.

Rejicitur.

Symbolum CP. quatenus a Latinis receptum.

VI. Quid quod ſatis probabile nobis eſt, hoc Conſtantinopolitanum Concilium apud ipſos Græcos in Synodo Chalcedonenſi celebrari cœpiſſe, cum adverſus Eutychianam hæreſim, & pro prærogativa Conſtantinopolitanæ Sedis multum conferret. Solius enim Nicæni, nuſpiam vero Conſtantinopolitani Concilii mentio ante Chalcedonenſe occurrit ſive in Epheſina Synodo, ſive apud alios Græcos Patres. Immo in Concilio generali Epheſi habito ita Nicænum ſymbolum laudatum fuit a Patribus, ut nullam aliam fidem proferri voluerint. *Statuit Sanƈta Synodus alteram fidem nemini licere proferre, aut conſcribere, aut componere præter definitam a ſanƈtis Patribus, qui in Nicæa cum ſanƈto Spiritu congregati fuerunt.* Et aƈtione prima ſolum Nicæ-

Synodus CP. a Græcis ante Chalcedonenſem non recenſita inter œcumenicas.

tom. 3. Conc. col. 1219.

num ſymbolum, non autem Conſtantinopolitanum recitatum fuit: ſolum vero in Chalcedonenſi utrumque inſertum legitur. Epheſinæ igitur Synodi tempore non ita erat celebre Concilium Conſtantinopolitanum, uti poſtea in Chalcedonenſi accidit; nec inter generalia videtur relatum: alias ſolum Nicænum ſymbolum expreſſo decreto non fuiſſet approbatum rejectis ceteris, quæcumque præter Nicænum proferrentur. Adde quod in pſeudoſynodo Epheſina Eutychis profeſſio legitur, in qua relate ad Nicænum Concilium generale *primum* illud Epheſi habitum *ſecundum Concilium* generale appellatur. *Sicut tradiderant*, inquit, *nobis fidem ſancti Patres in Nicæa convenientes*, quam ἐν Ἐφέσῳ ἐν τῇ δευτέρᾳ συνόδῳ *Epheſi in ſecunda Synodo ſancti Patres roboraverunt*. Conſtantinopolitanam igitur Synodum pro generali *ſecunda* non habuit. Ipſi quidem hæretico in Chalcedonenſi vitio datum fuit, quod Conſtantinopolitanum ſymbolum & ſynodum non reciperet; numquam tamen in eo reprehenſus, quod ſecundum locum inter generales Synodos Epheſinæ tribuerit: nec ſi Conſtantinopolitana tunc a Græcis habita univerſim fuiſſet inter œcumenicas, Eutychiani ei ſe ſe opponere auſi fuiſſent. Ne vero Eutychianorum proprium credatur, Conſtantinopolitanum Concilium inter generalia haudquaquam referre, audiatur Euſebius Dorylæenſis Eutychis accuſator, qui in Conſtantinopolitana Synodo anni 448. adverſus eumdem hæreticum congregata, ſolius Nicæni & Epheſini Concilii mentionem faciens, affirmavit, ſe *permanentem in fide ſanctorum Patrum CCCXVIII. in Nicæa congregatorum & omnibus, quæ in Epheſiorum a ſancta & magna Synodo acta ſunt*: Similiter Patres ejuſdem Synodi Conſtantinopolitanæ anni 448. act. 2. generales Synodos laudaturi, ſolas Nicænam & Epheſinam memorarunt. Quæ indicio ſunt Conſtantinopolitanum Concilium anni 381. etſi maxime contra Eutychem pugnaret, æqualis auctoritatis habitum non fuiſſe, nec inter generalia ad hoc uſque tempus fuiſſe recenſitum. Ex his ergo hoc Concilium ſolum poſt Chalcedonenſe apud ipſos Græcos celebrari ac inter generalia cœpiſſe referri non eſt improbabile.

tom. 4. Concil. col. 923.

Ib. col. 913. 914.

Ib. col. 932.

Ib. 935. e 966. & 967. a. c. d. &c.

Quid de Latinis

VII. Quod ſi id verum eſt de Græcis, nihil mirum, ſi Latini idem Concilium Conſtantinopolitanum adhuc poſt Chalcedonenſe œcumenicis non accenſuerint, nec ejus ſymbolum probarint uti ſymbolum Concilii œcumenici, niſi quatenus in generali Concilio Chalcedonenſi lectum & approbatum fuit. Hinc quidem Gelaſio in decreto de libris ſatis fuit Chalcedonenſe Concilium inter generalia referre, neque ut diſtinctam Synodum œcumenicam referendam putavit Conſtantinopolitanam, cujus ſymbolum ex ſolo Chalcedonenſi Concilio vim generalis decreti obtinuerat. At cum poſtea compoſitis turbis, quæ Acacii cauſſa fuerant excitatæ, Orientales Epiſcopi ad unitatem redeuntes, profeſſiones fidei ediderint, in quibus Synodus Conſtantinopolitana ob damnatum errorem Macedonii cum aliis tribus œcumenicis Synodis diſtincte recenſebatur; tum Romani quoque Pontifices eamdem Synodum diſtincte commemorare cœperunt inter œcumenicas; & exinde Vigilius, Pelagius, & S. Gregorius quatuor œcumenica Concilia laudare, & inter hæc Conſtantinopolitanum ob definitionem ac ſymbolum fidei.

Canones CP. a Romana Eccl. non recepti.

VIII. Quod porro de hoc ſymbolo dictum eſt, transferri non debet ad ejuſdem Synodi canones, quos nondum receptos idem S. Gregorius teſtatur. Neque pro eorumdem canonum receptione quidquam probat, quod a Baluzio producitur in Additionibus ad librum 5. Concordiæ Petri de Marca c. 21. n. 14. Macedonii nimirum & Eunomii nomina, quæ ab ipſo S. Gregorio in commendanda Synodo Conſtantinopolitana commemorantur, non referuntur, inquit, ex Symbolo, ſed ex canonibus; ac propterea ſi eorum hæreticorum nomina Romani hauſerunt ex canonibus, hos non minus quam ſymbolum ipſis cognitos & probatos colligere licet. At hæreticorum catalogo, qui canonibus Conſtantinopolitanis inſeritur, Romanos Pontifices nihil auctoritatis tribuiſſe, ex eodem Gregorio manifeſtum eſt. Eudoxium enim & Eudoxianos, licet in iiſdem canonibus raprobatos, ſe ignorare ſcripſit epiſt. 34. ad Eulogium lib. 7. quia nihil de illis invenit neque apud Philaſtrium, neque apud Auguſtinum, neque apud alios Patres: canones vero Conſtantinopolitanæ Synodi ejuſque geſta Romana Sedes nondum receperat; quibus idcirco non fidens, ab Eulogio petiit, *ut ſi quis apud Græcos probatorum Patrum de eo* (Eudoxio) *ſermonem fecit*, per litteras ſignificaret. Cum vero is reſcribens, Sanctorum Baſilii, Gregorii, & Epiphanii adverſus eum teſtimonia produxiſſet; ſanctus Pontifex horum notiſſimorum Patrum auctoritate ſibi ſatisfactum fuiſſe reſpondit epiſt. 30. lib. 8. Macedonium autem & Eunomium hæreticos Romani ex Auguſtino, ac præſertim ex confeſſione fidei a Damaſo ad Paullinum miſſa cognoverant: & exinde, non autem ex canonibus Conſtantinopolitanis eorum nomina ſuis epiſtolis inſeruere. Ex laudata porro Gregorii epiſtola 34. libri 7. illud præterea liquet, extitiſſe quidem hoc tempore apud Romanos exemplaria canonum Conſtantinopolitanorum, quos ſane ille legerat, cum ſcripſit: *Et canones quidem Conſtantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant*: at Romanam Eccleſiam nihil auctoritatis iiſdem tribuiſſe: quo ſenſu ſubdidit: *Romana autem Eccleſia eoſdem canones vel geſta Synodi illius hactenus non habet, nec accepit*. Erant nimirum noti ex collectionibus & verſionibus Latinis, quarum plura exemplaria erant vulgata; at hæ collectiones atque verſiones non erant codex publicus, eædemque privato ſtudio digeſtæ & editæ, nullam Romanæ Eccleſiæ approbationem receperant.

tametſi eſſent cogniti.

IX. Neque vero ad aſtruendum apud antiquam Eccleſiam Latinam Codicem publicum uſuque receptum, qui plurium Synodorum canones contineret, quidquam conferunt quædam Siricii ac Cæleſtini teſtimonia, ubi tradunt, nemini licere canones ignorare. Etenim Siricii verba, quæ obtruduntur ex epiſtola ad Himerium: *Canonum venerabilium ſtatuta nemini Sacerdotum ignorare ſit liberum*: æquum ſenſum ferunt, ſi intelligantur de ſolis canonibus Nicænis Sardicenſes comprehendentibus, quos quidem ſolos Romanam Eccleſiam recepiſſe Innocentius I. diſertiſſime tradidit. Cæleſtinus vero dum in epiſtola ad Epiſcopos Apuliæ & Siciliæ ſcripſit: *Nulli Sacerdotum ſuos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod poſſit Patrum regulis obviare*: canonum nomine aliquanto latius comprehendit etiam decreta Pontificum, quæ præter Nicænos & Sardicenſes canones maximam auctoritatem obtinebant. Neque novum eſt, canonum appellatione non ſolum canones Conciliorum, ſed epiſtolas etiam Pontificum Romanorum comprehendi. Joannes II. in epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem ſcribens: *Quæ vero de his canones præcipiant, ſubter adjecimus*: ſolos utique *canones* nominat; & nihilominus in ſubjectis teſtimoniis non ſolos Conciliorum canones, verum etiam capitulum ſubdit ex epiſtola Siricii ad Himerium, quam canonum vocabulo comprehenſam agnoſcimus. Sed quid ex Joanne II. probationem quærimus, ſi idem Cæleſtinus in ipſa epiſtola, quæ objicitur, decretalia Pontificum nomine canonum ſe potiſſimum reſpexiſſe manifeſtat? Poſtquam enim præcepit, *Nulli Sacerdotum ſuos liceat canones ignorare*, rationem ſtatim ſubdit, quæ ad decretalia expreſſe refertur: *Quæ enim*, inquit, *a nobis res digne ſervabitur, ſi DECRETALIUM norma conſtitutorum pro aliquorum libito .... frangatur?* Et poſt nonnulla ignorationem perſtringens addit: *Ita nihil, quæ frequentius ſunt decreta proficiunt, ut hoc, quaſi numquam DE HAC PARTE* (ideſt a Romana Sede) *ſcriptum fuerit, ignoretur*. Et iterum aliquanto poſt; *Qui JURIS NOSTRI, ideſt CANONUM gubernacula cuſtodimus*: ubi *jus noſtrum*, ſeu pontificium, *canones* vocat; ac proinde mox explicans, quinam ſint hi canones, monet, *ne quis laicum ad ordinem Clericatus admittat, & fiant fieri, unde .... ſibi cauſſas generet, quibus rotis CONSTITUTIS DECRETALIBUS FIAT*. Nemo igitur ex Siricio, vel Cæleſtino, cum canonum ignorantiam reprobant, publicum Codicem canonum cogitet, qui alios canones præter Nicænos & Sardicenſes in Latina,

Nullus fuit olim publicus Codex canonum.

Canonum nomine olim comprehenſæ etiam decretales.

tina; ac præſertim Romana Eccleſia eo tempore receptos & approbatos contineret.

Græcarum Synodorum canones a Latinis allegari cœperunt ſæculo VI.

tom. 5. Concil. col. 511.

X. Alii quidem canones Græcarum Synodorum, tametſi Latinis traditi eſſent verſionibus, antiqua Iſidoriana & Priſca; ſerius tamen ab iiſdem allegari cœperunt, nimirum ſæculo VI. Proferunt nonnulli Synodum ſextam ſub Symmacho, in quæ idem Pontifex ita loquens inducitur: *Unde & in canonibus in Gangrenſi Eccleſia apoſtolica auctoritate conditis .... ſcriptum habetur:* & duos canones ſeptimum & octavum ejuſdem Synodi recitat ex verſione Dionyſii. Mirum vero maxime accidit, doctiſſimos homines non detexiſſe, eam ſextam Synodum ſub Symmacho ſuppoſititiam eſſe, & ab Iſidoro Mercatore nono ſæculo confictam; ex qua propterea nihil in rem præſentem auctoritatis elici poteſt. Vide quæ hac de re differemus part. 3. c. 6. n. 7. Confirmatur etiam ex eo falſitas, quod ii canones apoſtolica auctoritate non ſolum recepti, ſed etiam conditi dicantur, cum in Gangrenſi Synodo nemo reſediſſet, qui apoſtolica auctoritate fungeretur. Quodſi in nonnullis poſterioris ævi codicibus inter Gangrenſes Patres inſeritur Oſius, qui Romanæ Sedis legatione potitus creditur; id errori tribuendum oſtendimus part. 5. c. 4. §. 1. Etſi vero Iſidorus hanc erroneam additionem in confingendis laudatis verbis reſpicere potuit; nihil tamen ponderis ad uſum Græcorum canonum apud Latinos initio ſexti ſæculi adſtruendum ex hoc ficticio Concilio deduci poteſt. Antiquius vero & evidens teſtimonium, quod nobis occurrit, de eorumdem canonum uſu apud Latinos eſt illud Synodi Epaunenſis anni 517. cum canone 31. pœnitentiam homicidis decernendam ſtatuit, *quam Ancyritani canones decreverunt.* Joannes II. Papa anno 534. in titulis ſubjectis epiſtolæ ad Cæſarium duos canones apoſtolicos, unum Neocæſarienſem (quem in vulgatis ſupplendum probabimus cap. 10. §. 2. n. 12.) & duos Antiochenos deſcripſit ex interpretatione Dionyſii. Neque omittendum eſt, licet non omnino evidens, Concilium Aurelianenſe I. anni 510. in cujus canone 15. *antiquorum canonum ſtatuta* ſervanda præcipiuntur, *ut omnia in Epiſcopi poteſtate conſiſtant*: quod ad duos ultimos canones Antiochenos referendum videtur. Forte hæc in Græcos canones obſervantia & uſus apud Latinos ſenſim inducti ſunt ex verſione canonum Concilii Chalcedonenſis, cujus primus canon ſtatuit: *Regulas ſanctorum Patrum per ſingula nunc uſque Concilia conſtitutas proprium robur obtinere decrevimus*: vel etiam ex integris ejuſdem Synodi geſtis eodem ſexto ſæculo latinitate donatis, in quibus Antiocheni canones præter Nicænos ex Græco canonum Codice allegati inveniuntur.

§. III.

De conjunctione canonum Nicænorum & Sardicenſium, qua hi poſtremi ſine proprio Sardicenſium nomine Nicænis ſubjecti, pro Nicænis habebantur. Diverſæ originis collectiones Latinæ hanc eorumdem canonum conjunctionem atque appellationem apud Latinos pervulgatam probant. Hinc omnis doli ac fraudis expertes cognoſcuntur Romani Pontifices, qui Sardicenſes canones Nicænorum nomine allegarunt. Similis canonum utriuſque Synodi unio fuiſſe videtur in aliquo priſco Græcorum codice.

Canones Sardic. laudari ut Nicæni.

tom. 2. Concil. col. 1253. c.

Ib. col. 1256. e

XI. Sardicenſes canones, qui in Latinorum uſum latine editi, a Latina ac præſertim Romana Eccleſia recepti fuerunt, Nicænorum nomine olim fuiſſe comprehenſos multa teſtimonia convincunt. Hinc quidem in aliquot Romanorum Pontificum documentis nonnulli canones inculcantur uti Nicæni, qui tamen non in Nicænis, ſed in Sardicenſibus reperiuntur. Celebres ſunt duo canones Sardicenſes in Zoſimi Commonitorio Nicænæ Synodo tributi his verbis: *Verba canonum in pleniorem firmitatem huic commonitorio inſeruimus. Ita enim dixerunt fratres in Concilio Nicæno, cum de Epiſcoporum appellatione decernerent. Placuit autem ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit* &c. uti in can. 7. Sardicenſi. Et poſtea: *De appellatione autem Clericorum, id eſt minoris loci, eſt ipſius Synodi certa reſponſio*: A *de qua re, quid acturi ſitis credidimus inſerendum; quod taliter dictum eſt: Oſius Epiſcopus dixit: Quod me adhuc movet* &c. ut in Sardicenſi canone 17. Similiter S. Leo epiſt. 44. c. 3. *Quam autem poſt appellationem interpoſitam* (a Flaviano) *hoc neceſſarie poſtuletur, canonum Nicææ habitorum decreta teſtantur, quæ a totius mundi ſunt Sacerdotibus conſtituta, quæque ſubter annexa ſunt.* Reſpicit canones Sardicenſes de appellationibus, uti pluribus obſervavimus in admonitione præmiſſa epiſtolæ 43. n. 8. Neque alia ratione, dum Galla Placidia epiſt. 56. inter Leoninas ad Imperatorem Theodoſium de Legatis Romani Pontificis ad Concilium directis ſcribit: *Qui ſecundum definitiones Nicæni Concilii conſueti ſunt*: B indicare videtur canonem ſeptimum Sardicenſem, ubi de Legatis Pontificis agitur, qui ejus auctoritate in Conciliis utantur. Ante hos vero tamquam Nicæni laudati fuerunt canones Sardicenſes in canonibus Synodi Romanorum ad Gallos, quos alii Innocentio I., alii vero cum P. Couſtantio Siricio Pontifici tribuunt. Ibi enim hæc leguntur c. 5. n. 13. *Nicænum Concilium* (lege *in Nicæno Concilio*) *divino Spiritu annuente, dum fidei confeſſio tuiſſet iure firmata, etiam apoſtolicas traditiones Epiſcopi in unum congregati ad omnium notitiam pervenire voluerunt, definientes inter cetera, neque abſciſum Clericum fieri, quoniam abſciſus, & mollis non introibant in ſanctuarium Dei. Deinde poſt baptiſmi* C *gratiam, poſt indulgentiam peccatorum, cum quis ſæculi militia fuerit gloriatus, vel illum, qui purpura & faſcibus fuerit delectatus, ad Sacerdotium aliqua irruptione minime admitti juſſerunt. Meritis enim & obſervationibus legis ad iſtiuſmodi dignitatis culmen accedunt, non Simonis pecunia, vel gratia quis poterit pervenire, aut favore populari.* Primum membrum, quo exciſi arcentur a Clero, invenitur in Nicæno canone primo. Alterum vero, quo cavetur, ne quis a militia, vel foro ad Sacerdotium *irruptione aliqua* admittatur (quibus ſimilia Siricius Nicæno Concilio adſcribit in epiſt. 6. apud P. Couſtantium n. 3.) Sardicenſi canoni congruit, ipſo fatente Couſtantio, qui hanc notationem ſubjecit: *Si* D *illic aliqua irruptio id eſt quod præpropera feſtinatio, non dubitabimus hic recenſeri Sardicenſem canonem 13., quem & in Morbacenſis Monaſterii veteri codice Nicænum inſcriptum obſervavimus. In hoc quippe canone, qui Græcis decimus eſt, legimus*: „ Si forte „ aut Scholaſticus de foro, aut ex adminiſtratione „ Epiſcopus fuerit poſtulatus, ut non prius ordinetur, niſi..... per longum tempus examinata ſit „ vita, & merita fuerint comprobata. " *Simoniacæ labis corruptionem pariter notat idem Sardicenſe Concilium canone ſecundo ubi ait*: „ Cum manifeſtum ſit potuiſſe „ paucos pretio & mercede corrumpi.... ut clamarent „ in Eccleſia, & ipſum petere viderentur Epiſcopum. " Cum porro in eiſdem canonibus Syno- E di Romanorum n. 16. ab iiſdem Nicænis Patribus interdictum dicatur, ne Epiſcopi de Eccleſia ad Eccleſiam tranſeant, hac pœna tranſgreſſoribus conſtituta: *Talem Epiſcopum ..... Epiſcopatu privari juſſerunt*: hic quoque Sardicenſem canonem primum ſignificari notavit idem Couſtantius: *nam licet Nicæno canone 15. caveatur, ne quis Epiſcopus de civitate in civitatem tranſeat; nequaquam tamen jubet eadem Synodus, ut tranſlatus Epiſcopatu privetur, ſed ut propriæ Eccleſiæ reſtituatur*, in qua ordinatus eſt. *At nec laicam communionem habeat qui talis eſt, canon Sardicenſis præcipit.* Subdit deinde in eadem notatione ſimili modo hunc canonem Sardicenſem Nicæni nomine indicatum videri etiam F a S. Hieronymo epiſt. 83. ad Oceanum, ubi ſcribit: *Hoc in Nicæna Synodo a Patribus eſt decretum, ne de alia in aliam Eccleſiam Epiſcopus tranſferatur, ne virginalis pauperculæ ſocietate contempta, ditioris adulteræ quærat amplexus.* Id certe concinit cum illis laudati Sardicenſis canonis verbis: *Cum nullus in hac re inventus ſit Epiſcopus, qui de majori civitate ad minorem tranſeat.* Innocentius I. in epiſt. 3. ad Synodum Toletanam n. 9. *regulas Nicænas* in ordinationibus ſervandas recenſens, ea decreta ſubnectit, quæ partim in Nicænis, partim in Sardicenſibus canonibus reperiuntur: & in epiſt. 7. ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum n. 2.

tom. 1. col. 898.

Couſt. t. 1. Ep. Rom. Pont. col. 695. 696.

Eadem col. 695. not. e

Ib. col. 697. not. a

ſepre-

reprehenſurus adverſarios S. Joannis Chryſoſtomi, qui ei a ſua ſede pulſo & ad Synodum appellanti alium Epiſcopum ſubſtituerunt; id numquam geſtum dicit a Patribus, *ſed potius probibitum*, quod unum canonem quartum Sardicenſem reſpicere poteſt, ubi ſancitum fuit, *ut alter Epiſcopus in ejus cathedra poſt appellationem ejus, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata.* Licet vero hoc loco Nicænos Patres aut canones non appellet; cum tamen in eadem epiſtola *ſolos Nicænos* ſectandos teſtetur, hunc profecto Sardicenſem canonem pro Nicæno habuit.

Ib. col. 799.

XII. Non ignoramus nobis hac in re adverſari P. Couſtantium, qui dum not. 6. in laudatam Innocentii epiſt. 7. Queſnellum impugnat ſcribentem, Sardicenſes canones ab eodem Pontifice *habitos pro Nicænis, eorumque nomine decoratos ac veſtitos*, duo ſtatuit. I. Innocentium in iiſdem litteris Sardicenſia geſta, quæ Antiochenos canones condemnarunt, laudaſſe proprio Sardicenſis Synodi nomine; ac propterea *Sardicenſes canones*, inquit, ar *a Nicænis diſtinctos, non ut pro Nicænis habitos, eorumque nomine veſtitos ab eo receptos eſſe, non minus manifeſtum eſt*. II. Eo tantum ſenſu eumdem Pontificem ſolos Nicænos canones ſectandos præcepiſſe, *non ut rejiciantur, aut ſpernantur qui cum illis conſentiant, ſed ii qui diſſentiant*: perinde ac ſi alii etiam præter Sardicenſes, qui Nicænis non contrairent, canones ab Innocentio recepti fuerint; ac ſolummodo ob eorum cum Nicænis concordiam ſolos Nicænos receptos tradiderit. Utrobique vero vir doctiſſimus hallucinatur. Ad primum quod attinet, cum Innocentius Sardicenſis geſta, quæ Antiochenos canones reprobaſſe credebantur, laudavit ſub proprio Sardicenſium nomine; reſpexit Sardicenſem Synodicam ad Julium Pontificem, qua reſtituti traduntur S. Athanaſius aliique Epiſcopi ab Euſebianis condemnati, contra quos Antiocheni quidam canonos ab iiſdem conſtituti ferebantur, uti explicavimus part. 1. c. 4. §. 2. Quod autem valet de ſynodica epiſtola proprio Sardicenſis Synodi nomine miſſa ad Julium, & numquam Nicænæ Synodi vocabulo inſcripta; non æque valet de canonibus Sardicenſibus, quos quidem non proprio ejuſdem Synodi, ſed Nicænorum nomine ab aliis Pontificibus & ab ipſo etiam Innocentio epiſt. 3. ad Toletanum Concilium allegatos vidimus, eodemque nomine in vetuſtiſſimis exemplaribus inſcriptos poſt pauca probaturi ſumus. Quantum ad alterum, ipſa Innocentii formula: *Solis illis* (canonibus) *parendum eſſe dimimus, qui Nicææ definiti ſunt*; & alia ſimilis in epiſt. ad Theophilum: *Alium canonem* (præter Nicænum) *Romana non admittit Eccleſia*: ita ſolos Nicænos canones reſpiciunt, ut quamquam commode comprehendant alios Nicæni Concilii nomine inſcriptos, ad alios tamen alio proprio nomine nuncupatos, etſi concinentes cum Nicænis, non niſi per ſummam vim, & contra obvium verborum ſenſum diſtorqueri poſſint. Niſi antea probetur, Innocentium alios quoſpiam canones allegaſſe, & laudaſſe nomine proprio, quod nondum probatum eſt; hæc interpretatio & extenſio nimis violenta perſuaderi nemini poterit: ac propterea concludendum erit, Innocentium, cum Sardicenſes canones adhibuit, eos non minus quam Zoſimum & Leonem Nicænorum nomine fuiſſe complexum, ac pro Nicænis vere habuiſſe, uti ſane *Nicænis regulis* laudatis in epiſtola ad Synodum Toletanam eoſdem comprehendit. Hinc idem P. Couſtantius not. K in epiſt. 5. Damaſi confeſſus fuerat: *Sardicenſes canones pro Nicænis Innocentius habebat.*

Innocentii I. locus explicatus.

Ib. col. 510.

XIII. Hæc ratio allegandi canones Sardicenſes nomine Nicænorum apud nonnullos in fraudis ſuſpicionem venit, ac ſi Romani Pontifices Sardicenſibus canonibus, qui Romanæ Sedis prærogativam in appellationibus diſerte aſſerunt, venerabili apud omnes Nicænæ Synodi nomine auctoritatem quærerent. Ejuſmodi criminationem animoſius ſtruxerunt Centuriatores adverſus Zoſimum, quaſi *per immane ſcelus & impietatem ac furioſam ambitionem* eoſdem canones pro Nicænis venditaverit in cauſſa Apiarii: *in qua nefaria decretorum Nicænorum adulteratione*, inquiunt, *pervicaciter perſtiterit Bonifacius, ac pertinaciter perſeveraverit Cæleſtinus, licet Africanam Synodum veriora exemplaria Nicænorum canonum Conſtantinopoli & Alexandria accepiſſa, ac ſceleratam fraudem falſatorum canonum detectam eſſe probe ſciret.* Hanc vero fraudis ſuſpicionem nonnulli avertendam curarunt ea conjectura, quod forte Sardicenſes canones ab iiſdem fere Patribus conditi duce Oſio, qui Nicænos conſtituerant, in codicibus, quibus Romani Pontifices utebantur, tamquam Nicænorum appendix ita ſubjecti eſſent Nicænis, & cum Nicænis juncti ſine diſtinctione ulla, ut pro Nicænis vere haberentur. Ita Cardinales Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. c. 25. & Baronius ad an. 347., & alii. Hanc quidem excuſationem ſatis æquam cenſuit Petrus de Marca, ſi quo codice probari poſſet: unde ſcripſit lib. 7. Concordiæ c. 16. n. 1. *Nitri id ex eo profectum ajunt, quod ea tempeſtate canones Nicæni & Sardicenſes in eodem volumine deſcripti eſſent nullo diſcrimine adhibito ſub titulo canonum Nicænorum. Probabilis quidem conjectura, ſi veteris codicis auctoritate niteretur, qui nondum emerſit e tenebris.* Ad hæc in margine notavit Baluzius: *Hic adnotandum eſt tum Marcæ ignotum fuiſſe codicem Chriſtophori Juſtelli, cum hic liber ſeptimus ſcriptus eſt.* Reſpicit his verbis Baluzius ea, quæ Petrus de Marca poſtea ſcripſit in Diſſert. 2. de veteribus collectionibus canonum, Opuſculis ejus inſerta, ubi de vetuſtiſſima Chriſtophori Juſtelli MSS. collectione canonum cap. 1. n. 3. ait: *In ea collectione hoc erat lemma*: Canones Nicæni. *Deinde ſequebatur ſeries quadraginta canonum numeris ſuis diſtinctorum; quorum priores viginti erant veri & genuini canones Nicænæ Synodi; reliqui autem viginti continebant canones unum & viginti Concilii Sardicenſis, duobus capitibus in unum compactis, nulla interim mentione facta hujus Concilii Sardicenſis. Non dubitandum, quin ſtatim poſt editionem adjecti fuerint canones illi Sardicenſes priori collectioni* (Nicænorum) *conſequentibus numeris ſub antiquo titulo.* Et poſt pauca n. 4. addit: *Quare Innocentius, Zoſimus, & Leo alieni ſunt ab omni dolo in proferendis canonibus Sardicenſibus, ac ſi ad Nicænam Synodum pertinerent, cum auctoritate ſcriniorum ſuorum & veteris collectionis freti eſſent.*

Romani Pontifices a frauda vindicantur.

XIV. Neque vero deſunt alii plures & pervetuſti, ac diverſarum quidem collectionum atque regionum codices, qui dum eamdem Sardicenſium cum Nicænis conjunctionem inſcriptionemque in Occidente latius pervulgatam probant, tum vero eorumdem Romanorum Pontificum bonam fidem multo evidentius demonſtrant. Olim Alanus Copus in primo dialogo adverſus Novatores edito ann. 1573. codicem Attrebatenſem allegavit, in quo canones XLVII. Nicæni recenſebantur, duorumque canonum XXX. & XXXIV. titulos protulit, ex quibus Sardicenſes Nicænis additi cognoſci poterant. Sed ita obſcure hac de re loquutus eſt, ut nemo id quod vere erat animadverterit. Primus, qui hujuſmodi collectionem detexit & produxit in lucem, fuit Paſchaſius Queſnellus, qui Sardicenſes canones cum Nicænis copulatos in duobus MSS. Thuaneo & Oxonienſi invenit, atque præfixos antiquiſſimæ collectioni, quam Romanæ Eccleſiæ Codicem credidit. Alia ſubinde non tam ejuſdem, quam aliarum collectionum exemplaria detecta ſunt, in quibus utrique canones continua numerorum ſerie copulati, Nicænorum titulum præferunt. Ad collectionem a Queſnello editam & a nobis hoc tomo recuſam pertinent præter Thuaneum exemplar & Oxonienſe alia duo Bellovacenſia, & Pithœanum laudata a Petro Pithœo in ſynopſi hiſtorica de collectoribus canonum, Attrebatenſe S. Vedaſti ab Alano Copo adhibitum, Ubertinum memoratum a P. Couſtantio, & duo bibliothecæ Cæſareæ Vindebonenſis XXXIX. & XLI. quæ nobis uſui fuerunt. Idem P. Couſtantius not. d in epiſtolam 15. Zoſimi pervetuſtum alius collectionis codicem memorat olim Foſſatenſem, nunc autem Colbertinum, in quo iidem Sardicenſes canones cum Nicænis juncti, Nicænorum nomine inſcribuntur. In præfatione vero num. 77. pag. LXXI. laudat aliam collectionem

Codices, qui canones Sardicenſes cum Nicænis jungunt.

nem

nem contentam in alio vetuſtiſſimo Colbertino MS. cod. 1868. *qui Sardicenſes habet canones tam ea notatos inſcriptione* Canon Nicænus (*adjecit deinde antiquarius ſecundis curis* ſive Sardicenſis) qui in Græco non habetur , *tum ea clauſula terminatos* : Expliciunt Statuta Nicænæ fidei Metropolitani Bytiniæ Paullino & Juliano Conſul. (*hoc eſt anno 325.*) XIII. Kal. Jul. Huc autem codicem Gallicanæ Eccleſiæ uſui fuiſſe teſtatur.

XV. Tres alias præſtantiſſimas collectiones invenimus, quæ in eamdem rationem utriuſque Synodi canones tamquam Nicænos præferunt. Prima eſt in MS. Vat. Reginæ 1997. Hæc collectio, quam omnium vetuſtiſſimam ac Italicam eſſe cap. 4. oſtendemus, Nicænis canonibus, quos ex antiquiſſima & hactenus ignota atque hoc tomo edenda Latina interpretatione exhibet, Sardicenſes ſubjicit ſine diſtinctione ulla, ac utroſque diſtribuit in capita 46. omiſſo in Nicænis canone de non flectendo genu diebus dominicis atque paſchalibus. Hic autem titolus præfigitur: *Incipit capitula Nicæni Concilii*: poſt canonem vero quadrageſimum ſextum, qui eſt ultimus Sardicenſis, hæc clauſula legitur: *Explicit decreta Concilii*: & mox ſubduntur ſubſcriptiones, & catalogus Patrum Nicænorum. Altera collectio exſtat in MS. Veronenſis Capituli 58. Verſionem Græcorum canonum Iſidorianam continet. Nicænos canones ejuſdem verſionis cum Sardicenſibus jungit ſub titulo: *Incipiunt canones Eccleſiæ, ſeu Statuta Concilii Nicæni*. Sardicenſibus autem, qui ſine ulla diſtinctione Nicænis ſubjiciuntur, hæc clauſula additur: *Finiunt decreta Concilii Nicæni*. Dein Nicænum ſymbolum cum Patrum Nicænorum catalogo deſcribitur. Tertia collectio invenitur in MS. codice Palat. 574. quem deteximus omnino ſimilem MS. Morbacenſi laudato a P. Couſtantio in præfatione ad epiſt. Rom. Pontif. n. 77. Continet puram Gallicanam canonum collectionem: nam præter Nicænos & Sardicenſes canones copulatos & aliquot apoſtolicas conſtitutiones ſolæ Synodi Gallicanæ in iiſdem MSS. deſcriptæ ſunt. Canones Nicænos exhibet ex abbreviatione Rufini, deinde integrum Sardicenſem canonem 13. cum hac inſcriptione, quæ eum ex antiquiori collectione excerptum indicat, ubi Sardicenſes Nicænis ſubjecti, pro Nicænis habebantur: *Incipit capitulum de ſupraſcriptis canonibus, ideſt Nicænis CCCXVIII. Epiſcoporum. Oſius Epiſcopus dixit: Et hoc neceſſarium arbitror, ut diligentiſſime tractetis, ſi forte aut dives, aut ſcholaſticus de foro*, & cetera ejuſdem canonis verba. Confer etiam, quæ notabimus in alium codicem 59. Capituli Veronenſis part. 4. c. 4. n. 11.

Eadem unio ex aliis poſterioribus collectionibus confirmata.

XVI. In MS. Sangermanenſi, quem P. Couſtantius loco indicato commemorat, exſtat compilatio ex Conciliorum, Romanorum Pontificum, Patrumque decretis conflata, & apud Hibernos compoſita, in qua cum Sardicenſes canones Nicænorum nomen conſtanter ferant, ex aliqua collectione apud Hibernos uſitata proficiſcitur, quæ Nicænos & Sardicenſes canones conjungebat. Jacobus Petit poſt Theodori Cantuarienſis Pœnitentiale edidit partem non exiguam collectionis Herovallianæ, de qua dicemus plura part. 4. c. 7. In hac autem, quæ Gallicana eſt ſæculo VIII. lucubrata, Sardicenſes canones nomine Nicænorum laudantur. Codex ergo vetuſtior, ex quo eoſdem canones hic compilator exſcripſit, eamdem inſcriptionem Sardicenſibus præfigebat. Aliquot præterea adnotationes in nonnullis collectionibus inveniuntur, quæ Sardicenſes canones veluti Nicænos indicant. P. Harduinus Dionyſianæ, uti appellat, collectionis codicem memorat annorum amplius 800. exiſtentem in bibliotheca Collegii Pariſienſis Societatis Jeſu, qui Sardicenſibus canonibus hanc epigraphem apponit: *Canon Nicænus ſeu Sardicenſis, quia in Græco non habetur*. Eſt omnino eadem ac in cod. Colbertino 1868. quem ex P. Couſtantio paullo ante laudavimus. Alium item codicem ille allegat collectionis Iſidorianæ in eadem bibliotheca Societatis Jeſu cuſtoditum, in quo iiſdem canonibus hic titulus eſt: *Incipiunt tituli Concilii Nicæni numero XX. Epiſcoporum, qui in Græco non habentur, ſed in Latino eſſe inveniuntur tantummodo*. Qui ejuſmodi titulum Sardicenſibus præfixere, hos profecto canones Nicæno Concilio idcirco tribuerunt, quia eos in aliis antiquioribus exemplis Nicænis canonibus ſubjectos, eodemque Nicænorum nomine inſcriptos reperere. In tabula Conciliorum præmiſſa laudato codici Herrovalliano apud Petit pag. 265. legitur: *Canones Nicæni Epiſcoporum XX. Hic canon apud Græcos non habetur, & a quibuſdam Sardicenſis vocatur*. Hoc titulo ejus tabulæ & collectionis Herrovallianæ auctor canones Sardicenſes *Nicænos* vocat, ut etiam in ipſa collectione inſcripſit, eo quia in codicibus canonum Gallicanis, quibus utebatur, eos cum Nicænis junctos, & eodem nomine prænotatos videns, Nicænos vere eſſe credidit. Cum autem in aliis codicibus Græcarum Synodorum verſionem exhibentibus, cujuſmodi erant codices Dionyſii, eos ſeparatos a Nicænis, Sardicenſium titulo prænotari deprehendiſſet, ipſos *apud Græcos*, ideſt in verſionibus Nicænorum ex Græco, *non haberi, & a quibuſdam Sardicenſes vocari* affirmavit.

tom. 2. Conc. col. 674. not. 1.

Ibi col. 679. not. 1.

Comprobata ex Codice Dionyſii.

XVII. Dionyſii editio a Juſtello vulgata poſt canones Sardicenſes hanc ſubſcriptionis formulam appendit: *Subſcripſerunt autem omnes Epiſcopi ſic. Ego ille Epiſcopus illius civitatis & provinciæ illius ITA CREDO, ſicut ſcriptum eſt ſupra*. Similis formula legitur etiam in editione Conciliorum tom. 2. col. 680. Neque vero credatur, hæc formula, quæ deeſt in MSS. collectionis Dionyſio-Hadrianæ, appoſita non fuiſſe ab eodem Dionyſio. Nam totidem verbis deſcribitur in duobus MSS. codicibus, qui puram Dionyſii collectionem repræſentant, nimirum in Vat. 5845. & in Vat. Palat. 577. qui poſtremus, ut dicetur part. 3. c. 1. primum Dionyſii fetum quantum ad ſolam canonum collectionem refert. In MSS. autem collectionis Dionyſio-Hadrianæ idcirco ea formula a Dionyſio appoſita ſublata fuit, quia ſubſcriptiones Sardicenſium Patrum ex alio fonte ſumtæ, ſubſtitutæ fuerunt, quæ Dionyſio tribui non debent, ut patebit ex dictis part. 1. c. 7. n. 1. Porro ea formula, *Ego ille Epiſcopus illius civitatis, & provinciæ illius*, hominem indicat, qui poſt Sardicenſes canones Epiſcopos cum urbium & provinciarum nominibus deſcriptos reperit, ut in ſubſcriptionibus & catalogo Patrum Nicænorum contingit: & ne omnium nomina cogeretur exſcribere, unam generalem ſubſcriptionis formulam composuit. Verbum autem *credo* eidem formulæ inſertum, Nicænorum canonum, qui ſymbolum additum habent, proprium eſt, nec ſolis Sardicenſibus, qui nihil de fide ſtatuunt, competere poteſt, niſi quatenus ſubjiciantur, & adnectantur canonibus ſymboloque Nicæno, ut in MS. Vat. Reginæ 1997. videre licuit, in quo Sardicenſibus cum Nicænis canonibus & ſymbolo ſimul conjunctis, ſubſcriptiones & catalogus Patrum Nicænorum poſt ultimum canonem Sardicenſem ſic proponuntur: *Oſius Epiſcopus civitatis Cordubenſis SIC CREDO. Victor & Vincentius Presbyteri urbis Romæ pro venerabili viro Papa Epiſcopo noſtro ſubſcripſimus ITA CREDENTES SICUT SUPRA SCRIPTUM EST*, &c. Dionyſius itaque ejus formulæ adnotator, qui Sardicenſes canones non ex Græco reddidit, ſed ex Latinis exemplaribus Romæ vulgatis inſeruit, aliquo exemplo uſus eſt, in quo vel Sardicenſes cum Nicænis juncti, ſubſcriptiones Nicænorum proprias recipiebant, vel, ſi ſeparati erant a Nicænis, ut videtur probabilius, jamdiu excerpti fuerant ab antiquiori aliquo codice, in quo cum iiſdem Nicænis Romano more copulabantur.

XVIII. Auctor quoque carminum, quæ huic paragrapho ex codice 55. Capituli Veronenſis ſubjiciemus, aliquod ſimile exemplar perſpexiſſe videtur. Hic enim auctor, dum Nicænam Synodum ſub *Julio* Pontifice habitam ſcripſit, cum ejuſmodi ſententiam ſumere non potuerit ex Sozomeno nondum latine reddito, ex quo eam receperunt Beda atque Freculphus; non alia de cauſſa id per ſe ſe ſcripſiſſe intelligi poteſt, niſi quia in aliquo canonum codice una cum Nicænis copulatos & Nicænorum nomine inſcriptos invenit Sardicenſes, in quibus Julius Papa nominatur. Idem argumentum non urgemus ex Sozomeno, quippe quod mendoſa unius Græcæ vocis lectione ejus textum corruptum

Beda de Tempor. tom. 2. p. 116. Freculph. Chron. c. ult. tom. 14. Bibl. PP.

Ro-

tom. 2. Conc. col. 114. e Breviar. n. 214.

Romani Conciliorum editores non improbabiliter judicant. Neque prætermittenda eſt peculiaris animadverſio in Ferrandum Diaconum. Is in Breviario ultimum canonem Nicænum de non flectendo genu uti primum Sardicenſem allegat; primum vero Sardicenſem uti ſecundum, ſecundum uti tertium, & ſic deinceps. Quid ita? Nonne palam indicatur, canones Nicænos & Sardicenſes in aliquo vetuſto codice, qui fortaſſis verſionem Iſidorianam continebat, (Iſidoriana enim verſione Ferrandus uſus eſt) colligatos fuiſſe: qui cum poſtea vel ab ipſo Ferrando, vel ab alio aliquo ſeparati fuere, per errorem ultimus Nicænus canon Sardicenſibus attributus fuit? Hæc itaque Ferrandi erronea diviſio vetuſtiorem eorumdem canonum conjunctionem confirmat.

Quam pervulgata olim unio Sardicenſium cum Nicænis.

XIX. Hæc tam diverſa diverſarum collectionum regionumque exemplaria Sardicenſium canonum unionem cum Nicænis apud Latinos & antiquam, & longe lateque pervulgatam probant; ita ut ſolius Romanæ Eccleſiæ propria non fuerit. Nulla ex his verſionibus canonum Nicænorum, quibus Sardicenſes adnexos reperimus, illa eſt, quam antiqui Romani Pontifices adhibuere, uti capita ſequenti palam fiet: ac propterea vera collectio Romana, quæ Nicænos & Sardicenſes canones pari ratione copulabat, ad nos non pervenit: omneſque laudatæ collectiones, quæ Nicænos & Sardicenſes canones jungunt, ad alias Eccleſias Latinas pertinent. Codex Vat. Reginæ 1997. ſpectavit ad Eccleſiam Theatinam. Codex Capituli Veron. 58. qui Iſidorianam verſionem Nicænorum cum Sardicenſibus jungit, hanc conjunctionem receptam probat in quibuſdam ſaltem locis, in quibus Iſidoriana verſio recepta fuerat. Immo hoc vetuſtiſſimum exemplum indicare videtur, Iſidorianam verſionem vetuſtiori tempore Sardicenſes unitos recepiſſe cum ſubſcriptionibus & catalogo Patrum Nicænorum, & poſteriori tantum tempore, cum Sardicenſes ab ea verſione ſeparati fuere, pro ſubſcriptionibus Nicænis eas Patrum Sardicenſium ſubſcriptiones fuiſſe ſuppoſitas ex Sardicenſi Synodica ad Julium, quæ in vulgato Iſidoriano textu leguntur. Collectio Queſnelliana, quæ Nicænorum canonum verſionem in radice Iſidorianam, at cum diviſione laudati codicis Vat. Reginæ, & cum fere omnibus ejus titulis, nec non cum eadem lectione Nicæni canonis de primatu Romanæ Eccleſiæ repræſentat, in Galliis lucubrata fuit, ut ſuo loco probabimus: ac proinde ipſius collectionis auctor Nicænos canones cum Sardicenſibus junctos in Gallicanis codicibus nactus eſt. Codex quidem Vat. Palat. 574. & ſimilis Morbacenſis ad Gallicanam Eccleſiam ſpectabant, nec non collectiones Foſſatenſis, & Herouvalliana, ex quibus eamdem unionem confirmavimus. Idem apud Hibernos receptum probat collectio, quam in Sangermanenſi codice Couſtantius laudavit. Si antiqui aliarum Eccleſiarum ſupereſſent codices, idipſum, ut opinamur, de aliis quoque Latinis Eccleſiis pateret. Interim vero tot antiqua teſtimonia cum conjunctionem laudatorum canonum antiquiſſimam, & apud Latinos fere ubique receptam declarant; tum vero ab omni fraudis ſuſpicione eximunt antiquos Romanos Pontifices, cum ex MSS. in Latina Eccleſia pervulgatis Sardicenſes canones uti Nicænos allegarunt.

Quidam etiam vetuſti Græci codices eamdem unionem præferebant.

XX. Quid quod aliquos etiam Græcos codices apud ipſam Orientalem Eccleſiam exſtitiſſe, qui Sardicenſes pari modo tamquam Nicænos præferrent, ſatis colligere licet ex eo teſtimonio Synodi Conſtantinopolitanæ anni 382. quod part. 1. cap. 6. n. 14. recitavimus, & P. Harduini, atque P. Couſtantii verbis expoſuimus. Confer quæ ibidem ſcripſimus: neque enim ſemel dicta repetere vacat. Hoc certe Orientalium exemplum & ad antiquitatem conjunctionis eorumdem canonum declarandam, & ad vindicandam Romanorum Pontificum conſuetudinem, omnemque doli ſuſpicionem removendam non minimum confert. Addemus hic aliud ex Theodoro Prodromo ſeniore, qui Photio anterior, ac inter Græcos canonum interpretes omnium antiquiſſimus, a Niceta Paphlagone, ab Ariſteno, Balſamone, Harmenopulo, Blaſtare, Nicephoro Blemida, aliiſque Græcis ſummis laudibus commendatur. Confer, ſi libet, Fabricium Biblioth. Græcæ tom. XI. lib. 6. c. 1. n. 16. Hujus Theodori opus ineditum περὶ ἑρμηνείας *de interpretatione canonum* ante nongentos annos ſcriptum evolvit, ac ex eodem fuſiora teſtimonia identidem recitat Nicolaus Comnenus Papadopolus in Prænotionibus myſtagogicis, ac de eodem teſtatur in reſponſ. 6. §. 6. n. 14. pag. 364. *Prodromus Sardicenſes canones ſub Nicæni titulo recenſet, quaſi una & eadem ſit Synodus Nicæna & Sardicenſis.* Quæ verba indicare videntur, Theodorum Prodromum Sardicenſes canones uti Nicænos retuliſſe, quemadmodum Conſtantinopolitani Concilii Patres olim fecerunt. Quod ſi ita eſt, exſtabat ergo inter Græcos Theodori quoque tempore, ideſt ante Photii ſchiſma, codex aliquis Græcus, in quo Sardicenſes canones Nicænis adnexi, Nicænorum titulo prænotabantur, ut in pluribus Latinis codicibus deprehendimus.

Objectum ex Africanis dilutum.

XXI. Mirum nonnullis videtur, quod poſt illud diſſidium inter Zoſimum & Africanos, quo detegi debuit Sardicenſes canones non eſſe Nicænos, S. Leo adhuc eoſdem Nicænorum titulo allegarit & ingeſſerit in epiſt. 44. ad Theodoſium Auguſtum cap. ultimo. At Africani id tantum eviciſſe videntur, canones allegatos in commonitorio Zoſimi non fuiſſe inventos inter Nicænos in iis exemplaribus Latinis ac Græcis, quæ in Africa, Alexandriæ, Antiochiæ, & Conſtantinopoli hac occaſione fuerunt conſulta, immo nec in ulla alia Patrum Synodo; cum aliarum quoque Synodorum codices contuliſſent, ut iidem in epiſtola ad Cæleſtinum ſcripſere. Sicut autem in excludendis iiſdem canonibus etiam ab omni alia Synodo, quæ vel Sardicenſis vocaretur, Africanos penuria codicum laboraſſe, vel minus diligentes fuiſſe in ſynodicis codicibus evolvendis manifeſtum eſt; ita nil mirum eſſe debet, ſi Romani antiquis ſuæ aliarumque Eccleſiarum exemplaribus fulti, quibus iidem canones uti Nicæni præferebantur, ab inolita conſuetudine allegandi eoſdem canones tamquam Nicænos haud recedendum putarunt. Hinc cum S. Leonis ævo antiqua formula & conſuetudo tot codicibus probata obtineret; eamdem citra ullam falſi ſuſpicionem adhibuit ad eum Imperatorem ſcribens, quem ementita allegatione cum non levi periculo fallere non intererat. Adeo vero bona fides Latinorum hujus & anterioris ætatis in allegandis canonibus Sardicenſibus nomine Nicænorum nobis videtur explorata, ut exiſtimemus, eos tunc ignoraſſe omnino eoſdem canones conditos fuiſſe in Sardicenſi Concilio, ac in Nicæno conſtitutos crediddiſſe. Cum enim ab Africanis tam gravis mota eſſet de iiſdem canonibus quæſtio adverſus Romanos, qui in negotio Apiarii eos uti Nicænos attulerant; ſi aliquo ex codice cognoviſſent, ipſos in Sardicenſi fuiſſe ſancitos, facilis ratio patuiſſet, componendi ejus diſſidii, docendo Africanos verum Concilium, quod ipſos canones conſtituerat. Nec dubitari poterat, Africanos rejecturos hoc Concilium, cui majores ſui auctoritatem adjecerant; cum præſertim ſe ſe paratos indicaſſent ad eoſdem canones recipiendos, ſi quo in Concilio catholicorum Patrum conditos reperiſſent. Vide hac de re Obſervationes in Diſſert. V. Queſnelli part. 1. c. 6. n. 20. tom. 2. col. 955. Ea igitur de cauſſa hanc viam ſatis obviam Romani Pontifices non inierunt, quia ejuſmodi canones ſolo Nicænorum nomine ex MSS. exemplaribus cognitos, in Sardicenſi editos plane ignorabant.

XXII. Nunc in eos verſus, quos huic paragrapho ſubjiciendos recepimus, pauca præmittenda ſunt. Ii nobis conſervati in antiquiſſimo MS. Veron. 55. ſpeciem quamdam exhibent nuncupatoriæ epiſtolæ, qua liber fortaſſis alicujus antiquæ collectionis canonum Dalmatiano Cæſari ab auctore anonymo oblatus fuit. Cum caracter horum verſuum ſit diverſus a caractere totius codicis; hæc nuncupatoria ad collectionem hujus codicis non pertinet, ſed ex alio ignoto exemplo huc traducta fuit. Marchio Scipio Maffejus, qui quatuor primos verſus tantummodo edidit in Appendice Hiſtoriæ Theologicæ pag. 77. cenſuit Dalmatianum Cæſarem eſſe Dalmatium alterius Dalmatii filium, & Conſtantini nepotem,

qui

Digitized by Google

qui anno 335. Cæſar fuit renuntiatus. Sed cum in verſibus ſubſequentibus Chalcedonenſis Synodus memoretur; alius valde poſterior Cæſar quærendus eſt. Nullum vero *Dalmatianum* appellatum nacti, id ſolum ſuſpicamur, hoc nomine intelligi Julium Nepotem Imperatorem, qui fortaſſis Dalmatianus dictus fuit, quia natione Dalmata, anno 475. Ravenna excedens, in Dalmatiam ſe ſe recepit, ibidemque obiit anno 480. Hujus quidem ætas poſt Chalcedonenſe Concilium congruit. Alii hujus circiter temporis Cæſares, qui mox penitus deſiere, nihil habent, quod cum Dalmatiani appellatione conveniat. De poſteriori autem ætate cogitandum non eſt, cum auctor tres ſolas œcumenicas Synodus Nicænam, Epheſinam, & Chalcedonenſem laudet, quæ ſæculo V. a Latinis erant receptæ, ut liquet ex iis, quæ fuſius ſtatuimus paragrapho præcedenti. En modo ipſos verſus, qui licet valde inconcinni ac rudes, quædam tamen utilia continent.

Dalmatiane jugi Cæſar, quem terra triumpho
Excolit imperium cuncta tremendo tuum,
Auribus hunc audi ſacris oculiſque beatis,
Aſpice geſtantem peſſima facta librum.
Hoc tibi ſit votum, laus perpet, ſacra poteſtas,
Eccleſiæ ſanctæ jura tenendo ſacra.
Ipſius Augnſto ſulcando vomere ſulcos
Conſtantinus erit major in imperio.
Aſt ubi, vel quando Synodos complectere ſacras
Malebant, proprio hoc erat in libitu.
Tempora præteritis retro defluxa diebus
Teſtantur, divos has peregiſſe ſolos.
Ad quas Papa ſuos currebat & ipſe Romanus
Tranſmiſerat quorum juſſa tenendo ſacra.
Hoc Nicæna canit, quæ Conſtantinus in ipſa
Effulſit, divus Papa ſimul Julius.
Arius hic cecidit tanto librante magiſtro:
A qua ſancta caput traxit amore fides.
Chalcedona ſequens hanc, Marcianus & auctor
Teſtatur, feriens Eutychiana labra.
Non tacet hoc divo fulgens Epheſena tropbæo
Theodoſii, calcans dogmata Neſtorii.
..... Romana dehinc hoc pandunt jura per orbem
Legibus eutenſa prorſus utrinſque ſacra.
..... Cuncta canunt Synodi per dogmata ſacræ
Condecet illarum vos retinere ritum.
Non minor Auguſtus, minor eſt tibi neque poteſtas,
Nec tibi diſſimilis imperialis apex.
Bis ſena nec abſunt vobis librata telcata,
Velle ſit, aut poſſe alterius proprium.
Sentiat inde Dei gaudens plebs incrementum,
Polleat & veſtro tempore ſancta fides.
His valitura bonis veſtro libramine Cæſar,
Sæcula perpetuum dent tibi cuncta melos.

§. IV.

Num Romanorum Pontificum decretales epiſtolæ in unum codicem una cum canonibus Nicænis & Sardicenſibus relatæ & editæ fuerint.

Nullus fuit codex publicus cum decretalibus Pontificum. tom. 5. col. 616.

XXIII. Codicem publica auctoritate antiquiſſimis temporibus vulgatum, qui præter Nicænos & Sardicenſes canones Romanorum quoque Pontificum decreta contineret, Queſnellus contendit Diſſert. 12. c. 2. Id autem probaturus Leonis verba recitat ex epiſt. 4. ad Epiſcopos Campaniæ, Piceni, & Tuſciæ c. 5. quos obſervare jubet non tam Innocentii, quam aliorum omnium prædeceſſorum decreta. *Ne quid vero ſit*, inquit S. Pontifex, *quod prætermiſſum a nobis forte credatur, omnia decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de eccleſiaſticis ordinibus & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita a veſtra dilectione cuſtodiri debere mandamus, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari*. Tum Queſnellus addit: *Cum hæc ſcribebat Leo, convertebat mentis oculum in ea Innocentii decreta, quæ habentur in epiſtola ad Victricium Rothomagenſem & alteram ad Macedones Epiſcopos, quibus reprobatur bigamorum ordinatio. At quomodo ejuſmodi decretalia conſtituta in remotiores Galliarum partes & in Macedoniam miſſa Italiæ ita nota eſſe potuerunt, ut iis promulgata dicerentur, iiſdemque tenerentur obſequi, niſi publico ac recepto Codici haberentur inſerta?* Hac ratione cum *omnia decretalia conſtituta* tam Innocentii, quam *omnium deceſſorum* Leo ſervanda præcipiat; Codex adſtruendus eſſet; qui hæc *omnia* contineret: cujuſmodi nullus fuit. Neque enim ille Codex, quem idem Queſnellus edidit, & Romanæ Eccleſiæ Codicem venditavit, *omnia* complectitur, ſed plurimis & celebrioribus pontificiis decretis caret, ut alibi dicetur.

Quomodo ſine codice publico decretalia eſſent promulgata. * Confer not. 11. infra in Diſſert. XII.

XXIV. Satis autem *promulgata* dici potuerunt *omnia* Innocentii & prædeceſſorum decretalia, eo quod ad aliquarum licet provinciarum Epiſcopos primum directa, ſubinde tamen * aliis atque aliis Epiſcopis communicata, ac toto orbe diſperſa fuere. Cum nimirum Pontifices ad quempiam Epiſcopum decreta mittebant, quæ omnibus uſui eſſe vellent; ſolebant præcipere, ut eadem aliis atque aliis per litteras communicarentur. Hinc Siricius cum regularum librum direxit ad Himerium Tarraconenſem, eidem mandavit, ut non ſolum ad Epiſcopos ſuæ provinciæ, *ſed etiam*, inquit, *ad univerſos Carthaginienſes & Bæticos, Luſitanos atque Gallicios, vel etiam qui vicinis tibi collimitant hinc inde provinciis, hæc, quæ a nobis ſunt ſalubri ordinatione diſpoſita, ſub litterarum tuarum proſequutione mittantur*. Similiter Zoſimus in epiſtola ad Eſychium Salonitanum: *Ne quid meritis*, inquit, *dilectionis tuæ derogaremus, ad te potiſſimum ſcripta direximus, quæ in omnium fratrum & coepiſcoporum noſtrorum facies ire notitiam, non tantum eorum, qui in ea provincia ſunt, ſed etiam qui vicinis dilectionis tuæ provinciis adjunguntur*. Plura ſunt Leonis teſtimonia, quibus ſimilia præſcribit. Inter cetera epiſt. 159. ad Nicetam Aquilejenſem cap. 7. *Hanc autem epiſtolam noſtram*, ait, *quam ad conſultationem tuæ fraternitatis emiſimus, ad omnes fratres & comprovinciales tuos Epiſcopos facies pervenire, ut in omnium obſervantia data proſit auctoritas*. Hac ratione de pleriſque decretalibus Apoſtolicæ Sedis epiſtolis factum fuiſſe credimus, quod de Siricii litteris tradidit Innocentius in epiſtola ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum num. 4. *Forma illa eccleſiaſticæ vitæ pariter & diſciplinæ ab Epiſcopo Siricio per provincias commeavit*. Hinc etiam illud evenit, ut quædam pontificiæ epiſtolæ quibuſdam Epiſcopis, vel provinciis initio traditæ, communicatæ deinceps aliis aliarum provinciarum Epiſcopis, & ita in omnes provincias miſſæ, illud additamentum epigraphis in quibuſdam manuſcriptis receperint, *& univerſas provincias*. Ita epiſtola quarta Leonis inſcripta legitur, non ſolum *omnibus Epiſcopis per Campaniam, Picenum, & Tuſciam*, quibus initio data fuiſſe videtur, verum etiam *& univerſas provincias conſtitutis*. Epiſtola quoque Siricii in Teleptenſi, ſeu verius Zellenſi Synodo lecta, ad ſolos Epiſcopos ſuburbicarios primum videtur directa; at ſenſim in aliarum provinciarum ac Epiſcoporum notitiam deducta, ad ipſos Africanos tranſivit ea inſcriptione ſubſtituta, quæ in collectione hoc tomo edita legitur cap. 62. *Dilectiſſimis fratribus & coepiſcopis per Africam Siricius*. Vide quæ in eamdem epiſtolam adnotabimus. Idem eſt de epiſtola Gelaſii ad Epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam, quæ in eadem collectione, & in aliis antiquis inſcribitur: *Dilectiſſimis fratribus univerſis Epiſcopis Gelaſius*. Nonne hæc promulgatio per provincias ſufficit? Nihil ergo cogitandum eſt de collectione, quæ præter Nicænos ac Sardicenſes canones ſimul copulatos omnes etiam pontificias conſtitutiones contineret, auctoritateque Romanæ Sedis edita, eaſdem conſtitutiones promulgaret. Has quidem Romani Pontifices cum aliquando allegarunt, non e Codice aliquo publico, cujus nulla occurrit uſpiam mentio, ſed ex apoſtolicis ſcriniis eduxere, vel ad eorumdem ſcriniorum fidem provocarunt, uti P. Couſtantius late probat in præfatione ad tom. 1. epiſt. Romanorum Pontificum n. 44. Stet igitur nullum Codicem decretalium olim a Romana Eccleſia evulgatum fuiſſe, nec eo fuiſſe opus, ut eædem promulgarentur, & apud Eccleſias auctoritatem obtinerent.

CAPUT II.

De antiquis verſionibus canonum Synodorum Græcarum ante Dionyſianam lucubratis.

§. I.

Verſiones peculiares Latinæ canonum Nicænorum ab Eccleſiis Latinis olim adhibitæ, & diſtinctæ ab interpretationibus univerſi Græci Codicis canonum. Quæ particulæ Nicæni Concilii ſuperſint ex antiqua verſione apud Romanam & Africanam Eccleſiam recepta. Integra canonum ejuſdem Concilii verſio in MS. Vaticano Reginæ nobis conſervata. Abbreviationes eorumdem canonum lucubratæ a Rufino, & a Gallicanis uſurpatæ.

I. DIutius in Eccleſia Latina ſoli Nicæni & Sardicenſes canones auctoritatem obtinuerunt, ut capite antecedenti oſtendimus. Cum vero Sardicenſium originale Latinum in eadem Eccleſia eſſet vulgatum; Nicænorum tantum canonum interpretatio ſtatim ab initio neceſſaria fuit. Peculiares igitur eorumdem verſiones, quæ apud Latinos fuerunt receptæ, antea commemorandæ ſunt; ac dein de iis antiquis interpretationibus fuſius agendum erit, quæ una cum aliis ceterarum Synodorum Græcis canonibus Nicænos latinitate donarunt.

Antiqua Nicænorum verſio a Romana Eccleſia recepta.

II. Romana quidem Eccleſia, quæ Nicænam Synodum ejuſque conſtitutiones ſumma ſemper obſervantia proſequuta eſt, eorumdem canonum verſionem antiquiſſimam habuit. Hæc vero ad nos non pervenit. Quæ enim Queſnellianæ collectioni inſerta eſt, Romanam non eſſe probabimus in Obſervationibus ad Diſſert. XII. Queſnelli cap. 1. n. 2. Initio autem ſuſpicabamur, eam interpretationem canonum Nicænorum, quæ cum Sardicenſibus jungitur, & a nobis hoc tomo proferetur ex MS. Vat. Reginæ 1997. olim Eccleſiæ Theatinæ, illam eſſe, quæ a Romana Eccleſia recepta, exinde ad aliarum quoque vicinarum Eccleſiarum uſum tranſierit. At duas habemus Nicænæ Synodi particulas ex ea antiquiſſima verſione, quam Romana Eccleſia adhibuit, nimirum Symbolum, quod legitur apud S. Leonem inſertum epiſtolæ 165. & canonem de Catharis, qui ab Innocentio I. recitatur in epiſtola ad Rufum & alios Macedones c. 5. n. 10. Utramque vero a verſione laudati codicis Vat. Reginæ apertiſſime diſcrepat. Adde quod Felix III. in epiſt. 7. ad Epiſcopos per diverſas provincias conſtitutos, dum tres Nicænos canones in rem ſuam refert, eorum verba ex Romana, ut credibile eſt, interpretatione ſumta, a verſione memorati codicis abſunt quam longiſſime. Hæc inter cetera ex canone 11. profert: *Si tamen eos ex corde pœniteat, tribus annis inter audientes ſint, ſeptem vero annis ſubjaceant inter pœnitentes manibus Sacerdotum, duobus autem oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed tantummodo popularibus* (al. *ſæcularibus*) *in oratione ſocientur*. Hic canon in verſione Vat. Reginæ alia diviſione legitur can. 18. & aliis atque aliis verbis ita profertur, ut aliam interpretationem manifeſtet.

Ejus particulæ, quæ ſuperſunt.

III. Nicænum ſymbolum ex eadem verſione Romæ recepta, quæ apud Leonem legitur, invenimus etiam apud S. Hilarium in libro de Synodis num. 84. & in Fragmento ſecundo; apud Luciferum Calaritanum in libro *de non parcendo in Deum delinquentibus*, nec non apud Africanos in Breviario Hipponenſi inſerto collectioni hoc tomo edendæ cap. 2. col. 88. & in Concilio Carthaginienſi anni 419. uti patet ex * Codice Eccleſiæ Africanæ & ex collectionibus Hiſpanica atque Iſidoriana * in Concilio Carthaginienſi VI. In Synodo Carthaginienſi anni 525. hæc eadem ſymboli verſio exhibetur tom. 5. Conciliorum col. 778. ſed perperam, ex mendoſa utique lectione codicis, traditur hæc illa eſſe, quam in Africam *tranſmiſit Atticus Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ per Innocentium Presbyterum*. Hæc enim verſio inſerta fuit canonibus anterioris conventus Hipponenſis anni 393. & repetita in Synodo Carthaginienſi anni 397. ac tandem in alia item Carthaginienſi anni 419. antequam ad Atticum Conſtantinopolitanum Innocentius Presbyter, ſeu potius Marcellus Subdiaconus ab Africanis legatus mitteretur. Alia quidem eſt interpretatio ſymboli Attici litteris ſubjecta in Codice Eccleſiæ Africanæ can. 137. hæcque a Conſtantinopolitanis interpretibus lucubrata una cum verſione canonum Nicænorum, quæ in collectionibus Hiſpanica & Iſidoriana conſervatur, ab Attico in Africam miſſa fuit. Ea porro verſio Nicæni ſymboli apud Romanam Eccleſiam recepta pluribus antiquis communis, indicio eſſe videtur eamdem pariter ipſis fuiſſe Nicænorum quoque canonum interpretationem, Africanis præſertim, apud quos exſtabant *exemplaria fidei & ſtatuta Nicænæ Synodi, quæ ad noſtrum Concilium* (inquiunt Patres Carthaginienſis Synodi anni 419.) *per beatæ recordationis .... Cæcilianum Epiſcopum allata ſunt*. Ita non levis ſuſpicio exoritur, non minus in ſymbolo, quam in canonibus Nicænis eamdem fuiſſe antiquam verſionem Romanam & Africanam, quam ſcilicet æque ex Nicæno Concilio & pontificii legati Romam, & Cæcilianus in Africam detulerint.

Eadem verſio pluribus communis. Hilar. t. 2. Edit. Veron. col. 510. & 643. t. 4. Bibl. PP. edit. Lugd. col. 233. in fine. * t. 2. Conc. col. 1260. b. * tom. 3. Conc. col. 448. a

tom. 2. Conc. col. 1364.

tom. 3. Conc. col. 447.

Quam antiqua fuerit.

IV. Huic conjecturæ obeſſe videtur Ferrandus Carthaginienſis Eccleſiæ Diaconus. Is enim, qui in ceteris Græcis canonibus Iſidorianam interpretationem adhibuit, in ſolis Nicænis eam deſeruiſſe videtur, ut antiquam verſionem eorumdem canonum in Africanis codicibus conſervatam ac in Africa celebrem ſequeretur. Idem vero Ferrandus in Breviatione Nicænum canonem de Catharis ita proponit, ut verſionem prodat a Romana diverſam, quam Innocentius I. adhibuit. Hic enim Pontifex in epiſt. ad Rufum & Macedones n. 13. eum canonem ſic recitat: *De his, qui nominant ſe ipſos Catharos, id eſt mundos, & aliquando veniunt ad catholicam Eccleſiam, placuit ſanctæ & magnæ Synodo, ut accepta manus impoſitione ſic maneant in Clero*. Apud Ferrandum vero ex Africana verſione idem canon ſic effertur num. 172. *Ut hi, qui nominantur Cathari, accedentes ad Eccleſiam, ſi ordinati ſunt, ſic maneant in Clero*. Hæc quidem Ferrandi non ſunt ipſa verſionis verba, ſed ejus compendium. At verſionis diſſimilitudinem ſatis indicat ſenſus, qui cum apud Innocentium manus impoſitionem ſignificet, apud Ferrandum ordinationem antea acceptam declarat. Etſi ergo interpretatio ſymboli Nicæni apud Romanos & Africanos erat eadem; non idem tamen de canonibus judicandum videri poteſt. Verum cum in Africanis canonum codicibus non una eſſet antiqua illa interpretatio canonum Nicænorum, quam Cæcilianus attulit, ſed poſt Synodum Carthaginienſem anni 419. inſerta fuerit alia verſio Philonis & Evariſti, quæ petentibus ejuſdem Synodi Patribus ab Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano in Africam miſſa fuit: hac verſione Ferrandus uſus credi poteſt, cum & hujus abbreviatio, & ea verſio canonem de Catharis in eamdem ſententiam referant. Sic enim eadem Philonis & Evariſti verſio: *Si quando venerint ad catholicam Eccleſiam Cathari, placuit ſanctæ & magnæ Synodo, EOS ORDINATOS ſic manere in Clero*: uti Ferrandus *ſi ordinati ſunt*. Soluta igitur difficultate, quæ ex Ferrando obtrudi poterat, jam redit præſumtio, antiquam verſionem Nicæni Concilii a Cæciliano allatam in Africam, ſicut in ſymbolo, ita & in canonibus eamdem fuiſſe cum illa, quam jam ab initio Romana Eccleſia ſuſcepit.

V. Quantum ad hanc antiquam verſionem Romanam præter ſymbolum, & canonem de Catharis Bonifacius I. in epiſtola ad Hilarium Narbonenſem alterius canonis Nicæni verba ſe ſe recitare profitetur. *Nulli*, inquit, *videtur incognita Synodi conſtitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, ut eadem proprie verba ponamus. Per unamquamque provinciam jus Metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas eſſe ſubjectas*. At inter Nicænos canones nec in Græco, nec in ulla verſione aut ipſa verba, quæ a Bonifacio deſcribuntur, aut prope eadem reperire licebit. Immo apud antiquos Pontifices nullam fuiſſe interpretationem, quæ id a Nicænis Patribus præceptum traderet, ſatis probaſſe credimus in Obſervationibus ad Diſſert. V. Queſnelli

tom. 2. col. 1043.

nelli part. 2. c. 6. n. 6. ubi quid hac in re conjici poſſit explicavimus. Aliud veteris Romanæ verſionis fragmentum videri poteſt canon ſextus Nicænus, quem Paſchaſinus Apoſtolicæ Sedis legatus recitavit actione XVI. Concilii Chalcedonenſis: Hic autem canon non ſolum peculiare illud initium habet, *Quod Eccleſia Romana ſemper habait primatum*, & ſolius Ægypti, non autem Lybiæ ac Pentapolis meminit; verum etiam duos canones ſextum & ſeptimum in unum junctos complectitur. Num vero hunc canonem ex codice Romanæ, an ex ſuæ potius Lylibetanæ Eccleſiæ legerit Paſchaſinus, qui non ex urbe Roma, ſed ex ſua Sede ad Concilium perrexit, ex contextu non liquet. Si autem verum judicetur, quod antea conjecimus, eamdem fuiſſe antiquam verſionem Romanæ Eccleſiæ ac Africanæ; cum hic idem ſextus canon ex interpretatione antiqua ab Afris recepta inſertus in Synodo Carthaginienſi anni 525. diſcrepet a verſione, quam Paſchaſinus in Chalcedonenſi protulit; hæc Paſchaſini verſio Romana credi & affirmari nequit: ac propterea ex codice forte Lylibetano eum canonem recitavit. Initium quidem illud *Quod Romana Eccleſia ſemper habait primatum*, eadem ratione invenitur in MS. Vat. Reginæ 1997. ad Theatinam Eccleſiam olim pertinente, non minus quam in codicibus collectionis Queſnellianæ ac in aliis etiam aliarum collectionum, quas memorabimus not. 32. in caput 1. Codicis canonum hoc tumo edendi. Unius vero Ægypti mentio, omiſſis Lybia atque Pentapoli, ita in laudato MS. Vat. Reginæ, uti apud Paſchaſinum præfertur: quod aliis indicatis collectionibus nequaquam congruit. At ſi primam canonis partem excipias, verba a Paſchaſino recitata in reliquis a verſione laudati codicis diſcrepant, uti & numerus canonis, qui apud Paſchaſinum ſextus, in eo antem codice undecimus eſt: ac proinde eadem omnino credi nequit utriuſque codicis verſio.

tom. 5. Concil. col. 780.

VI. Ex hactenus diſputatis palam factum eſt quænam particolæ, vel reliquiæ canonum Nicænorum ſuperſint ex antiqua verſione Romana, vel Africana. Nunc de integris & vetuſtioribus eorumdem canonum interpretationibus pauca delibanda. Primum locum exigit illa in laudato codice Vat. Reginæ contenta, cui Sardicenſes canones continua numerorum ſerie ſubnectuntur. Hæc ſiquidem cum & verbis, & diviſione canonum ab omnibus aliis cognitis & vetuſtis interpretationibus differat, nihil dubitandum videtur, quin ad antiquiora multotempora ejus origo referenda ſit. Cumque hæc inſerta fuerit in antiquiſſimam collectionem Italicam, quæ ad Theatinam Eccleſiam ſuburbicariam ſpectabat, Italica dici poteſt. Hanc hactenus ineditam proferemus in lucem hoc tomo poſt verſionem Priſcam: ibique plura de eadem dicentur.

VII. Alia poſterior aliquanto eorumdem canonum interpretatio a Philone & Evariſto Conſtantinopolitanis lucubrata, quam Africani Epiſcopi ab Attico Conſtantinopolitano acceperant, nobis conſervata fuit quantum ad ſymbolum apud Dionyſium can. 137. Codicis Africani; quantum vero ad canones in collectione Hiſpanica & exinde in Iſidoriana, ut antea monuimus. Symbolum vero unacum canonibus hujus verſionis invenimus tantum in MS. Vat. Palatino 577.

VIII. Antiquam quoque, & ignotam eorumdem canonum verſionem nacti ſumus in MS. codice 55. Capituli Veronenſis majuſculis litteris exarato, qui ineditam pariter interpretationem præbuit canonum Sardicenſium ex originali Græco auctiori quam quod editum eſt, nec non aliam canonum Chalcedonenſium. Cum hæ verſiones publica luce dignæ viſæ ſint, huic tomo inſerentur.

Abbreviationes Nicænorum canonum a Rufino digeſtæ, a Gallicanis uſurpatæ.

IX. Peculiarem mentionem efflagitat quædam Gallicanæ Eccleſiæ praxis, qua pro Nicænis canonibus nonnunquam uſurpavit abbreviationes eorumdem canonum a Rufino exhibitas lib. 10. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Id perſpicuum fit ex Concilio, uti appellant, Arelatenſi II. nec non ex iis canonum excerptis, quæ in cauſſa Contumelioſi Regenſis a Cæſario Arelatenſi collecta fuere, ut recte animadvertit Queſnellus Diſſert. XVI. huic tomo inſerenda num. 15. Duo etiam codices Morbacenſis & Vat. Palat. 754. qui puram & perantiquam collectionem Gallicanam continent, eoſdem Nicænos canones ex Rufino ſumtos & cum Sardicenſibus copulatos præferunt. Cum vero in Concilio Gallicano Valentino anni 374. canone tertio Nicæna conſtituta allegentur, quo tempore nondum Rufini abbreviationes prodierant, alia apud Gallos Nicænorum canonum antiquior verſio exſtabat: quæ cujuſmodi fuerit, ex ejuſdem Concilii verbis colligi nequit.

§. II.

De verſione totius Græci Codicis canonum, quæ Iſidoriana vocari ſolet.

X. DE antiquis interpretationibus Latinis canonum omnium Synodorum, quæ in Græcis codicibus continebantur, dicturi, illud præmonendum putamus, has privato ſtudio & uſui fuiſſe lucubratas. Nullæ ex iis ante ſextum ſæculum ab aliqua Latina Eccleſia receptæ niſi forte in Nicænis, quos ſolos ex Græcis canonibus apud Latinas Eccleſias diutius auctoritatem obtinuiſſe oſtendimus. *Forte* vero ſcripſimus: quia cum Nicænorum canonum verſiones peculiares uſui eſſent, ut paragrapho antecedenti explicavimus; num aliqua ex memorandis verſionibus ante ſæculum VI. digeſtis, in Nicænis canonibus a quapiam Latina Eccleſia fuerit uſurpata, deficientibus documentis incertum eſt.

Tres antiquæ verſiones canonum.

XI. Verſiones antiquæ totius Græci Codicis canonum ſunt tres, Iſidoriana, Priſca, & Dionyſiana. De duabus prioribus, quæ ante ſæculum VI. exaratæ fuerunt, nunc dicendum eſt: de tertia agemus part. 3. c. 1. ubi Dionyſii Exigui collectio explicabitur. Incipiamus ab Iſidoriana, quæ Priſca antiquior videtur. Vulgata fuit ex collectione Iſidori, a quo nomen accepit: Iſidorus autem ex antiquiori collectione Hiſpanica ipſam tranſcripſit. Neque vero qui Hiſpanicam collectionem digeſſit, ejus verſionis auctor credatur. Anterior enim eſt multo, ut ex dicendis patebit. Latine redditos exhibet cannnes Nicænos, Anquiritanos, Neocæſarienſes, Gangrenſes, quibus Latinum originale Sardicenſium in MSS. collectionum Hiſpanicæ & Iſidorianæ ſubjicitur, Antiochenos, Laodicenos, Conſtantinopolitanos, & Chalcedonenſes.

De ea, quæ vulgo Iſidoriana vocatur.

XII. Hactenus ſoli codices laudatarum collectionum cum hac verſione cogniti fuere. Nos vero unum antiquiſſimum invenimus in bibliotheca Capituli Veronenſis ſignatum num. 58., qui ad neutram illam collectionem pertinet, exhibetque etiam vetuſtiorem collectionem lucubratam ſub medium ſæculum VI. Hic ipſe codex Hiſpanica collectione fortaſſis antiquior, puram Iſidorianam (hoc enim notiori & pervulgato nomine diſtinctionis cauſſa utemur) verſionem continet: ſed cum mutilus in fine ſit, ultimum, quod ſupereſt, folium deſinit in Laodiceno canone 16. In hac autem pura Iſidoriana verſione, cujus ſinceriores lectiones dedimus in notis ad Codicem canonum, duo præſertim animadverſionem merentur: I. Sardicenſes canones cum Nicænis conjungi: II. omnium Synodorum canones etſi ſatis diſtinctos, & titulis & numeris carere: quæ temotioris antiquitatis indicia ſunt.

De ejus verſionis antiquitate.

XIII. Hæc Græcorum canonum interpretatio adeo antiqua eſt, ut dubium eſſe poſſit, num tota ſimul compacta fuerit, an vero initio priorum tantum Græcarum Synodorum canones, qui * primo in Græcum Codicem videntur relati, latine redditi fuerint; ac dein aucta aliis aliarum Synodorum canonibus Græca collectione, alii interpretes eidem verſioni alios ſubinde canones latinitate donatos addiderint. Huic dubitationi cauſſam præbuit inter ceteras vetus collectio Lucano-Colbertina, de qua agemus cap. 6. Cum enim hæc ſolos canones Nicænos, Anquiritanos, Neocæſarienſes, atque Gangrenſes ex verſione Iſidoriana ſuppeditet, ceteros vero referat ex Priſca; collector eos tantum canones in ſuo Iſidorianæ verſionis codice reperiſſe videtur, eo quod hi tantum a primo interprete fuerint

*Vid. part. 2. c. 2.

rint in Latinam linguam traducti. Hæc per conjecturam, quæ quanti ſit, aliis dijudicandum relinquimus. Certe vero cum in eadem collectione Laodiceni canones non referantur; hi profecto a collectionis auctore inventi non fuerunt nec in Iſidorianæ, nec in Priſcæ verſionis codicibus, quos ille adhibuit. Sicut autem in Priſca hactenus deſiderantur, quia nec a primo hujus auctore traducti fuerunt, nec poſtea eidem acceſſere; ita nunc in Iſidoriana non deſunt, quia (licet initio abſuerint) eidem poſterioribus curis additi ſunt. Cum Ferrandus Diaconus, quem Iſidoriana verſione uſum videbimus, Chalcedonenſes canones prætereat; ejus codex Iſidorianus ipſis utique caruit. Similem codicem habuiſſe videtur auctor collectionis Queſnellianæ, qui cum omnes aliarum Græcarum Synodorum canones ex Iſidoriana verſione receperit, ſolos Chalcedonenſes in eadem non nactus, ex Priſca deſcripſit. Hi ergo canones ſicut poſterius acceſſerunt Græco corpori canonum, ita etiam verſioni Iſidorianæ, quæ Græcum Codicem anta Synodum Chalcedonenſem Latinis dederat, poſtea ſubjecti fuerunt.

XIV. Hanc interpretationem in Hiſpania receptam manifeſte demonſtrat collectio Hiſpanica, quæ ex eadem verſione Græcorum Conciliorum canones præfert. Cum Patres Toletanæ Synodi anni 400. *conſtituta Concilii Nicæni perpetuo ſervanda* in præfatione ſtatuerunt, ex eadem forte verſione Nicæni canones eo quoque tempore erant apud ipſos vulgati. Eadem verſio quantum ad Nicænos canones videtur recepta etiam in Galliis ſæculo V. uti colligere licet ex Concilio Regenſi anni 439. can. 3. Cum enim erga Armentarium in Ebredunenſi Eccleſia male ordinatum eam indulgentiam ſervandam decernat, quam *Nicænum Concilium ſtatuit .... ideſt, ut cuicumque de fratribus tale aliquid caritatis conſilia dictaverint, liceat ei unam parochiarum ſuarum Eccleſiam cedere, in qua aut Chorepiſcopi nomine, ut idem canon loquitur, aut peregrina, ut ajunt, communione foveatur*: voces *parochiæ* & *Chorepiſcopi* ſimul in ſola Iſidoriana verſione inveniuntur canone Nicæno octavo, vel can. 14. collectionis hoc tomo edendæ, quæ Iſidorianam verſionem recepit. Hæc quoque collectio, quam in Galliis digeſtam probabimus, uſum ejuſdem interpretationis apud Gallos confirmat, non minus quam collectio manuſcripti Corbejenſis, quæ pariter Gallicana eſt. In Concilio Epaonenſi anni 517. can. 31. de pœnitentia homicidarum jubetur obſervari, *quod Ancyritani canones decreverunt*. Hoc primum documentum eſt, quo alii Græci canones præter Nicænos in Concilio Gallicano allegantur. Vox autem *Ancyritani* Iſidorianæ verſionis propria eſt: Priſca enim *Ancyrenſes*, Dionyſius *Ancyranos* vocat. Synodus Valentina anni 374. can. 3. Nicænum Concilium laudat, indicatque ejus canonem XI. Hoc tempore abbreviationes Rufini nondum erant ſcriptæ, immo nec Priſca verſio. Cum vero Iſidoriana interpretatio in Galliis vulgata in ſua prima origine ad anteriora tempora pertineat, ut ſuperius conjecimus; ex hac fortaſſis Valentinæ Synodi Patres Nicænos canones receperunt: niſi quis credibilius axiſtimet, eam vetuſtiorem verſionem apud Gallos, quæ apud Romanos, & Africanos, obtinuiſſe, ex qua quidem paullo ante S. Hilarius Pictavienſis ſymbolum Nicænum excerpſerat. Eamdem Iſidorianam interpretationem ex Hiſpaniis fortaſſis tranſiſſe in Africam, ibidemque ſæculo VI. viguiſſe ex Ferrando Diacono manifeſtum eſt. Is enim Nicænis canonibus exceptis, ceteros Græcos canones ex Iſidoriana in compendium redegit. Vide part. 4. c. 1. In Italia quoque hanc verſionem alicubi vulgatam probant vetuſtiſſimæ collectiones in Italia lucubratæ, & cuſtoditæ in codicibus Veronenſis Capituli 55. & 58., Lucano 88. ſimili Colbertino 784., Barberino 2888., & Vat. 1342. In omnes enim has collectiones ex verſione Iſidoriana non pauca traducta fuere. Concludamus hunc paragraphum cum Martino Bracarenſi. Is in præfatione ad collectionem canonum Orientalium duo vitia in canonibus antea latine redditis notat, nimirum *& ea quæ per translatores obſcurius dicta ſunt, & ea quæ per ſcriptores ſunt immutata*. Iſidorianam verſionem, quæ in Hiſpania vigebat, præcipue videtur reſpicere; in qua nonnulla obſcurius reddita ipſi viſa ſunt, alia vero a librariis alicubi mutata, vel addita in MSS. collectionis Hiſpanicæ, ac multo liberius in exemplaribus collectionis Queſnellianæ huic tomo inſertæ deprehendimus ex collatione aliorum codicum, qui puriorem Iſidorianam continent. Nos horum exemplarium lectiones ſubjiciemus in notis ad Codicem canonum, ac ex his tum patebunt mutationes inductæ, tum purus Iſidorianæ verſionis textus reſtitui poterit.

tom. 2. Conc. col. 1471. a

tom. 4. Conc. col. 534. d

tom. 5. Conc. col. 715. e

tom. 2. Conc. col. 1668.

A B C D E F

§. III.

De alia verſione, quæ Priſca appellatur.

Codices hujus verſionis.

XV. PRiſca Græcorum canonum interpretatio Latina ea ſolet appellari, quæ in venerandæ antiquitatis MS. codice, litteris majuſculis & quadratis ſcripto, apud Chriſtophorum Juſtellum olim cuſtodita, ac typis parata, ab Henrico ejus filio, & Gullielmo Voello tomo I. Bibliothecæ Juris canonici veteris inſerta Lutetiæ Pariſiorum prodiit anno 1671. Alium Vaticanum codicem Juſtelliano plane ſimilem laudaſſe Jacobum Sirmondum iidem editores in præfatione generali affirmant. Hæc autem ejus verba proferunt ex Cenſura Anonymi de regionibus & Eccleſiis ſuburbicariis. *Tantum abeſt, ut ſuburbicarii vocem hoc loco reſpuam, ut nova tibi auctoritate confirmaturus ſim antiquiſſimæ Nicænorum canonum editionis in bibliotheca Vaticana, ubi ſcutum hunc Nicænum canonem hoc titulo & exordio conceptum memini: De primatu Eccleſiæ Romanæ & aliarum civitatum Epiſcopis. Antiqui moris eſt, ut Epiſcopus urbis Romæ habeat primatum, ut ſuburbicaria loca, & omnem provinciam ſuam ſollicitudine gubernet. Qui canon* (ſubdunt laudati editores) *cum iiſdem plane verbis conceptus habeatur in Codice Juſtelli, alterum alteri eſſe quam ſimillimum evidenter oſtendit*. Addunt aliud teſtimonium Petri de Marca, qui libro 3. de Concordia cap. 4. n. 6. utrumque codicem Juſtellianum, & *Vaticanum a viris eruditis laudatum* eamdem verſionem continentem commemorat. Nos autem cum omnes Vaticanos codices, qui ad collectiones canonum pertinent, ſollicitius expenderimus; nullum MS. exemplum Juſtelliano plane ſimile, quod puram verſionem Priſcam in unum corpus collectam præferret, reperire potuimus. Solum nacti ſumus codicem Vat. 1342., cui ſimilis eſt alius bibliothecæ Barberinæ 2888., in quo Nicæni canones ex eadem Priſca interpretatione cum lectione a Sirmondo deſcripta exhibentur: & hunc codicem a Sirmondo, & ex Sirmondo a Petro de Marca laudatum nihil ambigimus. Alium porro codicem Vat. Reginæ 1997. invenimus, in quo ſolis Nicænis canonibus exceptis ac ex peculiari antiquiſſima verſione productis, ceteri Græci canones ex Priſca proferuntur, adeo ut ex utroque codice totam Priſcam verſionem in bibliotheca Vaticana nanciſci, & utiliter conferre licuerit.

Editio Juſtelli imperfecta. Cur.

XVI. Hujus verſionis Juſtelliana editio manca & imperfecta eſt, eamque laudatorum codicum præſidio ſuppletam atque perfectam hoc tomo recudendam credidimus. Cauſſam autem, cur mutila & imperfecta fuerit Juſtelli editio, cognoſcere non modicum intereſt. Rem narrat Stephanus Baluzius in præfatione ad Opuſcula Petri de Marca edita Pariſiis anno 1681. a num. 10 ad 13. his verbis. *Cum viri clariſſimi Guillelmus Voellus & Henricus Juſtellus Chriſtophori filius, prior Theologus Pariſienſis, alter Calviniani dogmatis ſectator, conſtituiſſent in unum corpus colligere varios codices canonum eccleſiaſticorum olim a Chriſtophoro editorum, & illis addere etiam aliquos nondum editos, in primis vero quamdam collectionem Latinam, quam habebant in vetuſtiſſimo codice MS. Chriſtophori Juſtelli; & Marca tum Toloſæ habitans intellexiſſet, eam editionem maturari, ratus id quod res erat, ſuppreſſum fortaſſis iri canones Sardicenſes (quos, cum ſtatim ſequerentur poſt Nicænos, Chriſtophorus adhuc juvenis callidus cultro reſecuerat, & ad calcem libri rejecerat)*

ea

ea de re ſcripſit ad virum ſuperilluſtrem Petrum Seguierium Galliarum Cancellarium, orans eum, ut publicatione horum librorum ſuperſederetur, donec ipſe Lutetiæ eſſet. Ea cum Marca perveniſſet nono Kalendas Octobris an. 1660. ac typographus urgeret emiſſionem operis jam perfecti, Voellus & Juſtellus non aliter id a Cancellario obtinere potuerunt, quam ſi Marcæ rationem redderent operæ ſuæ. Igitur non ita multo poſt ad eum venerunt, & cum illis qui nuper mortuus eſt Ludovicus Henricus Fayus Eſpeſſæus Abbas S. Petri Viennenſis, in cujus ædibus habitabat Voellus. Primo res acta eſt magna contentione, Voello & Juſtello frendentibus & contendentibus, duo vetera folia membranacea, quæ ad calcem codicis rejecta erant, in quibus continebantur aliqua fragmenta canonum Sardicenſium, non pertinere ad hunc codicem, præſertim cum folia quinque deeſſe manifeſtum eſſet poſt canones Nicænos, & illic duo tantum reperirentur. Sedata tandem illa perturbatione, cum conſtitiſſet, hæc duo folia ejuſdem magnitudinis eſſe cum ceteris, ejuſdem antiquitatis, ejuſdem marginis, ejuſdem ſcripturæ, ac numeratis & collatis cum editione Biniana anni 1638. lineis, & ut ita dicam vocabulis, quibus opus erat ad ſupplenda hæc quinque folia, quæ deerant, ex ſubſcriptionibus Synodi Nicænæ & ex canonibus Sardicenſibus, luce clarius patuiſſet, duo illa folia reliqua ex quinque reciſis reponi debere conſequenter poſt Concilium Nicænum, præſertim cum Marca fidem faceret ita ſibi olim dictum a Chriſtophoro, qui faſſus fuerat, ſe adhuc juvenem illa reſecuiſſe impetu potius quam ratione; inter eos convenit, ut hæc fragmenta ederentur, & ut ſequens præfatio, quam Marca ſua manu ſcripſit, in fronte voluminis poneretur.

„ Monendus eſt Lector, amanuenſis oſcitantia, ex cujus apographo ad fidem MS. codicis expreſſo editio iſthæc confecta eſt, accidiſſe, ut canones Sardicenſis Concilii ſuo loco, ideſt poſt canones Nicænos, poſiti non fuerint. Quod editoribus curam impoſuit recenſendæ editionis, & iterum cum MS. conferendæ, attentis, ut omiſſionem illam reſtituerent, adjectis hic in fronte collectionis canonibus Sardicenſibus, qui ſuperſunt in eo codice, ubi poſt ſubſcriptiones Nicæni Concilii, & ante canones Gangrenſes folia quædam deſunt, quæ vetuſtate perierunt; duo tamen ſuperſunt, incipiuntque a canone Sardicenſi XIV. una cum ſequentibus uſque ad XIX. quos bona fide hic repræſentare editores voluerunt.

Aliter tamen evenit. Nam cum evaſiſſent ea ex tempeſtate, aliam viam Marca inſcio inierunt componendæ hujus controverſiæ, & fragmenta illa canonum Sardicenſium repoſuerunt poſt Nicænos, addita præfatione, qua teſtarentur, id ſe ratione potius feciſſe, quam ullo indicio aut neceſſitate ex veteri libro petita. Monuerunt ergo maximam partem canonum Sardicenſium cum poſtrema parte ſubſcriptionum Concilii Nicæni injuria temporum periiſſe. Mox addunt. „ Quæ tamen ſuperſunt Concilii Sardicenſis fragmenta, poſt Nicænam Synodum collocavimus. Auctorem namque hujuſce editionis non dignitatem Conciliorum, ſed ordinem temporis ſequutum fuiſſe in ſua collectione veroſimile eſt. “ *Rem totam referunt ad veriſimilitudinem, cum tamen ois & dictum & oſtenſum ſit, ea folia, in quibus poſtrema pars ſubſcriptionum Concilii Nicæni, & nonnulli canones Sardicenſes continebantur, poſita olim fuiſſe poſt Synodum Nicænam in codice manuſcripto, indeque avulſa a Chriſtophoro adhuc juvene, ne Catholici ex eo libro vetuſtiſſimo præſcriberent adverſus hæreticos pro dignitate & auctoritate horum canonum. Dicere debuerant juxta pacta & conventa, canones illos locis ſuis prætermiſſos fuiſſe, & nunc reponi. Ne quis vero putare poſſit, me totam hanc hiſtoriam gratis comminiſci, & nullum illius veſtigium extare, primum ſcire omnes volo, me huic omni concertationi & examini interfuiſſe, penes me habere præfatiunculam ſupra deſcriptam, & Marcam iſtius rei mentionem feciſſe in litteris, quas tum per aliam occaſionem dedit ad Alexandrum Papam VII. & ad Lucam Holſtenium. Deſcribam autem ejus verba ex ea, quæ eſt ad Alexandrum.* „ Juſtellus pater, Calvinianæ quoque hæreſeos ſectator codicem canonum Eccleſiæ univerſæ olim publicaverat, omiſſis de induſtria Sardicenſis Concilii canonibus Romani Pontificis poteſtatem diſerte aſſerentibus, ac ſi judicio Eccleſiæ univerſæ a corpore canonum reſciſſi eſſent. Eadem fraude filius canonum collectionem Latinam e codice vetuſtiſſimo his nongentis annis non ſcripto (*leg.* conſcripto) ante meum in hanc Pariſienſem civitatem adventum prælo ſubmiſerat. Statim comperto ab ea abeſſe Sardicenſes canones, quos ſciebam a Juſtello patre ex ipſo codice reſectos quidem, ſed ad ejuſdem voluminis calcem folia rejecta, non deſtiti quoad tam regiæ poteſtatis comminationibus, quam humaniſſimis precibus poſt canones Nicænos juxta fidem MS. codicis Sardicenſibus in editione locus ſuus reſtitueretur, ne hac diligentia prætermiſſa triumpharent hæretici ſpretam non ſolum a Græcis, ſed etiam a Latinis, & præcipue ab Eccleſia Gallicana canonum illorum auctoritatem. “ Hactenus ex Baluzio.

XVII. Continebat olim Juſtellianus codex, ſi editoribus credendum ſit, *canones Conciliorum Ancyrani, Neocæſarienſis, Nicæni, Sardicenſis, Gangrenſis, Antiocheni, Laodicenus, Conſtantinopolitani I. & Chalcedonenſis*. Sed *Synodi Laodicenæ integros canones, & maximam partem Sardicenſium cum poſtrema parte ſubſcriptionum Concilii Nicæni injuria temporum periiſſe* affirmant in præfatiuncula ad lectorem. Qua de cauſſa vere interciderit maxima pars Sardicenſium cum poſtrema parte ſubſcriptionum Nicænarum, ex Baluzio intelleximus. Laodicenos vero canones in codice Græco Priſcæ verſionis auctori defuiſſe, nec eos Priſca interpretatione latinitate donatos, nobis exploratum eſt. Cum enim omnium ceterarum Synodorum Græcarum canones ex Priſca verſione in aliquot Latinis collectionibus reperimus; ſolos Laodicenos ejuſdem verſionis in nulla collectione potuimus invenire, ſed vel ex Iſidoriana inſertos, vel prorſus omiſſos deprehendimus. Hoc poſtremum peculiari animadverſione dignum eſt in MS. codice Vat. Reginæ 1997. qui etſi præter Nicænos canones ſolam ac totam in ceteris editionem Priſcam receperit, Laodicenis nihilominus caret. In Juſtelliano autem codice quinque tantum folia, quæ Nicænarum ſubſcriptionum partem, & Sardicenſes canones tantummodo continebant, reſecta notavit Baluzius. Laodicenos eidem codici olim inſertos eo ſolo præjudicio affirmarunt editores, quia illos in Græco Codice canonum, ac in omnibus ejuſdem Codicis exemplaribus ſemper exſtitiſſe crediderunt continuata illa numerorum ſerie comprehenſos, quam cuique ejuſmodi codici communem putarunt. Nos autem cum part. 1. c. 2. n. 3. hoc præjudicium ſuſtulimus, tum vero Laodicenis canonibus Græcum Codicem aliquando caruiſſe oſtendimus. Nullus quidem Juſtelliani codicis defectus notatur poſt canones Antiochenos, quibus Laodiceni ſubjecti fuiſſent, ſi eos Priſcæ auctor latine reddidiſſet.

tom. 1. Bibl. Jur. Can. pag. 276.

Laodiceni canones ea Priſca verſione cur deſint.

XVIII Canones Conſtantinopolitani in eodem codice poſt Chalcedonenſes deſcribuntur, iiſdemque canon adnectitur de primatu Sedis Conſtantinopolitanæ, qui ad Chalcedonenſem Synodum pertinet. *Id potius hallucinationi, vel incogitantiæ amanuenſis, qui codicem exſcripſit, quam auctoris errori vel imperitiæ tribuendum* editores tradidere. Sed nec amanuenſi, nec auctori verſionis id adjudicandum eſt. Veram cauſſam eam credimus, quod in eo Græco codice, quem interpres adhibuit, canones Conſtantinopolitani poſt Chalcedonenſes additi fuerant, iiſdemque propterea canon Chalcedonenſis pro Conſtantinopolitana ſede conſtitutus acceſſerat. Confer quæ in hanc rem obſervavimus part. 1. c. 2. n. 3. & notam 5. in canones Conſtantinopolitanos ejuſdem verſionis, quæ hoc tomo integra edetur.

XIX. Hæc verſio Priſca poſt Chalcedonenſe Concilium lucubrata dicenda eſt, ſi quidem omnes Græci canones etiam Chalcedonenſes ab eodem auctore latine redditi ſunt ex Græco Codice, qui Chalcedonenſium & Conſtantinopolitanorum additamentum receperat. Certe vero priorum Synodorum canones traducti fuerunt eo tempore, quo inſtitutis jam aliquot eccleſiaſticis Metropolibus in Italia ſub

Quando, & ubi hæc verſio lucubrata.

finem

finem ſæculi IV. peculiaris veluti provincia Romani Antiſtitis uti Metropolitani intra ſuburbicaria loca concludebatur. Id enim probat verſio canonis ſexti Nicæni, quam paullo ante ex Sirmondo recitavimus. Hinc etiam hæc verſio ab aliquo Italo, aut Italicæ diſciplinæ perito condita fuit. Idipſum confirmant Italicæ collectiones, in quibus paſſim recepta legitur, uti ſunt quæ exſtant in codicibus MSS. Vat. Reginæ 1997. Vat. 1342. Lucano 88. & Colbertino 784. In Gallias vero aliquem hujus verſionis codicem delatum ſuadet collectio Queſnelliana, quam Gallicanam probabimus: Chalcedonenſes enim canones ex interpretatione Priſca decerpti fuere.

Hanc Dionyſius indicare videtur.

XX. Hanc verſionem, quæ ſatis obſcura & involuta eſt, indicare videtur Dionyſius Exiguus, cum in epiſtola ad Stephanum Epiſcopum Salonitanum ſcripſit, Laurentium Romanum, ut videtur, Preſbyterum *confuſione PRISCÆ TRANSLATIONIS offenſum*, ſibi ad novam verſionem adornandam ſtimulos addidiſſe. Enimvero Italus Presbyter de ea interpretatione conqueſtus eſt, quæ in Italia vigebat. Priſcam autem ibidem viguiſſe multo magis quam Iſidorianam, ex laudatis Italicis collectionibus diſcimus. Neque moveat nomen *Priſcæ*, quod Dionyſii tempore competere non potuiſſe videtur interpretationi, quæ poſt Chalcedonenſe Concilium lucubrata fuerat. Notum eſt enim veteres *priſcum* identidem vocaſſe, quod annos circiter quinquaginta excederet; & nonnumquam etiam hanc vocem uſurpaſſe de re, quæ non multo ante eveniſſet. Quemadmodum apud Feſtum *priſcæ Latinæ coloniæ* appellatæ ſunt anteriores coloniæ, ut diſtinguerentur a novis; ita *Priſcam* Dionyſius potuit vocare anteriorem verſionem, ut a ſua nova ipſam diſtingueret.

CAPUT III.

De canonibus Eccleſiæ Africanæ, qui in omnes fere collectiones Latinas antiquas fuerunt inſerti, & de vetuſtis eorum codicibus.

§. I.

Neceſſitas differendi de canonibus Africanis. Recenſentur codices & collectiones, in quibus Africani canones continentur. De antiquitate collectionis Synodorum Africæ, quæ in collectionibus Hiſpanica & Iſidoriana recepta eſt. Duo codices canonum Africanorum producti in Synodo Carthaginienſi anni 525. De canonibus Synodorum Carthaginienſium ſub Grato & Genethlio, qui in uno ex iiſdem codicibus continebantur.

Afrorum canonum celebritas.

I. PRæter Græcarum Synodorum canones e Græco Codice latine redditos, & in Latinas collectiones traductos, in eaſdem fere inſerti inveniuntur canones Eccleſiæ Africanæ: iique adeo celebres fuere, ut e Latinis codicibus græce tranſlati, in Græcas etiam collectiones tranſierint. Cum vero apud Africanos anteriorum Synodorum canones in Synodis poſterioribus repeterentur, ac infererentur geſtis; frequenter etiam ſine præcedentium Synodorum mentione iidem canones repeterentur, qui antea fuerant conſtituti: iidem in diverſis Conciliis reperiuntur, & nunc uni, nunc alii Synodo adjudicantur; adeo ut ſæpius non facile diſcerni poſſit, qua in Synodo hic vel ille canon conditus fuerit.

Difficultates in iiſdem canonibus.

Accedit diverſa Synodorum diviſio, ſeu inſcriptio in collectionibus diverſis notata, canonumque numerus ejuſdem Synodi alicubi minor, alibi major. Nunc certi canones omiſſi, nunc alii certe additi. Hinc vero magna in Africanis Conciliis canonum commixtio, perturbatio, & incertitudo exoritur; pluresque difficultates & controverſiæ exinde excitatæ ſunt, quæ eruditos in varias ſententias deduxere. Exemplo eſſe poſſunt inter alia multa, quæ circa Breviarium Hipponenſe diſputarunt ex una parte Schelestratius, ut ipſum ſuppoſitionis accuſaret, ex alia Queſnellus ut defenderet. Non ſolum enim ille, qui falſam ſententiam tutatus eſt, ſed hic etiam qui veram propugnavit, in plures errores incurrit, canonumque Hipponenſium, Breviarii, ac Synodi Carthaginienſis III. notitiam dum evolvere ſtuduit, maxime involvit. Ut autem in tanta caligine aliquid lucis afferretur, nos poſt P. Harduinum, qui de Africanis canonibus bene meritus eſt, aliquid tentavimus in Hiſtoria Donatiſtarum part. 2. c. 19. Nunc vero poſt conſulta plura Latinarum collectionum exemplaria, & poſt diligentius examen ac ſtudium circa eaſdem collectiones aliquid novi afferre poſſe credimus, unde exactior & plenior Africanorum canonum & Conciliorum notitia proferatur.

t. 4. Operum Card. Noriſii.

Codex canon. Eccl. Afric. quid ſit.

II. Poſtquam Chriſtophorus Juſtellus Africanorum canonum collectionem græce & latine edidit cum titulo *Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ*, opinio apud multos invaluit, eam continere omnes omnino canones, qui ab Africanis Patribus conditi, veteri Africanæ Eccleſiæ uſui fuere. Sed ea nullos alios canones vere complectitur, niſi quos Dionyſius Exiguus excerpſit ex Synodo Carthaginienſi anni 419., cujus unius geſta præ oculis habuit. Etſi vero in iiſdem geſtis deſcripti eſſent canones, qui tum in ipſa Synodo conditi, tum in anterioribus Aurelii Conciliis fuerant conſtituti; Dionyſius tamen non tota hæc geſta, nec omnes ſingulorum Conciliorum canones dedit eo ordine ac numero, quo in memorata geſta fuerant inſerti: ſed cum iidem canones in pleriſque Synodis eſſent repetiti, eum modum, qui repetitioni vitandæ aptior ipſi viſus eſt, inſtituit; adeo ut ipſius lucubratio earum Synodorum, quæ ante annum 419. ſub Aurelio fuerunt celebratæ, integram omnino deſcriptionem non præbeat; quod plenius patebit ex dicendis §. 8. cum de Synodo Carthaginienſi anni 419. ex propoſito differemus.

Collectio Afric. canon inſerta Hiſpanicæ, & Iſid.

III. Alia Africanorum Synodorum collectio præter Dionyſianam exſtat in MSS. codicibus collectionum Hiſpanicæ & Iſidorianæ. Octo in ea Synodi deſcribuntur. Carthaginienſis I. Eſt Synodus ſub Grato. Carthaginienſis II. Eſt Synodus ſub Genethlio. Carthaginienſis III. Eſt Synodus anni 397. ſub Aurelio, ad cujus tempora ſequentes quoque Synodi referuntur, nimirum Carthaginienſis IV. anni 398., Carthaginienſis V. anni 401., Carthaginienſis VI. anni 419. ſeptimo Kalendas Junias, Carthaginienſis VII. ejuſdem anni tertio Kal. Junias, & Milevitana anni 402. In his vero nonnulla, quæ erant diſtinguenda, perperam conjuncta, & confuſa, quædam omiſſa, & aliqua etiam aliunde inſerta, atque Africanis afficta deinceps videbimus. Neque id auctori collectionis Hiſpanicæ, & multo minus Iſidoro tribuendum eſt. Vetuſtior enim collectione Hiſpanica fuit hæc Africanarum Synodorum collectio. Id exploratum fit ex Concilio Turonenſi II. anni 567., quod collectionem Hiſpanicam anteceſſit. In hoc ſiquidem can. 20. legitur. *Cum etiam id in antiquis Milevitanis canonibus fuerit ſtatutum. Item placuit, ut quicumque Epiſcoporum neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur* &c. Sunt verba canonis 26., qui in laudata collectione Synodorum Africæ Milevitano Concilio perperam tribuitur, cum vere ſit canon Concilii Carthaginienſis anni 418., ut patebit ex dicendis §. 7. Jamdiu ergo ante collectionem Hiſpanicam compacta fuerat ea Africanarum Synodorum collectio, quæ canones Concilii Carthaginienſis anni 418. Milevitanæ Synodo affixit: ac proinde auctor collectionis Hiſpanicæ eam non digeſſit, ſed antea digeſtam & pervulgatam in ſuum corpus traduxit.

tom. 2. Conc. col. 745. Ib. col. 1389. Ib. col. 1397. Ib. col. 1433. Ib. 1453. tom. 3. col. 441. Ib. col. 459. Ib. col. 379.

Ea collectio eſt vetuſtior Hiſpanica.

tom. 6. Concil. col. 541.

IV. Aliæ porro collectiones Hiſpanica & Dionyſiana antiquiores nonnulla Africana documenta receperunt. Collectio contenta in MSS. Vat. 1342. & Barberino 2888. præſtant Concilium Carthaginienſe ſub Genethlio. Breviarium Hipponenſe refertur in iiſdem codicibus, ac præterea in MS. 55. Capituli Veronenſis, in cod. Corbejenſi, & in exemplis collectionis Queſnellianæ. Collectiones Vat. Reginæ 1997. Vat. 1342. Barb. 2888. & Lucano-Colbertina exhibent Synodum Carthaginienſem anni 419. diſtinctam in canones quadraginta, quam inter documenta Juris canonici veteris hoc tomo edituri ſumus. Duæ collectiones Corbejenſis & Queſnelliana

dant

dant Synodum Carthaginienſem anui 418. adverſus Pelagianos.

V. Neque prætermittendus eſt Ferrandus Carthaginienſis Eccleſiæ Diaconus, qui in Breviatione Africanos præſertim canones compendio adhibuit, Africaniſque antiquiſſimis exemplaribus uſus eſt. Cum vero is Concilia Carthaginienſia ſine ulla diſtinctione alleget, non ita facile erit diſcernere, cuinam Concilio ex pluribus ejuſdem loci hic vel ille canon tribuendus ſit. His tamen omnibus ſollicitiori ſtudio collatis atque perpenſis ſperamus fore, ut diſtinctionem Africanorum Conciliorum canonumque notitiam proferre poſſimus.

tom. 5. Concil. col. 778. e

Duo antiqui codices Africani.

VI. Huic vero operi facem præferent duo Africani codices canonum, qui in Concilio Carthaginienſi anni 525. ſub Bonifacio ex ipſo Carthaginienſis Eccleſiæ ſcrinio producti, integram veterum Africanorum canonum collectionem in duos tomos diſtributam continebant. Unus ille eſt, ex quo lecti fuerunt aliquot canones Nicæni & unus Synodi Carthaginienſis ſub Grato; alter, qui appellatur, *Liber canonum temporibus Aurelii*. Primus præter Nicænos comprehendiſſe videtur canones Synodorum Africanarum anteriorum Aurelio: alter vero canones Synodorum, quæ ſub eodem Aurelio coactæ in laudato Bonifacii Concilio uſque ad vigeſimam recenſentur. Ut a primo antiquiorum canonum codice exordiamur, Nicænum Concilium ex ea vetuſtiſſima interpretatione, quam Cæcilianus in Africam attulerat, apud Africanos receptum, ac relatum in codicem animadvertimus capite præcedenti §. 1. Ibi etiam ſolius Nicæni ſymboli, & ſexti canonis verſionem ex eadem interpretatione ſupereſſe indicavimus, erroremque deteximus, cum in Synodo Bonifacii verſioni ab Attico Conſtantinopolitano tranſmiſſæ tributa fuit ea Symboli Nicæni translatio, quæ ad antiquam Africanam interpretationem pertinet.

Synodus. Carthag. ſub Grato.

VII. Ex Conciliis Africanis anterioribus Aurelio ſolos canones ſub Grato & Genethlio Carthaginienſibus Epiſcopis conditos, & in Latinas collectiones traductos recepimus. Synodus Carthaginienſis Grati cum canonibus 14. primum edita fuit ex collectione Iſidori, qui ex Hiſpanica illam tranſcripſit. Utrobique inſcribitur: *Concilium Carthaginienſe I.* Dein vero emendatius recuſa eſt a P. Labbeo ex codice Vaticano, cujus exemplar Holſtenii manu ſcriptum a P. Poſſino accepit. Ferrandus in Breviatione hos canones fere allegat expreſſo Grati nomine ſic: *Concil. Carthag. ſub S. Grato*. At duobus in locis Grati nomen omittit, ideſt num. 119. *Concil. Carthag. tit. 8.* & num. 183. *Concil. Carthag. tit. 2.* qui canones his numeris deſignati, cum numeris canonum ſolius Synodi ſub Grato concurrunt; niſi quis forte malit credere, his locis indicari aliam Synodum Carthaginienſem ex iis quæ deſiderantur, in qua iidem canones repetiti, ſub iiſdem numeris recenſerentur. Ex hac Grati Synodo canon 11. integer recitatur in Concilio Bonifacii anni 525. Cum S. Auguſtinus ineunte anno 402. epiſtola 65. ad Xantippum ſcribat num. 2. *Sex Epiſcopis cauſſam Presbyteri terminari Concilio ſtatutum eſt*, voci *Concilio* hanc notationem Benedictini editores in margine affixerunt: *Carthaginienſi ſub Grato an. 348. ſeu 349. can.* 11. At S. Auguſtinum Concilium Grati adhuc ignoraſſe, dum anno 406. Creſconium Donatiſtam impugnavit, liquet ex libro 3. contra eumdem n. 38. & lib. 4. n. 52. Hinc enim ſolam Sardicenſem Pſeudoſynodum, quæ ad Donatum litteras dedit, eum cognoviſſe manifeſtum eſt: Sardicenſe vero legitimum Concilium, in quo Gratus interfuit, ſatis didiciſſet ex canone quinto Synodi Carthaginienſis ſub eodem Grato, ſi hæc ipſi nota fuiſſet; & hac diſtinctione legitimæ Synodi Sardicenſis ab hæretica, quæ ad Donatum ſcripſerat, Donatiſtas manifeſtius ac fortius reviciſſet. Probabilius igitur credimus, hunc ſanctum Doctorem in laudata epiſtola 65. indicaſſe aliud poſterius Concilium Carthaginienſe ſub Genethlio, in quo eadem conſtitutio can. 10. repetita fuit. Cognita porro erat hæc Grati Synodus anno 419. cum in Synodo Carthaginienſi hujus anni, cui S. Auguſtinus adfuit, can. 5. Aurelius Epiſcopus ea

Locus Auguſt. explicatus.

ſtatuat, quæ ex duabus canonibus 10. & 13. Concilii ſub Grato totidem verbis expreſſa leguntur.

Synodus Carth. ſub Genethlio.

VIII. Synodus altera Carthaginienſis ſub Genethlio anni 390. ex iiſdem fontibus in lucem prodiit, ex quibus illa ſub Grato. Continet canones 13. & in collectionibus Hiſpanica atque Iſidoriana vocatur *Concilium Carthaginienſe II.* Ex mendoſo autem Iſidoriano codice ita multa menda in prima editione contraxerat, ut a nonnullis cum Juſtello veluti ſuppoſititia traducta fuerit. Iis autem mendis poſteriori editione ex Vaticano codice ſublatis, de ejuſdem germanitate nemo poteſt ambigere. Ferrandus, qui hujus canones identidem allegat, ipſius αὐθεντίαν confirmat. Expreſſum Concilii Carthaginienſis nomen *ſub S. Genethlio* appellat numeris 24. 55. 96. & 194. Cum vero num. 55. & 96. *titulo* 9. deſignet canonem Genethlii in editis decimum, & num. 24. *titulo* 9. indicet canonem in editis undecimum; perſpicuum ſit, in Ferrandi codice quatuor ejuſdem Synodi canones coaluiſſe in duos. Cum porro num. 194. alleget *titulum ſextum*, qui vulgato ſexto canoni reſpondet; ea canonum unio ante ſextum canonem non contigit, ſed canon ſeptimus cum ſexto, & nonus cum octavo in eodem codice copulati fuiſſe dicendi ſunt: ita ut canones ſextus & ſeptimus in unum conjuncti, canonem ſextum conſtituerent, octavus vero & nonus canonem ſeptimum. Hinc ſane cum idem Ferrandus num. 92. & 101. ſuppreſſo licet Genethlii nomine, laudat *Concil. Carthag. tit. 7.* indicari credimus duos canones ejuſdem Genethlii octavum & nonum, qui apud Ferrandum conjuncti, erant canon ſeptimus. Cum porro idem Ferrandus num. 16. agens de præcepta Epiſcopis, Presbyteris, ac Diaconibus continentia, laudat *Concil. Carthag. tit.* 1. quod in nulla Carthaginienſi Synodo canone primo decernitur: error irrepſit in numerum, indicarique arbitramur canonem ſecundum Concilii ſub Genethlio, in quo ejuſmodi præceptum continetur.

Ferrandi allegationes explicatæ.

IX. In Synodo Carthaginienſi anni 419. poſt Nicænæ Synodi lectionem canones XXXIII. juxta diviſionem Dionyſii conſtituti fuerunt. Inter priores tredecim, primo & quarto exceptis, reliqui undecim ex Concilio Genethlii ſumti ſunt. Retinent fere eadem verba; ſola nomina Epiſcoporum interloquentium & proponentium mutantur, ita ut Genethlio ſubſtituatur Aurelius, & ſimiliter aliis viventibus ſub Genethlio alii Epiſcopi ſufficiantur, qui aderant in Concilio anni 419. Duo tantum nomina Numidii Maſſulitani & Felicis utrobique leguntur. Num hi ab anno 390. quo habita fuit Synodus ſub Genethlio, ad annum 419. vitam produxerunt? In collectionibus Hiſpanica & Iſidori ita hæc Genethlii Synodus profertur, ut nomina quædam præferat eorum Epiſcoporum, qui pertinent ad Synodum anni 419. Hinc orta erat potior dubitandi ratio de ſuppoſitione hujus Synodi. Sicut autem alii defectus, quos in iiſdem collectionibus quantum ad Africanos canones deinceps notabimus, aliunde emendandi erunt; ita errores in hac Synodo ex Vaticano exemplo jure correcti ſunt.

Priores canones 33. Synodi Carthag. anni 419. unde derivati.

§. II.

De Synodis Africanis ſub Aurelio Epiſcopo Carthaginienſi celebratis, quæ in alio codice producto in Synodo anni 525. erant deſcriptæ. Earum catalogus. De Concilio Hipponenſi anni 393. ac de duobus Carthaginienſibus I. & II. ſub Aurelio.

I. NUnc ad alterum codicem accedamus, qui in Bonifacii Synodo vocatur *Liber canonum temporibus S. Aurelii*. Hujus Concilia III. VI. VII. IX. X. XI. XVI. XIX. & XX. in eadem Synodo memorantur. Omnium ſeries hic primum attexenda. Prima Aurelii Synodus eſt celebris Hipponenſis anni 393. At cum in laudato Bonifacii Concilio, ubi duo Hipponenſes integri canones recitantur, ea non dicatur prima Aurelii Synodus, uti ceteræ ſuo cujuſque numero deſignantur *ex Concilio III. VI.* &c. hoc Hipponenſe Concilium inter viginti non videtur fuiſſe comprehenſum. Aliæ quidem poſteriores Aurelii Synodi præter Hipponenſem inveniuntur, quæ

tom. 5. Conc. col. 780.

Digitized by Google

quæ numeris in Boniſacii Concilio indicatis reſpondent. Dionyſii Exigui collectio nobis ſubſidio fuit, cum eas Synodos recenſeat, quæ in Concilio Carthaginienſi anni 419. *temporibus Aurelii Carthaginienſis Epiſcopi* recitatæ fuerunt. Eas igitur, quæ poſt Hipponenſem Synodum ibidem memorantur, chronologico ordine hic ſubjicimus.

tom. 2. Conc. col. 1277. c. Ibid. d. Ib. col. 1296. a. Ib. col. 1277. e

I. Carthaginienſis anni 394. VI. vel XVI. Kal. Julias.

II. Carthaginienſis anni 397. VI. Kal. Julias.

III. Carthaginienſis ejuſdem anni 397. V. Kal. Septembris. In Boniſacii Synodo anni 525. bis vocatur *Concilium III.* tom. 5. Concil. col. 779. & 781. Ante hanc Synodum tertiam ſub Aurelio eodem anno alia quidem præceſſit Carthagine habita Idibus Auguſti, in qua Mizonius cum aliquot Byzacenis Epiſcopis Aurelio præſente Hipponenſium canonum Breviarium conſcribendum curavit. Ita hæc Synodus Iduum Auguſtarum ſub Aurelio tertia haberi deberet. Sed cum ea, quæ ibidem geſta ſunt, repetita & inſerta fuerint initio actorum plenioris Synodi paullo poſt coactæ V. Kalendas Septembris, ipſumque Breviarium canonum Hipponenſium ex hiſce actis ab Africanis antiquis allegari ſoleat: hac, ut credimus, de cauſſa factum eſt, ut illa anteriori hujus anni Synodo prætermiſſa, hæc poſterior tertiæ Synodi nomen obtinuerit in codice, qui in Boniſacii Concilio lectus fuit.

Ib. col. 1296. b. Ib. d. Ib. col. 1304. b. Ib. col. 1313. c.

IV. Carthaginienſis anni 399. V. Kal. Majas.

V. Carthaginienſis anni 401. XVI. Kal. Julias.

VI. Carthaginienſis ejuſdem anni Idibus Septembris, *Sextum Concilium* item appellatur in Synodo Boniſacii tom. 5. col. 779. e & 780. e

VII. Milevitanum Concilium anni 402. VI. Kal. Septembris. *Septimum* dicitur in eadem Boniſacii Synodo. Ib. col. 780. b.

Ib. col. 1317. d.

VIII. Carthaginienſe anni 403. VIII. Kal. Septembris.

Ib. col. 1324. b. Ib. 1328. b.

IX. Carthaginienſe anni 404. XVI. Kal. Julias. Concinit Synodus Boniſacii, in qua *nonum* Aurelii Concilium inſcribitur. Ib. col. 781. a.

X. Carthaginienſe anni 405. X. Kal. Septembris. *Decimum* quoque vocatur in Synodo Boniſacii. Ib. col. 780. b.

Ib. c.

XI. Carthaginienſe anni 407. Idibus Junii. Eſt pariter *undecimum* apud Boniſacium loco laudato.

Ib. 1330. e Ib. 1337. a

XII. Carthaginienſe anni 408. XVI. Kal. Julias.

XIII. Carthaginienſe aliud anni ejuſdem III. Idus Octobris.

Ib. b. Ib. b. c. Ib. c.

XIV. Carthaginienſe anni 409. XVII. Kal. Julias.

XV. Carthaginienſe anni 410. XVIII. Kal. Julias.

XVI. Carthaginienſe anni 418. Kal. Maji. *Sextum decimum* vocatur in Boniſacii Synodo: tom. 5. col. 780. c.

Ib. col. 1252. b. Ib. 1349. c.

XVII. Carthaginienſis anni 419. actiones duæ, altera VIII. Kal. Junias, altera vero III. Kal. ejuſdem menſis: quæ duæ actiones in collectionibus Hiſpanica & Iſidoriana proferuntur veluti duo Concilia diſtincta. In Dionyſius deſinit.

XVIII. Carthaginienſe anni 421. Idibus Junii. Hanc Synodum e MS. Capituli Veronenſis eduximus, ac inter documenta Juris canonici veteris hoc tomo prodibit. Neque hoc dici poteſt Concilium XIX. in Boniſacii Synodo laudatum: nam canon, qui in hac Synodo exceptus dicitur ex Concilio XIX. in hoc noſtro Concilio non legitur. Præterea hoc Concilium habitum dicitur, cum *inſtituta Concilii ſolemnitas per biennium ceſſaret*, nimirum poſt ultimam Synodum anni 419. quæ ex Boniſacii ſerie eſt Concilium XVII.

XIX. & XX. Concilia quænam fuerint, non eſt exploratum: neque enim collectiones ullæ aliam Africanam Synodum ſub Aurelio ad nos tranſmiſere. In ſæpe laudata Boniſacii Synodo unus tantum canon recitatur ex Concilio XIX. quem pariter allegat Ferrandus in Breviatione num. 84. *Concil. Carth. tit. 3.* & alius ex Concilio XX. Tempus vero horum Conciliorum certum non eſt. Solum

De tempore Concil. XIX, & XX.

conjici poteſt, Concilium XX. illud idem fuiſſe, quod inter annum 425. & 426. ad Cæleſtinum litteras dedit; cum in eo canone, quem Synodus Boniſacii huic Concilio tribuit, non minus quam in iiſdem litteris ſermo ſit de appellationibus ad tranſ-

A marina. Concilium autem XIX. poſt annum 421. & ante annum 425. collocandum videtur.

Plures Synodi ſub Aurelio deſunt.

II. Neque vero omnes Africanæ Synodi coactæ ſub Aurelio, qui Carthaginienſem Sedem tenuit ab anno circiter 392. ad annum uſque 429. hoc viginti Synodorum numero comprehenduntur. In Concilio Hipponenſi anni 393. canon editus fuit, quo ſingulis annis Concilium plenarium nunc in una, nunc in alia provincia congregaretur, ad quod omnes provinciæ, quæ primas ſedes habebant, ex Conciliis ſuis legatos dirigerent. Anno quidem 394. provinciæ Proconſularis Synodus Carthagine celebrata VI. vel XVI. Kal. Julias memoratur, ex qua Epiſcopi ejuſdem provinciæ legati directi ſunt ad

Cod. Eccl. Afr. t. 2. Conc. col. 1277. d.

B Concilium Adrumentinum, quod in illis viginti non recenſetur. Hæc methodus obſervata uſque ad annum 407. quo plenariam Synodum, non annis ſingulis, ſed cum cauſſa communis exigeret, indicendam decretum fuit. Vide Cod. Afric. c. 55. Ita præter provinciales Synodos quindecim plenariæ uſque ad annum 407. coactæ fuere. Ex his autem plures deſiderantur: quæ idcirco fortaſſis omiſſæ fuere, quia præter quaſdam communes cauſſas, quæ in iiſdem terminabantur, repetitis tantum & confirmatis antecedentibus decretis præſertim Hipponenſibus anni 393. nullum peculiarem canonem condiderunt.

III. Ferrandus aliam Synodum Hipponiregienſem C laudat diſtinguendam ab Hipponenſi anni 393., eamque celebratam anno 427. ex P. Harduini codicibus probabimus §. IX. Alias quoque peculiares Synodos provinciæ Byzacenæ, nimirum Zellenſem, Suffetulenſem, Thuſdritanam, Macrianenſem, Septimunicenſem, Thenitanam, & Maracanenſem, ſeu Maradianenſem allegat idem Ferrandus, quas vivente Aurelio celebratas conjiciemus eodem paragrapho nono. Solius Concilii Zellenſis, quod alias Teleptenſe, ſeu Telenſe dicitur, fragmentum ſupereſt, quod in collectione hoc tomo impreſſa legitur c. 62.

Concil. Hippon. anni 393.

IV. Nunc in canones earum Synodorum, quas ſub Aurelio coactas recenſuimus, exactius inquiren-D dum eſt. Omnium celeberrimum eſt Concilium Hipponenſe anni 393., cujus canones abbreviati, in aliis Synodis plerumque repetiti fuere. Hinc frequens ejuſdem Synodi mentio. Integra vero hujus geſta, & canones integri deſiderantur. Exceptis enim duobus canonibus integre deſcriptis & conſervatis in Synodo Carthaginienſi anni 525. ſub Boniſacio, qui in Breviario diviſi fuerunt in tres 3. 6. & 7., ſola ceterorum abbreviatio ſupereſt, quæ cum fuerit inſerta in Synodum Carthaginienſem anni 397. ex iis, quæ de hac Synodo fuſius dicentur, quot & quinam fuerint Hipponenſes canones palam fiet.

Conc. Carth. an. 394.

V. Synodo Carthaginienſi I. anni 394. VI. vel XVI. Kalendas Julias, ex qua Legati ad Adrumenti-E num Concilium directi fuerunt, nulli canones tribuuntur. Vide Codicem Eccl. Afric. tom. 2. Concil. Ven. edit. col. 1277. d.

Concil. Carth. an. 397. Kal. Jul. a Dionyſio Exiguo.

VI. Ex II. Synodo Carthaginienſi anni 397. Kal. Julias hic unus canon a Dionyſio Exiguo profertur in eodem Codice Eccleſiæ Africanæ col. 1296. b. *Placuit, ut nullus Epiſcoporum naviget ſine formata Primatis*. Repetitio eſt canonis Hipponenſis, qui in Breviario legitur can. 27. Ferrandus num. 64. canonem, qui repetens aliud decretum Hipponenſe, appellationem ab electis judicibus prohibet, adſcribit *Concilio Carthag. tit. 3. item Concil. Carthag. tit. 15.*, ubi corrigendum *tit.* 19. Cum autem hac ſecunda allegatione indicetur Concilium Carthagi-F nienſe anni 397. habitum V. Kal. Septembris, quod *tit.* 59. hunc canonem exhibet; priori allegatione anterior utique Synodus Carthaginienſis innuitur. Cum vero idem canon non inveniatur inter canones Synodorum Carthaginienſium ſub Grato ac Genethlio conſtitutos, qui omnes ſuperſunt; rectius huic Concilio ſecundo Aurelii celebrato eodem an. 397. Kalendis Julii adjudicandus videtur quam Carthaginienſi I. quippe Dionyſius nullos canones primo Concilio tribuit, ex ſecundo vero non omnia decreta retulit, ſed ad ejus geſta lectores remiſit: *Geſta*, inquiens, *in authenticis, qui quæret, inveniet.*

§. III.

§. III.

Reſtituitur Synodus Carthaginienſis anni CCCXCVII. tertia ſub Aurelio habita V. Kalendas Septembris, in qua Breviarium canonum Hipponenſium lectum, confirmatum, & geſtis inſertum fuit. Quantum Africani Romanæ Sedis auctoritati detulerint. Subſcriptiones Epiſcoporum laudatæ Synodi ex optimo codice erutæ.

I. HOc Concilium Carthaginienſe III. ſub Aurelio & Hipponenſes canones in Breviarium contractos, & alios canones in ipſo Concilio editos complectitur. Duo hujus Synodi fontes ſuppetunt, collectio Iſidoriana, quæ ex Hiſpanica hanc Synodum derivavit, & Codex Eccleſiæ Africanæ, qui ex Dionyſio Exiguo proficiſcitur: ſed in utriuſque canones & numero, & ordine diſcrepant, ac Hipponenſes abbreviati a Carthaginienſibus nulla certa nota diſcernuntur. Adde quod in ambobus quædam deſiderantur, quæ ejus Synodi geſtis certe erant inſerta. Hinc hujus Synodi reſtitutio maxime neceſſaria. Tria in hanc reſtitutionem ſubſidio erunt. I. Breviarium Hipponenſe, quod in collectione canonum hoc tomo edenda ad MSS. codices aliarum etiam collectionum exactum reperietur cap. 2. Ex hoc enim quot & qui fuerint canones Hipponenſes palam fiet. II. Ferrandus. Hic cum omnes fere canones hujus Concilii Carthaginienſis tertii ſuo cujuſque numero deſignet, tum Hipponenſium, tum Carthaginienſium ordinem ſuppeditabit. Qua in re diligentiori quidem collatione & animadverſione uti opus fuit, ut inter quamplurimos canones ab eo allegatos hac generali formula *Conc. Carthag.* ii diſcernerentur, qui ad Synodum Carthaginienſem tertiam anni *397.*, vel ad alia ejuſdem loci Concilia pertinent. III. Synodus Bonifacii anni 525., ubi ex *Libro canonum temporibus S. Aurelii Concilio tertio* tituli canonum XXIII. eo ordine proferuntur, qui cum Ferrando plane concurrit. Quam concordiam & conciliationem cum ex reſtitutione Concilii Carthaginienſis III. mox ſubjicienda manifeſtam fecerimus; evaneſcent plures difficultates a non paucis ingeſtæ, qui hæc documenta non ſatis apte intelligentes, non modo Hipponenſe Breviarium ſuſpectum reddidere, verum etiam de dignoſcendis canonibus Concilii Carthaginienſis III. ſpem abjecerunt. Ex dicendis autem patebit, in hac Synodo lectum primo loco & inſertum fuiſſe Breviarium, quod paullo ante a Byzacenis Carthagine conditum fuerat; dein vero alios canones fuiſſe conſtitutos: ita tamen ut tum canones Breviarii lecti & inſerti, tum alii poſtea conditi eidem Synodo Carthaginienſi III. continua numerorum ſerie adſcripti fuerint. En ipſam canonum ſeriem, ex qua hujus Concilii reſtitutio pendet.

Synodi reſtituendæ neceſſitas.

Series canonum Concilii Carthag. anni 397.

I. *Cæſario & Attico VV. CC. Conſs. V. Kal. Septembris* &c. ut in Cod. Eccleſ. Afric. ante canonem 34. tom. 2. Conc. Ven. edit. col. 1277. e, uſque ad verba *ſingula a veſtra caritate conſiderentur*. Hæc præfatio in collectionibus Hiſp. & Iſid. omiſſa fuit, cum hoc Concilium Carthaginienſe III. producitur; ejuſque præfationis loco a collectore inſerta hæc verba: *Conſtituta ſunt hæc quæ in præſenti Concilio definita ſunt*. Cur hunc & ſequentes tres numeros quatuor primis titulis, ſeu capitulis Concilii Carthaginienſis III. aſſignarimus, ex Ferrandi computatione, quæ incipit a *tit. V.* intelliges.

II. Poſt laudatam præfationem afferendus eſt titulus Synodi, in qua Breviarium canonum Hipponenſium conditum fuerat. *Synodus Carthaginienſis ſub die Iduum Auguſtarum Conſulatu Cæſaris & Attici*. Hunc titulum eruimus ex MS. 59. Capituli Veronenſis, a quo alii codices modicum diſcrepant. Vide not. 1. in cap. 2. Codicis edendi col. 85. Mox litteræ Aurelii & Mizonii Breviario præmiſſæ ſubjiciendæ ſunt. *Dilectiſſimis fratribus & Coepiſcopis diverſarum provinciarum* &c. uti eodem capite col. 87. Nonnulli has litteras ex Byzacena Synodo, non autem Carthagine datas putantes, Aurelii nomen expungendum, eaſque ad Byzacenos, qui Synodo non interfuerant, non vero ad Epiſcopos in Concilio plenario Carthaginienſi III. ex aliis Africanis provinciis congregandos ſcriptas opinantur. At hanc Synodum Carthagine celebratam Idibus Auguſti an. *397.* a Mizonio aliiſque Epiſcopis Byzacenis non ſolum teſtatur titulus ex diverſis codicibus excerptus, verum etiam idem Aurelius in præfatione a Dionyſio conſervata illis verbis: *Cum Sacerdotum noſtrorum epiſtola Byzacenorum fuiſſet recitata, vel quid mecum* (utique Carthagine) *iidem, qui tempus & diem Concilii prævenerunt, tractaſſent* &c. Dies Concilio plenario præſtitata a Synodo Hipponenſi anni *393.* erat X. Kal. Septembris ex Cod. Afric. c. *73.* Hunc autem diem prævenientes Mizonius & aliquot Epiſcopi Byzaceni, profecti Carthaginem, ubi Synodus plenaria habenda erat, Idibus Auguſti una cum Aurelio (*mecum* enim inquit) tractantes, Breviarium ſcripſere, & litteras, quibus ejuſdem Breviarii ratio redditur. Hinc jure epiſtolæ Byzacenorum Aurelius etiam inſcribitur, & eidem Breviario in omnibus MSS. codicibus ſubſignatus legitur. Sicut autem Breviarium *ad hunc cœtum*, ideſt ad plenariam Synodum, *corrogatum* idem Aurelius loco citato tradit; ita etiam litteræ, quæ Breviarii ad eumdem cœtum corrogandi cauſſa ſcriptæ fuerunt. Confer quæ hac de re plenius diſſeruimus in Hiſtoria Donatiſtarum part. 2. c. 9. tom. 4. Operum Cardinalis Noriſii col. 425. & Admonitionem in c. 2. Collectionis hoc tomo edendæ col. 79. Dein haſce litteras excipit titulus Breviarii: *Statuta Concilii Hipponenſis breviata* &c. infra hoc tomo col. 88.

III. *Nicæni Concilii profeſſio, & fides recitata & confirmata eſt, quæ ita ſe habet. Credimus* &c. Ibidem. Hoc ſymbolum Nicænum non eſſe a Breviario expungendum, ut non nemini viſum eſt, probat interlocutio Honorati & Urbani relata in Cod. Afric. c. 47. qua poſt inſertum Breviarium dixere: *De fide enim Nicæni tractatus audivimus, verum & de ſacrificiis inhibendis poſt prandium* &c. quæ ad idem Breviarium in hoc Concilio Carthaginienſi lectum referuntur.

IV. *Placuit etiam propter errorem* &c. ut in Breviario ibidem col. 89. ubi monendum eſt, ſequentes pariter canones uſque ad can. XLVII. ſumendos eſſe potius ex Breviario, quam ex Codice Eccleſ. Afric. vel ex MSS. codd. collectionum Hiſp. & Iſid. apud quos nonnulli canones repetiti in Synodo anni 419. alia verba aliaſque lectiones in eadem Synodo receperunt. In Iſid. hic canon eſt c. 1. In Cod. Afr. omittitur, ſed citatur uti canon Breviarii ab Epigonio in eodem Cod. Afr. c. 84. Integer ex Concilio Hipponenſi exhibetur in Synodo Carthaginienſi ſub Bonifacio anni 525. tom. 5. Concil. col. 781.

V. *Creſconius Villaregienſis Epiſcopus* &c. uti in Breviario col. 89. Primam partem de Creſconio ad Breviarium ſpectare manifeſtum eſt ex laudata interlocutione Honorati & Urbani in Cod. Afric. c. 48. ubi teſtantur, ſe *audiſſe confirmata, quæ contra Creſconium Villaregienſem ſtatuta fuerant*. Poſtremam vero partem Ferrandus num. 24. allegat ſic: *Concil. Carth. tit.* 5. Hic autem *titulus quintus* laudatus a Ferrando, quatuor alios in ejus codice canones præceſſiſſe ſignificat. Hæc ſecunda pars in Iſid. legitur can. 20. ſed cum additamento, quod in Breviario non apparet.

VI. *Primatem proprium* &c. ut in Breviario col. 89. Ferrandus n. 82. *Conc. Carth. tit.* 6. Hic canon cum ſequenti integer recitatur in Synodo Bonifacii ex Concilio Hipponenſi t. 5. Concil. col. 782. In cod. Afr. can. 17. a Patribus Synodi Carthaginienſis anni 419. adoptatus, aliis verbis exprimitur.

VII. *Ceteri etiam primæ Sedis* &c. ut in Breviario eadem col. 89. Ferrandus n. 83. *Conc. Carth. tit.* 7.

VIII. *Ut lectores populum non ſalutent*. Ex ſerie Ferrandi hæc prima pars canonis primi in Breviario noſtræ editionis col. 90. conſtituit *titulum* 8. diſtinctum a ſecunda parte, quæ apud ipſum eſt *tit.* 9. Similiter idem primus canon noſtræ editionis in duos canones diſtinguitur in codice 55. Capituli Veronenſis. In Iſid. c. 4. hæc prima pars poſtponitur ſecundæ, uti etiam poſtponitur in cod. Afric. c. 16. Confer dicenda canone ſequenti, qui ſecundam partem diſtinctam exhibet.

IX. *Ut ante XXV. ætatis annos* &c. ut in noſtra Breviarii editione c. 1. col. 90. Ferrandus num. 121. *Concil. Carth. tit.* 9. Hic canon in Synodo Bonifacii anni 525. citatur *ex Concilio* III. ſub Aurelio; cumque non omnes, ſed aliquot tantum hujus Concilii canones ibidem proferantur, hic canon recitatur primo loco, quem explicationis gratia *paragraphi primi* nomine deſignavimus, & ſimiliter reliquos ibidem recitatos paragraphi ſecundi, tertii, quarti &c. vocibus deſignaturi ſumus. Iſidorus cap. 4. & Codex Afr. c. 16. hunc canonem referunt, ſed mutilum, deſunt enim illa, *ut primum Scripturis divinis* &c. uſque ad finem. Id autem ea de cauſſa accidiſſe videtur, quia tum Dionyſius Exiguus, ex quo ſumtus fuit vulgatus Codex Eccleſiæ Africanæ, tum antiquus auctor collectionis Synodorum Africanarum ab Iſidoro ſuſceptæ hunc canonem cum præcedenti conjunctum exſcripſerunt, non ex Breviario, quod in omnibus noſtris codicibus eumdem canonem cum iiſdem verbis exhibet, nec ex vero Concilio Carthaginienſi anni 397., cui integrum Breviarium inſertum fuit; ſed ex Concilio Carthaginienſi anni 419., in quo idem canon inter priores canones 33. ſine laudatis verbis legitur. Alia quidem ex hac eadem Synodo apud Iſidorum Carthaginienſi III. perperam attributa deinceps videbimus.

X. *Ut ordinatis Epiſcopis* &c. ut in Breviario c. 2. col. 90. In Concilio Bonifacii laudatur §. 2. Apud Iſid. eſt c. 3. In Cod. Afr. c. 18.

XI. *Ut etiam per ſolemniſſimos paſchales dies* &c. ut in Breviario c. 3. col. 91. Apud Ferrandum num. 226. *tit.* 11. in Concilio Bonifacii §. 3. Iſid. c. 5.

XII. *Ut corporibus defunctorum* &c. ut in Breviario c. 4. col. 91. uſque ad illa *nec edere*. Ferrandus num. 227. *tit.* 12. Etſi vero in editione Breviarii hic canon copuletur cum ſequenti; utrumque nihilominus dividendum in reſtituendo Concilio Carthaginienſi anni 397. idcirco credimus, quia non ſolum diſtincti proferuntur apud Ferrandum, verum etiam in Synodo Bonifacii, quæ hos duos canones diſtinctos ex Carthaginienſi III. allegavit, unum § 4. alterum §. 5. Codex Barberinus 2888. in ipſo Breviario exhibendo hos canones dividit. Iſid. c. 6. & Cod. Afr. c. 18. utroſque in unum conjunctos præbent.

XIII. *Deinde cavendum eſt* &c. In editione Breviarii eſt ſecunda pars canonis quarti col. 91. Ex ſerie autem numerorum in Ferrandi codice erat *tit.* 13. Apud Bonifacium deſcribitur §. 5. apud Iſid. c. 6. In Cod. Afr. aliis verbis affertur circa medium can. 18., quo Synodus Carthaginienſis anni 419. tres vel potius quatuor canones Breviarii Hipponenſis copulatos adoptans, quædam etiam verba immutavit.

XIV. *Ut propter cauſſas* &c. ut in Breviariu c. 5. col. 91. Ex ſerie vero titulorum apud Ferrandum erat in ſuo codice *tit.* 14. Apud Iſid. c. 2. In Cod. Afric. prima pars cum aliqua mutatione verborum legitur can. 18. ſecunda can. 14.

XV. *Ut quiſquis Epiſcoporum* &c. ut in Breviario c. 6. col. 92. Ferrandus num. 58. *Concil. Carth. tit.* 15. Iſid. c. 7. & Codic. Afric. c. 19. ex hoc & ſequenti canone unum compingunt. Uterque præterea lectiones quaſdam habet a Concilio Carthaginienſi anni 419. immutatas, quibus palam fit hunc canonem ab auctore collectionis Africanarum Synodorum in Iſidorum traductæ ſumtum fuiſſe ex Concilio anni 419., ad quod pertinent priores canones 33. in Codice Africano deſcripti; non vero fuiſſe excerptum ex Breviario Hipponenſi, aut ex Concilio Carthaginienſi anni 397., ubi duo canones diſtinguuntur, nec Aurelii nomen canoni præmittitur, ſicut & omnes alii ejuſdem Concilii canones nullo Epiſcopo proponente exhibentur. In vulgato autem Iſid. lectiones quædam ex Breviario inſertæ fuere: at monente P. Harduino codices concinunt cum lectionibus Concilii anni 419.

XVI. *Si autem nec ad Concilium* &c. ut in Breviario c. 7. col. 93. Ex ſerie Ferrandi in ejus codice erat *tit.* 16. Quantum ad Iſid. & Cod. Afr. recole quæ in canonem præcedentem animadvertimus.

XVII. *Si autem Presbyteri* &c. In Breviario c. 8. col. 93. Ferrandus num. 51. *tit.* 17. Iſid. c. 8. Cod. Afr. cum aliqua exigua varietate lectionis c. 20.

XVIII. *Sane quiſquis Epiſcoporum* &c. ut in Breviario c. 9. col. 94. Apud Ferrandum num. 67. eſt *tit.* 18. In Synodo Bonifacii anni 525. *Ex Concilio III. Aurelii* §. 6. Iſid. c. 9. In Cod. Afr. c. 15. omittitur ultima periodus, & duo canones ſequentes junguntur.

XIX. *Hoc etiam placuit* &c. in Breviario c. 10. col. 94. Ferrandus num. 62. *tit.* 19. primam partem laudat: numero autem 64. allegat ſecundam, ubi *tit.* 19. corrigendum eſt pro *tit.* 15. In Iſid. eſt c. 10. in Cod. Afr. c. 15.

XX. *Quod Filii Epiſcoporum* &c. ut in Breviario c. 11. col. 94. Apud Ferrandum num. 40. eſt *tit.* 20. Cod. Afr. c. 15. & Iſid. c. 11. eamdem ſententiam partim iiſdem, partim aliis verbis efferunt: iidemque inter ſe ſe aliquot verbis diſcrepant.

XXI. *Ut gentilibus, vel etiam hæreticis* &c. ut in Breviario c. 12. col. 95. Apud Ferrandum num. 39. eſt *tit.* 21. In Synodo Bonifacii legitur §. 7. in Iſid. c. 12. Codex vero Afr. c. 21. aliis atque aliis verbis exprimit.

XXII. *Ut Epiſcopi vel Clerici filios ſuos* &c. c. 13. Breviarii col. 95. Apud Ferrandum num. 41. *tit.* 22. Iſid. c. 14. Cod. Afr. c. 35.

XXIII. *Ut Epiſcopi vel Clerici in eos* &c. in Breviario c. 14. col. 95. Apud Ferrandum num. 33. *tit.* 23. Laudatur in Synodo Bonifacii §. 8. Iſid. c. 13. (ut in MSS. legitur) & Cod. Afr. c. 22. aliam lectionem præferunt propriam Synodi anni 419.

XXIV. *Ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi non ſint conductores* &c. c. 15. Breviarii col. 95. In Synodo Bonifacii legitur §. 9. Apud Ferrandum num. 70. *tit.* 24. Iſid. c. 15. & Cod. Afr. c. 16. aliam lectionem Synodi anni 419. peculiarem repræſentant.

XXV. *Ut cum omnibus omnino Clericis* &c. ut in Breviario c. 16. Ferrandus num. 122. citat hunc canonem *Conc. Carth.* ſed titulus omittitur, qui ſupplendus eſt *tit.* 25. Apud Iſid. eſt c. 17.

XXVI. *Ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi non ordinentur* &c. in Breviario c. 17. col. 95. In Ferrando num. 15. *Conc. Carth. tit.* 3. ubi error irrepſit in numerum, ut patet vel ex Synodo Bonifacii, in qua hic canon poſt præcedentes recitatur §. 10. Corrigendum eſt autem in Ferrando ex reliquorum numerorum ſerie *tit.* 26. In Iſid. habetur c. 18. in Cod. Afr. c. 36.

XXVII. *Ut lectores uſque ad annos pubertatis* &c. c. 18. Breviarii col. 95. Apud Ferrandum num. 129. *tit.* 27., ubi tamen hic canon ita aliis verbis proponitur, ſicut in Iſid. c. 18., & in Cod. Afr. c. 16.

XXVIII. *Ut Clericum alienum* &c. c. 19. Breviarii col. 96. Apud Ferrandum num. 27. *tit.* 28. Iſid. c. 21.

XXIX. *Ut nullus ordinetur* &c. in Breviario c. 20. col. 96. Ferrandus num. 232. *tit.* 29. Iſid. c. 22. Legitur in Synodo Bonifacii §. 11.

XXX. *Ut nemo in precibus* &c. c. 21. Breviarii col. 96. Apud Ferrandum num. 219. *Conc. Carth. tit.* 31., ubi ex ejus ſerie corrigendum *tit.* 30., cum præſertim etiam in Synodo Bonifacii afferatur §. 12. poſt canonem præcedentem, eidemque ſubjiciantur ut diſtincti duo canones ſequentes, quorum ultimus apud Ferrandum ſignatur *tit.* 32. In Iſid. eſt c. 23.

XXXI. *Ut nullus Clericorum amplius* &c. c. 22. Breviarii col. 96. Apud Ferrandum deeſt; ſed legitur in Synodo Bonifacii §. 13. In Iſid. eſt c. 16. partim eadem, partim diverſa lectione. In Cod. Afr. c. 16. aliis omnino verbis.

XXXII. *Ut in ſacramentis* &c. Breviarii c. 23. col. 96. Apud Ferrandum num. 213. *tit.* 32. Laudatur in Synodo Bonifacii §. 14. Idem eſt in Cod. Afr. c. 37. Iſidorus autem c. 24. alia præterit, alia ob huiuſmodi omiſſionem diverſis verbis effert.

XXXIII. *Ut Clerici, vel continentes* &c. in Breviario c. 24. col. 96. Apud Ferrandum num. 132. *tit.* 33. Cod. Afr. c. 38. Iſid. c. 25.

XXXIV. *Ut primæ Sedis Epiſcopus* &c. Breviarii c. 25. col. 97. Ferrandus num. 81. *tit.* 34. Legitur in Synodo Bonifacii §. 15. Cod. Afr. c. 39. Iſid. c. 26.

XXXV. *Ut Clerici edendi* &c. c. 26. Breviarii col. 97. Apud Ferrandum num. 134. *tit.* 35. In Iſid. c. 27. Cod. Afr. c. 40.

XXXVI. *Ut Epiſcopi non proficiſcantur* &c. c. 27. Bre-

Breviarii col. 97. Ferrandus num. 86. *tit.* 36. In MSS. Iſid. c. 28., & in Cod. Afr. c. 23. deeſt poſtremum membrum.

XXXVII. *Sacramenta altaris* &c. c. 28. Breviarii. Ex Ferrandi ſerie eſt *tit.* 37. Exſtat in Synodo Bonifacii §. 16. In Iſid. c. 29. & in Cod. Afr. c. 41. Hic canon uti Hipponenſis Breviarii laudatur ab Honorato & Urbano Epiſcopis c. 47. Codicis Afr.

XXXVIII. *Ut nulli Epiſcopi, vel Clerici* &c. c. 29. Breviarii col. 97. Apud Ferrandum num. 71. *tit.* 38. Iſid. c. 30. Cod. Afr. c. 42.

XXXIX. *Ut pœnitentibus* &c. c. 30. Breviarii. Ferrandus num. 49. *tit.* 39. Cod. Afr. c. 43. Iſidorus vero dividit in duos canones 31. & 32.

XL. *Ut virgines ſacræ* &c. c. 31. Breviarii col. 98. Apud Ferrandum num. 48. *tit.* 40. Iſid. c. 33. Cod. Afr. c. 44.

XLI. *Ut ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere* &c. in Breviario c. 32. col. 98. Apud Ferrandum num. 202. *tit.* 41. Exſtat in Synodo Bonifacii §. 17. in Iſid. c. 34. & in Cod. Afr. c. 45.

XLII. *Ut ſcenicis* &c. c. 33. Breviarii. Ferrandus num. 170. *tit.* 42. Iſid. c. 35. In Cod. Afr. additur præcedenti c. 45.

XLIII. *Ut Presbyter inconſulto* &c. c. 34. Breviarii col. 98. Apud Ferrandum num. 91. *tit.* 43. Legitur in Synodo Bonifacii §. 18. & in Iſid. c. 36.

XLIV. *Ut Clerici in aliena* &c. c. 35. Breviarii. In Ferrando num. 135. *tit.* 44. Eſt in Synodo Bonifacii §. 19. in Iſid. c. 37.

XLV. *Ut præter Scripturas* &c. in Breviario c. 36. uſque ad verba *Eccleſia conſulatur*. Apud Ferrandum num. 228. *tit.* 45. Cod. Afr. c. 24., ubi pro tempore, quo repetitus fuit hic canon in Concilio anni 419., Bonifacii Papæ nomen cum aliis verbis in fine inſeritur. In Breviario hic canon cum ſequenti copulatur c. 36. uti etiam in Synodo Bonifacii §. 20. In Iſid. c. 47. uterque canon ſimiliter jungitur, ſed ita ut ex Synodo anni 419. exſcriptus fuerit, concinatque omnino cum can. 24. Codicis Africani. Ferrandum in diviſione ſequuti ſumus, quia partitionem & ordinem omnium canonum tertii Concilii ſub Aurelio ex ipſo tantum elicere licuit.

XLVI. *Liceat etiam legi paſſiones Martyrum* &c. ut in fine can. 36. Breviarii col. 100. Ferrandus num. 229. *tit.* 46. Cod. Afr. c. 46. In Synodo Bonifacii §. 20. & in Iſid. c. 4. in fine.

Duo canones de Donatiſtis huic Synodo aſſerti.

XLVII. *Placuit etiam, ut quoniam* &c. c. 37. Breviarii col. 101., & poſt ultima verba *tranſmarina Eccleſia conſulatur*, hæc addantur: *De Donatiſtis placuit, ut conſulamus* &c. ut in Cod. Afr. c. 47. uſque ad illa verba *ne promoveantur ſacri altaris miniſtri*: ac dein ſubſcriptiones apponantur: *Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginienſis his placitis a nobis omnibus confirmatis* &c. cum reliquis in fine Breviarii ſubjectis col. 104.

Cum unicum canonem 47. Breviarii ultimum ſubſequens Ferrandi ſeries inſerendum concedat, duos, qui de Donatiſtis ſtatuunt, ad unum canonem 47. pertinuiſſe nihil ambigimus. Unus ſumtus ex can. 37. Breviarii de Clericis Donatiſtarum certa quadam reſtrictione in ſuo gradu recipiendis loquitur; alter productus ex can. 47. Codicis Africani ſtatuit de Donatiſtarum infantibus in Clerum admittendis: ac in utroque tranſmarinam Eccleſiam conſulendam decernitur. In Hiſtoria Donatiſtarum part. 2. c. 9. alteram partem de infantibus recipientes, priorem de Clericis ſumtam ex editione Breviarii in ſuppoſitionis ſuſpicionem adduximus. Sola tunc Queſnelliana collectio canonum nobis nota erat, ex qua Breviarium prodierat: cumque hæc duos alios canones 38. & 39. Breviario addititios perperam ſuſceperit; nihil mirum, ſi etiam canon 37. eidem aliunde acceſſiſſe crederetur. At duas alias diverſæ originis, & vetuſtiſſimas collectiones MSS. nacti ſumus, quæ Breviarium cum eodem canone de Clericis pariter exhibent, alteram in MS. Barb. 2888., alteram in cod. 55. Capituli Veronenſis: quæ poſtrema id peculiare habet, quod alios duos canones 38. & 39. uti certe addititios ignorat. Ex hac igitur trium collectionum antiquiſſimarum concordia hunc canonem de Clericis a Breviario haud ex-

tom. 4. Operum Card. Noriſii pag. 429.

pungendum cognovimus, niſi quid omnino efficax cogeret. Expendentes itaque exactius, quæ nos olim perurgebant, nihil cogere deprehendimus. Illa ejuſdem canonis verba, *Præcedentibus Conciliis ſtatutum eſt, ne quis Donatiſtarum cum honore ſuo recipiatur a nobis*, præcipuam difficultatem movebant: tum quod nullum ejuſmodi interdictum in anterioribus Africæ Synodis, quarum memoria ſupereſt, invenitur; tum præſertim quod contraria potius diſciplina *ab ipſius ſeparationis exordio* in Africa viguit, uti traditur in Collatione Carthaginienſi primæ diei num. 16. At re melius perpenſa, *ſtatutum* illud, ſeu interdictum ad tranſmarinum Concilium referri credimus, cui Africani ut obſequerentur, idem interdictum in ſuis quoque Synodis repetiiſſe videntur. Id ne gratis credatur aſſertum, res plenius explicanda eſt; cum præcipue ex dicendis patefaciendum ſit, quantum Africani Romanæ Eccleſiæ auctoritati detulerint.

tom. 3. Conc. col. 158. d.

Conſuetudo quidem Africanæ Eccleſiæ *ab ipſius ſeparationis exordio* hæc fuerat, ut Clerici Donatiſtarum ad unitatem redeuntes, in ſuo gradu reciperentur. At ſupervenit interdictum memoratum tranſmarini Concilii, quod aperte aſſeritur in Synodo Carthaginienſi anni 401. Iduum Septembris can. 68. Cod. Africani his verbis: *In tranſmarino Concilio ſtatutum eſt, ut ordinati in parte Donati, ſi ad Catholicam correcti tranſire voluerint, non ſuſcipiantur in ſuis honoribus*. Aliud quoque interdictum tranſmarinæ Synodi, in qua una cum Romano Mediolanenſis etiam Antiſtes interfuit, indicatur in alio Concilio Carthaginienſi ejuſdem anni 401. XVI. Kal. Julias, ne infantes Donatiſtarum ad Eccleſiam reduces, ad ordines promoverentur. Ibi enim decreta fuit legatio ad Papam Anaſtaſium, & ad Venerium Mediolanenſem, ut in eo interdicto ob inopiam Clericorum & neceſſitatem Eccleſiæ ad eoſdem infantes ordinandos diſpenſatio peteretur, *quia ab his Sedibus hoc fuerat prohibitum*. Vide Cod. Afric. c. 57. ejuſque prooemium. His autem interdictis adeo paruerunt Epiſcopi Africani, ut, cum rari eſſent catholici ordinandi, ſumma eſſet Clericorum inopia, multæque Eccleſiæ eſſent deſertæ, nec unus quidem Diaconus alicubi reperiretur, uti fuſius in laudato prooemio traditur. In hac autem Eccleſiarum neceſſitate illa quidem tranſmarina interdicta partim abroganda, partim reſtringenda Africani Patres cenſuere. At auctoritatem tranſmarinæ Eccleſiæ reveriti, nihil contra per ſe abſolute ſtatuere, nec ab interdictis, licet urgeret neceſſitas, ſaltem facto recedere, ac priſtinam conſuetudinem revocare; ſed quidquid expedire videbatur, canone quidem exponendum, non tamen conſtituendum, aut exequendum putarunt, niſi prius tranſmarina Eccleſia conſuleretur. Id primum (quod ſciamus) expreſſum fuit in Synodo Hipponenſi anno 393. tum in Synodi Carthaginienſis anni 397. noſtro canone 47. qui ex Hipponenſi excerptus fuit. Iterum vero repetitum in alio Concilio Carthaginienſi anni 401. XVI. Kal. Julias can. 57. Codicis Africani, ac tandem in alia ejuſdem anni Synodo Idibus Septembris can. 68. Cod. Afr. In quo cum Romani *maxime* Pontificis conſenſus ac veluti diſpenſatio petenda decernitur, hujus potiſſimum Sedis auctoritas in tranſmarino Concilio apud Afros valuiſſe cognoſcitur. Hæc toties decreta tranſmarinæ, ſeu Romanæ Eccleſiæ conſultatio, laudatorum interdictorum ad hoc uſque tempus obſervantiam declarat; cum præſertim in poſtrema Synodo Iduum Septembris anni 401. Patres teſtentur, ſe eam diſpenſationem quærere propter Eccleſiæ pacem & utilitatem; *non ut Concilium, quod in tranſmarinis partibus de hac re factum eſt, diſſolvatur*. Qui vel in maxima neceſſitate & penuria Clericorum nihil per ſe voluerunt mitius interpretari & conſtituere, ne interdictum tranſmarinum diſſolverent, niſi prius Romanum Pontificem conſulerent, & diſpenſationem obtinerent; quantam hujus Sedis auctoritati obedientiam & obſervantiam tribuerent, nemo non videt. Ideo vero tamdiu dilata res fuit, quia licet decretum de conſulenda tranſmarina Eccleſia latum fuerit anno 393. & in Breviario repetitum anno 397. nondum tamen exequutioni mandatum fuerat

Duo interdicta tranſmarina.

Quantum Afri iiſdem paruerint.

Quantum Romanæ Sedi deferrent.

rat anno 401. Itaque hoc anno in Synodo XVI. Kal. Julias ne conſultatio amplius differretur, legatio ad tranſmarinam Eccleſiam deſtinata eſt, qua Africani Epiſcopi de ſolis infantibus conſuluerunt. Tum in alia Synodo anni ejuſdem Idibus Septembris de Clericis Donatiſtarum recipiendis per litteras interceſſere. Ex hac autem hiſtoria non tam ſoluta eſt propoſita objectio, quia hic canon 47. de Clericis Donatiſtis loquens a Breviario excludendus videbatur; ſed potius confirmatum maxime reſtat, Africanos Patres de hac re, quæ a tranſmarina Eccleſia interdicta fuerat, fuiſſe ſollicitos, ac ſtatuiſſe conſulendum Eccleſiam tranſmarinam, licet exequutio in annum 401. dilata fuerit.

Reſtat altera difficultas ex Dionyſio Exiguo, ſeu ex can. 47. Codicis Africani, in quo poſt antecedentem Breviarii canonem 46. de paſſionibus Martyrum, omiſſo canone de Donatiſtarum Clericis, de ſolis ipſorum infantibus Siricium & Simplicianum conſulendos decernitur. Idipſum etiam legitur in collectione Iſidori can. 48. ac præterea in Synodo anni 401. can. 57. Codicis Africani hic canon de parvulis ſuperiori Concilio editus traditur. Hunc autem fuiſſe poſtremum canonem Breviarii Hipponenſis patet ex iis, quæ ſtatim ſubjiciuntur tam in Codice Africano, quam apud Iſidorum: *Quibus inſertis Honoratus & Urbanus legati provinciæ Mauritaniæ Sitifenſis dixerunt . . . De fide enim Nicæni tractatus audivimus*. Hic Breviarium Hipponenſe lectum ac geſtis *inſertum* palam innuitur; ac propterea canon de parvulis, qui præcedit verba *quibus inſertis*, pertinet ad Breviarium, quod geſtis inſertum fuit. Hinc quidem idem canon nullo Epiſcopo proponente deſcribitur, uti nullo pariter proponente Epiſcopo recenſiti fuerunt etiam reliqui ejuſdem Breviarii canones: cum e contra omnes canones poſt ejuſdem lectionem conditi in ipſa Synodo Carthaginienſi anni 397. aliquo Epiſcopo interloquente ac proponente efferantur.

Hæc vero facile concilianda cognovimus, ſi nec canon de Clericis, nec alter de infantibus excludantur a Breviario, ſed ex utroque unus canon conficiatur. Primo ſcilicet de Clericis actum fuit, ita tamen ut, ante quam id abſolute firmaretur, tranſmarina Eccleſia conſulenda eſſet. Cum vero hoc obtinere videretur difficilius, de ſolis infantibus Siricium & Simplicianum conſulere interim placuit. Similiter quidem, licet Aurelius in Synodo Carthaginienſi anni 401. can. 57. Codicis Afric. propoſita catholicorum Clericorum penuria, Donatiſtas Clericos *cum plebibus atque honoribus ſuis* recipiendos percuperet, & hoc tranſmarinorum Epiſcoporum conſiderationi dimittendum cenſuerit; hac tamen conſultatione in aliud tempus dilata, eos interim de parvulis *tantum* conſulendos putavit. *Quamquam*, inquit, *nonnulli ejuſdem ſectæ Clerici cum plebibus atque honoribus ſuis ad nos tranſire deſiderent, qui amore honoris aut perſuadent ad vitam, aut retinent ad ſalutem. Sed hoc majori fratrum ſupradictorum* (Epiſcopi Romani atque Mediolanenſis) *conſiderationi dimittendum cenſeo, ut, prudentiori ſuo conſilio noſtræ ſuggeſtionis ſermonem cum perpenderint, quid de hac re eis placeat, nos informare dignentur. TANTUM DE HIS QUI INFANTES BAPTIZATI SUNT, ſatagimus, ut noſtræ, ſi placet, in iiſdem ordinandis CONSENTIANT voluntati*. Vides hic utrumque decretum de Clericis & de infantibus Donatiſtis ſimili ratione efferri, & ita copulari, ut in noſtro canone conjungenda putamus? Unum movere poteſt, utrumque noſtri canonis decretum in nullo codice copulari, ſed alterum deeſſe in tribus laudatis collectionibus, quæ Breviarium ſeparatim continent; in Dionyſio vero, ſeu Codice Africano, & in Iſidoro alterum deſiderari. Verum Dionyſium, & Iſidori collectionem alios Breviarii canones omiſiſſe jam vidimus. Cur vero altera noſtri canonis pars, quæ hiſce teſtibus probatur ſpectare ad Breviarium, in omnibus hujus Breviarii codicibus deſit, ignoramus. Ex his vero omnibus canon 47. Synodi Carthaginienſis anni 397. ex duabus partibus conſtat, nimirum ex can. 37. Breviarii, & ex can. 47. Codicis Africani. Huic autem integro canoni Breviarii Hipponenſis ultimo ſubſcriptiones

tom. 2. Conc. col. 1297. e

ipſius Breviarii idcirco ſubjiciendas duximus, quia totum Breviarium cum iiſdem ſubſcriptionibus Synodo laudatæ fuiſſe inſertum veroſimillimum eſt. Ita quodnam ſit verum & integrum Breviarium Hipponenſe, & quinam ſint celebres canones Concilii Hipponenſis anni 393. palam conſtitutum eſt. In vulgata editione Breviarii, & in quibuſdam codicibus duo alii canones in fine adjiciuntur, ſed perperam; cum primus canon addititius ſpectet ad Synodum Carthaginienſem anni 397. conflatuſque ſit ex duobus ejuſdem Synodi canonibus 49. & 50. mox indicandis: alter vero ſit canon Concilii Carthaginienſis habiti Idibus Septembris anno 401. ac propterea hi canones jure omittuntur in optimo MS. 55. Capituli Veronenſis. Nunc indicandi reſtant canones in ipſa plenaria Synodo anni 397. conditi, qui Epiſcopis interloquentibus propoſiti, ab Hipponenſibus in Breviario contractis facile diſtinguuntur.

XLVIII. *Quibus inſertis Honoratus & Urbanus Epiſcopi legati provinciæ Mauritaniæ Sitifenſis dixerunt: Jamdudum cum apud ſanctitatem veſtram* &c. ut in Cod. Afric. c. 47. paullo ante medium tom. 2. Concil. Ven. edit. col. 1284. d. cum quo jungendus eſt uno contextu etiam canon 48. *Illud autem ſuggerimus* &c. uſque ad finem. Ibi col. 1285. Horum Epiſcoporum Sitifenſium *legatio* ſicuti in antecedenti conventu Carthagine habito die X. Kal. Septembris ſtatim poſt Breviarium lecta fuiſſe traditur can. 1. ſeu in præfatione Aurelii, quæ in Cod. Africano præmittitur canoni 34. ita etiam in hac quaſi altera ejuſdem Concilii actione habita V. Kalendas ejuſdem menſis, in qua geſta prioris conventus repetita fuere, Breviarii lectioni recte ſubjicitur. Canonem vero 48. Codicis Africani, quo eadem Honorati, & Urbani interloquutio continuatur, idcirco jungimus cum poſtrema parte canonis 47. quia priorem partem hujus canonis de infantibus Donatiſtis agentem uſque ad interlocutionem Sitifenſis ad canonem 47. hujus Synodi pertinere oſtendimus. Ferrandus num. 175. hunc canonem allegat ſic. *Conc. Carth. tit.* 48. In Iſid. eſt c. 38.

XLIX. *Honoratus & Urbanus Epiſcopi dixerunt: Et illud nobis mandatum eſt* &c. ut in c. 49. Cod. Afric. col. 1285. c. Apud Ferrandum num. 4. *tit.* 49. Iſid. c. 39.

L. *Sed & illud eſt ſtatuendum* &c. ut in Cod. Afric. c. 50. col. 1288. a. Apud Ferrandum num. 5. *tit.* 50. Iſid. c. 40.

LI. *Honoratus & Urbanus* [illegible] *niam de commonitorio noſtro* [illegible] Afr. c. 51. cum quo copulandus eſt c. [illegible] 52. ejuſdem Codicis, quippe quos in unum junctos Ferrandus in ſuo exemplari invenit: nam caput 53. Codicis Africani num. 13. allegat *tit.* 52. hujus autem canonis 51. primam partem num. 231. citat *tit.* 5. ubi corrigendum *tit.* 51. Hæc prima pars tantum legitur in Iſid. c. 41.

LII. *Epigonius Epiſcopus dixit: In hoc Breviario* &c. uti in Cod. Afric. c. 34. col. 1280. d cum quo jungendus eſt can. 53. ejuſdem Codicis Africani col. 1289. a *Epigonius Epiſcopus dixit: Multis Conciliis hoc ſtatutum a cœtu ſacerdotali eſt* &c. uſque ad finem. Epiſcoporum Sitifenſium legatione antecedentibus canonibus exacta, Epigonius ſuam ſententiam propoſuit. Hujus prior interloquutio, qua Breviarium lectum præſumitur, in Codice Africano extra proprium, ut videtur, locum refertur can. 34. antequam Breviarii canones recenſeantur. Olim quidem credebamus hanc interloquutionem recte a Dionyſio potuiſſe ſubdi poſt præfationem Aurelii in eodem Cod. Afr. deſcriptam ante can. 34. Sed cum hæc Aurelii præfatio Breviarii lectionem mandet, veriſimilius eſt hanc lectionem ſtatim fuiſſe ſubſequutam, & Epigonium poſt lectum Breviarium ea verba protuliſſe, cum exacta jam Sitifenſium legatione, quæ ex dictis primo loco propoſita fuit, eidem Epigonio loquendi locus patuit: præcipue quod idem Epigonius nihil in Breviario emendandum, vel addendum cenſuit, niſi *ut dies ſancti Paſchæ tempore Concilii innoteſcat*: quod idcirco expreſſum videtur, quia id a Sitifenſibus antecedenti canone 51. petitum & ab Aurelio conceſſum fuerat. Duplicem autem Epigonii interloquutionem jungimus, quia canon

non 53. Codicis Afric. in quo ſecunda ejus interloquutio exhibetur, laudatur a Ferrando num. 13. *tit.* 52. In Iſidoro deeſt prima interloquutio Epigonii; ſecunda vero in duos canones dividitur c. 42. & 43. Poſtrema pars alterius interloquutionis allegatur in Synodo Bonifacii §. 21.

LIII. *Epigonius Epiſcopus dixit: In multis Conciliis hoc ſtatutum eſt, etiam nunc hoc confirmandum* &c. uti can. 54. Codicis Afric. col. 1292. a. Apud Ferrandum num. 27. *tit.* 53. Iſid. c. 44. In Synodo Bonifacii §. 22.

LIV. *Aurelius Epiſcopus dixit: Sermonem meum admittite* &c. ut in Cod. Afric. c. 55. & 56. qui hic copulandi ſunt. Sequimur enim Ferrandum, qui num. 230. primum canonem 55. Codicis Afric. citat *tit.* 54. & num. 13. ac 14. alterum canonem 56. item laudat *tit.* 54. Iſidorus tres canones conficit, ac inter ſe disjungit c. 45. 46. & 55. In Synodo Bonifacii prima pars integra exhibetur tom. 5. Concil. col. 781. altera vero compendio indicatur col. 779. §. 23.

Hic eſt ultimus canon Concilii Carthaginienſis III. anni 397. poſt quem adjiciendæ ſunt Epiſcoporum, qui eidem Concilio III. interfuerunt, ſubſcriptiones. Una tantum Aurelii ſubſcriptio legitur in Cod. Afric. c. 56. col. 1296. a; duas alias Epigonii & Auguſtini addit Iſidorus, ubi ceteri Epiſcopi notantur hac formula: *Similiter & omnes Epiſcopi quadraginta quatuor numero ſubſcripſerunt*. Alii codices habent *quadraginta ſeptem*, vel *quadraginta octo*. Difficultatem nonnulli movent ex ſubſcriptione Auguſtini, qui Numidiæ Epiſcopus huic Synodo non adfuiſſe videtur: cum Numidæ diutius differentes ad Concilium accedere, expectati non fuerint, ut liquet ex Aurelii præfatione deſcripta ante can. 34. Codicis Africani, nec non ex can. 47. At de ſolis legatis Numidiæ aliquandiu expectatis hiſce in locis ſermo eſt. Auguſtinus autem ad Synodum veniſſe dicendus eſt, etſi legatione ſuæ provinciæ non fungeretur, quemadmodum ad Synodum Carthaginienſem anni 403. idem Auguſtinus cum Alypio & Poſſidio acceſſit, licet Numidiæ legati nondum perveniſſent. Vide præfationem ejuſdem Concilii tom. 2. Conc. col. 1320. d. Auguſtinum vero inter ceteros conveniſſe in Concilio Carthaginienſi III. non ſolum probant tres vulgatæ ſubſcriptiones, quæ ex codd. collectionum Hiſpanicæ & Iſidori prodierunt; verum etiam confirmat diverſæ originis codex Vat. Palat. 574. ex quo uberiores ſubſcriptiones Concilii reſtituto ſubjiciendas appendimus.

tom. 2. Conc. col. 1410. e

Subſcriptiones ex codice productæ.

Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginienſis huic decreto conſenſi, & relecto ſubſcripſi: & ceteri Epiſcopi ſubſcripſerunt; id eſt, Victor Epiſcopus, Felix Epiſcopus, Numidius Epiſcopus, Epigonius Epiſcopus, Honoratus Epiſcopus, Donatus Epiſcopus, Eleſius Epiſcopus, Reginus Epiſcopus, Palatinus Epiſcopus, Honoratus Epiſcopus, Victorianus Epiſcopus, Poſthumianus Epiſcopus, Victor Epiſcopus, Bonifacius Epiſcopus, Felix Epiſcopus, Reſtitutianus Epiſcopus, Bonifacius Epiſcopus, Donatus Epiſcopus, Ferox Epiſcopus, Antonius Epiſcopus, Baſilius Epiſcopus, Reſtitutus Epiſcopus, Paſchaſius Epiſcopus, Victor Epiſcopus, Auguſtinus Epiſcopus, & reliqui Epiſcopi numero XLIII.

In editione Iſidoriana præter defectus antea indicatos canon alius 49. perperam additur, quippe qui pertinet ad Concilium Carthaginienſe anni 419. & refertur in Cod. Afr. c. 32. Auctor nimirum collectionis ab Iſidoro receptæ etſi inter Synodos Carthaginienſes recenſeat Concilium anni 419. ipſumque dividat in duo; noluit tamen deſcribere priores ejus canones 33. ea forte de cauſſa, quia in aliis anterioribus Synodis, quas produxit, eos fere omnes contineri perſpexerat quinque ultimis canonibus exceptis, ex quibus ſolum canonem 32. non negligendum ratus, Synodo anni 397. adjiciendum putavit.

§. IV.

De Synodo Carthaginienſi anni 398. VI. Iduum Novembris edita ex collectione Iſidori. Statutorum, quæ in ea continentur, antiquitas atque celebritas ex aliis MSS. collectionibus comprobata. In aliis codicibus inſcribuntur Statuta Eccleſiæ antiqua, *in aliis* Statuta antiqua Orientis. *Diverſus ſtatutorum ordo a vulgato in pleriſque MSS. notatur. Non pertinent ad ullam Synodum Africanam. Sunt collectio, ſeu abbreviatio antiquorum canonum partim Orientalium, partim Occidentalium. Formulæ in ordinatione Officialium Eccleſiæ in fine adjectæ.*

I. POſt Synodum Carthaginienſem anni 397. dicendum eſt de canonibus 104. qui ex Iſidoriana collectione vulgati, adſcribuntur *Concilio Carthaginienſi Africæ IV.* anni 398. Criſtophorus Juſtellus in præfatione ad Codicem Eccleſiæ Africanæ hocce Concilium, cujus nullum indicium eſt in eadem Africanorum canonum collectione, fictitium ac plane repudiandum contendit, nec fidem ullam adhibendam iis canonibus 104. qui ſine auctoritate laudato Concilio adſcribuntur. Hujus exemplum plures ſequuti, vel rejecerunt prorſus hoc Concilium cum canonibus ei attributis, vel dubitationes & difficultates non exiguas ſparſerunt. Alii vero ejuſdem Synodi, quæ non tam Iſidoriana, quam Hiſpanica collectione probatur, vindicias ſuſcepere: Emanuel Schelestratius in diſſert. 3. de Eccleſia Africana priores canones de ritu ordinationum agentes in Synodo Carthaginienſi anni 398. conſtitutos non ambigit, eo quod vulgata præfatio habeat: *Placuit .... in eadem ſancta Synodo conſtituere ea, quæ ad ordines eccleſiaſticos canonicis ſunt neceſſaria diſciplinis*: & in alio codice primo canoni hic titulus præfigatur: *Præfatio capitulorum de ſacris ordinationum ritibus*. At ceteros canones non in ea Synodo conditos, ſed ab aliquo privato partim ex Orientalibus, partim ex Occidentalibus canonibus ſtudioſe congeſtos & aſſutos exiſtimat. Tillemontius art. 123. & not. 29. in Auguſtini vitam hanc Synodum aliqua ratione defendere, ac objectas difficultates diſjicere ſtudet. Ad hujus Synodi canones potius, quam ad canones Synodi anni præcedentis 397. referenda opinatur Aurelii verba, quæ leguntur in proœmio Concilii an. 402. præmiſſo canoni 86. Codicis Africani.

tom. 1. Bibliotb. Jur. Canon. p. 327.

Variæ ſententiæ de hac Synodo

II. In hac controverſia ut dicamus quid probabilius nobis videtur, aliquot obſervationes circa MSS. libros in quibus illi canones inveniuntur, præmittendæ ſunt. Non ſoli codices collectionum Iſidorianæ & Hiſpanicæ, quæ in Africanis Synodis eamdem habent originem, ſed alia atque alia aliarum collectionum & regionum exemplaria eoſdem canones exhibent, ſed diverſa ratione. In MSS. collectionum Hiſp. & Iſid. ii canones præferuntur cum titulo: *Concilium Carthaginienſe Africæ IV. ab Epiſcopis numero CCXIV. Auguſto Honorio IV. & Eutychiano Conſulibus*, id eſt an. 398. Alia collectio contenta in duobus MSS. Veron. 59. & Lucano 88. quam ante Hiſpanicam ex alio antiquiori fonte derivatam oſtendemus part. 4. c. 4. eoſdem canones deſcribit *Ex Synodo Carthaginis Africæ Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ.* id eſt an. 418. Codex Vat. Palat. 574. ſimilis Morbacenſi, qui collectionem repræſentat pure Gallicanam compactam ante medium ſæculum ſextum, hunc duplicem titulum præfigit: *Synodus Africana Epiſcoporum ducentorum quatuordecim. Statuta Eccleſiæ antiqua.* Vetuſtiſſima collectio Corbejenſis pariter Gallicana, codex bibliothecæ Collegii Pariſienſis Soc. Jeſu laudatus (1) a P. Harduino, codex Colbertinus 3368. (2) a P. Couſtantio allegatus, exemplaria MSS. Gemblacenſe & Gandavenſe S. Bavonis, quæ vidit (3) P. Crabbus, aliaque Gallicana, quæ abſque nomine indicantur (4) a P. Sirmondo, hanc tantummodo inſcriptionem exhibent: *Statuta Eccleſiæ antiqua*. Codices Barberinus 2888. & Vat. 1342. unius collectionis Italicæ; Vat. 5845. Vallicel. A 5 cum aliis alterius collectionis, & Vat. 1343. collectionis diverſæ, omnes Italici, inſcribunt: *Statuta antiqua Orientis.* (5) At-

Collectionum MSS. diſcrimen in iiſdem canonibus efferendis.

(1) tom. 2. Conc. col. 1433. not. 8.

(2) In præfat. tom. 1. epiſt. Rom. Pontif. n. 102.

(3) tom. 2. Conc. col. 1435. e 1441. c & 1446. d.

Digitized by Google

(4) tom. 5. Conc. col. 14. b

(5) tom. 1. Spicil. Acher. pag. 438.

(5) Atto Epiſcopus Vercellenſis in epiſtola ad Ambroſium Sacerdotem Mediolanenſem ex Italicis MSS. *Statata antiqua Orientalium*, appellat. Vides in his multas collectiones Hiſpanicas, Gallicanas, Italicas, omneſque antiquas, quæ etſi eoſdem canones contineant, diverſa tamen ratione diſſentiunt.

Diverſitas inſcriptionis.

III. Duplex autem diſcrimen præcipue obſervandum eſt. I. Non omnes codices *Conciliam Carthaginienſe* inſcribunt. Italicæ collectiones, *Statuta antiqua Orientis*: Gallicanæ, *Statata Eccleſiæ antiqua*. Codices collectionum Hip. & Iſid. quæ Africanam Synodum præferunt, uniusejuſdemque originis ſunt. Quod ſi codices Vat. Palatinus & Veronenſis eumdem titulum confirmantes diverſam originem habent; codex Veron. Synodum Carthaginienſem aſſignat, non anno 398, cui illam affigunt MSS. Hiſp. & Iſid. ſed anno 418. Palatinus vero titulo Concilii Carthaginienſis, quod chronica notatione caret, alium titulum addit, *Statata Eccleſiæ antiqaa*, qui priori titulo videtur repugnare: neque enim canones, qui in aliqua Synodo conduntur, *Statata antiqua* appellari queunt. II. Vulgatus canonum ordo, qui ex Hiſpanica & Iſidori collectionibus proficiſcitur, diverſus omnino eſt ab ordine, quem omnes alii codices & collectiones exhibent. Labbeus e Barberino MS. 2888. numeros diverſi ordinis in ſua editione notavit, ſed qui facile fugiunt, nec ſatis inſtruere queunt. Hinc eoſdem canones ex ordine ejuſdem & aliorum noſtrorum codicum hoc tomo recudendos cenſuimus, ac ex eorumdem collatione cum editis palam fiet, ordinem, qui tot diverſis collectionibus probatur, & præfertur etiam in his ipſis MSS. codd. Veron. & Palat. qui Synodum Carthaginienſem in titulo inſcribunt, originarium eſſe: eum vero, qui ex collectionibus Hiſp. & Iſid. antea editus fuit, inductum fuiſſe ab auctore collectionis Synodorum Africanarum in ipſis receptæ, ut canones aptiori methodo diſponeret, & ad certa capita pertinentes, ab origine ſeparatos, atque huc illuc diſperſos uniret. Hinc porro cognoſcetur, canones de ordinatione officialium Eccleſiæ, qui in vulgatis initio proponuntur, ſpectare ad finem, immo diſtingui a ceteris hoc titulo ipſis præfixo: *Recapitalatio ordinationum officialium Eccleſiæ*: ubi *recapitalatio* idem videtur ac *caput*; unde in MS. Herouvalliano habetur: *Caput ordinationis miniſtrorum officialium Eccleſiæ*.

Ordinis diſcrimen.

Inf. col. 653.

Qui ordo verior.

Recapitulatio quid.

Antiquitas canonum probatur.

IV. Nunc ut ſtatuamus quid veriſimilius credimus; tot in primis codices, at tot antiquiſſimæ diverſæ originis diverſarumque regionum collectiones, quæ laudatos canones diverſa licet inſcriptione prænotatos continent, inter quas duæ Palatina & Corbejenſis ſub medium ſextum ſæculum digeſtæ fuerunt; eorum antiquitatem celebritatemque demonſtrant. Ipſa collectio Hiſpanica, quæ hos canones ſub Concilii Carthaginienſis IV. nomine præfert, eamdem antiquitatem confirmat. Africanorum enim canonum collectionem, quæ in Hiſpanicam tranſivit, antiquiorem eſſe Turonenſi Synodo II. celebrata an. 567. probavimus §. 1. n. 3. Addemus & uliud non leve. In ea collectione canonum quæ Concilii Arelatenſis II. nomine circumfertur, dum can. 49. *ſecandam ſtatuta ſenioram* præcipitur, ut excommunicati vitentur non ſolum a Clericis, verum etiam a laicis; noſtra *Statata* indicari videntur. Etſi enim in aliis canonibus Clericis interdictum inveniatur communicare cum excommunicatis: laicis tamen id non legimus vetitum niſi in noſtris *Statatis* can. 40. Cum porro ea collectio Arelatenſis II. nomine donata, ſub S. Cæſario compacta fuerit, ut probabimus cap. 10. §. 2. n. 19. noſtra igitur Statuta ſexto ſæculo antiquiora & in auctoritatem allegata noſcuntur. Hinc quidquid ſit de titulis, ſeu inſcriptionibus diverſis, iidem canones pro ſpuriis ac nullius momenti haberi non poſſunt.

Abjudicantur a Concilio Africano.

V. Tota difficultas circa auctorem verſatur, num ſcilicet ea Statuta Concilio Carthaginienſi adjudicanda ſint. In hac vero inſcriptione, quam plerique & vetuſtiores codices ac collectiones ignorant, falſitatem ineſſe multis argumentis nobis evidentiſſimum eſt. Illud in primis graviſſimum, hujus Synodi, quæ ſi Africana, ob Patrum numerum canonumque copiam atque præſtantiam omnium celeberrima fuiſſet, nullum reperiri indicium nec apud Dionyſium Exiguum, nec apud Ferrandum, neque in Concilio Carthaginienſi ſub Bonifacio anni 525. cum hæc vel maxime inter Africanas memoranda fuerit. Dionyſius quidem dum Synodos recenſuit ſub Aurelio celebratas uſque ad an. 419. etſi aliquot canones alicujus Synodi præterire potuit, vel etiam Synodos, quæ peculiares canones non condiderunt; non tamen Concilium plenarium, quod tot canones in aliis Conciliis fruſtra quæſitos conſtituit. Multo minus hæc Synodus fugere potuiſſet Ferrandum, qui alias etiam peculiares & provinciales Synodos Africæ aliunde incognitas allegavit. In Synodo autem Bonifacii dum plures canones referuntur ex Conciliis ſub Aurelio celebrioribus, Concilia III. VI. VII. uſque ad vigeſimum his numeris canonibuſque diſtinguuntur, qui cum congruant numero & ordini Synodorum, quas Dionyſius refert, huic Concilio Carthaginienſi anni 398. locum non relinquunt. Negativum quidem eſt hoc argumentum; ſed tale, ut, ſi probe intelligatur, hac in re luculentiſſimam & manifeſtam probationem ſuppeditet.

VI. Sed age jam poſitiva & efficacia producamus. Ipſum proœmium, quod in vulgatis ex collectionibus Iſidoriana & Hiſpanica exhibetur, a ſtilo & formulis ceterarum Synodorum Africæ maxime abhorret. Conſulatus in Africanam rationem non *Auguſto Honorio IV.*, ſed *glorioſiſſimo Imperatore Honorio Auguſto IV., & Eutychiano Coſſ.* efferendus fuerat. Additur *in ſecretario* tantum, cum in ceteris Conciliis addatur ſemper baſilicæ nomen: *in ſecretario baſilicæ Fauſti*, vel *Reſtitutæ* &c. Annus præſertim 398. laudato conſulatu deſignatus primo canoni repugnat. In profeſſione enim fidei ab Epiſcopo exigenda adverſus hæreſes id inter cetera ab eodem petendum traditur, *ſi in baptiſmo omnia peccata, ideſt tam illud originale contractum, quam illa, quæ voluntarie admiſſa ſunt, dimittantar*. Id Pelagianam hæreſim aperte impetit, quæ tamen in Africa non innotuit niſi anno 411. Neque credibile eſt ante hujus erroris notitiam adeo expreſſam profeſſionem exactam fuiſſe de dogmate, quod ante Pelagianos a nemine in dubium vocabatur, nec in anterioribus fidei formulis ea inſerta invenietur. Adde quod in ſubſcriptionibus, quæ apud Iſidorum leguntur, refertur *Donatianas Talabricenſis* (corrige *Teleptenſis*) *primæ ſedis*: qui cum anno 398. non eſſet *ſenior*, nec *primæ ſedis* Epiſcopus erat. Præterea illæ ſubſcriptiones eædem ſunt, ac quæ ab eodem Iſidoro ſubnectuntur Concilio Milevitano, reipſa autem pertinent ad Concilium Carthaginienſe anni 418., ad quod etiam ſpectant Patres CCXIV. quibus ea Statuta adjudicantur. Hinc minus male in codice Veronenſi 59. notantur conſules anni 418. Duas vero hujus anni Synodos *Africanam* & *plenariam* contra Pelagianos coactas oſtendemus in Obſervationibus ad Diſſert. XIII. Queſnelli, ubi etiam numerum Patrum CCXIV. a Proſpero indicatum ad Africanam Synodum referendum probabimus. Plura in utraque Synodo contra Pelagianos geſta. Canones vero ſolum editi in plenaria, qui a Dionyſio late proferuntur a can. 108. uſque ad can. 127. nec tamen in his unum ex Statutis invenies. Accedit quod in primo horum ſtatutorum non ſolum Pelagiana, verum etiam Neſtorii ac Eutychis hæreſes palam impetuntur, quæ multo poſt exortæ fuerunt. Ut vero alia omittamus, quæ in aliis Statutis cum Africana ejus ætatis diſciplina minime concordant, illud profecto peremptorium videtur, quod primo capite in Epiſcoporum ordinatione *Metropolitani* auctoritas vel præſentia requiritur. *Metropolitani* nomen non invenietur in Synodis Africanis, quibus *primæ Sedis Epiſcopus*, vel *Primas*, vel *Senex* nomina erant uſitata. Suſpicatur Tillemontius *Metropolitani* vocabulum ab Iſidoro fuiſſe inſertum, ut ſuæ regionis diſciplinæ & locutioni ſe ſe accommodaret. At fruſtra: neque enim ſola exemplaria collectionis Iſidorianæ *Metropolitani* vocem præferunt, ſed ceteræ omnes collectiones, & codices omnes, qui aliam originem habent. Qui conſenſus omnium

codi-

Digitized by Google

codicum cum *Metropolitani* vocem ipſi canonis auctori, vel auctoribus referendam declarat; tum vero hujuſmodi Statuta iis in locis condita oſtendit, ubi Metropolitanorum titulus auctoritaſque vigebat.

Canon additius expungendus.
tom. 2. Conc. col. 1446. a

VII. Hiſce ſtatutis, quæ in MSS. Hiſp. & Iſid. ſunt 104., ex Urgellenſi codice auctioris collectionis Hiſpanicæ unus canon a Baluzio additus eſt. Hic autem ſi genuinus per ſe credatur, certe ad Africanam aliquam Synodum pertinet, ut patet vel ex illis verbis: *Placuit omnibus Patribus per provinciam Carthaginis conſiſtentibus*. Nihil vero id movere debet, ut cetera quoque ſtatuta Africano Concilio tribuantur. Cum enim idem canon in uno MS. Urgellenſi inventus, deſit non ſolum in codicibus aliarum collectionum Gallicanis atque Italicis, verum etiam in aliis Hiſpanicis, & in omnibus Iſidorianis; ac præterea formam a ceteris Statutis plane diverſam præferat; addititius agnoſcitur: nec profecto difficultates ex proœmio & primo capite expoſitas abſtergere poteſt. Adde quod cum ex recitatis verbis ad Synodum videatur referri ſolius provinciæ Proconſularis, cujus caput erat Carthago (niſi quis potius provinciam Carthaginienſem Hiſpaniæ intelligendam exiſtimet) male profecto affictus fuit *univerſali Concilio* Epiſcoporum CCXIV., cui ex duabus aliis provinciis Donatianus Teleptenſis Byzacenæ Primas, & Auguſtinus Epiſcopus Hipponenſis Numidiæ in eodem Urgellenſi codice ſubſcripti exhibentur.

Noſtra ſententia exponitur.

VIII. Ex his porro expuncta epigraphe Concilii Africani, aliæ duæ inſcriptiones conſiderandæ ſuperſunt, *Statuta Eccleſiæ antiqua*, & *Statuta antiqua Orientis*. Hæ vero formulæ nihil novi ab aliqua Synodo conditum in iiſdem ſtatutis contineri, ſed antiqua decreta privato ſtudio a quopiam collecta innuunt. Atto Epiſcopus Vercellenſis ſæculo X. cum in codice MS. Additionum Dionyſii, qui adhuc ſervatur in bibliotheca Capituli cathedralis ejuſdem Eccleſiæ, hæc Statuta reperiſſet una cum *epiſtola canonica*, quam pariter huic tomo inter documenta Juris canonici veteris inferemus, in litteris ad Ambroſium Sacerdotem Mediolanenſem de utrorumque tempore & de auctore quæſivit.

Infra col. 669.
tom. 1. Spicil. d' Acher. pag. 439.

Sinceram caritatem veſtram, inquit, *humiliter expoſcimus de* epiſtola, *quæ in canonibus reperitur, quæ etiam* Canonica *dicitur, cujus capitula XI. eſſe noſcuntur, quæ nobis utiliſſima eſſe videntur, quorum initium:* „ Primum omnium fidem catholicam omnes Presbyteri & Diaconi ſeu Subdiaconi memoriter teneant &c. “ *ſive de* Statutis antiquis Orientalium, *quorum capitula centum dinumerantur. Ex quibus primum apud nos in omni Epiſcoporum conſecratione perquiritur, cujus initium eſt:* Qui Epiſcopus eſſe debet, neceſſe eſt ut antea examinetur &c. *ut de his omnibus nos certificare dignemini, quo tempore, vel loco conſtituta, ſub quo Principe, vel a quibus Patribus, quomodo habenda, vel ſi penitus recipienda, vel in aliquo refutanda dijudicentur.*

Tempus deſignatur.

Tempus Statutorum ex dictis facile colligi poteſt, nimirum paullo poſt hæreſim Eutychianam, quum in proœmio profeſſio catholici dogmatis eidem contraria exigatur, & ante ſubſequens ſæculum VI., quo jam celebria erant hæc Statuta, & in collectiones tranſierant.

Unde ſtatuta ſumta.

Ignotus vero horum Statutorum collector non pauca ex Synodis Orientalium compendio ſumſit. Hoc forte primum ejus conſilium fuit, & exinde titulus *Statuta antiqua Orientis* initio præfixus. Cum porro alia ex canonibus etiam Synodorum Occidentalium, ac ex quibuſdam antiquis formulis, ſeu ritibus Latinis acceſſerint; titulus *Statuta Eccleſiæ antiqua* ſubſtitutus videtur. Nonnulla ex canonibus Africanis excerpta deprehenduntur, ex quibus fortaſſis Synodi Africanæ, ſeu Concilii Carthaginenſis inſcriptio manavit.

Sacr. Gelaſ. lib. 1. c. 95.
Infr. col. 629. n. 3.

Capitula in fine adjecta de ordinationibus officialium Eccleſiæ, in omnibus antiquiſſimis collectionibus deſcripta, ritus hodierni antiquitatem probant. Hæc vero cum non compendio, ſed totidem verbis expoſita ſint, uti leguntur in Gelaſii Sacramentario, diſtincto titulo proponuntur. Plura, ſi vacabit, adnotabimus in ipſa Statuta, cum hoc tomo juxta fidem & ordinem vetuſtiſſimorum codicum proferentur.

Finis ſtatutorum colligendorum quis.

IX. Unum tandem obſervare libet. Cum in eo primævo Statutorum ordine, quem exhibebimus, ipſa Statuta præmittuntur capitulis de ordinatione officialium Eccleſiæ; ſubjiciantur autem proœmio, in quo prærogativæ ejus, qui Epiſcopus ordinandus eſt, referuntur, & ſubjiciantur quidem poſt verba de Epiſcopo ordinando *his Patrum definitionibus acquieſcat*; eadem Statuta eo conſilio ab auctore videntur collecta, ut totam, vel fere totam eccleſiaſticam diſciplinam Epiſcopis ordinandis compendio proponeret, quam vel ipſi in ſe cuſtodirent, vel in alio quolibet Eccleſiæ gradu obſervandam curarent.

§. V.

De Concilio Carthaginienſi anni 399., & de duobus aliis anni 401., quæ ſunt Concilia IV. V. & VI. ſub Aurelio. Alterum Concilium anni 401. reſtituitur.

t. 2 Concil. col. 1296. b.

I. DE Concilio Carthaginienſi anni 399. V. Kal. Majas, quod ex Dionyſii ſerie quartum eſt ſub Aurelio, id tantum memoriæ prodidit laudatus Dionyſius poſt canonem 56. Codicis Africani, legationem fuiſſe deſtinatam ad Imperatorem, ut pro confugientibus ad Eccleſiam legem impetrarent, ne quis eos auderet abſtrahere.

Ib. col. 1454.

II. Duo Concilia Carthaginenſis V. & VI. ſub eodem Aurelio diſtinguuntur a Dionyſio, alterum celebratum XVI. vel XVII. Kal. Julias a canone 57. ad can. 65. Codicis Africani, alterum Idibus Septembris a can. 66. ad can. 85. In editione Iſidori utrumque conjungitur cum inſcriptione *Concilium Carthaginienſe V.* in cujus proœmio vulgato cum deeſſet Conſulis notatio, cujus anni eſſet, ignorabatur. Dies porro apud vulgatum Iſidorum notatus *VI. Kal. Junii* ab utraque die in Dionyſio ſignata diſcrepans, aliud Concilium indicabat. At ſuppleta & emendata ex MSS. poſt Harduinum chronica notatione ſic: *Poſt conſulatum Flavii Stiliconis V. C. die XVI.* al. *XVII. Kal. Julias*; primum Concilium anni 401. palam innuitur. Inter canones quindecim, quos eadem Iſidori editio huic Concilio adſignat, duo tantum priores pertinent ad primum Concilium diei XVI. aut XVII. Kal. Julii anni 401. reſpondentque canonibus 59. & 62. Codicis Africani. Qua in re illud maxime animadvertendum eſt, hos canones apud Iſidorum efferri hac formula can. 1. *Statuendum eſt*, & can. 2. *Et illud ſtatuendum*: cum apud Dionyſium alia prorſus ratione legatur can. 59. Codicis Afr. *Petendum etiam* (ab Imperatoribus) *ut ſtatuere dignentur*; & can. 62. *Et illud petendum, ut ſtatuere dignentur*.

Ibid. col. 1300. b. col. 1301. b.

Ceteri vero canones XIII. editionis Iſidorianæ ſunt ſecundi Concilii eodem anno celebrati Idibus Septembris. Ita Iſidori editio ſeptem canones primi Concilii prætermittit: nam apud Dionyſium, ſeu in Codice Afric. novem ipſius canones recenſentur, adeo ut hoc Concilium in hoc Codice integrum videri poſſit. Ferrandus dum num. 193. allegat *Conc. Carth. tit. 1.*, prioris Synodi canonem primum exprimit, qui in Cod. Afr. legitur can. 57. Nullum ille alium hujus Synodi canonem laudat.

Synodi VI. ſub Aurelio reſtitutio neceſſaria.

III. Dionyſius alterius Concilii habiti Idibus Septembris canones viginti recitat. Etſi vero hoc quoque Concilium apud ipſum integrum videri queat, cum defectuoſum ſit apud Iſidorum, qui, ut monuimus, tredecim tantum hujus Synodi canones refert; aliquis tamen defectus in Dionyſio quoque detegitur, eo quod repetitionis vitandæ cauſſa duos canones omiſit, quos inter priores canones 33. Synodi anni 419. antea deſcripſerat. Id evidens fiet ex Ferrandi ſerie, & ex Concilio Carthaginienſi ſub Bonifacio: ac proinde hujus Synodi VI. ſub Aurelio, quæ nec in Dionyſio, nec in Iſidoro integra reperitur, reſtitutio neceſſaria eſt.

Ex Ferrando profertur.

IV. Ferrandus num. 189. hujus Synodi canonem in Dionyſio tertium (can. 68. Cod. Afric.) ex ſuo codice ſecundum vocat: *Conc. Carth. tit. 2.* Hinc duo priores canones apud Dionyſium, in codice Ferrandi primum conſtituebant: cumque uterque reſpiciat Donatiſtas, qui ad unitatem redirent, non

ma-

male in unum copulatus erat. Igitur præmiſſa hujus Synodi introductione, quæ apud Dionyſium legitur ante can. 66. Codicis Africani, & incipit : *Vincentio & Fravita VV. CC. Coſſ.* &c. primus canon eſt can. 66. & 67., quos in unum conjungendos diximus. Secundus canon eſt can. 68. ejuſdem Codicis Afric. quem Ferrandus num. 189. citat *tit.* 2. Tertius eſt can. 69. Hi tres priores canones in Iſidoro deſiderantur. Quartus canon eſt can. 70., qui apud Iſidorum habetur can. 3. ejus Concilii Carthaginienſis, quod quintum inſcribit. Canon quintus a Dionyſio omiſſus (quippe qui ſimilem canonem retulerat inter illos Synodi 419. can. 26. Codicis Afric.) ſupplendus eſt ex Iſidoro canone quarto. Id colligimus ex Synodo Bonifacii anni 525. In hac *ex Concilio ſexto* ſub Aurelio novem canones indicantur : duo priores ſic : *Ut res Eccleſiæ nemo vendat* : & *Ne relicta principali cathedra ad Diœceſim ſe conferat, vel diu in propriis demoretur.* Hic autem ſecundus canon apud Ferrandum num. 27. citatur *tit.* 6. Canon ergo, qui in Bonifacii codice præcedebat, & reſpondet canoni apud Iſidorum quarto, in Ferrandi codice erat *tit.* 5. Hic quidem canon ex Ferrandi ſerie quintus huic Synodo tribuitur etiam in codice MS. Collegii Pariſienſis Soc. Jeſu, qui continet Epitomen canonum. Huic enim canoni, notante P. Harduino, Conſules præfiguntur ſic : *Vincentio & Fravita VV. CC. Coſſ. ſub die Idus Septembris Carthagine in ſecretario baſilicæ S. Reſtitutæ, ubi Anaſtaſii Epiſcopi Romani litteræ contra Donatiſtas lectæ ſunt.* Et ad locum : *Placuit etiam, ut rem Eccleſiæ* &c. Sunt characteres ſexti Concilii, & canon ille eſt, qui ex ſerie Ferrandi quintus, legitur in Iſidoro can. 4. apud Dionyſium vero inter hujus Concilii VI canones deeſt. Heic autem ejus codicis Pariſienſis præſtantia animadvertenda eſt. Cum enim chronicam notationem ſimul & canonem iſtum auctor hujus epitomis derivare nequiverit nec a Dionyſio, qui in hac Synodo ipſum canonem præteriit, nec ab Iſidoro, qui ea notatione chronica caret, nec ab alia nobis cognita collectione, quæ cum hac Synodo nondum inventa eſt : ex ipſo Africano fonte ebibiſſe cognoſcitur. Quod multo magis confirmatur, ſi conſideres, in hoc codice allegari duos canones Synodi Hipponenſis anni 427., quos ex ſolo Ferrando cognovimus, ut palam fiet ex § 9. num. 4. Auctor ergo hujus epitomis codicem Africanorum canonum Ferrandiano ſimilem præ oculis habuiſſe videtur.

tom. 2. Conc. col. 1304. b

tom. 5. Conc. col. 779. e

Codex Pariſ. Soc. Jeſu ejuſque præſtantia.

tom. 2. Conc. col. 1273. not. 10.

V. Ut autem revertamur ad ordinem canonum ſexti Concilii, canon ſextus apud Iſid. c. 5. & apud Dionyſium in Cod. Afr. recenſetur c. 71. *Rurſus placuit, ut nemini* &c. Hic canon, ut paullo ante monuimus, tum a Ferrando, tum a Bonifacio laudatur. Septimus a Ferrando indicatus num. 203. his notis, *Concil. Carth. tit.* 7., & in Synodo Bonifacii §. 3. *ex Concilio ſexto*, deſcribitur a Dionyſio c. 72. Cod. Afr. & ab Iſid. c. 6. Male adjectus eſt in vulgatis Breviarii Hipponenſis canone ultimo. Octavus eſt apud Dionyſium c. 73. & apud Iſid. c. 7. Nonus, qui in Cod. Afr. Dionyſii eſt c. 74., in Iſid. c. 8., citatur a Ferrando num. 22. *tit.* 9. & a Synodo Bonifacii in duos dividitur §. 4. & 5. In hujus canonis editione pro *interceſſor* ſcribendum erit *interventor*, quam lectionem tum Ferrandus, tum Synodus Bonifacii approbant. Canon decimus recitatus in Cod. Afric. c. 75. & in Iſid. c. 9., ex ſequentium ſerie apud Ferrandum erat in ipſius codice *tit.* 10. Undecimum laudat idem Ferrandus num. 75. *tit.* 11. Legitur apud Dionyſium c. 76. Codicis Africani, & apud Iſid. c. 10. Duodecimus citatus a Ferrando num. 118. *tit.* 12., deeſt in Dionyſio, qui illum retulerat inter canones Synodi anni 419. can. 27. Cod. Afr. Exſtat vero apud Iſidorum c. 11. ultimaque ejus pars *ex Concilio ſexto* allegatur in Synodo Bonifacii §. 6. Duo alii canones a Dionyſio relati c. 77. & 78. Codicis Africani, nec a Ferrando, nec in Synodo Bonifacii indicantur, nec in Iſidoro leguntur. Cum vero in Dionyſii codice inventi fuerint inter hujus Synodi canones, excludi nequeunt : ac propterea vel in Ferrandi MS. codice, ex quo horum canonum ſeriem colligimus, fuerunt omiſſi, eo quod particulares cauſſas Creſconii Villaregienſis & Eccleſiæ Hipponenſium Diarretorum reſpicerent, vel quia cum undecimo, aut duodecimo, aut decimo tertio canone conjuncti unum conficiebant. In reſtituenda vero hac Synodo ſi Ferrandi ſeries ac numeri retinendi credantur, iidem duo canones cum uno ex his tribus canonibus copulandi erunt ; alias canonum numerus his duobus erit augendus.

Ib. col. 1308. e

VI. Canon decimus tertius citatus a Ferrando num. 136. *tit.* 13., eſt in Cod. Afr. c. 79., apud Iſid. c. 12. Laudatur a S. Auguſtino in epiſt. 65. ſcripta ineunte anno 402. n. 2. Decimus quartus a Ferrando laudatus num. 28. *tit.* 14., habetur c. 80. Codicis Afr. & in Iſid. c. 13. Quintus decimus apud Ferrandum num. 32. *tit.* 15., & in Synodo Bonifacii §. 7. eſt in Cod. Afr. c. 81. in Iſidoro vero deſideratur. Canon decimus ſextus legitur tantummodo apud Dionyſium c. 82. Cod. Afr. Decimus ſeptimus tum in Dionyſio invenitur c. 83. Cod. Afr. tum in Iſid. c. 14. Ferrandus num. 171. eum laudat *tit.* 17., & Synodus Bonifacii §. 8. Decimus octavus in Dionyſio habetur c. 84. Cod. Afr. & in Iſid. c. 15. Decimus nonus & ultimus, cujus prima pars in Synodo Bonifacii ſeparatim deſcribitur tom. 5. Concil. col. 780. e, integer recitatur a Dionyſio c. 85. Cod. Afric. eique ſubſcriptiones Epiſcoporum ſubjiciuntur : deeſt autem in collectione Iſid. Ita reſtituta eſt Synodus Carthaginienſis VI. ſub Aurelio celebrata anno 401. Idibus Septembris.

§. VI.

Milevitana Synodus anni 402. apud Iſidorum ex plurium Synodorum canonibus compacta. Sincera & integra apud Dionyſium legitur. De aliis Synodis ſub Aurelio ab octava ad decimam quintam.

I. Synodum Milevitanam anni 402., quam Concilium Carthaginienſe Bonifacii appellat *ſeptimam* ſub Aurelio, & Iſidori collectio, & Dionyſius Exiguus præferunt. Iſidori vero collectio etſi in procemio conſulatum deſignat anni 402. tres ſolos tamen hujus Synodi canones exhibet. Cum autem nullas alias poſteriores Synodos Africanas producat niſi eam, quæ anno 419. habita fuit, quamque licet unam, in duas diſtinguit, nimirum in Carthaginienſem VI. & VII.; canones ceterarum Synodorum, quæ celebratæ fuerunt inter annos 402. & 419., Milevitano Concilio inſertos præfert : ac propterea hoc Concilium apud Iſidorum, & ſimiliter in collectione Hiſpanica, ex qua Iſidorus Africanas Synodos ſumſit, verius eſt collectio canonum quatuor Synodorum, Milevitanæ anni 402., ac trium Carthaginienſium ann. 405. 407. & 408. quos canones inferius ſuæ cuique Synodo aſſignabimus. Huic autem collectioni ut aptaretur præfatio Synodi Milevitanæ anni 402. quædam a collectore in ejuſdem præfationis fine adjecta fuerunt, quæ ad nullam Synodum Africanam ſpectant. Cum porro in hoc præfationis additamento memorentur Pelagiani, & primi etiam canones adverſus eoſdem hæreticos ſtatuant ; in chronicam notationem anni 402. errorem irrepſiſſe antiqui Conciliorum editores arbitrantes, Milevitanæ Synodi nomine decepti, putarunt hanc eſſe aliam Synodum Milevitanam anni 416., ex qua Numidiæ Patres ad Innocentium I. de Pelagianis ſcripſere. Verum canones adverſus Pelagianos inſerti, editi fuere non in Synodo Milevitana provinciali Numidiæ, ſed in Carthaginienſi plenaria anni 418.

Quæ Synodus Milevitana apud Iſid.

tom. 5. Conc. col. 780.

II. Vera & integra Milevitana Synodus anni 402. apud Dionyſium legitur, exſtatque in vulgato Codice Eccleſiæ Africanæ, qui ex Dionyſio ſumtus eſt. Canonum ordinem hic apponimus, qualem Ferrandus & Synodus Bonifacii in ſuis Africanis canonum codicibus repererunt. Ferrandus num. 78. *Concil. Milevit. tit.* 2. laudat canonem 86. Codicis Africani ; & num. 10. *Concil. Milevit. tit.* 4. reſpicit canonem 89. ejuſdem Codicis Afr. Præfatio igitur hujus Synodi, quæ in Codice Afr. præmittitur 86. in Ferrandi codice erat *tit.* 1. & canon 86. erat *tit.* 2. Ita etiam in Synodo Bonifacii *ex Concilio ſeptimo*

Quæ apud Dionyſium tom. 2. Conc. col. 1313. e

tom. 5. Conc. col. 780. b

hi duo

hi duo canones diſtinguuntur, ita ut in ejus quoque codice præfatio locum primi canonis obtinuerit. Si porro canon 89. Codicis Africani apud Ferrandum erat *tit.* 4. duo canones 87. & 88. ejuſdem Codicis Africani in unum canonem juncti, conficiebant *tit.* 3. Tandem canon 90. Cod. Afr. hujus Synodi ultimus in laudato Ferrandi exemplo erat *tit.* 5. Tres tantum canones juxta Ferrandi titulos 2. 4. & 5. apud Iſidorum habentur can. 13. 14. & 15.

Synod. Carth. an. 403. tom. 2. Concil. col. 1317. d

III. Octava Synodus ſub Aurelio eſt Carthaginienſis anni 403. In cauſſa Donatiſtarum tota verſatur. A ſolo Dionyſio conſervata fuit. Legitur in Cod. Afric. ejus procemium cum duobus tantum canonibus in ea editis, qui ibidem deſcribuntur c. 91. & 92.

Synod. an. 404. Ib. col. 1324. b tom. 5. Conc. col. 781. a
* Vid. Cod. Afric. c. 106. in fine.
tom. 2. col. 1386. d

IV. Synodus nona eſt Carthaginienſis anni 404. Eamdem Donatiſtarum controverſiam reſpicit. Extat in eodem Codice Africano c. 93. Laudari videtur in Synodo Bonifacii productis quibuſdam verbis *ex Concilio nono*. Cum vero idem ſenſus proferatur etiam in Concilio Carthaginienſi undecimo anni 407. verba autem in Synodo Bonifacii producta * verbis hujus Concilii plane conveniant, non vero illius Concilii noni; in Bonifacii Synodo errorem irrepſiſſe in vocem *nono* ſatis credibile eſt. Forte numerales litteræ *XI.* initio ſcriptæ librarii oſcitantia in *IX.* tranſiere.

Synod. an. 405. tom. 2. Conc. col. 1328. b

V. Decima Synodus Carthaginienſis anni 405. ſolo compendio a Dionyſio digeſta fuit c. 94. Codicis Africani. *Quoniam*, inquit, *magis ea, quæ in tempore neceſſaria fuerunt, quam aliqua generalia, conſtituta ſunt*. Unus canon ad diſciplinam pertinens laudatur in Synodo Bonifacii *ex Concilio decimo*, qui in Dionyſii breviatione penultimo loco indicatur: *Ut Epiſcopi ad transmarina pergere non facile debeant*. Cum ex Dionyſiano compendio liqueat, per hoc tempus Donatiſtas ad unitatem cœpiſſe redire, & in hanc rem aliquid ab eadem Synodo fuiſſe conſtitutum; huic adjudicandum ſuſpicamur enm canonem, quem Ferrandus indicat num. 50. *Conc. Carth. tit.* 2. cuique reſpondet canon 23. in Iſidori collectione Milevitano Concilio perperam attributus, qui ad aliquam Africanam Synodum pertinet anteriorem anno 419. Cum poſt imperiales leges latas menſibus Februario & Martio anni 405. Donatiſtæ ad Eccleſiæ gremium paſſim reverterentur; probabilius quidem videtur, in hac Synodo habita X. Kal. Septembris conditum fuiſſe hunc canonem, quo Donatiſtarum pœnitentium receptioni conſulebatur. Dionyſius cum alios canones quandoque omiſerit; nihil mirum, ſi in abbreviatione hujus Synodi hunc canonem præterivit. Unum porro monendum eſt, in laudato Iſidori canone 23. *hæreticos* generatim appellari, ubi in breviatione Ferrandi *Donatiſtæ* nominantur. Hanc lectionis mutationem auctori ejus collectionis, quam Iſidorus recepit, tribuendam patebit ex ſimili mutatione, quam in alios canones Synodi anni 407. numero ſequenti adnotabimus.

Synod. Carth. anni 407. t. 2. Conc. col. 1383. e.

VI. Synodus undecima Carthaginienſis anni 407. Idibus Junii apud Dionyſium integra eſt a can. 95. Codicis Africani ad can. 106. Ferrandus prima parte numeri 144. canonem hujus Synodi in Codice Afric. deſcriptum c. 95. compendio exhibet: quæ prima pars cum non legatur in Concilio Antiocheno ibidem allegato, ad quod pertinet pars ſecunda; Concilii Carthaginienſis tituli que notationem vel auctoris, vel librariorum potius oſcitantia omiſſam ſupplere neceſſe eſt ſic: *Concil. Carth. tit.* 1. Idem Ferrandus num. 53. dum allegat *Concil. Carthag. in baſilica tit.* 5. reſpicit proculdubio canonem 98. Codicis Africani, qui in ejus codice erat laudatæ Synodi *tit.* 5. Verba enim, quibus ad inſtitutionem novi Epiſcopatus Concilii plenarii & Primatis auctoritatem requirit, in hoc tantum Concilio & canone indicato reperire licebit. Duos alios hujus Synodi canones memorat idem Ferrandus num. 163. *tit.* 7. qui in Codice Afr. eſt c. 102. & num. 43. *tit.* 9. qui in eodem Cod. Afr. eſt c. 104. Ex ſerie numerorum Ferrandi, apud quem canon 98. Codicis Afric. eſt *tit.* 5. & canon 102. eſt *tit.* 7. duo canones 100. & 101. laudati Codicis Afric. vel in Ferrandi exemplis fuerunt omiſſi, eo quod ad particulares cauſſas ſpectarent, vel cum antecedenti aut ſubſequenti copulabantur. Simile quidpiam contigiſſe vidimus etiam in Synodo anni 401. Idibus Septembris. Concilium Bonifacii tres hujus Synodi canones, nimirum c. 103. 104. & 105. Codicis Africani, eodem ordine laudat *ex Concilio undecimo*. Poſtremam quoque partem canonis 106. totidem verbis recitat, tametſi in vulgatis errore aliquo tribuatur *Concilio nono*. Confer quæ diximus paullo ante num. 4. In Iſidori collectione novem canones Milevitanæ Synodo tributi ad hoc Concilium pertinent; ſed ordine perturbato, ac diverſa partitione efferuntur. Nam canon 95. Codicis Afric. inter Milevitanos affertur apud Iſidorum c. 9. In canone 16. Iſidori comprehenditur ſecunda pars canonis 96. & totus canon 97. Codicis Africani. Canon 102. hujus exhibetur in Iſid. c. 17. & canon 103. ita legitur apud Iſidorum c. 12. ut explicatior ſententia ſit. Canon 104. eſt in Iſid. c. 19. canon vero 105. recitatur c. 18. Tandem canon 106. partitur apud Iſidorum in tres canones 10. 11. & 20. ſed ita ut canone 20. præferatur prima pars canonis 106. canone 11. altera, ultima vero canone 10. In canone undecimo Iſidori *adverſus hæreticos* ſcriptum legitur, cum in can. 106. Codicis Africani habeatur *adverſus Donatiſtas*. Hinc auctor collectionis ab Iſidoro receptæ aliquid ex ingenio mutaſſe, aut explicaſſe cognoſcitur.

tom. 3. Conc. col. 383. b.

Duæ Synodi Carth. anni 408. tom. 2. Conc. col 1336. e 1337. a

VII. Synodo Carthaginienſi anni 408. XVI. Kal. Julias, ac alteri ejuſdem anni III. Idus Octobris, quæ ex ceterarum ſerie ſunt Synodi XII. ac XIII. ſub Aurelio, duæ tantum legationes ad Imperatorem adſcribuntur a Dionyſio poſt canonem 106. Codicis Africani.

Synod. an. 409. Ib. 1337. b
Ferrandus in Conciliis provincialibus numerum canonis omittit.

VIII. In Codice Afric. c. 107. memoratur Synodus Carthaginienſis XIV. anni 409. XVI. Kal. Julias, quæ Dionyſio teſte non plenaria, ſed provincialis fuit. Unus canon ibidem recitatur, quem laudat Ferrandus num. 52. his verbis: *Ut autem unus Epiſcopus cognitionem ſibi non vindicet, hoc in alio Concilio Carthaginienſi actum eſt*. Ubi cum tituli numerum præter morem ſuum nequaquam præferat; id ea de cauſſa videtur contigiſſe, quia hoc Carthaginienſe Concilium non plenarium, ſed provinciale fuit. Similiter quoque nullum titulum ac numerum ſignat in allegandis aliquot Synodis provinciæ Byzacenæ, quas identidem laudat. Hic ergo canon apud Ferrandum recte adſcribendus eſt Synodo anni 409.

Synod. an. 410.

IX. Meram legationem ad Imperatorem in Synodo XV. Carthaginienſi anni 510. decreta refertur a Dionyſio Exiguo poſt canonem 107. Codicis Africani.

§. VII.

De Synodo Carthaginienſi XVI. anni 416. Vindicatur ejus canon editus contra illam Pelagianorum ſententiam, qua parvulis abſque baptiſmo decedentibus tribuebant ſalutis & quietis locum extra regnum cælorum.

tom. 2. Conc. col. 1337. c

I. SYnodus XVI. Carthaginienſis Kalendis Maji anni 418. contra Pelagianam hæreſim potiſſimum coacta celebris eſt. Etſi vero aliquot ipſius canones ad eamdem hæreſim ſpectant; plures tamen eccleſiaſticam diſciplinam reſpiciunt. Dionyſius canones viginti eidem aſſignat a c. 108. Codicis Afric. uſque ad c. 127. in quibus præter ejuſdem Dionyſii morem præfatio primo canoni adſcribitur. Ferrandus quatuor ex his canonibus laudat. In Breviatione enim num. 190. allegat *tit.* 10. qui reſpondet canoni 117. Codicis Africani. Præterea num. 191. citat *tit.* 11. qui in Cod. Afric. eſt c. 118 Cum porro num. 25. laudet *tit.* 12. qui in eodem Cod. Afric. eſt canon 120. duos canones ejuſdem Codicis 118. & 119. de eadem re agentes in unum copulatos inveniſſe intelligitur. Hæc duorum canonum unio in Ferrandi codice confirmatur etiam ex num. 30. ubi notat *tit.* 18. qui in Cod. Afric. relatus canone 126. ex Dionyſiana computatione eſt canon 19. In Synodo Bonifacii canones 108. & 127. Codicis Africani, ſeu præfatio & canon ultimus hu-

Digitized by Google

jus Concilii, integri recitantur tom. 5. Concil. col. 777. ac dein compendio aſſertur canon 125. *ex Concilio ſextodecimo*.

II. Octo priores hujus Concilii canones ad Pelagianos pertinentes nec in Ferrando, nec in Synodo Bonifacii indicantur. Uno autem canone auctiores ſeparatim editi & inſerti inveniuntur in collectione vetuſtiſſima canonum hoc tomo edenda cap. 13. cum hoc titulo: *Concilium plenarium apud Carthaginem habitum contra Pelagium & Cæleſtium*. Peculiaris præfatio, quæ in hac collectione legitur, ex actis hujus Synodi excerpta dignoſcitur. Difficultatem ingerit canon de parvulis ſine baptiſmo morientibus, qui in eadem collectione tertius cenſetur. Hunc non pauci in ſuſpicionem adducunt, eo quod deeſt tum in Iſidoro, tum in Dionyſio, qui ceteros omnes canones contra Pelagianos editos exhibent. Illud præterea majoris momenti accedit, quod in Capitulis de gratia Cæleſtini epiſtolæ ſubjectis, quorum auctor S. Proſper probabilius videtur, dum tria hujus Synodi capitula contra Pelagianos allegantur, *tertium capitulum* vocatur, quod quartum eſſe deberet, ſi capitulum contra naturalem beatitudinem parvulorum ſine baptiſmate decedentium in ejuſdem Synodi exemplo locum habuiſſet. (Vid. tom. 2. col. 782.) Qui vero hunc canonem vindicant, animadvertunt, auctorem laudatæ vetuſtiſſimæ collectionis cum a cap. 6. uſque ad cap. 20. perrara documenta ediderit ad Pelagianorum cauſſam ſpectantia, antiquiorem horum documentorum collectionem reperiſſe, quæ Pelagianæ controverſiæ tempore compacta videtur. Hæc autem antiquitas quantum auctoritatis controverſo canoni conciliet, nemo non videt. Accedit quod non unus auctor collectionis edendæ invenit exemplum hujus Synodi cum laudato canone, verum etiam Photius: quippe qui codice 53. ſuæ Bibliothecæ aliud ſimile exemplum ejuſdem Synodi laudans, eumdem canonem tertio loco pariter refert. *Lectus liber*, inquit, *ſeu Synodus adverſus Pelagium & Cæleſtium Carthagine in magna Eccleſia Fauſti* &c. productiſque caracteribus Synodi anni 418. ſubdit: *Damnat hæc Synodus eos, qui aſſerunt Adamum mortalem eſſe conditum, non autem prævaricationis cauſſa morte multatum*. Eſt primus canon. Sequitur: *Similiter & eos, qui recens natos infantes baptiſmo minime indigere dicerent, quod illos peccato originis ex Adamo non paterent obnoxios*. Eſt canon ſecundus. Tertium vero deſignans addit: *Eos quoque, qui affirmarent medio quodam loco, paradiſum inter & inferos, non baptizatos infantes beate vivere*. Dein *ſex alia capita* ſubnexa teſtatur in Pelagianos, ita ut exemplum, quod habuit hujus Synodi, novem capitula ſeu canones complecteretur, æque ac in exemplo laudatæ collectioni inſerto legitur. Adde quod Photius leges imperiales ibidem poſtea commemorat; quæ in eadem collectione pariter inveniuntur, adeo ut eamdem antiquiorem documentorum collectionem ad Pelagianam cauſſam pertinentem præ oculis habuiſſe noſcatur. Duo ergo diſtincta hujus Synodi & ceterorum documentorum ad Pelagianos ſpectantium exempla, quorum alterum græce redditum lectum eſt a Photio, alterum vero Latinum auctori noſtræ collectionis præſto fuit, omnem fraudis ſuſpicionem eliminant. Non modicum præterea vindiciarum pondus colligere licet ex Ferrando, qui ſane codicibus Africanis uſus, maximam auctoritatem conciliat. Etſi enim e re ejus non fuerit allegare canones adverſus Pelagianos; cum tamen num. 190. *titulum* 10. adſcribat ei canoni, qui capitulis contra Pelagianam hæreſim editis primus ſubjicitur; non octo, ſed novem canones ad eam hæreſim pertinentes in ſuo codice præceſſiſſe cognoſcimus. Is quidem aliquando præfationes loco primi tituli recenſuit. At id non accidit umquam; niſi cum præfationes aliquam interloquutionem, aut aliquod decretum continent. Cum vero prœmium breviſſimum hujus Synodi ſolam notationem loci temporiſque exhibeat, primi tituli vel canonis locum habere non potuit. Ferrandi itaque codex Africanus inter novem canones ad Pelagianos pertinentes illum etiam de parvulis ſine baptiſmo decedentibus præferebat, non minus quam duo memorata exemplaria. Hæc autem tria teſtimonia ſane pluris eſſe videntur, quam ea argumenta, quæ pro omiſſione ejuſdem canonis objecta aliquot exceptiones patiuntur.

III. Non multum laborandum eſt ob collectionem Iſidori, quæ integram hanc Synodum non edidit, ejuſque canones, non tamen omnes, Milevitanis accenſuit. Quantum ad Dionyſium, cum is numquam præfationes Synodorum Africæ, etſi prolixis interloquutionibus propoſitas, inter canones numeris diſtinctos computaverit, ut pluribus animadvertit Queſnellus Differt. XIII. §. XXXI. n. 5. in vulgatis vero numerus canonis affigatur uni breviſſimo prœmio hujus Synodi, quod nihil canone dignum continet; ſuſpicio non levis exoritur, canonem de quo agimus, jam ab initio locum habuiſſe in ejus collectione, ac ſubinde fuiſſe expunctum, vel excidiſſe, cujus vacuus numerus ut impleretur, prœmio affixus fuit. Auctori vero Capitulorum de gratia illud reponi poteſt, in ejus codice canonem tertium ob materiei neceſſitudinem a ſecundo non fuiſſe diſtinctum. Confer alias conjectationes apud Queſnellum loco laudato.

IV. Illud ſaltem nemo inficiari poterit, diverſa fuiſſe olim hujus Synodi exemplaria: alia nimirum cum hoc canone, uti ſane fuerunt illa duo, quæ Photius, & auctor collectionis huic tomo inſertæ adhibuerunt; alia vero eodem caruiſſe, quæ, ſi ita malis, Dionyſio, & auctori Capitulorum de gratia præſto fuere. In hac autem hypotheſi illud unum dubitari poteſt, utrum alteris laudatus canon fuerit intruſus, an vero ab alteris exciderit. Inter hæc præter animadverſa ex Africano Ferrandi codice, Auguſtinus litem videtur dirimere. Is lib. 2. de origine animæ c. 12. ſcribit: *Novellos hæreticos Pelagianos juſtiſſime Conciliorum catholicorum & Sedis Apoſtolicæ damnavit auctoritas, eo quod auſi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis & ſalutis locum etiam præter regnum cælorum*. Etſi in aliis antecedentibus Synodis proſcripta fuit Pelagianorum doctrina, qua parvulis non baptizatis *vitam æternam* aſſerebant; ea tamen ſententia, qua locus ſalutis & quietis iiſdem tribuebatur extra regnum cælorum, in nullo alio *Concilio catholicorum* expreſſe proſcripta invenitur niſi in Concilio plenario Kalendarum Maji anni 418. & fortaſſis etiam eam proſcribendam iidem Patres Zoſimo ſuggeſſerunt in antecedenti Concilio Africano: idque cum ab eodem Pontifice in Tractoria fuerit approbatum, Auguſtinus præter *Conciliorum catholicorum*, *Sedis* etiam *Apoſtolicæ* condemnationem laudavit. Sed hac de re ſatis.

V. Iſidori collectio ſexdecim canones hujus Concilii inter Milevitanos retulit. Nam a c. 1. uſque ad c. 8. exhibet canonem 109. Codicis Africani & ſequentes uſque ad can. 116. Dein c. 21. & 22. refert canones 120. & 125. ejuſdem Codicis. Canone 24. jungit duos canones 121. & 122. & canone 25. alios duos ipſius Codicis canones 123. & 124. Tandem canonibus 26. & 27. deſcribit canones 126. & 127. Omittit autem præter canonem de parvulis ſine baptiſmate decedentibus tres canones laudati Codicis Africani 117. 118. & 119. qui Donatiſtarum cauſſam reſpiciunt. Introductio, quam præfigit, licet Conſules deſignet anni 402. indicat tamen numerum Epiſcoporum CCXIV. qui competit Synodo Africanæ anni 418. Subſcriptiones quoque trium Epiſcoporum, in quibus *Donatianus Telepteniſis primæ Sedis* ſecundo loco nominatur, ad Synodum plenariam ejuſdem anni 418. pertinent, cum Donatianus ſolum per hæc tempora ad provinciæ Byzacenæ primatum pervenerit. Aurelius quidem & Donatianus inſcripti inveniuntur in prœmio hujus Synodi, quæ refertur in collectione hoc tomo ſubjicienda, nec non apud Photium in Bibliotheca Cod. 53. *Donatianique ſenis* nomen inſeritur canoni ultimo, qui eſt c. 127. in Codice Africano. (tom. 2. Conc. col. 1349. b.)

§. VIII.

De celeberrima Synodo Carthaginienſi XVII. anni 419 in qua anteriora Concilia lecta & inſerta fuere. Iſidorianæ & Dionyſianæ collectionum defectus. Duæ hujus Synodi actiones, & quid in unaquaque actum ſit. De geſtis poſt hanc Synodum ob exemplaria canonum Nicænorum, & de exemplo verſionis ab Attico Conſtantinopolitano miſſæ in Africam. Authentica ejus ſubſcriptio e MSS. educta.

I. DEcimaſeptima Synodus ſub Aurelio eſt illa Carthaginienſis omnium frequentiſſima anni 419. in qua Patres CCXVII. ac tres Apoſtolicæ Sedis Legati Fauſtinus Epiſcopus Potentinus, & Philippus atque Aſellus Romanæ Eccleſiæ Presbyteri interfuerunt. Hujus cogendæ occaſio fuit Apiarii Siccenſis Presbyteri cauſſa, ob quam Commonitorium Zoſimi Papæ a Legatis productum fuit. At præter quæſtionem ex hujus Commonitorii lectione agitatam, aliquot canones in hac Synodo editi, & præcedentium etiam Conciliorum ſtatuta repetita, confirmata, ac geſtis inſerta fuerunt, adeo ut pleraque iſtorum ex ſolis hujus Synodi geſtis ad nos pervenerint. Duo diverſæ originis fontes vulgo cogniti hanc Synodum exhibent: Dionyſius, ſeu vulgatus Codex canonum Eccleſiæ Africanæ, qui e Dionyſii collectione ſumtus fuit; & antiqua collectio Synodorum Africæ, quæ ab Hiſpanicæ collectionis auctore, & dein ab Iſidoro ſuſcepta, ac ex hujus collectione impreſſa, Iſidori nomine circumfertur. Nos alium fontem nacti ſumus in tribus pervetuſtis collectionibus Italicis, quarum una exſtat in MS. Vat. Reginæ 1997. altera in codd. Lucano 88. & Colbertino 784. tertia in MSS. Vat. 1342. & Barberino 2888. Hæ collectiones tres, primos hujus Synodi canones triginta tres, uti leguntur in Codice Africano, eodem modo dividunt in quadraginta, pareſque variantes a vulgatis diverſas ſuppeditant: quæ duo peculiaria diſcrimina aliam hujus Synodi originem adſtruunt. Chriſtophorus Juſtellus in notis ad Codicem Eccleſiæ Africanæ duo alia MSS. exemplaria commemorat, Thuaneum & Bochardianum, quæ etſi non deſcribit, ex indiciis tamen, quæ producit, ad alteram ex laudatis Italicis collectionibus pertinere noſcuntur. Immo codex, qui tunc erat Thuaneus, nunc eſt Colbertinus 784. Hujus Synodi implexa notitia eſt, eo quod duo priores fontes plurimum differant. Iſidori collectio, quæ duas ejuſdem Synodi actiones in duo Concilia dividit, nimirum in Carthaginienſe VI. ac VII. non ſolum pauciora quam Dionyſius præſert; verum etiam ea ipſa quæ præſert, alio ordine aliaque ratione nonnumquam producit. Plures hinc atque hinc quæſtiones exortæ, quæ maximam ſtudioſis viris difficultatem faceſſunt. Nos, qui ex antea diſputatis anteriorum Synodorum canones conſtituimus, ac præterea in laudatis Italicis collectionibus tertium fontem invenimus, aliquid aſſeremus, quo hujus quoque Synodi notitia exploratior fiet.

II. Itaque poſt diem Synodo præſtitutam, dum exſpectabantur aliquot provinciarum legati, quædam interim actitata & præparata fuerunt. Forte tunc terminata eſt Apiarii cauſſa, de qua Africani Zoſimo jam defuncto, ad Bonifacium ejus ſucceſſorem ſcripſere. Reſtabat controverſia de canonibus Sardicenſibus, qui in Zoſimi Commonitorio Nicænorum nomine fuerant allegati. Cum porro omnes conveniſſent, prima actio habita fuit VIII. Kal. Junias in ſecretario Baſilicæ Fauſti. Initio Aurelius ut Nicæni Concilii & prædeceſſorum ſuorum ſtatuta legerentur poſtulavit. Id autem cum Concilium approbaſſet, *Daniel notarius recitavit: Nicæni Concilii fidei profeſſio, vel ſtatuta, ita ſe habent.* Legit autem Nicænum ſymbolum & canones: ſtatimque ſubditur: *Et cum diceret.* Laudatæ Italicæ collectiones aliam originem præſeferentes aliquanto melius habent. *Et cum recitaret.* Antiquus vero Africanorum canonum collector apud Iſidorum: *Et cum legiſſet.* Hæ formulæ licet videantur diſſerre, reipſa non diſcrepant. Nam *& cum diceret*, vel *recitaret*, idem eſt ac *& cum legiſſet*, vel *recitaſſet*, ut

tom. 2. Conc. col. 1253. a.

tom. 3. col. 443. d

ex aliis ſequentibus ejuſdem Synodi formulis quiſque perſpiciet. Sic enim poſt recitatum canonem ex Commonitorio Zoſimi additur: *Et cum recitaret* (pro *recitaſſet*) *Alypius Epiſcopus .... dixit.* Et ſimiliter poſt pauca recitato alio canone ſubditur: *Cumque recitaretur, Auguſtinus Epiſcopus .... dixit.* Hinc porro Nicænum Concilium hoc loco recitatum liquet. Mox Fauſtinus Apoſtolicæ Sedis Legatus ex Zoſimi Commonitorio Nicænorum titulo inſcriptos produxit duos canones Sardicenſes, qui inter Nicænos ex Africanorum codice recitatos lecti non fuerant. Itaque (1) diſputatio de Nicænis canonibus excitata eſt, quæ aliquot interloquutionibus exponitur. Tum vero Aurelius Nicænum Concilium ex his exemplaribus, quæ Cæcilianus in Africam attulerat, iterum recitari, & prædeceſſorum ſuorum etiam ſtatuta, nec non quæ etiam *nunc*, ideſt in anteriori *communi tractatu* diſpoſita fuerant, legi ac geſtis inſeri juſſit: ex quibus intelligimus canones XXXIII. inferius commemorandos ante hanc actionem ab Epiſcopis *communi tractatu* præparatos fuiſſe.

tom. 2 col. 1257. d

III. Dionyſius & Iſidori collectio ſtatim ſubdunt: *Daniel notarius Nicæni Concilii profeſſionem fidei, vel ejus ſtatuta recitavit in Concilio Africano.* Dein tranſcripto ſolo Nicæno ſymbolo ex antiqua verſione Africana, Dionyſius hanc notationem profert: *Statuta quoque Nicæni Concilii in XX. capitulis ſimiliter recitata ſunt, ſicut in ſuperioribus inveniuntur adſcripta. Deinde quæ in Conciliis Africanis promulgata ſunt, actis præſentibus inſerta noſcuntur.* Et mox triginta tres primos canones ſubjicit. Hæc notatio apud Iſidorum non legitur, ſicut nec canones triginta tres, qua de re poſtea redibit ſermo. Eadem notatio deeſt etiam in MS. Vat. Palat. 577. qui primum Dionyſianæ collectionis fetum exhibet, ut explicabimus part. 3. c. 1. §. 3. & ſimiliter deeſt in aliis MSS. Italicis collectionibus, quæ hanc primam actionem continent. Omnes hi collectores diverſi præ oculis habuerunt integra hujus Synodi geſta, in quibus cum Nicæno ſymbolo omnes ejuſdem canones ex verſione antiqua Africana hoc ſecundo loco erant inſerti, ut Aurelius & ceteri Patres præceperant. At tranſcriptionem eorum declinantes, notationes diverſas, quæ eodem recidunt, ex ſuo cujuſque arbitrio appoſuerunt, quæ non actorum ipſius Synodi, ſed collectorum verba ſunt. Melior vero videtur ea adnotatio deſcripta in vetuſtiſſima omnium collectione MS. Vat. Reginæ 1997. quæ paragraphum *Daniel notarius* his verbis exprimit: *Daniel notarius recitavit. Nicæni Concilii fidei profeſſio, vel ejus ſtatuta ita ſe habent, ut ſuperius lectum eſt tit. XXI.* (ubi titulo primo ſymbolum computatur) *& ordine recitavit. Et cum recitaret, Aurelius Epiſcopus dixit: Hæc ita apud nos habentur exemplaria ſtatutorum, quæ tunc Patres noſtri de Concilio Nicæno ſecum detulerunt* &c. qui eſt canon hujus plenariæ Synodi primus. Hæc notatio indicat repetitam fuiſſe lectionem Concilii Nicæni, quod antea lectum fuerat, ac poſt iteratam ejuſmodi lectionem ſtatim Aurelium ſua interloquutione canones inchoaſſe. Ceterum notatio Dionyſii, qua adduntur inſerta, *quæ in Conciliis Africanis promulgata ſunt*, nihil repugnat. Id enim unum ſignificat, pleroſque canones triginta tres mox ſubjectos ex anterioribus Conciliis ſumtos ac repetitos fuiſſe. Interloquutio quidem Aurelii canone primo expoſita, ſtatutorum Nicænorum lectionem immediate præceſſiſſe demonſtrat, ut patet ex illis: *Hæc ita apud nos habentur exemplaria* &c. unde congruentius & clarius in memorato cod. Vat. Reginæ, Dionyſiana notatione omiſſa, legitur: *Et ordine recitavit* (Nicæna ſtatuta;) *& cum recitaret, Aurelius Epiſcopus dixit: Hæc ita apud nos* &c.

Ib. col. 1260. a & t. 3. col. 447. d t. 2. col. 1260. c

Ib. col. 1260. d.

IV. Aurelius præter Nicæna ſtatuta petierat, ut recitarentur, actiſque insererentur *& quæ hic ſalubriter a noſtris deceſſoribus .... vel quæ nunc a nobis ordinata ſunt*, eo ſcilicet *communi tractatu*, qui ante hanc actionem habitus fuerat. Duo hic canonum genera nominantur, alii prædeceſſorum Aurelii, qui repetendi & confirmandi erant, alii hujus Concilii proprii, qui in anteriori tractatu parati fuerant. Hi porro in triginta tribus prioribus canoni-

Ibidem col. 1257. d.

Duo canonum genera diſtinguenda.

(1) De hac quæſtione vide Obſervationes in Diſſert. V. Queſnelli part. 2. c. 6. n. 20. & ſeqq. tom. II. pag. 957.

nibus apud Dionyſium continentur. Nam canon quintus, licet aliquibus verbis ab Aurelio propoſitus, ex duobus canonibus 10. & 13. Synodi Carthaginienſis ſub Grato compactus agnoſcitur. Canones vero 2. 3. 4. & 6. uſque ad 13. ſumti ſunt ex Synodo ſub Genetblio; ubi tamen ſola Epiſcoporum proponentium nomina fere mutantur. Porro canones a 14. uſque ad 24. ex ipſius Aurelii Concilio anni 397. aliis quandoque verbis mutatis, derivati fuerunt. Canones tres ſequentes eadem ratione excerpti ex Concilio anni 401. Canon 28. repetitus ex Concilio anni 418. cum parvo additamento in fine, de quo plenius diximus in Obſervationibus ad Diſſertat. V. Queſnelli part. 1. c. 6. n. 27. Quinque ultimi canones cum in nulla anteriori cognita Synodo reperiantur, ii ſunt hujus Synodi proprii, qui *nunc*, ideſt in hac ipſa Synodo, *communi tractatu* conſtituti fuerunt.

tom. 2. pag. 965.

tom. 3. Conc. col. 443.

V. Iſidori collectio hanc primam actionem referens ſub titulo *Concilii Carthaginienſis* VI. ſolas interloquutiones Patrum canonibus præmiſſas deſcribit, ac in decem capitula diſtribuit. His autem tria alia capitula adjicit, ut ex editione Merlini ac ex noſtris MSS. didicimus. Nam cap. 11. deſcribitur Africanorum epiſtola ad Bonifacium; cap. 12. referuntur duæ epiſtolæ Attici Conſtantinopolitani & Cyrilli Alexandrini ad Africanos cum Nicænis canonibus, quos latine redditos a Philone & Evariſto Atticus in Africam miſerat: & cap. 13. Africanorum litteræ leguntur ad Cæleſtinum Pontificem. Hæc vero tria capitula, etſi ad primam actionem reipſa non pertineant, idcirco tamen antecedentibus capitulis primæ actionis propriis ſubnexa fuerunt, quia controverſiæ in ipſa actione diſcuſſæ de canonibus Sardicenſibus, ſeu Nicænis proſequutionem deſignant.

VI. Cum porro hæc Iſidori collectio omittat laudatos canones triginta tres, iidemque etiam deſint in Concilio Africano, quod ſeparatim a Dionyſiii collectione editum, omnia Africana Concilia ſub Aurelio continere videtur; iidem canones apud nonnullos in ſuſpicionem venerunt. At auctorem collectionis ab Iſidoro receptæ hos canones habuiſſe, & adhibuiſſe ex antea diſcuſſis manifeſtum eſt. Nam Concilio Carthaginienſi II. ſub Genethlio plures canones ex hac Synodo anni 419. adeo evidenter inſeruit, ut Aurelii, Alypii, aliorumque Epiſcoporum nomina hujus Synodi propria retinuerit, quæ a germana Genethlii Synodo abſunt. Similiter in Concilio Carthaginienſi III. anni 397. aliquot canones retulit, non cum lectionibus ejuſdem Concilii propriis, ſed cum illis, quas invenit in Synodo anni 419. quemadmodum patet inter cetera ex canone 47. de Scripturis canonicis. Vide ſupra § 3. n. XLV. Tandem canonem 31. hujus Synodi proprium deſcripſit inter Canones Concilii anni 397. c. 49. Ipſa igitur Iſidori collectio hos canones recipit; & ſolum a Synodo anni 419 perperam ſeparatos aliorum diſtraxit. Vulgatum vero Concilium Africanum cum non aliud ſit quam ſegmentum ex collectione Dionyſii; contra ipſam Dionyſii integram collectionem nihil movere poteſt. Qua in re obſervandum eſt, Dionyſium quidem omnes Africanos canones una continuata numerorum ſerie deſcripſiſſe uſque ad can. 138. Hanc ſeriem probat purus Dionyſianus codex Vat. 5845. eamdemque confirmat etiam Græca translatio ex eodem Dionyſio, quæ *Codex canonum Eccleſiæ Africanæ* vulgo appellatur. At in poſterioribus codicibus, qui Hadrianæ collectionis nomine donantur, iidem Africani canones in duplicem numerorum ſeriem diſpertiti inveniuntur. Prima ſeries recenſet canones triginta tres, poſterior ceteros 105. Creſconius, qui nuam Dionyſii collectionem adhibuit, hanc bipartitam numerorum ſeriem in ſuo quoque codice reperit: ex quo ea diviſio Hadriano anterior perſpicitur. Qui vero ediderunt vulgatum Concilium Africanum, priori ſerie omiſſa, ſecundam tantum exhibuere ex editione Moguntina anni 1525. in qua Dionyſio Hadriana collectio minus accurate, & alicubi etiam quantum ad hanc ſecundam ſeriem perturbate impreſſa fuit. Hinc igitur nihil præjudicii creari poteſt canonibus triginta tribus, quos idem Creſconius diſtincte allegat. Hos quoque præter Dionyſium luculentiſſime vindicant tres memoratæ antiquiſſimæ collectiones Italicæ, quæ cum ex diverſa eorumdem canonum diviſione in canones quadraginta, ac ex melioribus lectionibus diverſam & præſtantiorem originem præferant, eoſdem canones inter documenta Juris canonici veteris ex ipſis collectionibus imprimendos cenſuimus. Sed age jam Synodi deſcriptionem proſequamur.

Ibid. col. 498.

Vulgatum Concil Africanum quid ſit.

VII. Poſt conſtitutos canones XXXIII. recitata fuerunt geſta & canones anteriorum Conciliorum ſub Aurelio, quæ ſcilicet celebrata fuerant ab anno 393. ad annum 418. Hæc omnia actis erant inſerta. At Dionyſius dum alios canones ſuo loco omiſit, quia alibi erant repetiti; alios etiamſi nullibi ab eo productos, inconſiderate præterivit, ut colligere eſt ex iis, quæ de ſingularum Synodorum canonibus antea notavimus. Quædam præterea non iiſdem verbis retulit, quibus in hujus Synodi geſtis erant deſcripta; ſed compendio ea referens, lectores ad ipſa geſta remiſit.

VIII. Secunda actio habita III. Kal. Junias in ſecretario Baſilicæ Reſtitutæ apud Dionyſium incipit poſt canonem 127. Codicis Africani. Sex canones continet. Hos Iſidori collectio adjudicat Concilio Carthaginienſi VII. cumque ex duobus canonibus quintum & ſextum, ſeu 132. & 133. Codicis Afric. unum conficiat, hujus Concilii canonea apud ipſum Iſidorum ſunt quinque. Ferrandus, qui primæ actionis canones nullibi laudat, non negligit iſtos actionis ſecundæ. Hos propriis numeris ita deſignat, ac ſi in ſuo codice hæc actio ſeparata Synodus eſſet. Prooemium hujus actionis loco primi tituli, ſeu canonis in ejus codice recenſitum liquet ex ipſius Breviatione num. 195. ubi *tit.* 2. canonem primum deſignat, qui in Cod. Afr. habetur c. 128. num. 196. *tit.* 3. citat ſecundum canonem in eodem Cod. Afric. deſcriptum c. 129. & ſimiliter num. 197. *titulus* 4. reſpondet canoni 130. Cod. Afric. Dum vero num. 73. allegat *titulo* 2. canonem 132. Codicis Africani, error ex præmiſſa ceterorum ſerie in numero 2. manifeſtus eſt, ac emendandum *tit.* 6.

tom. 2. Conc. col. 1349. c. tom. 3. col. 469.

IX. Addit Dionyſius canone 134. Codicis Africani epiſtolam Africanorum Patrum ad Bonifacium, quæ altero poſt ſecundam actionem die exarata fuit. Cum porro hac in epiſtola iidem Patres de ſinceris Nicænorum canonum exemplaribus inquirendis egerint, in hanc vero rem Innocentium Presbyterum ad Cyrillum Alexandrinum, & Marcellum Subdiaconum ad Atticum Conſtantinopolitanum direxerint; Dionyſius c. 135. & 136. ſubjicit iſtorum Epiſcoporum litteras, quibus ad Africanos Nicænorum canonum exempla ex ſuæ cujuſque Eccleſiæ ſcriniis educta & latine reddita per eoſdem legatos tranſmiſere. Hæc exemplaria VI. Kal. Decembris ejuſdem anni 419. ad laudatum Bonifacium miſſa fuere. Sola verſio a Philone & Evariſto Conſtantinopolitanis lucubrata ſupereſt. In primo Dionyſii fetu, quem nacti ſumus in MS. Vat. Palat. 577. & Nicænum ſymbolum & canones hujus verſionis deſcribuntur. At idem Dionyſius ſecundis curis, quæ in MS. Vat. 5845. & in vulgato Codice Eccleſiæ Africanæ exhibentur, prætermiſſis canonibus ſolum Nicænum ſymbolum ejuſdem interpretationis præbuit c. 137. Apud Iſidorum vero leguntur ſoli canones, quos in Concilio Carthaginienſi, uti appellat, ſexto poſt Attici epiſtolam retulit: profeſſio enim fidei Nicænæ, quam paullo ante ibidem dedit, non hujus verſionis eſt, ſed antiquæ Africanæ, de qua vide quæ diximus cap. 2. §. 1.

tom. 2. Conc. col. 1356. b.

Ib. col. 1361. b. e

Ib. col. 1364. b. tom. 3. col. 449. b. Ib. col. 448. a

X. Tres antiquiſſimæ Italicæ collectiones, quas antea memoravimus, poſt Africanorum litteras ad Bonifacium pro laudatis Attici & Cyrilli epiſtolis ad Africanos hanc notationem præferunt. *Incipit Epiſtola Attici Epiſcopi Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ad Bonifacium urbis Romæ Epiſcopum data cum exemplaris Nicæni Concilii de Græco in Latino tranſlatis a beatiſſimis Cyrillo & Attico Epiſcopis Alexandrinæ & Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, & directis per Innocentium Presbyterum ſuum & Aſellum* (lege *Marcellum*) *Subdiaconum Eccleſiæ Carthaginenſis, ut ſuperius recitatum eſt. Fides Nicæni Concilii cum titulis XX. Epiſtola vero ita continetur. Atticus Epiſco-*

ſcopus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſancto fratri Bonifacio urbis Romæ Epiſcopo ſalutem. Edidi canones ſanctorum Patrum olographa manu, & ſubſcriptos a me. Amen. Dein formatarum ſcribendarum formula ſubjungitur, quæ cap. 63. collectionis hoc tomo ſubjiciendæ deſcribitur. Atticus non ad Bonifacium, ſed ad Africanos ſcripſit. Cum vero hi a Cyrillo & Attico Nicæna exemplaria *ſub adſtipulatione litterarum ſuarum* poſtularint; ne falſam omnino credamus hanc notationem, quæ cum in tot vetuſtiſſimis collectionibus legatur, antiquiorem profecto originem adſtruit; ſuſpicamur ea Attici verba, quæ Nicænis canonibus immediate ſubnexa traduntur, *Edidi canones ſanctorum Patrum olographa manu & ſubſcriptos a me*, formulam quamdam fuiſſe ab ipſo Attico canonibus ſubjectam, ut αὐθεντίαν exempli eorumdem canonum ad Africanos tranſmiſſi firmaret: cui quiſpiam antiquus collector epiſtolæ formam indidit. In MSS. Additionum Dionyſii (quæ a Baronio *Creſconiana* collectio appellantur,) nec non in ipſa pervetuſta collectione, quæ in MSS. Barberino 2888., & Vat. 1342. hæc Attici verba poſt Synodum Carthaginienſem anni 419. in epiſtolæ formam exhibet, ut mox vidimus, eadem verba poſt Nicænos canones alia ratione interloquutionem præferente referuntur ſic: *Factum eſt apud Nicæam Metropolim Bythiniæ a die XIV. Kal. Julias, quod tenuit uſque in diem VIII. Kal. Septembris, Paullino & Juliano Coſſ. qui eſt apud Græcos XIX. dies menſis eorum Deſii ſecundas Alexandri anno* (lege *ſecundum Alexandri annos*) *DCXXXVI. Et alia manu. Atticus Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ dixit: Edidi canones ſanctorum Patrum olographa manu a me ſubſcriptos. Amen.* Dein formata ſubſequitur, quæ in edenda collectione profertur cap. 63. In hac autem diverſa forma, qua Attici verba per interloquutionem producuntur, ſi deleas verbum *dixit*, autographa ejuſdem ſubſcriptio exhibebitur, qua Nicænos canones abs ſe tranſmiſſos firmavit. *Atticus Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ edidi canones ſanctorum Patrum olographa manu, a me ſubſcriptos. Amen.* Similiter quidem in MS. cod. 55. Capituli Veronenſis Aurelii ſubſcriptio ſubjecta Breviario canonum Hipponenſium per interloquutionem proponitur ſic. *Aurelius Epiſcopus Carthaginienſium dixit: His placitis a nobis confirmatis . . . . ſubſcripſi, & cæteri ſimiliter*: ubi *dixit* perperam intruſum fuit. Voces autem *olographa manu*, quas Atticus adhibuit, antiqua ſunt formula, qua aliquid propria manu ſcriptum, vel ſubſcriptum authenticumque ſignificatur. S. Hilarius Fragmento II. *Exemplum epiſtolæ*, inquit, *quam poſt renuntiationem Orientalium, Athanaſium reum non eſſe in urbe Roma OLOGRAPHA MANU Valens perſcripſit, & Urſatius ſubſcripſit.* Antiquus auctor commentarii in epiſt. ad Galatas inter S. Ambroſii opera cap. 6. *Ubi enim OLOGRAPHA MANUS eſt, falſum dici non poteſt.* Julius Papa I. contra Arianos in epiſtola ad Orientales apud S. Athanaſium memorat Iſchyræ χεῖρα ὁλόγραφον αὐθεντικὸν *ſcriptum ipſius manu authenticum*. Subſcriptio igitur Attici originalis illis ejus verbis exprimitur, cui ſubjecta fuit formata, de qua plura dicentur in cap. 63. collectionis edendæ; ubi etiam videbimus poſt ipſam formatam appoſitam fuiſſe clauſulam *Expliciunt canones*, quæ verba confirmant, tum Attici ſubſcriptionem, tum formatam verſioni canonum Nicænorum ab eodem Attico ad Africanos miſſæ fuiſſe ſubjectas, ut ejuſdem verſionis αὐθεντίαν probarent. Cum vero hujus verſionis exemplar hac, ut videtur, Attici ſubſcriptione & formata munitum, ad Bonifacium miſſum fuerit ab Africanis per Innocentium Presbyterum & Marcellum Subdiaconum una cum litteris ejuſdem Attici & S. Cyrilli; antiquus laudatæ adnotationis auctor omiſſis Attici & Cyrilli litteris, & indicatis tantum canonibus, ex Attici ſubſcriptione epiſtolam proprio arbitrio conflavit, cui præfixit rubricam, in qua titulum in MSS. Africanis ante veras Attici & Cyrilli epiſtolas exhibitum ſuæ epiſtolæ aptaturus, multa erronee traduxit. Verus autem titulus in collectionibus Hiſpanica & Iſidoriana his verbis exprimitur. *Incipiunt reſcripta ad Concilium Africanum Cyrilli Alexandrini Epiſcopi* (codex Scorialenſis optime addit *& Attici Conſtantinopolitani Epiſcopi*) *ubi authentica Concilii Nicæni tranſlata de Græco per Innocentium Presbyterum tranſmiſerunt, quæ etiam epiſtolæ cum eodem Concilio Nicæno per memoratum Presbyterum Innocentium & Marcellum Subdiaconum Eccleſiæ Carthaginienſis S. Bonifacio Epiſcopo Eccleſiæ Romanæ ſub die VI. Kal. Decembris ſunt directæ.* Eadem etiam Dionyſius refert c. 135. Codicis Africani. Sicuti hunc titulum proculdubio in MSS. hujus Synodi invenit vetus ille auctor, qui eum in memorata adnotatione ſuo modo tranſverſum egit; ita illam ſubſcriptionem Attici, cui epiſtolæ formam perperam indidit, in iiſdem codicibus repeririſſe dubitari non poteſt.

tom. 2. Conc. col. 1260. a

Olographa quid. tom. 2. col. 626. edit. Veron.

Athan. Apolog. 2.

tom. 2. Conc. col. 1362. not. 2.

Ib. col. 1361. a

XI. Poſt epiſtolas Cyrilli & Attici, ac poſt Nicænum ſymbolum laudatæ verſionis Philonis & Evariſti Dionyſius can. 138. Codicis Africani retulit aliam Africanorum epiſtolam ad Cæleſtinum, quippe quæ ad eamdem controverſiam in Synodo anni 419. agitatam pertinet. Eadem de cauſſa hæc pariter epiſtola addita legitur apud Iſidorum in fine Concilii Carthaginienſis VI. Cum vero hæ litteræ ad aliam poſteriorem, ſeu, ut videbimus, vigeſimam Synodum ſpectent, de ea paragrapho ſequenti redibit ſermo.

Ib. col. 1364. e

§. IX.

De Synodis Carthaginienſibus XVIII. XIX. & XX. ſub Aurelio. De Synodo Hipponiregienſi anni 427. Aliæ Synodi provinciæ Byzacenæ laudatæ a Ferrando. Integer Codex canonum Africanæ Eccleſiæ quid continere deberet. Obſervationes in vulgatum Codicem canonum Eccleſiæ Africanæ.

I. DEcima octava Synodus Carthaginienſis ſub Aurelio anno 421. celebrata eſt Idibus Junii. Hanc invenimus in uno MS. 55. Capituli Veronenſis, ex quo inter documenta Juris canonici veteris prodibit. Ex proœmio diſcimus, *neceſſitate* aliqua, quæ cujuſmodi fuerit non explicatur, *Concilii ſolemnitatem per biennium ceſſaſſe*; & ſtatuta præcedentium Conciliorum fuiſſe relecta, *præſentis Concilii paginis inſerenda*. Hinc quoque mos confirmatur Africanæ Eccleſiæ repetendi anteriora decreta. In manuſcripto autem nullum ex anterioribus decretis inſertum exhibetur. Solum ſubjiciuntur canones decem in eadem Synodo conſtituti, qui tamen ex Synodo præcedentis anni 419. repetiti fuere, excepto ſolo quarto canone, qui hujus Synodi proprius videtur. Confer adnotationes, quas eidem Synodo ſubjiciemus.

Infra col. 649.

II. Decimam nonam Synodum ſub Aurelio laudat Concilium Carthaginienſe anni 525. ejuſque canonem recitat. Ferrandus eumdem canonem allegat num. 34. *tit.* 3. Nullam aliam hujus Synodi notitiam habemus. Quantum ad tempus, ea collocanda videtur poſt annum 421. quo Synodus XVIII. habita fuit, & ante annum 425. quo Synodus XX. celebrata eſt. Ferrandus num. 47. canonem recolit præcipientem, ut Epiſcopi rem Eccleſiæ ſine Primatis conſilio non vendant, citatque *Concil. Carth. tit.* 5. *Concil. Hippon. tit.* 9. Cum hic canon non inveniatur inter Hipponenſes anni 393. ac titulo nono Hipponenſis Breviarii alius canon recenſeatur; ultima allegatione indicatur, ut paullo poſt adnotabimus, Concilium Hipponenſe anni 427. Anterior vero allegatio *Concil. Carthag. tit.* 5. indicans anterius Concilium Carthaginienſe, congrueret quidem Concilio XVIII. in quo idem ſane canon *Primatis* expreſſo nomine legitur. Sed cum Ferrandus citet *tit.* 5. in Synodo autem XVIII. hic canon producatur *tit.* 9. niſi librariorum error in numero 5. lateat, alia Carthaginienſis Synodus innuitur, qua idem canon *titulo* 5. repetitus fuit. Is ergo Synodo Carthaginienſi XIX. vel XX. adſcribendus eſt. Idem Ferrandus num. 53. alium canonem afferens, quo conſtitutum fuit, *ut nullus Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus excommunicatus communicet*, laudat *Concil. Carth. tit.* 8. vel, ut Corbejenſis codex habet, *tit.* 9. Hic canon legitur quidem in Conciliis Carthaginienſibus XVII. anni

tom. 5. Conc. col. 781.

419.

419. & XVIII. anni 421. at non *tit.* 8. vel 9. ſed in altero *tit.* 39. in altero *tit.* 1. Igitur *tit.* 8. vel 9. repetitus credi debet in alterutra Synodo XIX. vel XX. ex quarum altera illum Ferrandus allegarit.

Ib. col. 780.

III. Synodi Carthaginienſis vigeſimæ unum canonem compendio recitat Concilium ſub Bonifacio: *Ut nullus ad tranſmarina audeat appellare*. Dum Ferrandus num. 143. alium canonem, *Ut bis in anno per ſingulas provincias Concilia fiant*, citat *Concil. Carth. tit.* 3. hanc Synodum XX. reſpicere credimus. Hoc enim decretum in Synodis anterioribus uſque ad decimam octavam omnino non exſtat. Synodo vero XIX. alius canon ab eodem Ferrando aſſignatur num. 84. *titulo tertio*. Sola ergo Synodus XX. quæ deſideratur, hunc canonem *tit.* 3. recipere potuit. Cum porro ex canone, quem abbreviatum retulit Synodus Bonifacii, in hoc Concilio XX. actum fuerit de appellationibus ad tranſmarina; ſatis veriſimile eſt, ab eodem Concilio ſcriptam fuiſſe etiam epiſtolam ad Cæleſtinum Papam, in qua de appellatione quidem ad tranſmarina diſputatio eſt: ac propterea hæc vigeſima Synodus Carthaginienſis habita fuit anno 425. vel 426. quo eam epiſtolam ad Cæleſtinum miſſam eruditi oſtendunt. Vide inter ceteros P. Couſtantium tom. 1. Epiſtolarum Rom. Pontif. col. 1058. not. 6.

Epiſtola Afric. ad Cæleſtinum a quo Concil. ſcripta.

Syn. Hippon. an. 427.

IV. Ferrandus numeris 34. 35. 38. 47. 54. 95. & 198. aliquot titulos ſeu canones Synodo Hipponiregienſi tribuit, qui non leguntur inter canones Concilii Hipponenſis anni 393. nec in iſtorum Breviario. Alia igitur Synodus Hipponenſis, quæ deeſt, admittenda eſt. Hanc poſteriorem fuiſſe anno 421. idem Ferrandus ſatis indicat, cum num. 47. prius citet *Concil. Carth. tit.* 5. qui titulus (ut vidimus num. 2.) competit Concilio XIX. habito poſt annum 421. dein vero ſubjiciat *Concil. Hippon. tit.* 9. quod ex ipſo ordine poſterius eſſe debet Concilio Carthaginienſi XIX. Enimvero P. Harduinus duos codices memorat, alterum Petri Pithœi, alterum Collegii Pariſienſis Societatis Jeſu; qui poſtremus codex epitomen canonum continens, maximi faciendus eſt, cum nec ex Dionyſio, nec ex alia nobis cognita collectione, ſed ex iiſdem Africanis fontibus, ex quibus Ferrandus, notitias Synodorum Africæ receperit, ut patet ex adnotatis §. 5. n. 4. In his autem duobus codicibus Hipponenſe Concilium innuitur celebratum anno 427. Sic enim ibidem legitur: *Pierio & Ardabore Coſſ. VIII. Kal. Octobris in baſilica Leontina, placuit univerſo Concilio* &c. ubi Hipponenſis baſilica, quæ appellabatur *Leontina*, deſignatur. Cum autem anno 427. quo Pierius & Ardabures conſulatum gerebant, adhuc in vivis eſſet Aurelius; hæc profecto Synodus inter celebratas ſub Aurelio referri debet, quæ *vigeſima prima* inſcribi poſſe videtur. Duo hujus Synodi canones a Ferrando allegati num. 54. & 198. ex laudatis codicibus ab Harduino indicantur, eoſque repetitos monet ex Concilio Carthaginienſi anni 419. can. 29. & 30. Codicis Africani. Nos vero omnes ejuſdem Synodi canones a Ferrando laudatos reperimus in alio Concilio Carthaginienſi anni 421. quod hoc tomo prodibit in lucem. Nam canon a Ferrando allegatus num. 54. *tit.* 3. qui etiam in Harduini codicibus Concilio Hipponenſi tribuitur, in Synodo anni 421. eſt canon primus. Duo canones a Ferrando aſſignantur *tit.* 5. alter num. 34. alter num. 198. Error in numerum alterius irrepſit. Credimus vero in num. 198. corrigendum *tit.* 4. canon enim hoc numero indicatus congrue ſubſequitur canonem præcedentem ſignatum *tit.* 3. cui ſane ſubjicitur tum in Codice Africano c. 30. tum in Synodo anni 421. canone ſecundo. Porro *titulus quintus* apud Ferrandum allegatus num. 34. eſt in ſola Synodo anni 421. canone quarto. Alius canon, quem Hipponiregienſi Synodo adjudicat Ferrandus num. 35. *tit.* 8. habetur in Codice Africano c. 32. & in Concilio anni 421. canone quinto. Canonem nonum Hipponiregienſem, qui in Cod. Afric. legitur c. 33. in tres numeros partitur Ferrandus num. 95. ubi primam partem laudat, num. 47. ubi ſecundam, & num. 38. ubi partem tertiam exprimit. Hic canon in Synodo anni 421. duos canones 9. & 10. conficit: ubi animadvertendum eſt, particulam illam a Ferrando indicatam num. 47. *Ut Epiſcopi rem Eccleſiæ ſine Primatis conſilio non vendant*, in Concilio anni 419. c. 33. Codicis Africani bis verbis efferri: *Epiſcopis non licet vendere prædia Eccleſiæ ignorante Concilio vel Presbyteris ſuis*, in quibus *Primatis* nomen non apparet. Hoc vero nomen in repetendo eodem canone anno 421. vocibus *Presbyteris ſuis* ſubſtitutum fuit, ut ex Concilio hujus anni a nobis edendo patebit c. 9. Idem decretum ſimiliter renovatum fuit in alia Synodo Carthaginienſi XIX. vel XX. *tit.* 5. ac in Hipponiregienſi *tit.* 9. utramque enim Synodum Ferrandus laudat eodem numero 47.

tom. 2. Conc. col. 1275. not. 4.

Ibid. not. 4. & 5.

Infr. col. 649.

Concilia provinciæ Byzacenæ.

V. Idem Ferrandus octo alias Synodos allegat provinciæ Byzacenæ, Suffetulenſem num. 2. Thuſdritanam num. 76. & 77. Juncenſem num. 26. Macrianenſem num. 11. & 23. Septimunicenſem num. 11. 56. 76. 139. 212. & 215. Thenitanam num. 61. 76. & 194. Marazanenſem, ſeu Maradianenſem num. 44. 76. 127. & 220. & Zellenſem vel Tiellenſem num. 3. 4. 6. 16. 65. 68. 130. 138. 174. & 218. Provinciales Synodi omnes videntur. Id ſane de Marazanenſi evidens eſt. Hujus enim canon num. 220. allegatus unam Byzacenam provinciam reſpicit. Illud peculiari obſervatione dignum eſt, Ferrandum in his Synodis indicandis numerum titulorum ſeu canonum nunquam deſignaſſe. Id autem ipſi in more fuiſſe videtur, quoties Africanæ Synodi non plenariæ, ſed provinciales eſſent, uti animadvertimus accidiſſe etiam Synodo provinciali Carthaginienſi anni 409. Quæ animadverſio plane confirmat, ceteras Synodos Africanas etiam Milevitanam & Hipponiregienſem anni 427. quas cum titulorum numeris Ferrandus laudat, plenarias fuiſſe. Hæc autem Concilia Bizacena repetunt identidem eumdem canonem more Africano, ut præſertim liquet ex Ferrandi numero 76. ubi idem decretum quatuor Synodis Byzacenis tribuitur. Cum ab eodem Ferrando allegatur Synodus Zellenſis, vel Tiellenſis, quæ ab aliis Tellenſis, ſeu Teleptenſis vocatur, fere additur *ex Siricii epiſtola*; eo quod canones ſpectent ad duas epiſtolas hujus Pontificis, quæ in eadem Synodo lectæ, ac geſtis inſertæ fuerunt. Hujus Concilii Zellenſis pars nobis conſervata in collectionibus Gallicanis, unam tantum Syricii epiſtolam exhibet. Quæ vero præterea Ferrandus ex eadem Synodo, vel ex altera Siricii epiſtola commemorat, recenſebimus in Obſervationibus ad Queſnelli Diſſertationem XV. de Synodo Teleptenſi. Ex præfatione huic Synodo præfixa ipſius tempus liquet, nimirum annus 418. Num vero ad idem circiter tempus aliæ memoratæ Synodi Byzacenæ pertineant, an vero, ut alii opinantur, ad poſteriorem ætatem referendæ ſint; cum nihil ex ipſis ſuperſit niſi quidam canones a Ferrando memorati, quos diligenter collegit Baluzius, definiri nequit. Cum poſt Vandalorum irruptionem Africa nimium vexata fuerit; tanta Byzacenarum Synodorum frequentia, quæ pacificum tempus efflagitat, ævo anteriori tribuenda videtur. Quod ſi adhuc ſub Vandalis Synodus Carthaginienſis anni 525. celebrata fuit; præfatio ejuſdem Synodi ſatis indicat, *antiquam* rediiſſe Conciliorum *conſuetudinem reparata libertate*, quam Hilderico referunt Victor Tunonenſis in Chronico, & auctor vitæ S. Fulgentii cap. 28. In eadem præfatione quidam Epiſcopus, cujus nomen deſideratur, Bonifacium Antiſtitem Carthaginienſem bis verbis alloquitur: *Imple quæſumus diligenter miniſterii tui partes, ut Eccleſiæ Africanæ generalis utilitas ſanctorumque canonum vigor iterum refloreſcat: & quod beatiſſimæ memoriæ Aurelius hujus urbis Antiſtes inſtituit, tua nunc beatitudo reſtituat. Te enim Dominus ei conſtituit ſucceſſorem honoris, libertatis, & pacis.* Hæc profecto innuunt, jam inde ab Aurelii morte cogendarum Synodorum facultatem defuiſſe; ac propterea laudatæ Synodi Byzacenæ Aurelii tempore celebratæ videntur. Synodum quidem Thuſdritanam ante Zellenſem anni 418. coactam fuiſſe indicant illa Vincentii & Fortunatiani in prœmio Synodi Zellenſis: *Etiam cum Thuſdrum fuiſſemus, ſicut mecum recolit memorialis auditio veſtra, & epiſto-*

Conc. Milev. an. 402. & Hippon. an. 427. fuerunt plenariæ.

Tempus Synodi Zellenſis.

t. 3. Concil. col. 461.

tom. 5. Conc. col. 773. a 774. b.

col. 773. e

Aliæ Synodi Byzacenæ ſub Aurelio celebratæ.

ſtolas ſanctæ memoriæ Siricii Sedis Apoſtolicæ Epiſcopi dederamus recitandas &c. quæ Concilium Thuſdri paullo ante celebratum ſignificant. Mirum videri poteſt, tot Byzacenæ provinciæ Synodos a Ferrando laudari, nihil vero eum indicare de Conciliis, quæ in aliis Africæ provinciis, ac præſertim in Numidia Auguſtini, Alypii, ac Poſſidii zelo coacta fuiſſe dubitare non licet. Id autem eo referendum credimus, quia in perturbationibus Vandalicis, quibus tota Africa depopulata fuit, perierunt, vel fuerunt diſperſi ſynodici ceterarum provinciarum codices, ſoliuſque Byzacenæ provinciæ Synodi in Ferrandi manus venere.

Integer Codex can. Afric. qui.

VI. Ex hactenus diſputatis patet, quinam canones, & quæ Concilia continerentur in Codice, ſeu in his codicibus canonum Eccleſiæ Africanæ, qui ſexto ſæculo Ferrando Carthaginienſis Eccleſiæ Diacono, ac in Synodo Bonifacii anni 525. uſui fuere. Præter duplicem verſionem Synodi Nicænæ, aliam nimirum antiquiſſimam a Cæciliano, aliam recentiorem ab Attico Conſtantinopolitano acceptam, complectebantur etiam Synodos Grati atque Genethlii, integrum Concilium Hipponenſe anni 393. ex quo integri canones in Bonifacii Synodo recitantur; præterea viginti alias Synodos ſub Aurelio, aliam Hipponenſem anni 427. & nonnullas etiam provinciæ Bizacenæ. Integer Codex canonum Eccleſiæ Africanæ has omnes Synodos complecti deberet.

Quid Dionyſius Exiguus.

Quæ ex Africanis canonibus dedit Dionyſius Exiguus, ſumta fuerunt ex Synodo XVII. ſub Aurelio celebrata anno 419. in qua anteriores ipſius Synodi cum ſuis geſtis repetitæ & inſertæ fuere a Concilio Hipponenſi anni 393. uſque ad XVI. anni 418. At præterquam quod omiſſa fuerunt Concilia anteriora Aurelio, poſteriora vero nondum celebrata referri non poterant; Dionyſius in recenſendis iis ipſis Synodis, quæ geſtis Concilii anni 419. erant inſertæ, etſi plurima deſcripſit integra; repetitionem tamen canonum Africanis familiarem vitaturus, aliquot canones ſemel propoſitos, alibi ubi erant repetiti, præterivit: alios quandoque inconſiderate tranſiliit: quædam compendio retulit: in aliis ad geſta lectores remiſit: ut ex antea adnotatis manifeſtum eſt, ſuſeque etiam animadvertit P. Couſtantius in præfatione ad tom. 1. Epiſtolarum Romanorum Pontificum pag. XCIV. & ſeqq. Hoc vero Dionyſii opus græce redditum fuit, & in Græcas collectiones traductum aliquanto ante Synodum Trullanam habitam anno 692. quæ c. 2. inter Græci Codicis canones Carthaginienſes recenſet.

De editione Juſtelliana.

VII. Hæc autem idcirco notanda cenſuimus, ut palam fiat, quam perperam huic Græcæ Africanorum canonum interpretationi Chriſtophorus Juſtellus generalem titulum præfixerit: *Codex canonum Eccleſiæ Africanæ*: cum ne omnia quidem geſta inſerta Concilio Carthaginienſi anni 419. exacte contineat. Ille quidem Græcam verſionem ex collectione Græca canonum a Tilio edita excerpſit, ac ex codicibus Regio & Palatino variantes lectiones adjecit, uti teſtatur in notis pag. 418. Textum vero Latinum ſumſit ex ipſa collectione Dionyſii, quæ in codice Nicolai Fabri continebatur, varianteſque addidit ex duobus aliis MSS. Thuaneo & Bochardiano, qui primos canones triginta tres Synodi Carthaginienſis anni 419. in quadraginta titulos diſtributos exhibebant. Titulum vero *Codex canonum Eccleſiæ Africanæ* nec Græca verſio, nec iſti aut ulli alii Latini codices præferebant. Nam in collectione Græca hæc inſcriptio legitur: *Κανόνες τῶν ἐν Καρθαγένῃ συναχθέντων διακοσίων δεκαεπτὰ ἁγίων καὶ μακαρίων πατέρων: Canones ducentorum & XVII. ſanctorum & beatorum Patrum, qui Carthagine congregati ſunt*. In Latino vero Dionyſii textu apud ipſum Juſtellum: *Synodus apud Carthaginem Africanorum, quæ conſtituit canones CXXXVIII.* Idem Dionyſius in epiſtola nuncupatoria ad Stephanum Epiſcopum Salonitanum, non *Codicem canonum*, ſed *Statuta Concilii Africani* ſe daturum recepit. Hæc ad illuſtrandos canones & Concilia Africæ uberius diſputanda fuere.

CAPUT IV.

De collectione canonum vetuſtiſſima omnium detecta in MS. Vaticano Reginæ 1997. De Synodis ſub Symmacho celebratis. Tempus figitur Synodi Palmaris. Duæ epiſtolæ formatæ ex eodem codice editæ.

Vetuſtiorum collectionum origo a Dionyſio diverſa.

I. NUnc diſputaturi de collectionibus, quæ vel ſunt antiquiores collectione Dionyſii, vel ex fontibus a Dionyſio diverſis prodeunt, illud præmonemus, nonnullas quidem Dionyſii particulas in quibuſdam collectionibus hac ſecunda parte afferendis inveniri. Cum vero totus ipſarum collectionum, & documentorum quæ in eis continentur, complexus ex aliis non Dionyſianis fontibus dimanet; eas Dionyſii particulas non ab auctoribus earumdem collectionum inditas, ſed poſteriori manu plerumque inſertas putamus. Poſteriores enim librarii vetuſtum codicem exſcribentes, aliqua ex arbitrio quandoque mutare, addere, ac inſerere non dubitarunt, quæ collectori tribuenda non ſunt.

Quædam intruſa notantur.

Additamentorum quidem indicia in noſtris collectionibus non deſunt. Alia enim initio, alia ſub finem affixa inveniuntur. Quædam etiam lectiones in verſionibus Græcorum canonum ex Dionyſiana ſumtæ, intruſæ ſunt interpretationi ex. gr. Priſcæ, quam collectionis auctor ab initio deſcripſerat. Collectionum origo non ex his inſertis & addititiis particulis, ſed ex documentorum ratione, ordine, atque complexu dijudicanda eſt: nec dubitare licebit, quin collectiones, quæ ex ipſo complexu cum Dionyſiana non conveniunt, aliam a Dionyſio originem habeant. Hujus quidem diverſæ originis in collectionibus hac ſecunda parte recenſendis aperta argumenta ſuppetunt. Verſiones Græcorum canonum a Dionyſiana diſcrepant. Non pauca documenta in eiſdem leguntur, quæ in Dionyſio deſiderantur. Ea ipſa, quæ Dionyſianæ collectioni communia ſunt, non ſolum in illis alio ordine, alia diviſione, aliiſque titulis atque adnotationibus, verum etiam aliis, & nonnunquam melioribus lectionibus proferuntur. Quædam particulæ a Dionyſio omiſſæ nobis in iiſdem conſervatæ fuerunt; aliaque non pauca in ipſarum deſcriptione a nobis indicabuntur, quæ non tam earum collectionum diſcrimen a Dionyſiana, quam præſtantiam commendabunt. Has porro collectiones in duas claſſes diſtinguimus. Aliæ enim generales ſunt, canoneſque Conciliorum ac decretales Romanorum Pontificum ſimul complectuntur; aliæ vero ſolas decretales ad certam fere cauſſam pertinentes exhibent.

Tempus collectionis in titulo laudatæ.

II. Inter primi generis collectiones omnium vetuſtiſſimam deteximus in MS. Vat. Reginæ 1997. recentiora enim ipſius documenta ſunt tres Synodi ſub Symmacho. Cum porro poſt primam Synodum ejuſdem Pontificis celebratam anno 499. ſubjiciatur catalogus Romanorum Præſulum; in eadem Synodo deſiiſſe videtur primæva collectio: eaque fortaſſis digeſta fuit, antequam haberentur duæ aliæ ejuſdem Pontificis Synodi, quæ præfixo Romanorum Antiſtitum catalogo deſinente in Hormiſda Symmachi ſucceſſore, poſteriori additamento acceſſere. Codex quadratæ fere eſt formæ, ac ſingulæ paginæ in duas columnas diſtinctæ. Caracter eſt antiquus celer, quem Langobardicum vulgo appellant. Quædam additamenta idem codex ſubinde recepit, quorum alia pauca expreſſa ſunt eodem antiquo caractere, alia vero recentiori, ſed veteri, ut ex ſequentibus conſtabit.

Ejus præſtantia.

Hujus collectionis præſtantiam ipſa monumenta demonſtrant. In primæva enim collectione nihil ſuppoſititium deprehenditur. Quædam præterea aliunde ignota documenta in hac una collectione conſervata fuere. Synodi Græcæ ſunt ex Priſca verſione. Sola Nicæna interpretationem præfert peculiarem, quam inter ineditas verſiones hoc tomo edemus. Sardicenſes canones cum Nicænis continua numerorum ſerie copulantur, ac Nicænorum nomine inſcripti exhibentur. *Infr. col. 567.* Alia peculiaria ſuo loco notabuntur.

Condita in Italia.

Italicam vero eſſe hanc collectionem ex eo colligimus, quia jam inde a decimo ſæculo hic codex, qui poſtea tranſiit in biblio-

bliothecam S. Silveſtri de Nonantula, pertinuit ad Eccleſiam Theatinam, ut indicat epiſtola formata Theatini Epiſcopi, quam recentiori caractere in prima pagina codicis deſcriptam, in fine hujus capitis appendemus.

III. Initium hujus collectionis ſumitur a canonibus Ancyrenſibus, Neocæſarienſibus, Gangrenſibus, & Antiochenis verſionis Priſcæ, quibus ſingulis tabula capitulorum præmittitur. Nihil deeſſe initio palam fit ex eo, quod primævus caracter inchoet pag. 1. tergo hoc titulo: *In nomine Domini. Incipit titali canonum Ancyrenſium*. Hac præſtantiſſima collectione utiliter uſi ſumus in edenda verſione Priſca. Poſt canones Antiochenos deſcribuntur *Reſponſa & conſtitutiones, quæ apud Carthaginem acta ſunt*. Eſt Synodus Carthaginienſis anni 419. habita

Infr. col. 635.

VIII. Kal. Junias diſtincta in canones XL., quos dabimus inter documenta Juris canonici veteris n. 1. Subduntur Africanorum litteræ ad Bonifacium cum hac epigraphe: *Incipit epiſtula ab omna Concilium ſuprascriptum a Bonifacio arbis Romæ Epiſcopo* (leg. *ab omni Concilio ſupraſcripto ad Bonifacium urbis Romæ Epiſcopum*) *reſcripta, & cum geſtis, quæ ibidem apud Carthaginem confecta, per Fauſtinum Epiſcopum & Philippum & Aſellum Preſbyterum directa*. Incipit autem epiſtola *Quoniam Domino placuit* &c. uti legitur in Codice Africano

tom. 2. Conc. col. 1356. c.

c. 134. Sequitur *Epiſtula Attici Epiſcopi Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ad Bonifacium* &c. cum formatarum formula, de quibus plura diximus cap. 3. §. 8. n. 9. Tum epiſtola Aurelii & aliorum Afrorum ad Cæleſtinum: *Optaremus, ſiquidem admodum ſanctitas tua de adventu Apiarii* &c. Vide Cod.

Ib. col. 1364. e

Afric. cap. 138. Subjiciuntur canones Chalcedonenſes, & dein Conſtantinopolitani ex Priſca verſione, de quibus confer editionem noſtram ejuſdem verſionis. Canones Conciliorum claudunt Nicæni & Sardicenſes cum Nicænis juncti, eodemque Nicænorum titulo inſcripti: qui omnes dividuntur in canones 46. Interpretatio Nicænorum non eſt, ut in ceteris Græcis canonibus, Priſca, ſed alia vetuſtiſſima hactenus ignota, quam ex hoc codice poſt

Infr. 565.

Priſcam edemus. Vide admonitionem eidem præfixam, ubi quæ in ea verſione ſunt maxime obſervanda adnotabimus. Cum noſter collector præter Nicænos, quos ex peculiari antiquiſſima, &, ut videtur, Italica interpretatione recepit, in aliis Græcis canonibus Priſca verſione uſus ſit; Laodicenos canones idcirco omiſit, quia eos in eadem verſione nequaquam invenit. Lege ſupra cap. 2. §. 3. n. 17.

IV. Quantum ad conſtituta Romanorum Pontificum, quæ canonibus ſubnectuntur, primo deſcribitur epiſtola Siricii *ad Hierium* Tarraconenſem, quæ in collectione hoc tomo impreſſa profertur cap. 29. Tum epiſtola Leonis ad Ruſticum Narbonenſem cum hujus inquiſitionibus, quæ apud Dionyſium deſiderantur. Eſt in noſtra editione epiſtola 167. Alia ejuſdem Pontificis ad Africanos editionis decurtatæ, nobis epiſt. 12. tom. 1. col. 669. Alia ad Flavianum nobis epiſt. 28. Item *ad Torribium* epiſt. 15. Item ad Siculos epiſt. 16. Item ad Nicetam epiſt. 159. Dein Innocentii I. epiſtola *ad Victorium* Rothomagenſem, in noſtra collectione cap. 24. Cæleſtini ad Epiſcopos per Viennenſem & Narbonenſem provincias conſtitutus, ibidem cap. 35. *Statuta S. Gelaſii Epiſcopi ad Epiſcopos per univerſas provincias conſtitutos*, ibidem cap. 58. *Geſta de nomine Acacii*. Incipiunt: *In cauſſa fidei chriſtianæ, cui ab exordio ſui nunquam defuiſſe probantur inimici* &c. Eſt plenior hiſtoria, quam ex Virdunenſi codice edidit Sirmondus, & ex eo legitur tom. 5. Conciliorum Venetæ editionis col. 173. brevior autem inve-

Infr. col. 307.

nitur in noſtra collectione cap. 43. in quod vide adnot. 1. Inſeritur epiſtola Hieronymi ad Evangellum Presbyterum. *Legimus in Eſaia* &c. uti habetur tom. 1. Operum S. Hieronymi editionis Veron. epiſt. 146. al. 85. Subduntur epiſtolæ Innocentii ad Exſuperium Toloſanum Epiſcopum in noſtra collectione cap. 21. ejuſdem ad Rufum & ceteros Epiſcopos Macedones, ibidem cap. 22. Zoſimi ad Eſichium Epiſcopum Salonitanum, ibidem cap. 32. Cæleſtini ad Epiſcopos Apuliæ & Calabriæ, ibi cap. 36. Bonifacii ad Honorium Auguſtum, *Eccleſiæ meæ, cui Deus noſter* &c. uti tom. 3. Concil. col. 434. Reſcriptum Honorii ad eumdem Pontificem, *Scripta beatitudinis tuæ* &c. ibidem col. 436. Glycerii Imperatoris lex Novellis addenda, & edictum Himelconis Præfecti Prætorio contra ſimoniacos, quæ publici juris faciemus inter documenta Juris canonici veteris num. 6. epiſtola Leonis Papæ ad Epiſcopum Aquilejenſem, nobis epiſt. 1. ejuſdem

Infr. col. 677.

ad Septimum Epiſcopum, in noſtra editione epiſt. 2. Concilium I. Romanum ſub Symmacho anni 499. Incipit: *Poſt conſulatum Paulini V. C. ſub die Kalendarum Martias in baſilica B. Petri Apoſtoli*. Præmittuntur Epiſcoporum nomina, & cetera ſequuntur cum ipſo Joannis Diaconi libello ad Symmachum, ut ex MS. quondam Nicolai Fabri, nunc autem Colbertino 1863. vulgavit Baluzius. Vide t. 5. Concil. col. 446. & ſeqq. Hic deſinere videtur primigenia collectio.

V. Subditur catalogus Romanorum Pontificum uſque ad Hormiſdam, cui aſſignantur *anni VIIII. dies XVIII*. Hinc poſt Horſmidæ mortem ſequentia additamenta acceſſere. *Conſtitutum Symmachi de rebus Eccleſiæ conſervandis*. Eſt alia Synodus anni 502. quæ exſtat eodem tom. 5. col. 471. *Præcepta* (leg. *præceptio*) *Regis III. miſſa ad Synodum*. Incipit: *Præceptio, quæ miſſa eſt per Germanum & Caroſum Epiſcopos* &c. *data VI. Idus Auguſti Ruſio Magno Fauſto Avieno V. C. Coſ.* ibidem col. 463. ubi tamen vulgati titulum cum numeralibus notis III. omittunt. *Preces* (leg. *præceptio*) *Regis IIII. miſſa ad Synodum. Fl. Theodoricus Rex univerſis Epiſcopis ad Synodum convocatis* &c. *data VI. Kal. Septembris Ruſio Avieno Fauſto V. C. Coſ.* non *Ruſtico*, ut in vulgatis Conciliorum perperam legitur, ibidem col. 464. Præceptiones III. & IV. duas alias anteriores præſumunt, quæ ideo fortaſſis fuerunt prætermiſſæ, quia illæ tantum, quæ ad ſequentem celebrem Synodum pertinent, cum ejuſdem Synodi geſtis inventæ fuerunt. *Relatio Epiſcoporum ad Regem. Agimus Deo gratias* &c. ibidem col. 465. *Præceptio regia. Theodoricus Rex univerſis Epiſcopis ad Synodum convocatis. Decuerat quidem* &c. *data ſub die Kal. Octobris*. Ibi col. 466. In vulgatis ex laudato MS. Colbertino 1863. ſubditur: *Synodo eccleſiaſtico vir ſpectabilis anagnoſticas Regis. Primum ſalutandi Epiſcopi* &c. ac in fine, *aut ipſi vindicent, aut quos deputemus, legibus exequantur culpas*: notaturque locus valde corruptus. Correctionem vero indicat noſter codex, qui ſic habet: *Reg. Ind. Ecl. qs. Agnoſtic. Regis. Primum ſalutandi Epiſcopi* &c. ac in fine: *aut ipſi vindicent, aut nos deputemus, qui legibus exſequantur culpas*. Primæ voces tituli abbreviatæ *Reg. Ind.* denotant *regium Indiculum*, idest inſtructionem a Rege datam: ſic enim & inſtructio data legatis ab Hormiſda *indiculus vocatur* eodem tom. 5. Conciliorum col. 612. Aliud exemplum vide ibi col. 655. Reliqua ejuſdem tituli alii petitiores interpretentur. Hæc omnia documenta, quæ ex unico MS. Colbertino eodem ordine edita ſunt, aliis in locis ex noſtro codice emendari poterunt. Poſtea ſequuntur *Conſtitutiones Epiſcoporum in Synodo Romæ ex præcepto Theodorici. Ruſio Magno Fauſto Avieno Coſ. X. Kal. Novembris Synodus apud urbem Romam* &c. ibidem col. 457. Hic conſulatus, qui ipſam Synodum aſſignat anno 501. in dubium vocari nequit. Non ſolum enim legitur in pleriſque MSS. exemplaribus collectionis Hadrianæ, in omnibus Iſidorianis, & in laudato Colbertino, verum etiam in Vat. 5845. inter Additiones Dionyſii, & in noſtra collectione Vat. Reginæ omnium antiquiſſima, & Symmacho fere coæva, quæ præ ceteris auctoritatem maximam facit. Adde quod idem conſulatus notatur & confirmatur etiam in duabus memoratis Theodorici præceptionibus, quæ eodem anno ſcriptæ ad eamdem Synodum referuntur.

Indiculum pro inſtructione.

Synodus Palmaris ſub Symmacho habita anno 501.

VI. P. Antonius Pagius ad annum 503. n. 2. & ſeqq. hanc conſularem notam adtititiam eſſe, & ab aliquo imperito intruſam exiſtimat. Id quidem potuiſſe accidere in uno documento, & in manuſcriptis unius collectionis nemo inficias ibit. At in tribus documentis, & in collectionibus diverſæ originis, iiſque vetuſtiſſimis idipſum contigiſſe, omneſque

Idem annus conſtituitur, & ab objectis vindicatur.

que harum collectionum auctores in idem aſſumentum conſpiraſſe plane eſt incredibile. Synodum cum hoc conſulatu præferunt codices quatuor, ſeu potius quinque diverſæ originis collectionum, quas paullo ante indicavimus. Duæ autem præceptiones Theodorici, quæ ipſam Synodum reſpiciunt, eumdem conſulatum exhibent in duabus MSS. collectionibus, in quibus hactenus inventæ ſunt, nimirum in hac noſtra Vat. Reginæ, & in alia laudati codicis Colbertini. Deeſt quidem hic conſulatus in codice Sangermanenſi collectionis Hadrianæ, quem Pagius opponit, & ſimiliter in Vallicellano A. 5. inter documenta ejuſdem collectionis. At Iſidorus, qui vetuſtiori exemplo Hadriano uſus eſt, in eo conſulatum invenit: ac præterea codex Vat. 5845., qui Synodos ſub Symmacho inter additamenta Dionyſiana repræſentat, antequam collectioni Hadrianæ infererentur, eumdem conſulatum præfert; atque ex his palam fit, defectum ipſius conſulatus in aliquibus Hadrianis codicibus omiſſioni eſſe deputandum. Tanta ergo tot codicum & collectionum concordia in eo conſulatu notando de anno ejuſdem Synodi dubitare non ſinit. Pagius loco laudato ingerit codices, in quibus hæc Synodus *Palmaris* appellata, *quarta* vocatur, & ordine poſtponitur Synodo celebratæ anno 502. At vox *quarta* in quibuſdam tantum codicibus ſignata, in noſtro Vaticano Reginæ, in Vat. 5845. nec non in aliis etiam Hadrianis nequaquam apparet. Certe codices, qui genuinas Synodos ſub Symmacho exhibent, tres tantum referunt, nulli quatuor. Quod ſi quis duas veluti actiones eodem anno 501. juſſu Regis habitas ante actionem Synodi Palmaris, in quibus nihil concludi potuit, quarum altera celebrata fuit (1) in Baſilica Julii (2) poſt feſtivitatem paſchalem, altera (3) in Baſilica Seſſoriana (4) ſub initium Septembris, pro duabus diſtinctis Synodis habendas exiſtimet, uti ſane quæ celebrata fuit in Baſilica Seſſoriana (5) *ſecunda Synodus* vocatur in relatione Epiſcoporum ad Regem; tum actio tertia, ſeu Synodus Palmaris coacta X. Kal. Novembris, *tertia* Synodus anni 501. appellari poterit, & relate ad anteriorum Synodum anni 499. potuit inſcribi *Synodus quarta*. Ordo vero licet in pleriſque MSS. hanc Synodum poſtremo loco exhibeat, in Vaticano tamen cod. 5845. diverſus eſt. Nam eadem Synodus primo loco ibidem deſcribitur. In aliis vero codicibus duæ Synodi annorum 499. & 502. idcirco huic Concilio præmitti potuere, quia in hic collectionibus canonum præferendæ ac ſimul jungendæ viſæ ſunt Synodi, quæ diſciplinæ canones ſtatuunt: tum vero illa adjicienda, quæ ad Symmachi abſolutionem ſpectat, licet intermedio tempore celebrata fuerit. Obtrudit Pagius Theodori Lectoris teſtimonium ex libro 2. Hiſtoriæ, ubi hæc leguntur: *Cum vero hujuſmodi perturbatio trium annorum* (non vero, ut in vulgata verſione, *per tres continuos annos*) *in urbe Roma perſeveraſſet* (poſt ordinationem S. Symmachi atque Laurentii) *Theodoricus Afer, qui tum Romæ regnabat, quamvis ſecta eſſet Arianus, collecta tamen Synodo, Symmacho quidem Epiſcopatum Urbis confirmavit, Laurentium vero cujuſdam urbis, quæ Nuceria dicitur, Epiſcopum conſtituit. Laurentius tamen haudquaquam quievit; ſed Epiſcopatum urbis Romæ adhuc ambire non deſtitit. Quam ob cauſſam eum deponi & in exilium mitti curavit Symmachus; atque hoc modo ſeditio conſopita eſt*. Idem autem Pagius in hypotheſi quatuor Synodorum ſub Symmacho, hoc textu indicari putat Synodum ſecundam anni 500., quæ perierit, quæque confirmato Epiſcopatu Symmachi Laurentium Nucerinæ Eccleſiæ præfecerit. Palmarem vero Synodum, uti putat quartam, affigit anno 503., quo poſt triennium ſecundum ſchiſma adverſus Symmachum conflatum exiſtimat. Rejecta autem ea ſecunda Synodo, cujus nullum uſpiam indicium eſt, Theodori locus accipi debet de Synodo Palmari habita, ut vidimus, anno 501., qua Symmachus Romanus Epiſcopus confirmatus fuit. Ejuſdem vero Theodori Græci ſcriptoris hallucinationi tribuendum eſt, cum ſub idem tempus Laurentium Nucerinæ Eccleſiæ Epiſcopum conſtitutum tradit. Id enim factum fuiſſe ſtatim poſt judicium Theodorici Regis initio anni 499. ſatis aperte tradit Anaſtaſius Bibliothecarius, qui poſt deſcriptum Theodorici judicium, quo *factus eſt Præſul Symmachus*, addit: *EODEM TEMPORE Papa Symmachus congregavit Synodum, & conſtituit Laurentium in Nucerina civitate Epiſcopum intuitu miſericordiæ*. Apertius vero idipſum ſtatuit Anonymus ipſius Laurentii fautor, cujus fragmentum edidit Franciſcus Blanchinius, & dein exactius recuſit P. Joſeph fratris ejus filius in Enarratione Pſeudo-Athanaſiana pag. 104., ex quo coævo ſcriptore licet Symmacho Pontifici infenſo tota hæc quæſtio dirimi poteſt. Inde enim diſcimus, Symmachum & Laurentium poſt Anaſtaſii II. mortem fuiſſe ordinatos, ortoque hac de cauſſa ſchiſmate, utrumque ad Theodoricum perrexiſſe, cujus judicio Symmachus Epiſcopatum obtinuit, & *Laurentius ad gubernandam Eccleſiam Nucerinam Campaniæ civitatem . . . . dirigitur*. Quod ſi id in Synodo factum fuit, ut tradit Anaſtaſius; ipſi Synodo Kalendarum Martii anni 499. tribuendum eſt. Sequitur porro Anonymus narrans alterum ſchiſma, quod *poſt aliquot annos* renovatum fuit. In hoc multa Symmacho objecta refert, ob quæ Theodorici præceptionibus nova Synodo coacta, idem Pontifex confirmatus fuit. Hæc conveniunt Palmari Synodo anni 501. Addit porro non conquieviſſe fautores Laurentii (quos quidem ipſam Synodum Palmarem impugnaſſe opuſculo inſcripto *Adverſus Synodum abſolutionis incongruæ*, ex Ennodii apologetico manifeſtum eſt;) Laurentio autem Romam ingreſſo, ſchiſma *per annos circiter quatuor* perſeveraſſe, quod tandem præcipiente Rege, & Laurentio in prædia Patricii Feſti concedente (*in exilium* inquit Theodorus) prorſus extinctum fuit. Vide quam probe omnia conveniant, ut ne opus ſit Concilia multiplicare, & conſulatum Rufii Magni Fauſti Avieni in tam multis vetuſtiſſimis collectionibus exhibitum, veluti ſuppoſititium & intruſum traducere, Palmaremque Synodum detrudere ab anno 501. ad annum 503. Unum monere reſtat, nobis eſſe incredibile, eum *Cælium Laurentium Archipresbyterum tituli ſanctæ Praxedis*, qui ſubſcripſit Synodo anni 499. eſſe ipſum Laurentium Presbyterum, qui adverſus Symmachum Epiſcopus fuerat conſecratus. Hæc pro enucleanda controverſia non modicum implexa & pro vindicando noſtro codice, qui eum conſulatum præfert, fuſius dicenda fuere. Nunc autem deſcriptionem ejuſdem codicis proſequamur.

Num ea ſit Synodus quarta.

Quando Laurentius conſtitutus Epiſcopus Nucerinus.

Novum ſchiſma Laurentii contra Symmachum.

tom. 5. Concil. col. 480. b.

VII. Poſt laudata documenta ſub Symmacho ſequitur: *Incipit fides Nicæna*. Eſt opuſculum ineditum aliquot paginarum, quod exſcribendum curavimus, inter anecdota aliquando, ſi Deo placuerit, evulgaturi. Antiquus caracter codicis concluditur quibuſdam ſtatutis S. Silveſtro Papæ adſcriptis. *Incipit capitulum editum a Silveſtro Papa, dum reſediſſet in Synodo cum Conſtantino Auguſto, & ſimul cum eis reſidentibus CLXXVIII. Epiſcopis, & cum eis CCLXX. Presbyteris, & Diaconis XL.* &c. *Placuit ut nullus laicus audeat Clerico crimen ingerere niſi ſub idoneos teſtes*; & alia pauca ſtatuta apocrypha, ſed antiqua, quæ huic collectioni ſincera documenta continenti poſteriori manu olim in fine adjecta, & a noſtro librario uno caractere deſcripta arbitramur.

VIII. Recentiori autem ſcriptura adduntur hæc. Epiſtola Gregorii Papæ ad Secundinum incluſum. *Dilectionis tuæ litteras ſuſcepi* &c. Alia epiſtola Iſidori ad Maſſonem Epiſcopum. *Veniente ad nos famulo veſtro viro religioſo Nicetio* &c. Dein *Ordo de ſacris ordinibus benedicendis. Hæc a ſingulis gradibus obſervanda ſunt tempora* &c. Sunt præfationes

V &

(1) tom. 5. Conc. Ven. edit. col. 458. c.
(2) Vide Anonymum poſtea laudandum apud P. Blanchinium pag. 105.
(3) tom. 5. Conc. col. 459. b.
(4) Hæc Synodus indicta Kalendis Septembris: ibidem col. 463. c.
(5) Ibidem col. 465. c.

& formulæ pro ſingulis ordinibus. Tandem alio minutiori caractere leguntur preces, ſeu litaniæ ſcriptæ nono ſæculo vivente Ludovico II. & Angelberga ejus conjuge. Hæc enim inter cetera ibidem leguntur. *Exaudi Chriſte.* ℟. *Domino noſtro Hludovico a Deo coronato, magno & pacifico Imperatori vita & victoria.* Et poſt nonnulla: *Exaudi Chriſte.* ℟. *Angelbergæ Imperatrici ſalus & vita.* Cum idem Ludovicus II. in Italia regnaret, hæc collectio confirmatur Italica. Nunc duas epiſtolas formatas in prima codicis pagina recentiori caractere deſcriptas exhibemus, quarum altera cum data ſit. ab Epiſcopo Eccleſiæ Theatinæ, codicem ad eamdem Eccleſiam pertinuiſſe ſignificat. Vide quæ de hujuſmodi formatis, quarum norma Nicæno Concilio tribuitur, animadvertemus adnot. 1. in cap. 63. collectionis edendæ.

Infr. col. 451.

Epiſtola formata.

IN NOM. ΠΑΤΡΗΣ ΕΤ ΦΙΛΙΗ

ET CFC CRH. „ Domino ſanctiſſimo atque venerantiſſimo & a nobis ſumma cum dilectione nominando Ill. Epiſcopo illa provincia fratri in Chriſto Domino. Ego Ill. Epiſcopus ſervus Chriſti ſanctæ ill. Eccleſiæ humilis Epiſcopus veſter confrater ac devotus orator paciferam tranſitoriæ vitæ atque futuræ in Domino ſalutem. Cognoſcat denique almitas veſtra, quia iſte Clericus nomine ill. noſter tonſuratus petiit noſtræ humilitatis dimiſſoriam, ſive formatam, ut a vobis ad ſacrum ordinem promoveatur. Propterea nos ejus precibus inclinati, ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum Nicæni Concilii hanc dimiſſoriam, ſive, ut diximus, formatam veſtræ fraternitati atque ſanctitati emittimus, ut eum ad Sacerdotii onus conſecrare non dubitetis, & nobis remittatis. Et ut verius credatis ac cognoſcatis, litteris Græcis cum earum numero ſubter eam juſſimus juxta præfatum Concilium roborari. Bene vale in Domino dilectiſſime & amantiſſime frater. ΠΟCΑ LXXX. LXX. CCI. ΠΔΜΟΛΑΩ Indict. XV. q Θ XCVIIII. AMHN. I. XLVIII. L.

Alia.

„ Π. Τ. Α. Celerimo (*forte* celeberrimo) vati fratrique ſanctiſſimo & promptu in ſapientia cum omni honore recolenda, & decorato in omnibus, in Domino fideli, & valde doctiſſimo, ſeu ab omnibus orthodoxis multiplici ſcientiæ . . . . . gratia decorato . . . . . dilecto in Chriſto Joanni M. ſpeculator ſanctæ Sedis Eccleſiæ Theatinæ Epiſcopus . . . . Nos de ill. ſanctæ Sedis Eccleſiæ ill. Epiſcopus in Domino Jeſu Chriſto optamus vobis magnam ſalutem atque honorem hic & in ævum. Propter incommoditatem, quod iter arreptus ſum partibus Beneventi, ſicut Domina Imperatrix per ſuos apices innotuit, ut in ejus ſervitio allaturi ſimus, quibus jam ſemper in moleſtia corporis diutius fatigamur, ad Clericos noſtræ diœceſeos ſacris ordinibus ſublimandos inſufficientes arbitramur. Idcirco præſentibus noſtræ mediocritatis apicibus exoramus, hunc præſentem Clericum noſtrum Luponem ad gradum Levitarum promoveri, & ad veſtram ſpecialiter fraternitatem dirigimus. Et ut hoc certius probabiliuſque credatur, Græca huic elementa paginæ ſecundum ſtatuta ſanctæ ac magnæ Synodi Nicænæ inſeri præcipimus, videlicet Patris & Filii & Spiritus Sancti. Primas litteras ΠΟCΑ, quæ LXXX. LXX. CC. & primum ſignificant numeros. Petri quoque Apoſtolorum Principis prima littera Π, quæ LXXX. ſignificat. Noſtræ quoque mediocritatis primam litteram M, ſublimitatis veſtræ ſecundam O; ejus qui accipit tertiam Π; civitatis noſtræ quartam . . . . . & Indict. præſentis anni iſtius XV. Eſt autem nomen ejus Luponem Clericum futurus Levita. Addidimus etiam XCVIIII. q Θ. Per hæc Græca elementa adnotantur. AMHN.

In hac ſecunda furmata, quæ luxatiſſima & mendoſiſſima eſt, quaſdam voces punctis indicatas omiſimus, eo quod ſenſum non redderent. Alia pauca tute emendavimus, uti *M. ſpeculator* pro eo quod ſcriptum eſt *inſpeculator*. Epiſcopi enim nomen, quod hoc loco ſignatur, incipit a littera M, ut ſub finem ipſius formatæ traditur; facilique amanuenſium oſcitantia *in* pro *m* nonnumquam ſcribitur. Catalogus Epiſcoporum Eccleſiæ Theatinæ apud Ughellum cum ſit imperfectus, hujus Epiſcopi nomen a littera M incipientem non ſuggerit. Cum vero memoretur Imperatrix, quæ in Beneventi partibus verſabatur, noteturque indictio XV., indicari videtur ſive Adelais Ottonis I. uxor, ſive Theophania conjux Ottonis II. quæ aliquoties in iiſdem partibus extitere. Etſi enim Angilberga Ludovici II. uxor ibidem fuerit; indictio tamen XV. ipſi non congruit. Hinc ergo ille Theatinus Epiſcopus *M.* ſub Ottonis I. vel II. imperio vixit, ac Theatinorum Epiſcoporum catalogo adjiciendus eſt.

CAPUT V.

De collectione in pervetuſto MS. Corbejenſi deſcripta.

I. HAnc collectionem deſcriptam in venerandæ antiquitatis MS. codice Corbejenſi XXVI., qui aſſervatur in bibliotheca S. Germani a Pratis Patrum Benedictinorum Pariſienſium, ſubjicimus collectioni Vaticano-regiæ, quam præcedenti capite explicavimus. Utraque nimirum certum antiquitatis teſtem præfert catalogum Romanorum Pontificum, quem ſi collectio Vaticano-regia concludit in Hormiſda, Corbejenſis producit ad Vigilium uſque. Hujus collectionis pluribus in locis meminit P. Sirmondus, qui eadem identidem uſus eſt. P. Mabillonius in celebri opere de Re diplomatica pag. 356. caracteris ſpecimen dedit, ex quo diſcimus, codicem uncialibus, uti vocant, litteris ſine ullo vocum intervallo exaratum, præter notationes aliquot celeri caractere expreſſas. Pleniorem vero hujus notitiam nobis exhibuit P. Montfauconius in Bibliotheca bibliothecarum tom. 2. pag. 1124. ac præſertim P. Couſtantius in præfatione ad tomum 1. Epiſtolarum Romanorum Pontificum num. 61. & ſequentibus. Cum ipſum codicem non licuerit inſpicere; quæ ex his ſcriptoribus cognuſcere potuimus, hic appendemus.

II. Poſt *Provinciale*, ſeu provinciarum diviſionem, cujus Montfauconius meminit, in fronte ipſius collectionis hæc librarii adnotatio legitur. *Qui legis ora pro me; & cave ne his regulis contraeas, & ſententiam iſtius ſeveritatis, vel cenſuræ incurras.* Subditur titulus canonum Anquiritanorum, cui ſubjicitur ea interloquutio Oſii, quam dedimus part. 1. cap. 4. §. 1. ubi eam ſuppoſititiam oſtendimus. Poſt ejuſmodi interloquutionem ſequuntur canones Anquiritani, Neocæſarienſes, ſeu, ut ibidem vocantur, Cæſarienſes, atque Gangrenſes ex interpretatione antiqua, quam Iſidorianam appellant. Inter canonem vero Gangrenſem 20. & 21. ſive ejuſdem Synodi clauſulam plura inſeruntur manifeſto librarii vitio interpoſita, nimirum epiſtolæ Innocentii ad Decentium, Zoſimi ad Heſychium, item Innocentii ad Victriciam, ad Exſuperium, & ad Macedones, Cæleſtini ad Epiſcopos per Viennenſem & Narbonenſem provincias una, & alia ad Epiſcopos per Apuliam & Calabriam conſtitutos, Leonis quinque ad diverſos Epiſcopos, de quibus diximus in præfatiune ad ejuſdem epiſtolas tom. 1. §. 3. pag. 583. Adduntur preces Epiſcoporum ad Imperatores Valentinianum, Theodoſium, & Arcadium: tum Breve ſtatutorum ad Africam pertinentium, ſeu Breviarium canonum Concilii Hipponenſis, quod in collectione hoc tomo edenda legitur cap. 2. ac Concilium Telenſe anni 418. quod ibidem invenies cap. 62. Ad hujus calcem rejicitur Synodi Gangrenſis concluſio.

III. Dein Synodi Nicænæ canones deſcribuntur, in quibus illud maxime notandum eſt, P. Couſtantium in admunitione ad epiſt. 17. Innocentii num. 4. col. 826. ſcribere: *Concinit & Corbejenſis codex medio ſexto ſæculo* (hoc tempus Corbejenſem collectio-

ctionem, de qua loquimur, palam deſignat) *exaratas, in quo Nicænus canon ita refertur.* „ De his „ qui ſe cognominant Catharos, ideſt mundos, ſi „ aliquando venerint ad Eccleſiam catholicam, placuit ſancto & magno Concilio, ut impoſitionem „ manus accipientes, ſic in Clero permaneant. “ Eſt verſio Dionyſii Exigui; ac propterea Nicænos canones ex ea ſumtos agnoſcimus, non autem ex Iſidoriana, ex qua ceteri Græcarum Synodorum canones recepti fuere. Subduntur nomina Epiſcoporum, qui Niceæ convenerunt. Hunc Epiſcoporum catalogum excipiunt canones Synodorum Antiochenæ, Laodicenæ, Conſtantinopolitanæ, Carthaginienſis anni 418. Valentinæ anni 374. & Taurinenſis. His ſubnectuntur epiſtolæ Innocentii ad Toloſanam (ſeu Toletanam) Synodum, Leonis ad Epiſcopos Viennenſes nobis epiſt. 10. & Hilari ad Leontium. Inſeruntur præterea canones Conciliorum Arelatenſis & Epaunenſis: mox epiſtolæ Innocentii ad Rufum & Euſebium ceteroſque Macedones, Symmachi ad Cæſarium Arelatenſem, Damaſi ad Paullinum Antiochenum, Auguſtini alloquutio ad Competentes. Sequuntur nomina Epiſcoporum, qui ſub Marino convenerunt in Synodo Arelatenſi, Paullini litteræ ad Fauſtum, definitio Synodi Chalcedonenſis, Flaviani ad Leonem Papam epiſtola, & hujus reſcriptum, nobis epiſt. 22. & 28.

IV. Alia deinde ſubjiciuntur ejuſdem generis documenta, & Synodorum plerumque Gallicanarum canones, quarum exploratam notitiam & ordinem, quo in codice recenſentur, nemo prodidit. Solum P. Sirmondus in præfatione ad Concilia Galliæ notavit; decem Gallicanas Synodos in hac collectione exhiberi, quarum poſtrema eſt Aurelianenſis V. anni 549. *Unde obſcurum non eſt*, inquit Couſtantius, *collectionem illam ſtudioſi cujuſdam, qui in Galliis degebat, opus eſſe. Cui homini, ut videtur, non in animo fuit peculiarem aliquem exſcribere canonum codicem, ſed ea colligere, quotquot invenire poſſet id genus ſcripta, quæ ad diſciplinæ regulas pertinerent.* Inter hæc documenta celebris eſt Fulgentii Ferrandi Breviatio canonum, quæ in hoc ſolo exemplo, ac in alio Trecenſi hactenus inventa eſt. Unum porro additamentum memoratur a Montfauconio, quod (teſte Sirmondo loco laudato) alio recentiori charactere diſtinguitur, nimirum Concilium Pariſienſe IV. anni 573. Iſtud autem documentum Gallicanum Vigilii ævo poſterius hanc collectionem in Galliis auctam & Gallicanam confirmat.

C A P U T VI.

De collectione, quæ continetur in duobus MSS. Lucano 88., & Colbertino 784.

I. HÆc collectio, quam P. Couſtantius in edendis epiſtolis Romanorum Pontificum, & P. Manſius in Supplemento Conciliorum adhibuerunt, nobis quoque in recudendo Codice canonum ac Priſca editione utilis fuit. Colbertinus codex, quem conſuluit P. Couſtantius, ab eodem deſcribitur in ſæpe laudata præfatione ad eaſdem epiſtolas tom. 1. pag. LXXIX. Codicem vero bibliothecæ Capituli Lucani quam accuratiſſime expoſuit idem P. Manſius in *Commentario de celebri codice Sæculi Caroli Magni ſcripto*, quod inſertum legitur tom. XLV. Opuſculorum P. Calogerà pag. 76. Hic codex multa complectitur opera, quæ in aliis MSS. ſeparata inveniuntur. Hujus vero loci eſt ſolam collectionem canonum & decretalium conſiderare, quæ ſeparatim in memorato MS. Colbertino invenitur. In hac uterque codex convenit, ſi ordinem nonnullorum documentorum excipias, qui in Lucano alicubi perperam mutatus fuit. Antiquitatem ipſius collectionis pateſaciunt documenta, in quibus nihil occurrit, aut indicatur, quod Gelaſio recentius ſit; niſi excipienda exiſtimes quatuor monumenta apocrypha inferius recenſenda, quæ ſub Symmacho conficta cum P. Couſtantio credantur. Italicam vero hujus collectionis originem non improbabiliter ſuſpicatus eſt idem P. Couſtantius pag. LXXXVII. Ea enim documenta ſuppoſititia in Italia conficta, inſerta inveniuntur in aliis Italicis collectionibus, vel in iis externis, quæ ex Italicis collectionibus profecere, ut dein explicabimus.

Collectionis antiquitas.

Eſt Italica,

II. Incipit hæc collectio a Nicænis canonibus verſionis, uti vocant, Iſidorianæ cum Epiſcoporum catalogo in provincias diſtincto. His autem canonibus præmittitur præfatio quædam verſibus digeſta: *Concilium ſanctum* &c. ac adnotatio hiſtorica: *Cum convenisset ſanctum & magnum Concilium* &c. uti eaſdem invenimus in aliis collectionibus, ac edemus in verſione Priſca. Notat P. Manſius, in codice Lucano poſt canonem de diaconiſſis, & ante canonem de omittenda genuflexione diebus dominicis atque paſchalibus, hanc additionem legi: *Igitur Epiſcopi cum de his omnibus, prout divinarum rerum reverentia poſcebat, decreviſſent, ſed & de obſervatione Paſchæ antiquum canonem, per quem nulla de reliquo varietas oriretur, Eccleſiis tradidiſſent, omnibus rite diſpoſitis, Eccleſiarum pax & fides in Orientis atque Occidentis partibus una eademque ſervata eſt. Hæc de eccleſiaſtica hiſtoria neceſſario credimus inſerenda.* Hoc additamentum, quod mentionem facit decreti Nicæni de Paſchate, Rufini verbis expreſſum ex libro ſecundo Hiſt. c. 6. in aliis quoque codicibus, præſertim collectionum Hiſpanicæ & Iſidorianæ, invenitur in fine verſionis canonum Nicænorum Philonis & Evariſti, ut videre eſt tom. 3. Concil. Ven. edit. col. 454. not. 1. & 2. In noſtra autem collectione ſubnectitur canoni de diaconiſſis, quia eidem canoni ſubjicitur a Rufino, qui ultimum canonem de genuflexione prætermittit.

Infr. col. 494. 495.

III. Sequuntur canones Synodorum Anquiritanæ, Neocæſarienſis, atque Gangrenſis ex eadem Iſidoriana interpretatione. Tum deſcribuntur canones Concilii Carthaginienſis anni 419. diſtincti in titulos XL. eodem plane modo, & cum iiſdem Africanis documentis, quæ in collectione Vat. Reginæ recenſuimus cap. 4. n. 3. Succedunt canones Chalcedonenſes & Conſtantinopolitani non ex Iſidoriana, ſed ex Priſca verſione. Unum peculiare animadvertimus in MS. Lucano, in duobus nimirum canonibus Chalcedonenſibus pro Priſca verſione, cum obſcurior videretur, Dionyſianam ſubſtitui. Confer adnotationes noſtras 30 & 33. in cap. 25. ejus collectionis, quam hoc tomo edemus, ubi canones Chalcedonenſes ex interpretatione Priſca inſerti leguntur. Aliud notabile in primis in canonibus Conſtantinopolitanis obſervandum eſt, ipſis ſcilicet accenſeri canonem *de Primatu ſanctæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ*, qui non ad Conſtantinopolitanam, ſed ad Chalcedonenſem Synodum pertinet. Quod autem in hanc rem affirmat P. Couſtantius n. 96. id in nulla alia collectione inveniri, non ſubſiſtit. Id enim proprium verſionis Priſcæ deprehendimus tum in codice Juſtelliano, ex quo Priſca edita fuit, tum in duabus aliis collectionibus, quæ æque ac præſens collectio hos canones ex Priſca interpretatione derivarunt, uti ſunt collectio MS. Vat. Reginæ 1997., & alia in duobus codicibus Vat. 1342. ac Barb. 2888. Id autem qua ratione contigerit, explicavimus part. 1. cap. 2. num. 3. & adnot. 5. in Conſtantinopolitanos canones ejuſdem Priſcæ verſionis.

IV. Poſtea referuntur canones Sardicenſes, uti eos in Priſca editione vulgabimus: tum Antiocheni ex verſione Priſca. Dein quatuor documenta inſeruntur, quæ apocrypha eſſe nemo nunc ambigit. I. Silveſtri Papæ conſtitutum cum titulo: *Canonem conſtitutum, gradus vel religio qualiter cuſtodiantur, a Silveſtro Epiſcopo urbis Romæ Domino Conſtantino Auguſto*. Incipit *Eodem tempore* &c. uti apud P. Couſtantium in Appendice tom. 1. Epiſtolarum Rom. Pontif. col. 43. & apud Labbeum tom. 1. Concil. edit. Venet. col. 1579. II. Geſta Liberii Papæ, quorum initium eſt: *Anno regni Conſtantini Regis* &c. uti in eadem Appendice col. 89. III. *Geſta de Xiſti purgatione, & Polychronii Jeroſolymitani Epiſcopi accuſatione* &c. ibidem col. 117. & tom. 4. Concil. col. 507. & 515. IV. Concilium Sinueſſanum de Marcellino Papa, quod laudatis geſtis ſine ullo titulo ſubjicitur hoc initio: *Diocletiano & Maximiano Auguſtis cum multi in vita ſua* &c. in lau-

data Appendice col. 29. & apud Labbeum tom. 1. col. 957. Hæc quatuor documenta non multo poſt Symmachi ævum ab imperito architecto compacta, ut Palmarem Synodum multis cenſuris notatam defenderet, Couſtantius exiſtimat. Vide citatam præfationem num. 99. Codicis Colbertini ordinem exhibuimus. In MS. autem Lucano, ordo aliquantulum perturbatus librarii, ut videtur, oſcitantia deprehenditur, ita tamen ut ipſe codex eadem contineat. Hæc enim documenta apocrypha poſt Chalcedonenſe Concilium inſerta ſunt. His vero ſubduntur Sardicenſis Concilii canones cum Synodica ad Papam Julium, quæ in Colbertino exemplo una cum uliis libellis fidei paullo ante finem deſcribitur. Poſtea *canones Antiochenſium in dedicatione*, & Conſtantinopolitani. Dein codex redit ad ordinem, qui in Colbertino æqualis eſt.

V. Proferuntur utrobique epiſtolæ Siricii ad Hierium, ſeu Himerium Epiſcopum Tarraconenſem, Bonifacii ad Honorium Auguſtum, quæ incipit *Eccleſiæ meæ*, cum ejuſdem Imperatoris reſcripto, Zoſimi ad Eſicium, ſeu Eſichium, Cæleſtini Epiſcopis per Viennenſem & Narbonenſem provincias conſtitutis, item Epiſcopis Apuliæ & Calabriæ, Innocentii ad Victorium Rothomagenſem, alia ad Exſuperium Toloſanum, & alia ad Rufum & ceteros Epiſcopos Macedones, quas in collectione Vat. Reginæ c. 4. indicavimus, & in collectione hoc tomo edenda invenies. Ex Leonis epiſtolis quatuor in hac collectione leguntur, prima ad Ruſticum Narbonenſem cum ejuſdem inquiſitionibus, ſecunda ad Africanos editionis decartatæ, tertia ad Aquilejenſem Epiſcopum, & quarta ad Septimum Altinatem, quas videſis tom. 1. noſtræ editionis col. 1416. 669. 589. & 594. Hoc loco in MS. Colbertino inſeritur fidei adverſus Eutychen definitio, quam codex Lucanus antea exhibuit. Præfigitur hæc inſcriptio: *Synodus Epiſcopalis Chalcedonenſis habitas a quingentis & viginti Epiſcopis contra Eutychea*; & in fine: *Explicit Synodum mundanam, ideſt univerſale apud Chalcedona*. Sumta eſt ex ea verſione antiqua, quæ exhibetur in collectione edenda cap. 25. cujus initium eſt: *Venerabilis totius mundi conventus* &c. Huic definitioni; teſte Couſtantio, ſubjecta legitur in eodem codice Colbertino ea Athanaſiani ſymboli pars, quæ catholicam de incarnatione Verbi doctrinam exponit, præmiſſa adnotatiuncula minio deſcripta: *Hoc inveni Treveris in uno libro ſcriptum ſic incipiente: Domini noſtri Jeſu Chriſti & reliqua, Domini noſtri Jeſu Chriſti fideliter credat*. Deinde nigro attramento hæc: *Eſt ergo fides recta* &c. uſque ad ſymboli finem, quæ in noviſſima Athanaſii editione prodierunt. Hæc adnotatio & ſymboli pars hujus collectionis propriæ non ſunt: in exemplo enim Lucano non leguntur. Solum oſtendunt codicem Colbertinum in Galliis ſcriptum fuiſſe, quo hæc Italica collectio jam pervenerat.

Infra col. 217.

VI. In utroque codice legitur Nicænum ſymbolum, & pars epiſtolæ Damaſi ad Paullinum cum hoc titulo: *Incipit de Nicæna Synodo ſcriptata Damaſi ad Paullinum Antiochenæ urbis Epiſcopum. Credimus in unum* &c. ex verſione antiqua uſque ad poſtrema anathematiſmi verba, *eos anathematizat catholica & apoſtolica Eccleſia*. Tum eodem orationis contextu additur confeſſio fidei a Damaſo ad Paullinum miſſa: *Poſt hoc Nicænum Concilium, quod in urbe Roma Concilium congregatum eſt a catholicis Epiſcopis, addiderunt de Spiritu Sancto* &c. ut in collectione edenda cap. 55. col. 400. Ex quibus ipſum ſymbolum Nicænum huic confeſſioni fidei in ipſa Damaſi epiſtola inſertum agnoſcimus. Vide in idem caput adnot. 11. Tum ſequitur, *Incipit expoſitio fidei: Credimus* &c. ut in eadem collectione cap. 39. Poſtea *Incipit de fide catholicha. Nos Patrem & Filium & Spiritum Sanctum confitemur* &c. ibidem cap. 37. Dein in MS. Colbertino *Epiſtola Synodi Sardicenſis ad Julium urbis Romæ Epiſcopum*, quæ in Lucano canonibus Sardicenſibus ſubjecta fuit. Tandem in utroque codice *Incipiunt ſtatuta S. Gelaſii Papæ. Gelaſius Epiſcopus univerſis Epiſcopis per unamquamque provinciam conſtitutis*. In vulgatis Conciliorum inſcribitur *ad Epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos*. Initium eſt: *Neceſſaria rerum* &c. ut in edenda collectione cap. 58. His ſtatutis in MS. Colbertino inſeritur ejuſdem Gelaſii *decretale* de libris recipiendis vel non recipiendis, quod melius in codice Lucano ab eiiſdem ſtatutis ſejungitur. Huic decretali peculiaris & brevis prologus præfigitur, qui in vulgatis Labbei non apparet. *Ad diſcutiendas* &c. uti legere eſt apud P. Manſium tom. 1. Supplementi Conciliorum col. 357. Continet breviſſimam ejuſdem decreti formam, de qua dicemus cap. 11. §. 5. Inter ea vero ſtatuta & hoc decretum idem codex Lucanus aliud Gelaſii conſtitutum exhibet. *Incipiunt conſtituta S. Gelaſii Papæ, quæ Epiſcopi in ordinatione ſua accipiunt. Papa ill. clero & ordini* &c. uti tom. 5. Concil. col. 383. ubi verba *atque medio veſpere ſabbati* ex eodem codice corrigenda ſunt *atque medianæ* (ideſt dominicæ quartæ quadrageſimæ) *veſpere ſabbati*. Poſt *decretale* autem Gelaſii in ſolo codice Lucano duo alia additamenta leguntur. *Incipiunt dicta Gelaſii Papæ. Cathecumini latine* &c. Edita ſunt a P. Manſio loco allegato. *Incipiunt capitula S. Auguſtini in urbe Roma miſſa. Si quis rectum in omnibus* &c. Sunt capitula a Labbeo vulgata ex MS. S. Maximini Trevirenſis in Appendice Concilii Arauſicani II. tom. 5. Concil. col. 818.

CAPUT VII.

De alia collectione, quæ conſervatur in MSS. Barberino 2888. & Vat. 1342.

I. EXactiorem hujus collectionis deſcriptionem proferre poſſumus, quia ipſos codices, in quibus continetur, conſulere licuit. Codex Barberinæ bibliothecæ ſignatus num. 2888. eſt formæ quadratæ, litteris partim majuſculis, partim celeribus exaratus. Olim pertinuit, ut videtur, ad Monaſterium S. Salvatoris de Monte Amiato in agro Cluſino Etruriæ. In varua enim ipſius codicis pagella 133. poſterior antiqua manus tranſcripſit relationem conſecrationis Eccleſiæ ejuſdem Monaſterii anni 1036. qualem ex originali integro ipſius Monaſterii documento Ughellus edidit in Epiſcopis Cluſinis. *Ex integro* documento diximus; nam in noſtro exemplo deſideratur catalogus reliquiarum, quæ in ſingulis altaribus conditæ fuerunt. Forte hic codex unus fuit ex illis, quibus Theobaldus Epiſcopus Cluſinus ſub Ludovico Pio, ideſt paullo poſt initium ſæculi IX. ditavit monaſterium Amiatinum, ut idem Ughellus tradit. t. 3. Ital. ſacr. col. 623.

II. Vaticanus codex 1342. qui a Montfauconio *elegantiſſimus & antiquiſſimus* vocatur, unus ex his eſſe creditur, qui ad veterem bibliothecam Lateranenſem ſpectabat. Ex hoc quidem aut ex alio plane ſimili Cardinalem Deuſdedit ſæculi XI. Græcarum præſertim Synodorum canones excerpſiſſe videbimus part. 4. c. 14. Litteris majoris & minoris formæ ſcriptus eſt. Eamdem collectionem quam Barberinus continet, ſed minus perfectam: aliquot enim paginæ tum initio, tum in corpore deſunt, earumque loco aliæ recentioris, ſed vetuſti caracteris ſubſtitutæ fuerunt, quæ nonnulla documenta ex collectione Dionyſio-Hadriana excerpta præferunt. Ejuſmodi ſunt pag. 39. Conſtitutio Papæ Hilari data *Baſiliſco & Hermenerico Coſſ. XVI. Kal. Decembris*: pag. 42. tria Concilia ſub Symmacho: pag. 51. epiſtola Anaſtaſii Papæ ad Anaſtaſium Auguſtum &c. Collectionem, quæ in hoc codice continetur, *Creſconianam* a Cardinali Baronio appellari nonnulli prodiderunt, eo quod documenta, quæ ille ex *Creſconiana collectione* ſe edidiſſe ſcripſit, in eodem codice deſcripta inveniantur. Sed falluntur. Nihil enim ex Creſconio hic codex exhibet, unde hæc collectio *Creſconiana* appellari potuerit. Hoc autem nomine ille nuncupavit codicem Vallicellanum A 5, in quo Creſconii Breviarium præmittitur; ſubjicitur autem collectio Hadriana cum Additionibus Dionyſianis, ex quibus Baronius vulgavit ea documenta, quorum pleraque, ut videbimus part. 3. c. 3. e noſtra hac collectione in eaſdem Additiones Dionyſianas traducta fuerant. Hujus quoque collectionis, ſicut & præcedentis, documenta deſinunt in Gelaſio, nihilque habet ex Dionyſio, niſi quædam

Ib col. 592. Bibl. bibl. p. 131.

Hic codex non eſt ea collectio, quæ a Baronio Creſconiana vocatur.

dam additamenta excipias, de quibus dicemus. Hinc hujus antiquitas ſatis aperte colligi poteſt. Certe cum auctor Dionyſianam collectionem non viderit, ex fontibus a Dionyſio diverſis ipſoque anterioribus profecit.

III. Hæc collectio initio præfert tabulam titulorum XC. Cum in prioribus paginis manuſcripti Vaticani caractere celeri & recentiori deſcribantur addititii canones Chalcedonenſes, Gangrenſes, & Neocæſarienſes, titulorum tabula totius collectionis occurrit pag. 10. cui præfiguntur hæc verba: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Incipiunt conſtituta, quæ trecentorum decem & octo Patres conſtituerunt.* Tituli autem XC. in tabula indicati, ſic efferuntur.

I. *Canones Apoſtolorum.*

II. *Canones Nicæni.* In corpore autem ſtatim poſt tabulam profertur ſine auctoris nomine epiſtola Dionyſii Exigui ad Stephanum hoc titulo: *Incipit præfatio canonum Apoſtolorum.* Dein ſubduntur canones quinquaginta ex verſione ejuſdem Dionyſii. Hi vero canones Apoſtolorum cum epiſtola memorata perperam noſcuntur inſerti: laudata enim inſcriptio tabulæ præfixa ſatis aperte innuit, hanc collectionem exordium ſumſiſſe a canonibus Nicænis, qui non e Dionyſio, ſed ex vetuſtiore Priſca interpretatione exhibentur, ſicut & ceteri Græcarum Synodorum canones vel ex Priſca, vel ex Iſidoriana verſione, nulli ex Dionyſiana derivati ſunt. Ex codice Vaticano 1342. hujus collectionis Sirmondus edidit Nicænum canonem *de primatu Eccleſiæ Romanæ* verſionis Priſcæ, quam in Nicænis canonibus nullus alius codex Vaticanus exhibet.

III. *Incipit quomadmodum formata fieri debet.* In corpore autem habetur: *Factum apud Nicæam Metropolim Bythiniæ a die XIIII. Kal. Julias* &c. cum epiſtola formata, uti latius diximus cap. 3. §. 8. num. 9. Hæc adnotatio *Factum apud Nicæam* &c. cum eadem formula formatarum ex hoc fonte repetita fuit in Additionibus Dionyſianis, illamque Baronius edidit ex codice Vallicellano A 5. eaſdem Additiones continente, quem Creſconianam collectionem vocare conſuevit.

IV. *Epiſtola directa ad Synodum Romæ.* Eſt epiſtola apocrypha Synodi Nicænæ ad S. Silveſtrum Pontificem.

V. *Epiſtola Silveſtri Epiſcopi ad Synodum.* Eſt reſponſio item apocrypha ad eamdem Synodum Nicænam. Hæ duæ epiſtolæ leguntur tom. 2. Conc. Venetæ editionis col. 79. & 80. ac in Appendice tom. 1. Epiſtol. Rom. Pontif. col. 52. & 54. editionis P. Couſtantii, qui optime probat, harum auctorem illum ipſum videri, qui ſub Symmachi ævum Sinveſſanam Synodum aliaque inconcinna documenta confinxit, quæ in antecedenti collectione Lucano-Colbertina invenimus, & in hac pariter deſcripta paullo poſt videbimus.

VI. *Canones Silveſtri Papæ.* Hoc titulo non ſolum exhibetur illud ſuppoſititium documentum, quod cum viginti canonibus in antecedenti collectione profertur hoc titulo: *Canonem conſtitutum ... a Silveſtro Epiſcopo*; verum etiam additur aliud item apocryphum conſtitutum ejuſdem Pontificis cum canonibus ſex, quod legitur apud P. Couſtantium in memorata Appendice col. 55. ac tom. 2. Conc col. 417.

VII. Canones Ancyrani. VIII. Neocæſarienſes. IX. Gangrenſes, omnes ex antiqua verſione quæ Iſidoriana appellatur.

X. XI. XII. & XIII. Canones Concilii Carthaginienſis anni 419. diſtincti in quadraginta cum iiſdem Africanis documentis, quemadmodum leguntur in duabus collectionibus Vat. Reginæ, & Lucano-Colbertina.

XIV. *Item Concilium Carthaginienſe tit.* 40. Hoc eſt aliud Concilium Carthagine habitum Idibus Auguſti an. 397. in quo Breviarium canonum Hipponenſium conditum fuit: ac propterea hoc numero ipſum Breviarium deſcribitur, quod in collectione edenda exhibebitur cap. 2.

XV. *Epiſtola Concilii Carthaginienſis ad Innocentium Papam Urbis.* Legitur in eadem collectione cap. 6.

XVI. *Reſcriptum S. Papæ Innocentii ad Aurelium Epiſcopum*, ibidem cap. 7.

XVII. *Concilium univerſale Chalcedone habitum a ſexcentis XXX. Epiſcopis.* Primo deſcribitur definitio fidei, dein ſubjiciuntur canones XXVII. ex Priſca verſione, quemadmodum in laudata collectione exhibentur cap. 25.

XVIII. *Canones Conſtantinopolitani tit.* 5. ex eadem interpretatione Priſca.

XIX. *Canones Sardicenſes tit.* 21. uti ipſos inſeremus Priſcæ editioni.

XX. *Canones Antiocheni* ejuſdem Priſcæ interpretationis tit. 25. Animadvertendum hoc loco eſt, auctorem hujus collectionis ex verſione Priſca hauſiſſe canones Nicænos, Chalcedonenſes, Conſtantinopolitanos, & Antiochenos: ex Iſidoriana vero Ancyranos, Neocæſarienſes, Gangrenſes, & paullo poſt Laodicenos.

XXI. *Excerpta Antiſtitum, quæ recitata ſunt contra Neſtorium in Synodo Epheſiorum tit.* 19.

XXII. *Neſtorii blaſphemiarum capitula, & Cyrillo Alexandrino Epiſcopo contradicente capitula* 12. Hi duo numeri, qui ex hac collectione tranſierunt in Additiones Dionyſianas, ea complectuntur ad Epheſinam Synodum pertinentia, quorum pleraque Baluzius edidit e duobus MSS. Vaticano Palat. 234. & Bellovacenſi ſub titulo: *Actio ſexta Concilii Epheſini.* Vide tom. 4. Concil. edit. Ven. col. 197. Cum porro iidem codices contineant opuſcula Marii Mercatoris, qui tempore ejuſdem Concilii floruit, ea ab eodem latine reddita idem Baluzius exiſtimat. Nonnulla vero, cum in noſtra collectione & in Additionibus Dionyſii a vulgatis diſcrepent, hic diligenter notanda ſunt. Epigraphes numeri XXI. peculiaris eſt. *Incipit excerpta Antiſtitum, quæ recitata ſunt contra Neſtorium in Synodo Epheſiorum.* Sequitur tabula titulorum 19. I. *De ſtatutis Nicæni Concilii obſervandis.* II. *De Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti.* III. *De nativitate Chriſti adverſus Arianos.* IV. *De homine Chriſto perfecto.* V. *De Incarnatione Domini ad Clerum Alexandrinum.* VI. *De nativitate Chriſti, & comparatione ſigali.* VII. *De beneficiis Domini & Salvatoris.* VIII. *De humanitate corporis Chriſti.* IX. *De eo quod Deus homo ſit factus?* X. *De omnibus creaturis, quod Dominum comprehendere neſciant.* XI. *De Chriſto Induto formam ſervi.* XII. *De nativitate Chriſti.* XIII. *De auro, & thure, & myrra.* XIV. *De virginitate Mariæ, & Chriſti paſſione & reſurrectione.* XV. *De libello Kariſii Presbyteri & aliorum Presbyterorum, qui a Neſtorio decepti fuerant.* XVI. *De Symbolo Neſtorianorum.* XVII. *De anathematizantibus Neſtorium, & omnem hæreſem Teſſareſcedecaritarum, & eos, qui non celebrant ſanctum Paſchæ, & Catharoes.* XVIII. *De reſponſis perverſis Neſtorii.* XIX. *De prædicantibus præter fidem Nicænam in omnibus abiiciendis.* Poſt hanc tabulam procemium eſt hujuſmodi. *Poſt conſulatum DD. NN. Fl. Theodoſii XIII. & Fl. Valentiniani III. PP. Augg. XI. Kal. Auguſti, qui dies eſt ſecundum Ægyptios Epiphi XXVIII. juſſu Auguſtiſſimorum piiſſimorumque Principum Synodus congregata eſt in Epheſiorum Metropoli, & ſedentibus cunctis in epiſcopio reverentiſſimi & religioſiſſimi Epiſcopi Memnonis ſanctiſſimis & Deo dilectiſſimis Epiſcopis Cyrillo Alexandriæ, agente etiam vicem ſanctiſſimi & religioſiſſimi Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ Cæleſtini, & Juvenale Hieroſolymorum, & Memnone Epheſiorum, & Flaviano Philipporum, agente etiam vicem Rufi ſanctiſſimi Theſſalonicenſis Epiſcopi, & univerſis una cum Philippo Presbytero Apoſtolicæ Sedis Romanæ Eccleſiæ Legato.* Hoc procemium caret eo Epiſcoporum catalogo, qui inſeritur in editione Baluzii, nec non in actione prima Concilii Chalcedonenſis, ubi actio ſexta Epheſinæ Synodi lecta fuit. In MS. autem Vat. 5845. inter Additiones Dionyſii hoc idem procemium legitur; uti in hac collectione. Solum poſt nomen *Cæleſtini*, & ante Juvenalem inſeritur *& Arcadio Epiſcopo Legato, & Projecto Epiſcopo & Legato, Juvenale* &c. quæ duorum Epiſcoporum Apoſtolicæ Sedis vicem gerentium nomina melius præmittuntur Juvenali & ceteris, quam in MSS. Baluzii ad finem catalogi rejiciuntur, quod ab aliis quoque Epheſinis actionibus abhorret.

Verſio antiqua actionis VI. Epheſin. auctore Mario Mercatore.

Lectiones notabiles ex MSS.

tom. 4. Conc. col. 1133.

Poſt laudatum procemium ſubditur: *Hique cum con-*

conſediſſent, Petrus Presbyter Alexandriæ, & Dionyſius Primicerius notariorum dixerunt. Sic pariter legitur in duobus aliis codicibus antiquiſſimis, uno Juſtelliano, altero Collegii Pariſienſis Societatis Jeſu, qui memorantur tom. 3. Concil. col. 1200. At MSS. Additionum Dionyſii, nec non codices Baluzii melius omittunt vocem *Dionyſius*, & habent ut cetera Epheſina geſta: *Petrus Presbyter Alexandriæ & Primicerius notariorum dixit*. Sequitur Petri interloquutio. *Sancta & ingens Synodus veſtra omnem adhibens providentiam* &c. uti apud Baluzium tom. 4. Concil. col. 198. d uſque ad illa col. 206. b *& in remiſſionem mortuorum, & vitam æternam*. Variant aliquanto in noſtris codicibus ſequentia: *Ego Kariſias obtuli libellum ſicut ſuperius ſcriptum, anathematizans Neſtorium & ejus ſequaces manu mea ſubſcripſi*. Et dein omiſſa Neſtoriani Symboli anteriori parte, quæ apud Baluzium legitur, poſtrema pars tantum hoc initio ſubjicitur: *Nos vero catholici unam dicimus Filium & Dominum Jeſum Chriſtum* &c. a col. 207. b uſque ad illa columnæ 212. b. *Hanc manum ei commodavit El. Palladius, quod præſens literas neſciret*. Hæc omnia in XIX. titulos diſtributa comprehenduntur numero XXI.

Numero autem XXII. *Incipiunt Neſtorii blaſphemiarum capitula, quibus epiſtolis ad ſe miſſis a ſanctis Cæleſtino Romanæ urbis, & Cyrillo Alexandrino Epiſcopis contradixit, & diſputatione breviſſima reſolvendo duodecim capitula fidei, quæ ad ſe miſſa fuerant, refellit. Nunc Epiſcopi Cyrilli priora poſuimus, quæ Romana Eccleſia approbavit, & poſteriora Neſtorii ex Græco in Latinum verſa. Cyrillus dixit: Si quis non confitetur* &c. *Neſtorius reſpondit: Si quis eum, qui eſt Emanuel* &c. ac ita deinceps producuntur duodecim celebres Cyrilli anathematiſmi adverſus Neſtorium cum ſua cujuſque reſponſione ſeu blaſphemia Neſtorii. Hi anathematiſmi hac forma, qua ſua cuique reſponſio ſubditur, non exſtant in Conciliis. Immo anathematiſmis Cyrilli editis tum græce, tum latine ex fontibus diverſis, reſponſiones, ſeu blaſphemiæ Neſtorii ex hac tantum verſione, quæ in præſenti collectione & in Additionibus Dionyſianis conſervata eſt, ſeparatim prodierunt tom. 3. Concil. col. 971. Poſt hos anathematiſmos cum reſponſionibus deſcriptos, qui ad actionem VI. Epheſinam minime pertinentes, hic inſerti fuerunt, codices hujus collectionis cum illis Additionum Dionyſii proſequuntur ſic: *His igitur recitatis decrevit ſancta Synodus* &c. uti tom. 4. Concil. col. 212. b. Eſt decretum Concilii Epheſini, quod ibidem poſt recitatum pſeudoſymbolum Neſtorianum rectius ſubjicitur. Sed e contra male in eadem editione huic decreto ſubnectuntur multa teſtimonia ex Neſtorii operibus excerpta, ac tandem ſine ulla idonea tranſitione Epheſinorum Patrum ſubſcriptiones afferuntur. Melius autem in noſtris codicibus poſt ultima memorati decreti verba, *ſi vero laicus ſit, & eum fore anathema, ſicut ſuperius dictum eſt*, congrue additur: *Et ſubſcripſerunt. Cyrillus Epiſcopus Alexandriæ ſubſcripſi*; & reliquæ ſubſcriptiones recenſentur, ut in laudata editione col. 216. e uſque ad finem cum eadem clauſula: *Expliciunt Epiſcoporum nomina, qui interfuerunt Synodo contra Neſtorium numero CXCIII*. Hæc præcipue notanda viſa ſunt. Ceterum in textu non paucæ variantes lectiones occurrunt, quæ edituris hæc documenta utilia eſſe poterunt. Pleræque antiquæ canonum collectiones Latinæ nihil ex Epheſino Concilio proferunt. Collectiones Hiſpanica & Iſidoriana, nonnullique codices Hadriani ejuſdem Concilii titulo exhibent duas Cyrilli epiſtolas ad Neſtorium, quæ ipſam Synodum præceſſere. In hac autem collectione, ac exinde in Additionibus Dionyſianis ſexta actio ejuſdem Synodi potior, hac forma, quam deſcripſimus, recepta fuit.

XXIII. *Epiſtola Imperialis ad Aurelium Carthaginienſem Epiſcopum*. Eſt lex Honorii contra Pelagianos, quæ in collectione hoc tomo edenda producetur cap. 16.

XXIV. *Epiſtola Aurelii Epiſcopi ad omnes Epiſcopos per Byzacenam provinciam conſtitutos*. Eſt ibidem cap. 17.

XXV. *Excerpta de geſtis habitis contra Pelagium hæreticum*. Ibidem cap. 18.

XXVI. *Sacra epiſtola Conſtantini* (lege *Conſtantii*) *Imperatoris, Valentiniani Auguſti junioris* (ſupple *Patris*) *de exiliando Cæleſtio hæretico Pelagiano*. Ibi cap. 19.

XXVII. *Statuta antiqua Orientis tit.* 102. Hæc prodibunt inter documenta Juris canonici veteris num. 3. infra col. 653.

XXVIII. *Epiſtola decretalis ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem*. Eſt Leonis epiſt. 14. quæ extra proprium locum collocatur tum in hac tabula, tum in corpore. Hoc enim numero deſcribenda erat epiſtola Siricii ad univerſos Epiſcopos miſſa, perperam exhibita num. XXXVIII. cui S. Ambroſius aliique Epiſcopi reſpondent epiſtola ſequenti.

XXIX. *Reſcriptum Epiſcoporum atque fratrum*. Eſt epiſtola S. Ambroſii aliorumque Epiſcoporum ad Siricium, quæ in collectione edenda legitur cap. 31.

XXX. *Epiſtola Canonica, quam debent adimplere Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi*. Edetur inter documenta Juris canonici num. 4. infra col. 669.

XXXI. *Concilium Laodicenſe* verſionis Iſidorianæ.

XXXII. *Concilium Carthaginienſe*. Eſt illud habitum ſub Genethlio anno 390. Holſtenius ex MS. Vat. 1342. hujus collectionis hoc Concilium antea vitiatum ſuæ integritati reſtituit, ac ex eodem inſertum eſt tom. 2. Concil. col. 1243.

XXXIII. *Epiſtola B. Clementis urbis Epiſcopi ad Jacobum fratrem Domini Hieroſolymitanum*. Eſt quidem ſuppoſititia, ſed antiquitus apud Græcos conficta, & a Rufino latinitate donata. Inſerta eſt etiam vetuſtæ collectioni edendæ cap. 64.

XXXIV. *Præcepta S. Petri de ſacramentis conſervandis*. Inter documenta proferentur num. 5. de quibus confer admonitionem iiſdem documentis præfixam num. 5. infra col. 631.

XXXV. Geſta de Liberio apocrypha, de quibus in præcedenti capite num. 4.

XXXVI. *Confeſſio fidei catholicæ, quam Papa Damaſus miſit ad Paullinum Antiochenum Epiſcopum*.

XXXVII. *Dilectiſſimo Fratri Paullino Damaſus*. Hæc duo documenta leguntur in collectione edenda cap. 55. ubi ſolum Damaſi epiſtola confeſſioni fidei præmittitur. Confer adnotationem primam in laudatum caput 55. in qua illud obſervabimus, Cæleſtinum Papam in ſuo codice legiſſe prius confeſſionem fidei, deinde epiſtolam Damaſi, ut in hac noſtra collectione deſcribuntur. In fine hujus epiſtolæ additur: *Confeſſio Presbyterorum ſeu Diaconorum Eccleſiæ CP.* Incipit: *Ego ille CP. Eccleſiæ Diaconus, vel Presbyter* &c. ut in fine memorati capitis 55. infra col. 405. Confer ibidem not. 35.

XXXVIII. *Epiſtola Papæ Siricii per univerſos Epiſcopos miſſa*, quæ in collectione edenda invenietur cap. 30.

XXXIX. *Epiſtola Siricii Papæ Himerio Epiſcopo Tarraconenſi*. Ibidem cap. 29.

XL. *Innocentius Epiſcopus Urbis Exſuperio Epiſcopo Toloſano*. Ibi cap. 21.

XLI. *Item ejuſdem ad Macedones Epiſcopos*. Ibi cap. 22.

XLII. *Innocentius Victricio Epiſcopo Rothomagenſi*. Ibidem cap. 24.

XLIII. *Epiſtola Innocentii Papæ ad Decentium Epiſcopum Eugubinum*. Ibi cap. 23.

XLIV. *Epiſtola Zoſimi Papæ Heſychio Epiſcopo Solitano*, lege *Salonitano*. Ib. cap. 32.

XLV. *Supplicatio Papæ Bonifacii* ad Honorium, quæ incipit *Eccleſiæ meæ*, & reſcriptum Honorii ad Bonifacium. Exſtant tom. 3. Concil. col. 434. & 436.

XLVI. *Epiſtola Cæleſtini Papæ univerſis Epiſcopis*. Habetur in collectione edenda cap. 36.

XLVII. *Item Cæleſtini Papæ Eccleſiæ Romanæ data ad Synodum in Epheſo conſtitutam*. Edita eſt tom. 3. Concil. col. 1143., & tom. 4. col. 88. nec non apud P. Couſtantium tom. 1. Epiſt. Rom. Pont. col. 1155.

XLVIII. *Item alia epiſtola Cæleſtini Papæ ad Neſtorium*: tom. 3. Concil. col. 903., & apud Couſtantium col. 1114.

XLIX. *Item alia epiſtola ejuſdem exhortatoria ad Conſtantinopolitanum Clerum & plebem miſſa*: eodem tom. 3. col. 914. & apud Couſtantium col. 1131.

Hæc

Hæc tria documenta ex collectione Creſconiana, ideſt ex MSS. Additionum Dionyſii, primum impreſſa fuerunt a Romanis editoribus Epiſtolarum Romanorum Pontificum, & deinde in Annalibus recuſa a Cardinali Baronio. Ex hac autem noſtra collectione in Additiones Dionyſianas, ut videbimus, traducta fuerunt. Inveniuntur etiam in MSS. antiquæ verſionis Synodi Epheſinæ, quibus Baluzius & Couſtantius uſi ſunt.

L. *Cæleſtinus Epiſcopus univerſis Epiſcopis per Viennenſem provinciam conſtitutis*. Exſtat in collectione edenda cap. 35.

LI. *Accuſatio Syſti Papæ*.

LII. *De Polycronio Hieroſolymitano Epiſcopo*.

LIII. *Dejectio Marcellini Papæ*. Hæc tria documenta ſuppoſititia leguntur etiam in collectione præcedenti Lucano-Colbertina, in qua duo priora in unum copulantur. Vide quæ ibidem diximus num. 4.

LIV. Epiſtola Leonis Papæ ad Ruſticum. LV. Ruſtici inquiſitiones & Leonis reſponſa: in noſtra editione epiſt. 167.

LVI. Leonis epiſtolæ Siculis, noſtræ editionis epiſt. 16. LVII. Aquilejenſi Epiſcopo. Ib. epiſt. 1. LVIII. Africanis epiſt. 12. editionis decurtatæ. LIX. Nicetæ Aquilejenſi epiſt. 159. LX. Dioſcoro Alexandrino epiſt. 9. LXI. Juvenali Hieroſolymitano epiſt. 139. LXII. Leoni Auguſto epiſt. 145. LXIII. Maximo Antiocheno epiſt. 119. Additur in corpore epiſt. 80. ad Anatolium Conſtantinopolitanum, quæ in tabula omiſſa fuit. LXIV. Flaviano Conſtantinopolitano epiſt. 23. LXV. Flaviani epiſt. 22. ad Leonem. LXVI. Leonis ad Eutychetem epiſt. 20. LXVII. ad Flavianum Conſtantinopolitanum epiſt. 28. LXVIII. ad Leonem Auguſtum epiſt. 165.

LXIX. *Exempla geſtorum, ubi in Conſtantinopolitana Synodo Eutyches hæreticus damnatus eſt*.

LXX. *Subſcriptiones Flaviani Epiſcopi, ſeu univerſorum Epiſcoporum, qui in hujuſmodi Concilio conſederunt*. Quæ his duobus numeris proponuntur, exſtant in collectione edenda cap. 42.

LXXI. *Interfectio Proterii Epiſcopi Alexandrini*. Sub hoc titulo profertur hiſtorica narratio, quæ edetur in laudata collectione cap. 43. infra col. 308.

LXXII. *Epiſtola Simplicii Epiſcopi ad Acacmm*. Ibidem cap. 44.

LXXIII. *Exemplum epiſtolæ, quam miſit Acacius ad Simplicium Epiſcopum*. Ib. cap. 45.

LXXIV. *Felicis Papæ ad Zenonem Auguſtum*. Exſtat tom. 5. Concil. col. 147.

In tabula codicum hujus collectionis tres numeri producuntur ſic. LXXV. *Item ejuſdem Felicis Papæ ad Acacium Epiſcopum*. LXXVI. *Exemplum epiſtolæ, quam miſit Acacius ad Simplicianum Epiſcopum*. LXXVII. *Incipit exemplum epiſtolarum beatiſſimi Papæ Felicis urbis Romæ*. Cum autem his numeris nihil correſpondeat in corpore ipſius collectionis; palam fit, hanc eſſe erroneam repetitionem duorum numerorum præcedentium, & numeri ſequentis.

LXXVIII. *Item ejuſdem Felicis ad Acacium Epiſcopum*: tom. 5. Concil. col. 143.

LXXIX. *Item Imperator Zenon* (lege *ad Imperatorem Zenonem*) *ad libellum Epiſcopi Joannis Eccleſiæ Alexandrinæ*. Eſt epiſtola ejuſdem Pontificis, quæ legitur ibidem col. 218.

LXXX. *Item epiſtola Felicis Epiſcopi ad Acacium ſupradictum*. Ibi col. 217. Documenta exhibita his numeris LXXIV. LXXVIII. LXXIX. & LXXX. ex hac collectione in Additiones Dionyſianas traducta, ex iiſdem Additionibus impreſſa fuere.

LXXXI. *Item ejuſdem Papæ ad Acacium alia*. Legitur in collectione edenda cap. 46. LXXXII. uſque ad LXXXIX. Teſtimonia Patrum, quæ omiſſa ſuperius num. LXVIII. ſubjecta invenientur Leonis epiſtolæ 165. ad Leonem Auguſtum tom. 1. col. 1383., ubi vide noſtram adnotationem primam, & aliam 88. col. 1400.

XC. *Item fides catholica Romanæ Eccleſiæ*. Eſt libellus fidei in collectione ſubjicienda deſcriptus cap. 39. in quem vide adnot. 1.

Utriuſque codicis Vaticani & Barbarini tabula deſinit in hoc numero ſeu titulo XC. in quo ipſam primævam collectionem deſiiſſe cognoſcimus. At in fine collectionis utriuſque codicis poſt eumdem titulum XC. antiquo charactere proferuntur *Inſtituta S. Gelaſii Epiſcopi*, quæ ſunt in collectione edenda cap. 58. Alia poro adduntur in Barberino MS. alia in Vaticano. In Barberino pag. 293. tergo: *Conſtituta S. Gelaſii Papæ, quæ Epiſcopi in ordinatione ſua recipiunt. Papa Ill. Clero & plebi conſiſtenti in civitate Ill. dilectiſſimis filiis in Domino ſalutem. Probabilibus deſideriis* &c. uti habetur tom. 5. Concil. col. 383. Dein recentiori charactere: *Epiſtola Gregorii Papæ ad Caſtorium Ariminenſem Epiſcopum*, quæ legitur lib. 2. Regiſtri S. Gregorii epiſt. 41. Item Gregorii epiſtola ad Vitalianum religioſum Abbatem de Benevento. Aliquot fragmenta Gelaſii Papæ. Dictum Feliciani Epiſcopi Ruſpenſis, quod exſtat tom. 5. Concil. col. 931. ac tria dicta Karoli Imperatoris, quæ in Capitularibus inveniuntur.

In MS. autem Vaticano hæc poſteriori charactere ſubnectuntur. Decreta S. Gregorii ad Clerum in baſilica S. Petri Apoſtoli. Eſt Concilium S. Gregorii I. tom. 6. Concil. col. 915. Alia decreta Gregorii II. in Synodo Romana anni 721. tom. 8. Concil. col. 185. Concilium Eugenii Papæ editum ab Holſtenio in Collectione Romana, & exinde tom. 9. Concil. col. 1117. Tandem poſt nonnulla fragmenta ex Synodis Carthaginienſibus, exhibetur Concilium Leonis IV. ab eodem Holſtenio impreſſum, ac recuſum eodem tom. 9. col. 1127.

CAPUT VIII.

De collectione a Queſnello edita, & hoc tomo recuſa. De alia collectione Colbertina 3368.

I. PRiorem collectionem, quam poſt Queſnellum hoc tomo integram & emendatiorem exhibebimus, non fuiſſe Codicem canonum publica Romanæ Sedis auctoritate digeſtum aut editum, & Romanæ Eccleſiæ uſu receptum ſub Innocentio, Zoſimo, & Leone Pontificibus, ſed eſſe collectionem a privato homine in Galliis concinnatam, late probabimus in Obſervationibus, quæ Diſſertationi duodecimæ ejuſdem Queſnelli ſubjicientur. Antiquitatem porro ipſius collectionis atque præſtantiam expoſuimus in præfatione, quæ eidem collectioni præfigetur, Nonnulla in hujus commendationem accumulavit Queſnellus in generali ſuæ editionis præfatione §. 6. quæ huc expendenda reſervavimus. *Exhibet*, inquit, *antiquam illam canonum Orientalium verſionem, quæ in uſu fuit per plures Eccleſias Occidentalee ante Dionyſianam. Hanc quidem ex parte habemus in Iſidoriana collectione; ſed nec hanc illam antiquam eſſe confidentius quis pronuntiare auſus eſſet, antequam id ex ejus collatione cum noſtra appareret; nec ſincera omnino habetur apud Iſidorum, ſed mendis, interpolationibus, aliiſque corruptelis vitiata*. Ejus verſionis antiquitas ex aliis etiam vetuſtiſſimis collectionibus, quæ eamdem interpretationem præferunt, confirmatur: atque ex his tutius dignoſci, & corrigi poſſunt menda, quæ apud Iſidorum occurrunt: lectiones enim collectionis a Queſnello vulgatæ non ſemper meliores ſunt, cum præſertim quædam e liberiori collectoris licentia prodeant, ut ſuis locis obſervabimus. Sequitur Queſnellus: *Præterea antiqua Romanæ Eccleſiæ diſciplina ex iſta verſione innoteſcit, dum aliquot canones Orientales ab ea rejectos docet, alios mutatos, ſuoque accommodatos uſui: quod ex Dionyſii verſione obſcurum manet, quippe qui canones ad fidem Græci textus tranſtulit, non habita ratione receptæ ab Eccleſia Romana diſciplinæ*. Et poſt pauca: *Romanæ Africanæque diſciplinæ nexum notiorem facit*: ac deinde: *Ope hujus codicis dignoſcitur, quæ quove tempore Orientales Synodi in uſum receptæ fuerint in Eccleſia Romana; quo Antiocheni canones, Conſtantinopolitani, Africani, & ſi qui alii in controverſiam vocantur*. Hæc tria ei præjudicio innituntur, quo hunc Romanæ Eccleſiæ Codicem perperam credidit. Vide de his plura in Obſervationibus ad Diſſert. XII. Addit autem veriſſime: *Mitto quod antiquas primaſque habet verſiones opuſculorum Sanctorum aliquot Patrum, qui ſæculi quinti initio celebres fuere, & Pontificum Romanorum Conciliorumque uſu conſecratæ:*

vratæ : quod plures fidei libellos qua editos, qua non antehac editos continet : quod aliqua Africanorum decreta in editis prætermiſſa redintegrat. Quod porro addit, *Epiſtolas aliquot Romanorum Pontificum aliaque monumenta egregie interpolata ſinceritati ſuæ reſtituit*, ob non paucas optimas lectiones ope hujus collectionis reſtitutas veriſſimum eſt. Quodſi reſpicit Gelaſii epiſtolam ad Dardanos, quæ in editis Conciliorum prolixior, brevior autem in hac collectione invenitur, interpolationis notam in vulgatis abſtergemus cap. 11. §. 4. ubi duplicem ejus epiſtolæ formam ipſo Gelaſio auctore edita demonſtrabimus. Subdit : *Non ea ſolum exhibet, quæ ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinent, ſed etiam quicquid fere pro fidei cauſſa actum ſcriptumque eſt vel ab Apoſtolica Sede, vel ab aliis Epiſcopis per illa tempora, id codex comprehendit : in quo præſtat & Dionyſiano, & ceteris canonum conſtitutorumque codicibus, qui nihil de rebus fidei attingunt, ſi Capitula de gratia & libero arbitrio Cæleſtini epiſtolæ annexa excipias, quæ apud Dionyſium habentur, & deſiderantur in noſtro, & Gangrenſes anathematiſmos.* Dum ceteros canonum conſtitutorumque codices *nihil de rebus fidei attingere* prodidit, non ſatis bene perpendit editionem Iſidori, & multo minus alias antiquiſſimas manuſcriptas collectiones, in quibus patia decreta circa fidem invenimus. Illam tandem maxime extollit Sardicenſium & Nicænorum canonum conjunctionem, qua omnes in hac collectione Nicænorum titulo inſcripti, ab omni dolo ac fraude vindicant ſummos Pontifices, cum Sardicenſes veluti Nicænos allegarunt. Etſi vero hæc eadem conjunctio in aliis quoque antiquis collectionibus, quas cap. 1. §. 3. memoravimus, inveniatur; cum tamen hæ antea eſſent ignotæ, iſtud vindiciarum genus ex editione hujus collectionis in publicum prodiit.

II. Nunc quædam peculiaria animadvertenda ſuperſunt circa fontes, ex quibus collectionis auctor potiſſimum profecit. Nicænos canones cum Sardicenſibus junctos ex antiqua ſane interpretatione, quam Iſidorianam vocant, derivavit. At ſimul præ oculis habuit aliud eorumdem canonum exemplum ſimila illi, quod continetur in MS. Vat. Reginæ 1997. Ex hoc enim tria ſumſit, diviſionem, ac fere titulos canonum, integrum canonem ſextum, & catalogum Patrum, ut ex adnotationibus patebit. Hinc etiam præterivit canonem ultimum Nicænum de omittenda genuflexione diebus dominicis atque paſchalibus, qui in Iſidoriana verſione deſcriptus, in laudato exemplo Vaticano regio deſideratur. In aliis Græcis canonibus, quos ex eadem antiqua interpretatione recepit, nimirum in Ancyranis, Neocæſarienſibus, Gangrenſibus, Antiochenis, Laodicenis, atque Conſtantinopolitanis liberiorem interpretandi rationem præfert, qua quidam canones aliis verbis additis, vel mutatis a pura antiqua Iſidoriana verſione diſcrepant. Soli canones Chalcedonenſes non ex Iſidoriana verſione, ſed ex ea quæ Priſca appellatur, deſcripti fuere. Peculiarem Africanorum canonum fontem nactus eſt collector, ex quo derivavit non ſolum Breviarium Hipponenſe, quod reſtituendæ plenariæ Synodo Carthaginienſi anni 397. neceſſarium fuit, verum etiam Mizonii & aliorum Byzacenorum epiſtolam, quæ in nulla alia collectione hactenus inventa eſt. Collectionem præterea reperit ſingularem documentorum ad Pelagianam cauſſam pertinentium, cujus Græcam verſionem Photius retulit Cod. 53. Hinc conſervata nobis fuerunt quædam documenta, quæ alias periiſſent; ac præterea in canonibus contra hæreſim Pelagianam Carthagine editis anno 418. unum decretum in aliis collectionibus omiſſum, reſtitutum accepimus. Confer adnotationes ipſi collectioni ſubjectas, in quibus alia plura deteximus.

III. Pauca hic ſubnectimus de alia collectione, quæ exſtat in vetuſto exemplo Colbertino 3368. De hoc diſſerit P. Couſtantius in præfatione ad tom. 1. epiſtolarum Romanorum Pontificum pag. LXXXVII. & ſeqq. Idem codex duas partes, ſeu verius duas collectiones complectitur, quæ duabus titulorum tabulis ſeu indicibus diſtinguuntur. Heic de ſola prima parte, ſeu collectione, quæ ex Queſnelliana non pauca recepit, agemus, de altera dicturi cap. 10. §. 5. ubi ſermo erit de Gallicanis collectionibus, ad quas hæc altera propius accedit. Igitur prima collectio, ſi tabulam reſpicias, quæ primævi fetus indicium eſt, conſtat ex capitulis 57. cetera enim, quæ in eadem tabula non indicantur, poſterioribus additamentis accenſenda ſunt. In tabula primum indicantur omnia capitula collectionis Lucaro-Colbertinæ. Adduntur Leonis epiſtolæ ſeptem. Dein ex collectione Queſnelliana, quam edituri ſumus, excerpta fuerunt capitula 6. 13. & 42. uſque ad 50. ideſt Carthaginienſis Concilii litteræ ad Innocentium, plenarium Concilium celebratum Carthagine anno 418. contra Pelagium atque Cæleſtium, geſta Conſtantinopolitanæ Synodi quibus a Flaviano Eutyches damnatus fuit, geſta de nomine Acacii, epiſtolæ Simplicii ad Acacium, & Acacii ad Simplicium, Felicis Papæ ad Acacium, Gelaſii tomus de anathematis vinculo, ejuſdem commonitorium ad Fauſtum, epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem, & alia de damnatione Acacii. Accedunt præterea aliæ tres Leonis epiſtolæ, & litteræ S. Clementis ad Jacobum de Domini ſacramentis. In corpore vero ſuo loco non afferuntur duo poſtrema capita 56. & 57. quæ indicantur in tabula, ideſt epiſtola Leonis ad Imperatorem, & alia S. Clementis ad Jacobum; ſed ea in ſequentibus documentis poſtea adjectis interſerta fuerunt.

IV. Documenta autem adjecta, quæ non enuntiantur in præmiſſa tabula, ſunt aliæ tres Leonis epiſtolæ cum particula ſeu clauſula aliarum litterarum ejuſdem Pontificis; item omnia monumenta in cauſſa Pelagianorum, quæ in collectione edenda referuntur a cap. 6. ad cap. 20. dum in præmiſſa tabula duo tantum indicantur, ſextum, & decimum tertium. Hæc excipiunt alia ſex capitula ſumta ex eadem collectione c. 30. 31. & 52. uſque ad 55. Accedit ex eadem Concilium Telenſe, & regula formatarum. Ex collectione vero Colbertino-Lucana additur decretum Gelaſii de libris. In fine tandem deſcribitur *Conſtitutum Domini Conſtantini Imperatoris* in gratiam Romanæ Eccleſiæ ſignatum *Roma ſub die III. Kal. April. Domino noſtro Flavio Conſtantino Auguſto quarto & Gallicano viris clariſſimis Conſulibus.* Hæc colligere licuit ex P. Couſtantio. Si codicem potuiſſemus expendere, hanc collectionem diſtinctius deſcripſiſſemus. Id unum vero certum perſpicimus, duos fuiſſe hujus collectionis fontes, nimirum collectionem Lucaro-Colbertinam, quæ tota in hanc traducta fuit, & aliam hactenus [illegible]dam, in qua cetera inveniuntur documenta, quæ in Colbertino-Lucana deſiderantur. Unum appoſititium Conſtantini conſtitutum, in fine deſcriptum, quod in neutra hac collectione [illegible], recentiori additamento referendum videtur.

CAPUT IX.

De collectione, quæ continetur in MS. 55. Capituli Cathedralis Eccleſiæ Veronenſis. De Synodo Antiochiæ celebrata circa an. 379. Tomus Occidentalium in ea productus & ſubſcriptus detegitur. Præſtantia hujus collectionis ex verſione antiquiſſima & documentis in ea conſervatis.

I. Hic codex membranaceus eſt quadratæ formæ, ac majuſculis litteris ſcriptus, qui caracteres antiquitatem ejus ſatis indigitant. In eo duo diverſi codices in unum copulati nunc inveniuntur, quorum primus initio caret, ſecundus autem integer eſt. Diverſitatem horum codicum evidenter demonſtrant paginæ, quæ in primo conſtant ex lineis 29. in altero autem viginti ſeptem lineas conſtanter exhibent. Primus codex capite diminutus continet partem titulorum Concilii Carthaginienſis anni 419. qui incipiunt a titulo 49. & progrediuntur uſque ad tit. 108. Tum eodem numero ſervato proferuntur ipſi canones, qui inchoant a commemoratione Concilii Hipponenſis anni 393. *De Concilio, quod Hypponiregio factum eſt. Glorioſiſſimo Imperatore Theodoſio Auguſto III. & Habundantio V. C. Conſ. octavas Idus Octobris* &c. uti apud Dionyſium.

Quod

* tom. 3. Conc. col. 521.

Quod ſi apud hunc * in vulgatis ex Hadriana collectione excerptis ſunt tantum canones 105. nihil moveat; in noſtro enim codice numeri idcirco augentur, quia tres numeri iis locis affiguntur, qui in iiſdem vulgatis numero carent. Africanorum epiſtola, quæ ſignatur num. 108. non affertur integra, ſed uſque ad illa verba: *vel multis aliis impedimentis adduci non potuerunt*; & nihilominus hæc clauſula appenditur: *Expliciunt canones diverſorum Conciliorum Africanæ provinciæ numerum centum octo*. Tum ſequuntur duo folia olim vacua, in quibus poſteriori manu ac diverſo antiquo caractere quædam deſcripta fuerunt. In his ſunt verſus ad Dalmatianum, quos edidimus cap. 1. §. 3. in fine.

B II. Poſtea incipit codex ſecundus integer, cujus quaterniones alphabeticis litteris ABC ſignati ſunt. Hic peculiarem collectionem complectitur, quæ exactius deſcribenda eſt.

Infr. col. 581.

I. Legitur ignota hactenus verſio Nicænorum canonum, quam hoc tomo proferemus in lucem. Tituli & in hoc & in ceteris documentis ſcripti ſunt litteris majuſculis rubeis & craſſioribus; textus vero majuſculis nigris & minoribus.

II. Concilium Neocæſarienſe ex verſione Iſidoriana, cujus lectionibus uſi ſumus in emendando capite quarto collectionis ſubjiciendæ.

C III. *Exempli Synodi habitæ Romæ Epiſcoporum XCIII. ex reſcripto Imperiali. Damaſus Valerianus &c. Epiſcopis Catholicis per Orientem conſtitutis in Domino ſalutem. Confidimus quidem ſanctitatem veſtram* &c. Eſt epiſtola Synodica Damaſi atque aliorum Epiſcoporum Italiæ & Galliæ ab Holſtenio primum vulgata, ac dein inſerta tom. 2. Concil. Venetæ edit. col. 1043. cui aliquot decretorum particolæ, ac tandem ſubſcriptiones Epiſcoporum Synodi Antiochenæ ſubjiciuntur cum clauſula: *Explicit Synodus Romana & Antiochenſis*. Cum vero epiſtola, quæ in hoc documento primo loco præfertur, ad Illyricianos data fuerit, ut illam quidem Illyricianis inſcriptam recitant Theodoretus lib. 2. cap. 22. & Sozomenus lib. 6. cap. 27. Inſcriptionem ad Orientales in Holſteniano codice inventam Henricus Valeſius in notis ad Sozomenum erroris D notavit. At noſter codex eamdem inſcriptionem ſatis vindicat: nihilque vetat (ut animadvertit P. Couſtantius in admonitione ad epiſtolam tertiam Damaſi n. 3 pag. 479.) *quominus eum ad Epiſcopos Illyrici fuiſſet ſcripta, ejus exemplum poſtea etiam ad Orientales tranſmiſſum ſit*. Immo cum in calce ipſius epiſtolæ dicatur tum in Holſteniano, tum in noſtro codice: *Ego Sabinus Diaconus Mediolanenſis legatus de authentico dedi*; palam fit, non ipſum authenticum originale Orientalibus fuiſſe traditum, ſed cum hoc in Illyrico relictum eſſet, ejus exemplum inducto Orientalium titulo in Orientem a Sabino fuiſſe perlatum. Enimvero apud S. Baſilium E extat epiſtola 69. Orientalium XXXII. Epiſcoporum nominibus ſignata, & Sabino Diacono tradita, ut Italiæ & Galliæ Epiſcopis redderetur, in cujus calce eoſdem Italos & Gallos eorumque Synodicam laudant & approbant. Cum porro Sabinus in Orientem perrexerit anno 372. particulæ autem decretorum, quæ in noſtro & Holſtenii codicibus memoratæ Synodicæ ſubnectuntur, ad poſterius tempus, quo Apollinaris errores in eiſdem perſtricti jam prodierant, manifeſtiſſime ſpectent; hinc epiſtolam cum iiſdem decretis perperam copulatam, ac propterea alteram ab alteris ſeparandam credidit P. Couſtantius loco laudato num. 4. Nihil vero oberit, ſi credamus, hoc documento exhiberi Antiochenæ Synodi geſta, quibus ſcilicet Orientales, ut F ſuam fidem Occidentalibus probarent, in Synodo Antiochiæ celebrata ſubſcripſerunt tum Romanæ Synodicæ antea jam miſſæ in Orientem, tum particulis illis decretorum, quæ quidem in utroque codice ſine ulla diviſione Synodicæ adjiciuntur. Ex epiſt. 321. S. Baſilii diſcimus Dorotheum, cum eſſet Romæ ab Orientalibus miſſus anno 377. audiſſe Meletium Antiochenum & Euſebium Samoſatenum Ariana hæreſi fuiſſe notatos. Hac forte de cauſſa Concilium Romæ habitum fuit, & decreta, vel laudatæ decretorum particulæ in Orientem miſſæ; quibus acceptis Antiochena ſubinde Synodus

Synodus Antiochena an. 379. quid egerit.

A coacta circa annum 379. cujus meminiſſe videtur S. Gregorius Nyſſenus in litteris ad Olympium de vita S. Macrinæ; ac in ea, ut omnis Arianæ hæreſeos ſuſpicio amoveretur, memorati Epiſcopi Meletius & Euſebius cum aliis ejuſdem Synodi Patribus Damaſi epiſtolam cum decretis illis jungentes, omnia ſuis ſubſcriptionibus firmarunt. Huc reſpexiſſe videntur Patres Concilii Conſtantinopolitani, cum canone apud Græcos quinto, edito, ut putamus, in Synodo anni 382. ſtatuerunt: *De tomo Occidentalium etiam eos ſuſcipimus, qui Antiochiæ unam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Deitatem confitentur*: ubi *tomus Occidentalium* congruit illi Damaſi Synodicæ & decretis ſimul junctis, quibus B illi Epiſcopi *Antiochiæ* ſubſcribentes, *unam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Deitatem* in iiſdem declaratam confeſſi ſunt. Hoc idem documentum iidem profecto Conſtantinopolitani Patres indicarunt, cum in epiſtola ad Damaſum & alios Epiſcopos Occidentis ſcripſere: *Qua de re ſi quid amplius deſideratis, ſatis vobis fiet, ſi TOMUM* (græce τόμον) *Antiochiæ a Synodo, quæ illic celebrata eſt, conditum .... legere dignemini*. Quem in laudato canone *tomum Occidentalium* appellarunt, quia tum ea epiſtola Damaſi, tum illa decreta ab Occidente miſſa fuerunt; heic non male *tomum Antiochiæ a Synodo conditum* vocant, quippe quod hæc Synodus eamdem Damaſi Synodicam antea acceptam C cum memoratis decretis copulavit, atque ſubſcripſit. Hujus autem documenti ex unico codice hactenus impreſſi aliquot loca ope noſtri manuſcripti ſupplere vel corrigere placet. In primo fragmento decreti, quod legitur tom. 2. Concil. col. 1046. b, poſt verba, *Spiritus divinus qui fecit me*, addenda ſunt hæc: *non enim ſeparandus eſt Divinitate, qui in operatione* &c. Et poſt nonnulla ibidem litt. c corrigendum: *aut prævaricationibus* (melius vulgati *prævaricatoribus*) *ea impertiatur facile communio, ut reliquis peccandi incentiva tribuantur*. In tertio fragmento col. 1047. a poſt voces *aut ſenſu corrupto* addendum eſt, *coæternæ eſſentiæ Trinitatem credentes*. Monendum tandem eſt, ita in noſtro codice, ut in vulgato Holſtenii, affirmari, D ſubſcripſiſſe Epiſcopos CXLVI. quod ea de cauſſa monemus, quia in Harduini notatione ſcribitur: *In codice Vaticano dicuntur eſſe ſubſcriptiones CLXIII.* ubi corrigendum CLIII. Qui vero ad P. Harduinum id ſcripſit, ſeptem Epiſcoporum ſubſcriptiones, quæ integræ in hoc documento exhibentur, computavit una cum aliis CXLVI. quæ brevitatis cauſſa ab antiquario omiſſæ hac formola indicantur: *Similiter & alii CXLVI. Orientales Epiſcopi ſubſcripſerunt, quorum ſubſcriptio in authenticum hodie in archivis Romanæ Eccleſiæ tenetur*.

tom. 2. Conc. col. 1126. e.

IV. Canones Gangrenſes. V. Laodiceni. VI. Conſtantinopolitani, VII. Anquiritani, omnes ex Iſidoriana verſione.

E VIII. Canones Chalcedonenſes ex interpretatione a vulgatis & notis diverſa, quam huic tomo inſeremus infra col. 617.

IX. Epiſtola ad Eccleſiam Alexandrinam. Eſt epiſtola Patrum Nicænorum verſionis hactenus ineditæ, quam pariter dabimus col. 587.

X. Hæc adnotatio ſubjicitur, quæ ad Sardicenſem Synodum pertinet. *Tunc temporis ingerebantur moleſtiæ Imperatoribus Synodum convocare, ut inſidiarentur Paullo Epiſcopo Conſtantinopolitano per ſuggeſtionem Euſebii, Acacii, Theodori, Valentis, Stephani, & ſociorum ipſorum: & congregata eſt Synodus conſulata Conſtantini & Conſtantini apud Sardicam. Explicit. Deo gratias. Amen*. Hæc adnota- F tio eſt erronea quantum ad Euſebium: Euſebius enim Nicomedienſis ante Sardicenſe Concilium obierat. Conſulatus porro *Conſtantini & Conſtantini* vitio laborat: ſcribendum enim fuerat *Conſtantii IV. & Conſtantis III.* Concinit tamen hæc conſularis nota cum iis, quæ in hoc eodem codice traduntur de S. Athanaſii geſtis, ubi hic Sanctus Epiſcopus, qui ſtatim poſt Sardicenſem Synodum Sedem ſuam repetiit, rediiſſe dicitur *Conſulibus Conſtantino IV. & Conſtanto III.* ubi ſimili errore ſcriptum eſt *Conſtantino* pro *Conſtantio*. Iſthæc adnotatio e Græco reddita eſt, uti alia ad Sardicenſem Sy-

X no-

nodum pertinentia. Num vero hi errores [illegible] auctori, an Latino interpreti, vel amanuenſi tribuendi ſint, non eſt hujus loci ſollicitius inquirere.

XI. Abrupta ſerie documentorum Sardicenſium, quæ poſtea proferentur, inſeruntur canones apoſtolici ex verſione Dionyſii Exigui.

XII. Item Antiocheni ex eadem interpretatione.

XIII. Sequuntur documenta Sardicenſia. *Incip. canon Sardicenſ. Sancta Synodus congregata eſt Sardicæ ex diverſis provinciis* &c. Eſt formula fidei Pſeudoſynodi Sardicenſis cum eodem initio, quo apud S. Hilarium legitur in libro de Synodis tom. 2. col. 482. edit. Veron. ſed ex alia ignota verſione, quam hoc tomo exhibebimus col. 615.

XIV. Interſeritur brevis cyclus paſchalis.

XV. Tum hic titulus legitur. *Definitiones apud Sardicam. Dilectiſſimo fratri Julio* &c. Eſt interpretatio epiſtolæ Oſii & Protogenis ad Julium Papam, cujus Sozomenus meminit lib. 3. c. 12. Hæc pariter antea inedita in hac editione prodibit col. 597. Vide quæ ſupra diximus par. 1. c. 6. n. 11.

XVI. Inedita verſio Synodicæ Sardicenſis cum additamento expoſitionis fidei, quod refertur a Theodoreto lib. 2. c. 6. Hanc quoque verſionem producemus in lucem col. 598.

XVII. Dein ſine novo titolo ſubjiciuntur canones Sardicenſes non ex originali Latino, ſed ex Græco latine redditi antiqua interpretatione, & cum uno canone ultra illos, qui in Græco textu leguntur. Hanc pariter interpretationem dabimus col. 589.

XVIII. Inſeritur porro alio caractere eorumdem canonum quaſi *alia translatio* exemplum Latinum, quod Dionyſius Exiguus recepit. Poſtea eadem antiquiori manu continuat ſeries documentorum Sardicenſium.

XIX. Epiſtola Athanaſii ad Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ ſanctæ apud Alexandriam & Parembolam, a Marchione Maffejo edita in Appendice Hiſtoriæ Theologicæ pag. 261. eademque hoc tomo recudetur col. 611.

XX. Alia epiſtola Synodi Sardicenſis ad Presbyteros & Diaconos Mareoticæ. Vulgata eſt in eadem Appendice pag. 258. & a nobis pariter repetetur col. 607.

XXI. Athanaſii epiſtola ad eoſdem, quam plures Sardicenſes Patres ſuis ſubſcriptionibus firmarunt. Ibidem edita pag. 259. & iterum hoc tomo recudenda col. 629.

De geſtis Athanaſii.

XXII. Sine ullo titulo ſubduntur quædam geſta S. Athanaſii apud Maffejam eodem loco edita pag. 265. quæ dum in fine proferunt Athanaſii ſucceſſores, ac in Theophilo deſinunt, tempus indicare videntur, quo ſcripta fuere. Nullum documentum fortaſſis prodiit, in quo chronologici caracteres frequentius occurrant. Brevi contextu conſulatus viginti deſignantur; & cum geſta potiora referuntur, menſis etiam ac dies notatur. Alexandrinorum, ſeu Ægyptiorum menſium nomina Græcum originale in ipſa Alexandrina urbe, ſeu in Ægypto conditum oſtendunt. Nihil præclarius haberi poſſet, niſi manifeſti errores hic illic detegerentur, ob quos hoc documentum alias inſigne apud nonnullos eruditos male audivit. Cum vero in his geſtis quædam dicantur omiſſa, haud credimus errores Græco eorumdem geſtorum ſcriptori, qui Theophilo Alexandrino videtur fuiſſe coævus, poſſe adſcribi, ſed partim Græco collectori horum documentorum, qui minus exacte alicubi ex fuſioribus geſtis excerpſit, partim Latino interpreti, partim etiam imperitiæ, ſeu oſcitantiæ amanuenſis. Plerique errores in numeris & nominibus ſiti ſunt, in quibus quam facile ſit errare, nemo peritus ignorat. Alii accidere potuerunt ob ſaltus in codicibus non infrequentes, qui ſenſum abrumpunt, vel alíorſum diſtrahunt: alii ob alias hallucinationes collectoribus, interpretibus, & librariis minus peritis, vel negligentibus familiares. Hi autem errores etſi evincunt, huic documento tam perverſe vitiato non ſemper, nec prorſus eſſe fidendum, ubi præſertim alia certiora teſtimonia refragantur; nihil tamen officiunt, quo minus credamus, hæc geſta ab origine a Græco Ægyptio auctore fuiſſe ſcripta ſub Theophilo, cujus originale ſi ad nos perveniſſet, [illegible] ..cta ipſios verſio, tot vitia aut menda haudquaquam invenirentur.

XXIII. Poſt hæc hic titulus legitur: *Item Symbolus ſanctæ Synodi Sardici.* Mox vero ſubjiciuntur abrenuntiationes in baptiſmo adhibitæ, ac ſymbolum Conſtantinopolitanum ignotæ verſionis.

XXIV. *Epiſtola Conſtantini de Synodo Nicena. Conſtantinus Pius catholicæ orthodoxorum Eccleſiæ per Alexandriam. Gaudete fratres dilectiſſimi. Perfecte gratiam accepimus a divina providentia* &c. Eſt inedita verſio ejus epiſtolæ, quæ profertur a Socrate lib. 1. cap. 9. & a Gelaſio Cyziceno lib. 2. c. 36.

XXV. Lex Conſtantini contra Arium interpretationis ineditæ. *Victor Conſtantinus Magnus Pius Epi-*
B *ſcopis per qua loca & populis. Malevolus & impius Arius imitatus diabolum juſte meretur* &c. Vide hanc epiſtolam apud Socratem & Gelaſium Cyzicenum locis laudatis.

XXVI. Epiſtolæ duæ, altera quatuor ſanctorum Epiſcoporum tum confeſſorum, & poſtea martyrum Ægypti ad Meletium ſubjecto hiſtorico quodam fragmento, altera S. Petri Alexandrini Epiſcopi & martyris: quæ ad Meletiani ſchiſmatis initia pertinent. Hæc pretioſa documenta ex hoc codice edita ſunt a laudato March. Maffejo in Appendice memorata pag. 254 & 255.

XXVII. Codicem claudit *Definitio dogmatum eccleſiaſticorum Gennadii Presbyteri Maſſilienſis.* Hic
C titulus rubro caractere prima manu ſcriptus. At ſuperducta linea, alia recentiori manu & caractere nigro pro *Gennadii Presbyteri Maſſilienſis* in ſuperiori intervallo ſcriptum fuit *Beatiſſimi Auguſtini Epiſcopi*, quia hoc opuſculum in aliis codicibus Auguſtino perperam inſcribitur, & idcirco editum eſt in Appendice operum ejuſdem tom. 8. col. 78.

III. Hæc autem adnotatio alternis lineis nigris & rubeis & majuſculis litteris ſcripta in ultima pagina legitur. *Hæc de mendoſis exemplaribus tranſtuli tandem, & quædam quidem qua ....on ut voluit, tamen potuit* (ſupple & corrige *quamvis non ut volui, tamen ut potui*) *recorrexi. Quedam autem tacito pretermiſi, re ...* (ſ. *reliqua*) *Domini arbi-*
D *trio derelinquens. Qui legis, ore .... catore* (leg. *ora pro me peccatore*) *ſit d n abeas red...... iſſimus omnium dia ..... Theodoſius indignus ..... conus fecit.* Hæc poſtrema verba ſic ſupplenda: *humillimus omnium Diaconorum Theodoſius indignus Diaconus fecit.* Verba *de mendoſis exemplaribus tranſtuli*, Theodoſium merum exſcriptorem, non vero ejus verſionis, quæ in ipſo tantum codice invenitur, auctorem innuunt. Equidem idem Theodoſius, qui Latinæ linguæ imperitiſſimus ex hac ipſa adnotatione cognoſcitur, Græcæ adeo ignarus fuit, ut in exſcribendo canone 17. Ancyrano Iſidorianæ verſionis Græca verba ſenſui intelligendo neceſſaria omiſerit, quæ in aliis MSS. & in vulgatis ejuſdem verſionis le-
E guntur. Fuit vero auctor præſentis collectionis, in qua compingenda aliquot codicibus uſus eſt. Peculiaris codex ille fuit, qui documenta Græca ineditæ Latinæ interpretationis continebat. Hujus autem interpretationis antiquus auctor Græcum exemplum adhibuit, quod cum pleraque documenta Alexandrinæ Eccleſiæ peculiaria contineret, ipſumque Nicænum Concilium a notatione inciperet de ſeditione facta ſub Alexandro Epiſcopo Alexandrino, quæ in aliis Græcis exemplis non legitur; in eadem Eccleſia ſaltem ab origine ſcriptum videtur poſt Synodum Chalcedonenſem: quippe quæ eſt recentius documentum nova verſione latinitate donatum. Theodoſius vero documenta hujus ineditæ ver-
F ſionis pro ſuo ingenio ſeparavit, aliaque aliunde documenta ipſis interſeruit, nunc ex Iſidoriana interpretatione, nunc ex Dionyſio, nunc aliis ex fontibus, ex quibus tertium maxime inſigne, & vigeſimum ſextum monumentum derivavit. In eodem porro exemplo, quod ineditam verſionem exhibebat, ſola erant ex Conciliis Nicænum, Sardicenſe, & Chalcedonenſe: ſi enim aliarum Synodorum Græcarum canones prætuliſſet, omnes ab eodem interprete fuiſſent latinitate donati, nec Theodoſius ceteros canones ex Iſidoriana aut Dionyſiana verſione derivaſſet. Certe vero Græcum exemplum quantum ad documenta Sardicenſia illis videtur ſimile,

qui-

quibus uſi ſunt Socrates, Sozomenus, Theodoretus, ac Patres Chalcedonenſes, uti latius oſtendimus part. 1. c. 6. n. 11. adeo ut quantum ad ea documenta non fuerit Alexandrinæ Eccleſiæ proprium, ſed plura ejuſmodi exemplaria latius propagata in ipſo Oriente ac in tota Græcia in laudatorum Scriptorum & Patrum manus facile pervenerint. Vide quæ de ipſis documentis dicentur in Admonitione ipſis præmittenda col. 378.

CAPUT X.

De Collectionibus Gallicanis.

§. I.

Vetuſti codices canonum apud Gallicanos plures privato ſtudio conditi, nullus publica auctoritate digeſtus & editus. De celebrioribus hujuſmodi codicibus, ac præſertim de Vat. Palat. 574.

I. GAllicanam Eccleſiam non caruiſſe codicibus canonum, quibus Epiſcopi in ea regenda uterentur, indubium eſt. Codicem aliquem publica auctoritate editum Queſnellus videtur exigere, ut canones promulgati ſint. Hanc vero ejus ſententiam refellemus adnot. 11. in Diſſertationem XII. c. 2. Nullo quidem certo aut probabili argumento hactenus probatum eſt, aliquem ejuſmodi codicem apud Gallos olim publica auctoritate fuiſſe digeſtum, editum, aut approbatum. Cum allegati fuerunt canones, aut conſtitutiones Romanorum Pontificum a Synodis aut Epiſcopis Gallicanis, licet excerpti fuerint ex aliquo codice; non tamen ipſe codex publicus, aut publica auctoritate editus dici debet: neque conſtitutiones aut canones allegati, ex ipſo codice auctoritatem accipiebant, ſed ex iis Conciliis vel Pontificibus, a quibus editi fuerant. Confer cap. 5. §. 4. Plures collectiones olim in Galliis digeſtæ inveniuntur. Si quis codex fuiſſet publicus, quid oportuiſſet tot collectiones conſcribere? Saltem harum collectionum auctores caviſſent, ne ullum documentum publici codicis prætermitterent. In una autem collectione plura deſunt, quæ leguntur in alia. Adde quod in quibuſdam codicibus, ut mox dicemus, Nicæni canones leguntur ex abbreviatione Rufini, in aliis, quos Sirmondus laudat, ex verſione Dionyſii, vel ex alia antiquiori, quæ Iſidoriana vocatur. Num Gallicana Eccleſia diverſos codices publice edidit? Hæc affirmari facile poterunt, probari non poterunt. Codices quibuſdam Eccleſiis particulares fuiſſe patet inter ceteras ex collectione Eccleſiæ Arelatenſis, quam explicabimus cap. 13. Numquid omnes publica auctoritate exarati & editi credi debent? Sed quid moramur pluribus? P. Sirmondus, qui in edendis Synodis Gallicanis plurimum laboravit, plurimoſque codices Gallicanos in tota Gallia diligenter evolvit, ex hac ipſa varietate collectionum omnem de codice publico, qui uniformis eſſe debuiſſet, ſuſpicionem adimit. *Synodorum illos* (Gallos) *ſuarum*, inquit in præfatione ad Concilia Galliæ, *canonumque nullum certum corpus, nullam ſtatam collectionem habuiſſe, docet varietas ipſa exemplarium. Quot enim codices antiqui, totidem fere ſunt diverſæ collectiones. Alia in aliis plerumque Synodi, vel plures numero, vel pauciores: raro eædem, aut paucæ in omnibus cernuntur.* Notat quod in rem ſuam erat, codicum antiquiſſimorum diſcrimen in Conciliis Galliarum. Diſcrimen etiam in verſionibus canonum Græcorum notaverat paullo ante. Par varietas in aliis canonicis documentis ac in conſtitutionibus Romanorum Pontificum deſignari potuiſſet. Adde & perturbatum ordinem, quem in nonnullis collectionibus animadvertit. Hæc ſane cum non congruant codici publica auctoritate vulgato, has omnes collectiones privato ſtudio in Galliis digeſtas oſtendunt.

II. Præter collectiones Corbejenſem, Queſnellianam, & unam Colbertinam, quas in Galliis compactas recenſuimus cap. 5. & 8, plures aliæ a Gallis Scriptoribus memorantur, Foſſatenſis, Tiliana, Pithœana, Anicienſis, Lugdunenſis, Remenſis &c. quæ cum editioni Synodorum Galliæ uſui fuerint, peculiares Galliarum fuiſſe noſcuntur. Sed harum diſtincta notitia ab iis, qui ejuſmodi codices adhibuerunt, data non fuit. De Foſſatenſi id tantum accepimus, Nicænos in ea canones ex Iſidoriana, uti appellant, interpretatione cum Sardicenſibus jungi; ac præterea tredecim Gallicanas Synodos nullo ordine cum non paucis apoſtolicis conſtitutionibus exhiberi. Num etiam aliarum Synodorum Græciæ canones præferat, latet. Solum cum P. Couſtantius manuſcriptas Gallicanas collectiones diſtincte recenſens, quæ Græcos canones continent, Corbejenſem, Queſnellianam, & Colbertinam deſcribat; Foſſatenſem autem, quam in editione epiſtolarum Romanorum Pontificum frequenter allegat, prætermittat; id nobis indicio eſt, eam iiſdem Græcarum Synodorum canonibus carere, & merum eſſe codicem, qui præter Nicænos & Sardicenſes canones Nicænorum nomine inſcriptos, ſolas Gallicanas Synodos & conſtitutiones apoſtolicas exhibeat. Quod ſi P. Sirmondus in præfatione ad Concilia Galliæ inter Gallicanos codices, qui Iſidorianam antiquam verſionem præferunt, recenſet etiam Foſſatenſem; id ob Nicænos canones affirmare potuit. Plura de hoc aut aliis Gallicanis codicibus diſtinctius proferre iis relinquimus, quibus ipſos codices expendere licebit.

Collectio Foſſatenſis. Couſt. præf. t. 1. Epiſt. R. P. Sirmond. præfat. in Conc. Gall. Couſt. in ead. præf.

III. Etſi vero nobis deſint plura id genus MSS. exemplaria, quæ in Gallicanis bibliothecis cuſtodiuntur; ſatis tamen notitiæ ad cognoſcendas antiquas collectiones proprias Eccleſiarum Galliæ heic proferre poſſumus ex duobus Gallicanis codicibus, quos in Vaticana bibliotheca invenimus. Primus eſt codex Vaticano-Palatinus 574. quem ſimilem eſſe deteximus codici Morbacenſi ante annos nongentos exarato, cujus mentionem faciunt P. Martene tom. 4. Anecdot. pag. 58. & P. Couſtantius tom. 1. epiſtolarum Romanorum Pontificum pag. LXXI. & alibi. Hoc Palatinum exemplum in ultimo folio dicitur *Codex S. Nazarii in Lauriſſa*. Hinc intelligimus pertinuiſſe ad celebre Monaſterium Lauriſhemienſe S. Nazarii in diœceſi Wormatienſi, quod Chrodegandus Metenſis Epiſcopus conſtruxit ſub medium ſæculum VIII. Hujus codicis præſtantiam ſatis commendat celeberrima Synodus Carthaginienſis anni 525. quæ ex ipſo prodiit. Vetuſtiſſimum ſemper vocat Holſtenius, antiquitatemque ipſa codicis forma, & caracterum figuræ comprobant. Integra documenta plerumque non exhibet, ſed tantummodo excerpta, & nonnumquam abbreviata: quæ tamen cum e vetuſtiore Gallicana collectione integris monumentis inſtructa fuerint deſumta; quid hæc contineret, idem codex maniſeſtiſſime indicat. Duæ partes in hoc codice diſtinguendæ: altera eorum, quæ cum in præmiſſa capitulorum tabula deſignentur, ad primigeniam collectionem referenda ſunt: altera eorum, quæ præter capitula indicata in tabula, poſteriori additamento acceſſere. Alius codex olim Gallicanus eſt Vaticanus ſignatus num. 3827. de quo inferius plura. Nunc collectio in laudato MS. Vat. Palatino contenta deſcribenda eſt.

§. II.

Explicatur, notationibuſque illuſtratur collectio MS. Vat. Palat. 574. Canones Nicæni ex abbreviatione Rufini a Gallicanis recepti. Sardicenſes Nicænorum nomine inſcripti, & cum Nicænis nunc abbreviatis, nunc integris apud eoſdem Gallicanos conjuncti. Canon Neocæſarienſis inter titulos a Joanne II. miſſos ad Cæſarium Arelatenſem ex eodem codice in vulgatis ſupplendus. Synodus Arelatenſis II. videtur potius antiqua collectio canonum, quam Synodus, ejuſque tempus ſignatur.

TItulus hic, ſeu præfatiuncula in codicis fronte præfigitur: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti incipit canon Nicæna de ſacris canonibus breviatis ſtudio, ut quod opus eſt celerius poſſit inveniri. Aliqua capitula, quæ præſenti tempore neceſſaria minime videbantur, omiſimus. Totum tamen in hoc libellum transtulimus, quicquid opportunum ac neceſſarium omnibus Eccleſiis noveramus.* Sequitur tabula ca-

capitulorum XXXII. quæ totius collectionis documenta indicant.

I. *Synodus Nicæna CCCXVIII. Epiſcoporum.* Soli canones ſexdecim proferuntur ex abbreviatione Rufini; ac poſtea canon 13. Sardicenſis ſub Nicæni titulo ſic deſcribitur: *Incipit capitulum de ſupraſcriptis canonibus, ideſt Nicænis CCCXVIII. Epiſcoporum. Oſius Epiſcopus dixit: Et hoc neceſſarium arbitror, ut diligentiſſime tractetis* &c. Idipſum legi in MS. Morbacenſi diœceſis Baſileenſis teſtatur P. Couſtantius in laodata præfatione pag. LXXI. Duo hoc loco maximi momenti notanda ſunt. Primo abbreviationes Rufini apud Gallos uſitatas fuiſſe, ut Queſnellus Diſſert. XVI. aliique nonnulli obſervarunt. Id palam fit ex duobus aliis Gallicanis documentis. I. ex titulis in cauſſa Contumelioſi a Cæſario Arelatenſi excerptis, qui ſubjiciuntur epiſt. 6. Joannis II. ad eumdem Cæſarium, ubi canon 9. Nicænus a Rufino abbreviatus deſcribitur. II. ex Concilio ſecundo Arelatenſi, quod verius collectionem canonum eſſe paullo poſt oſtendemus, ubi aliquot canones ex eadem Rufiniana abbreviatione compacti exhibentur. Ignotum vero eſſet, undenam hæc apud Gallos conſuetudo prodierit. Ex noſtro autem codice diſcimus, fuiſſe olim Gallicanas collectiones canonum, quæ Nicænos ſic abbreviatos ex Rufino receperant: ac propterea ejus integræ collectionis, ex qua hæc excerpta traducta fuerunt, antiquitas apud Gallos cognoſcitur. Eadem conſuetudo poſteriori etiam tempore obtinuit. Nam collectio Herouvalliana, quam octavo ſæculo in Galliis compactam videbimus, abbreviationes Rufini ex antiquiori Gallicano canonum codice exſcriptas exhibet. Secundo Gallicanam collectionem Foſſatenſem, quæ Nicænos canones integros ex Iſidoriana verſione continet, Sardicenſes cum iiſdem copulatos, ac Nicænorum titulo inſcriptos prætuliſſe monuimus §. 1. n. 2. Utroſque vero eadem ratione junctos & inſcriptos fuiſſe etiam in alia Gallicana collectione, quæ Nicænos ex Rufiniana abbreviatione receperat, noſter codex & Morbacenſis teſtantur. Hæc duplex collectionum Gallicanarum ratio, in quibus canones Sardicenſes cum Nicænis vel integris, vel abbreviatis conjunguntur, eoſdem canones ab ipſa Gallicana Eccleſia pro Nicænis habitos demonſtrat. Quodſi abbreviationes Rufini loco Nicænorum canonum in ſulis Gallicanis collectionibus & codicibus canonum fuerunt receptæ; Gallicana utique Eccleſia cum eas abbreviationes recepit, Sardicenſes canones eiſdem adjeciſſe videtur; eo quod vetuſtiori ætate aliorum codicum teſtimonio jungerentur cum Nicænis, & pro Nicænis haberentur.

Abbreviationes Rufini canonum Nicæn. apud Gallos.

part. 4. c. 7.

Canones Nicæn. apud Gallos juncti cum Sardicenſibus.

II. *Synodus Arelatenſis ſexcentorum Epiſcoporum. Domino ſanctiſſimo fratri Silveſtro cœtus Epiſcoporum ſexcentorum, qui adunati fuerunt in oppido Arelatenſi, quid decreverimus communi conſilio, caritati tuæ ſignificavimus.* Subduntur canones XX. Eſt Synodus Arelatenſis I. anni 314. Eamdem epigraphen præbuit ex ſimili codice Morbacenſi P. Couſtantius col. 341. not. a.

III. *Auctoritas Innocente Papæ ad Exuperium Toleſanum Epiſcopum.* Et in corpore ipſius collectionis: *Incipit auctoritatis, vel canonis urbicani, Innocentio Exſuperio Epiſcopo Toleſano. Ad locum de ſupradicta auctoritate, quid de his obſervare debeat* &c. Abbreviatur caput primum ejuſdem epiſtolæ.

Canones urbicani.

IV. *Item auctoritas Innocente Papæ.* Et in corpore: *De ſupradicta auctoritate.* Duo alia ejuſdem epiſtolæ capitula compendio exhibentur. Hic quoque duo animadverſionem merentur. Primo Romanorum Pontificum conſtitutiones *auctoritates* appellantur. Id Gallicanis uſitatum oſtendunt tum preces ad S. Leonem miſſæ, quas dedimus tom. 1. epiſt. 65. ubi cap. 2. Zoſimi litteræ pro ſede Arelatenſi *auctoritates* dicuntur; tum Cæſarius Arelatenſis, qui Joannis II. epiſtolam ad ſe ſcriptam in cauſſa Contumelioſi Epiſcopi bis *auctoritatem* vocat; tum Concilium Agathenſe, quod can. 9. *Siricii Epiſcopi auctoritatem* ejus epiſtolam ad Himerium appellat. Secundo titulus *canonis urbicani* concordat cum alio codice Pariſienſi Collegii Societatis Jeſu, ubi laudatæ Innocentii epiſtolæ hæc inſcriptio præfigitur Harduino teſte tom. 3. Concil. col. 53. not. 1. *Incipiunt canones urbicani. Innocentius Exſuperio Epiſcopo Toloſano.*

Auctoritates a Gallis dictæ conſtitutiones apoſtolicæ. tom. 5. Concil. col. 902. b. 903. d.

V. *Auctoritas Zoſimi Papæ ad Iſicium Toloſanum Epiſcopum*, melius in corpore *Salonitanum. Eximie dilectio tua* &c. Duo priora capita ejuſdem epiſtolæ recitantur.

VI. *Auctoritas Cæleſtini Papæ.* Profertur in corpore fere tota epiſtola ad Epiſcopos per Apuliam atque Calabriam uſque ad verba *congruentem regulis vindicemus.* Dein ſine ulla diſtinctione ac titulo eodem contextu ſubjicitur fragmentum ex cap. 3. epiſtulæ ejuſdem Pontificis ad Epiſcopos provinciæ Narbonenſis atque Viennenſis: *Debet enim antea eſſe diſcipulus* &c. nec non aliud fragmentum ex cap. 6.

VII. *Auctoritas decretalis S. Siricii Papæ.* In corpore autem affertur fragmentum ex epiſtola *ad Emerium* cap. 5. & 6. Tum aliud fragmentum ejuſdem epiſtolæ additur cum titulo: *Item ad locum de ipſa Synodo. Plurimos enim Sacerdotes Chriſti* &c. uti habetur cap. 7. Et dein alia aliorum capitum excerpta. Notanda verba *de ipſa Synodo*, quæ hanc epiſtolam e Romana Synodo ſcriptam innuunt. Ita etiam Siricii epiſtola Zellenſi Synodo ſubjecta in Concilio ſcripta traditur: *Data Romæ in Concilio Epiſcoporum LXXX.* Similiter epiſtola ſive ejuſdem Siricii, ſive Innocentii, quæ *canones Synodi Romanorum* in Conciliorum editionibus inſcribitur, hunc titulum habet in codice Foſſatenſi: *Incipiunt capitula Synodi Romanorum. Epiſtola Synodi.* Et poſt tabulam ſex capitulorum ſubditur: *Canones Romanorum.*

Epiſtolæ Pontificum R. fere editæ in Synodo.

Couſt. t. 1. Epiſt. Rom. Pont. col. 685. not. a.

VIII. *Item auctoritas Innocente Papæ.* Fragmenta ex cap. 16. epiſtolæ ad Victricium.

IX. *Auctoritas S. Damaſi ad Paullinum.* Unicum breve fragmentum exprimitur: *Eos quoque, qui de ſuis Eccleſiis ad alteram Eccleſiam* &c. Vide hunc tomum col. 402. not. 58.

X. *S. Auguſtini ad Competentes.* In corpore *Tractatus* vocatur. Incipit: *Audite cariſſimi membra Chriſti & matris Eccleſiæ filii* &c. ut in ſermone 392. Auguſtini c. 2. uſque ad illa ſub finem ejuſdem capitis, *quarum finis ad interitum ducit.* In vulgatis & in plerisque MSS. lectionariis hic ſermo inſcribitur *ad conjugatos.* Patres Benedictini notant, in aliquibus codicibus incipere æque ac in noſtro codice a verbis: *Audite cariſſimi.* Unus locus vulgatorum defectuoſus ſic ex eodem codice ſupplendus. *Quod dico fidelibus & competentibus, & pænitentibus, audiant catechumeni.*

Sermo S. Aug. ſupplendus.

XI. *Auctoritas S. Symmachi Papæ ad Cæſarium Epiſcopum. Hortatur nos æquitas* &c. Eſt integra epiſtola quinta ad Cæſarium tom. 5. Concil. col. 414.

XII. *Tituli infraſcripti a S. Papa Joanne de Sede Apoſtolica ſunt directi.* Indicantur tituli, ſive canones a Joanne II. ſubjecti ſuæ epiſtolæ ad Cæſarium Arelatenſem, quæ legitur tom. 5. Concil. col. 902. Noſter vero abbreviator ipſam epiſtolam omiſit. Solum ex titulis, ſeu canonibus a Joanne Papa ad Cæſarium miſſis præterivit primum ex epiſtola Siricii ad Himerium, ceteros ſic exhibuit: *Ex canonibus Apoſtolorum XXV. Quod Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ſi pro criminibus damnati fuerint, minime communione priventur.* Eſt titulus canonis 25. Apoſtolorum ex verſione Dionyſiana, qui in vulgatis Conciliorum inter titulos a Joanne miſſos deſideratur. Tum ipſe canon ejuſdem verſionis ſubjicitur. Dein additur alius titulus cum canone 29. Apoſtolorum. Poſtea ſequitur: *Ex canonibus Neocæſarienſis XCV.* Titulus: *De Presbyteris, qui fornicati ſunt.* Canon vero ſic: *Presbyter ſi fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit* &c. ut in Neocæſarienſi can. 1. interpretationis Dionyſii. Hic canon Neocæſarienſis in vulgatis titulis laudatæ epiſtolæ ſubjectis omiſſus, ex noſtro codice ſupplendus eſt. Notandus præterea numerus canonis XCV., qui huic primo canoni Neocæſarienſi præfigitur. Indicat enim Dionyſianum codicem, ex quo Joannes Papa II. hunc canonem exſcripſit, continuam numerorum ſeriem prætuliſſe, ita ut numerus primus inciperet a canonibus Apoſtolorum quinquaginta, poſt quos additis continua numerorum ſerie Nicænis canonibus viginti, & Ancyranis viginti qua-

Joan. II. PP. utitur codice Dionyſii.

In titulis epiſtolæ Jo. II. quædam ſupplenda.

Codex Dionyſii cum numerorum ſerie a canonibus Apoſt. inchoans.

Digitized by Google

quatuor ; primus canon Neocæſarienſis eſt XCV. Cum vero Dionyſius in epiſtola ad Stephanum aliam numerorum ſeriem indicet, quæ *a primo capite uſque ad centeſimum ſexageſimum quintum* progrediebatur, hæc non a canonibus Apoſtolorum, ſed a Nicænis inchoabat. Ita canon primus Neocæſarienſis ſignandus erat XLV. facilique librarii lapſu pro XLV. ſcriptum fuiſſe videtur XCV. Quocumque vero modo id accipiatur, palam fit aliqua Dionyſii vetuſtiora exemplaria eam numerorum ſeriem cuſtodiſſe, quam in codicibus Dionyſianis, vel Hadrianis, qui ad nos pervenerunt, fruſtra requirimus. Dein proferuntur duo canones Antiocheni, qai tamen non continua numerorum ſerie notantur, ſed cum proprio ipſorum canonum numero, nimirum *Ex canonibus Antiochenis capitulo IV.* & poſtea *Ex canonibus ſupraſcriptis capitulo XV.* cum iiſdem titulis & canonibus Dionyſianæ verſionis, qui in vulgatis leguntur. Num Dionyſianus codex, quem Joannes Papa II. adhibuit, præter ſeriem continuam numerorum proprios etiam cujuſque Synodi numeros exhibebat?

XIII. *Synodus Africana Epiſcoporum CCXIV. Statuta Eccleſiæ antiqua. Qui Epiſcopus ordinandus eſt, antea examinetur* &c. uti in Statutis antiquis inter documenta Juris canonici veteris hoc tomo edendis. Dividuntur in cap. 95. paucis ſub finem omiſſis. Synodus Africana Epiſcoporum CCXIV. indicat Synodum Carthaginienſem anni 418. in qua totidem Epiſcopi interfuerunt, cui quidem eadem Statuta adſcribuntur in MS. Veron. 59. de quo agemus part. 4. c. 4. Vide quæ de hiſce Statutis, & de hac inſcriptione fuſius diſſeruimus ſupra cap. 3. §. 4.

XIV. *Statuta Synodi apud Eccleſiam Valentinam ſub die IV. Idus Julias Gratiano IV. & Equitio Conſs.* Tres ſuli hujus Synodi canones proferuntur. Chronica notatio erronea *Gratiano IV.* ſimiliter inventa fuit ab Harduino in duobus MSS. Collegii Pariſienſis Soc. Jeſu tom. 2. Conc. Ven. edit. col. 1068. not. 2. Legendum *Gratiano III.*

XV. *Synodus Forojulienſis. Quamvis ea benedictus frater noſter Concordius* &c. ut ex ſimili codice Morbacenſi P. Martene edidit tamquam ineditum documentum tom. 4. Theſauri Anecdotorum, & exinde tom. 4. Concil. col. 2073. inſcriptio mendoſa eſt. Etenim eſt epiſtola præcedentis Synodi Valentinæ ad Clerum & plebem Forojulienſem edita tom. 2. Concil. col. 1069.

XVI. *Synodus Rejenſis. Cum in voluntate Domini apud Rejenſem* [*Eccleſiam convenisſemus* &c. ut in vulgatis tom. 4. Concil. col. 533. uſque ad ultima verba *animoſitate quæſiſſent*, ſine eo additamento, quod ex MS. Urgellenſi Baluzius edidit. Vide ſupra cap. 2. §. 2. n. 4. Sequuntur ſubſcriptiones ejuſdem Concilii cum eadem chronica notatione, quæ in editis legitur.

XVII. *Synodus Arauſica.* Viginti canones tantum excerpti ex Concilio Arauſicano I. In fine autem hæc notatio habetur: *sub d. VI. Idus Nov. Ciro* (ſupple *Coſ.*) *in Eccleſia Juſtinenſi*. Synodus Juſtianenſis vocatur in titulis ſubjectis epiſtolæ Joannis II. ad Cæſarium a *Juſtiano* vico territorii Arauſicani, in cujus Eccleſia hoc Concilium celebratum fuit.

Synodus Juſtianenſis.

XVIII. *Synodus Vaſenſis ſub die Id. Novembris Dioſcoro V. C.* ſupple *Coſ.* Sex canones proferuntur.

XIX. *Synodus Arelatenſis* cum canonibus 31. In vulgatis Conciliorum poſt Sirmondum tom. 5. col. 1. effertur cum canonibus 56. Hæc Synodus pluribus ex capitibus difficultatem faceſſit. Canonum numerus & ordo in codicibus mirifice diſcrepat. Exemplaria vetuſtæ collectionis Hiſpanicæ & exinde etiam Iſidorianæ priores tantum XXV. canones exhibent, uti obſervavimus in duobus MSS. pure Hiſpanicis uno Vat. Palat. 575. altero Cardinalis Paſſionei, in alio Hiſpanico originis Gallicanæ Vat. 1341. in Vat. Iſidoriano 630. & in Vat. 1338. in quod nonnulla ex Hiſpanica collectione traducta fuerunt. Collectiones vero manuſcriptæ Gallicanæ Corbejenſis, Lugdunenſis, Foſſatenſis, & Tiliana, excluſis tribus vulgatis canonibus 10. 11. & 12., reliquis 22. undecim adjiciunt, nimirum 46. vulgatum & ceteros uſque ad 56., & ſic præferunt canones 33. Codex Collegii Pariſienſis Societatis Jeſu ab Harduino laudatus tom. 5. Concil. col. 9. not. 7 habet canones 36. nimirum priores 25., & undecim ultimos. Vulgati Conciliorum poſt Merlinum & ante Sirmondum habent canones 37. videlicet priores 25. & duodecim ultimos a can. 45. uſque ad 56. Tandem Sirmondus e MS. Remenſi edidit canones 56. inſertis poſt canonem 25. viginti canonibus, ante quos in eodem codice hic novus titulus intexitur: *Capitula de Synodo, quæ in territorio Arauſico celebrata eſt.* Porro hi omnes canones præter morem aliarum Synodorum Galliæ partim ſunt e Nicænis expreſſi, & nonnumquam ex abbreviationibus Rufini, partim ſunt ex Concilio Arelatenſi I. partim ex Vaſenſi, partim ex Arauſicano I., aliiſque ejuſmodi Synodis, ut P. Sirmondus in notis animadvertit. Nulli quidem canones, exceptis perpaucis Arauſicanis, totidem verbis ex iiſdem Synodis inveniuntur exſcripti. At ſententiæ plane conveniunt. Immo præter eaſdem ſententias quædam peculiaria vocabula in Nicænis, abbreviationes Rufini auctori præ oculis fuiſſe manifeſtant. Cum vero in iiſdem Nicænis Rufinianas abbreviationes præferentibus nonnullæ particulæ interſerantur, quæ in Rufino non reperiuntur; præter hujus abbreviationes aliam eorumdem canonum verſionem ſcriptori uſui fuiſſe apertiſſime liquet. Hæc varietas codicum quantum ad numerum & ordinem canonum, hos omnes non uno tempore ſcriptos manifeſtat; ſed alias atque alias acceſſiones recepiſſe. Primum exemplum illud eſſe videri poteſt, quod pauciores canones 25. in collectione Hiſpanica deſcriptos exhibet. At vetuſtiores Gallicanæ collectiones, quæ in Synodis Galliarum ſinceriores & majoris auctoritatis eſſe deberent, tres ex iiſdem 25. canonibus ignorant; & horum loco alios undecim ſubjiciunt. Nihil dubium eſſe poteſt de addnamento viginti canonum, qui ex unico MS. Remenſi adjecti fuerunt hoc novo titulo præfixo: *Capitula de Synodo, quæ in territorio Arauſico celebrata eſt.* Diverſa quidem verba, quibus ſententiæ plurium canonum exprimuntur, non merum exſcriptorem canonum e diverſis Synodis, ſed ſcriptorem indicant, qui diverſorum Conciliorum canones ſuis verbis expoſuit. Num vero id in Synodo Arelatenſi geſtum fuerit, nec ne, vehementer ambigimus. Probabilius autem credimus iſtiuſmodi opus nulli Gallicanæ Synodo convenire, ſed collectionem eſſe privatam, cui acceſſiones aliquot factæ fuerint. Hinc nec præfatio, ſeu introductio Synodorum propria in hoc documento invenitur, nec chronica nota, nec idonea clauſula, nec ſubſcriptiones ullæ. Nullam aliam Synodum Gallicanam his omnibus expertem invenire licebit. Epiſcoporum catalogus, qui in quibuſdam MSS. codicibus ab Hiſpana collectione proficiſcentibus poſt epigraphen, & titulos canonum hujus Synodi, ſeu collectionis ſubjicitur, perperam huc traductus, eidem epigraphi fuerat præmittendus, ac ſubnectendus Arelatenſi primæ Synodo, quæ in iiſdem MSS. immediate præcedit: ad hanc enim eum catalogum pertinere manifeſtum eſt. Hujus autem collectionis, quæ Arelatenſis ſecundæ Synodi nomine inſcribitur, auctorem fuiſſe aliquem Arelatenſem, aut Arelatenſis ſedis ſtudioſum prodit canon XVIII., in quo ejuſdem ſedis prærogativa conſtituitur. Tempus poſterius eſt Vaſenſi Synodo anni 442. quæ canone 47. nominatur: anterius vero Concilio Arelatenſi III. anni 524. cui in pleriſque MSS. collectionibus hi canones Arelatenſis ſecundi nomine præmittuntur. Sub S. Cæſario autem hanc collectionem digeſtam indicat canon quartus, ubi habetur: *Nullus Diaconus, vel Presbyter, vel Epiſcopus AD CELLARII SECRETUM intromittat puellam, vel ingenuam, vel ancillam.* Verba *ad cellarii ſecretum* peculiarem formulam exhibent, quæ ſimiliter uſurpatur in Concilio Agathenſi anni 506. eodem Cæſario præſide can. II. *Ancillas, vel libertas A CELLARIO, vel A SECRETO miniſterio, & ab eadem manſione, in qua Clericus manet, placuit removeri.* Quis ex hac non tam ſententiæ, quam peculiaris formulæ concordia idem circiter tempus non ſuſpicetur?

Synodus Arelat. II.

Canonum numerus, & ordo diverſus.

Unde iidem canones excerpti.

Videtur collectio privata potius quam Synodus.

A quo condita.

Quando.

XX.

Synodi Gallicanæ auctoritate apoſtolica confirmatæ. Quanti fecerint Galli auctoritatem apoſtolicam.

XX. *Auctoritas S. Bonifacii Papæ, per quam infraſcripta Synodus* (ideſt Arauſicana II.) *confirmata eſt*. In tabula præmittitur hujus epiſtolæ titulus titulo ipſius Synodi, uti ipſa epiſtola in aliis MSS. collectionibus Gallicanis Foſſatenſi, Laudunenſi, & Hardyenſi eidem Synodo præponitur cum hac antiqui collectoris Galli adnotatione: *Et quamvis Synodus Arauſicu prius ſit facta quam auctoritas iſta; tamen pro reverentia Sedis Apoſtolicæ hoc mihi juſtum viſum eſt, ut prius Domini Papæ auctoritas ſcriberetur*. Vide Sirmondi & Labbei notas tom. 5. Conc. col. 814. e & 815. a. In corpore vero noſtri codicis eadem epiſtola Synodo ſubjicitur. Incipit autem: *Per filium noſtrum Armenium* &c. uti ibidem legitur col. 830. ubi ejuſdem præſtantiſſimi codicis lectiones ex Holſtenio in margine deſcribuntur. Eadem notatio chronica ibidem ſignatur, ac in aliis MSS. Sirmondi: *VIII. Kal. Febr. Lampadio & Oreſte V. C. Conſ.*

XXI. *Synodus Arauſicana de gratia & libero arbitrio. Cum in dedicatione baſilicæ* &c. uti tom. 5. Conc. col. 808.

XXII. *Synodus Agatenſis*. Eſt Synodus anni 506. quæ profertur ibidem col. 521. Soli canones 27. abbreviati legnntur.

XXIII. *Synodus Aurelianenſis* anni 511. quæ integra edita eſt ibidem col. 543. in noſtro autem codice exhibentur tantum abbreviati canones 22.

XXIV. *Synodus Epaonenſis* anni 517. quæ eodem tomo legitur col. 712. cum canonibus 40. canones autem 31. in noſtro codice excerpti ſunt.

XXV. *Synodus Arelatenſis* anni 524. Incipit: *Cum in voluntate Dei* &c. Ibidem col. 763. Profertur ſubſcriptio Cæſarii, in qua inſerta eſt data *VII.* (non VIII.) *Idus Julii Opilione Conſ.* Aliorum quoque Epiſcoporum ſubſcriptiones ſubjiciuntur.

XXVI. *Synodus Carpentoractenſis* anni 527. Omittitur prima periodus, & incipit: *Carpentoracte convenientes hujuſmodi ad nos querela pervenerat* &c. cum ſubſcriptionibus Epiſcoporum, uti tom. 5. Conc. col. 805.

XXVII. *Synodas Vaſenſis* anni 529. cum primi tantum canonis excerpto.

XXVIII. *De conſtituto ſynodali Apoſtolicæ Sedis, ut nullus Epiſcopus res Eccleſiæ vendere præſumat*. Affertur in corpore ſolus canon quartus Concilii Romani ſub Symmacho anni 502. *Hic ergo perpenſis* &c. uti habetur ibidem col. 475. Poſt laudatum canonem in ſolo corpore additur: *Incipit præceptum, immo lex aglorioſiſſimo Rege Theodorico*, quæ ex noſtro codice edita fuit ab Holſtenio, & exinde tom. 5. Conc. col. 539.

XXIX. *Tituli contra Manichæos*. In corpore autem ſic: *Incipiunt capitula S. Auguſtini, quæ debeant publica voce relegere* &c. Afferuntur capitula 21. cum ſubſcriptione Proſperi *ſub die XIII. Kal. Decembris Olibrio juniore V. C. Conſ.* quemadmodum ex duobus aliis MSS. Gallicanis impreſſa ſunt ibidem col. 800.

XXX. *Synodus Arverna* anni 535. diſtincta in canones 17.

XXXI. *Synodus Aurelianenſis* anni 538. cum canonibus 36. Unus enim vulgatus in duos, alius in tres dividitur. In prima ſubſcriptione habetur: *Quarto poſt Conſulatum* (ſupplendum *Paulini*) *junioris Indictione ſecunda* ſine notatione annorum regni Childeberti, ut alii codices & vulgati præferunt. *Indictionem ſecundam* ſimiliter notat etiam exemplum Lugdunenſe laudatum a P. Sirmondo. Error creditur, propterea quod alii codices ſignent *diem Nonarum menſis tertii*, quo anno 538. decurrebat indictio prima. At nec noſter codex, nec Lugdunenſis diem aut menſem indicant.

tom. 5. Conc. col. 1433. not. 22.

XXXII. *Aurelianenſis Synodus* anni 541. Eſt integra, uti habetur tom. 5. Concil. col. 1363.

In his capitulis XXXII. tabula deſinit, quæ primæ collectionis indicium eſt. Sequentia vero, licet in codice eodem caractere ſubdantur, poſteriora additamenta ſunt, quorum in præmiſſa tabula nulla fit mentio: unde nulla etiam numerorum continuatione in corpore deſcribuntur. Hinc prima collectio ab origine facta fuit ante medium ſæculum VI. nimirum poſt Synodum Aurelianenſem IV. anni 541. & ante Aurelianenſem V. anni 549. quæ in additamentis refertur. Cum porro Gallicanæ Corbejenſis & Foſſatenſis, quæ omnium antiquiſſimæ creduntur, Aurelianenſe quintum Concilium prima manu comprehendant, uti teſtatur P. Sirmondus in præfatione ad Concilia Galliæ; manifeſtum fit, collectionem primigeniam, ex qua noſter codex exceptus fuit, paullo vetuſtiorem fuiſſe, cum Aurelianenſe V. ignoret, ac inter poſteriores additiones receperit.

Tempus collectionis Vat. Palat.

§. III.

Additamentu ejuſdem codicis recenſentur.

Conſtitutio Apoſtolicæ Sedis. Silveſter Epiſcopus univerſis Epiſcopis per Gallias & ſeptem provincias. Placuit Apoſtolicæ Sedi, ut ſi quis ex quolibet eccleſiaſtico gradu &c. ut in epiſt. 5. Zoſimi toto capite primo, niſi quod pro *Metropolitani Arelatenſis* habetur *Metropolitani Auguſtodunenſis*, & pro *Patroclo* ſubſtitutum eſt *Retitio*, quemadmodum ex noſtro MS. notatur tomo 3. Concil. col. 409. Idem etiam habet ſimilis codex Morbacenſis teſte P. Couſtantio in Appendice tom. I. epiſt. Rom. Pontif. col. 35. Suppoſititia inſcriptio & interpolatio, quibus privilegium Zoſimi pro ſede Arelatenſi ad Auguſtodunenſem traductum fuit, ac Silveſtro Papæ perperam attributum. Hæc eadem Zoſimi epiſtola ſimili impoſtura Silveſtro inſcripta, ad Viennenſem Eccleſiam in MS. Floriacenſi traducitur, ut videre eſt apud laudatum P. Couſtantium loco allegato col. 37.

Zoſimi epiſtola pro Arelat. ſede Silveſtro ſuppoſita & interpolata.

Zoſimus univerſis in Viennenſi & Narbonenſi & ſeptem provinciis Epiſcopis conſtitutis: Præcipuum, ſicuti ſemper habuit Metropolitanus Epiſcopus Arelatenſium civitatis &c. uti capite 2. & 3. laudatæ epiſtolæ Zoſimi. Sincera eſt hæc epiſtola, ſed diminuta primo capite, quod epiſtolæ antecedenti Silveſtro ſuppoſitæ attributum fuit.

Avitus Epiſcopus Victori Epiſcopo de baſilicis hæreticorum non recipiendis. Petiſti, immo potius præcepiſti &c. ut in epiſt. 6. Aviti editionis Sirmondi.

Canones Aurelianenſes facti indictione XIII. Ad divinam gratiam referendum eſt &c. Eſt integra Synodus quinta Aurelianenſis anni 549. cum canonibus 24. & ſubſcriptionibus, uti habetur tom. 5. Concil. col. 1375. Hæc omnia ſimiliter præfert etiam codex Morbacenſis. In noſtro codice adduntur ſequentia.

Epiſtola Dionyſii Exigui ad Stephanum cum peculiaribus lectionibus, quarum notitiam exhibebimus part. 3. c. 1. §. 3. Subnectuntur autem ex ejus verſione ſoli canones Apoſtolorum.

Anno ſecundo glorioſiſſimi Regis Kilderici Nonas Februarias Carthagine in ſecretario baſilicæ S. Martyris Agilei. Cum Bonifacius Epiſcopus &c. Eſt Synodus Carthaginienſis anni 525. quæ rebus pluribus, ac præſertim ordinandis & illuſtrandis canonibus Africanis maxime utilis, ex hoc ſolo codice Holſtenii opera prodiit, & recuſa eſt tom. 5. Concil. col. 772. uſque ad 792. Fine caret hæc Synodus, ac deſinit in documentis ad libertatem monaſteriorum pertinentibus: ex quo conjicere licet, hanc Synodum olim exſcriptam fuiſſe ab aliquo Monacho, ut Monaſteriorum libertatem tueretur. Vulgata erat eadem Synodus in Gallicanis codicibus eodemque conſilio in tribus Gallicanis monumentis allegata ſub medium ſeptimum ſæculum, I. in vita S. Baboleni ad an. 647. II. in privilegio Monaſterii S. Dionyſii Pariſienſis anno 658. III. in alio privilegio Monaſterii Corbejenſis an. 664. Vide eumdem totum Conciliorum col. 771. Dividitur hæc Synodus in duas actiones. Actioni autem ſecundæ perperam inſeruntur duo, nimirum *Actio XV. Synodi Chalcedonenſis* cum titulis & canonibus 27. ejuſdem Synodi ex verſione Dionyſii.

Syn. Carth. an. 525. ex hoc unico MS. edita. At in aliis antiquis documentis laudata.

Item ex Concilio Carthaginienſi ſub Domno Aurelio Epiſcopo. Proferuntur autem brevia excerpta ex canonibus Concilii Carthaginienſis anni 397. cum amplioribus ſubſcriptionibus, quas dedimus cap. 3. §. 3.

Dein ſequitur. *Incipit fides catholica B. Athanaſii Epiſcopi. Quicumque vult ſalvus eſſe* &c. ut in ſymbolo Athanaſiano.

De

De inceſtis. Homo ſi inceſtum commiſerit, de iſtis cauſſis &c. Finis *pro cauſſa ſua commiſerit*, ut in vulgatis Conciliorum tom. 8. col 409. & in Capitularibus Regum Francorum tom. 1. edit. Baluzii col. 177. ubi hoc decretum in canones decem diſtinguitur. P. Martene in Theſauro Anecdotorum tom. 4. pag. 58. huius decreti fragmentum ex MS. Morbacenſi edidit uſque ad verba *at ceteri emendentur*. In vulgatis Conciliorum huius documenti canones tribuuntur Concilio, vel Capitulari Metenſi. & in margine notatur col. 410. priores canones tres in uno MS. Vat. Palatino adſcribi Synodo Compendienſi, ceteros autem Concilio Vernenſi anni 753. At in hoc noſtro Palatino, ſicut etiam in Morbacenſi aliiſque MSS. a Sirmondo & a Baluzio laudatis nec Synodi, ſeu Capitularis locus, nec tempus deſignatur. Baluzius vero tom. 2. col. 1030. ad verba *Capitulare Metenſe* notat locum incertum, tempus vero affigit anno 756.

Sequuntur Auguſtini Anglorum Epiſcopi interrogationes duæ, & S. Gregorii Papæ reſponſiones, quæ leguntur lib. 11. Regiſtri editionis Maurinæ epiſt. 64. interrogat. 3. & 11.

Breviarium Eccleſiaſtici ordinis. Incipit. *Qualiter in Cœnobiis fideliter Domino ſervientes tam juxta auctoritatem catholicæ atque apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, quam & juxta diſpoſitionem regulæ S. Benedicti Miſſarum ſolemniis* &c. Eſt ordo monaſticus.

Cum recentius documentum huius Appendicis ſit Capitulare anni 756. hæc additamenta in ſæculum VIII. referenda videntur.

§. IV.

De collectione Gallicana contenta in MS. Vat. 3827. Verſus ex hoc codice editi in funere Lotharii I.

Altera Gallicana collectio, quam in bibliotheca Vaticana vidimus, exſtat in MS. Vat. 3827. Codex eſt formæ quadratæ ſcriptus ante annos circiter octingentos. Pertinuit ad Eccleſiam Bellovacenſem, ut liquet ex notatiuncula ſubjecta paginæ 92. *S. Petri Belvacenſis eſt liber iſte*. Eo autem libentius hunc codicem deſcribimus, quia præter nonnullas Gallicanas Synodos in antecedenti codice comprehenſas poſteriorum Synodorum Galliæ ſeriem proſequitur. In hoc manuſcripto Synodi integræ, non autem excerpta continentur. Incipit a Synodo Carpentoratenſi anni 527. Dein profert Arauſicanam anni 529. Regenſem anni 439. Aurelianenſem I. anni 511. Aurelianenſem III. anni 538 Aurelianenſem IV. anni 541. Aurelianenſem V anni 549 & Aurelianenſem II. anni 533. quas in præcedenti codice memoravimus. Hoc eodem perturbato ordine quinque Aurelianenſes Synodi deſcribuntur etiam in vetuſtiſſimo Colbertino exemplo, de quo paragrapho ſequenti.

Poſtea ſequitur Concilium Veneticum habitum circa annum 465. quod editum invenies tom. 5. Concil. col. 79. Valenſe II. anni 529. & Epaonenſe anni 517.

Turonenſe I. anni 461. tom. 5. Conc. col. 73.
Turonenſe II. anni 567. tom. 6. col. 533.
Matiſconenſe I. anni 581. ibidem col. 657.
Matiſconenſe II. an. 585. ib. col. 671.

Concilium Telenenſe per tractatus S. Siricii Epiſcopi Papæ Urbis Romæ per Africam. Eſt Concilium Zellenſe, alias dictum Teleptenſe provinciæ Byzacenæ, quod videſis hoc tomo col. 446. Hoc idem Concilium inter eaſdem Gallicanas Synodos & cum iiſdem lectionibus inſertum præfert Colbertina collectio, quam ſequenti paragrapho explicabimus.

Concilium Pariſiacum, quod celebratum creditur circa annum 557. tom. 5. Concil. col. 491.
Aliud Pariſiacum anni 555. ib. col. 487.
Autiſiodorenſe anni 578. ibidem col. 641.
Cabilonenſe anni 650. tom. 7. Conc. col. 395.
Synodus Verno in palatio facta an. 755. tom. 8. Conc. col. 415.
Sueſſionenſis anni 744. ibidem col. 290.

Epiſtola Paollini Aquilejenſis ad Carolum Regem, & Synodus Forojulienſis, cui idem Paullinus interfuit, anni 791. vel 796. tom. 9. Concil. col. 31.

Hadriani Papæ epiſtola ad eumdem Carolum de imaginibus. tom. 8. Conc. col. 1553.

Theodulphi Aurelianenſis Capitulare a Baronio typis datum. & recuſum tom. 9. Concil. col. 183.

Concilium Pariſienſe anni 829. ibidem col. 702.

Leonis IV. epiſtola ad Prudentium Epiſcopum Tricaſſinum, & alia ad Britonnos Epiſcopos, quæ ambæ ex hoc MS. impreſſæ ſunt, & ibidem leguntur col. 1025. & ſeqq.

Concilium Tullenſe apud Saponarias anni 859. ex hoc codice vulgatum a Sirmondo tom. 3. Conciliorum Galliæ, & exinde inſertum tom. 10. Conciliorum P. Labbei editionis Venetæ col 113.

Hic deſinunt Gallicana documenta. Subjiciuntur autem in eodem codice ſexdecim epiſtolæ Nicolai I. Summi Pontificis, quæ in editis ſunt priores ſexdecim ejuſdem Nicolai tom. 9. Concil. a col. 1289. uſque ad col. 2407. Adduntur ejuſdem Pontificis reſponſa ad conſulta Bulgarorum, quæ extant eodem tomo col. 1534

In fine caractere antiquo deſcribuntur hi verſus ſcripti in funere Lotharii I. Imperatoris, qui paullo poſt Leonem IV. Pontificem obiit. an. 855.

Cæſar tantus eras, quantus & Orbis.
At nunc in modico clauderis antro.
Poſt te quiſque ſcint ſervituram,
Et quod nulla mori gloria tollat.
Floreat imperii gloria quondam
Deſolata ſuo Cæſare marcet.
Hanc altra ſpeciem non habitura,
Quam tecum moriens occaluiſti.
O quanto premitur Roma dolore
Præclaris ſubito Patribus orba!
Infirmata prius morte Leonis,
Nunc, Auguſte, tuo funere languet
Leges a ſenibus patribus actas,
Quas elapſa diu raſerat ætas,
Omnes ut facrans ipſe reformans,
Romanis ſtaduit reddere cauſis.
Tu longinqua ſatis regna locoſque,
Quos nullus potuit flectere Cæſar,
Romanos onerans viribus arcas
Ad civile decus excoluiſti.
Quæ te non doluit, Cæſar, obiiſſe,
Vel quæ non timuit patria vivum?
Sed quæ te timuit patria vivum,
Hæc te nunc doleat, Cæſar, obiiſſe.
Nam ſic lenis eras jam ſuperatis
Et ſic vi domitis gentibus aſper,
Ut qui non doleat, jure timeret,
Et qui non timuit, jure doleret.
Luge Roma tuum nomen in umbris,
Et defuncta duo lumina luge.
Arcas frange tuos, ſicque triumphum
De te Roma ſuis hoſtibus aufer.

Ceteri verſus deſiderantur.

§. V.

De alia Gallicana collectione, quæ exſtat in MS. Colbertino 3368.

Hunc codicem duas partes, ſeu potius collectiones complecti monuimus cap. 8. ibique primam deſcripſimus. Nunc reſtat altera, quam Gallicanas præſertim Synodos continentem huc reſervavimus. Hujus notitiam debemus P. Couſtantio in præfatione ad tom. 1. epiſtolarum Romanorum Pontificum n. 102. Præcedit tabula, quæ ſubſequentium Synodorum nomina, & canonum titulos recenſet. Initio referuntur Gallicanæ Synodi hoc ordine: Arelatenſes prima, quarta, & ſecunda, Carpentoratenſis, Arauſicanæ ſecunda & prima, Taurinenſis, Regenſis, Aurelianenſes prima, tertia, quarta, quinta, & ſecunda, Epaonenſis, Turonenſis I. Matiſconenſes I. & II. Concilium Telenenſe, Pariſienſe tertium, Autiſiodorenſe I. & Cabilonenſe I. quod poſtremum Concilium habitum fuit anno 650. Hæc Gallicanarum Synodorum collectio multum concordat cum præcedenti Vat. 3827. uti ſuperiori paragrapho animadvertimus; ac proinde ex iiſdem Gallicanis fontibus utraque dimanat. Solum

hæc

Digitized by Google

hæc ab illa in eo diſcrepat, quod Colbertinos codex A præfert initio tres Synodos Arelatenſes, Arauſicanam I. & Taurinenſem, quæ deſunt in laudato codice Vaticano: contra vero Vaticanus codex quatuor Concilia exhibet, Veneticum, Vaſenſe II. Turonenſe II. & Pariſienſe II. & alia quædam poſteriora documenta addita poſt Concilium Cabilonenſe, quæ omnia in MS. Colbertino non inveniuntur.

In hoc autem poſt Gallicana monumenta adjiciuntur Synodi Hiſpanicæ, Eliberitana, Tarraconenſis, Gerundenſis, Cæſarauguſtana, Ilerdenſis, Toletana I. Valentina, Toletana II. III. IV. V. VI. & VII. ſeu VIII. (notatur enim celebrata *XVII. Kal. Jan. æra DCXCI.* ideſt die 16. Decembris anni 691.) Bracarenſis I. & II. Dein *Sententiæ, quæ in veteri-* B *bus exemplaribus Conciliorum non habentur, ſed a quibuſdam in ipſis inſertæ ſunt.* Hæ autem ſunt canones 23. quos Agathenſibus adjectos legimus in vulgatis a can. 48. uſque ad 70. tom. 5. Concil. Ven. edit. col. 529.

Sequuntur Martini Bracarenſis Capitula. Tandem *Eccleſiæ antiquæ Statuta*, quæ hoc tomo edentur. In his tabula deſinit. At in corpore ipſius collectionis ſubduntur tres aliæ Synodi Toletanæ XI. XII. & XIII. Item fragmenta quædam ex Theodori Pœnitentiali, ex S. Gregorii Magni ſcriptis, & ex epiſtola Gregorii III. ad Bonifacium decerpta. Synodi Hiſpanæ ex aliquo codice Hiſpano exſcriptæ fuerunt. *Statuta* autem *Eccleſiæ antiqua* titulus eſt, quem C in ſolis Gallicanis collectionibus invenimus: cumque hæc ſtatuta hoc titulo & ordine inferius edendo non legantur in MSS. Hiſpanis, additamentum ſunt, quod ex alio Gallicano fonte derivat. Hinc ejuſmodi collectionem in Galliis exaratam dubitare non licet. Et ſiquidem non computentur additamenta, quæ præter documenta in tabula indicata poſterius acceſſere, hæc collectio ab origine lucubrata cognoſcitur ſeptimo ſæculo: recentior enim eſt Synodus Toletana VIII. anni 653.

C A P U T XI.

De collectionibus pertinentibus ad cauſſas Neſtorii, D *Eutychis, ac præſertim Acacii.*

§. I.

De duabus collectionibus ad Neſtorii, & aliis duabus ad Eutychis cauſſam pertinentibus. Primæva Epheſina collectio e MS. Veronenſi deſcripta & ſuppleta.

I. IN Neſtorii cauſſa duæ collectiones potiſſimum celebrantur. Prima eſt illa, quæ cum antiqua verſione Epheſini Concilii plura documenta ante & poſt geſta ejuſdem Synodi exhibet. Baluzius in ea edenda conſilium ceperat inſiſtendi antiquiſſimo e- E xemplari Bellovacenſi; eo quod ipſi (1) conſtituiſſet, ſimili plane exemplo uſum fuiſſe Concilium V. melius dixiſſet, antiquum interpretem Concilii V. Cum vero idem codex eſſet valde mutilus & imperfectus; coactus fuit ſequi alios duos, qui ſani & integri erant, licet a Bellovacenſi & in documentorum numero atque ordine, & in ipſis lectionibus nonnumquam diſſentirent. Aliqua etiam, quæ deerant, aliunde ſupplere debuit. Ejus editionem videſis tom. 4. Concil. Venetæ editionis col. 1. & ſeqq. in qua cum alia hinc & hinc decerpta fuerint, primigeniæ collectionis forma non exhibetur. Nos unum vetuſtiſſimum codicem Bellovacenſi plane ſimilem, ſed integrum nacti ſumus in MS. 56. Ca- F pituli Veronenſis, ex quo plura emendari & ſuppleri poterunt. Titulum ac tabulam capitum, quæ primævam hanc collectionem, & documentorum numerum atque ordinem exhibet, hic appendimus. Epigraphes hæc eſt. *Synodus Epheſena cum epiſtulis ſuis. In hoc corpore continentur.*

I. *Cæleſtini Papæ epiſtola prima ad Cyrillum Epiſcopum Alexandrinum ante collectionem Synodi in Epheſo contra Neſtorium. Triſtitiæ noſtræ* &c. tom. 4. Concil. col. 38.

II. *Ejuſdem Cæleſtini Papæ ante Synodum ad Neſtorium Epiſcopum CP. Aliquantis diebus* &c. Ibidem

III. *Epiſtola Neſtorii ad Cæleſtinum. Fraterna nobis* &c. Ibidem.

IV. *Epiſtola ſecunda Neſtorii ad Cæleſtinum. Sæpe ſcripſi* &c. Ibidem.

V. Cæleſtini ad Conſtantinopolitanos. *Ad eos* &c. Ibidem.

VI. Ejuſdem ad Joannem, Juvenalem, Ruſum &c. *Optaremus* &c. Ibidem col. 40.

VII. Cæleſtini ad Synodum Epheſinam. *Spiritus Sancti teſtatur præſentiam* &c. Ibidem col. 88.

VIII. Commonitorium Papæ Cæleſtini Epiſcopis & Presbyteris euntibus in Orientem. *Cum Deo noſtro* &c. Tom. 3. Concil. col. 560.

IX. Ejuſdem epiſtola ad Theodoſium Auguſtum de colligenda Synodo. *Sufficiat licet* &c. Tom. 4. col. 90.

X. Ejuſdem ad Cyrillum Alexandrinum. *Intelligo ſententiam* &c. Ibidem.

XI *Exemplaria geſtorum, quæ acta ſunt in ſancta Synodo Epheſena Metropoli de recta fide. Poſt Conſulatum* &c. cum data *XI. Kal. Auguſtarum*, uti allegatur in Concilio Chalcedonenſi actione 1. non vero *X. Kal. Julias*, uti in vulgato habetur tom. 4. Concil. col. 51.

XII. Theodoſii Imperatoris epiſtola ad Cyrillum Alexandrinum. *Imperatores Cæſares Theodoſius* &c. Ibidem col. 53. uſque ad illa col. 58. d *conſequens eſt & hæc* (Cyrilli epiſtola) *legi: & lecta eſt*: ac deſunt *& poſita in præcedentibus*: nam ipſa Cyrilli epiſtola in noſtro codice hoc loco inſerta legitur, ut ex ſequenti numero patebit.

XIII. *Incipit epiſtola S. Cyrilli ad Neſtorium prima. Viri modeſti* &c. Ibi col. 15. additurque in noſtro codice adnotatio: *Iſtam primam epiſtolam* &c. quam Balluzius ex MS. Bellovacenſi ſubjecit col. 16.

XIV. *Altera epiſtola ad eumdem. Obloquuntur quidam* &c. Ibidem col. 19. Lectiones præfert noſter codex, quæ leguntur in Concilio Chalcedonenſi, in quinta Synodo, ac in MS. Bellovacenſi. Poſtea ſequuntur geſta Epheſina, quibus hæ duæ epiſtolæ erant inſertæ: *Et poſtquam lecta eſt epiſtola* &c. uti col. 58. d uſque ad illa col. 60. c. *quæ in Nicæa a SS. Patribus expoſita ſunt.*

XV. Neſtorii ad Cyrillum. *Injurias quidem* &c. ipſis actis ſuo loco inſerta. Exſtat eodem tom. 4. col. 23. Sequuntur porro interloquutiones: *Et poſtquam lecta eſt epiſtola* &c. ibi col. 60. d. uſque ad interloquutionem Juvenalis col. 52. d. poſt quam ſequens epiſtola lecta fuit.

XVI. Cæleſtini ad Neſtorium, *Aliquantis* &c. Ibidem col. 37. Subjiciuntur interloquutiones Petri & Flaviani col. 62. d. & 63. a. poſt quas ſequens epiſtola inſerta.

XVII. Cyrilli ad Neſtorium. *Salvatore noſtro dicente* &c. Ibi col. 27. Sequuntur interloquutiones, & alia, quæ ibidem leguntur a col. 63. a. uſque ad col. 76 c.

XVIII. Epiſtola Capreoli Carthaginienſis ad Synodum. *Orabam* &c. eadem col. 76. c. Dein ſequitur uſque ad illa col. 78. c. *ab epiſcopali dignitate & omni conventu ſacerdotali.* Poſtea ceteris omiſſis ſubditur in codice: *Petrus Presbyter Alexandriæ & Primicerius notariorum dixit: Chariſius quidam nomine Presbyter & diſpenſator ſanctæ Eccleſiæ Philadelphiæ* &c. cum lectionibus MS. Bellovacenſis: ibidem col. 122. d. uſque ad ipſius Chariſii ſubſcriptionem col. 124. d.

XIX. *Exemplum expoſitionis ſymboli transformati. Quiſquis vel nunc* &c. col. 125. uſque ad verba *fore anathema, ſicut ſupra dictum eſt:* col. 128. c. poſt quæ omiſſis ceteris, quæ perperam hoc loco in vulgatis intruſa ſunt, ſtatim ſubduntur ſubſcriptiones Cyrilli & ceterorum Patrum a col. 129. uſque ad col. 134. c.

XX. *Acta excommunicationis Epiſcopi Joannis Antiocheni, & Epiſcoporum, qui cum eo fuerunt. Poſt Conſulatum Dominorum* &c. Ibidem col. 94. d. uſque ad ea col. 104. c. *agnoſcant quæ conſequuta ſunt*; & loco ſubſcriptionum legitur ut in MS. Bellovacenſi: *Et ſubſcripſit Synodus per Epiſcopos centum nonaginta octo.*

XXI.

(1) Baluz. in præfat. ad verſionem Conc. V. inſerta t. 4. Concil. Ven. edit. pag. 1.

Digitized by Google

XXI. *Relatio S. Synodi* &c. ut in laudato codice Bellovacenſi ibidem col. 111. a. uſque ad col. 113. b. cum eadem clauſula: *Et ſubſcripſit Synodus per Epiſcopos centum nonaginta octo*.

XXII. *Exemplar epiſtolæ ſcriptæ a S. Synodo ad Archiepiſcopum Romanum Cæleſtinum, ſignificans omnia quæ geſta ſunt in ipſa Epheſina Synodo* &c. Ibidem col. 159.

XXIII. *Cæleſtini ad Theodoſium juniorem. Cauſſis ſuis* &c. Tom. 3. Concil. col. 1591.

XXIV. *Ejuſdem ad Maximianum CP. Vidimus & ampleui ſumus* &c. Ibi col. 1593.

XXV. Ejuſdem Clero & plebi conſiſtentibus Conſtantinopoli. *Exultatio matris* &c. Ibidem col. 1594.

XXVI. Ejuſdem ad Synodum Epheſinam. *Tandem malorum fine* &c. Ibi col. 1588.

XXVII. *Exemplar ſacræ epiſtolæ per Ariſtolaum Tribunum & Notarium ad Joannem Epiſcopum Antiochiæ de pace & adunatione Eccleſiarum. Intentio noſtra* &c. ex verſione, quæ luxata edita eſt ex MS. Bellovacenſi tom. 4. Conc. col. 176. ſed ex noſtro codice duas lacunas ſupplemus ſic. Prima lacuna col. 177. lin. 1. *animadvertimus omnibus ad nos concurrentibus tam ſanctiſſimo Epiſcopo glorioſæ hujus urbis, & omnibus qui inventi ſunt hic reverentiſſimis Epiſcopis, & univerſo eorum Clero ad hæc pridem adunita acerba paſſione incedente, quæ devulſa ſunt, recta fidei membra coaptare; quatenus vos & reverentiſſimum & ſanctiſſimum Epiſcopum Alexandrinorum Cyrillum convenientes, invicem deponatis inter vos factam difficultatem & ambiguitatem, promittentibus his quos prædiximus, reverendiſſimis viris, quod, ſi ſubſcripſeris in depoſitione Neſtorii, & ejus anathematizaveris doctrinam, nulla reſidebit altercationis occaſio; ſed ſtatim ſanctiſſimus Epiſcopus Cyrillus, & tua reverentia, & qui cum ea ſunt, & ſanctiſſimus . . . . . glorioſæ Romæ Epiſcopus Cæleſtinus, & omnes, qui ubique ſunt recta fidei Sacerdotes, tuæ reverentiæ communicabunt* &c. Secunda lacuna ibidem litt. d. *nulla ex epiſcopalibus conſtitutionibus, aut depoſitionibus, aut ex quacumque ordinatione novitas aſſumatur: ſed ſi quid interea fieri contigit, hoc in quiete maneat, imperturbatum catholicæ Eccleſiæ cuſtodiat ſtatum. Sufficiunt enim qui ſunt religioſi Clerici, donec perfecta adunatio conſequatur ad divina miniſteria peragenda. Habere* (leg. *Habe*) *a nobis hæc; & non ambigimus, quod omni robore & omni virtute ſinceram & immutabilem videas noſtram intentionem, & dignam chriſtiana conſtantia., pariter actarus & ipſe, nullum laborem aut fatigationem, nec injuriæ contemtum, nec oblivionem iræ ſuſcipere recuſabis: quatenus ea, quæ a noſtra pietate cauſſa rectæ fidei & ſanctarum Eccleſiarum unitatis præcepta ſunt, termino tradas. Si autem (quod non credimus) hanc noſtram ſententiam & ſecretam voluntatem contemnere propria quadam intentione, aut inſtantia humanæ paſſionis conatus fueris, & alia, quæ a nobis juſſa ſunt, neglexeris; tibi imputabis, quia alacritatem circa continentiam Dei Eccleſiarum tua ſanctitas aſpernata dignas viciſſitudines recipiat.*

XXVIII. *Epiſtola Joannis Epiſcopi Antiochiæ ad Cyrillum de pace. Ante hoc* &c. uti ibidem col. 180. ex eodem codice Bellovacenſi, cujus lacunas ex noſtro codice ſupplemus. Eadem col. 180. litt. d. *Pro ampliori autem cautela hoc fecimus, quia non poteramus convenientes, quæ decreta fuerant a piiſſimis noſtris Imperatoribus coram ad effectum perducere, demandavimus ei, ut vice noſtra & pro nobis & pro perſona noſtra diſponeret quidem quæ pertinent ad pacem, quod præcipuum eſt. Intimaret autem reverentiæ tuæ expoſitionem, quæ a nobis conſonanter facta eſt, de humanatione Dei noſtri Jeſu Chriſti, quam direximus reverentiæ tuæ per prædictum religioſum virum, quæ eſt hæc. De Dei autem genitrice Virgine, quemadmodum & ſapimus & dicimus, & de modo humanationis unigeniti Filii Dei, neceſſarie, non additamenti cauſſa, ſed ad ſatisfactionem proprie deſuper tam de divinis Scripturis, quam de traditione ſanctorum Patrum adſumentes habuimus, breviter dicimus, nihil omnino addentes fidei Sanctorum Patrum, quæ in Nicæa expoſita eſt. Sicut enim jam diximus, ad omnem ſufficit & pietatis cognitionem & omnem hæreticæ perfidiæ abdicationem. Dicimus autem non præſumentes illicita, ſed confeſſionem propriæ infirmitatis, excludentes eos qui inſurgere volunt contra ea, quæ ultra hominem diſceptamus. Confitemur igitur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum, Deum perfectum, & hominem perfectum* &c. Dein col. 181. litt. c. *Conſentimus autem & ordinationi ſanctiſſimi & reverentiſſimi Epiſcopi Maximiani Conſtantinopolitanæ ſanctæ Dei Eccleſiæ, & omnibus communicamus, qui per univerſum orbem terrarum ſunt Deo amabiles Epiſcopi, quanti ſunt qui rectam & impollutam habent & cuſtodiunt fidem. Et ſubſcriptio: Salvus pro nobis orans permaneas, Domine Deo amantiſſime & ſanctiſſime, & omnium chariſſime Frater.*

XXIX. Epiſtola S. Cyrilli ad Joannem Antiochenum. *Exultent cœli* &c. Ibidem col. 181.

XXX. Epiſtola S. Xyſti Epiſcopi Cyrillo Alexandrino poſt pacem factam inter Cyrillum & Joannem. *Magna ſumus lætitia* &c. Extat tom. 3. Conc. col. 1689.

XXXI. Xyſtus Joanni Antiocheno. *Si eccleſiaſtici corporis* &c. Ibidem col. 1695. Tandem hæc clauſula apponitur: *Explicit ſancta Synodus Epheſena cum epiſtolis ad ſe pertinentibus*.

Alia vero poſteriori manu in fine ejuſdem codicis legitur Concilium Lateranenſe ſub Stephano III. quod a P. Joſepho Blanchinio diligenter tranſcriptum V. C. Cajetanus Cennius noviſſime edidit, & P. Dominicus Manſius recuſit tom. I. Supplementi Conciliorum col. 641.

II. Altera collectio eſt illa, quæ a P. Chriſtiano Lupo vulgata fuit e duobus MSS. Caſſinenſibus. Eſt verſio plurium documentorum ad Neſtorii cauſſam pertinentium, cujus auctor ſub Juſtiniani imperium ſcripſit, & ſe ſe trium Capitulorum defenſorem prodidit. Baluzius eam recuſurus doluit, Patrem Lupum *ne admonuiſſe quidem quem titulum habeat illa collectio in libris Caſſinenſibus, qui ordo illic cuſtoditus ſit, quid a ſe omiſſum, quid mutatum. Permulta enim ab eo omiſſa ac mutata fuiſſe ſatis intelligunt eruditi lectores*. Sed cum nihil per amicos, & per litteras potuiſſet obtinere; eam collectionem ex Lupo exſcribere compulſus fuit; ſolumque titulum conjectura ductus præfixit: *Synodicon adverſus Tragœdiam Irenæi*. Vide tom. 4. Concil. col. 635. & ſeqq. Aliud vero ejuſdem collectionis exemplar indicatum nobis fuit in MS. Vat. 1319., ex quo alii, quibus vacabit, proficere poterunt. In eo hæc inſcriptio legitur: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Incipit tranſlatio primi Epheſini Concilii contra prava dogmata Neſtorii almæ Conſtantinopolis Eccleſiæ. Lege feliciter.*

III. Duæ item collectiones ad Eutychis cauſſam ſpectant, de quibus, cum ſatis ſint pervulgatæ, pauca indicare ſufficiet. Una eſt collectio Chalcedonenſis editionis Ruſtici, quæ pluribus documentis ante & poſt geſta inſtruitur, & a Baluzio exacte deſcripta eſt tom. 4. Concil. Ven. edit. col. 1980. & ſeqq. Confer quæ de Græca hujus collectionis origine ac tempore, nec non de ratione, qua eadem latine compacta fuit, pluribus diſſeruimus in præfatione ad Epiſtolas S. Leonis §. 18. tom. 1. pag. 537. Vide pariter quæ de Ruſtici editione atque codicibus animadvertimus tom. 2. in adnotatione ſubjecta col. 1518. & 1579. Peculiarem autem & omnium vetuſtiorem collectionculam quorumdam documentorum ad Eutychianam cauſſam ſpectantium, quam reperimus in unico MS. Vat. 1322. deſcripſimus in Obſervationibus ad Diſſert. IX. Queſnelli eodem tom. 2. col. 1218. & ſeqq.

IV. Alia porro collectio ad eamdem cauſſam pertinens eſt *Codex encyclius* continens plures epiſtolas ſynodicas ad Leonem Auguſtum, quibus doctrina Concilii Chalcedonenſis contra Eutychianos vindicata fuit. Hujus collectionis ordo a Baluzio exhibetur tom. 5. Conciliorum col. 33. & ſeqq. Sed de his ſatis.

Digitized by Google

§. II.

De collectionibus in cauſſa Acaciana. Deſcriptio duorum codicum Virdunenſis & Veronenſis.

I. Plura dicenda ſunt de peculiaribus collectionibus ad Acacii cauſſam ſpectantibus, quæ cum magnam varietatem recipiunt, tum vero non ſatis exploratæ ſunt. Eas collectiones, quæ aliquot ejuſdem cauſſæ documenta aliis item collectionibus inſerta continent, jam recenſuimus, vel deinceps ſuo loco memorabimus. Nunc duæ, quæ monumenta ſolummodo in eadem cauſſa recepere, præcipuam mentionem requirunt. Primo referendus eſt Virdunenſis codex. Ex hoc P. Sirmondus plura documenta antea inedita typis dedit.

I. *Edictum ſententiæ Felicis Papæ propter Acacii Epiſcopi damnationem*, quod ſubjectum reperit *Breviculo hiſtoriæ Eutychianiſtarum*, ſeu, ut codicum inſcriptio præfert, *Geſta de nomine Acacii*. Exſtat tom. 5. Concil. Ven. edit. col. 177.

II. Felicis Papæ epiſtola in vulgatis nona ad Zenonem Auguſtum. Ibidem.

III. Ejuſdem epiſt. 10. ad Clerum & plebem Conſtantinopolitanam. Ib. col. 178.

IV. Ejuſdem epiſt. 11. ad Rufinum & Thalaſium, ceteroſque Monachos circa Conſtantinopolim & Bithyniam conſtitutos. Ib. col. 179.

V. Ejuſdem epiſt. 12. ad Zenonem Imperatorem. Ib. col. 208.

VI. Ejuſdem epiſt. 13. ad Flavitam Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quam licet codex tribuat Gelaſio, Sirmondus tamen Felici adſcribendam putavit. Ib. col. 210.

VII. Ejuſdem epiſt. 14. ad Thalaſium Archimandritam. Ib. col. 213.

VIII. Ejuſdem epiſt. 15. ad Vetranionem Epiſcopum. Ibidem.

IX. Fragmentum epiſtolæ ejuſdem Pontificis ad Andream Epiſcopum Theſſalonicenſem. Ib. col. 216.

X. Gelaſii tractatus acephalus, qui inter hujus Pontificis epiſtolas deſcribitur num. 54. Ibidem col. 338.

Alia antea impreſſa idem codex continet, in quorum editione identidem allegatur. Sed cum eorum ſeriem, quæ in eo codice exhibetur, nec Sirmondus, nec alius quiſpiam prodiderit, plura de eo dicere nequimus.

II. Codex Veronenſis Capituli ſignatus num. 46. qui Acacianorum documentorum præſtantiſſimam collectionem continet, eſt formæ quadratæ. Caracteris ſpecimen dedit P. Joſeph Blanchinius tomo 4. Operum Sirmondi editionis Venetæ poſt paginam 579. Initio una tantum pagina caret, quæ catalogum Pontificum præferebat uſque ad Anaſtaſium II. Altera pagina, quæ nunc prima eſt, eumdem catalogum proſequitur ad Vigilium uſque. Hujus fragmentum editum eſt a V. C. Franciſco Blanchinio tom. 3. Anaſtaſii pag. 209. a Muratorio tom. 3. Rerum Italicarum, & emendatius a P. Joſepho Blanchinio in Enarrat. Pſeudo-athanaſiana in ſymbolum pag. 1.4. Hinc autem codicis ætas, videlicet paullo poſt Vigilii mortem, colligere licet. Huic Pontificum catalogo libri S. Hieronymi, & Gennadii de Viris illuſtribus una numerorum ſerie ſubjiciuntur. Tandem hæc Acaciana monumenta proferuntur.

I. *Narrationis ordo de pravitate Dioſcori Alexandrini*. Eſt in collectione hoc tomo impreſſa cap. 43.

II. *Dilectiſſimo fratri Achacio Simplicius*. Eſt in eadem collectione cap. 44.

III. *Exemplum epiſtolæ, quem* (l. *quam*) *miſit Achacius ad S. memoriæ Simplicium Papam Romanæ urbis, ubi damnatum retulit Petrum Alexandrinum*. Ibidem cap. 45.

IV. *Felix Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ catholicæ V. R. Achacio*. Ibi cap. 46.

V. *Thomus de anathematis vinculo Papæ Gelaſii*. Ibi cap. 47.

VI. *S. Gelaſii commonitorium Fauſto Magiſtro fungenti legationis officium Conſtantinopolim*. Ibi cap. 48.

VII. *Epiſtola S. Gelaſii Epiſcopi ad Anaſtaſium Imperatorem*. Et in fine: *Explicit Papæ Gelaſii ad Anaſtaſium Principem*. Ibi cap. 49.

VIII. *Incipit rationis reddendæ Achacium a Sede Apoſtolica competenter fuiſſe damnatum. Dilectiſſimis fratribus univerſis Epiſcopis per Dardaniam conſtitutis Gelaſius*. Hæc autem clauſula in fine additur: *Expl. rationis reddendæ Achacium a Sede Apoſtolica competenter fuiſſe damnatum, nec poſſe quemquam ſine diſcrimine animæ ſuæ ejus communionis participem effici*. Ibi cap. 50.

IX. *Inc. de eadem ratione reddenda ad Epiſcopos Orientis*. Ibi cap. 51.

X. *Exemplar rationis reddendæ B. Gelaſii Papæ de evitanda communione Achacii miſſa ad Orientales Epiſcopos*. Et in fine: *Explicit B. Gelaſii de evitanda communione Achacii*. Hic prolixus tractatus ex hoc unico codice editus eſt a Marchione Maffejo ſub nomine Felicis III. tom. 5. Concil. Ven. edit. col. 185. ac eodem tempore cum titulo Gelaſii a Joſepho Blanchinio tom. 4. Operum Sirmondi Venetæ edit. pag. 553. ac tandem repetitus in Appendice Hiſtoriæ Theologicæ laudati Marchionis Maffeji pag. 220. editionis Tridentinæ.

XI. *Inc. epiſtola S. Gelaſii ad Ephimium* (lege *Euphemium*) *Conſtantinopolitanum. Dilectiſſime fratri Euphimio Gelaſius*. Edita fuerat a Merlino ex MS. Additionum Iſidori. Eſt ejuſdem Pontificis epiſtola prima tom. 5. Conc. Ven. edit. col. 284.

XII. *Epiſtola Papæ Gelaſii ad Succonium Epiſcopum Afrum apud Conſtantinopolim conſtitutum, qui perſecutionem Arrianorum de Africa fugiens Conſtantinopolim, improvide communicando, in prævaricationem Chalcedonenſis Synodi arguitur corruiſſe, ut corrigat*. Ex hoc eodem codice primum prodiit curante Franciſco Blanchinio tom. 3. Anaſtaſii col. 50. dein recuſa a March. Maffejo tom. 5. Concil. col. 205. & a Joſepho Blanchinio tom. 4. Sirmondi col. 572. ac tandem in Appendice Hiſt. Theolog. pag. 234.

XIII. *Incipit epiſtola B. Papæ Gelaſii ad Natalem Abbatem. Dilectiſſimo filio Natali Abbati Gelaſius Epiſcopus*. Prodiit ex eodem pariter codice in eiſdem editionibus poſt præcedentem. Codicis antiqua manus in hac epiſtola deſinit.

Quatuor documenta in hac collectione ſunt, quæ in MSS. collectionis hoc tomo edenda deſiderantur. Inter hæc autem tria in uno codice Veronenſi nobis conſervata fuerunt.

§. III.

De integra collectione omnium, quæ hactenus prodierunt, documentorum in cauſſa Acacii. Quædam ſpuria notantur, & a Græce conficta oſtenduntur ante Synodum quintam. Duæ epiſtolæ perperam inſcriptæ. De tribus fragmentis a Baluzio editis.

I. Si quis omnium, quæ ad Acacianam cauſſam ſpectant, integram collectionem vellet compingere; decem & ſeptem monumenta ſub Simplicio præmittenda eſſent, nimirum ab epiſt. 4. ejuſdem Pontificis uſque ad 19. Tum ſub Felice III. documenta duodecim, nimirum epiſtolæ prima, ſecunda, ſexta ipſius Felicis, atque decima uſque ad decimam quintam. Præterea libellus citationis ad Acacium per Vitalem & Miſenum tranſmiſſus, qui legitur tom. 5. Conc. col. 217. Item alius libellus a Felice Papa decreto Concilii ad Leonem Imperatorem tranſmiſſus. Ibidem col. 218. Hi vero libelli in MSS. duarum collectionum Barberinæ 2888. ac Additionum Dionyſii, unde editi fuerunt, ſic inſcribuntur: *Item epiſtola Felicis Papæ ad Acacium ſupradictum Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopum. Item ad Imperatorem Zenonem ad libellum Epiſcopi Joannis Eccleſiæ Alexandrinæ*. Mox ſubjicienda epiſtola Synodi Romanæ ad Presbyteros & Archimandritas Conſtantinopolis & Bithyniæ. Ibidem col. 247. In Appendice autem addendæ erunt, ſi libeat, undecim aliæ epiſtolæ, quas ſuppoſititias probabimus, nimirum epiſtolæ tertia & quarta Felicis III. ad Petrum Antiochenum, ac quinta ad Zenonem Imperatorem. Tum epiſtola Quintiani Epiſcopi Aſculani ad Petrum Antiochenum. Ibi col. 219.

219. Alia Juſtini Epiſcopi Siciliæ ad eumdem. Ib. col. 225. Alia Flaviani, ſive Flacciani Epiſcopi Rhodopenſis ad eumdem. Ibi col. 227. Item Acacii Epiſcopi CP. ad eumdem Petrum: col. 230. Antheonis Epiſcopi Arſinoes ad eumdem col. 233. Fauſti, ſeu Fauſtini Epiſcopi Apolloniadis ad eumdem col. 235. Pamphili Epiſcopi Abydorum ad eumdem col. 239. & Aſclepiadis Epiſcopi Tralliani ad eumdem col. 241. Poſt hæc deſcribenda erunt quindecim documenta ſub Gelaſio, videlicet epiſtola ejuſdem prima in editione Conciliorum Veneta tom. 5. ſecunda, tertia, quarta, octava, undecima, decimatertia, decima quarta, decima quinta, tomus de anathematis vinculo, alia epiſtola ex ſchedis P. Hieronymi Vignerii. Ibidem col. 384. Tria documenta ex codice Veronenſi poſt Felicis III. epiſtolas ibidem edita col. 185. & 205. quæ licet in codice Gelaſio adſcribantur, primum tamen & ſecundum Felici adjudicata fuerunt: ac tandem Synodus Romana, in qua Miſenus abſolvitur. Ibidem col. 397. Nec prætermittenda erit epiſtola Anaſtaſii II. ad Anaſtaſium Auguſtum, ibi col. 406. addendusque libellus Apocryſariorum Alexandrinorum apud Conſtantinopolim degentium traditus Legatis Romanæ Sedis col. 412. Poſtea jungendæ duæ epiſtolæ ſexta & octava Symmachi, & alia epiſtola Orientalium ad Symmachum col. 433. Collectionem claudent plures epiſtolæ Hormiſdæ, quibus pax conciliata fuit, cum aliis documentis præmiſſis vel inſertis inter ejuſdem Pontificis epiſtolas, quæ incipiunt ab epiſtola Anaſtaſii ad Hormiſdam col. 561. & proſequuntur uſque ad relationem Epiphanii Conſtantinopolitani ad Hormiſdam col. 685.

Undecim documenta apocrypha.

II. Inter epiſtolas ſub Felice III. undecim veluti ſuppoſititias in appendicem rejiciendas monuimus. Decem ex his, quas antea recenſuimus, græce & latine editas habemus: illa enim Flaviani ſeu Flacciani latine tantum prodiit. Latinus textus etiam epiſtolarum Felicis III. originalis non eſt, ſed verſio antiqua ex Græco. Duplex autem verſio diſtinguenda. Alia enim a Merlino impreſſa eum Græcum textum pro originali habuit, qui a Binio & Frontone Ducæo inventus in MSS. exemplaribus, quæ Conſtantinopolitanam Synodum ſub Menna continebant, typis datus fuit anno 1618. Hæc verſio antiqua, ſed valde barbara, Flaviani ſeu Flacciani epiſtola caret, ſicut in Græco etiam vulgato inventa non fuit. Legitur vero hæc epiſtola ex alia vetuſtiore interpretatione, quam exhibent codices collectionis Avellanæ. Hæc autem tres ex iiſdem epiſtolis præterit, duas Felicis Papæ, tertiam & quintam, nec non illam Acacii. Poſt verſionem vero epiſtolæ quartæ Felicis ad Petrum Antiochenum hæc notatio in eadem collectione ſubjicitur, quæ verſionem ex Græco confirmat. *Quia cum aliorum litteris ad eumdem Petrum directis in Græco volumine invenimus de Latino tranſlatas, quas nunc iterum de Græco in Latinum neceſſitate compulſi transferentes deſcripſimus propter hæreticorum inſidias, & ſupradictis epiſtolis ejuſdem Papæ connectimus*. Hanc notationem profecto vidit ac reſpexit Anaſtaſius, cum in epiſtola præmiſſa Collectaneis ſcripſit: *Unde notandum, quod nonnulla, quæ latine fuerant edita, Latinitas funditus mole oblivionis obruta deleverat, niſi ex Græcorum poſt fonte librorum hæc nauſa ſitibundo ſectore reſumpſiſſet; ſicut exemplum b. Papæ Felicis in Petrum ſententiam moſerentem Antiochenum damnationis*. Ipſe ergo vetuſtiſſimus auctor collectionis Avellanæ inter tot rariſſimas Romanorum Pontificum epiſtolas, quas e Romanis, ut videtur, ſcriniis hauſit paullo poſt Vigilium Papam, hanc Felicis III. epiſtolam quartam latine ſcriptam invenire non potuit: eamque cum ceteris memoratis ad Petrum Fullonem Antiochenum ſcriptis e Græco derivare compulſus fuit. Hoc non leve ſuppoſitionis indicium eſt.

Duæ antiquæ verſiones.

III. Has quidem omnes epiſtolas ſuppoſititias eſſe luculenter probavit Henricus Valeſius cap. 4. Diſſertationis de Petro Antiocheno & de Synodis adverſus eum congregatis. Evidens impoſturæ argumentum quantum ad tres epiſtolas Felici III. attributas illud eſt, quod cum is anno 484. communione & epiſcopali gradu privaſſet Acacium; fieri non potuit, ut in litteris poſtea ſcriptis tertia & quinta ipſum vocaret *Dei amantiſſimum* ac *religioſiſſimum Antiſtitem*, & epiſt. 4. velut legitimum Conſtantinopolitanæ Sedis Epiſcopum præferret. Fruſtra vero hanc rationem elidere nititur P. Antonius Pagius ad annum 478. n. 4. ubi pro Felice III. Simplicium ſubſtituit. Nam præter quam quod Felicis nomen conſtanter exhibent tum Græcus textus, tum utraque Latina antiqua verſio; ipſæ ad Petrum Fullonem epiſtolæ in litteris Quintiani & Juſtini non Simplicio, ſed Felici tribuuntur. *Multis Epiſcopis præmonentibus*, inquit Quintianus, *maxime ſanctiſſimo Archiepiſcopo Felice*: quibus verbis epiſtola tertia Felicis jam ſcripta innuitur. Et Juſtinus: *Ne qui nobis præeſt Felix, ſententiam ſecundum canones contra te ferat*: ubi epiſtula Felicis quarta jam jam ſcribenda indicatur, cui quidem epiſtulæ Felicis nomen præfixum legit etiam Cyrillus Scythopolitanus in S. Sabæ vita num. 32. cum eumdem Petrum *a Felice Papa perculſum* tradit propter additamentum triſagii, de quo omnes hæ ſuppoſititiæ epiſtolæ diſſerunt. Adde quod neque Simplicius cum Petro Fullone communicavit umquam, idemque, cum Antiochenam Sedem, ſe Pontifice, ſecundo invaſit, maxime obſtitit, ut ne ad ipſum amicas litteras dederit. Alia plura vide apud P. Michaelem Lequien Diſſert. 4. Damaſcenica: qui jure etiam conjecit, omnes has epiſtolas græce compactas fuiſſe ab aliquo Monacho Acœmeta, cum ante quintam Synodum efferveſcebat controverſia circa propoſitionem *Unus de Trinitate paſſus*, quam cum Acœmetæ impugnarent acerrime, his litteris additamentum triſagii reprobantibus ſe ſe munire ſategerunt. Græcum quidem, non vero Latinum harum litterarum auctorem fuiſſe, nonnulla confirmant. Primo in ep. 3. Felici Papæ tributa commemoratur illa hominum ſponſio, qua *ſancti baptiſmatis tempore promiſerunt credere IN UNUM DEUM omnipotentem ... IN UNUM DOMINUM JESUM CHRISTUM* &c. Hæc Nicænum utique ſymbolum indicant, quod etſi Græci in baptiſmate recitarent; hic tamen ritus Latinis adeo erat ignotus, ut S. Leo olim ex Latinorum ritu crediderit, apoſtolicum ſymbolum *per totum mundum omnium regenerandorum voce depromi*. Vide epiſt. 28. ad Flavianum cap. 1. Nonne hinc Græcus auctor Græci ritus peritus proditur? Porro in epiſtola quinta Felicis ad Zenonem Auguſtum legitur: *Euſtathiique Confeſſoris ac præſidentis ſancti trecentorum decem & octo Patrum, qui in Nicæa convenerunt*. Quia Romanum Pontificem Euſtathio Antiocheno præſidendi in generali Synodo prærogativam tribuiſſe exiſtimet? Quintiano, qui Aſculanus, ſeu Latinus Epiſcopus præfertur, haudquaquam congruunt illa, quæ, cum Græcis vocibus *Eutychis* & *Atychis*, earumque Græcis ſignificationibus innitantur, Græcum ſcriptorem referunt. Cyrillus porro Scythopolitanus S. Sabæ diſcipulus, quem Felicis litteras commemoraſſe vidimus, harum ſuppoſitionem Synodo quintæ anteriorem ſatis declarat: quod idcirco monuimus, ne cui mirum ſit, ſi epiſtola quarta Felicis ab eodem Cyrillo laudata in manus venerit auctoris collectionis Avellanæ, qui paullo poſt Concilium V. eam cum aliis ad eamdem cauſſam pertinentibus latinitate donavit, ſuæque præſtantiſſimæ collectioni inſeruit.

Suppoſitio documentorum probatur.

Ea documenta a Græco conficta.

tom. 5. Concil. col. 158. e

Ibidem col. 166. a

Ib. col. 228. a b.

Conficta ante Synodum V.

IV. De epiſtolis perperam inſcriptis pauca. Epiſtola quarta Simplicii ex MSS. laudatæ collectionis Avellanæ ad Zenonem Auguſtum data præfertur, ex codice autem Virdunenſi ad Baſiliſcum. Hanc ſecundam inſcriptionem veram eſſe late probarunt P. Antonius Pagius ad annum 466. num. 11. ac Tillemontius not. 2. in vitam Acacii. Epiſtola 13. Felicis ad Flavitam CP. in codice Virdunenſi, ex quo edita fuit, Gelaſio perperam adſcribitur, uti manifeſte probavit P. Sirmondus, qui idcirco Felicem pro Gelaſio ſubſtituit. Tria fragmenta epiſtolæ Anaſtaſii II. ad Urſicinum ex duobus MSS. Bellovacenſi & Corbejenſi vulgavit Baluzius. Hic Urſicinus Dardaniæ, aut alicujus Illyricianæ provinciæ Epiſcopus fuiſſe videtur: ejus enim meminit Gelaſius in epiſt. 3. ad Dardanos inquiens: *His igitur incitati per fratrem & Coepiſcopum noſtrum Urſicinum præſentia dirigere ſcripta curavimus*. Eadem

tom. 5. Conc. col. 411.

Digitized by Google

dem vero tria fragmenta inſerta leguntur epiſtolæ ſecundæ ejuſdem Pontificis ad Laurentium de Lignido: in qua tamen ſecundum fragmentum præcedit, tum duo alia ſequuntur primum & tertium. Cum vero Lignidum urbs locata in Macedoniæ finibus, ſeu in Epiro nova ad Illyricum pertineat; eam Gelaſii epiſtolam encyclicam credimus ad Illyricianos directam, quæ proinde tum ad Urſicinum, tum ad Laurentium de Lignido pervenerit: ac proinde tria illa fragmenta Anaſtaſio II. perperam inſcripta ſunt.

Tria fragmenta Anaſtaſio II. perperam tributa, Gelaſio aſſeruntur.

§. IV.

De epiſtolis, additamentis, & tractatibus Gelaſianis, qui in dubium a nonnullis vocantur.

I. NOn pauca dicenda ſunt de iis documentis in Acaciana cauſſa editis, quæ licet ſincera ſint, in ſuſpicionem tamen a nonnullis adducuntur. Nihil opus eſt divagari contra Dupinium, qui ſingulari confidentia auſus eſt veluti ſpurias traducere tres epiſtolas, unam Felicis III. ad Acacium, quæ in vulgatis Conciliorum inſeribitur *libellus citationis* &c. alteram ejuſdem Pontificis ad Zenonem Imperatorem, quæ ibidem edita eſt cum titulo *libellus* &c. ac tandem epiſtolam ad univerſos Presbyteros & Archimandritas Conſtantinopoli & in Bithynia conſiſtentes, quæ ſcripta ſuit ex Romana Synodo anni 485. adverſus Acacium: ſimulque hanc Synodum ſuppoſititiam declarat. Duo enim priora documenta ſatis ſuperque vindicant duæ antiquæ collectiones, in quibus continentur, nimirum collectiu Vaticano-Barberina, & Additiones Dionyſii: tertium vero tuetur præſtantiſſima collectio Avellana. Dupinii autem cavillationes luculenter disjicit P. Bernardus de Rubeis in Diſſertatione *de una ſententiæ damnationis in Acacium* §. 12. & 19. Nihil pariter laboramus circa epiſtolam Gelaſii ad Succonium e MS. Veronenſi typis editam, quæ ſi ab eo ſcripta dicatur, antequam Epiſcopi Afri ab exilio revocarentur, nihil oberit, quin eidem Pontifici, ut codex præfert, adjudicetur. Gelaſius enim ad Pontificatum promotus fuit anno 492. illi vero fuerunt revocati menſe Auguſto anni 494.

tom. 5. Conc. col. 217.

Ib. col. 218.

Ib. col. 247.

II. Gelaſii epiſtola ad Dardanos, quæ brevior deſcribitur in codicibus collectionis hoc tomo edendæ cap. 5u. ſicut & in MS. Veronenſi, & apud Iſidorum, in quem ex laudata collectione traducta fuit, in recentioribus editionibus Conciliorum non exigua additamenta recepit. Hæc additamenta interpolationis accuſavit Queſnellus ea notatione, quam laudato capiti 50. ab ipſo ſubjectam heic inſerimus. *Gelaſii non eſſe dimidiam illam paginam, & ſuperiores, quibus alias editiones iſta ampliores eſſe antea monuimus, vehementer ſuſpicor. Ad hunc quod attinet, nihil aliud habet quam varia exempla Pontificum, qui ſæculares Principes chriſtiana libertate vel adierunt ipſi, vel litteris adhortati ſunt, quæ facile addita ſunt aliena manu. Deinde quod ait S. Ambroſium Theodoſio communionem ſuſpendiſſe, recentioris ſtili eſſe mihi videtur. Quod a Leone Papa aſſerit Theodoſium Epheſino latrocinio excedentem libere eſſe correptum, falſiſſimum eſt. Quod denique ſe ipſum ait Odoacri iniqua præcipienti non paruiſſe, cum temporum ratione conciliari non poteſt. Odoacer enim anno 490. hoc eſt biennio antequam Gelaſius Papa Sedem Apoſtolicam teneret, a Theodorico ita devictus eſt, & ad mortem uſque Ravennæ incluſus, ut Gelaſio Papæ nihil vel juſti, vel injuſti præcipere potuerit.* Hanc eamdem opinionem ſuſcipiens Marchiu Maffejus in Supplemento Acaciano, aliam objectionem adjecit ex iis addititiis verbis: *Ecce nuper Honorico Regi Vandalicæ nationis vir magnus & egregius Sacerdos Eugenius Carthaginienſis Epiſcopus, multique cum eo catholici Sacerdotes conſtanter reſtiterunt ſævienti . . . hodieque perſequutoribus reſiſtere non omittunt.* Cum epiſtola ad Dardanos ſignetur anno 495. haud videt Vir clariſſimus, quomodo *nuper* contigiſſe dici potuerit, quod ante annos ſaltem XI. evenerat (Hunericus enim anno 484. e vivis exceſſit:) nec ei anno 495. competere poſſe exiſtimat, *hodieque reſiſtere non omittunt*, cum præcedenti anno 494. Guntamundus Hunerici ſucceſſor Epiſcopos ab exilio revocaſſet. Cum porro multa ex iis, quæ inſeruntur ad deſenſionem ſententiæ in Acacium, concinant cum alio tractatu, ſeu epiſtola e MS. Veronenſi ab eodem vulgata, ac Felici tributa; hæc ex Felicis litteris ſumta, ac Gelaſii epiſtolæ intruſa ſuſpicatur.

Longior epiſt. Gelaſii ad Dardanos interpolationis accuſata.

III. Hæc quoque nos olim movebant, quamdiu hujus auctioris epiſtolæ fontem ignoravimus. At Romæ inſpicere & expendere licuit codices præſtantiſſimæ collectionis Avellanæ, ex quibus ea edita fuit. Ipſius collectionis antiquitas, & multu magis ea rariſſima & ſincera documenta, quæ auctor collegit, quæque a nemine vocantur in dubium, hanc quoque auctiorem epiſtolam ex ſincero fonte hauſtam ſatis defendunt. Antiquius vero teſtimonium accedit ex Facundo Hermianenſi, qui ante hanc collectionem eamdem epiſtolam ex auctiori exemplo allegavit lib. 5. c. 4. *Gelaſius*, inquit, *ſcribens univerſis Epiſcopis per Dardaniam conſtitutis . . . ſic dicit: Sit clara urbs illa poteſtate præſentis imperii*: & proſequitur longum textum deſcribens additamenti, quod in vulgatis Conciliorum legitur tomo 5. col. 333. b. c. Ante collectionem igitur Avellanam hæc epiſtola cum additamentis prodierat.

Vindicatur.

IV. Neque novum eſt unius ejuſdemque epiſtolæ duo exempla aliquando reperiri, quorum alterum ſecunda ipſius auctoris manu additamenta receperit. Vide quæ diximus in admonitione ad Leonis epiſtolam 12. num. 10. & 14. Hoc vero auctius exemplum cum & clauſulam & chronicam notam præferat, ad ipſos Dardanos miſſum videtur: alterum vero brevius primum fuiſſe, quod Gelaſius prioribus curis paraverat, non tamen perſecerat. Auctoris quidem manus in epiſtola perficienda ſatis aperte detegitur, cum quædam loca aliis verbis reformata in auctiori epiſtola deprehendantur, alia nunc paucis, nunc pluribus aucta, alia etiam omiſſa, aliterve expreſſa, cum additamentis inſertis prioris exempli verba non congruerent: quod præſertim obſervavimus not. 14. 33. & 35. in cap. 50. collectionis edendæ. Interpolatores tanta circumſpectione ac libertate uti non ſolent.

Duo ejuſdem epiſtolæ exempla alterum altero auctius.

V. Quæ autem objiciuntur, non tanti ſunt, ut interpolationem a Gelaſio alienam evincant. Quod Queſnellus recentioris ſtili notat formulam *communionem ſuſpendit*, leviſſimum eſt. Miramur porro *falſiſſimum* traduci, a Leone Papa Theodoſium juniorem latrocinio Epheſino patrocinantem *libere fuiſſe correptum*; cum correctio modeſta quidem, ſed libera palam eluceſcat in ejus ad eumdem Theodoſium epiſtulis, quibus ſe ſe Epheſino latrocinio apertiſſime opponens, ipſum Imperatorem ab ejus pſeudo-Synodi patrocinio removere ſtuduit. Difficilius videtur, quod de Odoacre Gelaſius ſcribit: *Nos quoque Odoacri barbaro hæretico regnum Italiæ tunc tenenti, cum aliqua non facienda præciperet, Deo præſtante nullatenus paruiſſe manifeſtum eſt.* Pronomen *nos* de pontificia dignitate accipi potuit, quæ in omnibus Romanis Pontificibus una eademque eſt. Vide admonitionem in epiſt. 1. S. Leonis num. 25. Ita cum Bonifacius I. in epiſt. 15. ad Rufum ait: *Theodoſius Nectarii ordinationem, propterea quia in NOSTRA notione non eſſet, habere non exiſtimans firmitatem, miſſis e latere ſuo aulicis cum Epiſcopis, formatam huic a Sede Romana dirigi regulariter depopoſcit, quæ ejus Sacerdotium roboraret*: voces *in noſtra notione*, quæ ad prædeceſſorem Damaſum referuntur, non de ſe, at de apoſtolica dignitate ſibi & Damaſo communi accepit. Similiter Leo II. in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpanos ſcribens: *De diverſis autem Conciliis huic ſanctæ Apoſtolicæ Sedi, cujus miniſterio fungimur, ſubjacentibus Archiepiſcopi ſunt A NOBIS deſtinati*, ut ſextæ Synodo œcumenicæ intereſſent; qui tamen a prædeceſſore ſuo Agathone deſtinati fuerant: pronomen *Nobis* pro Apoſtolica Sede, *cujus miniſterio fungebatur*, perſpicue ſumſit. Ut autem aliis aliorum Pontificum exemplis omiſſis ad Gelaſium accedamus, cum is in epiſtola ad Orientales inſerta cap. 51. collectionis edendæ num. 2. ait: *Nec apud NOS Petro ullatenus abſolute, quem damnaſſe NOS novimus*: & n. 12. *Quæruntur A NOBIS Acacium fuiſſe damnatum* (quæ

Reſpondetur objectis.

Pronomen nos de Pontificia Sede ſumtum.

tom. 7. Conc. col. 1456. c.

sub

ſub Felice III. contigerant:) pronomina *nos* & *nobis* pro apoſtolica & pontificia dignitate certiſſime accepit: neque enim ipſe, ſed Felix III. utrumque damnaverat. Quod ſi quis hac de cauſſa dubitandum putet, num hæc quoque epiſtola Gelaſii ſit; aliud exemplum afferri poteſt ex commonitorio ad Fauſtum, quod cum deceſſorem Felicem memoret, Gelaſii eſſe nemo dubitare poteſt. In hoc vero cap. 4. legitur: *Illud autem nimis eſt impudens, quod Acacium veniam poſtulaſſe confingunt, & NOS exſtitiſſe difficiles*: ac mox de Andromaco, quem Felix in Orientem direxerat, ait: *A NOBIS abundanter inſtructus eſt, ut cohortaretur Acacium depoſita obſtinatione reſipiſcere* &c. Has periodos interpolationi tribuere imbecillimum eſt. Aliud exemplum exploratius proferemus ex alio tractatu, ſeu epiſtola ad Orientales e Veronenſi codice edita, quæ licet Gelaſii nomen in MS. præferat, Felici tamen in vulgatis Conciliorum adſcripta fuit. In rem vero præſentem animadvertenda ſunt hæc verba, quæ Orientalium objectionem exprimunt: *Sed & tunc*, *inquit*, (leg. *inquis*) *Acacius TECUM communicabat, quando Timotheus hæreticus, vel iſte Petrus ſub tyranno Baſiliſco Alexandrinam tenebat Eccleſiam*. Reſpondet Pontifex: *Vere dicis, ſed & tunc Acacius minime communicabat, & in MEA communione durabat*. Voces *Tecum* & *Mea* non ad ſcribentis perſonam, ſed ad Apoſtolicam Sedem & pontificiam dignitatem apertiſſime referuntur. Sive enim Gelaſius, ſive Felix hujus epiſtolæ auctor credatur; hæc quæ de Timotheo Æluro, ac Petro Mongo narrantur, Simplicii tempora reſpiciunt, Felix nimirum Simplicio ſucceſſit anno 483. Baſiliſcus occupato imperio anno 476. eodem anno Timotheum in Alexandrina Sede locavit, qui pulſo Baſiliſco anno 477. exinde in exilium ejectus fuit, ibidemque veneno interiit. Hoc dejecto Petrus Mongus eamdem ſedem invaſit: ſed is quoque paullo poſt exturbatus fuit ab Imperatore Zenone, Timotheuſque Solofaciolus Epiſcopus catholicus reſtitutus: qua de re ad Simplicium Pontificem Acacius ſcripſit anno 478. Solofaciolo vita functo anno 481., ſubrogatus fuit a catholicis Joannes Talaja. Tum Acacius cum Zenone Auguſto egit, ut Petrum Mongum revocaret: quod inter Romanam Eccleſiam & Acacium magni diſſidii origo fuit. His præmiſſis palam fit, voces *Tecum*, & *Mea*, nimirum Acacium *ſub tyranno Baſiliſco*, ideſt inter annum 476. & 477. *TECUM communicaſſe*, & *in MEA communione duraſſe*, quæ unius Simplicii ætati conveniunt, nedum ad Gelaſii, ſed nec ad Felicis perſonam poſſe referri. Quod ſi nihilominus hæc epiſtola Simplicio tribui nequit; ea utique verba non de perſona hujus, vel illius Pontificis, ſed de dignitate omnibus communi ſumta fuiſſe manifeſtum eſt. Cum porro vox *TECUM* hoc ſenſu ab Orientalibus uſurpata ſit in litteris ſub Felice, vel Gelaſio ſcriptis; nihil mirum ſi Gelaſius eorumdem Orientalium objectis reſpondens ſimili ratione ſibi utendum credidit, ut voces *NOS* & *MEA* de pontificia dignitate in eorum ſenſum acciperet.

VI. Cum vero in additamentis epiſtolæ ad Dardanos, de quibus nunc agimus, Gelaſius quædam geſta commemoret prædeceſſorum ſuorum Leonis, Hilari, Simplicii, atque Felicis propria; voces *nos quoque* ad Odoacris tempus relatæ, aliquid ipſius Gelaſii peculiare videntur innuere. Quamvis Odoacer ante Gelaſii Pontificatum Ravennæ obſidionem paſſus fuerit; nondum tamen victus, nec omnes ejus copiæ ſuperatæ: nec ante ejus mortem, quæ incidit in annum 493. Theodoricum intra Italiam proprie dictam Romæque regnum obtinuiſſe probatur. Fieri ergo potuit ut Gelaſio ad Pontificatum evecto ineunte anno 492. Odoacris miniſtri, quibus Roma ſuberat, aliquod præceptum ejus urgerent, cui ille obſtiterit. Forte etiam de *præcepto* ſermo eſt, quod non ſolum Pontificem, ſed Romanum quoque Clerum reſpiceret, cuique Gelaſius ipſe ante Pontificatum inter digniores Clericos parere noluit.

VII. Illud porro, quod *nuper* contigiſſe traditur, ita rem, quæ ante annos undecim evenerat, indicare poteſt; ſicut in alia Gelaſii epiſtola ad Anaſtaſium cap. 7. illa verba *Neſtorio nuper ejecto factum* exprimunt; quod acciderat ante annos ſexaginta. Illa vero *hodieque* (ideſt anno 495.) *perſequutoribus reſiſtere non omittunt*, non de Hunerico, ſed de Arianis Epiſcopis accipienda ſunt, quos *perſequutorum* appellatione deſignatos, & apud Guntamundum potentes, adverſus catholicos Epiſcopos ex exilio revocatos plura tentaſſe dubitare non licet. Procopius quidem de Bello Vandalico cap. 8. perſequutionem ſub Guntamundo haud omnino conquieviſſe tradit. Nihil ergo ſupereſt, ex quo hæc Gelaſianæ epiſtolæ additamenta, antiquiſſimæ collectionis Avellanæ, ac Facundi Hermianenſis auctoritate probata, in ſuppoſitionis aut interpolationis ſuſpicionem vocentur.

VIII. Integra hac epiſtola ad Dardanos in tuto poſita, facilius erit de reliquis judicium promere. Cum in eadem epiſtola cap. 10. Gelaſius ſpondeat, fore ut *eadem latius, ſi Dominus conceſſerit facultatem, ſtudeamus exponere*; ampliorem de eadem cauſſa tractatum pollicetur. Hunc tractatum eſſe credimus illum, qui cap. 51. collectionis huic tomo inſerendæ ſtatim poſt eam epiſtolam ſubjicitur. Quodſi non ita prolixus eſt, ut vox *latius* ſignificare videtur; animadvertendum eſt acephalum eſſe, adeo ut plura initio deſiderentur. Forte etiam Gelaſius eum nec perfecit, nec edidit; ſed ut in ſchedis ejus inventus fuit, prodiit in lucem. Tria alia opuſcula acephala Gelaſio inſcripta in vetuſtiſſimis MSS. exemplaribus reperta fuere, quæ majorem difficultatem faceſſunt. I. Tomus de anathematis vinculo, qui in edenda collectione exhibebitur cap. 47. II. Exemplar rationis reddendæ B. Gelaſii Papæ de evitanda communione Acacii ad Orientales Epiſcopos; quod e Veronenſi codice editum fuit. III. Fragmentum longum ejuſdem Gelaſii a Sirmondo erutum e MS. Virdunenſi. Tomum de anathematis vinculo in dubium revocat Tillemontius art. 6. in Euphemii CP. vita. Negari quidem nequit, quin hoc opuſculum præter abruptum initium quædam contineat, quæ neque cum titulo de anathematis vinculo, neque cum reliqua oratione cohærere videntur. Capite primo & ſecundo de decretis Chalcedonenſibus agitur, quæ vel omnia probanda, vel ſi ex parte repudianda ſint, ex toto firma eſſe non poſſe dicebantur. Tum capite 3. ad thema de excommunicationis vinculo ſine ullo apto nexu, & ſine idonea introductione tranſitur. In fine autem ſexti capitis verba *quod Sedes Apoſtolica* &c. ad argumentum primi & ſecundi capitis redeunt, eaque hoc loco perperam inſerta ſunt. Quæ enim in ſequentibus capitibus ſubjiciuntur, ad propoſitum de anathematis vinculo pertinent. Si vero animadvertatur, hoc opuſculum imperfectum eſſe; facile erit intelligere, cur de omnibus ratio afferri non poſſit. Conjicere tamen licebit. Cum in antiquiſſimis collectionibus atque codicibus, qui a Gelaſii ævo modicum diſtant, idem opuſculum huic Pontifici adſcribatur, eidemque tum materies, tum ſententiæ, ac ſtilus conveniant; jure dubitari nequit, quin ex ſchedis ejus ſumtum fuerit. Forte vero cum in iiſdem ſchedis non eſſet perfectum, ſed prima manu paratum, &, ut fit in primis fetibus, aliquot ſeparatis foliis ſcriptum, nec omnino compactum atque connexum; collector non omnes partes nactus eſt, eaſque quas invenit, minus apte diſpoſuit. Duo prima capita eatenus ad anathematis vinculum pertinere poſſunt, ſi Orientales oppoſuiſſe credantur, ita a Pontifice ſolvi poſſe anathema in Acacium ex Synodi Chalcedonenſis decreto editum, ſicut canon ejuſdem Synodi de Conſtantinopolitanæ Sedis prærogativis a Romanis Pontificibus ſolutus fuerat. Huic objectioni reſpondet Gelaſius, aliam rationem eſſe de decreto fidei Chalcedone edito, quod Scripturæ ac traditioni conſonum Romana Sedes confirmavit, ac inconcuſſum robur obtinuit; aliam vero de canone, quem multis ex capitibus infirmam eadem Sedes rejecit. Sententia autem in Acacium cum decretum fidei reſpiciat, ſolvi non poſſe contendit, niſi error ob quem lata fuit, deſeratur. Si non intercidiſſet opuſculi initium, hæc, ut credimus, manifeſtius paterent. Ea porro, quæ leguntur in fine capitis ſexti, *Quod Sedes Apoſtolica non conſenſit* &c. extra proprium locum inſerta, capiti

Tomus Gelaſ. de anathematis vinculo defenditur.

ſe-

ſecundo adnectenda videntur. Tum vero illa capitis tertii, *Peccatori homini mors illata eſt* &c. aliquo nexu indigent, ut cum præcedentibus ac ſubſequentibus coonectantur, ac tranſitus fiat ad ſententiam in Acacium latam ac præfixam errori, qui in Chalcedonenſi Synodo damnatus fuerat. Hinc ergo opuſculum quidem imperfectum, & a collectore minus apte diſpoſitum, non vero idcirco Gelaſio adimendum eſt.

Gelaſii opuſculum e MS. Veron. editum vindicatur.

IX. Aliud opuſculum e Veronenſi codice editum com Acacium, Petrum Mongum, ac Zenonem Imperatorem adhuc vivos præferat, Felici quidem tertio potius quam Gelaſio adjudicandum videtur, uti March. Maffejo ac P. Bernardo de Rubeis placuit. At non ſolum codex Veronenſis poſt Vigilii obitum ſcriptus illud Gelaſio aſſerit, verum etiam Nicolaus I. in epiſt. 42. ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Galliæ, initium recitans ejuſdem vulgati opuſculi cum titulo *ad Epiſcopos Orientales*, Cardinalis Deuſdedit part. 1. S. Anſelmus lib. 4. c. 27. & Gratianus cauſ. xvi. q. 3. c. 9. Similiter Ivo part. 14. c. 8. aliud ejuſdem opuſculi teſtimonium recitans, quod legitur tom. 5. Concil. col. 200. b. ipſum opuſculum Gelaſio adſcribit hac epigraphe: *Gelaſius Epiſcopis Orientalibus de communione Acacii vitanda*. Idem teſtimonium Gelaſio inſcriptum Gratianus repetit cauſ. xi. q. 3. c. 46. ex quibus alios pariter codices Gelaſium auctorem prætuliſſe manifeſtum eſt. Accedunt præterea MSS. alterius collectionis ſæculo VIII. digeſtæ, quam nos Additiones Dionyſianas vocamus. In his enim fragmentum hujus opuſculi profertur cum titulo *Ex epiſtola B. Papæ Gelaſii ad Orientales de vitanda communione Acacii, ubi datur intelligi, nullum eſſe vinculum inſolubile, niſi circa illos, qui in errore perſiſtunt*. Incipit autem fragmentum: *Nos non in Acacium ideo ſententiam tulimus* &c. uti habetur tom. 5. Concil. col. 195. a. Stilus quoque & ſententiæ cum iis congruunt, quæ in Gelaſii epiſtola ad Dardanos, & in tomo de anathematis vinculo continentur. Objectæ autem difficultates conciliari queunt, ſi dicatur Gelaſius lucubraſſe hoc opuſculum, ut refelleret libellum Orientalium Felicis tempore exaratum, dum Acacius, Petrus Mongus, & Zeno Imperator in vivis erant; ipſi autem libello ita reſpondendum putaſſe, perinde ac ſi hæc reſponſio illis viventibus digeſta fuiſſet. Cum in hoc opuſculo brevius & aptius explicentur illa ſententiæ in Acacium latæ *nunquamque anathematis vinculis exuendus*, quæ fuſius & implexius exponuntur in tractatu imperfecto Gelaſii de anathematis vinculo, cumque eadem Scripturæ teſtimonia, eædem ſententiæ in eamdem rem utrobique afferantur; ſi tractatus de anathematis vinculo Gelaſio aſſerendus eſt, hoc quoque opuſculum eidem eſt vindicandum, ne tantopere & confuſe laboraſſe credatur Gelaſius in re, quam Felix preſſius & clarius antea definiviſſet. Duo autem hæc documenta Felici III. adſcribere ſine ullius codicis, aut antiqui teſtis auctoritate, ut adimantur Gelaſio, cui & codices & teſtes antiqui utrumque attribuunt, nimiæ confidentiæ eſt. Credimus vero Gelaſium non publicaſſe eum tractatum, quem imperfectum reliquit; huic autem poſteriori opuſculo ex eodem tractatu pleraque inſeruiſſe, ut laudata ſententiæ verba explicaret. Sed cum hoc opuſculum nunc acephalum, olim vero perfectum edendum eſſet, uti ſane ad Orientales miſſum traditur; in ea re brevius & clarius digerenda ſtudium ac diligentiam adhibuit, uti adhibuiſſet proculdubio in eo tractatu, ſi ipſum perficiendum & vulgandum putaſſet.

Item aliud editum e MS. Virdunenſi.

X. Ad opuſculum e Virdunenſi codice impreſſum quod pertinet, fatendum videtur cum Tillemontio loco laudato, quædam continere, quæ privatum hominem potius, quam Romanum Pontificem decent; uti ſunt illa: *Non eſt quidem noſtræ humilitatis de totius orbis diſſenſione ferre ſententiam; eſt tamen noſtrum de propria ſalute eſſe ſollicites*. Illa porro, *Optamus qualiacumque & quantacumque ſuper nos importaverit inimicus, tolerare diſcrimina in ſæculo præſenti*: & illa pariter in fine: *Me enim credo, ſpero, confido in Chriſto, quod ab ejus caritate nec tribulatio, nec anguſtia, nec gladius, nec perſequutio, nec vita, nec mors unquam poterit ſeparare. Incumbat perſequutio, ſæviant leges: militi Chriſti glorioſius eſt mori, quam vinci; fraudari præſentium commodis melius, quam carere futuris*: hæc, inquam, hominem exhibent, qui in Oriente violentiæ ſuberat; non vero Romanum, qui ſub Theodorico tutus, ab Imperatore Orientis nihil metueret. Aliunde hoc opuſculum, ſeu verius fragmentum opuſculi, non verſionem e Græco, ſed Latinum originale manifeſtiſſime præfefert. Quid igitur? Si Gelaſii nomen in codice erat præfixum, quod non ita clare a Sirmondo traditur; vel ſi inter Gelaſii opera inventum, ac ex ejus ſchedis ab origine ſumtum fuit; illud veriſimile eſt, quod Tillemontius conjecit, idem opuſculum ſcriptum quidem fuiſſe a Gelaſio, a cujus ſtilo non abhorret; at non ſuo, ſed eorum Orientalium nomine, qui in Oriente vexabantur, ut eos a profana communione alienos in propoſito confirmaret.

ſ. V.

Decretum de libris recipiendis vel non recipiendis num & quatenus Gelaſio tribuendum. Triplex ejuſdem decreti forma proponitur, codicumque varietas notatur. Idem decretum alicubi diviſum in duo. Codices qui Damaſo, vel Gelaſio, vel Hormiſdæ decretum adſcribunt. Quid cuique aſſerendum videatur.

I. QUoniam de Gelaſii opuſculis, quæ in Acacii cauſſa aliquot collectiones proferunt, hoc capite diſſeruimus; appendicis cujuſdam loco nonnulla addere liceat de celebri illo decreto de libris recipiendis vel non recipiendis, quod in pluribus collectionibus alia atque alia ratione atque inſcriptione propoſitum, non exiguam controverſiam apud eruditos excitavit. De hac controverſia non pauca quidem ſcripſimus lib. 2. Obſervationum in Cardinalis Norisii opera cap. 12. At cum in evolvendis multis codicibus & collectionibus plura de eodem decreto invenerimus, quæ ad rem apertius explicandam maxime conferent, in eodem argumento iterum verſari non inutile futurum conſuimus. Hoc decretum in diverſis collectionibus aliter atque aliter producitur. Triplicem decreti formam nacti ſumus. Auctius hoc decretum Damaſo Papæ inſcriptum reperimus in codice Caſanatenſi D. IV. 18. ſæculi circiter undecimi, qui excerpta continet ex canonibus Conciliorum & conſtitutis Romanorum Pontificum. Sic enim ibidem pag. 46. *Incipit Concilium urbis Romæ ſub Damaſo Papa de explicatione fidei*. Initio profertur decretum de Spiritu Sancto, quod alii quoque codices, ut poſtea dicemus, Damaſo adjudicant. *Dictum eſt prius agendum de Spiritu ſeptiformi, qui in Chriſto requieſcit*, & reliqua, uti ex Holſtenio edita ſunt tom 2. Conc. Ven. edit. col. 1047. e; niſi quod loco verborum *multiformis autem nominum Chriſti diſpenſatio eſt*, hic codex habet: *Item de multiformi diſpenſatione nominum Chriſti*. Poſt ultima autem hujus decreti verba *& annuntiabit vobis*, in eodem MS. canon ſacrarum Scripturarum additur ſic. *Item dictum eſt. Nunc vero de Scripturis divinis agendum eſt, quid univerſalis catholica recipiat Eccleſia, & quid vitare debeat. Incipit ordo veteris Teſtamenti*. Ac deſcriptis veteris Teſtamenti libris adduntur libri Teſtamenti novi, ut in vulgato Gelaſiano tom. 5. Conc. col. 385. a. Sequitur porro: *Item dictum eſt. Poſt has omnes propheticas & evangelicas atque apoſtolicas, quas ſuperius depromſimus Scripturas, quibus Eccleſia catholica per gratiam Dei fundata eſt* &c. ubi poſt breve trium præcipuarum ſedium Romanæ, Alexandrinæ, atque Antiochenæ encomium generales Synodi recenſentur cum decreto de libris recipiendis vel non recipiendis, ut in eodem Gelaſiano decreto col. 386. & ſeqq. Solum inter Synodos omittuntur illa, quæ in vulgato leguntur: *Sanctam Synodum Conſtantinopolitanam mediante Theodoſio ſeniore Auguſto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit*: nec non illa poſt mentionem Synodi Chalcedonenſis ſubjecta: *Sed & ſi qua ſunt Concilia a SS. Patribus hactenus inſtituta, poſt horum* (Conciliorum generalium) *auctoritatem & cu-*

Prima decreti forma auctior decretum Damaſo tribuens.

& cuſtodienda & recipienda & decernimus & mandamus. Hanc eamdem decreti formam Damaſo item attributam exhibet etiam antiquum exemplar regium teſte P. Couſtantio in Monito ad Damaſi epiſt. 5. n. 5. col. 503. Codex 61. Capituli Veronenſis ſæculi IX. vel X. in quo abbreviatio canonum, Halitgarii libri, & alia nonnulla deſcribuntur, eam ſolam partem bujus decreti Damaſo item inſcripti e fuſiori decreto excerptam præfert, quæ incipit a verbis: *Poſt has omnes propheticas & evangelicas, atque apoſtolicas Scripturas* &c. ubi vox demonſtrativa *has* canonem Scripturarum in integro decreto, ex quo hæc pars ſumta fuit, præceſſiſſe demonſtrat. Reliqua ſunt eadem ac in laudato MS. Caſanatenſi uſque ad finem, omiſſis pariter illis, quæ in eodem codice Caſanatenſi prætermiſſa notavimus. Hic autem titulus ibidem exhibetur: *De Concilio in urbe Romana ſub Damaſo Papa edita*: & in fine: *Explicit Concilium ſub Damaſo Papa*.

Secunda brevior Gelaſio adſcribit.

II. Altera decreti forma aliquanto brevior eſt illa in Conciliis vulgata loco citato, quæ cum eam partem ad Spiritum Sanctum pertinentem ab Holſtenio editam ignorat, tum vero idem decretum Gelaſio aſſerit. Incipit a canone Scripturarum. Inter Synodos approbatas duas particulas recipit, alteram de Conſtantinopolitana Synodo, alteram de recipiendis aliis SS. Patrum Synodis, quæ in ampliori forma antea deſcripta haudquaquam leguntur. Hanc formam vulgatam reperire licuit tantummodo in poſteriorum collectionum exemplaribus, videlicet in MS. Vat. Palatino 584. qui collectionem ſequioris ætatis in libros duodecim diſtributam complectitur, nec non apud Burchardum lib. 3. a cap. 117. ad cap. 121. In nullo autem codice chronicam notam, quæ in vulgatis titulo affigitur, nanciſci potuimus. Hincmarus Remenſis codice uſus eſt, qui hanc eamdem formam referebat, hac una exceptione, quod canones Apoſtolorum non adjungebat apocryphis. Sic enim ille in Opuſculo capitulorum 55. ad Hincmarum Laudunenſem cap. 24. *Sed & B. Gelaſius in catalogo, qui libri ab Eccleſia catholica recipiantur, deſcripto, authenticis Scripturis, & Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, ac Epheſinæ, Chalcedonenſis quoque Synodi, & aliis Conciliis a SS. Patribus inſtitutis, & orthodoxorum Opuſculis atque decretalibus epiſtolis Apoſtolicæ Sedis Pontificum, aliiſque ſcripturis diſcrete commemoratis, de his Apoſtolorum canonibus penitus tacuit, ſed nec inter apocrypha eos miſit*. Confer etiam eiuſdem opuſculi caput 25. In MSS. additionum Iſidori, uti ſunt Vat. 1340. & Venetus S. Marci 169. ſub nomine item Gelaſii eadem vulgatorum forma habetur cum duplici diſcrimine. Nam deeſt Concilium Conſtantinopolitanum; canones vero Apoſtolorum inter apocrypha non recenſentur. Animadverſionem etiam meretur duplex titulus, alter præfixus catalogo Scripturarum: *Ordo de ſacris libris digeſtus a Gelaſio Papa cum LXX. Epiſcopis*; aliter ante decretum de aliis libris: *Incipiunt decreta Gelaſii Papæ. Decretum cum LXX. Epiſcopis habitum de apocryphis ſcriptis*. Idem invenitur in codice, quem Merlinus in editione adhibuit. Exemplum Vat. 1339. qui collectionem canonum profert in quinque libros diſtinctam, lib. 4. capite ultimo deſcribit ſub Gelaſii nomine idem decretum vulgatum, ſed in priori parte de libris recipiendis duas particulas Synodi CP. & aliorum Conciliorum præterit, in altera vero parte de apocryphis canones Apoſtolorum nequaquam refert. Hæc eadem ſecunda forma e vetuſto MS. Florentino S. Marci impreſſa eſt a P. Joſepho Blanchinio tom 4. Anaſtaſii pag. LXI. eaque ibidem etiam Gelaſio Papæ tribuitur. Cum vero auctor Hiſtoriæ Litterariæ Italicæ tom. 7. ejuſdem codicis deſcriptionem afferens, pag. 529. epigraphen præbeat, qua illud decretum non Gelaſio, ſed Damaſo adſcribitur; amicum Conventus Florentini S. Marci per litteras interrogavimus, qui reſcripſit, primo quidem hanc inſcriptionem legi: *Incipit Concilium urbis Romæ ſub Damaſo Papa de exemplaribus fidei, & de recipiendis & non recipiendis libris*: qui titulus totum decretum juxta primam formam comprehendit: ſubjicitur vero immediate ea ſola decreti pars, quæ de Spiritu Sancto agit: *Prius agendum eſt de Spiritu Sancto*, cum reliquis uſque ad illa *& annuntiabit vobis*, quemadmodum ab Holſtenio editum eſt. Dein alius titulus ſequitur a Blanchinio editus: *Incipit decretum de abiiciendis & recipiendis libris, quod ſcriptum eſt a Gelaſio Papa cum LXX. eruditiſſimis viris Epiſcopis in Sede Apoſtolica in urbe Roma*: & ſubnectitur canon Scripturarum cum reliquis juxta ſecundam formam, quæ hic quoque omittit duas memoratas particulas de CP. Synodo, & de aliis Patrum Conciliis: at canones Apoſtolorum apocryphis adnumerat.

Cod. Florent. dividit in duo decreta.

Tertia forma breviſſima Gelaſio item inſcribitur.

III. Tertia forma omnium breviſſima catalogum Scripturarum ignorat, præmiſſiſque elogiis de tribus Sedibus, atque de Synodis, decretum exhibet de libris recipiendis vel non recipiendis. Huic tertiæ formæ Gelaſius inſcribitur. Ita in MS. Vat. 3832. ſæculi circiter XII. *Incipiunt decreta de recipiendis & non recipiendis libris, quæ ſcripta ſunt a Gelaſio Papa cum LXX. eruditiſſimis viris Epiſcopis in Sede Apoſtolica urbis Romæ. Poſt propheticas & evangelicas* &c. ut in vulgato, niſi quod Concilium CP. non inſeritur, ut in editis, poſt Nicænum, ſed poſt Chalcedonenſe his verbis: *Conſtantinopolitanum quoque Concilium, in quo Eunomii & Macedonii error convincitur*; & ſtatim ſubditur particula de ceteris Conciliis: *Et ſi qua ſunt Concilia a SS. Patribus conſtituta, poſt horum quatuor auctoritatem & cuſtodienda & recipienda decrevimus*. Canones vero Apoſtolorum inter apocrypha nequaquam referuntur. In vetuſtioribus autem exemplis, quæ hanc breviorem formam continent, non ſolum omittuntur hi canones, verum etiam duæ illæ particulæ, quæ ad CP. Synodum & ad alia Concilia pertinent. Ejuſmodi eſt codex Vat. 630. puræ Iſidorianæ collectionis, ex quo palam fit vulgatum decretum, quod aliquot additamenta recepit, ab Iſidoro non proficiſci. Idem eſt in aliis codicibus, qui e puro Iſidoro hoc decretum derivarunt. Alii quoque Iſidoro antiquiores idipſum præferunt. Juſtus Fontaninius in Appendice de Antiquitatibus Hortæ pag. 317. hanc eamdem prorſus formam edidit ex antiquiſſimo ac præſtantiſſimo codice Vat. Palat. 493. qui Miſſale Gallicanum vetus a Ven. Cardinali Thomaſio vulgatum nobis conſervavit. Hæc autem ibidem inſcriptio legitur: *Incipit decretalem Sancti Gelaſii Papæ. Poſt propheticas* &c. Idipſum invenitur in pervetuſta collectione MS. Lucano-Colbertina, ex qua P. Manſius hoc decretum impreſſit tom. 1. Supplementi Conciliorum col. 357. cum titulo: *Incipit decretale ab urbe Roma editum de recipiendis, ſive non recipiendis libris factum Synodum ſub Gelaſio Papa urbis Romæ cum ſeptuaginta Epiſcopis*.

Idem decretum diviſum in duo.

IV. Antiqua collectio Additionum Dionyſii præcipuam animadverſionem efflagitat. Auctius enim decretum, quod n. 1. expoſuimus, partitur in duo, eaque aliis interjectis documentis ac titulis ſeparatim producens, unum Damaſo, alterum Gelaſio vindicat. Primo poſt epiſtolam, quam Damaſus ad Paullinum direxit, decretum de Spiritu Sancto ac de Scripturis, ejuſdem Damaſi nomine deſcribitur hoc titulo: *Concilium urbis Romæ ſub Damaſo de explanatione fidei. Dictum eſt, prius agendum eſſe de Spiritu ſeptiformi* &c. uti Holſtenius hoc decretum impreſſit *ex vetuſtiſſima canonum collectione bibliotheca Vaticanæ*, ideſt ex Vat. MS. 5845. qui Dionyſii Additamenta recepit. Poſt ultima autem verba ab Holſtenio edita *annuntiabit vobis*, eodem numero additur: *Item dictum eſt. Nunc vero de Scripturis divinis agendum eſt, quid univerſalis catholica recipit Eccleſia, & quid vitari debeat*: ac ſubjecto Scripturarum catalogo, uti ſupra n. 1. notavimus, eodem numero ſubjicitur: *Item dictum eſt: Poſt has omnes propheticas, & evangelicas, & apoſtolicas, quas ſuperius deprompſimus Scripturas* &c. uſque ad ea verba vulgati decreti Gelaſiani *primum nomen Chriſtianorum novellæ gentis exortum eſt*; quibus trium præcipuarum Sedium mentio concluditur. Hoc ultimum fragmentum Eminentiſſimus Baronius ex alio MS. Vat. 1353. ac ex Vallicellano A 5. hujus collectionis, quam ipſe Creſconianam appellavit, publici juris fecerat ad an. 382. num. 19. Cum porro hocce fragmentum Damaſo inſcriptum in laudatis verbis deſinat, careatque reliquis, quæ ad gene-

Unum Damaſo tributum.

t. 5. Conc. col. 387. a

nerales Synodos pertinent; falſa hypotheſi laborant, qui hoc decretum a Damaſo expungendum tradunt, propterea quod in eo Epheſina & Chalcedonenſis Synodi, Cæleſtini & Leonis Papæ, Eutychetis ac Neſtorii nomina Damaſo poſteriora memorentur. Hac eadem falſa hypotheſi, quod hoc decretum *adjunctum* habeat generalium Synodorum indicem, P. Couſtantius col. 601. miratus eſt, quo pacto idem Annalium parens vir oculatiſſimus, titulo, cujus falſitas eſt tam manifeſta, decipi tam facile potuerit. Hæc autem pars de Synodis, quæ ea nomina Damaſo poſteriora exprimit, in iiſdem MSS. exemplaribus poſt aliquot interpoſitos titulos inchoat aliud decretum de libris recipiendis vel non recipiendis, quod Gelaſio aſſeritur hac epigraphe: *Incipit decretalis de recipiendis & non recipiendis libris, qui ſcriptus eſt a Gelaſio Papa cum LXX. viris eruditiſſimis Epiſcopis in Sede Apoſtolica urbis Romæ. Poſt propheticas & evangelicas* &c. cum reliquis de generalibus Synodis, de libris recipiendis, & de apocryphis, uti in tertia forma ante laudata: ubi eſt obſervandum, non ſcribi quemadmodum in antecedenti decreto Damaſi nomine inſcripto, *Poſt has omnes propheticas & evangelicas*, quia Scripturarum catalogus hic præmiſſus non fuit. In his præterea exemplis deſunt particulæ de CP. Synodo, & de ceteris Patrum Conciliis; canones vero Apoſtolorum inter apocrypha referuntur. Hoc decretum Atto Vercellenſis inſeruit Capitulari cap. 100. nihilque dubii eſt, quin ipſum exſcripſerit ex vetuſtiſſimo MS. Capituli Vercellenſis Eccleſiæ, in quo Additiones Dionyſianæ continentur.

Aliud inſcriptum Gelaſio.

Qui codices Hormiſdæ decretum tribuant.

V. Tandem commemorandi ſunt codices auctioris collectionis Hiſpanicæ, qui ſoli hoc decretum Hormiſdæ tribuunt. In tabula titulorum codicis Vat. 5341. collectionis Hiſpanæ num. 102. habetur: *Decreta Romanæ Sedis de recipiendis & non recipiendis*: qui titulus tabulæ ultimus cum non inter Gelaſii, ſed poſt S. Gregorii titulos ſubjiciatur, addititius agnoſcitur. Enimvero hoc decretum licet indicatum in tabula, in corpore ipſius codicis, qui certe non eſt mutilus, nuſpiam invenimus. Immo tabula ejuſdem collectionis, quam ex aliis codicibus profert P. Couſtantius in præfatione ad tom. 1. Epiſtolarum Rom. Pontif. pag. CIX. hujus decreti titulum ignorat. Porro in codice Vat. 4587. quo Jo. Baptiſta Perezius notitiam dedit manuſcriptorum auctioris collectionis Hiſpanicæ, tabulam ex iiſdem exhibuit, in qua num. 103. hic titulus legitur: *Decreta Romanæ Sedis de recipiendis & non recipiendis libris ab Hormiſda Papa edita*. Hanc vero notationem affixit: *Sic in omnibus MSS. licet in impreſſis & a Gratiano Gelaſio tribuantur*. Baluzius in notis ad epiſt. 132. Lupi Ferrarienſis ad Carolum Calvum, & ad dialogos Antonii Auguſtini de emendatione Gratiani pag. 444. Urgellenſis Hiſpanicæ Eccleſiæ exemplar commemorat, in quo idem decretum Hormiſdæ tribuitur. Hoc decretum eidem Pontifici inſcriptum ex MS. Jurenſi vulgavit P. Franciſcus Chiffletius in notis ad Vigilium Tapſenſem pag. 149. cum hac inſcriptione: *Incipit decretale in urbe Romæ ab Hormiſda Papa editum*. Et in fine. *Explicit decretale editum ab Hormiſda Papa urbis Romanæ*. P. Harduinus idem decretum Hormiſdæ adſcriptum reperit in alio ſimili codice collegii Pariſienſis Soc. Jeſu, ex quo ſolam clauſulam produxit tom. 5. Concil. Ven. edit. col. 391. not. 1. Hi duo codices profecti videntur ex MSS. libris Hiſpanicis, qui ſoli hoc decretum Hormiſdæ inſcriptum inter additamenta auctioris collectionis Hiſpanicæ receperunt. Hoc autem decretum, ut ex Jurenſi codice a Chiffletio impreſſum fuit, ſecundam formam ſuperius explicatam & cum vulgato Gelaſiano prorſus concinentem repræſentat. Nam & duas particulas ad CP. aliaſque Synodos pertinentes exhibet, & Apoſtolorum canones apocryphis interſerit. Num vero ceteri codices Hiſpanici idipſum habeant, aliis, quibus hujuſmodi librorum copia eſt, conferendum relinquimus.

VI. In tanta varietate codicum quid vel certum, vel probabilius nobis videatur, exponendum eſt. Certum in primis eſſe debet, primam decreti formam Damaſo in Caſanatenſi codice adſcriptam ipſi tribui non poſſe, ſaltem pro ea parte, quæ de libris recipiendis vel non recipiendis ſtatuit; cum præter Synodos Epheſinam & Chalcedonenſem inter eoſdem libros recenſeantur plures auctorum, qui multo poſt Damaſum floruere. Num vero ejus ſit ea pars, quæ de Spiritu Sancto, de Scripturis canonicis, ac de tribus Sedibus agit, uti hæc ſola ipſi adſcribuntur in MSS. Additionum Dionyſii, non levis eſt quæſtio. Prima quidem particula, quæ de Spiritu Sancto diſſerit, eidem competere poteſt. Equidem idem Damaſus adverſus Macedonii errores Spiritus Sancti Divinitatem conſtituit. Hac de re duo fragmenta ſuperſunt, quæ Holſtenius ſubjecta invenit epiſtolæ Romanæ Synodi ſub Damaſo ad Orientales cum titulo ſingulis fragmentis præfixo, *Item ex parte decreti*, quæque nos ſimiliter nacti ſumus in vetuſtiſſimo MSS. 55. Capituli Veronenſis. Vide ſupra cap. 9. n. 3. Forte igitur ejuſdem decreti pars eſt etiam hæc particula Damaſo inſcripta, qua de eodem Spiritu Sancto decernitur. Hanc quidem *Gelaſio reſtituendam eſſe, & ad illam Synodum Romanam, in qua iſte Papa decretum de libris edidit, pertinere, prævio in hoc ipſum Gelaſii decretum monito* ſeſe *demonſtraturum* P. Couſtantius pollicitus eſt tom. 1. Epiſtolarum Rom. Pont. pag. 495. Tomus vero ſecundus, cui hoc monitum cum Gelaſii epiſtolis inſerendum erat, nondum prodiit. Cum vero quotquot codices hactenus nanciſci potuimus hanc decreti particulam Damaſo, nullus autem Gelaſio adſcribat, nullaque peculiaris ratio, quod ſciamus, Gelaſio Pontifici fuerit, ob quam de Spiritu Sancto decerneret, quemadmodum Damaſo fuit; haud intelligimus, quibus argumentis, vel documentis illud *demonſtrare* potuerit.

Prima forma Dama- ſo non competit.

Quid eidem tribuendum.

VII. Dubitari poteſt de catalogo Scripturarum, qui decreto de Spiritu Sancto in laudatis codicibus Damaſum præferentibus (excepto Florentino S. Marci, qui ſolam particulam de Spiritu Sancto eidem adjudicat) ſubjicitur. Ne autem Damaſum hujus catalogi credamus auctorem, illa plane evincunt, quæ procemii loco ei catalogo in iiſdem MSS. præmittuntur. *Item dictum eſt. Nunc vero de Scripturis divinis agendum eſt, quid univerſalis catholica recipiat Eccleſia, & QUID VITARE DEBEAT*. Hæc poſtrema verba evidenter indicant decretum de libris non recipiendis, ſeu de apocryphis, quod Scripturarum catalogo erat ſubjiciendum: hæcque præfatiuncula unum eumdemque tum catalogi Scripturarum, tum decreti de apocryphis auctorem eſſe ſignificat. Sicut autem decretum de apocryphis Damaſo, ut vidimus, adſcribi nequit; ita nec Scripturarum catalogus, neque hæc præfatiuncula, quæ tum catalogum, tum decretum præſumit. Hinc porro tria conſequuntur. I. in MSS. Additionum Dionyſii mutilum & imperfectum eſſe illud caput, quo poſt laudatum procemium catalogus Scripturarum ſubjicitur ſine decreto de apocryphis. II. eumdem catalogum ibidem cum eo procemio addititium eſſe antecedenti decreto de Spiritu Sancto, ſi hoc ad Damaſum pertinere probabilius credatur; rectiuſque hoc unicum decretum Damaſo inſcriptum exhiberi in MS. Florentino S. Marci. III. addititiam in iiſdem codicibus multo magis eſſe, ac Damaſo perperam attributam eam partem catalogo Scripturarum ſubnexam, quæ de tribus præcipuis Sedibus Romana, Alexandrina, & Antiochena paucis diſſerit: eam ſiquidem Gelaſio certiſſime referendam mox videbimus.

Scripturarum catalogus a Damaſo abjudicatur.

VIII. De Gelaſio itaque ut ſtatuamus, decretum de libris ipſi & Patribus Synodi, quam hac de cauſa habuit, non autem Hormiſdæ eſſe aſſerendum dubitare non licet. Explorate enim Hormiſda hoc decretum a Patribus jam antea conditum indicat in epiſt. 70. ad Poſſeſſorem. Scribens enim de operibus Fauſti Regenſis, quæ in eo decreto rejiciuntur, *neque illum recipi* affirmat, *neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen catholicæ fidei*; ubi *auctoritas Patrum* decretum de apocryphis innuit. Et poſt nonnulla idem decretum apertius reſpiciens ait: *Non improvida veneranda Patrum ſapientia fideli poteſtati quæ eſſent catholica dogmata definiit; certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda Sancto Spiritu inſtruente præfigens*.

Decretum de libris Gelaſio aſſeritur.

His

His utique decretum non abs ſe, ſed a prædeceſſoribus ſuis in aliqua Patrum Synodo conſtitutum ſignificat. Cum porro Damaſo ex dictis tribui nequeat, reliquum eſt ut Gelaſio vindicetur, cui ſane ipſum pleræque collectiones & codices aſſerunt. Hinc eidem Gelaſio adjudicanda eſt etiam commemoratio de præcipuis Sedibus, quæ initio decreti de libris brevi perſtringitur.

Num Scripturarum catalogus Gelaſio adjudicandus.

IX. Solum ambigi poteſt, num ſecunda hujus decreti forma, quæ catalogum Scripturarum præmittit, an vero tertia tantum, quæ eodem catalogo caret, Gelaſio adſcribenda ſit. Vetuſtiores quidem codices & collectiones hanc tertiam præferunt. Inter has collectionis Lucano-Colbertinæ origo a Gelaſio non multum diſtat. Collectio Additionum Dionyſii, quæ ſæculo VIII. compacta fuit, ex antiquioribus collectionibus dimanat. Codex Vat. Palat. 493. originis Gallicanæ ſummam antiquitatem præfefert. Ipſe Iſidorus Mercator, qui ineunte ſæculo IX. ſuam collectionem digeſſit, non aliud Gelaſii exemplum reperit. Cum his codicibus & collectionibus comparandi non videntur illi, qui ſecundam decreti formam, ideſt Scripturarum etiam catalogum Gelaſio inſcribunt: inter quos unus Collegii Pariſienſis ab Harduino laudatus tom. 5. Concil. col. 385. dum hanc epigraphen exhibet: *Notitia ſacrarum Scripturarum, ſeu librorum canonicorum cum deſcriptione, vel adnotatione Gelaſii Papæ*, ſolam *adnotationem* (decretum de libris intelligit) a Gelaſio ſcriptam ſignificare videtur. Alia quoque collectio Additionum Iſidori, quæ catalogum Scripturarum Gelaſio inſcriptum præferunt, hunc ab eodem quibuſdam indiciis abjudicat. Hujus enim collectionis codices poſt deſcriptum uno capitulo catalogum Scripturarum cum titulo, *Ordo veteris Teſtamenti .... digeſtus a Gelaſio Papa cum LXX. Epiſcopis*, non ſtatim eodem capitulo ſubjiciunt decretum de libris cum initio, quod præmiſſum catalogum reſpicit: *Poſt HAS OMNES propheticas, & evangelicas, atque apoſtolicas Scripturas*, uti habetur in ceteris libris, qui ex utraque parte unum decretum conficiunt: ſed in alio capitulo hanc epigraphen præfigunt. *Incipiunt decreta Gelaſii Papæ. Decretum cum LXX. Epiſcopis habitum de apocryphis ſcripturis*, cui hoc initium eſt: *Poſt propheticas & Evangelicas* &c. Notetur verbum *Incipiunt*, & initium *Poſt propheticas*, uti in exemplis, quæ canonicas Scripturas non præmiſerunt. Difficultas, quæ ad abjudicandum a Gelaſio ipſum decretum de libris nonnullos movebat ex chronica notatione pendet, nimirum ex conſulatu Aſterii atque Præſidii anni 494. quo anno poſteriores ſunt quidam libri in eodem decreto recenſiti. Hanc autem conſularem notam cum in nulla collectione, in codice nullo nacti ſimus, perperam affixam nihil ambigimus: ac propterea jure P. Couſtantius (teſte P. Mopinot in epiſtola edita anno 1724.) quinto loco probandum ſibi propoſuerat, *expungendam, quæ tot hactenus rixis locum dedit, chronologicam notam, utpote nulla ſatis firma auctoritate nixam, immo temere ex alia Gelaſii epiſtola advectam*.

Quid tribuendum Hormiſdæ.

X. Quid porro dicendum ſit de MSS. libris collectionis Hiſpanicæ, qui hoc decretum Hormiſdæ aſſerunt, paucis indicabimus. Hoc decretum non ad primævam collectionem Hiſpanam, ſed ad auctiorem, & ad poſteriorem eidem additamenta pertinet, ut ſuperius monuimus. Cum porro ſincera ſint, quæ huic collectioni auctiori addita fuere; hoc decretum Hiſpanorum cauſſa repetitum fuiſſe ab Hormiſda, & in Hiſpanias miſſum, conjiciendum videtur. Hinc in ſolis MSS. libris Hiſpanicis, vel qui ab Hiſpanicis aliqua ſumſerunt, Hormiſdæ nomen huic decreto præfigitur. Forte etiam hic Pontifex catalogum Scripturarum præmiſit, ſiquidem in Gelaſiano decreto defuiſſe credatur. Cum porro duæ ſæpius memoratæ particulæ de Synodo Conſtantinopolitana, & de aliis Patrum Conciliis non legantur in pluribus ac vetuſtioribus diverſarum collectionum MSS. decreti Gelaſiani antea laudatis, eaſdem particulas in quibuſdam inferioris notæ exemplaribus Gelaſiano decreto inſertas putamus. Additamentum quidem eluceſcit in MS. Vat. 3832. Mentio enim Conſtantinopolitanæ Synodi ibidem extra proprium locum poſt Chalcedonenſem intruſa fuit, ac mox alia particula addita de ceteris Synodis, uti ſuo loco adnotavimus. Hæc porro additamenta in Hormiſdæ decreto ſuo loco apte collocata, eumdem Pontificem fortaſſis habent auctorem: ac ex ejus decreto quidam poſtea eadem adjecere vel extra proprium locum, vel ſuo loco in exſcribendo decreto Gelaſii. Cum ſcilicet Hormiſda Pontifice pax cum Orientalibus compoſita fuiſſet; hi autem Conſtantinopolitanam Synodum inter generalia Concilia referrent in profeſſionibus fidei, quas ad eumdem Hormiſdam direxere, ut patet ex relatione Epiphanii Epiſcopi CP. tom. 5. Concil. col. 666. forte idem Pontifex eam Synodum quantum ad ſymbolum atque definitionem fidei inter generalia primus adjecit, ac exinde ſub Vigilio, Pelagio, atque Gregorio quatuor œcumenicarum Synodorum mentio apud Latinos audiri cœpit. Quantum ad ſymbolum diximus atque definitionem fidei, qua *Macedonius hæreticus debitam damnationem accepit*: id enim unum in additamento decreti præfertur, ut ne opus ſit hoc idem transferre ad canones ejuſdem Synodi, quos nondum ſuo ævo a Romana Eccleſia receptos S. Gregorius teſtatus lib. 7. epiſt. 34. Confer quæ ſcripſimus cap. 5. §. 2. Quantum ad alterum vero additamentum, *Sed & ſi qua ſunt Concilia a SS. Patribus hactenus inſtituta* &c. obſervandum eſt nullam certam ac peculiarem Synodum quaſi in Codice canonum a Romana Eccleſia receptam his verbis indicari, ſed conditionate & confuſe approbari Concilia, *ſi qua ſunt a Sanctis Patribus inſtituta*. Id forte in gratiam Hiſpanorum ab Hormiſda additum fuit, ne Hiſpanica Concilia, aut Africana, aut alia, quæ apud ipſos robur habebant, reprobare videretur. Licet autem hoc decretum, ut initio monuimus, in primæva collectione Hiſpanica non fuerit; exſtitiſſe tamen ejus exemplaria apud eoſdem Hiſpanos, cum hæc primæva collectio condita fuit, colligere licet ex præfatione, quam auctor ejuſdem collectionis præfixit, ac S. Iſidorus Hiſpalenſis in libris Originum fere totam deſcripſit. In hac enim auctor poſt memoratas quatuor Synodos, alia catholicorum Patrum Concilia ita recipienda tradit, ut idem decretum præ oculis habuiſſe, ac eadem fere verba exſcripſiſſe videatur. Particula quoque de canonibus Apoſtolorum, quia plerique & præſtantiores codices Gelaſianum decretum continentes carent, nulli autem carent, qui Hormiſdam exhibent, inter additamenta hujus Pontificis accenſenda videri poteſt. Cum enim ante verſionem Dionyſii iidem canones Latinis non eſſent cogniti, forte ſolum poſt Gelaſii decretum a Dionyſio latinitate donati, & apud Latinos editi, ab Hormiſda apocryphis accenſiti fuerunt: & hac de cauſſa auctor laudatæ collectionis Hiſpanicæ, qui omnia documenta Dionyſii præter Conciliorum canones aliunde hauſtos in ſuum codicem tranſtulit, ſolos apoſtolicos canones ex ſolo Dionyſio ipſi cognitos prætermiſit, quia *auctoritate apoſtolica*, ſeu Hormiſdæ decreto, inter apocrypha relatos invenit, ut in fine memoratæ præfationis non obſcure ſignificat. Enimvero ſi a Gelaſio Papa iidem canones inter apocrypha fuiſſent rejecti; Dionyſius, qui poſt eumdem Pontificem Romæ ſuam collectionem adornavit, vel non commiſiſſet, ut quos idem Pontifex inter apocrypha rejecerat, ſuo codici præmitteret; vel ſaltem, dum in præfatione hanc admonitionem inſerendam credidit, *quibus quia plurimi conſenſum non præbuere facilem, hoc ipſum veſtram noluimus ignorare ſanctitatem*, multo magis notaſſet, eos a Gelaſio, quem in epiſtola ad Julianum Presbyterum ſummis laudibus commendat, inter apocrypha fuiſſe cenſitos. Poſt editum ergo Dionyſii codicem Hormiſda ejus verbis edoctus, quod plurimi inter ipſos Græcos iiſdem canonibus non aſſentirentur, eos apocryphis adjiciendos putavit. Ex his vero Gelaſio Papæ aſſerenda videtur ea tantum tertia decreti forma, quæ in vetuſtioribus MSS. collectionibus prætermit duas particulas de CP. Concilio, & de aliis Patrum Synodis; canoneſque Apoſtolorum inter apocrypha nequaquam refert.

CAPUT XII.

De MS. collectione Avellana. Duæ antea ineditæ epiſtolæ Hormiſdæ, & quædam fragmenta ex hac collectione producta.

Collectionis præſtantia. Præfat. in t. 1. epiſt. R.P. n. 166.

I. ACcuratiorem deſcriptionem requirit hæc maxime inſignis, nec ſatis nota collectio, ex qua una plura pontificia, & præſtantiſſima eccleſiaſtica documenta prodiere. Hinc enim, ut notavit P. Couſtantius, vulgata fuerunt de Bonifacii I. electione, deque ſchiſmate Urſini monimenta complura. Hinc de Pelagii, Cæleſtiique cauſſa ſingulares quædam Innocentii ac Zoſimi litteræ, Paullini Diaconi adverſus Cæleſtium libellus, epiſtolæ quinque S. Leonis poſt ejectum e Sede Alexandrina Timotheum Ælurum in eamque evectum Timotheum Soloſaciolum datæ. Hinc etiam plures Simplicii & Felicis, ac bene multæ, quas de componendo Acacii ſchiſmate Hormiſda vel dedit ipſe, vel ab aliis accepit: itemque Joannis I. Agapeti, ac Vigilii nonnullæ: quæ ſcripta omnia quanti ſint, norunt qui bonas litteras callent. Brevius, omnia documenta ſunt CCXLVI. Inter hæc autem ducentis & amplius careremus, ſi ab hac collectione nobis conſervata non fuiſſent. Ea vero ipſa, quæ aliunde edita ſunt, vel edi potuiſſent, partim in hac collectione additamenta præferunt genuina & inſignia, quæ in ceteris MSS. libris non inveniuntur; partim vero non reperiuntur in libris olim vulgatis, ſed in nonnullis rariſſimis exemplaribus, quæ vel poſteriora ſunt, vel collectori noſtro ignota fuerunt. Id enim conſilium ipſi propoſitum fuiſſe videtur, ut ea deſcriberet, quæ in aliis ſibi cognitis collectionibus nequaquam invenit. Nullum hujus collectionis documentum, quod Latinam originem habeat, apocryphum eſt. Octo tantummodo epiſtolæ ad Petrum Fullonem ſuppoſititiæ e Græco redditæ inſeruntur, quas ab aliquo ſcriptore Græco confictas ante Synodum V. præcedenti capite oſtendimus §. 3.

II. Documenta in hac collectione non ita chronologice diſpoſita ſunt, uti fecere Dionyſius, & auctor collectionis Hiſpanicæ. Ordo perturbatus, quo vetuſtiora non pauca poſtponuntur recentioribus, & unius ejuſdemque Pontificis epiſtolæ hinc & hinc disjunctæ inveniuntur, palam facit collectorem deſcripſiſſe documenta, pro ut illa in manus ejus venerunt: quod aliarum quoque antiquiorum collectionum auctoribus commune eſt. Perſpicuum vero fit, eumdem collectorem optimis fontibus uſum.

Plura ex Romania ſcriniis.

Documenta præſertim Hormiſdæ, aut ad Hormiſdam pertinentia, quæ plurima ſunt, e Romanis ſcriniis educta videri poſſunt. Hinc forte poſt ipſius Pontificis epiſtolam ad Synodum CP. hæc notatio legitur: *Geſta in cauſſa Abundantii Epiſcopi Trajanopolitani in ſcrinio habemus.* Cum enim hæc notatio nihil commune habeat nec cum præcedenti, nec cum ſubſequenti epiſtola Hormiſdæ, in quibus de Abundantio nihil agitur, a collectore appoſita videtur, ut indicaret, ſe in ſcriniis Romanis ea geſta reperiſſe, quæ tamen ſuæ collectioni inſerenda non credidit.

Tempus collectionis.

Recentiores hujus collectionis litteræ ſunt Vigilii: ac idcirco eadem collectio ſub medium ſæculum ſextum lucubrata dicenda eſt.

Codices ejuſdem.

III. Hujus præſtantiſſimæ collectionis MSS. codices aliquot ſunt in Italia, extra quam nulli, quod ſciamus, inveniuntur. Quare Italica collectio dicenda eſt, & Romæ quidem digeſta, ſi præſertim e Romanis ſcriniis collector Hormiſdæ ſaltem epiſtolas hauſit. Quatuor exemplaria invenimus in bibliotheca Vaticana. Duo vetuſtiora ſignantur num. 3787. & 4961. duo vero alia horum apographa notantur num. 3786. & 4903. Alia duo item recentia Romæ extant, unum in bibliotheca Angelica PP. Eremitanorum S. Auguſtini, quod diſtinguitur his notis 5. III. 9. alterum in Corſiniana num. 817. Duo quoque deprehendimus in bibliotheca Veneta S. Marci n. 171. & 172. quorum unum jubente Cardinali Beſſarione Romæ deſcriptum fuit anno 1469. & forte ex Vat. MS. 3787. ſæculi XII. cum alius codex 4961. ut mox patebit, multo poſt Beſſarionem Romam allatus, in Vaticanam bibliothecam tranſierit.

Cur hæc collectio vocetur Avellana.

Cum vero omnium celeberrimus & antiquiſſimus ſit iſte codex Vat. 4961. qui olim fuit Monaſterii S. Crucis Fontis Avellanæ; hinc hujuſmodi collectionem, ut ab aliis proprio aliquo nomine diſcerneretur, Avellanam appellavimus. In ultima nimirum pagina ejuſdem codicis hæc notatio legitur: *Iſte liber eſt Monaſterii S. Crucis Fontis Avellane Eugubine diœceſis. Hunc librum adquiſivit Domn. Damianus §.* ✠. Hinc codicem acquiſitum agnoſcimus a S. Petro Damiano, ſanctitate vitæ & ſcriptis celebri, qui monaſticam vitam in eo Monaſterio iniit, & ſub medium circiter ſæculum XI. eidem præfuit. Quare codicis ætas ſeptingentorum ſaltem annorum certiſſima ſit. Idem poſtea codex ex Avellano Monaſterio in manus venit Cardinalis Marcelli Cervini Eugubini Epiſcopi, qui poſtea fuit ſummus Pontifex Marcellus II. Id colligimus ex notatiuncula, quæ ipſius manu ſcripta eſt in pagina ſecunda ejuſdem codicis, in quam notationem ibidem minutiori charactere hæc adnotata fuerunt: *Illa verba fuerunt addita a Marcello II. cum eſſet adhuc Presbyter Cardinalis Romanus.* Dein idem codex pertinuit ad Cardinalem Sirletum, ex cujus MSS. emptus, in bibliothecam Vaticanam tandem pervenit, uti nos admonuit hæc nota paginæ primæ: *Emtum ex libris Cardinalis Sirleti.* Eminentiſſimus Baronius ad an. 417. num. 16. editurus documentum XLVIII. cum Sirleti codicem laudat, hunc laudat, qui nondum in Vaticanam tranſierat. In ceteris vero dum allegat codicem Vaticanum, exemplum Vat. 3787. allegare videtur.

IV. Nunc ſeries ac ordo documentorum exacte proponendus, ut hujus collectionis notitia hactenus obſcura, omnibus explorata ſit. Cum documenta antea inedita vulgata fuerint partim ab editoribus Romanis epiſtolarum Romanorum Pontificum an. 1591. partim a P. Sirmondo ſuis operibus inſerta, partim a Cardinali Baronio in Annalibus Eccleſiaſticis, unum vero, quod adhuc edendum videbatur, noviſſime prodierit ſtudio Petri Franciſci Fogginii (duo tantum breviora, quæ omnium diligentiam fugerunt, ſuo loco inferius proferentur) modo unam, modo aliam editionem laudabimus. Cum vero pleraque traducta fuerint in Conciliorum editiones; noviſſimam Venetam, quæ magis eſt obvia, frequentius indicaturi ſumus. In laudato codice Vat. 4961. poſt præmiſſam tabulam capitum tituli loco hæc leguntur: *In hoc codice continentur epiſtolæ CCXLIII.* corrige *CCXLVI.*

I. *Geſta inter Liberium & Felicem Epiſcopos, & quædam epiſtola Schiſmaticorum, Temporibus Conſtantiae* &c. Tom. I. Sirmondi noviſſimæ ed. Venetæ pag. 133. Hoc & ſequens documentum invenitur etiam in duobus aliis MSS. libris Colbertino & Remigiano, quos editores Operum Sirmondi laudant. Num autem Sirmondus ex his codicibus, an ex aliquo præſentis collectionis, quem Romæ viderit, eadem impreſſerit, incertum eſt.

II. *Marcellini & Fauſtini Presbyterorum preces oblatæ Valentiniano & Theodoſio. Deprecamur* &c. ibidem pag. 137.

III. *Valentiniani, Theodoſii, & Arcadii Impp. epiſtola ad Saluſtium Præfectum Urbis de conſtructione baſilicæ S. Pauli. Deſiderantibus nobis* &c. apud Baronium an. 386. n. 30.

IV. *Epiſtola eorumdem gratulatoria de ordinatione Siricii Papæ ad Pinianum Præfectum Urbis. Habe, Piniane cariſſime*, &c. Idem Baron. an. 385. num. 6.

V. *Epiſtola eorumdem, ubi Urſinus & qui cum eo ſunt, ab exilio relaxantur ad Prætextatum Pr. Urbis. Habe, Prætextate cariſſime*, &c. Idem an. 368. n. 4.

VI. *Valentinianus, Valens, & Gratianus Prætextato, ubi redditur baſilica Siciniani. Diſſenſiones auctore* &c. Ibidem n. 2.

VII. *Idem eidem de expellendis ſociis Urſini extra Romam. Ea nobis eſt innata* &c. Ibi n. 3.

VIII. *Idem Olibrio Prætori. Tu quidem, ſicut proxime* &c. Idem an. 369. n. 3. In MS. Vat. 4961. huic epiſtolæ præfigitur titulus *de rebaptizatoribus*, quem melius cum MSS. Venetis & Vat. 3787. ad numerum XIII. tranſtulimus. Similiter titulus etiam

iam numeri ſequentis cum eiſdem codicibus tranſferendus fuit ad num. XIV.

IX. *Idem Aginario Vicario. Omnem his diſſenſionibus* &c. Ibi num. 4.

X. *Idem Olibrio Pr. Cum nihil poſſit eſſe jucundius* &c. Ibi n. 5.

XI. *Ampelio Pr. Jure manſuetudinis noſtræ* &c. Baron. ad an. 371. n. 1.

XII. *Maximino Vicario urbis Romæ. Eſt iſtud divinitus inſtitutum* &c. ibi n. 3.

XIII. *De rebaptizatoribus. Gratianus & Valentinianus Aquilino Vicario. Ordinariorum ſententiam judicum* &c. Baron. an. 381. n. 2. & tom. 2. Conc. col. 1190.

XIV. *De geſtis inter Bonifacium & Eulalium, quando utrique Epiſcopatum Romanæ urbis pervaſerunt ambitu contentionis. Exemplum relationis Symmachi Pr. Urbis ad Honorium. Quæcumque in urbe Roma geruntur* &c. Baron. an. 418. n. 79.

XV. *Sacræ litteræ in ea cauſſa ad Symmachum. Geſtis omnibus recenſitis* &c. Idem an. 419. n. 2.

XVI. *Relatio alia Symmachi ad Imperatorem. Ubi primum ſacer ſermo* &c. Ibidem n. 5.

XVII. *Preces Presbyterorum pro Bonifacio ad Honorium & Theodoſium. Poſt abſceſſum S. Zoſimi Papæ* &c. Ibi n. 8.

XVIII. *Reſcriptum ſacrum pro Presbyteris ad Symmachum. Poſt relationem ſublimitatis tuæ* &c. Ibi n. 11.

XIX. *Alia relatio Symmachi. Cum vir clariſſimus Aphtonius* &c. Ibi num. 12.

XX. *Exemplum ſacrarum litterarum ad Synodum. Omnia quidem clementia noſtra* &c. Ibi n. 14. Sequitur hæc notatio. *Hæc Synodus inter ſe diſſentiens, præſentem cauſſam terminare non potuit: unde venerabilis Imperator Honorius ad majus Concilium hoc credidit negotium deferendum: & interim propter dies qui imminebant ſanctæ Paſchæ utroſque, Bonifacium ſcilicet & Eulalium, ab urbe iſta abſcedere, & Spoletanum Epiſcopum Achileum nomine ſacra juſſit myſteria celebrare, Symmacho Præfecto Urbi hoc idem ſuis ſcriptis inſinuans*. Hanc notationem dedit etiam Baronius an. 419. n. 15., ubi pro *ad majus Concilium* legit *ad Maias Kalendas*. Sed noſtram lectionem confirmat edictum ad populum, de quo infra num. XXIV.

XXI. *Sacra ad Symmachum, ubi Imperator Bonifacium & Eulalium ab Urbe juſſit diſcedere, & interim Spoletinum Epiſcopum ſacra myſteria celebrare.* Hunc titulum, qui ob præmiſſam notationem omiſſus fuit in corpore hujus collectionis, ex tabula ipſi collectioni præmiſſa recepimus. Incipit autem hæc epiſtola: *Magnarum deliberationum* &c. Baron. an. 419. n. 15.

XXII. *Exemplum ſacrarum litterarum ad Achileum. Quoniam de Romano ſacerdotio* &c. Ibidem n. 16.

XXIII. *Principis oratio ad Senatum. Scimus Patres conſpicui* &c. Ibidem num. 17.

XXIV. *Ejuſdem Principis edictum ad populum. Fidei curam, Quirites optimi* &c. Ibi n. 18.

XXV. *Ejuſdem Principis epiſtola ad Paullinum Epiſcopum Nolanum. Tam fuit apud nos certa ſententia* &c. Ibi n. 20.

XXVI. *Item ejuſdem Principis ad Epiſcopos Afros. Serenitas noſtra cum in omnibus cauſſis* &c. Ibidem n. 21.

XXVII. *Principis ejuſdem epiſtola ad Aurelium Carthaginienſem Epiſcopum de eadem re. Aliam quidem videndæ venerationis tuæ cauſſam* &c. Ibi n. 22.

XXVIII. *Ejuſdem epiſtola ad Auguſtinum, Alypium, Evodium, Donatianum, Silvanum, Novatum, & Deutherium uniformis. Perveniſſe ad venerationem tuam* &c. Ibidem n. 23. *Deutherium* cum noſtris codicibus ſcripſimus, cum quibus concordat etiam Collatio Carthaginienſis anni 411., ubi nominatur Deutherius Epiſcopus Cæſarienſis in Mauritania.

XXIX. *Relatio Symmachi ad Conſtantium. Quæcumque ſubito* &c. Idem Baron. an. 419. n. 26.

XXX. *Epiſtola Conſtantii Comitis ad Symmachum. Ut certa poſſimus* &c. Ibi n. 29.

XXXI. *Exempla ſacrarum litterarum ad Symmachum. Cum ad ſanandum* &c. Ibi n. 30.

XXXII. *Epiſtola Symmachi ad Conſtantium. Ubi primum* &c. Ibi n. 32.

XXXIII. *Exemplum ſacrarum litterarum Symmacho. Moderatione præcipua* &c. Ibi n. 33.

XXXIV. *Relatio Symmachi de ingreſſu Bonifacii. Quæcumque Deo auctore* &c. Ibi n. 34.

XXXV. *Sacræ litteræ ad Largum Proconſulem Africæ. Inter omnes curas* &c. Ibidem n. 36.

XXXVI. *Largi Proconſulis ad Aurelium Carthaginienſem. De merito Sacerdotis* &c. Ibi n. 37.

XXXVII. *Sacræ ad Bonifacium, quibus ſtatuitur, ut deinceps ſi duo per ambitum certarint de Epiſcopatu Romano, nullus eorum ſit Sacerdos; ſed illum ſolum in Sede Apoſtolica permanſurum, quem ex numero Clericorum nova ordinatione divinum judicium, & univerſitatis conſenſus elegerit. Scripta Beatitudinis tuæ* &c. Ibidem n. 41. Hæc vero ſacra una cum ipſius Bonifacii litteris ad Imperatorem, quibus iſthæc conſtitutio petita fuit, in aliis quoque collectionibus invenitur.

XXXVIII. *Honorii epiſtola ad Arcadium de perſona S. Joannis Epiſcopi CP. Quamvis ſuper immaginem* &c. Baron. an. 404. n. 80.

XXXIX. *Maximi tyranni ad Valentinianum juniorem contra Arrianos & Manichæos. Niſi clementiæ noſtræ* &c. tom 2. Concil. col. 1228.

XL. *Victor Magnus Maximus Siricio parenti. Accepimus litteras tuas* &c. Ibidem col. 1227.

XLI. *Innocentii epiſtola ad Aurelium, Alypium, Auguſtinum* &c. *Fraternitatis veſtræ litteras* &c. Exſtat in collectione hoc tomo edenda cap. 11. & olim ex Iſidoro edita.

XLII. *Innocentius Hieronymo Presbytero. Numquam boni aliquid* &c. tom. 3. Conc. col. 75.

XLIII. *Idem Joanni fratri. Direptiones, cædes, incendia* &c. Ibidem.

XLIV. *Idem Aurelio. Piiſſimum etiam* &c. Ibi col. 76.

XLV. *Zoſimus Aurelio & ceteris Afris in defenſionem Cæleſtii. Magnus pondus* &c. Ibi col. 401.

XLVI. *Idem Zoſimus Aurelio & ceteris. Poſteaquam a nobis Cæleſtius* &c. Ibi col. 803.

XLVII. *Libellus Paullini Diaconi adverſus Cæleſtium Zoſimo Epiſcopo datus. Beatitudinis tuæ juſtitiam* &c. Ibi col. 429.

XLVIII. *Epiſtola Auguſtini ad ſupraſcripta reſcribentis per Albinum Acolytum & Firmum Presbyterum ad Xyſtum Presbyterum. Ex quo Hipponem* &c. Ex aliis codicibus inter Auguſtini epiſtolas impreſſa eſt epiſt. 191. al 104.

XLIX. *Euſebii epiſtola ad Cyrillum Epiſcopum. In Chriſto gratias egi* &c. Baron. an. 417. n. 15.

L. *Zoſimus Aurelio & ceteris in Concilio Carthaginienſi. Quamvis Patrum traditio* &c. tom. 3. Concil. col. 416.

LI. Leo Leoni Auguſto. Eſt epiſt. 169. tom. 1. noſtræ editionis col. 1431.

LII. Idem Gennadio CP. Ibidem epiſt. 170. col. 1433.

LIII. Idem Timotheo Epiſcopo Alexandrino. Ibi epiſt. 171. col. 1435.

LIV. Idem Presbyteris & Diaconibus Alexandrinis. Ibidem epiſt. 172. col. 1435.

LV. Idem Theophilo & aliis Epiſcopis Ægyptiis. Ibidem epiſt. 173. col. 1437.

LVI. Simplicii Papæ ad Zenonem Auguſtum. *Cuperem quidem* &c. tom. 5. Conc. col. 96. ubi notatur, hanc epiſtolam inveniri etiam in MS. Virdunenſi Baſiliſco inſcriptam. Vide caput præcedens §. 3. n. 4.

LVII. Ejuſdem ad Acacium. *Cum filii noſtri* &c. Ibidem col. 101.

LVIII. Ad eumdem alia. *Quantum Presbyterorum* &c. Ibi col. 99.

LIX. Ad Conſtantinopolitanos. *Per filium noſtrum laudabilem virum Epiphanium* &c. Ibidem col. 101.

LX. Ad Zenonem Auguſtum. *Inter opera* &c. Ibi col. 103.

LXI. Ad Acacium. *Quam ſit efficax* &c. Ibi col. 105.

LXII. Ad Zenonem Auguſtum. *Per Petrum virum ſpectabilem* &c. Ib. col. 106.

LXIII. Ad Acacium. *Quantos & quam uberes* &c. Ibidem col. 507.

LXIV. Ad Zenonem Auguſtum. *Proxime quidem cum ad urbem* &c. Ib. col. 508.

LXV. Ad Acacium. *Proxime quidem dilectioni tuæ* &c. Ibidem.

LXVI. Ad Zenonem Aug. *De Eccleſia Antiochena* &c. Ibi col. 509.

LXVII. *Ad Acacium, ordinato ab eo Calendione Antiocheno Epiſcopo, Clementiſſimi Principis litteris* &c. Ibi col. 110.

LXVIII. Ad eumdem. *Miramur pariter* &c. Ibi col. 113.

LXIX. Ad eumdem. *Antiocheni exordium Sacerdotis* &c. Ib. col. 512.

LXX. *Synodus Romæ apud S. Petrum Conſtantinopolitanis & Bithyniæ conſtitutis. Olim nobis atque ab initio* &c. Ibi col. 247.

LXXI. Felicis Papæ ad Petrum Antiochenum. *Quoniam peſtiferis doctrinis* &c. Poſt hanc epiſtolam hæc notatio apponitur. *Explicit epiſtola Papæ Felicis ad Petrum Antiochenum damnans eum: quæ apiſtola ante damnationem Acacii, quantum ejus textus indicat, comperitur ſcripta. Sed quia cum aliorum litteris ad eumdem Petrum directis in Græco volumine invenimus de Latino translatas, quas nunc iterum de Græco in Latinum neceſſitate compulſi transferentes deſcripſimus propter hæreticorum inſidias, & ſupradictis epiſtolis ejuſdem Papæ connectimus.* Hanc notationem vidit Anaſtaſius, uti monuimus capite præcedenti §. 3. n. 2. ubi haſce litteras cum ſeptem ſequentibus olim a Græco ſcriptore confictas oſtendimus. In editione Conciliorum ipſe Græcus textus ſeptem epiſtolarum prodiit tom. 5. (ubi tamen alia verſio ſex epiſtolarum impreſſa eſt) col. 559. 219. 226. 234. 235. 239. & 241. Ex noſtræ autem collectionis interpretatione hæc tantum epiſtola Felicis legitur tomo 1. Epiſtolarum Romanorum Pontificum editionis Romanæ an. 1591.

LXXII. Quintiani Epiſcopi Aſculani ad Petrum Antiochenum. *Multifarie multiſque modis* &c. tom. 5. Conc. col. 219.

LXXIII. Juſtini Epiſcopi Siciliæ ad eumdem Petrum Antiochenum. *Oportat armari militem adverſus hoſtem* &c. Alia verſio eſt ibidem col. 226.

LXXIV. Antheonis Epiſcopi Arſenoe ad eumdem. *Valde conteſtatus ſum ſuper te* &c. Ibidem ex alia verſione col. 234.

LXXV. Fauſtini Epiſcopi Apolloniadis ad eumdem. *Quoniam permiſſum eſt pulſari priores poſtremis* &c. Alia translatio ibidem col. 235. ubi *Fauſti* pro *Fauſtini* ſcribitur.

LXXVI. Pamphili Epiſcopi Accidorum (in vulg. *Abydorum*) ad eumdem. *Multa contritio meorum, dilectiſſime, filiorum* &c. Ibidem ex alia interpretatione col. 239.

LXXVII. Flactiani (al. in textu manuſcriptorum Venetorum *Falcini*, in vulgatis *Flaviani*, vel *Flacciani*) Epiſcopi Rodope ad eumdem Petrum. *Venatores beſtiarum iracundia non terrentur* &c. Hujus epiſtolæ Græcus textus deſideratur: & ſola hæc noſtræ collectionis verſio, poſt Baronium edita fuit tom. 5. Concil. col. 227.

LXXVIII. *Aſclepiadis Epiſcopi Citraleuſis* (in vulgatis *Tralliani*) *ad eumdem. Ecce, cariſſime, repletus eſt mundus ſcandalo expoſitionis tuæ* &c. Ibidem ex alia verſione col. 241. Hactenus epiſtolæ ſuppoſititiæ latine redditæ ex Græco textu, qui ante noſtrum collectorem confictus fuerat.

LXXIX. *Gelaſius Dardaniæ Epiſcopis, ſicut etiam cunctis fratribus per Dalmatias deſtinatu eſt. Ubi primum reſpirare fas eſt* &c. tom. 5. Conc. col. 292.

LXXX. Dardani Epiſcopi ad Gelaſium. *Saluberrima Apoſtolatus veſtri præcepta* &c. Ibi col. 291.

LXXXI. Gelaſius Laurentio de Lignido. *In prolixitate epiſtolæ* &c. Ibidem col. 289.

LXXXII. Agapitus Juſtiniano Auguſto. *Gratulamur, venerabilis Imperator, quod tanto* &c. Ibi col. 937.

LXXXIII. Vigilius Juſtiniano. *Inter innumeras ſollicitudines* &c. Ibi col. 1317.

LXXXIV. Joannes Epiſcopus Juſtiniano Auguſto. *Inter claras ſapientiæ* &c. Ib. col. 890. Exſtat etiam in Codice Juſtinianeo L. 8. de Summa Trinitate.

LXXXV. *Reparatus & ceteri CCXVII. Epiſcopi apud Juſtinianam Carthaginem in Concilio ad Joannem Papam. Optimam conſuetudinem* &c. Ibidem col. 900.

LXXXVI. Agapitus Reparato & ceteris Afris. *Jamdudum quidem fratres amantiſſimi* &c. Ibi col. 939.

LXXXVII. Idem Reparato Carthaginienſi: *Fraternitatis tuæ litteræ* &c. Ib. col. 940.

LXXXVIII. Idem Juſtiniano Aug. *Licet de Sacerdotii mei primitiis* &c. Ibi col. 941.

LXXXIX. Libellus Juſtiniani Imperatoris, quem dedit Agapito Conſtantinopoli. *In nomine Domini* &c. *Prima ſalus aſt rectæ fidei regulam cuſtodire* &c. Ibi col. 947. ubi ex noſtris codd. corrigenda eſt chronica nota ſic. *Dat. XVII. Kalendarum Aprilium P. C.* (ideſt poſt Conſulasum) *Beliſarii V. C.*

XC. *Libellus Mennæ Presbyteri, ac Xenodochi, qui factus eſt Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſub die III. Idus Martias iterum poſt Conſulatum Paullini junioris V. C. Prima ſalus eſt rectæ fidei* &c. ut in præcedenti tom. 5. col. 947. uſque ad verba, *quæ ab ea ſtatuta ſunt prædicamus*. Clauditur ſubſcriptione ipſius Menoæ: *Mennas miſericordia Dei Presbyter & Xenodochus ſuſcipio* &c.

XCI. Agapitus Juſtiniano. *Gratulamur, venerabilis Imperator* &c. Huic epiſtolæ editæ tom. 5. Conc. col. 937. inſerta eſt epiſtola Juſtiniani ad Agapetum incipiens: *Ante tempus* &c. quæ legitur ibidem col. 936. cuique inſertæ ſunt aliæ litteræ ejuſdem Imperatoris ad Joannem Papam, quarum initium: *Reddentes honorem*, ut in eadem col. 936. His autem inſertis proſequitur prior Juſtiniani epiſtola ad Agapitum: *quamobrem petimus*, uti eodem tomo col. 937. in fine: ac tandem concluditur Agapiti epiſtola: *Huic igitur, ut prædictum eſt* &c. Ibi col. 938. Chronicæ notæ duarum epiſtolarum Agapiti ad Juſtinianum, & Juſtiniani ad Agapitum, quæ in iiſdem vulgatis erant vitiatæ, poſt Cardinalem Noriſium ex Vaticano codice hujus collectionis emendatæ fuerunt a P. Antonio Pagio, uti in Veneta Conciliorum editione notatur eadem col. 938. num. 2. & 3.

XCII. Vigilius Juſtiniano. *Litteras clementiæ veſtræ* &c. Ibidem col. 1295.

XCIII. Vigilius Mennæ. *Licet univerſa* &c. Ibi col. 1298.

XCIV. Gelaſius Picenis Epiſcopis contra hæreſim Pelagianam. *Barbaricis hoſtibus* &c. Ibi col. 305.

XCV. Idem ad Dardanos. *Valde miratus ſumus* &c. Ibidem col. 324. Hæc epiſtola auctior eſt, quam in aliis collectionibus: hæcque additamenta ſecundis ipſius Gelaſii curis tribuenda probavimus capite præcedenti §. 4.

XCVI. Idem Honorio Epiſcopo. *Miramur dilectionem tuam* &c. Ibi col. 300.

XCVII. Ejuſdem Gelaſii dicta adverſus Pelagianam hæreſim. Incipit: *De Pelagianis quidem ſenſibus* &c. Ibidem col. 365.

XCVIII. Idem Honorio Epiſcopo. *Licet inter varias temporem difficultates* &c. Ibi col. 298.

XCIX. *Incipit in cauſa fidei chriſtianæ, cui ab exordio ſui numquam defuiſſe probantur inimici* &c. Eſt illud opuſculum, quod tomo 5. Conciliorum col. 173. vulgatum eſt cum titulo: *Breviculus hiſtoriæ Eutychianiſtarum*. Ex hac noſtra collectione primo impreſſum ante S. Leonis epiſtolas in editione Romana Epiſtolarum Romanorum Pontificum anni 1591. tom. 1. pag. 142. Tum vero Sirmondus velut ineditum ex alia collectione edidit, ac ex ipſo Conciliis inſertum. Verum in hoc Sirmondi exemplo deeſt ultima periodus, & fragmentum epiſtolæ Felicis III. quæ ex ſola noſtra collectione, & exinde in laudata editione Romana leguntur. Hoc opuſculum ſcilicet triplici forma vulgatum, duo additamenta ab ipſo auctore recepiſſe conjecimus adnot. 1. in cap. 43. collectionis hoc tomo edendæ col. 308. Auctorem vero eſſe ipſum Gelaſium, inter cujus epiſtolas refertur, probabiliter ſtatuiſſe videmur not. 4. in Obſervationes Queſnelli ad epiſt. 28. S. Leonis tom. 2. col. 1414. Nunc ultimam illam periodum & fragmentum litterarum Felicis

III.

III. quæ in vulgatis Conciliorum deſunt, hic appendenda credimus. Itaque poſt ultima editorum verba *ad Antiochenam miſit Eccleſiam*, hæc addenda ſunt: *Poſtquam Joannes ſupervenit Epiſcopus, quem Romana ſuſcepit Eccleſia, S. Papa Felix legationem, ut dictum eſt, ſicut oportuit, ordinavit, quæ apud prædictos omnes quidquid eſt hoſtilitatis experta eſt. Nam detruſa in cuſtodiam, perditis chartis, cum grandi vix remeavit opprobrio, Epiſcopatum Petri, ad quem expellendum miſſa fuerat, firmatum reportans, quem Romana anathematizaret Eccleſia. Ita Felix Papa Epiſcopis per Ægyptum, Thebaidem, Lybiam, & Pentapolim conſtitutis poſt alia: Petrus vero, qui ſe ab Eccleſiæ unitate ſub beatæ recordationis Proterio ſeparavit, & in mortem ipſius parricidæ Timotheo ſe ad perſequendos junxit orthodoxos, nulla tanti nominis aut honoris permittimus ſocietate lætari, quanto in creatoribus propriis non diſſimilibus ipſo ſui exordio caducum, quod ſe æſtimat, reperitur. Eſt ergo præfatus cunctis anathema, nec ab Eccleſia catholica credatur umquam recipi, qui poſt coercitionem ſæpiſſime* (editores Romani *cohortationem ſæpiſſimam*) *& per tot annorum ſpatia in perverſitate propria perſeverans, locum ſatisfactionis amiſit.*

Fragmentum epiſt. Felicis III.

C. *Incipit ejuſdem Papæ Gelaſii adverſus Andromachum Senatorem & ceteros Romanos, qui Lupercalia ſecundum morem priſtinum colenda conſtituebant. Sedent quidam in domibus ſuis* &c. tom. 5. Concil. col. 359.

CI. Gelaſii Dardanis & per Illyricum. *Audientes orthodoxam* &c. Ibidem col. 322.

CII. *Libellus, quem dederunt Apocryſarii Alexandrinæ Eccleſiæ Legatis ab urbe Roma Conſtantinopolim deſtinatis. Glorioſiſſimo atque excellentiſſimo Patricio Feſto* &c. Ibidem col. 412. Poſt hunc libellum Anaſtaſio Pontifice ſcriptum hæc notatio majuſculis litteris exarata legitur in cod. Vat. 4961. pag. 63. *Dionyſius Exiguus Romæ de Græco convertit.* Binius laudato tomo 5. col. 403. not. a hanc notationem perperam refert ad ſequens documentum, quod cum ſcriptum fuerit latine, a Dionyſio e Græco vertendum non fuit.

Libellus a Dionyſio latine redditus.

CIII. *Exemplar geſtorum de abſolutione Miſeni. Flavio Viatore V. C. ſub III. Idus Majarum in baſilica B. Petri. Reſidente in Synodo venerabili viro Papa Gelaſio* &c. Ibi col. 397. Ex hac collectione hæc Synodus primo vulgata ab editoribus Romanis Epiſtolarum Romanorum Pontificum, tum vero a Card. Baronio ad an. 395. n. 6. cum emendationibus ex MS. Virdunenſi, cujus lectiones a P. Frontone Ducæo acceperat.

CIV. *Symmachi univerſis per Illyrium & Dardaniam* &c. *Quod plane fieri* &c. Ibi col. 431.

CV. Dorotheus Hormiſdæ. *An quodam loco* &c. Ibidem col. 563.

CVI. Hormiſda Dorotheo. *Ubi caritatis intereſt* &c. Ibi col. 564.

CVII. Anaſtaſius Imperator Hormiſdæ. *Beatitudini veſtræ non putamus ignotum* &c. Ibi col. 561.

CVIII. Hormiſda Anaſtaſio. *Gratias ſupernæ virtuti* &c. Ibi col. 562.

CIX. Anaſtaſius Hormiſdæ. *Omnibus negotiis* &c. Ibidem col. 565.

CX. Hormiſda Anaſtaſio. *Bene clementia veſtra* &c. Ibidem.

CXI. Anaſtaſius Hormiſdæ. *Omnia, quæ benignitas* &c. Ibi col. 573.

CXII. Hormiſda Anaſtaſio. *Sollicitari animum tuum* &c. Ibi col. 574.

CXIII. Anaſtaſius Senatui urbis Romæ. *Si vos liberique veſtri valetis* &c. Ibi col. 575.

CXIV. Reſcriptum Senatus ad eumdem. *Si prima ſemper eſt* &c. Ibi col. 576.

CXV. Hormiſda Anaſtaſio. *Bene atque utiliter* &c. Ibi col. 570.

CXVI. *Indiculus, qui datus eſt Ennodio & Fortunato Epiſcopis* &c. *Cum Dei adjutorio* &c. Ibidem col. 566.

CXVII. *Item capitula ſingularum cauſſarum, ut S. Synodus Chalcedonenſis* &c. Ibi col. 569.

CXVIII. *Exemplum relationis Joannis Epiſcopi Nicopolitani per Rufinum Diaconum ejuſdem. Domino meo* &c. Ibi col. 577.

A CXIX. Hormiſda Joanni. *Gaviſi ſumus* &c. Ib. col. 578.

CXX. Synodus veteris Epiri. Joannes & alii Epiſcopi Hormiſdæ. *Si digneris præmiſſ* &c. Ibi col. 579.

CXXI. Reſponſio Hormiſdæ ad hanc Synodum. *Benedictus Deus* &c. Ibi col. 580.

CXXII. Hormiſda Joanni Nicopolitano. *Litterarum quas direxiſtis* &c. Ibi col. 582.

CXXIII. Indiculus per Pullionem Subdiaconum. *Cum Dei adjutorio* &c. Ibi col. 583.

CXXIV. Hormiſda eidem Joanni & Synodo. *Optaremus dilectiſſimi* &c. Ibi col. 595.

CXXV. Eidem Joanni. *Remeante Pullione* &c. Ibidem.

B CXXVI. Sacra Anaſtaſii Auguſti Hormiſdæ. *Gratias omnipotenti Deo* &c. Ibi col. 572.

CXXVII. Hormiſda Anaſtaſio. *Dudum Legatis* &c. Ibidem col. 586.

CXXVIII. Eidem alia. *Dum ſapientiæ veſtræ* &c. col. 594.

CXXIX. Timotheo CP. *Non mirabitur* &c. Ib. col. 588.

CXXX. Hormiſda Epiſcopis Orientis. *Etſi admonitionis meæ* &c. Ib. col. 589.

CXXXI. Idem Epiſcopis orthodoxis. *Eſt quidem fidelium* &c. Ib. col. 590.

CXXXII. Poſſeſſori Epiſcopo. *Optimam veſtræ caritatis* &c. Ib. col. 592.

C CXXXIII. Conſtantinopolitanis. *Si is qui calicem* &c. Ibidem.

CXXXIV. Dorotheo Theſſalonicenſi. *Joannes frater & Coepiſcopus meus* &c. Ib. col. 596.

CXXXV. Ennodio & Peregrino. *Poſtquam profecta eſt* &c. Ib. col. 593.

CXXXVI. Eiſdem. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, intercedentibus* &c. Ib. col. 594.

CXXXVII. Exemplum relationis Aviti Epiſcopi Galli ad Hormiſdam. *Dum religionis ſtatui* &c. Ib. col. 583.

CXXXVIII. Hormiſda Avito & ceteris Epiſcopis Viennenſis provinciæ. *Qui de his, quæ ad diſciplinam* &c. Ib. col. 584.

D CXXXIX. Anaſtaſius Hormiſdæ. *Etſi magnum aliquid* &c. Ibi col. 597.

CXL. *Exemplum relationis minimorum Archimandritarum & ceterorum Monachorum ſecundæ Syriæ ſanctiſſimo & beatiſſimo univerſæ orbis terræ Patriarchæ Hormiſdæ continenti Sedem Principis Apoſtolorum Petri* &c. Ibi col. 598.

CXLI. Reſponſio Hormiſdæ. *Lectis litteris dilectionis veſtræ* &c. Ibi col. 692. & una cum verſione Græca col. 1111. Solum initium hujus epiſtolæ exſtat in Hadriana collectione.

CXLII. Juſtinus Imperator Hormiſdæ. *Dei beneficia* &c. Ibidem col. 606.

E CXLIII. Hormiſda Juſtino. *Venerabilis regni veſtri primitiis* &c. Ibidem.

CXLIV. Juſtinus Hormiſdæ. *Joannes vir beatiſſimus hujus regiæ urbis Antiſtes* &c. Ibi col. 607.

CXLV. Hormiſda Juſtino. *Sumtum de imperii veſtri ortu* &c. Ibidem.

CXLVI. Hormiſda Joanni CP. *Spiritale gaudium* &c. Ibi col. 609.

CXLVII. Exemplum relationis Joannis Epiſcopi CP. ad Hormiſdam. *Saluto veſtram Sanctitatem* &c. Ibi col. 608.

CXLVIII. Exemplum epiſtolæ Juſtiniani. *Deſiderabile tempus* &c. col. 610.

CXLIX. Hormiſda Juſtiniano. *Litterarum veſtrarum ſerie* &c. Ibi col. 612.

F CL. Hormiſda Juſtino Aug. *In tantum pro gratia Divinitatis* &c. Ib. col. 614.

CLI. Idem Joanni CP. *Reddidimus quidem* &c. Ibidem col. 616.

CLII. Idem eidem. *Ea quæ caritas tua* &c. Ibidem col. 617.

CLIII. Idem Celeri & Patricio a pari*. *Quamvis pro loci noſtri conſideratione* &c. Ibi col. 619.

CLIV. Idem Præfecto Prætorio Theſſalonicenſi, & ceteris illuſtribus a pari. *Licet pro cauſſa eccleſiaſtica* &c. Ibidem.

CLV. Hormiſda Juſtiniano. *Magnitudinis veſtræ litteras* &c. Ibi col. 618.

CLVI. Theodoſio Archidiacono CP. & ceteris catholicis a pari. *Gratias miſericordiæ divinæ* &c. Ibidem.

CLVII. Idem Epiphaniæ Auguſtæ. *Eccleſiarum pax* &c. Ibi col. 615.

CLVIII. Anaſtaſiæ & Palmatiæ a pari. *Bonæ voluntatis judicium* &c. Ibi col. 619.

CLIX. *Indiculus quem acceperunt legati noſtri qui ſupra. Cum Deo propitio* &c. Ibi col. 612.

CLX. Exemplum libelli Joannis CP. ad Hormiſdam. *Redditis mihi litteris* &c. Ibi col. 621. Eſt etiam in collectione Hiſpanica.

CLXI. Juſtinus Aug. Hormiſdæ. *Sciat effectus* &c. Ibi col. 626. & in eadem collectione.

CLXII. Relatio Joannis CP. Hormiſdæ. *Quando Deus propria* &c. Ibidem.

CLXIII. Exemplum epiſtolæ Juſtiniani Comitis ad Hormiſdam. *Venerandæ Sanctitatis veſtræ*. Ibi col. 627.

CLXIV. Pompeji ad Hormiſdam. *Sanctis Beatitudinis veſtræ* &c. Ibi col. 628.

CLXV. Julianæ Aniciæ ad eumdem. *Precibus veſtræ Beatitudinis* &c. Ibidem.

CLXVI. Anaſtaſiæ ad Hormiſdam. *Divini muneris illuxiſſe* &c. Ibidem.

CLXVII. Theodoriti Epiſcopi Litauidenſis (melius in vulg. *Lignidenſis*) ad Hormiſdam. *Meæ quidem exiguitatis* &c. tom. 5. Conc. col. 629.

CLXVIII. Suggeſtio Dioſcori Diaconi per Pullionem Subdiaconum. *Ineffabilis Dei omnipotentis* &c. Ibi col. 624.

CLXIX. Hormiſda Juſtino Auguſto. *Lectis clementiæ veſtræ paginis* &c. Ibi col. 630.

CLXX. Idem Joanni CP. *Conſideranti mihi* &c. Ibi col. 632.

CLXXI. Germano & Joanni Epiſcopis. *De his, quæ acta caritatis veſtræ relatio* &c. Ibi col. 636.

CLXXII. Joanni Epiſcopo & Dioſcoro Diacono. *Reperimus Thomatem & Nicoſtratum* &c. Ibi col. 638.

CLXXIII. Ad Thomam & Nicoſtratum. *Animum noſtrum pro negotio veſtro* &c. Ibidem.

CLXXIV. Alia cui prænotatur *Deeſt inſcriptio*, incipit autem: *De laboris tui, quem* &c. Ibi col. 637. litt. A.

CLXXV. Hormiſda Pompejo. *Ita devotionis noſtræ animum* &c. Ibi col. 634.

CLXXVI. Dioſcoro Diacono. *De laboris tui quidem, quem Dei omnipotentis juvamine* &c. Ibi col. 637. litt. D.

CLXXVII. Juſtiniano. *Benedicimus ineffabile* &c. Ibi col. 633.

Epiſt. Hormiſdæ inedita.

CLXXVIII. Alia Hormiſdæ, quam nullibi editam nacti, heic deſcribimus. *Hormiſda. Cum neceſſe fuerit ſcripta Domino filio noſtro clementiſſimo Principi deſtinari; amplitudinem veſtram ſilentio præterire nequimus. Et ideo ſalutationis honorificentiam præloquentes, eos, qui in rem deſtinati ſunt, commendamus, poſtulantes ut Domino noſtro auctore ſub veſtra diſpoſitione celeriter ut* (leg. *ad*) *deſtinata perveniant, ut ſacratiſſimus & religioſiſſimus Imperator meritorum ſuorum gloriam poſſit ſine dilatione cognoſcere.*

CLXXIX. *Grato inl. Hormiſda. Contriſtavit nos* &c. tom. 5. Concil. col. 634.

CLXXX. Hormiſda Julianæ Aniciæ. *Litteris amplitudinis veſtræ* &c. Ibidem.

CLXXXI. Anaſtaſiæ. *Poſtquam Deus noſter* &c. Ibidem.

CLXXXII. Juſtinus Aug. Hormiſdæ. *Quanto flagramus ſtudio* &c. Ibi col. 653.

CLXXXIII. Exemplar relationis Epiſcopi CP. ad Hormiſdam. *Quemadmodum puro corde* &c. Ibidem.

CLXXXIV. Alia ejuſdem relatio. *Quantam alacritatem* &c. Ibi col. 676.

CLXXXV. Alia ejuſdem item ad Hormiſdam. *Paulinus veſtræ Sedis defenſor* &c. Ibi col. 677.

CLXXXVI. Suggeſtio Germani Epiſcopi, Felicis & Dioſcori Diaconorum, & Blandi Presbyteri. *Reverenda veſtri Apoſtolatus alloquia* &c. Ibi col. 654.

CLXXXVII. Indiculus, qui directus eſt a Joanne Epiſcopo, vel ab Epiphanio Presbytero de Theſſalonica. *Si pro peccatis noſtris* &c. Ibi col 655.

CLXXXVIII. Juſtinianus Hormiſdæ. *Propitia Divinitate* &c. col. 649.

A CLXXXIX. Alia Juſtiniani. *Ut pleniſſima fidei* &c. Ibi col. 650.

CXC. Hormiſda Juſtiniano illuſtri. *Eulogio V. C. filio noſtro* &c. Ibi col. 651.

CXCI. Eidem. *Ita magnificentiæ noſtræ* &c. Ibidem.

CXCII. Juſtiniani epiſtola. *Per fratrem Proemtoris quidquid eſt cautius* &c. Ibi col. 650.

CXCIII. Juſtinus Aug. Hormiſdæ. *Summa quidem habenda* &c. Ibi col. 659.

CXCIV. Juſtinus Hormiſdæ. *Cum in animo nobis ſit* &c. Ibi col. 658.

CXCV. Euphimia Hormiſdæ. *Beatitudinis tuæ litteras* &c. Ibi col. 659.

CXCVI. Relatio Epiphanii CP. ad Hormiſdam. B *Deus qui in alto habitat* &c. tom. 5. Conc. col. 666.

CXCVII. Juſtiniani illuſtris epiſtola. *Domino noſtro Jeſu Chriſto favente* &c. Ibi col. 667.

CXCVIII. Celeris illuſtris ad Hormiſdam. *Maxima nobis gratulationis cauſſa* &c. Ibi col. 660.

CXCIX. Julianæ Aniciæ ad Hormiſdam. *Quæ prima ſunt* &c. Ibidem.

CC. Juſtinus Aug. ad eundem. *Cum beatiſſimum Germanum* &c. Ibi col. 670.

CCI. *Exemplum epiſtolæ Juſtiniani Conſ.* (in vulg. *Viri clariſſimi*) *Quanta reverentia* &c. Ibi col. 677.

CCII. Hormiſda Juſtino Aug. *Benedicta Trinitas Deus noſter* &c. Ibi col. 671.

C CCIII. Eidem. *Glorioſis clementiæ veſtræ laboribus* &c. Ibi col. 639.

CCIV. Euphemiæ Aug. *Orare nos* &c. Ibidem.

CCV. Epiphanio CP. *Oportuerat quidem* &c. Ibi col. 665.

CCVI. Eidem. *Diu nos nuntiata* &c. Ibidem.

CCVII. Hormiſda Juſtiniano Ill. *Quod celſitudo veſtræ* &c. Ibi col. 679.

CCVIII. Eidem. *Studium veſtrum* &c. Ibi col. 640.

CCIX. Relatio Dorothei Epiſcopi Theſſalonicenſis ad Hormiſdum *Propoſiti noſtri* &c. Ibi col. 670.

CCX. Hormiſda Dorotheo. *Conſiderantes tuæ fraternitatis Eccleſiam* &c. Ibi col 671.

D CCXI. Eliæ, Thomæ, & Nicoſtrato Epiſcopia *Quanto mens noſtra* &c. Ibi col. 641.

CCXII. Germano illuſtriſſimo. *Excubantibus vobis* &c. Ibidem.

Alia epiſt. Hormiſdæ inedita.

CCXIII. Hanc nondum editam integram damus. *Juſtinus Auguſtus Hormiſdæ. Illuſtrem virum Epiſcopum R. grato ſuſcepimus animo, non pro honore tantum qui debetur Sacerdotibus, verum etiam pro affectu veſtræ ſanctitudinis. Nam quicumque tuo comprobatus judicio fuerit, eſt apud nos etiam judicatus probatiſſimus. De opera tamen & favore, qui ſacroſanctis inferendus eſt Eccleſiis, tunc demum opportunius ſtatuetur, cum legati, quos nuper ad Regem magnificum Traſamundum deſtinaſſe noſcimur, reverſi propitia Divinitate reſponſum nobis detulerint.* E *Veſtra autem beatitudo ſupernum nobis præſidium indefeſſis orationibus poſtulare dignetur. Data XV. Kal. Decembris Conſtantinopoli Domino Juſtino perpetuo Auguſto* (ſupple *Coſ.* ideſt anno 519.) *Accepta XI. Kal. Junii Ruſticio Coſ.* ideſt an. 520.

Juſtini Aug. legatio ad Traſamundum.

CCXIV. Suggeſtio Germani & Joannis Epiſcoporum, Felicis & Dioſcori Diaconorum, & Blandi Presbyteri. *In civitate Aulonitana* &c. tom. 5. Concil. col. 620.

CCXV. Item ſuggeſtio quorum ſupra. *In alia epiſtola* &c. Ibi col. 621.

CCXVI. Exemplum relationis Andreæ Epiſcopi Prævalitani ad Hormiſdam. *Commendans me* &c. Ibidem.

F CCXVII. Suggeſtio Dioſcori Diaconi. *Verum eſt nulla eſſe gaudia* &c. Ibi col. 646.

CCXVIII. Item ſuggeſtio Germani & aliorum quorum ſupra. *Cum Dei miſericordia* &c. Ibi col. 647.

CCXIX. Item ſuggeſtio quorum ſupra. *Filius veſter magnificus vir* &c. Ibi col. 648.

CCXX. Hormiſda Germano & aliis quorum ſupra. *Opinionum diverſitas* &c. Ibi col. 629.

CCXXI. Iiſdem. *Animus noſter* &c. Ibi col. 630.

CCXXII. Iiſdem. *Neceſſe eſt* &c. Ibidem.

CCXXIII.

A CCXXIII. Suggeſtio Dioſcori Diaconi. *Erat epta-bile* &c. Ibi col. 656.

CCXXIV. Item ſuggeſtio Germani & aliorum quorum ſupra. *Non miramur* &c. Ibi col. 623.

CCXXV. Suggeſtio Dioſcori Diaconi. *Per Eulogium V. C. litteras* &c. Ibi col. 651.

CCXXVI. Suggeſtio Germani & aliorum quorum ſupra. *Magna miſericordia Dei eſt* &c. col. 642.

CCXXVII. Hormiſda Germano & aliis quibus ſupra. *Cum nos eccleſiaſticæ proſperitatis gaudia* &c. Ibi col. 641.

CCXXVIII. Eiſdem. *Graviter nos* &c. col. 644.

CCXXIX. Eiſdem. *Ita nos incolumitatis* &c. col. 661.

B CCXXX. Iiſdem. *Animos noſtros* &c. Ibidem.

CCXXXI. Exemplum relationis Poſſeſſoris Epiſcopi Afri ad Hormiſdam. *Decet & expedit* &c. Ibidem.

CCXXXII. Hormiſda Poſſeſſori. *Sicut rationi congruit* &c. Ibi col. 662.

CCXXXIII. Juſtinus Hormiſdæ. *Quo fuimus ſemper* &c. Ibi col. 672. Eſt etiam in collectione Hadriana.

CCXXXIV. Exemplum precum Hieroſolymitanorum, Antiochenſium, & ſecundæ Syriæ Clericorum, Abbatum &c. ad Juſtinum. *Haurite aquam cum lætitia* &c. Ibi col. 673. Extat etiam in eadem Hadriana.

C CCXXXV. Relatio Epiphanii Epiſcopi CP. ad Hormiſdam. *Quantam habuimus alacritatem* &c. Ibi col. 668.

CCXXXVI. Relatio Synodi CP. de ordinatione Epiphanii ad Hormiſdam. *Innumerabilem & inveſtigatam* &c. Ibi col. 656.

CCXXXVII. Juſtiniani epiſtola ad Hormiſdam. *Quantam venerationem* &c. col. 678.

CCXXXVIII. Hormiſda Juſtino Aug. *Inter ea, quæ ad unitatem* &c. Ibi col. 682. Eſt etiam in collectione Hadriana, nec non in Hiſpanica.

CCXXXIX. Hormiſda Epiphanio CP. *Multo gaudio ſum repletus* &c. Ibi col. 685. Extat etiam in collectione Hiſpanica.

D CCXL. Hormiſda Juſtino. *Scio quidem* &c. col. 680.

CCXLI. Hormiſda Epiphanio CP. *Benedicimus Dominum* &c. col. 676.

CCXLII. Idem Synodo CP. *Fratrem & Coepiſcopum noſtrum Epiphanium* &c. col. 675. Poſtea hæc notatio legitur, *Geſta in cauſſa Abundantii Epiſcopi Trajanopolitani in ſcrinio habemus*.

CCXLIII. Juſtinus Aug. Hormiſdæ Papæ. *Ut quod in Paullo* &c. tom. 5. Conc. col. 685.

CCXLIV. Exemplar relationis Epiphanii Epiſcopi CP. ad Hormiſdam. *Frequentiores quidem* &c. Ibidem.

E CCXLV. *Exemplum epiſtolæ Juſtiniani V. Ill. Diligenter Apoſtolatus veſter cognoſcit* &c. Ibi col. 679.

CCXLVI. Epiphanius Diodoro Epiſcopo. *Gratiam præſtans potius, quam ſumens* &c. Eſt antiqua verſio, ſed in fine mutila, libri S. Epiphanii de duodecim gemmis Rationalis Summi Sacerdotis Hebræorum, noviſſime edita & illuſtrata a Petro Franciſco Fogginio Romæ an. 1743. In hoc opuſculo collectio deſinit, omneſque codices etiam Veneti illud æque mutilum exhibentes, in iiſdem verbia deſinunt.

CAPUT XIII.

De collectionibus Theſſalonicenſi & Arelatenſi.

F I. ETſi inſtituti noſtri non ſit eas collectiones explicare, quæ non generales, ſed propriæ fuerunt alicujus Eccleſiæ; duæ tamen inter has ita ſunt celebres, & ita multa vetuſta ac ſincera, atque præſtantiſſima aliunde fere incognita documenta ſuppeditarunt, ut omitti non poſſint. Prima eſt collectio Eccleſiæ Theſſalonicenſis, quæ geſtis Romanæ Synodi anni 531. ſub Bonifacio II. tota inſerta fuit. Continet plures Romanorum præcipue Antiſtitum epiſtolas, quibus Apoſtolicæ Sedis in Illyrico vices Theſſalonicenſi Epiſcopo commiſſæ, vel confirmatæ fuerunt. Huic collectioni occaſionem dedit cauſſa Stephani Epiſcopi Lariſſeni & Metropolitæ Theſſaliæ in eodem Illyrico, qui depoſitus ab Epiphanio CP. aliiſque Epiſcopis cum eo conſidentibus, Romam confugit; ubi coacta Romana Synodo, Theodoſius Epiſcopus Echinienſis ab eo miſſus, ut incompetens Epiphanii judicium probaret, Romanos Pontifices *ſpecialiter gubernationi ſuæ Illyrici* (ac proinde etiam Theſſaliæ) *Eccleſias vindicaſſe*, pluribus documentis in medium productis oſtendit. Cum vero idem Theodoſius inſtitiſſet, ut ea legerentur, & iiſdem fides conciliaretur ex ſcrinio apoſtolico; Bonifacius Pontifex juſſit: *Prolatæ epiſtolæ recitentur, & ſcriptorum fides in Sedis Apoſtolicæ requiratur ſcrinio*: quod ad earum authentieitatem commendandam maxime confert. Epiſtolæ autem ſex & viginti ejuſdem Synodi geſtis inveniuntur inſertæ hoc ordine, duæ Damaſi, una Siricii, duæ Innocentii, quinque Bonifacii I. una Imperatoris Honorii ad Theodoſium Auguſtum, hujus reſcriptum ad eumdem Honorium, Cæleſtini una, quatuor Xyſti III. una Marciani Imperatoris ad Leonem Papam, tres hujus Pontificis, dein una Anatolii CP. ad eumdem, & quatuor aliæ ejuſdem Leonis, ut videre eſt tom. 5. Concil. Ven. edit. col. 843. & ſeqq. Hactenus codex Barberinus 3386. ex quo hæc inſignis collectio, ſeu hæc Romana Synodus tam pretioſa documenta actis inſerta præferens a Luca Holſtenio edita fuit. Etſi vero hic Barberinus codex recentior ſit; ipſius tamen Holſtenii cura diligenter exſcriptus fuit ex duobus antiquioribus Vaticanis tunc ſignatis num. 5751. fol. 55. & 4339. fol. 12. qui in prima Barberini exempli pagina ejuſdem Holſtenii manu indicantur. Alterum ex his Leo Allatius antea adhibuerat, cum in *Concordia Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali* pag. 1370. & 1371. aliquot earum epiſtolarum fragmenta, quæ aliunde non ſuppetunt, ex Vaticano vetuſtiſſimo exemplo recitavit. Quantalibet autem diligentia uſi ſimus, nullum ex iiſdem codicibus inter Vaticanos reperire potuimus; ac propterea ſolum Barberinum codicem in Leoninis epiſtolis conferre licuit. Pluribus quidem erroribus ſcatet, quos Holſtenius in editione emendavit; & lacunis etiam aliquot inficitur, quas ille apte ſupplevit. Sed Vaticanum quoque exemplum, ex quo Barberinus codex exſcriptus fuit, æque luxatum atque mendoſum Leo Allatius teſtatur: & Barberini quidem codicis menda ex mendis exempli Vaticani proficiſci nonnullis certis indiciis deteximus. Vide præfationem ad Epiſtolas S. Leonis §. XVII. tom. 1. pag. 535.

Occaſio collectionis Theſſalonicenſis.

tom. 5. Concil. col. 843.

II. Porro in his MSS. ea Romana Synodus integra inventa non eſt, & deſinit in epiſtola perperam inſcripta Leonis nomine ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, quam ex contextu & conſulari nota Holſtenius jure reſtituit Bonifacio I. ad Rufum Epiſcopum Theſſalonicæ. Hinc cum ipſa documentorum Theſſalonicenſium collectio, quæ geſtis ejuſdem Synodi erat inſerta, poſt laudatam epiſtolam abrumpatur (uti oſtendunt etiam hæc verba ipſi epiſtolæ ſubjecta, *Item recitata eſt*, quæ aliam epiſtolam ſubſequentem & in MSS. deficientem palam inſinuant:) quot alia documenta ad eamdem collectionem pertinentia deinceps ſequerentur, incertum eſt. Plura quidem intercidiſſe innuunt non obſcure Nicolai I. verba in epiſt. 2. ad Michaelem Imperatorem. *Vicem*, inquit, *quam noſtra Sedes per Epiſcopos veſtris in partibus conſtitutos habuit, videlicet Theſſalonicenſem*, * *qui Romanæ Sedis vicem per Epirum veterem, Epirumque novam atque Illyricam, Macedoniam, Theſſaliam, Achajam, Daciam Ripenſem, Daciamque Mediterraneam, Mœſiam, Dardaniam, Prævalim, B. Petro Apoſtolorum Principi contradicere nullus præſumat; quæ anteceſſorum noſtrorum temporibus, ſcilicet Damaſi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Cæleſtini, Xyſti, Leonis, Hilari, Simplicii, Felicis, atque Hormiſdæ ſanctorum Pontificum ſacris diſpoſitionibus augebatur. Quorum denique inſtitutiones ab eis illis in partibus deſtinatas per noſtros miſſos, ut rei veritatem cognoſcere queatis, veſtræ Auguſtali potentiæ dirigere curavimus.* In memoratis Synodi Romanæ geſtis, quæ ſuperſunt, nobis conſervata fuerunt documenta a Damaſo ad Leonem uſque, ita tamen ut ignoremus, num alia

Hæc collectio in fine mutila.

tom. 9. Conc. col. 1295.

** locus mendoſus vel luxatus.*

ali-

aliqua etiam Leonis ſubjicerentur, quæ deſint. Certe autem deſiderantur epiſtolæ Hilari, Simplicii, Felicis, atque Hormiſdæ, quas ante Bonifacii II. Synodum ſcriptas iiſdem proculdubio geſtis inſertas fuiſſe dubitare non licet. Cum Leo Allatius in laudato opere *Concordia* pag. 1371. ex Vaticano, quo uſus eſt exemplo, quædam verba recitet litterarum Leonis ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, quæ in vulgatis Leoninis non inveniuntur; nemo ſuſpicetur, hoc eſſe fragmentum epiſtolæ Leonis, quam Vaticanus codex præferret, Barberini vero apographi librarius omiſerit. Ea enim verba reipſa ſunt memoratæ epiſtolæ Bonifacii ad Rufum, quæ in Vaticano codice Leoni ad Anaſtaſium æque perperam inſcripta erat, ac in Barberino inſcribitur.

Documenta ejuſdem collectionis ab antiquis laudata.

III. Laudatum Nicolai I. teſtimonium, ſi nihil aliunde præſto eſſet, ſatis eſſe deberet, ne quis tam rara documenta, quæ ex Barberino codice ſunt impreſſa, antiquis ignota fuiſſe ſuſpicetur. Alia vero non deſunt teſtimonia ipſo Nicolao vetuſtiora. Nam epiſtolam Anatolii ad Leonem, quæ ex hac ſola collectione prodiit, laudat Gelaſius in epiſtola ad Dardanos, uti oſtendimus not. 9. in epiſt. 132. Eamdem quoque allegat etiam Facundus Hermianenſis lib. 5. Hadrianus I. totum exordium epiſtolæ Bonifacii, quæ incipit *Inſtitutio*, ac ex eadem collectione tantum edita fuit, tranſcripſit in epiſt. 97. Codicis Carolini editionis Gretſeri pag. 322. Adde quod nonnullæ epiſtolæ hujus collectionis in aliis probæ notæ codicibus invenræ ſunt. Ita ex novem ejuſdem collectionis epiſtolis ſub Leone tres ante editionem Holſtenii ex aliis MSS. editæ fuerant. Nos unam præterea reperimus in præſtantiſſimo codice Ratiſponenſi, & Queſnellus in Grimanico: epiſtolam vero 1∞. Marciani ad S. Leonem Arnoldus græce ſcriptam in Bodlejano exemplo nactus eſt, nos in Vat. Græco 1455. Confer præfationem in Leonis epiſtolas loco citato. Cum autem hæc omnia ſinceritatem documentorum hujus collectionis etiam atque etiam confirment; audax nimium a quibuſque judicabitur Queſnelli cenſura, qua epiſtolam Bonifacii I. ad Epiſcopos Theſſaliæ ex hac collectione vulgatam in notatione ad caput 1. collectionis hoc tomo edendæ ſuppoſitionis aut interpolationis accuſavit. Vide noſtram adnot. 32. in laudatum caput primum col. 51. ubi Queſnelli verba referentur, & perſtringentur.

Collectio Arelatenſis.

IV. Altera collectio eſt Arelatenſis Eccleſiæ, ea documenta complectens, quibus ejuſdem Eccleſiæ privilegia ac jura probantur. Hanc collectionem præ oculis habuiſſe videntur Patres Synodi Francofordienſis anni 794. cum eas pontificias epiſtolas recitatas tradunt, quæ in eadem collectione continentur, & nonnullæ nonniſi in ea hactenus inveniri potuerunt. Inquiunt enim can. 8. *De altercatione Urſionis Vienneſis Epiſcopi, & advocato Eliſanti Arelatenſis Epiſcopi lectæ ſunt epiſtolæ B. Gregorii, Zoſimi, Leonis, & Symmachi, quæ definierunt eo quod Viennenſis Eccleſia quatuor ſuffraganeas habere ſedes deberet, quibus illa quinta præemineret; & Arelatenſis Eccleſia novem ſuffraganeas habere deberet, quibus ipſa præemineret.* Certe tres Leonis epiſtolæ, quæ in noſtra editione ſunt 40. 42. & 66. hac una collectione opitulante ad nos pervenerunt. Idem eſt de epiſtolis Zoſimi aliiſque nonnullis. Quæ vero in aliis quoque collectionibus inventæ ſunt, uti Gregorii litteræ ad Virgilium Arelatenſem, quæ extant in Regeſto ejuſdem Pontificis, ceteris fidem concilient; cum præſertim poſteriores antecedentium faciant mentionem, & aliæ aliis teſtimonium præſtent.

tom. 9. Conc. col. 1063.

Codices ejus collectionis.

V. Hujus collectionis laudantur tres antiqui codices, duo in Colbertina bibliotheca, unus in Regia iſque ſæculo nono exaratus traditur a P. Couſtantio in præfatione ad tom. 1. epiſtolarum Rom. Pontif. num. 165. Nos recentiorem quidem Romæ vidimus in bibliotheca Vallicellana ſignatum G. 99. qui tamen ex vetuſto MS. tunc Arelatenſis Eccleſiæ, poſtea Colbertinæ accurate exſcriptus, a Nicolao Fabro miſſus fuit ad Cardinalem Baronium. Ne quid vero hallucinationis obrepat, duo hujus collectionis exemplaria Colbertina diſtinguenda ſunt, quorum alterum diſtinctionis gratia P. Couſtantius Arelatenſem, alterum Colbertinum appellat in Monito ad epiſt. 1. Zoſimi col. 933. Ibi autem indicat, apographum Vallicellanum miſſum ad Baronium, ſumtum fuiſſe ex MS. Colbertino Arelatenſi: ſed ex altero Colbertino exſcriptum pluribus indiciis deteximus. Non ſolum enim aliquot lectiones Vallicellani a lectionibus MS. Arelatenſis diſcrepant, uti colligere licet ex not. 6. in Leonis epiſt. 66. tom. 1. col. 998. verum etiam Vallicellanus aliquot documentis caret, quæ in MS. Arelatenſi inveniuntur, ut ex dicendis palam fiet. Codex Regius 3989. duobus Colbertinis antiquior, teſte eodem Couſtantio documenta profert ad Pelagium uſque. Quo autem perveniat Colbertinus Arelatenſis ſignatus num. 1951. ignoramus. Ex indiciis a P. Couſtantio productis certum videtur eum progredi ſaltem uſque ad S. Gregorium Magnum. Vallicellanus vero codex ex altero Colbertino deſcriptus locupletior eſt, quippe qui nonnulla monumenta poſteriora recepit. Quæ autem in hoc exhibentur, ſunt hæc.

I. Zoſimi epiſtola ad Epiſcopos per Gallias & ſeptem provincias conſtitutos. Exſtat tom. 3. Concil. Ven. edit. epiſt. 5. col. 409.

II. Ejuſdem Aurelio & Epiſcopis Africæ, Epiſcopis Galliarum & ſeptem provinciarum, & Epiſcopis Hiſpaniæ a pari. Ibidem epiſt. 6. col. 411.

III. Ejuſdem Epiſcopis Viennenſis & Narbonenſis ſecundæ. Ibidem epiſt. 7. col. 413.

IV. Ejuſdem Hilario Narbonenſi. Ibidem epiſt. 8. col. 414.

V. Ejuſdem Patroclo Arelatenſi. Ibidem epiſt. 9. col. 415.

VI. Ejuſdem ad eumdem. Ibidem epiſt. 11. col. 417. a

VII. Ejuſdem Clero & ordini & plebi conſtitutis Maſſiliæ. Ibi epiſt. 12.

VIII. Leonis Conſtantio aliiſque Epiſcopis Galliarum. In noſtra editione eſt epiſt. 4.

IX. Ravennio Arelatenſi. Ibi epiſt. 42.

X. Preces Epiſcoporum Galliæ ad Leonem. Ibi epiſt. 65.

XI. Reſcriptum Leonis. Ibi epiſt. 66.

XII. Præceptum Hilari Papæ de Eccleſia Dienſi, ubi Epiſcopus indebite a Viennenſi Epiſcopo ordinatus eſt. Epiſt. 11. ejuſdem Pontificis tom. 5. Concil. col. 69.

XIII. Gelaſii Æonio Arelatenſi. Eſt epiſt. 12. Gelaſii ibidem col. 324.

XIV. Symmachi eidem Æonio. Eſt epiſt. 1. hujus Pontificis ibidem col. 421.

XV. Ejuſdem ad Epiſcopos Galliarum. Epiſt. 9. ibi col. 438.

XVI. Ejuſdem Cæſario Arelatenſi. Epiſt. 5. ibi col. 424. Hæc epiſtola exſtat etiam in collectionibus Hiſp. & Iſid. ac aliis nonnullis.

XVII. Hormiſdæ ad Cæſarium. Epiſt. 30. ibidem col. 610.

XVIII. Joannis II. ad Epiſcopos Galliæ. Epiſt. 4. ibi col. 899.

XIX. Ejuſdem Presbyteris, Diaconibus, & cuncto Clero Eccleſiæ, in qua fuit Contumelioſus Epiſcopus. Epiſt. 5. ibi col. 900.

XX. Agapiti Cæſario. Epiſt. 6. ibi col. 945.

XXI. Ejuſdem eidem. Epiſt. 7. col. 946.

XXII. Vigilii ad eumdem Cæſarium. Epiſt. 3. ibi col. 1294.

XXIII. Ejuſdem Auxaniu Aralatenſi. Epiſt. 6. ibidem col. 1299.

XXIV. Ejuſdem ad eumdem. Epiſt. 7. col. 1300.

XXV. Alia ejuſdem ad eumdem. Epiſt. 8. col. 1301.

XXVI. Ejuſdem ad Epiſcopos Galliæ. Epiſt. 9. col. 1302.

XXVII. Ejuſdem ad eoſdem. Epiſt. 11. col. 1306.

XXVIII. Ejuſdem ad Aurelianum Arelatenſem. Epiſt. 10. col. 1305.

XXIX. Ejuſdem ad eumdem. Epiſt. 13. col. 1308. Exſtat etiam in collatione 7. Synodi V.

XXX. Pelagii I. Sapaudo Arelatenſi: Epiſt. 8. tom. 6. Concil. col. 472.

XXXI. Ejuſdem eidem. Epiſt. 9. col. 473.

XXXII. Ejuſdem Childeberto Regi. Epiſt. 10. ibid.

XXXIII.

XXXIII. Ejuſdem Sapaudo. Epiſt. 11. col 476.
XXXIV. Ejuſdem eidem. Epiſt. 12. ibidem.
XXXV. Ejuſdem Childeberto Regi. Epiſt. 13. col. 477.
XXXVI. Ejuſdem eidem Regi. Epiſt. 14. col. 478.
XXXVII. Ejuſdem Sapaudo. Epiſt. 15. ibidem.
XXXVIII. Ejuſdem Childeberto Regi, cui annexa fides Papæ Pelagii. Epiſt. 16. col. 479.
XXXIX. Ejuſdem ad Epiſcopos Tuſciæ Annonariæ. Epiſt. 6. col. 470.
XL. Ejuſdem ad univerſum populum Dei. Epiſt. 7. col. 471. Hæ tres epiſtolæ ad Arelatenſem Eccleſiam non ſpectant. Cum vero omnes de eodem fidei argumento agant, de quo ſermo eſt in præcedenti epiſt. 15. ad Sapaudum Arelatenſem; collector has quoque illi ſubnectendas putavit.
XLI. Manaſſe Remenſi Gregorius. Hæc epiſtola præmiſſa Gregorii Magni litteris non eſt ipſius, ſed Gregorii VII. legiturque in hujus Regeſto lib. 6. epiſt. 2. data XI. Kal. Septembris anni 1077. Inſerta autem fuit in hac collectione, quia S. Gregorii ac aliorum vetuſtiorum Pontificum epiſtolas pro Sede Arelatenſi ſcriptas commemorat.
XLII. S. Gregorii *ſententia ad Auguſtinum Epiſcopum Angliæ*. Eſt fragmentum epiſtolæ ejuſdem Pontificis ad interrogationem nonam S. Auguſtini, in quo Arelatenſis Metropolita laudatur.
XLIII. Ejuſdem Virgilio Arelatenſi. Epiſt. 53. lib. 5. editionis Maurinæ.
XLIV. Ejuſdem Epiſcopis Galliarum. Ibidem epiſt. 54.
XLV. Ejuſdem Childeberto Regi. Ibidem epiſt. 55.
XLVI. Nicolai I. epiſtola ad Rotlandum Archiepiſcopum Arelatenſem. Incipit: *Suſceptis ſanctitudinis tuæ epiſtolis* &c. Vide tom. 9. Concil. col. 1510. e

Subjiciuntur Synodi Arelatenſes I. II. & III. ex Iſidori collectione, vel Hiſpanica excerptæ, ac poſtea fragmentum Concilii Taurinenſis uſque ad canonem ſecundum, in quo de controverſia agitur inter Eccleſias Viennenſem atque Atelatenſem. Mox adduntur juramenta ab Epiſcopis præſtita Eccleſiæ Arelatenſi, dum Anno, Pontius, & Raimbaldus hanc ſedem tenerent, Anno quidem ab an. 981. uſque ad an. 994. Pontius Annonis ſucceſſor uſque ad annum 1030. Raimbaldus vero ab an. 1031. uſque ad an. 1065. Hinc ejuſmodi juramenta data fuerunt ſub finem ſæculi X. & ſæculo XI. quo hæc additamenta una cum memorata Gregorii VII. epiſtola huic collectioni inſerta noſcuntur. Etſi vero quædam ex iiſdem juramentis ſparſim edita ſint; heic tamen ſingula, ut in noſtro codice deſcribuntur, appendere rebus pluribus utile futurum conſidimus.

Ego Pontius S. Mariæ Aquenſis Sedis nunc ordinandus Epiſcopus debitam ſubjectionem & reverentiam & obedientiam a SS. Patribus conſtitutam ſecundum præcepta canonum S. Sedi Arelatenſis Eccleſiæ, rectoribuſque ejus in præſentia Domni Archiepiſcopi Raimbaldi perpetuo exhibiturum promitto, & ſuper ſanctum altare propria manu firmo.

Juramenta Epiſcoporum priæ ſtata S. Pe Arelat.

Ego frater Roſtagnus S. Aquenſis Eccleſiæ ordinandus Epiſcopus debitum &c. ut ſupra.

Ego Stephanus Vendacenſis Eccleſiæ vocatus Epiſcopus promitto coram Deo & Sanctis ejus omnem ſubjectionem & obedientiam canonicam & fidelitatem Eccleſiæ S. Stephani Sedis Arelatenſis, ubi corpus B. Trophimi Confeſſoris quieſcit, & Annoni præſenti Archiepiſcopo & ſucceſſoribus ejus, ſi eum ſupervixero.

Ego Arnulphus Vincienſis Eccleſiæ vocatus Epiſcopus &c. ut in præcedenti. Solum pro *Annoni præſenti Archiepiſcopo* habet *Pontioni præſenti Archiepiſcopo.*

Ego Bertrandus S. Sedis Eccleſiæ Forojulienſis nunc ordinandus Epiſcopus &c. ut ſupre in juramento Pontii Aquenſis.

Ego Bertrandus Regenſis Eccleſiæ Epiſcopus vocatus profiteor me deinceps ſub ditione Arelatenſis Metropolitæ conſiſtere, & ejus juſſionibus obtemperare.

Ego Agelricus Sanctæ Regenſis Eccleſiæ nunc ordinandus Epiſcopus &c. ut in juramento Pontii Aquenſis.

Ego Adilricus Arauſicenſis Eccleſiæ vocatus Epiſcopus &c. ut in juramento Stephani Vendacenſis.

Ego Adilricus Arauſicenſis & Tricaſtrinenſis vocatus Epiſcopus &c. ut in juramento ejuſdem Stephani. Solum pro *Annoni* habet *Raimbaldo.*

Ego Petrus Eccleſiæ Avenione vocatus Epiſcopus profiteor me &c. ut in juramento Bertrandi Regenſis.

Ego Benedictus Avenionenſis Eccleſiæ vocatus Epiſcopus juro coram Deo, & Sanctis ejus omnem ſubjectionem & obedientiam canonicam & fidelitatem Eccleſiæ S. Stephani Sedis Arelatenſis, ubi corpus almi Trophimi Apoſtoli quieſcit, & Raimbalde præſenti Archiepiſcopo & ſucceſſoribus ejus, ſi eum ſupervixero.

Duo documenta in Vallicellano apographo & in exemplo Colbertino deſiderantur, quæ in aliis duobus ejuſdem collectionis Arelatenſis codicibus inventa fuerunt. I. *Factum* (ſeu edictum) *ad virum inluſtrem Agricolam Præfectum Galliarum Auguſtorum Honorii & Theodoſii*, editum apud P. Couſtantium tom. 1. Epiſt. Rom. Pontif. col. 977. quod exſtat in MSS. Colb. Arelatenſi 1951. & Regio 3989. II. *Synodi Arelatenſis epiſtola ad Silveſtrum Papam*, quæ in uno MS. Colb. Arelatenſi 1951. conſervata, legitur apud laudatum Couſtantium col. 345. Vide ejus Monitum col. 341. in fine.

DE ANTIQUIS
COLLECTIONIBUS & COLLECTORIBUS
CANONUM.
PARS TERTIA.
DE COLLECTIONIBUS DIONYSIANA
& ceteris, quæ a Dionyſio profecerunt.

CAPUT PRIMUM.

De Collectione Dionyſii Exigui.

§. I.

Caſſiodorii teſtimonium de Dionyſio. Collectionis Dionyſianæ partes duæ, earumque deſcriptio. De continuata numerorum ſerie in canonibus Græcis. Juſtelli editio duo additamenta a Dionyſio aliena in ſecunda parte recepit. Puri Dionyſii codices rari, & cum Hadrianeis non confundendi.

I. Quis eſſet Dionyſius Exiguus, quantaque ejus eſſet in Græcis Latiniſque litteris peritia, ac in ſtudio totius ſacræ eruditionis celebritas, ſatis expoſuit Caſſiodorius, qui eo familiariter uſus, poſt ejuſdem mortem, circa annum 556. hoc inſigne de eo teſtimonium inſeruit libro de divinis lectionibus cap. 23. *Generat etiam hodieque Catholica Eccleſia viros illuſtres probabilium dogmatum decore fulgentes. Fuit enim noſtris temporibus & Dionyſius Monachus, Scytha natione, ſed moribus omnino Romanus, in utraque lingua valde doctiſſimus, reddens actionibus ſuis quam in libris Domini legerat æquitatem: qui Scripturas divinas tanta curioſitate diſcuſſerat, atque intellexerat, ut undecumque interrogatus fuiſſet, paratum haberet competens ſine aliqua dilatione reſponſum: qui mecum Dialecticam legit, & in exemplo glorioſi magiſterii plurimos annos vitam ſuam Domino præſtante tranſegit. Pudet me de conſorte dicere, quod in me nequeo reperire. Fuit enim in illo cum ſapientia magna ſimplicitas, cum doctrina humilitas, cum facundia loquendi parcitas: ut in nullo ſe vel extremis famulis anteferret, cum dignus eſſet Regum ſine dubitatione colloquiis. Interveniat pro nobis, qui nobiſcum orare conſueverat, ut cujus hic ſumus oratione ſuffulti, ejus poſſimus nunc meritis adjuvari. Qui petitus a Stephano Epiſcopo Salonitano, ex Græcis exemplaribus canones eccleſiaſticos moribus ſuis, ut erat planus atque diſertus, magnæ eloquentiæ luce compoſuit, quos hodie uſu celeberrimo Eccleſia Romana complectitur. Hos etiam oportet vos aſſiduo legere, ne videamini tam ſalutares eccleſiaſticas regulas culpabiliter ignorare. Alia quoque multa ex Græco tranſtulit in Latinum, quæ utilitati poſſunt Eccleſiæ convenire. Qui tanta latinitatis & græcitatis peritia fungebatur, ut quoſcumque libros Græcos in manibus acciperet, latine ſine offenſione tranſcurreret; iterumque Latinos Attico ſermone legeret, ut crederes hoc eſſe conſcriptum, quod os ejus inoffenſa velocitate fundebat. Longum eſt de illo viro cuncta retexere:* & proſequitur alia de ejus virtutibus diſſerens.

II. Celeberrimum in rem noſtram Dionyſii opus eſt collectio canonum & conſtitutionum Sedis Apoſtolicæ, quæ ab auctoris nomine Dionyſiana vocatur. Hæc diſtinguitur in partes duas: quarum altera Synodorum canones, altera Romanorum Pontificum epiſtolas complectitur. Non uno, ſed diſtincto tempore ſeparatim digeſtæ & editæ; ac propterea diſtinctis nuncupatoriis litteris in puris Dionyſianis exemplaribus diſcernuntur. Primo collectioni canonum operam dedit. Cum nimirum Romam acceſſiſſet poſt Gelaſii mortem, quem ſe *præſentia corporali non vidiſſe teſtatur*, ibidemque plura dediſſet ſuæ peritiæ in Græcis ac Latinis litteris argumenta; Laurentius *confuſione priſcæ translationis offenſus, aſſidua & familiari cohortatione* ab eo flagitavit, ut Græcarum Synodorum canones accuratiore & nitidiore interpretatione latine redderet. *Priſcam translationem*, quæ Laurentium offenderat, illam eſſe, quam hoc tomo edituri ſumus, alibi probabilius conjecimus. Laurentius porro, quem *fratrem noſtrum* Dionyſius appellat, forte fuit aliquis Romanæ Eccleſiæ Presbyter, quo nomine duo ſubſcripti inveniuntur Concilio Romano ſub Symmacho an. 499. Ingeſtum autem a Laurentio laborem non ſuſcepit Dionyſius, niſi poſtquam Stephani Epiſcopi Salonitani preces acceſſiſſent, uti partim ex epiſtola ad ipſum Stephanum, partim ex Caſſiodorii teſtimonio colligimus.

Duæ collectionis partes, ſeparatim editæ.

Prima pars collectio canonum in epiſt. ad Julianum.

part. 2. c. 2. n. 19.

III. In principio itaque *canones qui dicuntur Apoſtolorum, de Græco*, inquit in epiſtola ad Stephanum, *tranſtulimus, quibus quia plurimi conſenſum non præbuere facilem, hoc ipſum veſtram noluimus ignorare ſanctitatem. Deinde regulas Nicænæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, ſive quæ ante eam, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, uſque ad Synodum CL. Pontificum, qui apud Conſtantinopolim convenerunt ſub ordine numerorum, id eſt a primo capite uſque ad centeſimum ſexageſimum quintum, ſicut habetur in Græca auctoritate, digeſſimus. Græca auctoritas* Græcum, quo utebatur, Codicem indicat. In hoc ſeries numerorum ita continuata erat, ut in eo codice fuit, qui in nonnullis Synodi Chalcedonenſis actionibus Antiochenos canones eadem fere numerorum ſerie notatos præferebat. Confer quæ in hanc rem obſervavimus part. 1. cap. 6. Idem vero Græcus Dionyſii codex ſolos continebat Nicænos canones XX. Ancyranos XXIV. Neocæſarienſes XIV. Gangrenſes XX. Antiochenos XXV. Laodicenos LIX. & Conſtantinopolitanos III., qui canones CLXV. conficiunt. Cum autem in eo codice deeſſent canones Chalcedonenſes XXVII., eos ex alio Græco exemplo Dionyſius latinitate donatos adjecit, qui Græcarum Synodorum ſtatuta claudebant. Tum vero ex Latinis exemplis ſubtexuit ſtatuta Sardicenſis Concilii, atque Africani, *quæ latine ſunt edita*. Sardicenſes ſiquidem canones, quos dupli-

Deſcriptio primæ partis.

Continua numerorum ſeries.

duplici originali exemplo tum græce, tum latine editos probavimus part. 1. cap. 5., non reddidit ex Græco, ſed ex Latino originali exemplo æque ac Africanos ſumſit. Vide quæ de hoc peculiari Sardicenſium exemplo adnotavimus part. 2. c. 1. num. 17. Concludit porro Dionyſius epiſtolam nuncupatoriam hac monitione: *Univerſarum vero definitionum titulos poſt hanc præfationem ſtrictius ordinantes, ea quæ in ſingulis ſparſim ſunt promulgata Conciliis, ſub uno aſpectu locavimus, ut ad inquiſitionem cujuſque rei compendium aliquod attuliſſe videamur.* Indicat titulos canonum exactius lucubratos, & in præmiſſa tabula deſcriptos, quos poſtea ſuo cujuſque canoni iterum præfixit. Hinc ergo primæ partis ſeries hæc eſt. Præfationis locum obtinet epiſtola ad Stephanum. Tum ſequitur tabula titulorum. Dein canones Apoſtolorum L. Poſtea ſub una numerorum ſerie Nicæni, Ancyrani, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Antiocheni, Laodiceni, & Conſtantinopolitani. Deinde Chalcedonenſes, quos omnes nova verſione e Græco latine tranſtulit. His ſubjecti ex originali Latino Sardicenſes XXI. ac tandem Africani diſtincti in numeros CXXXVIII. Priores ſcilicet numeri XXXIII. ſunt canones Concilii Carthaginienſis anni 419. In quo cum poſtea lecta & inſerta fuerint decreta præcedentium Synodorum Africæ ſub Aurelio; hæc a num. XXXIV. perveniunt uſque ad num. CXXVII. Tum ſequuntur ſex alii canones ejuſdem Concilii anni 419. a num. CXXVIII. uſque ad CXXXIII. Dein epiſtola ejuſdem Synodi ad Bonifacium Pontificem, alia Cyrilli Alexandrini ad Africanos, alia Attici CP. ad eoſdem cum ſymbolo Nicæno, & poſtremo epiſtola poſterioris Synodi Africanæ ad Cæleſtinum: quæ omnia inchoant a num. CXXXIV. ac deſinunt in num. CXXXVIII. Eam porro continuatam numerorum ſeriem, quam in Græcis canonibus ſe expreſſiſſe teſtatus eſt, nulli codices exhibent, & ne illi quidem, quos puros Dionyſianos inferius memorabimus. Neque eam ſeriem præferebat ille codex, quo Creſconius uſus eſt. Fuiſſe tamen initio aliquos codices cum hujuſmodi ſerie, patet ex titulis ſubjectis epiſtolæ Joannis II. ad Cæſarium Arelatenſem, in quibus ex Dionyſio canon Neocæſarienſis juxta eam numerorum ſeriem deſcribitur. Vide quæ in hanc rem ex MS. Vat. Palat. 574. adnotavimus part. 2. c. 10. §. 2. n. XII. Cum porro in iiſdem titulis Joannis II. duo alii canones Antiocheni, non juxta ſeriem memoratam, ſed propriis numeris allegentur; perſpicuum fit, Dionyſianum ejuſdem Pontificis exemplum duplici numerorum ordine fuiſſe diſtinctum, nimirum tum ea continua ſerie, quæ ex Græco a Dionyſio recepta fuit, tum peculiari canonum cujuſque Synodi numero, quem ſi non a Dionyſio, certe a quibuſdam librariis olim appoſitum ex hac ipſa Joannis II. epiſtola ſuſpicatus eſt P. Couſtantius in præfatione ad tom. 1. Epiſt. Rom. Pont. num. 109., ubi præterea non improbabiliter conjecit, idcirco in codicibus, qui ad nos pervenere, nuſpiam inveniri eam continuam numerorum ſeriem, quia *librarii deinde conſequuti, omiſſis Dionyſii numeris, alios retinuere utpote magis vulgares, magiſque ad diſtinctionem rerum accommodatos.* Ea vero numerorum ſeries, qua in Bibliotheca Juris Canonici, Voello & Juſtello curantibus, Dionyſii editio prodiit, non ex aliquo puriori Dionyſii codice, qualem non fuiſſe Juſtellianum ex defectibus ejuſdem editionis a puro Dionyſiano codice alienis inferius patebit, ſed ex ipſa Dionyſii epiſtola, qua eamdem ſeriem a ſe cuſtoditam teſtatur, originem ducit.

Ordo primæ partis.

Continua numerorum ſeries in MSS. non invenitur.

Fuit in MS. Joannis II.

Secunda pars collectio decretalium.

IV. Hæc prima Dionyſianæ collectionis pars cum omnium plauſu, ac præſertim Juliani tituli S. Anaſtaſiæ Presbyteri fuiſſet excepta; hic ipſi Dionyſio auctor fuit, ut Apoſtolicæ quoque Sedis conſtituta, quæ ad eccleſiaſticam diſciplinam pertinent, pari ſtudio colligeret. Citius morem illi gerens, *ea* (inquit in epiſtola ad eumdem Julianum) *quæ valui cura diligentiaque collegi, & in quemdam redigens ordinem, titulis diſtinxi compoſitis; ita dumtaxat ut ſingulorum Pontificum quotquot a me præcepta reperta ſunt, ſub una numerorum ſerie terminarem, omneſque titulos huic præfationi ſubnecterem, eo modo quo dudum de Græco ſermone Patrum transferens canones ordinaram.* In hac parte una numerorum ſeries in ſingulorum Pontificum decretis, non autem in toto corpore a primo Pontifice ad ultimum viſitur. Chronologicum vero Pontificum ordinem, qui in aliis anterioribus collectionibus perturbatus invenitur, Dionyſius exacte ſequutus eſt. Præmittitur epiſtola ad Julianum, quæ præfationis vicem gerit. Sequitur tabula titulorum.

Deſcriptio ejuſdem partis.

Tum profertur epiſtola Siricii ad Himerium Tarraconenſem in XV. numeros diſtincta, quæ in vulgatis Conciliorum tom. 2. eſt epiſt. 1.

Subduntur Innocentii epiſtolæ XXII. quæ diſpertiuntur in numeros LVII. nimirum

I. Ad Decentium Eugubinum unde priores num. VIII. Eſt tom. 3. Concil. epiſt. 1.

II. Ad Victricium Rothomagenſem, ex qua ſequentes numeri XII. Eſt epiſt. 2.

III. Ad Exſuperium Toloſanum aliis numeris VII. a vigeſimoprimo ad vigeſimumſeptimum. Eſt epiſt. 3.

IV. Ad Felicem Nucerinum, ſecta in numeros V. a XXVIII. ad XXXII. Eſt epiſt. 4.

V. Ad Maximum & Severum Epiſcopos per Brutios ſub unico numero XXXIII. Eſt epiſt. 5.

VI. Ad Agapitum, Macedonium, & Marianum Epiſcopos Apuliæ unico numero XXXIV. Eſt epiſt. 6.

VII. Ad Rufum, Gerontium, & alios Macedones item unico numero XXXV. Eſt epiſt. 7.

VIII. ad Florentium Tiburtinenſem numero XXXVI. Eſt epiſt. 8.

IX. Ad Probum numero XXXVII. Eſt epiſt. 9.

X. Ad Aurelium & Auguſtinum num. XXXVIII. Eſt epiſt. 10.

XI. Ad Julianum num. XXXIX. Eſt epiſt. 13.

XII. Ad Aurelium num. XL. Eſt epiſt. 11.

XIII. Ad Bonifacium Presbyterum num. XLI. Eſt epiſt. 14.

XIV. Ad Alexandrum Antiochenum num. XLII Eſt epiſt. 15.

XV. Ad Maximianum Epiſcopum num. XLIII. Eſt epiſt. 16.

XVI. Item ad Alexandrum Antiochenum num. XLIV. Eſt epiſt. 17.

XVII. Item ad eumdem tribus num. XLV. XLVI. & XLVII. Eſt epiſt. 18.

XVIII. Ad Acacium Epiſcopum Berœenſem num. XLVIII. Eſt epiſt. 19.

XIX. Ad Laurentium Senienſem num. XLIX. Eſt epiſt. 20.

XX. Ad Marcianum Epiſcopum Naiſſitanum num. L. Eſt epiſt. 21.

XXI. Ad Rufum, Euſebium, & ceteros Epiſcopos Macedones reliquis ſeptem numeris a LI. ad LVII. Eſt epiſt. 22.

Zoſimi epiſtola ad Heſychium Salonitanum in tres numeros diſtributa. Eſt in editione Conciliorum hujus Pontificis epiſt. 1.

Bonifacii I. Papæ decreta quatuor numeris comprehenſa, quorum I. eſt epiſtola ejuſdem ad Honorium Auguſtum, II. eſt reſcriptum Honorii, III. epiſtola ejuſdem Pontificis ad Patroclum, Remigium, alioſque Epiſcopos Gallicanos, IV. alia epiſtola ad Hilarium Narbonenſem. Sunt in Conciliis epiſtolæ 1. 2. & 3. & reſcriptum Honorii poſt epiſt. 1.

Cæleſtini tres epiſtolæ diſtributæ in numeros XXII.

I. Epiſtola ad Venerium, Marinum, & ceteros Galliarum Epiſcopos, additis præteritorum Sedis Apoſtolicæ Epiſcoporum auctoritatibus de gratia Dei & libero voluntatis arbitrio. Dividitur in numeros XIII. Eſt in Conciliis epiſt. 1.

II. Ad Epiſcopos per Viennenſem & Narbonenſem provincias conſtitutos a num. XIV. ad XIX. Eſt epiſt. 2.

III. Ad Epiſcopos per Apuliam & Calabriam reliquis tribus numeris XX. XXI. & XXII. Eſt epiſt. 3.

Leonis epiſtolæ ſeptem diſtinctæ in numeros XLVIII.

I. Ad Epiſcopos Campaniæ &c. numeris quinque. Eſt in noſtra editione epiſt. 4.

II. Ad Italos unico numero VI. Eſt epiſt. 7.

III. Ad Siculos a num. VII. ad XIII. Eſt epiſt. 15.

IV. Ad Januarium Aquilejenſem num. xiv. Eſt epiſt. 18.

V. Ad Ruſticum Narbonenſem a num. xv. ad xxx. Eſt epiſt. 167.

VI. Ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem a num. xxxi. ad xli. Eſt epiſt. 14.

VII. Ad Nicetam Aquilejenſem a num. xlii. ad xlviii.

Gelaſii decreta de conſtitutis eccleſiaſticis in numeros xxviii. Exſtant in collectione hoc tomo edita cap. 58.

Tandem epiſtola Anaſtaſii II. ad Anaſtaſium Auguſtum in numeros octo diviſa. Eſt tom. 5. Conciliorum epiſt. 1.

Juſtelli editio duo addita Dion. aliena.

V. Hæc puræ Dionyſianæ collectionis integra deſcriptio eſt. Nemo autem opponat Chriſtophori Juſtelli editionem a Gulielmo Voello, & Henrico Juſtello ejus filio inſertam Bibliothecæ Juris canonici tomo primo, in qua inter recenſita ſecundæ partis documenta duo alia præferuntur: nimirum decretis Zoſimi adnectitur ejuſdem epiſtola ad Presbyteros Legatos Ravennæ, quæ quartum numerum conficit; decretis autem Leonis ſubditur epiſtola ejuſdem ad Africanos, quæ numerum adjicit quadrageſimum nonum. Has enim duas epiſtolas codices puri Dionyſii ignorant, quales hactenus inventi ſunt duo, Regius Pariſienſis 3887. & Vaticanus 5845. Ceteri, qui eaſdem epiſtolas referunt, uti a Juſtello prodierunt corpori ipſius collectionis inſertæ, non puri Dionyſiani codices ſunt, ſed Hadrianei, qui hæc & alia præter Dionyſium additamenta recepere, uti capite ſequenti pluribus explicabimus. Quod ſi in tabula titulorum præmiſſa codici Vaticano 5845. earumdem epiſtolarum tituli referuntur; cum ipſæ epiſtolæ deſint in corpore collectionis, & ſolum poſt ipſum collectionis corpus una cum ceteris additamentis ſeparatim in eodem codice deſcribantur; iidem tituli in ipſam tabulam perperam irrepſiſſe noſcuntur. Enimvero in eadem tabula initio titulorum Leonis habetur: *Incipiunt tituli decretorum Papæ Leonis num. XLVIII.*, non vero *XLIX.*, ac propterea titulus *XLIX.* ipſi tabulæ in fine titulorum Leonis adjectus perſpicitur. Adde quod tituli memoratarum epiſtolarum Zoſimi ac Leonis ab aliis titulis Dionyſianis maxime abhorrent, uti Queſnellus animadvertit in notis ad epiſt. 12. ejuſdem Pontificis tom. 2. col. 1138. Adde quod iidem duo tituli in codice Regio non ſolum in corpore, ſed etiam in titulorum tabula non leguntur, uti colligere licet ex P. Couſtantio, qui not. c in epiſt. 14. Zoſimi col. 969. *Neque eam*, inquit, *etiam genuinum Dionyſianæ collectionis exemplum regium aut in generali titulorum indice memorat, nec in ipſo operis corpore exhibet*. Accedit tandem haſce duas epiſtolas nec allegari in collectione Creſconii, nec in Hiſpanica, in quibus cum omnia Dionyſianæ collectionis documenta recepta fuerint, hæ quoque epiſtolæ fuiſſent in ipſis deſcriptæ, ſi eas Creſconius & Hiſpanicæ collectionis auctor in ſuo cujuſque Dionyſiano codice nacti fuiſſent. Hinc porro a Juſtelliana editione, ut purum referat Dionyſii codicem, hæ duæ epiſtolæ tum in tabula titulorum, tum in corpore canonum præcidendæ ſunt, ac inter alia ejuſdem additamenta rejiciendæ. Hic autem addemus delenda quoque eſſe in epigraphe Antiochenorum canonum verba *in encæniis*, quæ a puris Dionyſii codicibus abeſſe animadvertimus part. 1. cap. 4. §. 2. ubi duos codices puri Dionyſii, quos inſpicere licuit, laudavimus, Vat. 5845. qui totam Dionyſii collectionem continet, & Vat. Palat. 577. qui ſolos Conciliorum canones exhibet. Deſcriptionem prioris codicis, qui præter integrum Dionyſium, qualem hactenus explicavimus, plura additamenta complectitur, dabimus capite tertio, ubi de Dionyſianis additionibus erit ſermo. De altero autem MS. Vat. Palat. 577. pluribus agemus hoc ipſo capite §. 3.

§. II.

De Dionyſianæ collectionis præſtantia. Num Dionyſius primus collegerit decretales Romanorum Pontificum. Animadverſiones in eamdem collectionem. Quantum hæc propagata fuerit. De tempore quo condita fuit.

Præſtantia coll. Dion.

VI. Dubitari non poteſt, quin Dionyſii collectio ceteris antiquioribus & diſtinctione canonum a decretis Pontificum, & perſpicuitate verſionis canonum Græcorum, & documentorum ordine, & titulis aptioribus non modicum præſtet, nec non ipſa omnium decretorum ſinceritate, quæ nihil apocryphum recepit, exceptis canonibus apoſtolicis, quos tamen Dionyſius non ſine peculiari admonitione a ceteris genuinis canonibus diſtinguendos putavit. Neque vero dicendum eſt cum nonnullis, Dionyſium primum fuiſſe, qui Apoſtolicæ Sedis decreta collegerit. Fuit quidem ille primus, qui ea tomo ſeparato a canonibus Conciliorum ſejunxit ordinatimque recenſuit; cum in anterioribus collectionibus una cum Synodorum decretis, vel inter ſe confuſe permiſcerentur, uti cernere eſt in collectionibus, quas antecedenti parte deſcripſimus.

Ante Dion. non ſoli canones, ſed etiam decretales auctoritatem habebant.

Qui vero hac Dionyſiani codicis diſtinctione utuntur, perinde ac ſi ante Dionyſium ſoli canones, non vero apoſtolica conſtituta auctoritatem obtinerent, nimium falluntur. Etſi enim verum eſſet (quod non concedimus) vetuſtiores Dionyſio codices, qui ad nos non pervenere, ſolos canones Græcorum Conciliorum latine redditos prætuliſſe, quid inde? Cum hi privati eſſent codices, nullus autem publicus, ut alibi oſtendimus; cumque inter canones Græcarum Synodorum ſoli Nicæni cum Sardicenſibus olim eſſent apud Latinos recepti, quemadmodum probavimus part. 2. cap. 1. nihil ex his codicibus ad auctoritatem adſtruendam vel adimendam decretis Romanorum Præſulum elici poteſt. Apoſtolicis certe conſtitutionibus ſatis per ſe ſe manebat auctoritas, ſive eæ eſſent privatis illis codicibus inſertæ, ſive non eſſent. Perſpicua ſunt teſtimonia Cæleſtini I. in epiſtola ad Epiſcopos Apuliæ & Calabriæ, nec non Leonis epiſt. 4. ad Epiſcopos Campaniæ, in quibus non canonum tantum, verum etiam decretalium auctoritas commendatur. Auctor vitæ S. Hilarii Arelatenſis cap. 16. accuſatum tradit Calidonium Epiſcopum, ac ſi viduam olim duxiſſet uxorem, *quod Apoſtolicæ Sedis auctoritas, & canonum prohibent ſtatuta*: ubi perſpicitur & canones, & apoſtolicas conſtitutiones apud Gallicanos viguiſſe. Confer ea, quæ animadvertemus not. 11. in caput 2. Diſſertationis XII. Queſnelli huic tomo inſerendæ col. 697. Ex epiſtola ipſa Dionyſii decretalium collectioni præmiſſa manifeſtum fit, eum idcirco a Juliano fuiſſe excitatum ad colligenda præter canones, Apoſtolicæ Sedis decreta, quia non ſoli canones, ſed hæc etiam decreta ad eccleſiaſticam diſciplinam regendam pertinebant. Id enim ſatis indicant hæc ejuſdem epiſtolæ verba: *Sanctitatis veſtræ piis excitatus ſtudiis, quibus nihil prorſus eorum, quæ ad eccleſiaſticam diſciplinam pertinent, omittit inquirere, præteritorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum conſtituta, qua valui cura diligentiaque collegi*. Hinc & canones & hæc decreta ſimul in aliis anterioribus collectionibus deſcripta. Cum vero Dionyſius priori parte ſolos canones dediſſet, Juliani ſuaſionibus, ne quid diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtudioſis deeſſet, apoſtolicas quoque epiſtolas altera parte collegit & edidit.

Ordinationes in Dion. notatæ.

VII. Etſi vero hæc collectio Dionyſii ceteras antecellit, non tamen uſquequaque perfecta eſt. Prima pars, quæ ad canones Conciliorum pertinet, aliquot defectibus laborat. In Nicænis enim ſymbolum & catalogus Epiſcoporum deſiderantur. Subſcriptiones quoque, ſeu nomina Epiſcoporum deſunt in canonibus Ancyranis, Neocæſarienſibus, Gangrenſibus, Antiochenis, & Conſtantinopolitanis; nec non duæ Synodicæ Gangrenſis & Antiocheni Concilii: quæ omnia ex aliis vetuſtis collectionibus ſuppetunt. Id unum Dionyſio excuſationi eſſe potuit, Græcum codicem, quo ille uſus eſt, his omnibus caruiſſe.

Ca-

Canones Africanos ſumſit ex codice, qui continebat integra geſta Synodi Carthaginienſis anni 419. Huic autem cum omnes anteriores Synodi ſub Aurelio inſertæ fuerint, plura in eo erant, quam quæ Dionyſius tranſcripſit. Is enim brevitati conſulens, in referendis quibuſdam Conciliis nonnulla ſe omiſiſſe teſtatur, quæ Africanorum more in aliqua ſive anteriori, ſive poſteriori Synodo repetita deprehendit: & in aliis nonnullis compendio uti maluit, quam ipſa verba aut geſta deſcribere: & dum ita ſe gereret, quoſdam etiam canones non repetitos inadvertenter tranſcurrit, quos ex aliis fontibus expiſcari opus fuit. Vide quæ in hanc rem obſervavimus part. 2. cap. 3. Quantum ad decretales epiſtolas Romanorum Pontificum nonnullis perſuaſum eſt, Dionyſium, qui Romæ collectionem lucubravit, eas quas collegit ex apoſtolicis ſcriniis eduxiſſe. Id autem omnino improbabile, immo etiam falſum credimus. Multa in eo deſiderantur pontificia conſtituta celeberrima, quæ in aliis vetuſtioribus collectionibus paſſim leguntur: dediſſet autem præter hæc alia multo plura, ſi apoſtolica ſcrinia conſuluiſſet. Nonne vel in ſolo Leone plures maximi momenti epiſtolæ ad diſciplinam pertinentes ab eo omiſſæ fuerunt, nimirum epiſt. 1. ad Aquilejenſem Epiſcopum, nona ad Dioſcorum, decima ad Viennenſes, duodecima ad Africanos, decima quinta ad Turribium, decima nona ad Dorum Beneventanum, CVIII. ad Theodorum Forojulienſem, CXIX. ad Maximum Antiochenum, CLXVI. ad Neonem Ravennatem, & CLXVIII. ad Epiſcopos Campaniæ? Quid quod in epiſt. CLXVII. ad Ruſticum Narbonenſem, quam deſcripſit, ob titulos cuique capiti ab eo præfixos prætermiſſæ fuerunt ipſius Ruſtici inquiſitiones, quæ ad probe intelligenda Leonis reſponſa neceſſariæ ſunt? Vide præfationem ad Leonis epiſtolas num. 13. tom. 1. col. 517. Lectiones tandem Dionyſii non ſemper meliores eſſe, in edendis Leonis epiſtolis & Codice canonum evidenter deprehendimus: unde aliarum collectionum textum identidem præferendum putavimus. Hinc licet Dionyſius in epiſtola ad Julianum omnem, qua valuit, in colligendis apoſtolicis epiſtolis curam ac diligentiam ſe adhibuiſſe ſignificet; aliarum tamen vetuſtiorum collectionum, quæ multa ab eo omiſſa præferunt, noſtram ipſi defuiſſe manifeſtum eſt. Idem in præfatione ad verſionem epiſtolæ S. Cyrilli ad Neſtorium, ſe primum ejus interpretem, qui eam epiſtolam Latinis dederit, indicat his verbis: *Opportunum prorſus hoc tempore exiſtimans, quo tanti Doctoris apoſtolica fides Græcis jamdudum bene comperta, ſed IGNORATA LATINIS HACTENUS innoteſcat*. Duæ autem erant anteriores verſiones, una Marii Mercatoris, alia inſerta interpretationi antiquæ Synodi Epheſinæ, quas Dionyſius ignoraſſe dicendus eſt. Videant igitur quam leve ſit illud nonnullorum argumentum, quo ex ſilentio, vel prætermiſſione Dionyſii in dubium vocare non dubitant quædam pontificia documenta, quæ aliis ex fontibus in lucem prodita, niſi quid gravius aliunde opponatur, ſatis in tuto ſunt.

Num Dion. decretales e ſcriniis apoſtolicis ſumſerit,

tom. 3. Concil. col. 959. d.

VIII. Illæ autem præclaræ collectionis Dionyſianæ dotes, quas paulo ante recenſuimus, adeo perſtrinxerunt & rapuerunt oculos omnium, ut ſtatim a cunctis paſſim exquiri ejus exemplaria, ac ipſa in Urbe mox in uſum induci cœperint, præſertim ob verſionem Græcorum canonum, quæ Priſcam tranſlationem inconcinnam, prius ibidem cognitam, antiquavit. Hinc paucorum annorum ſpatio ita paſſim adhibebatur, ut ſub medium ſæculum VI. Caſſiodorius ſcripſerit: *Quos* (Græcos canones a Dionyſio latinitate donatos) *hodie uſu celeberrimo Eccleſia Romana complectitur*. De ſolo uſu loquitur, qui ei collectioni nullam auctoritatem publicam vindicavit, nec eam publicum Romanæ Eccleſiæ Codicem reddidit. Hunc quidem Romanæ Eccleſiæ uſum demonſtrant inter ceteros duo ejuſdem ſæculi Pontifices Joannes II. atque Vigilius. In titulis canonum, quos Joannes II. ad Cæſarium Arelatenſem direxit, duo canones apoſtolici, unus Neocæſarienſis, ac duo Antiocheni ex Dionyſii interpretatione, atque cum iiſdem Dionyſianis titulis deſcripti fuerunt, uti ex MS. Vat. Palat. 574. probavimus part. 2. c. 10. §. 2. num. XII. Vigilius Papa in damnationis ſententia adverſus Ruſticum & Sebaſtianum, quæ inſerta legitur collationi VII. Concilii quinti tom. 6. Concil. edit. Ven. col. 187. c. recitat canonem 29. Synodi Carthaginienſis cum eo titulo, qui Dionyſianæ collectionis proprius eſt. Hæc de ea Dionyſii parte, quæ Conciliorum canones exhibet. Unum vero quantum ad decretales exemplum nacti ſumus laudati Joannis II. qui in memoratis canonum titulis ad Cæſarium Arelatenſem directis textum retulit epiſtolæ Siricii ad Himerium cum titulo: *Ex epiſtola Siricii Papæ urbis Romæ Himerio Epiſcopo Tarraconenſi inter cetera ad locum capitulo VII.* Cum diviſio epiſtolarum decretalium in capitula non ſit propria originalium, ſed collectionum; in collectionibus autem alia atque alia diviſio inveniatur; relatus textus a Joanne II. ex eadem Dionyſiana collectione, ex qua ceteri canones, ſumtus videtur: in ea enim capitulo quidem ſeptimo deſcriptus legitur. Hoc autem exemplum Romanorum Pontificum ſingulare. Alii enim Pontifices apoſtolicas conſtitutiones ex Romanis ſcriniis allegare ſolebant; nec præter Joannem II. ex Dionyſio eas quiſquam retuliſſe deprehenditur, niſi poſt ſæculum VII. uti mox videbimus. E Romana autem Urbe exempla hujus collectionis citius in alias regiones divulgata. Auctor collectionis Hiſpanicæ ex ea omnes apoſtolicas conſtitutiones cum iiſdem Dionyſii titulis recepit. In Africa Creſconius ex ſolo Dionyſio ſuam collectionem in locos communes diſtributam digeſſit. Apud ipſos Græcos cum deeſſet notitia canonum Africanorum ſub Aurelio; ex Dionyſio iidem canones græce redditi ſunt ante Synodum Trullanam, in qua ex Græca verſione ipſi canones Græco codici jam inſerti laudantur c. 2. In Galliis quoque & Britanniis eamdem collectionem vulgatam ante Caroli Magni ætatem probabimus in Obſervationibus ad Diſſert. XVI. Queſnelli cap. 1. Adeo vero hæc Dionyſiana collectio & canonum præſertim Græcorum verſio omnibus placuit, ut nonnumquam amanuenſes in exſcribendis aliis collectionibus alias interpretationes alicubi ad Dionyſianam exegerint. In MS. Lucano 88. ubi canones Chalcedonenſes deſcribuntur ex verſione Priſca, canones ſextus & ſeptimus ex Dionyſiana emendantur, & canonis XVI. poſtremum membrum e Dionyſio ſumitur. Similiter in MS. Vat. 5342. qui eamdem interpretationem Priſcam in iiſdem canonibus exhibet, canon XVIII. totus Dionyſianus eſt. Codex Barb. 2888. canones Neocæſarienſes & Gangrenſes verſionis Iſidorianæ cum Dionyſianis lectionibus alicubi præfert; & codex Thuaneus Colbertinus 932. in canonibus Chalcedonenſibus translationis Priſcæ aliquot particulas ex Dionyſio ſumtas recepit canone decimo. Similia in aliis codicibus & collectionibus obſervare licebit. Ex his autem patet, qua licentia uſi ſint quidam librarii, ut ne facile tribuendæ ſint antiquo Interpreti quædam lectiones, quæ a pleriſque MSS. diſcrepantes, ex quorumdam amanuenſium arbitrio originem ducunt. Celebrior tandem hæc Dionyſii collectio evaſit, poſtquam paucis quibuſdam additamentis aucta, ab Hadriano Pontifice in Gallicanarum Eccleſiarum uſum Carolo Magno tradita fuit. Tunc enim fere ubique paſſim recepta, *Codex canonum* vocari cœpit.

Celebritas, & propagatio collectionis Dion.

Uſus ejuſdem apud Romanos

Decretales Pontif. ex ſcriniis apoſtolicis allegatæ.

tom. 7. Concil. col. 1346

Amanuenſium licentia in lectionibus notata.

Dion. collect. celebrior poſt Hadrianum I.

IX. Supereſt, ut nonnulla dicamus de tempore quo Dionyſius hanc collectionem digeſſit. Is in epiſtola paſchali prima ad Petronium ſcripta anno 525. Antiochenum canonem recitat: *In ſanctis canonibus, ſub titulo LXXIX. qui primus eſt Antiocheni Concilii, his verbis invenitur expreſſum: Omnes, qui auſi fuerint* &c. Hic canon ſumtus eſt ex verſionis Dionyſianæ codice. Ex hoc eodem codice Capitula de gratia & libero arbitrio Cæleſtini litteris ſubjecta allegarunt Petrus Diaconus & ceteri Monachi Scythæ in epiſtola, quam ad Epiſcopos Africanos in Sardinia exules Romæ ſcripſerant an. 520. uti probavimus in Obſervationibus ad Diſſert. III. Queſnelli tom. 2. col. 719. Ante hoc ergo tempus ea collectio edita fuerat. Porro Dionyſius, qui Gelaſium non vidit, cum Anaſtaſio II. Pontifice Romam acceſſerit; ſub hoc, ut videtur, latine reddidit eum

Tempus, quo condita fuit.

libel-

Digitized by Google

libellum Apocryſariorum Alexandrinæ Eccleſiæ eidem Anaſtaſio offerendum, cui hæc notatio in MS. Vat. 4961. collectionis Avellanæ ſubjicitur: *Dionyſius Exiguus Romæ de Græca converti*. Vide part. 2. cap. 12. num. CII. Forte etiam idem Dionyſius auctor quoque fuit Latinæ verſionis aliquot aliorum Græcæ originis documentorum; quæ eidem collectioni inſerta, ad Hormiſdæ Pontificatum pertinent. Queſnellus Diſſert. XVI. num. 13. Dionyſii collectionem lucubratam contendit poſt Synodum Agathenſem anni 506. Unum tantummodo ſatis probabiliter adſtruit, ſecundam partem collectionis epiſtolarum Romanorum Pontificum compactam non fuiſſe vivente Anaſtaſio II. Cum enim, inquit, non niſi *præteritorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum conſtituta*, ut ipſe ſcribit Dionyſius, hoc eſt eorum qui jam vivere deſierant, collegerit, & tamen Anaſtaſii II. epiſtolam referat; conſequens eſt ut non ante 16. diem Novembris anni 498. quo obiit Anaſtaſius, opus iſtud inchoaverit. Igitur hanc partem ſecundam digeſſit vel ſub Symmacho, vel ſub Hormiſda. Quod ſi Ennodius in Apologia pro Concilio Romano anni 501. quæ non multo poſt ſcripta fuit, dum adverſariis opponit Carthaginienſe Concilium, *quod Apoſtolicæ Sedis per Fauſtinum Epiſcopum, qui tunc ab ea miſſus interfuit, approbavit auctoritas*; licet more ſuo liberius verba recitet canonum 129. 130. & 131. Dionyſii tamen collectionem præ oculis habuiſſe creditur: jam certum fieret, priorem ſaltem partem ad canones pertinentem ſub Symmacho vulgatam fuiſſe, & forte etiam ſub Anaſtaſio II. Cumque pars altera epiſtolarum deſinat in Anaſtaſio, & nihil habeat ex Symmacho; eam ſub Symmacho compactam probabilius credimus, cum præſertim Julianus Presbyter tituli S. Anaſtaſiæ, quo petente hanc partem compoſuit, ſubſcriptus inveniatur Synodo Romanæ anni 499. ſub eodem Pontifice.

tom. 5. Concil. col. 483. d 484. c

§. III.

Deſcriptio codicis Vat. Palatini 577. qui ſolam primam partem Dionyſianæ collectionis, ſeu potius primum ejus fetum continet. Diſcrimen ejuſdem non exiguum ab ea, quam Dionyſius ſecundis curis digeſſit.

X. Codex Vat. Palat. 577. maxime inſignis, & notus quantum ad Gallicana documenta, quæ ex eodem vel edita, vel emendata fuere; at quantum ad primam partem collectionis Dionyſianæ in eo contentam ignotus. Eſt formæ quadratæ, ex quo cum nonnulla exſcripſiſſet Lucas Holſtenius, ex ejus ſchedis quædam ad P. Labbeum miſit P. Poſſinus; hocque ex iiſdem ſchedis de eo codicete ſtimonium dedit idem Labbeus tom. 8. Conciliorum col. 269. in margine Concilii Germanici anni 742. *Hujus Concilii & ſequentis Liptinenſis canones habentur deſcripti in vetuſtiſſimo codice Palatino bibliothecæ Vaticanæ antiquo caractere Francico exarato, unde nonnulla adnotavit Holſtenius*. Gallicanum quidem codicem demonſtrant documenta, quæ partim initio deſcribuntur ante collectionem Dionyſii, partim vero ipſi ſubjiciuntur. Initio legitur laudatum Concilium Germanicum, & dein canones Liptinenſes. Tum proferuntur *Nomina Epiſcoporum, qui miſſi ſunt a Romana Urbe ad prædicandum in Galliam*. Quæ autem ſubduntur nomina, eadem ſunt ac illa, quæ apud Gregorium Turonenſem recenſentur. Dein ſequitur: *Nomina Epiſcoporum ſeu Abbatum, qui apud Villam publicam Attiniacum* &c. uti ex hoc codice edita ſunt tom. 8. Concil. col. 861. Eſt Synodus anni 765. Poſtea habetur: *Abrenuntiatio diaboli operumque ejus & ſuperſtitionum*: quæ lingua Theotiſca veteri poſtea deſcripta ex hoc eodem codice prodiit laudato tomo col. 278. ubi per errorem numerus codicis notatur 542. Deinde: *Ex Clemente ad Jacobum præcepta S. Petri*, quæ hoc tomo inter antiqui Juris canonici documenta edidimus. Hæc collectioni Dionyſianæ præmittuntur. In fine autem alio caractere habetur hoc documentum: *Sufficerent quidem priſcorum Patrum regulæ* &c. Eſt Concilium Vernenſe ſub Pippino celebratum anno 755. cui ex noſtro codice variantes additæ ſunt in margine tomi 8. Concil. col. 417. Hæc autem omnia documenta cum codicem Gallicanum probant, tum vero ante Caroli Magni ætatem exaratum demonſtrant: adeo ut Dionyſii collectionem ante Carolum Magnum in Gallias delatam hic quoque codex confirmet.

Documenta Gallicana ex eo edita.

XI. Sola vero prima Dionyſianæ collectionis pars in eo continetur, quæ pag. 11. incipit cum ipſius Dionyſii epiſtola hic omnino inſerenda, cum non uno nomine a vulgata diſcrepet. Primum enim non Stephano, ſed Petronio Epiſcopo inſcribitur. Dein vero brevior eſt multo, & non exiguam varietatem in fine exhibet.

Prima pars collectionis Dion.

Domino venerando mihi patri Petronio Epiſcopo Dionyſius Exiguus in Domino ſalutem.

Epiſt. Dion. diverſa a vulgata.

Quamvis cariſſimus frater noſter Laurentius aſſidua & familiari cohortatione parvitatem noſtram regulas eccleſiaſticas de Græca transferre pepulerit, imperitia, credo, priſcæ tranſlationis offenſus; nihilominus tamen ingeſtum laborem tuæ beatitudinis conſideratione ſuſcepi, cui Chriſtus omnipotens Deus, ſolita populis pietate proſpiciens, ſummi Sacerdotii coatulit dignitatem. Ut inter plurima virtutis ornamenta, quibus Eccleſiam Domini morum ſanctitate condecoras, etiam ſacratiſſima jura, pontificalibus per Dei gratiam digeſta conventibus, intemerata conſervans, perfecto regimine Clerum plebemque moderaris: nullatenus noſtri ſæculi more contentus, quo cronius deſideramus recta noſſe quam facere; ſed divino junctus auxilio, quæ fieri præcipis, ante perficias, at efficaciſſimo fidelibus proſis exemplo. Magna eſt ſiquidem jubentis auctoritas, eadem primatus juſſa compleatur, quatenus inconvulſa eccleſiaſtici ordinis diſciplina ſervata, ad capeſſendam perennem beatitudinem & prævii cuncti inſtruantur efficus, & ſpiritualibus populi locupletentur augmentis. Incolumem beatitudinem veſtram & orantem pro nobis gratia divina cuſtodiat. Explicit prologus.

Deſunt hæc in epiſtola illa omnia, quibus Dionyſius ſuæ collectionis methodum & documentorum ſeriem deſcribit. Hæc eadem brevior epiſtola cum iiſdem lectionibus & clauſula legitur etiam in alio vetuſto MS. codice Vat. Palat. 574. qui pariter Gallicanus eſt. Solum in hoc omittitur inſcriptio Dionyſii ad Petronium, ejuſque loco habetur titulus a librario præfixus: *Præfatio Dionyſii Exigui ad Stephanum*.

XII. Alia porro in ipſa canonum collectione tum quantum ad numerum, tum quantum ad ordinem canonum a ceteris puri Dionyſii codicibus diſcrepant. Tabula capitulorum duplex diſtinguitur. Prima exhibet capitula canonum Apoſtolorum, cui ipſi canones ſubjiciuntur. Altera eſt generalis ceterorum Conciliorum; ſed non exiguum in aliquot titulis verborum diſcrimen ab aliorum codicum textu. Sequuntur canones Nicæni, Ancyrani, & Neocæſarienſes, quibus poſtremis hæc notatio apponitur; *Et hi canones poſt eos quidem probantur eſſe, qui apud Ancyram* (perperam additur *& Cæſaream*) *conſtituti ſunt; ſed Nicænis regulis anteriores exiſtunt*. Tum Gangrenſes cum hac notatione: *Hæ Gangrenſes regulæ poſt Nicænam Synodum probantur expoſitæ*. Dein Antiocheni, Laodiceur, & Conſtantinopolitani. His non ſubduntur canones Chalcedonenſes, ut in aliis MS. Dionyſii, ſed Sardicenſes, qui ſunt XX. non XXI: omittitur enim canon quartus incipiens *Gaudentius*, & pars præcedentis, qui deſinit in verbis *ſancti Petri memoriam honoremus*. Hinc quintus canon aliorum codicum in hoc MS. quartus efficitur, & ſimiliter ceteri uno numero deficiunt. Hic vero quarti canonis defectus, & mutilatio tertii ex aliquo librariorum ſaltu fortaſſis originem ducunt. Hi autem omnes canones lectiones præferunt, quæ in puris Dionyſianis codicibus deprehenduntur, nec illa additamenta recipiunt, quæ in Hadrianeis MSS. acceſſere. Sequuntur acta Concilii Carthaginienſis anni 419. canonibus præmiſſa, uti in aliis MSS. Dionyſii, & in vulgatis leguntur uſque ad illa *de hoc in ſequenti tractabimus*. Dein ſubditur: *Daniel notarius Nicæni Concilii profeſſionem fidei, vel ejus ſtatuta recitavit in Concilio Africano: quæ nos cum reſcriptis Epiſcoporum*

Deſcriptio collectionis.

V. Juſtelli edit. ſeu tom. 2. Conc. col. 1260. a

rum Alexandrini & Conſtantinopolitani conſcripſimus. Omiſſis autem ceteris, quæ ſunt in vulgato, ſequuntur tantum priores ejuſdem Concilii canones XXXIII. qui, etſi in præmiſſa tabula ſint pariter XXXIII. in corpore tamen ob diverſam diviſionem ſunt XXXV. ac deſinunt in verbis, *nec Presbytero rem tituli ſui uſurparo*. Omittuntur porro omnia, quæ ex aliis Synodis lecta fuerunt in eodem Concilio, nec non canones ſecundæ actionis, ideſt omnia poſt canonem XXXIII. vulgatum uſque ad canonem CXXXIII. Sequitur autem: *Aurelius Epiſcopus dixit: Juxta ſtatuta totius Concilii* &c. cum ſubſcriptionibus Patrum, ut in vulgato poſt canonem CXXXIII. Dein epiſtola ipſius Concilii ad Bonifacium. Poſtea epiſtolæ Cyrilli & Attici ad Africanos. Tum ſubditur profeſſio fidei Nicænæ cum canonibus item Nicænis, quibus hic titulus præponitur: *Incipiunt conſtitata Patram in magaa & ſancta Synodo apud Nicæam civitatem Bithyniæ, quæ de Græco tranſlata ſunt a Philone Evares ad Conſtantinopolitanos*: lege *Evariſto Conſtantinopolitano*, vel, ut alii malunt, *& Evariſto Conſtantinopolitanis*. Cum in MSS. & vulgatis Dionyſii ſolum ſymbolum ex hac verſione proferatur; loco hujus tituli & canonum, qui omittuntur, quædam notatio ſubſtituitur, qua ipſa omiſſio indicatur. Nicænos canones excipit epiſtola Africanorum ad Cæleſtinum Papam. Tandem concluditur cum canonibus Chalcedonenſibus, quos Dionyſius latine reddidit; finiſque indicatur his verbis: *Deo gratias, fiat, fiat*.

Ibi col. 1352. e

Eſt primus Dionyſii fetus.

XIII. Hoc tantum hujus partis diſcrimen a puris Dionyſii codicibus, & a vulgatis hunc primum ejuſdem fetum fuiſſe dubitare non ſinit. Ordo, quo ille canones ſui Græci codicis primum latine redditos dedit, dein Sardicenſes & Africanos ex originali Latino, ac tandem verſionem Chalcedonenſium, chronologicam ſeriem Dionyſium ſibi initio propoſuiſſe indicare videtur. Secundis autem curis Chalcedonenſes canones ceteris Græcis Synodis ſubnectendos credidit. In canonibus vero Africanis præter geſta primæ actionis Concilii Carthaginienſis anni 419. ſolos initio exhibuit canones XXXIII. nulla mentione facta ceterarum Synodorum, quæ in eodem Concilio recitatæ & inſertæ fuerant. Cumque deſcribendam conſtituiſſet integram verſionem ſymboli & canonum Nicænorum, quam Philo & Evariſtus lucubraverant; hinc in notatione triginta tribus canonibus præmiſſa, poſt verba *Daniel notarius Nicæni Concilii profeſſionem fidei, vel ejus ſtatuta recitavit in Concilio Africano*, hæc adjecit: *quæ nos cum reſcriptis Epiſcoporum Alexandrini & Conſtantinopolitani conſcripſimus*. Hæc additio prætermiſſa fuit curis ſecundis, quibus mutato conſilio canones ejuſdem verſionis præterivit. Hac autem in re illud ſuſpicamur, Dionyſio primum ob oculos fuiſſe codicem ejuſdem Synodi Africanæ, in quo ſola geſta primæ actionis cum canonibus XXXIII. & ſola reſcripta Epiſcoporum cum integra verſione Philonis & Evariſti continerentur. Simili quidem codice uſi videntur alii collectores, qui ea geſta & canones eoſdem XXXIII. alia diviſione diſſectos in canones XL. nec non Epiſcoporum reſcripta exhibuerunt. Confer admonitionem in Documenta infra col. 629. n. 5. Dum vero Dionyſius ſecundis curis ſuam collectionem adornavit, alium codicem nactus videtur, in quo integrum illud Concilium anni 419. comprehendebatur: cumque recitatos, & inſertos in eo aliarum Africæ Synodorum canones exſcribendos duxerit, verſionem laudatam canonum Nicænorum ſuppreſſit, aliaſque notationes ſubſtituit, quæ primo fetui non congruebant. Hinc in epiſtola ad Stephanum ea adjecit, quæ ſecundis curis conveniunt. Illa vero brevior primi fetus epiſtola Petronio inſcripta indicare poteſt eum Petronium Epiſcopum, cui Dionyſius unam ex Paſchalibus dedit anno 525. Cum autem eadem brevior epiſtola in alio cod. Vat. Palat. 574. Stephano data dicatur; de errore aliquo librarii in Petronii nomine ſuſpicandum videtur.

CAPUT II.

De collectione, quam Hadrianus Papa I. Carolo Magno tradidit.

Hæc collectio quando data.

I. HAdriana vocari ſolet collectio, quam Hadrianus I. Pontifex Carolo Magno Francorum Regi Romæ tradidit. Cum is Hadriano I. Pontifice ter in Urbem venerit, nimirum, ut notavit Sirmondus, anno 774. cum Papiam obſideret; iterum anno 781. cum ejus filii Pippinus Langobardiæ, & Ludovicus Aquitaniæ Reges ab eodem Pontifice inuncti fuerunt; ac tandem anno 787. cum inde Capuam quoque ac Beneventum adverſus Grimoaldum Ducem profectus eſt: hunc Codicem ad primam profectionem potius pertinere jure conjecit P. Couſtantius ex his epiſtolæ Codici præfixæ verbis, quibus Carolum Hadrianus alloquitur: *Illæſus cum tuis victor manebis, nempe per ipſos* (Petrum & Paullum) *qui aditum petunt urbis Papiæ te ingredi victorem, neſa perfidi Regis calcabis Deſiderii colla*. Hæc autem collectio Dionyſianam cum aliquot additamentis complectitur; ita ut ob hæc additamenta a Dionyſiana diſcrepet. Neque vero Hadrianus I. hujus collectionis auctor credatur, ac ſi ipſe ea additamenta Dionyſianæ collectioni inſeruerit. Zacharias enim Pontifex in epiſtola ad Pippinum & Epiſcopos atque Abbates regni Francorum ſcripta anno 745. canones aliquot recitat *ex Concilio Africano*, alios vero *ex Concilio Carthaginienſi*: quæ Africanorum canonum diſtinctio & inſcriptio Hadrianæ collectionis, ut videbimus, propria eſt. Etſi priores canones XXXIII. a poſterioribus numeris centum diſtinguat Creſconius ex aliquo codice Dionyſiano, in quem ea numerorum diſtinctio induci cœperat; omnes tamen Carthaginienſi Concilio inſcriptos præfert; adeo ut Concilio Africano poſteriores centum canones adſcribere ſolius Hadrianæ collectionis ſit proprium, quam proinde ſub Zacharia Pontifice inductam manifeſte cognoſcimus. Additamenta porro documentorum, quæ in hac collectione ſuo loco Dionyſianis inſerta leguntur, jamdiu ante Hadrianum & Zachariam Dionyſianæ collectioni duplici tempore fuiſſe ſubjecta liquet ex MS. Vat. 5845. de quo dicemus paullo poſt. Quandonam vero hæc additamenta, quorum recentiora ad Gregorium II. pertinent, juxta chronologicum ordinem ſuo loco inſerta fuerint, inopia documentorum ignoratur.

Hadrianus I. non eſt ejus auctor.

Diſtinctio collectionis Hadrian. a Dion. ex additamentis.

II. Cum Hadrianæ collectionis a Dionyſiana diſcrimen ex additamentis potiſſimum pendeat, de his ſingillatim & diſtincte agendum. Sola documentorum additamenta alii animadverterunt, quæ ad ſecundam collectionis partem, ſeu ad Romanorum Pontificum epiſtolas ſpectant. Verum alias additiones non leves etiam in prima parte canonum deprehendimus, de quibus in primis dicendum eſt. In Nicæno Concilio additum fuit ſymbolum cum notatione temporis, nec non catalogus Epiſcoporum peculiaris verſionis, de qua diximus part. 1. c. 3. §. 1. Ancyrani & Neocæſarienſes canones nomina Epiſcoporum exhibent. In Gangrenſibus legitur ſynodica epiſtola ad Armenos ex interpretatione, uti vocant, Iſidoriana cum nominibus Epiſcoporum. Antiocheni receperunt in titulo additionem vocum *in encæniis*; ac in puris hujus collectionis exemplaribus ſola Epiſcoporum nomina addita præferunt ratione peculiari, de qua confer part. 1. c. 4. §. 2. Synodica autem ejuſdem Concilii in Wendelſtini & Pithoei editionibus deſcripta ex Iſidoriana interpretatione acceſſit. In Conſtantinopolitanis adjecti ſunt ſymbolum & Epiſcoporum catalogus: in Chalcedonenſibus definitio fidei cum catalogo Epiſcoporum, quem eumdem eſſe animadvertimus, qui ex vetuſtiſſimo Maffejano codice a Sirmondo exſcriptus, & a Labbeo editus fuit tom. 4. Concil. Ven. edit. col. 1710. & ſeqq. Sardicenſes clauſulam habent a Dionyſiana collectione diverſam: *Omnis Synodus dixit. Univerſa quæ conſtituta ſunt, catholica Eccleſia in univerſo orbe diffuſa cuſtodiet*: catalogumque Epiſcoporum præterea recipiunt, qui ex antiquiore Italica collectione Barb. 2888.

Quæ additamenta in prima parte canonum.

2888. vel alia ſimili tranſcriptus fuit. Canones Africani apud Dionyſium continua numerorum ſerie diſtributi in numeros CXXXVIII. hoc uno titulo inſcribuntur: *Synodus apud Carthaginem Africanorum, quæ conſtituit canones CXXXVIII.* In Hadriana vero collectione duplicem ſeriem proferunt cum duplici inſcriptione. Priores enim canones XXXIII. hanc epigraphen exhibent: *Incipiunt canones Carthaginienſis Concilii*: & concluduntur hac clauſula: *Expliciunt canones Concilii Carthaginienſis*. Dein alii canones CV. nova numerorum ſerie deſcribuntur cum hac inſcriptione: *Incipiunt canones Conciliorum diverſorum Africanæ provinciæ numero CV.* eiſdemque hæc clauſula apponitur: *Explicit Africani Concilii*. Aliud hujus partis diſcrimen addemus, quod loco præfationis Dionyſii ad Stephanum Salonitanum in primævo exemplo Hadriani ſubſtituta fuit alia ipſius Pontificis præfatio ad Carolum Magnum verſibus digeſta, quorum primæ litteræ hanc inſcriptionem referunt: *Domino Eccel. filio Carulo Hadrianus Papa*. Hæc præfatio nobis conſervata fuit a vetuſtiſſimo MS. exemplo Sangermanenſi, quod ipſo Carolo imperante ſcriptum fuit anno 805. e ceteris vero, quos vidimus, ejuſdem collectionis codicibus excidit. Quod ſi in quibuſdam ejuſmodi MSS. libris Dionyſii epiſtola ad Stephanum exhibetur; hos ab illis vetuſtioribus exemplaribus exſcriptos, quæ hanc collectionem ante Hadrianum, uti conjecimus, digeſtam continebant, ſuſpicari licet: neque enim veri Hadrianei codices eam epiſtolam Dionyſii, ſed aliam Hadriani præfationem recipiebant.

tom. 8. Conc. col. 583.

Additamenta partis ſecundæ.

III. Additiones partis ſecundæ, quæ Apoſtolicæ Sedis conſtituta continet, antequam eidem collectioni insererentur, appendicis loco ſubjectæ erant puræ collectioni Dionyſii. Id didicimus ex antiquiſſimo codice Vat. 5845. qui purum Dionyſium continet. Poſt deſcriptam enim Dionyſii collectionem eodem caractere appendix ſubjicitur, in qua chronologico ordine neglecto, prius referuntur tria Concilia ſub Symmacho, unum anni 501. alterum anni 502. ac tertio loco illud anni 499. Dein tituli ſex decretorum Hilari Papæ, duo Simplicii, & unus Felicis: ac poſt titulos ipſa iſtorum decreta recitantur. Tum deſcribitur Leonis epiſtola ad Epiſcopos Mauros cum titulo: *In cauſſa Lupicini Epiſcopi. Leo univerſis Epiſcopis per Cæſarienſem Mauritaniam conſtitutis*. Ipſa autem epiſtola caret tribus capitibus VI. VII. & VIII. quæ in integra ejuſdem epiſtolæ editione exhibuimus: de qua forma vide quæ latius diſſeruimus in admonitione ad epiſt. 12. tom. 1. col. 645. n. 3. Poſtea ſubjicitur *epiſtola Zoſimi ad Presbyteros Ravennæ directa. Zoſimi commonitorium Presbyteris & Diaconibus, qui Ravennæ ſunt. Ex relatione* &c. Hæ duæ epiſtolæ inter additamenta Dionyſiana recenſendæ, in *Bibliotheca Juris Canonici* perperam inſerta fuerunt collectioni Dionyſii. Tandem poſt hæc omnia in eodem codice quaſi nova appendix ſubditur cum tabula capitum LXXIX. ac totidem documenta poſt tabulam deſcribuntur, quorum quinque priora in rem noſtram hæc ſunt.

I. *Juſtinus Auguſtus Hormiſdæ. Quo fuimus ſemper* &c. Exſtat hæc epiſtola tom. 5. col. 672.

II. *Exemplar precum a Clericis & Monachis Antiochenis, Hieroſolymitanis* &c. *ad Juſtinum. Haurite aquam cum lætitia* &c. Ibi col. 473.

III. *Hormiſda Juſtino. Inter ea, quæ ad unitatem* &c. Ibi col. 682.

IV. *Hormiſda Presbyteris, Diaconibus, & Archimandritis ſecundæ Syriæ. Lectis litteris* &c. quæ epiſtola ibidem maxima ſui parte truncata, vix initium retinet, ac deſinit in verbis tom. 5. Concil. col. 1114. a. *laboreſque conſiderans Propheta*.

V. *Incipit conſtituta Papæ Gregorii junioris. In nomine Domini* &c. Eſt Concilium anni 721. tom. 8. Conc. col. 185.

Priora illa documenta, quæ præcedunt tabulam capitulorum LXXIX. paullo poſt Symmachi mortem Dionyſiano codici adjecta, poſteriora vero, ſeu quinque iſta capita Gregorii II. ævo, aut paullo poſt acceſſiſſe conjecimus in memorata admonitione ad epiſt. 12. S. Leonis num. 11. Hæc autem omnia, nimirum tum illa priora, tum hæc quinque documenta, nec plura nec pauciora Hadrianæ collectioni ſuo loco in chronologicam ſeriem inſerta leguntur. Adeo vero ex aliquo codice ſimili prædicto Vaticano 5845. ſumta & inſerta fuere, ut non ſolum eoſdem titulos, lectiones eaſdem laudati codicis in Hadrianis exemplaribus exhibeant, verum etiam epiſtola Leonis ad Mauros indicatis tribus capitibus careat, & epiſtola Hormiſdæ ad ſecundæ Syriæ Presbyteros, Diaconos, & Archimandritas ſimiliter detruncata, ſolum initium retineat. Cur porro alia quoque capita, quæ in eo MS. Vaticano poſt illa quinque deſcribuntur, Hadrianæ collectioni adjecta non fuerint; nulla alia ratio probabilis nobis videtur, niſi quia eadem Dionyſianæ collectionis appendici poſtea acceſſere. Ea autem documenta Hadrianæ collectioni hoc ordine inſeruntur. Epiſtolæ Zoſimi ad Heſychium ſubditur alia ad Preſbyteros Ravennæ num. IV. In fine autem epiſtolarum Leonis num. XLIX. refertur hujus epiſtola ad Mauros. Dein adduntur ſex decreta Hilari Papæ, nimirum Concilium ejuſdem anni 465. cum duabus epiſtolis ipſius Pontificis in eo lectis: duo decreta Simplicii, ſeu duæ ejuſdem epiſtolæ, altera ad Joannem Ravennatem, altera ad Florentium, Equitium, & Severum: unum Felicis, ſeu Concilium ejuſdem anni 487. Tum Concilium ſub Symmacho anni 499. aliud anni 502. ac aliud anni 501. Tandem quinque alia documenta, quæ ſuperius indicavimus, quatuor ſub Hormiſda, & unum ſub Gregorio juniore.

tom. 5. Conc. col. 85.
Ib. col. 95. 96.
Ib. col. 475.
col. 441. 471. & 457.

IV. Quo ex tempore hæc collectio ab Hadriano Papa Carolo Magno tradita fuit, apoſtolicam quamdam auctoritatem obtinuit, & *Codex canonum* paſſim appellari cœpit. Hinc inductas ſubinde ſuppoſititias Iſidori epiſtolas, rejiciendas duxerunt nonnulli, *quia in Codice canonum non habentur adſcriptæ*, ut palam fit ex epiſtola 42. Nicolai I. num. 5. Hoc autem nomine *Codicis canonum* intelligi Hadrianam collectionem patet ex Hincmaro Remenſi, qui Iſidorianas merces repudians, affirmat eis ſolis canonibus utendum, *quos Apoſtolica Sedes .... & omnis catholica Eccleſia CANONES appellant, quique in noſtris*, inquit, *codicibus, quos ab Apoſtolica Sede majores noſtri acceperunt ſequendos*, continentur. Ex quibus palam eſt, ut notavit P. Couſtantius, eum, quem Hadrianum Codicem vocamus, ab Hincmaro Gallicaniſque Antiſtitibus *Codicem canonum* nuncupatum fuiſſe, idque ex uſu & conſuetudine ſermonis apud Romanos & Gallos recepti.

Hæc collectio quantæ auctoritatis.

Præf. t. 1. Epiſt. R. P. num. 131.

V. Frequentes ſunt hujus collectionis MSS. codices, qui Dionyſiani vulgo creduntur. Multos Romæ inſpeximus, inter quos antiquiores & memoratu digni ſunt Vat. 4969. Vat. Palat. 578. Vat. Reginæ 1021. & 1043. Vallicellani duo A. 5 & XVIII. In his codex Vat. Reginæ 1021. initio peculiarem indicem, ſeu potius Breviarium ineditum præfert eorum, quæ in eadem collectione continentur. Exſtitiſſe autem nonnullos codices, qui Hadrianam collectionem duobus aliis additamentis auctiorem exhiberent, liquet ex Codice canonum, quem Leo IV. in epiſtola ad Britannos deſcribit & approbat his verbis, a Gratiano recitatis diſt. 20. c. 1. *De libellis & commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, & ſanctorum .... orum canones relinquere, vel decretalium regulas, id eſt, quæ habentur apud nos ſimul cum canonibus. Quibus autem in omnibus eccleſiaſticis utimur judiciis, ſunt canones Apoſtolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæſarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodicenſium, Conſtantinopolitanorum, Epheſinorum, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Africanenſium, Carthaginienſium; & cum illis regulæ Præſulum Romanorum Silveſtri, Siricii, Innocentii, Zoſimi, Cæleſtini, Leonis, Gelaſii, Hilari, Symmachi, Hormiſdæ, Simplicii, & Gregorii junioris. Iſti omnino ſunt & per quos judicant Epiſcopi, & per quos Epiſcopi ſimul judicantur & Clerici*. Ex hac deſcriptione manifeſtum fit, hujus Pontificis ætate Romano Codici, qui Hadrianam collectionem præferebat, duo additamenta jam acceſſiſſe. Unum in Conciliis, nimirum

Codices Hadriani.

Duo additamenta, quæ collectioni Hadrianæ ſubinde acceſſere.

rum canones Epheſinos, quo nomine duæ Cyrilli epiſtolæ ad Neſtorium cum duodecim anathematiſmis ſignificantur; hucque traductæ fuerunt ex collectione Hiſpanica, in qua ſimiliter Epheſini Concilii titulo inſcriptæ, eamdem verſionem præferunt. Alterum additamentum in decretalibus, videlicet Silveſtri Concilium apocryphum, quod ex antiquioribus collectionibus in Hadrianam irrepſiſſe diſcimus etiam ex *Adnotatione de decretalibus Apoſtolicorum*, quæ legitur in MS. Vat. 3833. præmiſſa collectioni Cardinalis Deuſdedit, & in duobus codicibus vetuſtioris collectionis Sorbonico Mutinenſis, ex qua illam *Adnotationem* edidit Franciſcus Salmon in Gallico opere inſcripto *Traité de l' étude des Conciles* pag. 258. editionis Lipſienſis anni 1726 Hæc enim *Adnotatio* Hadrianæ collectionis ſeriem preferens, quæ cum Leonis IV. Codice omnino concinit, ante Siricii decreta Concilium S. Silveſtri commemorat.

Peculiaris MS. Vat. 1337.

VI. Nunc exemplum Vat. 1337. prætermittendum non eſt, eo quod licet Hadrianum ſit, quædam tamen peculiaria in prima canonum parte contineat. Hic præcipue codex Romanis Correctoribus uſui fuit in editione Gratiani, qui eum *Codicem canonum* nominant. Id elicitur ex notatione *c* in cap. 8. diſt. xix. ubi quoddam caput epiſtolæ Anaſtaſii II. ad Anaſtaſium Auguſtum haberi teſtantur *in Codice Canonum fol.* 156. hoc autem folio memorati Vaticani manuſcripti eadem ſane Anaſtaſii epiſtola deſcribitur. In hoc autem codice omittuntur canones apoſtolici: quatuor vero generalium Conciliorum canones præmittuntur ceteris hoc ordine, Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini, & Chalcedonenſes. Nicæno ſymbolo ſubjicitur ſine ullo titulo: *Poſt Concilium Nicænum in urbe Roma Concilium congregatum eſt* &c. ut in collectione hoc tomo edenda cap. 55. in quod vide not. 2. col. 396. & not. 11. col. 400. Epheſini Concilii nomine proferuntur duæ Cyrilli epiſtolæ ad Neſtorium, ut in Leonis IV. codice numero præcedenti obſervavimus. Poſt canones Chalcedonenſes ſequuntur Ancyrani, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Antiocheni, Laodiceni, Carthaginienſes XXXIII. Sarditenſes, & reliqui Africani CV. In ſecunda parte, quæ Pontificum conſtituta complectitur, nihil hic codex diſcrepat a puris Hadrianis. Poſt hanc vero partem deſcribitor brevis adnotatio de ſex Synodis generalibus, & alia pauca ſubnectuntur. Tandem recentiori caractere, ſed vetuſto ſæculi circiter XI. duæ adnotationes leguntur, quæ ad canones Latinos Sardicenſes & Africanos primæ parti inſertos pertinent. Aliquid ſimile occurrit quidem in Epitome, uti appellant, Hadrianea impreſſa tom. 8. Conciliorum col. 574. ſed cum in noſtro codice eæ adnotationes oberiores ſint, hic appendendæ videntur. Prima de canonibus Concilii Carthaginienſis anni 419.

Adnotatio de canonibus Carth. an. 419.

Sunt etiam regulæ eccleſiaſticæ, quæ in Africanis regionibus frequentiſſimo ſynodali Concilio conſcriptæ ſunt, quæ quoniam multipliciter & diverſis modis (ideſt aliter apud Dionyſium & in MSS. Hadrianis, aliter in collectione Hiſpanica & Iſidoriana, ac in aliis codicibus) *inveniuntur; ſi ad manus cujuſcumque catholicorum veneriat, ſalva & incolumi fide catholica, quæ apud Nicæam Bithyniæ a CCCXVIII. Patribus expoſita eſt, & poſtea iterum in urbe Roma de Spiritu Sancto ab Epiſcopis catholicis ſalubriter adjectum eſt; ſi quid in his rationabiliter reperit, quod tamen a ſancta atque catholica Eccleſia Romana non diſcrepet, ſequi debet.*

Secunda adnotatio de canonibus Sardicenſibus his verbis exprimitur.

Alia de canonibus Sardic.

Præterea ſunt aliæ XL. regulæ, quæ per Oſium Epiſcopum Cordubenſem currunt, quæ titulantur tamquam XX. Epiſcoporum apud Sardicam, quæ tamen non apud Græcos, ſed apud Latinos magis inveniuntur. (Hujus adnotationis auctor Græcarum collectionum ignarus, quæ Sardicenſes canones continebant, hæc idcirco ſcripſit, quia in ſolis Latinis collectionibus verſatus, ac præſertim in Dionyſiana, cum ex Dionyſii epiſtola ad Stephanum didiciſſet, Sardicenſes canones ab eo adjectos fuiſſe ex originali Latino, eos apud Græcos defuiſſe perperam credidit.) *Sed quoniam Oſii præfati mentio facta eſt, neceſſario omnibus catholicis intimandum eſt, hunc eumdem apud Nicæam Bithyniæ inter ſanctiſſimos CCCXVIII. Patres fuiſſe honorabilem, atque ab Apoſtolica Sede cum Vincentio & Victore Presbyteris deſtinatam: quique in Hiſpaniis uſque ad tempus Conſtantii Principis in corpore manſit. Nam memoratus Conſtantius (ſicut vir eruditiſſimus Sulpicius Severus in Chronicis ſuis refert, quique diligenti cura complectens, noſtræ memoriæ dereliquit) apud Ariminum Italiæ numeroſam utriuſque orbis Synodum epiſcopalem collegit, & adverſus fidem catholicam, vel CCCXVIII. Patrum definitionem Arii cupiens venena revolvere, eccleſiam Dei tyrannica uſurpatione turbavit. Denique coacti vel metu Principis, vel Tauri præſentia, cui executio taliter fuerat delegata, ut ſi major pars Concilii in Arianorum perfidiam conſentiret, ipſe conſulatus inſignia mereretur, pene omnes qui ibidem fuerunt epiſcopi, ſubſcripſerant. Sed poſtea iterum, divino inſpirante præſidio, quamplurimi agentes pœnitentiam, datis quoque libellis ad ſanctam Eccleſiam catholicam, de qua plus neceſſitate quam voluntate diſceſſerant, redierunt. Unde & in æternum ab omnibus catholicis Ariminenſi Concilio recte dicitur anathema: quod ſi quis dicere neglexerit, catholicus non eſt. Hunc ergo Oſium, ſicut* (1) *prædictus Sulpicius refert, in longa Synodi diſceptatione, quoniam, ut ſupra memoratum eſt, adhuc Conſtantii temporibus erat in corpore, placuit miſſa epiſcopali legatione debere perquiri, utrum in ſancta & venerabili Nicæna congregatione, in qua præſens fuerat, omouſion, ſicut nos catholici recte confitemur, ideſt unius cum Patre ſubſtantiæ Filium, an certe, ſicut Ariani contendunt, omoeuſion, quod eſt ſimilis cum Patre ſubſtantiæ Filium, quod omouſion CCCVIII. Patres noſtri confiteri decreviſſent. Qui ſive per longam ætatem deſipiens, ſive certe per adſentationem Principis hujuſmodi reſponſum dediſſe perhibetur: utramque partem recte intendere, ſive omouſion, ſive omoeuſion. Cujus ſententia quoniam ſtulte prolata eſt, ab omnibus catholicis, etiam ab Arianis, uno ore irriſa, atque refutata eſt. Denique in civitate Corduba, in qua Epiſcopatum tenuit, poſt hanc conſultationem, ſive reſponſum nomen ejus inter catholicos Epiſcopos anteceſſores, vel deceſſores ejus minime recitatur.*

De Oſio Cordubenſi.

Sunt hæ regulæ, quæ per ſupradictum Oſium & XX. Epiſcopos currunt, ſalva & incolumi fide catholica, quæ apud eamdem Nicæam Bithyniæ a CCCXVIII. Patribus expoſita eſt, & poſt iterum in urbe Roma &c. ut in prima adnotatione. Subduntur autem viginti canones Sardicenſes abbreviati, & rurſum iidem fuſe deſcripti.

Editiones hujus collect.

VII. Hadrianæ collectionis editionem primus dedit Joannes Wendelſtinus Moguntiæ an. 1525. cum hac inſcriptione: *Canones Apoſtolorum, veterum Conciliorum conſtitutiones, decreta Pontificum antiquiora, de primatu Romanæ Eccleſiæ ex tribus vetuſtiſſimis exemplaribus tranſcripta.* Duo ex iiſdem codicibus omnino æquales puri erant Hadrianei: ex tertio autem tria Wendelſtinus adjecit, quæ Hadrianea non ſunt. 1. Duas memoratas S. Cyrilli epiſtolas ad Neſtorium nomine Concilii Epheſini. 11. Adnotationem peculiarem Sardicenſibus canonibus præmiſſam, quam antea ex MS. Vat. 1337. exhibuimus. 111. Tractatum de primatu Romanæ Eccleſiæ, qui recuſus eſt tom. 1. Conciliorum col. 65. Alteram editionem curavit Franciſcus Pithœus Pariſus anno 1609. cui hunc titulum præfixit: *Codex canonum ve-*

(1) Sulpicius lib. 2. Hiſtoriæ Sacræ hæc tantum de Oſio prodidit. *Oſium quoque ab Hiſpania in eamdem perfidiam* (Arianorum) *conceſſiſſe opinio fuit: quod eo mirum atque incredibile videtur, quia omni fere ætatis ſuæ tempore conſtantiſſimus noſtrarum partium, & Nicæna Synodus auctore illo confecta habebatur: niſi fatiſcente ævo* (etenim major centenario fuit) *ut S. Hilarius in epiſtolis refert, deliraverit.* Vide notam P. Hieronymi de Prato in hunc Sulpicii locum tom. 2. edit. Veron. Operum ejuſdem Sulpicii pag. 218.

vetus Eccleſiæ Romanæ. Eſt repetitio primæ editionis Moguntinæ eum tribus aliis additamentis, nimitum Breviationis Ferrandi, Breviarii Creſconiani, & epiſtolæ Dionyſii ad Stephanum. Tertia editio multo præſtantior, novis ejuſdem Pithœi curis adornata, poſt ipſius mortem producta fuit hoc titulo: *Codex canonum vetus Eccleſiæ Romanæ a Franciſco Pithœo ad veteres MSS. codices reſtitutus, & uotis illuſtratus*. Pariſiis an. 1687. fol. Præter additamenta autem anterioris editionis alia opuſcula hujus Appendicem augent.

VIII. Hoc caput concludemus brevi animadverſione in illam epitomem canonum, quæ edita Ingolſtadii tom. 6. antiquarum lectionum, & dein in Conciliorum editiones traducta fuit, atque Hadriano attributa. Scite nimium notavit Sirmondus: *Atqui Carolo conſtat oblatam fuiſſe non epitomem, ſed integram collectionem tum canonum, ex quibus epitome illa deinceps conflata eſt, tum decretorum etiam Pontificum a Siricio ad Gregorium juniorem*.

tom. 8. col. 565. tom. 2. Concil. Gall. pag. 117.

CAPUT III.

De collectione Additionum Dionyſii.

I. ADditiones Dionyſii appellamus documenta, quæ Dionyſianæ collectioni acceſſerunt. Duo ejuſmodi additionum genera in MS. puri Dionyſii Vat. 5845. probe diſtinguuntur. Primo enim poſt epiſtolam Anaſtaſii II, in qua Dionyſiana collectio deſinit, veloti appendix proferuntur tres Synodi ſub Symmacho, decreta Hilari Papæ ſex, Simplicii duo, & unum Felicis, epiſtola Leonis ad Mauros, & alia Zoſimi ad Presbyteros Ravennæ. Tum vero ſequitur tabula capitulorum LXXIX. quibus totidem documenta ſubnectuntur. Quinque priora ex his documentis antecedenti eapite indicavimus: hæc enim una cum illis Anaſtaſii II. epiſtolæ ſubjectis in Hadrianam collectionem tranſierunt, ut ibidem fuſius oſtendimus. Nunc de ceteris documentis LXXIV. dicendum, quæ cum non legantur in collectione Hadriani, Additionom Dionyſianarum nomine diſtinguenda credidimus.

Quæ vocentur Additiones Dion.

II. Hæ Additiones præter puri Dionyſii codicem Vaticanum 5845. ex quo eas Dionyſianas appellavimus, a nobis inventæ ſunt etiam ſubnexæ ipſi collectioni Hadrianæ in tribus codicibus, nimiram in Vallicellano A 5, in Vat. 1353. qui ex antiquiori Bergomate exſcriptus anno 1441. Petro Barbo Cardinali, poſtea Paullo II. Pontifici oblatus fuit; ac tandem in uno perantiquo Vercellenſis Capituli, quem Attoni Epiſcopo ſub medium ſæculum X. uſui fuiſſe deprehendimus. Hi omnes Italici codices hanc Additionum collectionem Italicam adſtruunt. Hinc Italicum fuiſſe credimus etiam codicem puri Dionyſii Vat. 5845. Hic *codex Longobardicus vetuſtiſſimus* ab Holſtenio vocatur apud Labbeum tom. 5. Concil. col. 792. A. cum eo caractere ſcriptus ſit, qui Longobardicus appellari ſolet. Initio mutilus partem Breviarii Creſconiani Dionyſio præmittit incipientem a cap. 245. Poſtea iterum quædam folia deſunt, & ipſa tabula titulorum primæ partis Dionyſianæ a tit. 16. Nicænorum initium ſumit. Ob hunc autem foliorum defectum una cum titulis 15. deeſt etiam epiſtola Dionyſii ad Stephanum, quam ita primæ parti fuiſſe præfixam credimus, uti parti ſecundæ præmittitur ejuſdem epiſtola ad Julianom. Canones Conciliorum non eam continoam numerorum ſeriem præferunt, quam Dionyſius ex Græco codice ſe ſe recepiſſe teſtatur; ſed ſolos numeros cujuſque Concilii proprios exhibent. In Africanos tantum ſeries numerorum CXXXVIII. cuſtoditur, non vero ea diviſio, quam Hadriani codices induxerunt. Præter Additiones Dionyſianas, quæ aliis MSS. ſunt communes, tria in fine adduntur, quorum unum Caroli Magni tempore codicis ipſius ætatem indicare videtur. Serius hic codex in bibliothecam Vaticanam pervenit: nam hæc notatio in infima ora primæ paginæ legitur: *Sanctiſſimo Domino noſtro Paullo V. D. Conſtantinus Abbas Cajetanus D. D. An. Domini 1619. menſe Octobri*.

In Italia collectæ.

De eod. Vat. 5845.

III. Plura dicenda de codice Vallicellano A. 5. cui alii duo Vercellenſis, & Vat. 1353. ſunt plane ſimiles. Hunc codicem membranaceum folii maximi duabus columnis diſtinctum ſæculo IX. Nicolao I. ſuperſtite ſcriptum indicat catalogus Romanorum Pontificom, qui ad ejus uſque Pontificatom perductus, ipſius nomen primigenio caractere exaratum exhibet; anni vero, menſes, ac dies Pontificatus ejuſdem poſteriori manu additi atque notati perſpiciuntur. Ipſum catalogum amicus noſter V. C. Comes Joſeph Garampius inſeruit eruditæ Diſſertationi *De nummo argenteo Benedicti III.* pag. 161. Idem catalogus deſcriptus quoque legitur in MS. Vat. 1353. unde illum edidere Emanuel Scheleſtratios in *Antiquit. Eccleſ. illuſtr.* tom. 1. pag. 626. & Franciſcus Blanchinius in prolegomenis ad tomum ſecundum Anaſtaſii Opuſculo VI. pag. XVIII. qui tamen præter Nicolaum I. deſinit in Hadriano II. & Joanne VIII. Hi vero duo poſteriores Pontifices in exemplo Bergomate, ex quo idem Vaticanus codex tranſcriptus fuit, addititii noſcuntur: annorum enim, menſium, ac dierum notis careut, qui in ipſo Nicolao I. ſignantur. Vallicellanus liber præmiſſum habet indicem Eminentiſſimi Baronii manu exaratum, qui hanc collectionem ipſi uſui fuiſſe demonſtrat. Antiquus caracter incipit a tabula capitum CXLI. quæ cum ſit initio detruncata, inchoat a num. XXXIV. Sequitur caractere majuſculo antiquo & rubro inſcriptio Breviarii Creſconiani, tum duodecim ſacræ imagines librum manu tenentes, dein præfatio Creſconii ad Liberinum de Concordia canonum, quam excipiunt Breviarii Creſconiani capitula CCC. Hoc autem loco animadvertendum eſt, illum codicem Vallicellanum a Breviario Creſconii incipientem, eum eſſe, quem *Collectionem Creſconianam* laudatus Card. Baronius vocavit. Id certo nobis innotuit ex numeris paginarum ab eodem Annalium parente notatis, qui cum hojus codicis paginis omnino conveniunt. Eodem titulo *Collectionis Creſconianæ* Romani editores epiſtolarum Romanorum Pontificum allegarunt ſimilem codicem Vat. 1353. Hac autem notitia cum careret P. Couſtantius, qui de hac collectione Creſconiana amicos Romæ degentes conſuluit, nec tamen idonea exinde recepit reſponſa, variis difficultatibus implicitus fuit, ut videre eſt, inter cetera in præfatione ejuſdem ad tom. 1. epiſtolarom Romanorom Pontificum num. 125. & 127. Poſt Breviarium Creſconii in MS. Vallicellano deſcribitur memoratus catalogus Romanorom Præſulum. Dein ſubjicitur tabula canonum Conciliorum & decretorum Romanorum Pontificum, quam ſequuntur ipſi canones, atque decreta eum iiſdem additamentis, quæ in Hadriana collectione continentur, iiſdemque ſuo loco inſertis, ut in eadem collectione. Poſt hæc adduntor alia capitula LXXIV., quæ hujus collectionis peculiaria, Additionum Dionyſianarum nomine diſtinximus. Hæc autem capitula LXXIV. continua numerorum ſerie ita eum præcedentibus connectuntur, ut priora illa Hadrianæ collectionis documenta diſtributa ſint in numeros LXVIII. hæ vero Additiones LXXIV. incipiant a num. LXIX. & deſinant in num. CXLI.

De MS. Vallicel. A. 5.

Collectio Creſconiana apud Card. Baronium quæ?

IV. Cum in MS. Vat. 5845. eædem Additiones ſeparatim ſubjiciantur Dionyſio, junctæque cum quinque aliis capitulis in Hadrianam collectionem traductis conficiant capita LXXIX. incipiunt a num. VI. Ne quid vero confuſionis pariatur, has Additiones deſcribemus præmiſſis numeris codicis Vallicellani, qui perfectior eſt (duo enim capitula in Vaticano deeſſe ſuo loco dicemus:) ita tamen ut numeros ipſius Vaticani exempli adnotare non omittamus. Obſervavimus autem harum Additionom auctorem præ oculis habuiſſe collectionem Vaticano-Barberinam, de qua diximus part. 2. c. 7. & S. Hilarii Fragmenta, ſeu integrum Hilarii opus, ex quo Fragmenta excerpta fuere. Sex enim earum Additionum capitula in iiſdem Fragmentis inveniuntur. Quæcumqoe porro in collectione Vaticano-Barberina deſcribuntur, in has Additiones collector traduxit, iis tantum exceptis, quæ jam in anterioribus capitulis Hadrianæ collectionis continentur. Alia vero novem capitula ex alio ignoto fonte recepit.

Fontes unde additiones excerptæ?

V. En modo ordinem earumdem Additionum

eum

cum numeris, qui præferuntur in laudato MS. Vallicellano A 5.

LXIX. In cod. Vat. Dionyſii 5845. eſt num. 6. *Præcepta S. Petri de ſacramentis conſervandis*. In colleƈt. Vat. Barberina habentur num. 34. proferentur autem hoc tomo inter documenta Juris canonici veteris num. 5. col. 674.

LXX. In Vat. Dion. num. 7. *Statuta antiqua Orientis*.

LXXI. In Vat. Dion. n. 8. *Recapitulatio ordinationum officialium Eccleſiæ*. Hi duo numeri in unum junguntur in colleƈt. Vat. Barberina n. 27. Edentur inter laudata documenta num. 3. col. 653.

LXXII. In Vat. Dion. n. 9. *Epiſtola canonica; quæ debeant Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi*. Eſt in coll. Vat. Barb. n. 30. Hæc pariter invenietur in documentis n. 4. col. 669.

LXXIII. In Vat. Dion. n. 10. *Depoſitio Marcellini Papæ*. Exſtat in Vat. Barb. n. 53.

LXXIV. In Vat. Dion. n. 11. *Incipit quemadmodum Formata fieri debeat. Factum apud Nicæam Metropolim Bithyniæ* &c. uti in coll. Vat. Barb. n. 3. quo lectores remittimus.

LXXV. In Vat. Dion. n. 12. *Epiſtola directa a Synodo Romæ*, lege *Romam*. Eſt epiſtola ſuppoſititia Synodi Nicænæ ad Silveſtrum Papam, quæ in coll. Vat. Barb. exhibetur n. 4.

LXXVI. In Vat. Dion. n. 13. *Epiſtola Silveſtri ad Synodum*. Eſt pariter ſuppoſititia, de qua confer coll. Vat. Barb. n. 5.

LXXVII. In Vat. Dion. n. 14. *Canones S. Silveſtri Epiſcopi*. Sunt tria documenta apocrypha. Primum & tertium apud P. Couſtantium & Labbeum vulgata, illa ſunt, de quibus diximus in eadem coll. Vat. Barberina n. 6. Secundum vero, quod eodem refertur, licet omnium maxime ſuppoſitionem præferat, cum tamen a memoratis viris inventum non fuerit, aliorumque ſuppoſitionem magis magiſque confirmet, hic appendimus. Menda ipſius partim impoſtori, partim librario tribuenda, corrigat quicumque valet.

Incipit epiſtola Silveſtri Epiſcopi ad Concilium Nicænum directa per Abundantium Presbyterum, & Abundium Diaconum Conſulatu Paullini & Juliani XII. Kal. Octobris.

Beatiſſimis fratribus ſanctis & Coepiſcopis, vel Compresbyteris, qui congregati ſunt in Nicæno Concilio, Silveſter Epiſcopus Præſul apoſtolicæ & catholicæ urbis Romæ in Domino ſalutem.

Glorioſiſſimus atque piiſſimus filius noſter Conſtantinus Auguſtus cum conſtitutionibus ſanctimonii veſtri auribus ſuis intimata cognoſceret, una nobis Domino noſtro Jeſu Chriſto jubente cum affectu ſuſcipimus, & fidem rectam atque declaratam univerſe orbi pandit introitum. Hoc ſciret (ſ. *ſcilicet*) *caritati veſtræ credidimus intimandum, Concilium a nobis congregatum in diœceſi noſtra contra Victorinum Epiſcopum & Hippolytum Diaconum, qui claruerunt Manichæorum conſortio, & Jobianum, & Calixtum, qui in ſua entollentia dicebant, non Paſcha venire die ſuo, nec menſe, ſed X. Kal. Maji cuſtodiri. Quos damnatos & ejectos extra Eccleſiam, & excommunicatos omnis mundus cognoſcat. Qui in Concilio Sedis Apoſtolicæ cognitione vulgata polluti ſenſibus ſuis non recte neſſe tacuerunt: & ſceleſta perpetrare compunctionum innocentum execranda pollutione damnatos. Et quia in ſeceſſione funeſta ipſi ſibi morte præventi, ultimo die auſi ſunt pollutionem Sacerdotii ſua ordinatione relinquere, quod infirmari ab hominibus ſanctis & Conſacerdotibus noſtra prædicatione & apoſtolicis doctrinis præcipimus damnari, contra Photinum, & Sabellium maxime, & Arium anathemate percuſſus* (ſ. *percuſſos*, vel *percuſſum*) *quaſi veſtro ore confirmantes damnamus, & quidquid in Concilio Nicæno civitatis Bithyniæ conſtituiſtis, pro veritis* (ſ. *univerſalis*) *Eccleſiæ moderatione pari forma cuſtodimus: libra ponderatione cenſetis. Data VI. Kal. Jan. Et alia manu. Dominus noſter Jeſus Chriſtus vos conſervare dignetur ſancti & Coepiſcopi fratres.*

LXXVIII. In Vat. Dion. deſideratur. *Regulæ Concilii Nicæni XX. Epiſcoporum, quæ in Græco non habentur, ſed in Latino inveniuntur ita. Sunt etiam regulæ eccleſiaſticæ, quæ in Africanis regionibus* &c. uti ex MS. Vat. 1337. integrum hoc capitulum dedimus antecedenti cap. 2. n. 6.

LXXIX. Hoc quoque capitulum in Vat. Dion. deeſt. *Lex lata Conſtantini Auguſti de Arii damnatione atque omni ſcriptura ab eo igni tradenda. Imperator Conſtantinus Auguſtus Epiſcopis & plebibus. Arius, qui malignos & impios imitatus eſt* &c. Eſt inedita antiqua verſio ejus legis, quæ in vulgatis & græce habetur & latine tum apud Socratem lib. 1. c. 9. tum apud Gelaſium Cyzicenum lib. 2. c. 36. Exſtat & alia vetus interpretatio apud Epiphanium Scholaſticum in Hiſt. Tripart. lib. 2. c. 15.

LXXX. In Dion. Vat. n. 15. *Geſta de Liberio*. Sunt in coll. Vat. Barb. n. 35. edita vero in Appendice tom. 1. Epiſt. R. Pontificum P. Couſtantii col. 89.

LXXXI. In Vat. Dion. n. 16. *Epiſtola Liberii Epiſcopi uniformis, antequam exiliaretur. Confeſſoribus ſcripſit, id eſt Euſebio & Dionyſio & Lucifero in exilio conſtitutis. Quamvis ſub imagine* &c. uti apud S. Hilar. Fragm. VI. n. 1. & 2.

LXXXII. In Vat. Dion. n. 17. *Item Liberius, antequam ad exilium iret, dixit Vincentio* (melius apud Hilar. *de Vincentio*) *Capuenſi ad Helianum Spoletanum. Nolo te factum Vincentii* &c. ut apud eumdem Hilarium in eodem Fragm. VI. n. 3. & 4.

LXXXIII. In Vat. Dion. n. 18. *Ejuſdem ſcripta ad Orientales Epiſcopos. Dilectiſſimis fratribus & Coepiſcopis Orientalibus Liberius ſalutem. Pro deifico timore* &c. Ibidem n. 5. 6. & 7.

LXXXIV. In Vat. Dion. n. 19. *Item Liberius de exilio ſcribit Urſacio, Valenti, & Germinio. Quia ſcio vos filios pacis eſſe* &c. In eodem Fragm. n. 10.

LXXXV. In Vat. Dion. n. 20. *Item de exilio Vincentio Liberius. Non doceo, ſed moneo* &c. Ibidem n. 10.

In MS. Vat. Dion. n. 21. inſeritur: *Exemplar epiſtolæ Sardicenſis Synodi ad Julium urbis Romæ Epiſcopum. Quod ſemper credidimus* &c. uti apud Hilarium Fragm. II. n. 9. ac tom. 2. Conc. col. 690. In codice autem Vallicellano deeſt hoc loco, & ſolus titulus ſine ipſa epiſtola profertur n. 102. ut inferius notabitur.

LXXXVI. In Vat. Dion. n. 22. *Confeſſio fidei catholicæ, quam Papa Damaſus ſcripſit ad Paullinum Antiochenum Epiſcopum. Poſt Concilium Nicænum, quod in urbe Roma* &c. Exſtat in coll. Vat. Barb. n. 36. nec non in coll. hoc tomo edenda cap. 55. in quod vide not. 1. infra col. 396.

LXXXVII. In Vat. Dion. n. 23. *Explanatio B. Hieronymi Presbyteri ad Damaſum Papam de tribus hypoſtaſibus. Cum vetuſto Oriens inter ſe populorum furore* &c. Eſt epiſt. 15. S. Hieronymi edit. Veron. & apud Couſtantium tom. 1. Epiſt. Rom. Pont. col. 545.

LXXXVIII. In Vat. Dion. n. 24. *Reſcriptum Damaſi Papæ ad petitum Hieronymi ad Paullinum. Dilecto fratri Paullino Damaſus*. Incipit autem: *Ee per ipſum filium meum Vitalem* &c. Habetur in coll. Vat. Barb. n. 37. & in coll. huic tomo inſerta cap. 55.

LXXXIX. In Vat. Dion. n. 25. *Concilium urbis Romæ ſub Damaſo Papa de explanatione fidei. Dictum eſt prius: Agendum eſt de Spiritu ſeptiformi* &c. uti ex Holſtenio legitur tom. 2. Concil. Ven. edit. col. 1047. e. Poſt ultima autem verba ab Holſtenio edita *annuntiabit vobis*, in hac collectione canon Scripturarum additur ſic. *Item dictum eſt: Nunc vero de Scripturis divinis agendum eſt, quid univerſalis catholica recipit Eccleſia, & quid vitare debeat. Incipit ordo veteris Teſtamenti*, ac poſt libros Teſtamenti veteris ſubjiciuntur etiam libri Teſtamenti novi, ut in vulgato decreto Gelaſiano tom. 5. Conc. col. 385. Additur porro: *Item dictum eſt. Poſt has omnes propheticas, & evangelicas, atque apoſtolicas, quas ſuperius deprompſimus Scripturas* &c. uſque ad ea verba laudati decreti Gelaſiani *primum nomen Chriſtianorum novellæ gentis exortum eſt*: quibus verbis trium præcipuarum Sedium mentio concluditur. Hoc ultimum fragmentum ex codice Baronius edidit ad an. 382. n. 19. Confer quæ de his fragmentis fuſe diſſeruimus part. 2. c. 11. §. 5.

XC. In Vat. Dion. n. 26. *Epiſtola Papæ Siricii*

per univerſos Epiſcopos miſſa. Optarem ſemper &c. Extat in coll. Vat. Barb. n. 38. ac in coll. huic tomo inſerta cap. 30.

XCI. In Vat. Dion. n. 27. *Reſcriptum Epiſcoporum. Recognovimus* &c. Legitur in coll. Vat. Barb. n. 29. & in collectione ſubjicienda c. 31.

XCII. In Vat. Dion. n. 28. *Epiſtola Concilii Carthaginienſis ad Innocentium. Cum ex more* &c. Eſt in Vat. Barb. n. 15. & in coll. edenda c. 6.

XCIII. In Vat. Dion. n. 29. *Reſcriptio S. Papæ Innocentii. In requirendis Dei rebus* &c. Habetur in Vat. Barb. n. 16. in coll. edenda c. 7.

XCIV. In Vat. Dion. n. 30. *Epiſtola Imperialis ad Aurelium Carthaginienſem Epiſcopum. Dudum quidem* &c. ut in Vat. Barb. n. 23. & in edenda coll. cap. 16.

XCV. In Vat. Dion. n. 31. *Epiſtola Aurelii Epiſcopi ad omnes Epiſcopos per Byzacenam & Arduzitanam provincias conſtitutos de damnatione Pelagii atque Cæleſtii. Super Cæleſtii & Pelagii damnatione* &c. uti in Vat. Barb. n. 24.

XCVI. In Vat. Dion. n. 32. *Capitula excerpta de geſtis habitis contra Pelagium hæreticum, & alia de libellis ejus, quæ in Palæſtina Synodo ſibi objecta, ipſe damnare compulſus eſt. Quod ab Jeruſalem* &c. ut in Vat. Barb. n. 25.

XCVII. In Vat. Dion. n. 33. *Epiſtola Cæleſtini Papæ Eccleſiæ Romanæ data ad Synodum in Epheſo conſtitutam. Spiritus Sancti teſtatur præſentia* &c.

XCVIII. In Vat. Dion. n. 34. *Item alia epiſtola Cæleſtini Papæ ad Neſtorium. Aliquantis diebus* &c.

XCIX. In Vat. Dion. n. 35. *Epiſtola exhortatoria ejuſdem S. Epiſcopi Cæleſtini Conſtantinopolim Clero & plebibus miſſa. Ad eos mihi* &c. Hæ tres epiſtolæ Cæleſtini Editores Romani epiſtolarum Romanorum Pontificum ex hac collectione, quam Creſconianam vocant, typis dederunt; ac exinde in Conciliis editæ tom. 3. col. 1143. 903. & 914. Vide coll. Vat. Barb. num. 47. 48. & 49.

C. In Vat. Dion. n. 36. *Excerpta Antiſtitum, quæ recitata ſunt contra Neſtorium in Synodo Epheſiorum. Poſt Conſulatum D. D. N. N. Theodoſii XIII.* &c. Vide quæ de hoc atque ſequenti capitibus diximus in num. 21. & 22. collectionis Vat. Barb. part. 2. c. 7.

CI. In Vat. Dion. n. 37. *Neſtorii blaſphemiarum capitula, quibus epiſtolis ad ſe miſſis a S. Cæleſtino Romanæ urbis, & Cyrillo Epiſcopis contradicit, & diſputatione breviſſima reſolvendo duodecim capitula fidei, quæ ad ſe miſſa fuerant, repellit. Nunc Epiſcopi Cyrilli* &c.

CII. *Exemplar epiſtolæ Sardicenſis ad Julium urbis Romæ Epiſcopum.* In MS. Vallic. ſolus hic titulus habetur; ipſa autem epiſtola in Vat. Dion. profertur num. 21. ut ſuperius monuimus poſt num. LXXXIV.

CIII. In Vat. Dion. n. 38. *Accuſatio Xyſti Papæ.*

CIV. In Vat. Dion. n. 39. *De Polycronio.* Hæc duo apocrypha documenta leguntur in coll. Vat. Barb. num. 51. & 52.

CV. In Vat. Dion. n. 40. Sancti Leonis ad Dioſcorum noſtræ editionis epiſt. 9.

CVI. In Vat. Dion. n. 41. Ejuſdem ad Turribium epiſt. 15.

CVII. In Vat. Dion. n. 42. Alia ad Januarium epiſt. 18.

CVIII. In Vat. Dion. n. 43. Ejuſdem ad Septimum epiſt. 2.

CIX. In Vat. Dion. n. 44. Ejuſdem ad Theodorum epiſt. 108.

CX. In Vat. Dion. n. 45. Alia ad Siculos epiſt. 17.

CXI. In Vat. Dion. n. 46. Ejuſdem ad Eutychen epiſt. 20.

CXII. In Vat. Dion. n. 47. *Exempla geſtorum, ubi in CP. Synodo a S. Flaviano Confeſſore Eutyches hæreticus auditus atque damnatus eſt. Congregata rurſus ſancta & magna Synodo* &c. uti in coll. Vat. Barb. n. 69. & 70.

CXIII. In Vat. Dion. n. 48. Epiſtola Leonis ad Flavianum noſtræ editionis epiſt. 23.

CXIV. In Vat. Dion. n. 49. Flaviani ad Leonem in noſtra edit. epiſt. 22.

CXV. In Vat. Dion. n. 50. Leonis ad Flavianum epiſt. 28.

CXVI. In Vat. Dion. n. 51. Ejuſdem ad Juvenalem epiſt. 139.

CXVII. In Vat. Dion. n. 52. Alia ad Maximum epiſt. 119.

CXVIII. In Vat. Dion. n. 53. Alia ad Anatolium epiſt. 80.

CXIX. In Vat. Dion. n. 54. Alia ad Leonem Auguſtum epiſt. 145.

CXX. In Vat. Dion. n. 55. Ad eumdem Auguſtum epiſt. 165.

CXXI. In Vat. Dion. n. 56. *Incipiunt capitula quæ directa ſunt in Synodo CCCXVIII. Patrum cum epiſtola Papæ Leonis ad Leonem Auguſtum.* Sunt teſtimonia Patrum ſubjecta laudatæ Leonis epiſtolæ 165. Confer ibidem not. 1. t. 1. col. 1383.

CXXII. In Vat. Dion. n. 57. *Item fides S. Hilarii Pictavienſis. Nos enim inſiſtentes* &c.

CXXIII. In Vat. Dion. n. 58. *Item fides S. Auguſtini. Credimus in Patrem* &c. Hæc duo teſtimonia addititia dedimus tom. 1. not. 88. col. 1400.

CXXIV. In Vat. Dion. n. 59. *Incipit fides catholicæ Eccleſiæ Romanæ. Credimus in unum Deum Patrem* &c. Eſt in coll. Vat. Barb. n. 90.

CXXV. In Vat. Dion. n. 60. *Confeſſio Presbyterorum, ſeu Diaconorum Eccleſiæ CP. Ego ille CP. Eccleſiæ Diaconus, vel Presbyter* &c. ut in eadem coll. Vat. Barb. n. 37.

CXXVI. In Vat. Dion. n. 61. Epiſtola Simplicii ad Acacium. *Cogitationum ferias* &c. ut in coll. Vat. Barb. n. 72.

CXXVII. In Vat. Dion. n. 62. *Exemplum epiſtolæ, quam miſit Acacius ad Simplicium, ubi damnatum retulit Petrum Alexandrinum. Sollicitudinem omnium Eccleſiarum* &c. ut in coll. Vat. Barb. n. 73.

CXXVIII. In Vat. Dion. 63. *Exemplum epiſtolarum beatiſſimi Papæ Felicis urbis Romæ ad Zenonem Auguſtum per Vitalem & Miſenum Epiſcopos. Decebat profecto* &c. ut in coll. Vat. Barb. n. 74.

CXXIX. In Vat. Dion. 64. *Item ejuſdem Felicis ad Acacium Epiſcopum per Vitalem & Miſenum Epiſcopos. Poſtquam ſanctæ memoriæ* &c. Ibi n. 78.

CXXX. In Vat. Dion. n. 65. *Item ad Imperatorem Zenonem ad libellum Epiſcopi Joannis Eccleſiæ Alexandrinæ. Cum ſibi redditam pacem* &c. ut in Vat. Barb. n. 79.

CXXXI. In Vat. Dion. 66. *Item exemplum Felicis Epiſcopi ad Acacium ſupradictum CP. urbis Epiſcopum. Epiſcopali diligentia commonente* &c. ut in eadem collectione n. 80.

CXXXII. In Vat. Dion. n. 67. *Item ejuſdem Papæ ad Acacium alia. Cunctarum tranſgreſſionum* &c. ut in coll. Vat. Barb. n. 81.

CXXXIII. In Vat. Dion. 68. *Incipit decretalis de recipiendis & non recipiendis libris, qui ſcriptus eſt a Gelaſio Papa cum LXX. viris eruditiſſimis Epiſcopis in Sede Apoſtolica urbis Romæ. Poſt propheticas & evangelicas* &c. Vide quæ de hac decreti Gelaſiani forma diximus part. 2. c. 11. §. 5. n. 4.

CXXXIV. In Vat. Dion. num. 69. & 70. *Incipit ſententia Papæ Gelaſii, quod Sedes Apoſtolica omnium ligata diſſolvere poſſit, ad Epiſcopos per Dardaniam. Nec plane tacemus* &c. Eſt fragmentum epiſtolæ ad Dardanos, quod in collectione hoc tomo edenda invenies cap. 50. n. 4. col. 351.

CXXXV. In Vat. Dion. n. 71. *Ex epiſtola B. Papæ Gelaſii ad Orientales de vitanda communione Acacii, ubi datur intelligi, nullum eſſe vinculum niſi circa illos, qui in errore perſiſtunt. Nos non in Acacium ideo ſententiam tulimus* &c. Hoc quoque eſt fragmentum amplioris tractatus e MS. Veronenſi editi a March. Maffejo tom. 5. Concil. edit. Venetæ col. 195. a.

CXXXVI. In Vat. Dion. n. 72. *Conſtituta S. Gelaſii Papæ, quæ Epiſcopi in ordinatione ſua accipiunt. Papa ill. Clero, ordini, plebi conſiſtentibus in civitate illa. Probabilibus deſideriis* &c. Addita eſt hæc epiſtola in MS. Barb. 2888. poſt ultimum ipſius collectionis cap. 90. Vide tom. 5. Concil. col. 383.

CXXXVII. In Vat. Dion. n. 73. *Decretum S. Gregorii Papæ. Regnante in perpetuum D. N. Jeſu Chri-*

Chriſto temporibus piiſſimi ac ſereniſſimi D. Mauritii &c. Hoc quoque additamentum eſt laudatæ collectionis in ſolo MS. Vat. 1342. Vide tom. 6. Conc. col. 915. A

CXXXVIII. In Vallicellano hic numerus per ſaltum omittitur, Documenta vero cum Vat. Dion. concurrunt.

CXXXIX. In Vat. Dion. 74. *Gregorius Sereno Epiſcopo Maſſilienſi pro imaginibus*. Eſt epiſtola 13. S. Gregorii lib. 11. Regeſti noviſſimæ editionis Maurinæ.

CXL. In Vat. Dion. n. 75. *Synodus Zachariæ Papæ urbis Romæ*. Eſt Concilium Romanum an. 743. tom. 8. Concil. col. 283.

CXLI. In Vat. Dion. n. 76. *Incipit liber S. Auguſtini de eccleſiaſticis regulis* diſtinctus in cap. 55. B Eſt liber Gennadii perperam Auguſtino adſcriptus, editus autem in Appendice Auguſtiniana tom. 8. col. 78.

Hic deſinit collectio in MS. Vallic. A. 5. cui additus eſt quaternio alius codicis, ubi habetur fragmentum Concilii Romani ſub Joanne IX. una cum canonibus Concilii Ravennatis. Incipit: *Lectum eſt quoddam indiculum* &c. uti ex hoc codice edidit P. Mabillonius tom. 1. Muſei Italici pag. 86. & ex Mabillonio legitur tom. 11. Concil. col. 699. Concilium Ravennas in vulgatis habitum traditur an. 904. At tum hoc Concilium, tum illud Romanum celebrata fuiſſe an. 898. P. Antonius Pagius probe conſtituit. C

Tres alii numeri, ſeu tria capitula continua ſerie ſubduntur in MS. Vat. Dion. 5845.

Num. 77. *Incipit præfatio, quæ habetur de ſymbolo fidei in Secretario B. Petri Apoſtoli inter Domnum Leonem ſanctiſſimum & coangelicum Papam urbis Romæ, & Bernarium atque Jeſſe Epiſcopos, ſeu Adalardum Abbatem miſſos Domni Karoli per indictionem ſecundam*. Vide tom. 9. Concil. col. 278.

Num. 78. *Epiſtola S. Auguſtini ad Auxilium Epiſcopum pro cauſſa injuſtæ excommunicationis. Vir ſpectabilis filius noſter Comes Claſſianus* &c. Eſt epiſt. 250. cui in MS. ſubjiciuntur alia ejuſdem Auguſtini teſtimonia de excommunicatione injuſta. D Hæc epiſtola cum iiſdem teſtimoniis addita legitur etiam in fine antiquiſſimi codicis 60. Capituli Veronenſis poſt collectionem Creſconii.

Num. 79. *Regulare definitionum B. Papæ Gregorii majoris*. Præcedit tabula titulorum 24. ſed in corpore tituli progrediuntur uſque ad 32. Eſt collectio per loca communia ex ſententiis epiſtolarum S. Gregorii, quæ incipit pag. 306. & proſequitur uſque ad pag. 327.

In fine codicis recentiori manu deſcribitur breve fragmentum Synodi Chariſiacenſis ſub Bonifacio, quod ex Holſtenio impreſſum legitur tom. 5. Conc. col. 792. A. E

CAPUT IV.

De collectione Hiſpanica.

§. I.

Præcipui auctores qui de hac collectione egerunt. Quomodo compacta. De ejuſdem codicibus.

Codices canonum antiquiores apud Hiſpanos.

I. Aliquot perantiquas, nunc autem deperditas collectiones ab ea diverſas, quæ vocari ſolet Hiſpanica, apud Hiſpanos olim extitiſſe patebit ex dicendis part. 4. c. 4. ubi de abbreviatione vetuſtiſſima canonum, quæ continetur in MS. 59. F Capituli Veronenſis erit ſermo. Idem etiam comprobant duæ Synodi antiquiores collectione Hiſpanica, in quibus canonum codices producti & lecti traduntur. In Bracarenſi I. anni 563. habetur: *Relecti ex codice coram Concilio tam generalium Synodorum canones, quam localium*: & in Hiſpalenſi II. anni 619. c. 2. *Prolatis canonibus ſynodalia decreta perlecta ſunt*. Nunc vero de collectione Hiſpanica cujus aliquot ſuperſunt MSS. exemplaria, dicendum. Hæc poſt Dionyſianam eſt ceteris ordinatior & locupletior. Primus, qui hujus collectionis brevem quidem, ſed ſatis diſtinctam notitiam præbuit, fuit Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis in opuſculo *de quibuſdam veteribus canonum collectoribus* cap. 17. Non pauca de eadem prodidit Petrus de Marca in Opuſculis, ubi tamen ejus originem & uſum minus cognitos habuit. Stephanus Baluzius, aliique poſt ipſum ejuſdem collectionis exempla adhibuere: at de iiſdem ita pauca indicarunt, ut ex ipſis fere nihil diſtinctum elici poſſit. Cum vero Antonii Auguſtini opera rariſſima, & a pleriſque inobſervata ſint; hæc præclara collectio minus nota fuit, antequam P. Couſtantius in præfatione ad tomum 1. Epiſtolarum Romanorum Pontificum de eadem latius diſſereret §. X. a num. 132. uſque ad 152. Etſi vero hic accuratam ejus deſcriptionem dedit; cum tamen plures codices invenire & conferre nobis licuerit, aliquid amplius, quo hæc collectio plenius illuſtretur, nos proferre poſſe confidimus.

Diviſio ejuſdem. Unde collector documenta ſumſit.

II. Hæc æque ac Dionyſiana diviſa eſt in partes duas, quarum altera Conciliorum canones, altera Romanorum Pontificum epiſtolas exhibet. In ſecunda parte collector ex Dionyſio profecit: omnes enim, quas in ipſo epiſtolas reperit, cum iiſdem titulis ex eodem deſcripſit, ac ſuæ collectioni inſeruit. Alias vero pontificias epiſtolas, quas alibi invenit, ſuis locis in eamdem Dionyſii rationem cum titulis abs ſe conditis addidit. At quantum ad canones, qui in prima parte continentur, nihil a Dionyſio accepit. Cum enim quantum ad Græcos canones obtineret in Hiſpaniis alia antiquior verſio, quæ ex hac collectione ab Iſidoro Mercatore ſuſcepta, & ex Iſidori codicibus edita, Iſidoriana vocari ſolet; noluit novam Dionyſianam translationem tametſi meliorem & caſtigatiorem recipere, metuens ne Hiſpanis antiquæ illi verſioni aſſuetis hac novitate offenſionem pareret. Uſum quidem inolitum veteris ejus verſionis apud Eccleſias Hiſpanicas ſatis probat Concilium Toletanum III. anni 589. in quo tres ejuſdem verſionis particulæ referuntur. Similí de cauſſa dicendus eſt noluiſſe canones Africanos etſi apud Dionyſium accuratius deſcriptos, ex eodem mutuari: quia nimirum in Hiſpanis regionibus invaleſcebat alia peculiaris canonum Africanorum collectio, quæ ex Hiſpaniis in Gallias videtur tranſiſſe, & idcirco laudatur in Concilio Turonenſi II. anni 567. uti probavimus part. 2. c. 3. §. 2. n. 4. qua ex re etiam collegimus, errores aliquot, quos in recenſione Africanorum canonum hujus collectionis eodem paragrapho diligenter notavimus, non collectori Hiſpanico, ſed antiquiori ejuſdem Africanæ collectionis auctori eſſe adſcribendos. Id autem ſaltem in Græcis canonibus beneficii præſtitit collector Hiſpanicus, quod in Dionyſii methodum decretis ſingulis titulos addidit, quos in antiqua verſione initio defuiſſe ex MS. 58. Capituli Veronenſis manifeſtum eſt. Neque vero ſolos canones Conciliorum Græciæ & Africæ, qui tantum leguntur apud Dionyſium, Hiſpanicus collector protulit; ſed Gallicanos & Hiſpanicos adjecit. Magna apud Hiſpanos fuit Gallicanarum Synodorum auctoritas. Hinc vulgatæ erant apud ipſos ejuſmodi Synodi, *quarum ſæpe verbis & ſententiis, etiam ubi eos non nominant, canones ſuos inſtituunt, & ſæpe etiam non diſſimulanter & nominatim earum ſibi exemplum & auctoritatem ſequendam proponunt*, uti obſervavit Sirmondus in præfatione ad Concilia Galliæ, & indicatis teſtimoniis confirmat. His ergo pervulgatis Gallicanarum Synodorum exemplis Hiſpanicus collector ſuum codicem locupletavit. Duos errores apud eumdem in Concilio Toletano I. deteximus tom. 2. col. 1379. ac 1380. not. 5. quorum alterum quatenus collectori obrepſerit, congruentiori ratione explicabimus in Obſervationibus ad Diſſert. XIV. Queſnelli §. 2. n. 3. Alium errorem in eo Epiſcoporum catalogo, qui perperam attributus eſt Concilio Arelatenſi II. cum ad Arelatenſe I. pertineat, indicavimus in Obſervationibus ad Diſſert. V. Queſnelli tom. 2. col. 1018. & 1019. not. 14. Concilia autem Hiſpanica ex codicibus Eccleſiarum Hiſpaniæ colligere perfacile fuit.

Verſio Iſid. apud Hiſpanos recepta.

Gallicanæ Synodi apud Hiſpanos quanti fierent.

Codices hujus collectionis.

III. Antequam vero ipſam collectionem deſcribamus,

bamus, codicum, ex quibus ejus deſcriptio pendet, brevis notitia præmittenda eſt. In Italia rara ſunt huius collectionis exempla. Unum reperimus in bibliotheca Vaticana ſignatum num. 1341. quod ex Heduenſi, ſeu Auguſtodunenſi Gallicana Eccleſia traductum manifeſtat hæc profeſſio Theotardi Abbatis S. Martini, quæ paullo poſt initium recentiori caractere ſcripta legitur. *Ego Theotardus S. Martini cœnobii nunc ordinandus Abbas ſubjectionem & reverentiam a SS. Patribus conſtitutam, & obedientiam ſecundum præceptum S. Benedicti S. Dei Heduenſis Eccleſiæ in præſentia D. Epiſcopi Aganonis* (qui floruit ſub medium ſæculum XI.) *perpetuo me exhibiturum promitto, & propria manu firmo.* Et dein: *Iſtud legat ſuper altare.* Duos alios codices videre licuit, alterum Vat. Palat. 575. confuſum & mutilum, qui quondam pertinuit ad cœnobium S. Martini Moguntiæ, alterum in bibliotheca Eminentiſſimi Card. Paſſionei, qui pariter mutilus ſæculo X. & fortaſſis etiam IX. ſcriptus videtur. Omnium vero præſtantiſſimum & vetuſtiſſimum exemplum, quod in Leonis epiſtolis conferendum curavimus, eſt Cæſareum Vindebonenſe ſignatum num. XLI. quod Lambecius lib. 2. Comment. Biblioth. Cæſar. c. 8. pag. 932. num. 281. appellat *volumen membranaceum admirandæ vetuſtatis in folio, totum antiquis litteris Gotticis, ſive Toletanis anno DCCXXXVI. exaratum.* Plura ſunt ejuſmodi manuſcripta in Galliis & in Hiſpania. Joannes Baptiſta Perezius inter multa Hiſpanica quatuor præſertim deſcribit, Lucenſe, Hiſpalenſe, Alveldenſe, & S. Æmiliani, de quibus inferius plura. Garſias Loaiſa in præfatione ad Concilia Hiſpaniæ duos alios Toletanos codices laudat; Vigilanum autem vocat eum, qui Alveldenſis a Perezio appellatur, eo quod a Vigila Presbytero ſcriptus fuerit. Quem vero Hiſpalenſem nominat, ex notatione anni 962. ac ex documentis in eo contentis eumdem eſſe cognovimus ac illum, quem Perezius *S. Æmiliani* codicem nuncupavit. Petrus de Marca & Stephanus Baluzius MSS. libros Rivipullenſes duos, & Urgellenſem memorant, nec non Colbertinos, & Lugdunenſem, qui cum iiſdem Hiſpanicis exemplis conveniunt. P. Couſtantius laudat Hiſpanicum exemplum Gerundenſe, & quatuor Gallicana Laudunenſe, Noviomenſe, Bellovacenſe, & Sveſſionenſe. Indicat etiam Coiſlinianum, atque unum Colbertinum, quæ ad hujus collectionis codices Hiſpanicæ magis, quam Gallicanæ originis videntur accedere: de quorum diſcrimine §. 5. dicetur.

Theotardi Abb. profeſſio.

Aganis Epiſc. Heduenſis.

§. II.

De primigenia hujus collectionis editione. Tabula eorum, quæ in ea continebantur. Epiſtola Innocentii I. ad Aurelium a nota ſuppoſitionis Iſidorianæ eximitur.

Primigeniæ collectionis nulli codices ſuperſunt. Unde colligatur quænam fuerit.

IV. CUm inter tot codices alii aliis locupletiores ſint; tum vero nullus primigeniæ collectionis exemplum poſterioribus additamentis expers repræſentat. Primigenia autem collectio ex indice ſeu tabula capitulorum colligi ſolet, ita ut ſi quæ capitula præter eamdem tabulam in corpore inveniantur deſcripta, ea poſteriori additamento acceſſiſſe noſcantur. Quod ſi inter tabulas diverſorum codicum ejuſdem collectionis aliæ pauciora, aliæ plura capitula præferant; tabula quæ ex paucioribus capitulis conſtat, primigeniæ collectionis indicium exhibet. Inter memoratos autem codices collectionis Hiſpanicæ pauciora capitula leguntur in tabula codicum Vindebonenſis, Hiſpalenſis Perezii, Rivipullenſium, Vat. 1341. aliorumque Gallicanorum, qui etſi aliqua capita corpori habeant inſerta, nullam tamen additionem in præmiſſa capitulorum tabula receperunt, ut quibuſdam aliis Hiſpanicis exemplaribus accidit. Hinc illorum intacti indices, ſeu tabulæ ad primigeniam hujus collectionis editionem pertinere jure creduntur. Primam igitur ipſius collectionis editionem in primis deſcripturi, harum breviorum tabularum indicio utemur: de additamentis autem, quæ poſtea acceſſere, deinceps dicetur.

V. Primæ partis tabula in XLV. capitula diſtinguitur. Præfationem hujus partis integram præmittimus.

Præfat. primæ partis.

Canones generalium Conciliorum a temporibus Conſtantini cœperunt. In præcedentibus namque annis, perſecutione fervente, docendarum plebium minime dabatur facultas. Inde Chriſtianitas in diverſas hæreſes ſciſſa eſt: quia non erat licentia Epiſcopis in unum convenire, niſi tempore ſupradicti Imperatoris. Ipſe enim dedit facultatem Chriſtianis libere congregari. Sub hoc etiam SS. Patres in Concilio Nicæno de omni orbe terrarum convenientes, juxta fidem evangelicam & apoſtolicam ſecundum poſt Apoſtolos ſymbolum tradiderunt. Quatuor autem principalia eſſe Concilia, ex quibus pleniſſimam fidei doctrinam tenet Eccleſia tam de Patris & Filii & Spiritus Sancti Divinitate, quam de prædicti Filii & Salvatoris noſtri incarnatione. Prior harum Nicæna Synodus eſt CCCXVIII. Epiſcoporum Conſtantino Auguſto imperante peracta, in qua Arianæ perfidiæ blaſphemia condemnata, qua inæqualitatem (al. *de inæqualitate*) *Sanctæ Trinitatis idem Arius aſſerebat. Ita conſubſtantialem Deo Patri Deum Filium eadem ſancta Synodus per ſymbolum definivit. Secunda eſt CL. Patrum ſub Theodoſio ſeniore Conſtantinopolim congregata, quæ Macedonium, Sanctum Spiritum Deum eſſe negantem, condemnans, conſubſtantialem Patri & Filio eumdem Paraclitum demonſtravit: quam tota Græcia & Latinitas in Eccleſiis prædicat. Tertia Synodus Epheſina CC. Epiſcoporum ſub juniore Theodoſio Auguſto edita, quæ Neſtorium duas perſonas in Chriſto aſſerentem juſto anathemate condemnavit, oſtendens manere in duabus naturis unam Domini Jeſu Chriſti perſonam. Quarta eſt Synodus Calchedonenſis DCXXX. Sacerdotum ſub Marciano Principe habita, in qua Eutychen CP. Abbatem, Verbi Dei & carnis unam naturam pronuntiantem, & ejus defenſorem Dioſcorum quondam Alexandrinum Epiſcopum, & ipſum rurſum Neſtorium cum reliquis hæreticis una Patrum ſententia prædamnavit, prædicans eadem Synodus Chriſtum Deum ſic natum de Virgine, ut unam perſonam & divinæ & humanæ confitemur naturæ. Hæ ſunt, ut prædiximus, quatuor principales & venerabiles Synodi totam fidem catholicam complectentes. Sed & ſi qua ſunt Concilia, quæ SS. Patres Spiritu Dei pleni ſanxerunt, poſt iſtorum quatuor auctoritatem omni manent ſtabilita vigore, quorum etiam geſta in hoc corpore condita continentur. In principio autem hujus voluminis Nicænum Synodum conſtituimus pro auctoritate ejuſdem magni Concilii. Deinceps diverſorum Conciliorum Græcorum ac Latinorum, ſive quæ ante, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, ſub ordine numerorum ac temporum capitulis ſuis diſtincta ſub hujus voluminis adſpectu locavimus. Subjicientes etiam decreta Præſulum Romanorum, in quibus pro culmine Sedis Apoſtolicæ non impar Conciliorum exſtat auctoritas: quatenus eccleſiaſtici ordinis diſciplina in unum a nobis coacta atque digeſta, & ſancti Præſules paternis conſtringantur* (al. *inſtituantur*) *regulis, & obedientes Eccleſiæ miniſtri vel populi ſpiritualibus imbuantur exemplis. Canones autem, qui dicuntur Apoſtolorum, ſeu quia eoſdem nec Sedes Apoſtolica recipit, nec Sancti Patres illis conſenſum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur, quamvis in eis quædam inveniantur utilia, auctoritate tamen canonica atque apoſtolica eorum geſta conſtat eſſe remota, & inter apocrypha deputata.*

Nota teſtimonium Hiſpan. de auctoritate Rom. Pontif.

Poſt hæc ſubditur: *Canon autem græce, latine regula nuncupatur. Regula autem dicta* &c. ut apud Gratianum diſt. III. c. 1. & 2. & poſt illa in fine capitis ſecundi *pravumque corrigat*, ſequitur: *Synodum autem ex Græco interpretari* &c. uti apud eumdem Gratianum diſt. XV. c. 1. in fine. Poſt ultima autem verba *a ſocietate multorum in unum*, ſubditur; *Explicit præfatio.*

Tabula porro capitulorum hujus primæ partis hæc eſt.

IN-

INCIPIUNT CAPITULA CONCILIORUM GRÆCIÆ.

I. *Canones Nicæni Concilii CCCXVIII. Epiſcoporum*. In corpore poſt canones, ſymbolum, & catalogum Epiſcoporum Nicænorum antiquæ verſionis, ſeu, uti vocant, Iſidorianæ, a collectore addita fuit *Fides S. Gregorii Majoris*, cujus initium *Unus Deus principium*. Eſt autem vetuſta interpretatio *fidei* ſcriptæ a S. Gregorio Neocæſarienſi, quæ poſt Græcum textum edita eſt tom. 1. Concil. col. 863.

II. *Canones Anchyritani Concilii XII. Epiſcoporum*.

III. *Canones Neocæſarienſis Concilii XIX. Epiſcoporum*.

IV. *Canones Gangrenſis Concilii XIV.* (al. XV.) *Epiſcoporum*.

V. *Canones Sardicenſis Concilii*.

VI. *Canones Antiocheni Concilii XXXI. Epiſcoporum*.

VII. *Canones Laodiciæ Frygiæ*.

VIII. *Canones Conſtantinopolitani Concilii CL. Epiſcoporum*.

IX. *Synodus Epheſina I. CC. Epiſcoporum*. In corpore hoc titulo proferantur duæ celebres epiſtolæ S. Cyrilli ad Neſtorium ante Epheſinum Concilium ſcriptæ, at in eo lectæ atque inſertæ, quarum altera duodecim anathematiſmis clauditur. Adnotatio collectoris Hiſpanici his litteris præmiſſa in obſervatione P. Labbei exhibetur tom. 3. Concil. col. 959. prima autem epiſtola col. 960. e. quæ cum ſit verſionis a Dionyſio Exiguo ſeparatim vulgatæ, hanc ex ipſo ſumtam liquet. Altera vero epiſtola, ſeu potius fragmentum epiſtolæ incipiens a verbis: *Ait igitur ſancta & magna Synodus: Ipſum qui eſt ex Deo Patre naturaliter natus* &c. ſumtum eſt ex vetuſtiori interpretatione, ex qua S. Leo longum teſtimonium iiſdem verbis inchoans ſubjecit epiſt. 165. tom. 1. noſtræ editionis col. 1397. & hoc tomo col. 291. Hæc eſt antiquior collectio, in qua hæ duæ Cyrilli epiſtolæ Concilii Epheſini nomine inſcribuntur. Id tamen vetuſtius eſſe collectione Hiſpanica liquet ex MS. cod. 59. Capituli Veronenſis, qui excerpta continet antiquiorum exemplarium Hiſpanienſium, in quibus eodem Epheſini Concilii titulo illæ epiſtolæ inter Concilia Græciæ deſcribebantur. Vide quæ adnotabimus part. 4. c. 4.

Duæ epiſt. Cyrilli Concilii Epheſini titulo inſertæ,

X. *Synodus Chalcedonenſis Concilii DCXXX. Epiſcoporum*. In corpore præter canones additur verſio actionis VI. ex qua alloquutio Imperatoris Marciani, & definitio fidei producuntur, uti tom. 4. Concil. col. 2051. d. Subduntur etiam ſubſcriptiones Patrum, ac tres imperiales leges, I. *univerſis populis*, quæ incipit: *Tandem aliquando*, & legitur etiam in collectione hoc tomo edita cap. 26. II. ad Palladium Præf. Prætorio, cujus initium: *Divina ſemper potentiæ*. Vide tom. 4. Concil. col. 1811. not. e. III. ad eumdem Palladium inchoans: *Licet jam ſacratiſſimam conſtitutionem* &c. uti in noſtra collectione cap. 23.

XI. *Epiſtola formata Attici CP. Epiſcopi*. Eſt ea, quæ in noſtra collectione invenietur cap. 63. Vide not. 1. col. 451.

CONCILIA AFRICÆ.

XII. *Synodus Carthaginis Africæ I.* Eſt Concilium ſub Grato editum t. 2. Conc. col. 745. de quo vide part. 2. c. 3. §. 1. n. 7.

XIII. *Synodus Carthaginis Africæ II.* Eſt Concilium ſub Genethlio eodem t. 2. Conc. col. 1389. Vide ibidem n. 8.

XIV. *Synodus Carthaginis Africæ III. 48. Epiſcoporum*. Eſt Concilium ſub Aurelio anni 397. eodem t. 2. col. 1397. Vide ibidem §. 3. n. 1.

XV. *Synodus Carthaginis Africæ IV. 210. Epiſcoporum:* eodem t. 2. col. 1433. Hoc titulo proferuntur *Statuta antiqua*. Confer quæ diximus eadem part. 2. cap. 3. §. 4.

XVI. *Synodus Carthaginis Africæ V. 33. Epi-*

A *ſcoporum*: tom. 2. Conc. col. 1453. Vide part. 2. c. 3. §. 5. n. 2.

XVII. *Synodus Carthaginis Africæ VI. 217. Epiſcoporum*: tom. 3. Concil. col. 441. Confer eamdem part. 2. c. 3. §. 8. n. 4.

XVIII. *Synodus Carthaginis Africæ VII. 19. Epiſcoporum*: tom. 3. Conc. col. 459. Conſule laudatum c. 3. §. 8. n. 7.

XIX. *Synodus Africæ in Milevitana urbe habita 214. Epiſcoporum*: tom. 3. Conc. col. 379. Vide part. 2. c. 3. §. 6.

CONCILIA GALLIÆ.

B XX. *Concilium Arelatenſe I.*

XXI. *Concilium Arelatenſe II. 113. Epiſcoporum*. Duo in hoc notanda. I. poſt tabulam capitulorum deſcribi Epiſcoporum catalogum, qui ad Arelatenſe I. pertinet: & numerum quoque Epiſcoporum 113. in titulo notatum ad idem Arelatenſe I. referendum eſſe, uti colligimus ex pervetuſto MS. 54. Novarienſis Eccleſiæ, in quo Arelatenſi I. hic titulus præmittitur: *Incipit Concilium Arelatenſe tempore Marini actum a CXXIII. Epiſcopis, qui & Papæ Silveſtro ſcripſerunt*. II. viginti quinque tantum canones exhiberi, non vero 37. uti in vulgatis Conciliorum ante Sirmondum, nec 56. uti Sirmondus edidit. Vide part. 2. c. 10. §. 2. num.
C XIX.

XXII. *Concilium Arelatenſe III. 14. Epiſcoporum*.

XXIII. *Concilium Valentinum 20. Epiſcoporum*.

XXIV. *Concilium Taurinatium*.

XXV. *Concilium Regenſe 13. Epiſcoporum*.

XXVI. *Concilium Arauſicum 16. Epiſcoporum*.

XXVII. *Concilium Vaſenſe*.

XXVIII. *Concilium Agathenſe 25. Epiſcoporum*.

XXIX. *Concilium Aurelianenſe 30. Epiſcoporum*.

CONCILIA SPANIÆ.

XXX. *Concilium Eliberinum 18. Epiſcoporum*.

D XXXI. *Concilium Tarraconenſe 10. Epiſcoporum*.

XXXII. *Concilium Gerundenſe 7. Epiſcoporum*.

XXXIII. *Concilium Cæſaraugustanum 12. Epiſcoporum*.

XXXIV. *Concilium Ilerdenſe 9. Epiſcoporum*.

XXXV. *Concilium Valentinum 6. Epiſcoporum*.

XXXVI. *Synodus I. Toletana 18. Epiſcoporum*.

XXXVII. *Synodus II. Toletana 9. Epiſcoporum*.

XXXVIII. *Synodus III. Toletana 62. Epiſcoporum*.

XXXIX. *Synodus IV. Toletana 46. Epiſcoporum*.

XL. *Synodus Bracarenſis. I. 9.* (al. 8.) *Epiſcoporum*.

E XLI. *Synodus Bracarenſis II. 12. Epiſcoporum æra DCX.*

XLII. *Capitula ex Orientalium Patrum Synodis a Martino Epiſcopo Galliciæ ordinata atque collecta*.

XLIII. *Synodus Spalenſis I. 8. Epiſcoporum*.

XLIV. *Synodus Spalenſis II. 8. Epiſcoporum*.

XXXV. *Sententiæ, quæ in veteribus exemplaribus Conciliorum non habentur, ſed a quibuſdam inſertæ ſunt*. Hæ autem ſententiæ ſunt canones 23. in vulgatis ſubnexi Concilio Agathenſi a can. 48. uſque ad 70. Quo loco monendum eſt has ſententias omitti in corpore codicum Vindebonenſis, Vaticani 1341. & aliorum ſimilium, licet in præmiſſa tabula capitulorum notentur num. XLV. quo
F ex defectu capitula hujus primæ partis eſſe deberent ſolum XLIV. Cum vero eædem ſententiæ in iiſdem MSS. ſubnectantur canonibus Agathenſibus 47. forte ne ſuperflue repeterentur capitulo XLV. in corpore omiſſæ fuerunt. At cum in tabula, primigeniæ collectionis indice, hæ ſententiæ aſſignantur eidem capitulo XLV. nihil ambigimus, quin in primigeniis exemplis ita hoc loco fuerint deſcriptæ, uti eas ſeparatim deſcriptas invenimus in MS. auctoris collectionis Hiſpanicæ Cardinalis Paſſionei, nec non in MS. Vat. 4587. Joannis Baptiſtæ Pereaii, qui notat eas legi in fine omnium Conciliorum in codice Lucenſi: ac ex aliis item Hiſpanicis codi-

codicibus ipſas poſt Concilium Toletanum XVII. A
typis dedit Garſias Loaiſa: ac ex ipſo recuſæ ſunt tom. 8. Conciliorum edit. Venetæ col. 91. Confer quæ de canonum Agathenſium numero dicemus part. 4. c. 4. n. XXI.

Poſt præmiſſam primæ partis tabulam ipſa documenta ſubjiciuntur.

VI. Tum profertur tabula partis ſecundæ cum capitulis CII. in quam hæc brevior præfatio legitur.

Præfatio partis ſecundæ. *Hactenus digeſtis Conciliis SS. Patrum, ſequentur decreta Præſulum Romanorum. Præfatæ Sedis Apoſtolicæ Præſulum conſtituta, quæ ad fidei regulam, vel ad eccleſiaſticam pertinent diſciplinam, in hoc libro diligenti cura collecta ſunt: ita ut ſingulorum* B *Pontificum, quot quot decreta a nobis reperta ſunt, ſub uniuſcujuſque epiſtolæ ſeriem propriis titulis prænotarentur eo modo, quo ſuperius priſcorum Patrum canones noſtro ſtudio ordinati ſunt: quatenus lectoris induſtria facilius intelligere poſſit, dum capitulis propriis diſtincta intendit.*

DECRETA QUORUMDAM PRÆSULUM ROMANORUM

ad fidei regulam & diſciplinam eccleſiaſticam conſtituta.

I. *Epiſtola Papæ Damaſi ad Paullinum Antiochenum Epiſcopum.* C

II. *Confeſſio fidei* ejuſdem Papæ ad eumdem *Paullinum*. Hæc duo capitula ſunt in collectione hoc tomo impreſſa cap. 55.

III. *Epiſtola Siricii Papæ ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem.* Eſt in editione Conciliorum ep. 1. ejuſdem Pontificis.

IV. *Ejuſdem Siricii per diverſos Epiſcopos miſſa.* Ibi ep. 3.

V. *Ejuſdem Siricii per diverſos Epiſcopos directa*: epiſt. 2.

VI. *Epiſtola Innocentii Papæ ad Decentium Epiſcopum Eugubinum.* In Conciliorum editione eſt Innocentii ep. 1.

VII. *Cujus ſupra ad Victoricum Rothomagenſem*: ep. 2. D

VIII. *Cujus ſupra ad Exſuperium Toloſanum Epiſcopum*: ep. 3.

IX. *Cujus ſupra ad Felicem Epiſcopum*: ep. 4.

X. *Ad Maximum, & Severum Epiſcopos*: ep. 5.

XI. *Ad Agapitum, Macedonium, & Marinum Epiſcopos*: ep. 6.

XII. *Ad Rufum & ceteros per Macedoniam conſtitutos*: ep. 7.

XIII. *Ad Florentinum Tiburtinenſem Epiſcopum*: ep. 8.

XIV. *Ad Probum*: ep. 9.

XV. *Ad Aurelium & Auguſtinum Africanos Epiſcopos*: ep. 10. E

XVI. *Ad Aurelium Carthaginienſem*: ep. 11.

XVII. *Ad eumdem*: ep. 12.

XVIII. *Ad Julianam nobilem exhortatoria*: ep. 13.

XIX. *Ad Boniſacium Presbyterum*: ep. 14.

XX. *Ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum*: ep. 15.

XXI. *Ad Maximianum Epiſcopum*: ep. 16.

XXII. *Ad Alexandrum Antiochenum*: ep. 17.

XXIII. *Ad eumdem*: ep. 18.

XXIV. *Ad Acacium Berææ Epiſcopum*: ep. 19.

XXV. *Ad Laurentium Senienſem Epiſcopum*: ep. 20.

Supplenda eſſet in hac tabula alia epiſtola Innocentii ad Marcianum Naiſſitanum Epiſcopum, quæ F
in corpore omnium codicum hujus collectionis legitur, & in Conciliis eſt epiſt. 21. At cum index eorumdem codicum illam non notet, ſatis ſit id monuiſſe, ut ne numeros ceterarum epiſtolarum immutare cogamur.

XXVI. *Ad Rufum, Euſebium, ceteroſque Epiſcopos*: ep. 22.

XXVII. *Ad univerſos Toletanos Epiſcopos*: epiſt. 23.

XXVIII. *Epiſtola Zoſimi ad Heſychium Epiſcopum Salonitanum.* In ed. Conc. ep. 1. ejuſdem Pontificis.

XXIX. *Ejuſdem Papæ ad Clerum Ravennenſem*: ep. 2.

XXX. *Epiſtola Boniſacii Papæ ad Honorium Auguſtum*: in Conciliis epiſt. 1.

XXXI. *Reſcriptum Honorii ad eumdem Boniſacium*: ibidem poſt prædictam epiſtolam.

XXXII. *Item epiſtola Boniſacii ad Epiſcopos Galliæ*: epiſt. 2.

XXXIII. *Ejuſdem Papæ ad Hilarium Narbonenſem Epiſcopum*: epiſt. 3.

XXXIV. *Epiſtola Cæleſtini Papæ ad Epiſcopos per Gallias conſtitutos.* In Conciliorum editione epiſt. 1.

XXXV. *Cujus ſupra ad Epiſcopos per Viennenſem & Narbonenſem provinciam conſtitutos*: epiſt. 2.

XXXVI. *Cujus ſupra ad Epiſcopos per Apuliam & Calabriam conſtitutos*: epiſt. 3.

XXXVII. *Epiſtola Leonis Papæ ad Eutycem Presbyterum*: in noſtra editione ep. 20.

XXXVIII. *Cujus ſupra ad Flavianum CP. Epiſcopum*: ep. 23.

XXXIX. *Reſcriptum Flaviani ad ſupradictum Leonem Papam*: ep. 22.

XL. *Leonis reſcriptum ad ſupradictum Flavianum*: ep. 28.

XLI. *Epiſtola Petri Epiſcopi Ravennenſium ad Eutycem Presbyterum*: ep. 25.

XLII. *Epiſtola Leonis ad Epheſinam Synodum*: ep. 33.

XLIII. *Cujus ſupra ad Theodoſium Auguſtum*: ep. 44.

XLIV. *Cujus ſupra ad Pulcheriam Auguſtam*: ep. 45.

XLV. *Cujus ſupra item ad Pulcheriam Auguſtam*: ep. 60.

XLVI. *Ad Martinum & Fauſtum Presbyteros*: ep. 61.

XLVII. *Ad Theodoſium Auguſtum*: ep. 69.

XLVIII. *Ad Pulcheriam Auguſtam*: ep. 70.

XLIX. *Ad Fauſtum, Martinum, Petrum, Manetem, & ceteros*: ep. 71.

L. *Ad Pulcheriam Auguſtam*: ep. 79.

LI. *Ad Anatolium CP. Epiſcopum*: ep. 80.

LII. *Ad Marcianum Imperatorem*: ep. 82.

LIII. *Ad eumdem Marcianum Auguſtum*: ep. 83.

LIV. *Ad Anatolium Epiſcopum*: ep. 85.

LV. *Ad Marcianum Auguſtum*: ep. 90.

LVI. *Ad Synodum Chalcedonenſem*: ep. 93.

LVII. *Ad Marcianum Imperatorem*: ep. 104.

LVIII. *Ad Anatolium CP. Epiſcopum*: ep. 106.

LIX. *Ad Marcianum Auguſtum*: ep. 115.

LX. *Ad eumdem Marcianum Auguſtum*: ep. 130.

LXI. *Ad eumdem Marcianum*: ep. 134.

LXII. *Ad Leonem Imperatorem, ſubjunctis teſtimoniis per reſcripta de libris Patrum*: ep. 165.

LXIII. *Ad Turribium Aſturicenſem Epiſcopum*: ep. 15.

LXIV. *Ad univerſos Epiſcopos per Italiam provinciam conſtitutos*: ep. 7.

LXV. *Ad Epiſcopos per Siciliam conſtitutos*: ep. 16.

LXVI. *Ad Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutos*: ep. 4.

LXVII. *Ad Januarium Aquilegenſem Epiſcopum*: ep. 18.

LXVIII. *Ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum*: ep. 167.

LXIX. *Ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum*: ep. 14.

LXX. *Ad Nicetam Aquilegenſem Epiſcopum*: ep. 159.

LXXI. *Ad Africanos Epiſcopos*: ep. 12. editionis decurtatæ.

LXXII. *Ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum*: ep. 108.

LXXIII. *Ad Leonem Ravennenſem Epiſcopum*: ep. 166.

LXXIV. *Ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum*: ep. 9.

LXXV. *Ad Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutos*: ep. 168.

LXXVI. *Hilari Papæ ſynodale decretum*: in edit. Conciliorum epiſt. 1.

LXXVII. *Cujus ſupra ad Aſcanium, & ad univerſos Tarraconenſis provinciæ Epiſcopos*: ep. 2.

LXXVIII.

LXXVIII. *Cujus ſupra ad eumdem Aſcanium Tarraconenſem Epiſcopum*: epiſt. 3.

LXXIX. *Epiſtola Simplicii Papæ ad Zenonem Spaleaſem Epiſcopum*: in Conciliis epiſt. 1.

LXXX. *Acacii CP. Epiſcopi ad prædictum Simplicium Romanæ urbis Epiſcopum*: ibidem poſt epiſt. 8. Simplicii.

LXXXI. *Epiſtola Felicis Papæ ad Epiſcopos per Siciliam*. Eſt Felicis III. epiſt. 7.

LXXXII. *Cujus ſupra ad Acacium CP. Epiſcopum*: ep. 6.

LXXXIII. *Ad Zenonem Spaleaſem Epiſcopum*: ep. 8.

LXXXIV. *Decreta Gelaſii Papæ generalia*: in ed. Concil. ep. 7.

LXXXV. *Ad Sicilienſes Epiſcopos*: ep. 10.

LXXXVI. *Epiſtola Anaſtaſii Papæ ad Anaſtaſium Imperatorem directa*. Eſt epiſt. 1. Anaſtaſii II.

LXXXVII. *Epiſtola Symmachi Papæ ad Cæſarium*: in edit. Concil. ep. 5.

LXXXVIII. *Epiſtola Hormiſdæ Papæ ad Juſtinum Auguſtum*: ibidem ep. 79. ejuſdem Pontificis.

LXXXIX. *Sacra Juſtini Imperatoris ad Hormiſdam Papam*: ibi poſt. ep. 40.

XC. *Epiſtola* (ſeu *libellus*) *Joannis CP. ad Hormiſdam Papam directa*: poſt eamdem ep. 40. tom. 5. edit. Ven. col. 621.

XCI. *Hormiſda Papa ad Joannem Epiſcopum Illicitanæ* (al. *Milicitanæ*) *Eccleſiæ*: ep. 24.

XCII. *Item Hormiſdæ Papæ ad eumdem Joannem Epiſcopum*: ep. 64.

XCIII. *Ad Epiſcopos per Spaniam conſtitutos*: ep. 25.

XCIV. *Item Hormiſdæ Papæ ad eoſdem Spaniæ Epiſcopos ſubjunctis exemplaribus libelli Joannis CP. Epiſcopi*: ep. 51.

XCV. *Item Hormiſdæ Papæ ad Saluſtium Spalenſem Epiſcopum*: ep. 26.

XCVI. *Ad Epiphanium Epiſcopum CP.* ep. 80.

XCVII. *Item Hormiſdæ Papæ ad univerſos provinciæ Bæticæ Epiſcopos*: ep. 65.

XCVIII. *Vigilii Papæ ad Profuturum Epiſcopum*: in edit. Concil. epiſt. 2.

XCIX. *Epiſtola Gregorii Papæ ad Leandrum Spalenſem Epiſcopum*: in editione Maurina lib. 1. Regeſti ep. 43.

C. *Cujus ſupra ad eumdem Leandrum*: lib. 5. ep. 49.

CI. *Cujus ſupra ad prædictam Antiſtitem*: lib. 9. ep. 121.

CII. *Cujus ſupra ad Recaredum Regem Gothorum*: ibidem ep. 122.

Innocent. I. epiſt. 12. a ſuppoſitionis nota eximitur.

Notandum eſt, hanc tabulam capitulorum partis ſecundæ in MSS. ex quibus illam vulgavit P. Couſtantius, ſicut etiam in alio ſimili codice Vat. 1341. duplici vitio laborare. Nam num. XVII. poſt duas epiſtolas Innocentii ad Aurelium per ſaltum tranſilit aliam ejuſdem Pontificis ad eumdem Epiſcopum, quæ in corpore eorumdem codicum legitur. Hanc epiſtolam, quæ in editione Conciliorum eſt duodecima, laudatus P. Couſtantius in notitia epiſtularum Innocentii num. 41. col. 932. refert inter ſuppoſitas ab Iſidoro Mercatore. At eam reperiri in ſincera collectione Hiſpanica, quæ anterior eſt Iſidoro, & nullum ſpurium documentum continet, nobis certiſſimum eſt. Non ſolum enim exſtat in codicibus ejus collectionis originis Gallicanæ, quos pauca quædam ſuppoſititia ex Iſidoro recepiſſe monebimus num. 16. verum etiam in exemplaribus originis Hiſpanicæ, quæ hanc collectionem ſine ullo ſpurio Iſidoriano additamento repræſentant, qualia ſunt MS. Vindebonenſe, & alia, quæ Joannes Baptiſta Perezius adhibuit, ac ex iis quidem illam in tabula ejuſdem collectionis deſcripſit num. XVII. uti didicimus ex cod. Vat. 4587. Id vel maxime confirmat antiqua abbreviatio collectionis Hiſpanicæ edita a Cardinali de Aguirre, quæ e genuinis exemplis originis Hiſpanicæ excerpta fuit. In ea enim eadem epiſtola allegatur lib. 2. tit. 34. his verbis: *Ut nullus contra ordinem canonum efficiatur Epiſcopus. Epiſtola Innocentii ex integro* 16. ſed corrigendum 17. nam epiſtola ad Julianam nobilem, quæ poſt ipſam ad Aurelium ſubjicitur, in eadem abbreviatione lib. 10. tit. 6. notatur num. 18. Eſt autem ille ipſemet titulus epiſtolæ XII. ad Aurelium. Adde quod ſimiliter laudatur in alia antiquiore abbreviatione contenta in MS. 59. Capituli Veronenſis, quam ex codicibus Hiſpanica collectione vetuſtioribus excerptam videbimus part. 4. cap. 4. Hæc enim ibidem leguntur: *Item Innocentii ad Aurelium Epiſcopum. Facile non imponatur manus. Epiſcopus ex laico non ordinetur*: quæ ſententiæ in ea ſola ad Aurelium epiſtola 12. continentur. Neque ad ſuppoſitionis ſuſpicionem moveat mendoſa conſularis nota in vulgatis ſic expreſſa: *Julio quarto & Palladio viris clariſſimis Conſulibus*: corrigenda enim eſt: *Junio Quarto Palladio V. C. Conſule*, qui fuit Conſul Occidentalis anni 416. E contra vero idem P. Couſtantius in ſua tabula inter Leonis epiſtolas ad Marcianam unam addit, quæ in collectione deeſt: nam a num. LVIII. ad LXI. quatuor ejuſdem Pontificis ad Marcianum epiſtolas refert, cum in corpore ſint tantum tres, & prætermittit unam ad Anatolium affigendam numero LVIII. Quos errores nos in præmiſſa tabula emendantes, numeros capitulorum ad ſeriem epiſtolarum, quæ in collectione leguntur, revocavimus. Hæc interim documenta nec plura, nec pauciora in primigenia collectione fuere deſcripta.

Vide part. 4. c. 5.

Conſulatus emendatus.

§. III.

De tempore, loco, & auctore ejuſdem collectionis.

Tempus, quo collectio digeſta.

VII. Cum recentius deſcriptæ primigeniæ collectionis Hiſpanicæ documentum ſit Concilium Toletanum IV. celebratum anno 633. hæc collectio poſt hunc annum digeſta perſpicitur. Cum porro præfatio primæ partis fere tota inveniatur in libro VI. Originum S. Iſidori Hiſpalenſis cap. 16. dubium eſſe poteſt, num præfationis auctor ex S. Iſidoro ſumſerit, an potius S. Iſidorus ex præfatione ita profecerit, ſicut idem ex aliis auctoribus, tacitis identidem nominibus, alia atque alia derivare conſuevit. Hoc autem poſterius omnino dicendum ſuadent illa præfationis æque ac Iſidoriani excerpti verba: *Quorum* (Conciliorum) *etiam geſta in hoc opere continentur*. Hæc enim, ut poſt Antonium Auguſtinum recte animadvertit P. Couſtantius, congruunt quidem præfationi collectionis geſtis Conciliorum præmiſſæ, non vero Originum libris, qui nulla Synodorum geſta repræſentant: ac propterea certum eſſe debet, S. Iſidorum illud præfationis fragmentum tradaxiſſe in ſuos Originum libros, & dum illud exſcriberet, ea quoque verba, quæ in Originum opere erant omittenda, inadvertenter recepiſſe. Hæc ergo præfatio cum annexa collectione lucubrata fuit ante aliquanto, quam S. Iſidorus libros Originum ſcriberet. Porro Originum, ſeu Etymologiarum libros poſtremum S. Iſidori opus fuiſſe, quod moriens imperfectum reliquit, S. Braulio in Prænotatione ad eoſdem libros teſtatur. Ille autem obiit anno 636. Hinc collectionis tempus clare deducitur, nimirum inter annum 633. quo habita fuit Synodus IV. Toletana, & annum 636.

In Hiſpaniis lucubrata.

VIII. Hanc autem collectionem, ex cujus præfatione S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus memoratum fragmentum decerpſit, in Hiſpaniis lucubratam fuiſſe dubitare non licet. Vetuſtiores quidem hujus collectionis codices, qui ad originem magis accedunt, Hiſpani ſunt, & antiquo caractere Gotthico Hiſpanorum proprio ſcripti. Æræ notatio Hiſpanorum peculiaris, quæ in pluribus etiam non Hiſpanis documentis poſt conſulares notas ſignatur, Hiſpanicam originem palam declarat. Quid dicendum de Synodis Hiſpanis, quibus hæc collectio abundat? Quid de decretalibus Romanorum Pontificum epiſtolis in eadem exhibitis, quæ ad Hiſpanos datæ fuere? Qua in re omittenda non eſt præclara animadverſio P. Couſtantii in præfatione tom. 1. epiſtolar. Roman. Pontif. n. 147. *Quod autem e veteribus hiſce litteris nullam omiſit, quam ad Hiſpanos datam norimus, id ſane vel ipſo etiam tacente, Hiſpanum illum fuiſſe docet. Primus omnium in lucem edidit epiſtolas Hilari ad Aſcanium Tarraconenſem, Simplicii & Felicis ad Zenonem Hiſpalenſem, Hormiſdæ duas ad*

Joannem Illicitanum, ejuſdem Papæ unam ad Saluſtium Hiſpalenſem, alteram ad Epiſcopos Bæticæ, alias itidem duas ad Epiſcopos Hiſpaniæ cum Joannis CP. libello miſſas, Vigilii denique ad Profuturum Bracarenſem. An non & Hiſpanum ſe prodit, cum . . . . e Gregorii litteris, quas fere innumeras habemus, quatuor demum exhibet, tres videlicet ad Leandrum Hiſpalenſem, unam ad Gothorum Regem Recaredum, relictis aliis, utpote ad Hiſpanos non datis? Illa tandem præfationis, ubi traditur ſymboli Conſtantinopolitani fides *a tota Græcia, & Latinitate in ECCLESIIS prædicari*, palam faciunt ejus præfationis & collectionis ſubnexæ auctorem Hiſpanum eſſe, qui quod Toletana Synodus III. *per omnes ECCLESIAS Hiſpaniæ* fieri juſſerat canone primo, id apud eas ſua ætate jam receptum videns, omnibus Latinis Eccleſiis æque uſitatum credidit. Certe cum ejuſmodi uſus non niſi ſerius a ceteris Occidentalibus admiſſus fuerit, quemadmodum idem P. Couſtantius probavit num. 139. nemo niſi Hiſpanus eam ſententiam præfationi inſerere potuit. Ex his autem corruit opinio Petri de Marca, qui in Opuſculis pag. 201. hanc collectionem poſt Chalcedonenſe Leonis auctoritate editam & Occidentalibus Eccleſiis communem putavit.

De Auctore Hiſpano conjectura.

IX. Nunc de Hiſpano auctore conjicere liceat. Nonnullos in Hiſpania hunc codicem canonum attribuiſſe S. Iſidoro Hiſpalenſi teſtatur Antonius Auguſtinus in *Judicio ac cenſura de quibuſdam veteribus canonum eccleſiaſticorum collectoribus*. Duo autem hac in re difficultatem faceſſere queunt. I. quod S. Braulio in prænotatione ad libros Originum, & S. Ildefonſus de Viris illuſtribus cap. 9. qui catalogum operum S. Iſidori contexunt, nullam hujus collectionis mentionem faciunt. II. quod cum in libros Originum traducta fuerit pars non exigua præfationis eidem collectioni præfixæ, incredibile ſit S. Iſidorum, qui ex aliis Scriptoribus non pauca excerpſit, ex ſua quoque præfatione quædam tranſcripſiſſe. Cum vero S. Iſidori ætati maxime conveniant recentiora ejuſdem collectionis documenta, nimirum Synodus Hiſpalenſis II. anni 619. ac Toletana IV. anni 633. quibus ipſe præfuit; non incongrue ejus auctor jamdiu creditus eſt idem S. Iſidorus, ut ex Gratiano colligitur, qui fragmentum præfationis in primam partem proprium ejuſdem collectionis Iſidoro tribuit diſt. 16. c. 1. Certe vero ſi non ipſe Iſidorus, alius ſaltem juſſu ejuſdem collectionem concinnaſſe videtur; & hac de cauſa accidit ut Pſeudoiſidorus, qui hanc collectionem in ſuam traduxit, uſurpaverit Iſidori nomen, præfationique ſuæ titulum affixerit *S. Iſidori Epiſcopi*, eo quod eam collectionem vel a S. Iſidoro Epiſcopo Hiſpalenſi, vel ejus conſilio digeſtam fama tradiderat. Fuiſſe quidem antiquiores codices canonum, eoſque lectos in anterioribus Hiſpanis Conciliis liquet ex §. 1. n. 1. Cum porro nonnulla in ipſis deeſſent, & forte etiam quæ in eiſdem continebantur, non omnino eſſent ordinata, ſed confuſa; veteres codices recognoſcendi & augendi ac in meliorem formam redigendi conſilium S. Iſidoro in mentem venit: cui fortaſſis occaſionem & ſtimulum præbuit canon quartus Concilii Toletani IV. in quo ea generalis Conciliorum celebrandorum regula præſcripta fuit, ut *omnibus in ſuis locis in ſilentio conſidentibus, Diaconus alba indutus, codicem canonum in medio proferens, capitula de Conciliis agendis pronuntiet*.

§. IV.

De additamentis, quæ primigeniæ collectioni Hiſpanicæ ſubinde acceſſerunt. Vindicantur documenta in auctiore collectione Hiſpanica ſubjecta Concilio CP. II. alias generali ſexto.

Primæ additiones quæ.

X. HIs de primigenia Hiſpanica collectione perſcriptis, additamenta, quæ eidem deinceps fuerunt inſerta, explicanda ſunt. Antiquiores additiones leguntur in vetuſtiſſimo codice Vindebonenſi XLI. aliiſque ſimilibus. Hi poſt Bracarenſis primæ Synodi initium, quæ in præmiſſa tabula notatur num. XL. inſerunt ſine ullo numero ac extra locum proprium novem Synodos Toletanas, nimirum quintam & ceteras uſque ad decimam tertiam anni 683. ac poſtea repetunt Bracarenſem I. & integram afferunt; & poſt Martini Bracarenſis capitula addunt aliam Synodum Bracarenſem anni 675. & reliqua ſubjiciunt, quæ in laudata tabula primævæ collectionis indicantur. Cum ejuſmodi codices, qui Toletanas Synodos diligentiori cura collectas receperunt, recentiorem præferant Toletanam XIII. anni 683. careant autem Toletana XIV. celebrata anno ſequenti 684. exploratum videtur, hæc additamenta in primo ejuſmodi additionum exemplo acceſſiſſe paullo poſt ipſam Synodum Toletanam XIII. antequam decima quarta haberetur.

Quando insertæ.

Aliæ additiones.

XI. Novas additiones deinde ſuſcepit hæc collectio, quas exhibent codices, quos Antonius Auguſtinus præ oculis habuit, exemplum Lucenſe quod Perezius laudat, codex Urgallenſis Eccleſiæ, aliique nonnulli, ita tamen ut in his Synodi omnes cujuſque urbis ſimul ex ordine, continua numerorum ſerie deſcribantur. In Græcis enim Conciliis poſt Conſtantinopolitanum I. additur Conſtantinopolitanum II. æra 720. cum quinque epiſtolis ad ipſum pertinentibus, videlicet una Leonis II. ad Epiſcopos Hiſpanos, alia ejuſdem ad Quiricum, tertia ejuſdem ad Simplicium Comitem, quarta Benedicti Presbyteri poſt Leonem electi ad Petrum notarium regionarium, & quinta prædicti Leonis II. ad Ervigium Regem. In Gallicanis Synodo Vaſenſi I. ſubjicitur Vaſenſis II. anni 529. & poſt Aurelianenſem I. deſcribitur altera anni 533. nec non quinque alia Gallicana documenta, ideſt Concilium Epaunenſe anni 517. Carpentoratenſe anni 527. Arvernenſe I. anni 535. ejuſdem Arvernenſis epiſtola ad Theodebertum Regem, & Arvernenſe II. anni 549. quod tamen cum eamdem præfationem, eoſdemque canones habeat ac Aurelianenſe V. recte monuit Perezius potius dicendum eſſe quintum Aurelianenſe. In Hiſpanicis poſt Toletanum IV. ſubduntur ordinatim propriis item numeris diſtincta tredecim alia ejuſdem urbis Concilia a V. ad XVII. quod coactum fuit anno 694. & poſt duas Synodos Hiſpalenſes additur Emeritenſis anni 666. nec omittuntur *Sententiæ quæ in veteribus exemplaribus Conciliorum non habentur*: adeo ut capitula hujus partis in his codicibus ſint LXVIII. quorum ſeriem videſis part. 4. c. 5. n. 3. Cum his MSS. concinunt cod. Vat. Palat. 575. etſi imperfectus ſit & ordine perturbatus, exemplum MS. Cardinalis Paſſionei, quod tamen cum ſit mutilum, caret Conciliis Græciæ & Africæ, ac in Gallicanis poſt duo Vaſenſia & Agathenſe deficit. Hi quoque codices Synodo Toletanæ II. ſubnectunt duas epiſtolas Montani Epiſcopi Toletani, unam ad fratres & filios territorii Palentini, alteram ad Turribium: & Synodo Toletanæ III. adjiciunt homiliam S. Leandri Epiſcopi ob converſionem gentis poſt conſtitutos canones habitam, & alia nonnulla. In ſecunda vero parte poſt S. Gregorii epiſtolas, quæ primigeniam collectionem claudunt, num. CIII. adduntur *Decreta Romanæ ſedis de recipiendis & non recipiendis libris ab Hormiſda Papa edita*. Eſt decretum de apocryphis, quod in vulgatis Conciliorum Gelaſio tribuitur, de quo vide part. 2. c. 11. §. 5.

Breviario vetus hujus collectionis auctoris.

XII. Hæc auctior collectio, cujus recentius documentum eſt Synodus Toletana XVII. anni 694. uſui fuit auctori ejus Breviationis, ſeu indicis canonum collectionis Hiſpanicæ, de quo plura dicemus part. 4. c. 5. Numeri enim capitulorum, quibus documenta ejuſdem collectionis ibidem allegantur, cum iis numeris plane congruunt, qui in hac auctiori collectione inveniuntur. Hæc eſt illud *Corpus canonum*, quod Alexander III. *authenticum* appellavit, ut patet ex his verbis Innocentii III. in epiſt. 121. ad Petrum Compoſtellanum lib. 2. *Emeritenſe vero Concilium authenticum eſſe multis rationibus adſtruebat: tum quia cum aliis Conciliis continetur in libro, qui Corpus canonum appellatur, quem Alexander Papa per interloquutionem authenticum appellavit: tum quia* &c. Concilium Emeritenſe in memorata tantum auctiori collectione deſcribitur. Omnia quidem ejus documenta ſincera ſunt, & nothis quibuſque eadem collectio eſt expers. Difficulta-

Eadem *Corpus canonum authenticum* appellata.

Syn. CP. II. & epiſtolæ ei adnexæ vindicantur.

tatem quiſpiam ingeret ex Conſtantinopolitano II. quod, ut ibidem profertur, nonnulli poſt magnum Baronium in ſuſpicionem adduxerunt ob eas præſertim epiſtolas, quæ ipſi ſubjectæ leguntur. Conſtantinopolitana Synodus, quæ in hac collectione inſcribitur *ſecunda*, eſt Concilium ſextum generale Conſtantinopoli contra Monothelitas celebratum: ſecundum autem Conſtantinopolitanum dicitur ex ordine ipſius collectionis, in qua Conſtantinopolitano I. ſtatim ſubjicitur; vel etiam quia Synodus V. Hiſpanis erat ignota; ac propterea in Concilio Toletano XIV. hæc Synodus CP. (ſexta generalis) poſt Chalcedonenſem recipienda & Codici ex ordine inſerenda decernitur. Non omnia ejuſdem Synodi geſta ad Hiſpanos miſſa, ſed definitio fidei, acclamationes Epiſcoporum, quæ & *proſphoneticus* dicuntur, & edictum fidei ab Imperatore directum tantummodo tranſmiſſa fuerunt. Neque enim initio cuncta geſta, ſed præcipua capita (idipſum Chalcedonenſi pariter accidiſſe vidimus tom. 2. col. 1218.) latine reddita, & in Hiſpanias directa, ut Leo II. in epiſtola ad Hiſpanos Epiſcopos tradit. Ex hac autem epiſtola, non vero ex interpretatione totius Synodi, ſe *omnem ordinem geſtorum, geſtaque ordinum* cognoviſſe iidem Epiſcopi in laudato Toletano Concilio pronuntiant. Sola vero definitio, quæ ad actionem XVII. ſextæ generalis Synodi pertinet, Codici canonum auctiori inſerta fuit. Quod ſi huic CP. Concilio habito an. 680. & 681. in eodem Codice affigitur æra 720. quæ reſpondet anno 682. id errori collectoris tribuendum, qui ex tranſmiſſa ejuſdem Concilii definitione notis chronicis experte verum annum colligere nequaquam potuit. Opponunt in Leonis II. litteris tradi Concilium celebratum indictione IX. cum tamen acta noviſſimarum actionum XVII. & XVIII. indictionem X. præferant. Verum etſi apud Græcos menſe Septembri anni 681. inchoaret indictio X. Leo tamen uti voluit nona indictione, quæ apud Romanos adhuc decurrebat. Neque moveat in epiſtola ejuſdem Pontificis ad Regem Ervigium (quam Benedicti epiſtolæ in codicibus ſubjectam, Loaiſa eidem Benedicto tribuendam præter noſtrorum codicum fidem perperam credidit) ſcribi, Imperatorem de congreganda Synodo dediſſe litteras ad Agathonem, cum ad Domnum dederit. Cum enim eædem litteræ ad Domnum ſcriptæ, poſt ejus mortem Romam allatæ, Agathoni ejus ſucceſſori traditæ fuerint; Leo has ad Agathonem directas ſcribere potuit. Nihil igitur grave opponitur, quominus hæc documenta ſeptimi ſæculi ad Hiſpanos data, & ab Hiſpanis huic vetuſtiſſimæ Hiſpanicæ collectioni ſub finem ejuſdem ſeptimi ſæculi, aut ſub octavi initium adjecta ſincera credantur: adeo ut hoc canonum corpus his aliiſque additamentis auctum Alexander III. *authenticum* jure affirmaverit.

t. 7. Conc. c. 1491. c.

De MS. S. Æmiliani, ejuſque additionibus.

XIII. Codex S. Æmiliani, cujus Perezius meminit, alia peculiaria documenta in Hiſpanienſibus Conciliis præbuit, nimirum Cæſarauguſtanum II. anni 592. & III. anni 691. Barcinonenſia duo, unum circa annum 540. alterum anni 599. Oſcenſe anni 598. Egarenſe anni 614. duo Toletana a decem & ſeptem jam memoratis diſtincta, unum anni XII. Recaredi Regis, ideſt anni 597. aliud ſub Gundemaro anni 610. & legem Regis Chintillæ, quæ Toletanam V. Synodum confirmavit, ac Synodum Narbonenſem anni 589. quæ idcirco inter Hiſpanica Concilia inſerta fuit, quia tunc provincia Narbonenſis I. Gotthis Principibus in Hiſpania regnantibus ſuberat, & una erat ex ſex provinciis Hiſpaniæ, ac Narbonenſis Metropolita cum ſuis ſuffraganeis, Hiſpanis Conciliis intererat ac ſubſcribebat. Stephanus Baluzius in præfatione ad novam Conciliorum collectionem num. 13. ſcribit: *Joannes Baptiſta Perezius ſuſpicionem facit de falſitate duorum Conciliorum Toletanorum, ejus nimirum, quod ſub Gundemaro Rege celebratum dicitur, & alterius, quod ſub Recaredo, ut patet ex ſecunda præfatione ejus ad Concilia Romam miſſa*. At Perezii verba nullam falſitatis ſuſpicionem injiciunt. Solum ea proprio numero & loco una cum ceteris nequaquam notata admiratur, & cur id acciderit, conjicere ſtudet. *Illud porro* (inquit in laudata præfatione ſecunda edita in Apparatu I. Conciliorum editionis Venetæ col. 50.) *mihi magis eſt dubium, cur hoc Concilium ſub Gundemaro, & alterum Toletanum anno XII. Recaredi, hic etiam a nobis deſcriptum, non ſint relata in numerum Toletanorum, cum ex ordine temporum quartum & quintum inſcribi debuiſſent: qui numerus ſequentibus Conciliis conſtanter tribui ſolet. Neque vero additum noſtra ætate numerum Conciliis Toletanis affirmare quiſpiam poteſt; cum Gotthos eodem numero uſos ex cap. 9. Concilii XIII. Toletani diſcamus, ubi quod nobis eſt duodecimum, plane etiam vocatur duodecimum. Neque rurſus ignorata fuiſſe hæc duo Concilia a poſterioribus Gotthis in tam recenti memoria ſit veriſimile. Itaque mihi nondum cauſſa liquet, niſi forte horum duorum brevitas & exiguitas impedivit, quominus in majorum Conciliorum numerum referrentur*. His autem documentis laudati codicis S. Æmiliani fidem adjicit alia multo vetuſtior collectio, ſeu abbreviatio antiquioris collectionis in MS. Veronenſi contenta, da qua dicemus part. 4. c. 4. ubi ex Conciliis memoratis quatuor recenſentur, nimirum Cæſarauguſtanum II. Barcinonenſe I. Oſcenſe, & Narbonenſe. Similiter Cæſarauguſtanum II. inventum fuit in alio MS. codice Alveldenſi, quem Vigila Presbyter ſcripſit; & Toletanum ſub Gundemaro Rege repertum fuit etiam tum in eodem cod. Alveldenſi, tum in alio Sorienſi, uti Perezius in ſecunda præfatione teſtatur. Addemus tandem in eodem exemplo S. Æmiliani inveniri epiſtolam Turribii poſtea Aſturicenſis Epiſcopi ad Idacium & Ceponium, abjurationem hæreſis Priſcillianæ factam ab Epiſcopis Dictinio & Sympoſio, & Concilii Toletani I. ſententiam de communione quibuſdam Epiſcopis reddenda, vel neganda. Hæc documenta, quæ Ambroſius Moreles ex eodem S. Æmiliani codice ediderat, a Baluzio aliiſque in dubium vocata, defendimus tom. 1. col. 1475. & plenius tom. 2. col. 1376. & ſeqq.

Duæ Syn. Toletanæ vindicatæ.

§. V.

Notabilis diſtinctio codicum originis Hiſpanicæ & originis Gallicanæ.

XIII. DUas ſpecies codicum hujus collectionis diſtinguere permagni intereſt, quorum alii ſunt Hiſpanicæ originis, alii Gallicanæ. Hiſpanicæ originis appellamus codices, qui in Hiſpania frequentiores, vel ex Hiſpania in alias regiones traducti puram repræſentant collectionem Hiſpanicam. Sunt autem quidam alii codices, qui etſi eamdem collectionem contineant, duobus tamen ab ea, quam puri illi codices exhibent, non minimum diſcrepant, nimirum tum ob non paucas lectiones ex ingenio emendatas, quæ a vera lectione maxime abſunt, tum ob quædam addititia capita, vel etiam integra documenta, quæ in puris ejuſdem collectionis exemplaribus non inveniuntur. Hos autem codices Gallicanæ originis idcirco vocamus, quia omnes, quos hujus generis eſſe deprehendimus, in Galliis frequentiores ſunt, & qui alibi exſtant, e Galliis provenerunt; adeo ut horum origo Galliis tribuenda videatur. Tales ſunt codex Vat. 1341. quem ad Auguſtodunenſem Eccleſiam pertinuiſſe vidimus, ac tres Gallicani memorati a P. Couſtantio, Laudunenſis, Bellovacenſis, & Noviomenſis, quos cum laudato Vaticano omnino concordare, ex iis quæ idem Couſtantius notavit, plane perſpeximus. Hi vero codices nec primigeniam breviorem, nec illam auctiorem collectionem Hiſpanicam continent, quam num. 11. explicavimus, ſed illam, quæ additamenta præfert recenſita num. 10. qualem in Vindebonenſi originis Hiſpanicæ invenimus.

Codd. Hiſpanæ originis qui.

Qui originis Gallicanæ.

XIV. Quantum ad arbitrarias emendationes, quibus codices Gallicanæ originis ab exemplaribus originis Hiſpanicæ potiſſimum differunt, dum nos in paranda editione epiſtolarum S. Leonis conferendos curavimus tum codicem Vindebonenſem originis Hiſpanicæ, tum Vaticanum 1341. originis Gallicanæ, deteximus in Vindebonenſi plures lectiones erroneas eſſe atque corruptas, quæ in laudato Vaticano emendatæ, idoneum ſenſum reddunt. Niſi quid

Emendationes arbitrariæ in MSS. originis Gallicanæ.

nobis aliunde præſto fuiſſet, has ita emendatas germanas eſſe S. Leonis lectiones credidiſſemus. At cum earumdem epiſtolarum alia diverſarum & vetuſtiorum etiam collectionum exempla nobis ſuppeterent, quæ veras Leoninas lectiones concorditer conſervarunt; cognovimus ad has frequentius accedere ipſas erroneas lectiones codicis Vindebonenſis originis Hiſpanicæ, multum autem abeſſe ab iiſdem emendationes, quæ in Vaticano exemplo proferuntur. Hinc manifeſtum fit, aliquem antiquum Gallicanum ſtudioſum virum, qui collectionem Hiſpanicam ex codice originis Hiſpanæ ita mendoſo, uti eſt Vindebonenſis, exſcribendam ſuſceperat, erroneas illas lectiones liberiori licentia correxiſſe ex ingenio, novaſque illas lectiones ab omnibus aliis codicibus diſcrepantes induxiſſe. Plura hic poſſemus afferre Leonina ejuſmodi exempla: ſed cum ea ſuis locis notarimus tomo primo, quæ ſimul indicantur in ejuſdem tomi indice col. 1539. verbo *Collectio Hiſpanica*; eo lectores remittimus. Qua autem libertate uſus eſt ſtudioſus ille vir in Leonis epiſtolis, uſum quoque fuiſſe in ceteris documentis, quæ in MSS. originis Hiſpanicæ Vindebonenſi ſimilibus frequentia menda præferunt, nihil eſt dubitandum. Id perſpicuum fit ex editione Conciliorum Severini Binii, in qua Hiſpanica Concilia duplici editione producuntur, nimirum ex editione antea vulgata, & ex editione Garſiæ Loaiſæ. Vulgata editio ex Iſidoro dimanat, qui e codicibus Gallicanæ originis Hiſpanicam collectionem in ſuam derivavit. Loaiſæ vero editio ad codices Hiſpanicæ originis exacta fuit. Inſignis lectionum varietas, quæ in vulgata illa editione perſpicitur, ad arbitrarias correctiones referenda eſt veteris ejus antiquarii, qui mendoſum Hiſpanicum exemplum deſcribens, marte ſuo emendandum credidit. Loaiſæ vero contigit puriora & emendatiora Hiſpanica exemplaria invenire, ex quibus ejus editio iis mendis caret, quæ in Vindebonenſi aliiſque ſimilibus occurrunt. Exemplum autem, quod adhibuit primus ille Gallicanus librarius, qui collectionem Hiſpanicam emendavit, vel ipſum (1) Vindebonenſe fuit, vel aliud ſimile Vindebonenſi, cujus frequentiora ſphalmata tot arbitrariis emendationibus occaſionem dedere. Has vero emendationes liberiores a ſtudioſo viro in aliquem codicem ante Iſidorianæ collectionis editionem fuiſſe inductas duo nobis indicio ſunt. I. quia ipſas receptas invenimus in collectione Herovalliana, quam Iſidoriana anteriorem vidimus part. 4. c. 7. II. quia ipſe Iſidorus dum Hiſpanicam collectionem in ſuam tranſtulit, documenta ejuſdem cum iiſdem emendationibus deſcripſit.

XV. Hac porro in re illud animadvertere libet, Iſidoro Mercatori tribui corrupiſſe epigraphen epiſtolæ Vigilii Papæ ad Profuturum, quæ apud ipſum & in memoratis Gallicanis exemplis collectionis Hiſpanicæ *Eutherio* inſcribitur, etſi in præmiſſa eorumdem codicum tabula *ad Profuturum* data dicatur. Verum lectionem *Eutherio* induxit ille antiquior librarius, qui erroneas lectiones codicis Hiſpanicæ originis emendavit. In Vindebonenſi enim hic mendoſus titulus in corpore legitur: *Epiſtula Vigilii Papæ ad Futurum Epiſcopum*; & in epigraphe. *Dilectiſſimo fratri Futuro Vigilius*. Pro voce autem *Futuro*, quæ inſulſum nomen referebat, *Euturo* legere, & *Eutherio* corrigere facile fuit. Iſidorus ergo cum codicem exſcripſerit originis Gallicanæ, *Profuturi* nomen non mutavit, ſed lectionem, quam in eodem codice emendatam invenit, in ſuam collectionem traduxit.

Additamenta in MSS. originis Gallicanæ.

XVI. Rurſum vero poſt Iſidorum in eamdem collectionem Hiſpanicam originis Gallicanæ manus immiſſæ ſunt. Nam præter lectiones ex arbitrio emendatas, quas Iſidoriana collectione anteriores vidimus, laudati codices quædam additamenta receperunt partim ſincera, partim apocrypha, quæ ex collectione Iſidori ſumta dignoſcuntur. Primo ante præfationem non ſolum præmittuntur annotationes de Synodis, libellus provinciarum, & notitia Gallarum, quæ item in Iſidoro præcedunt; ſed etiam deſcribitur *Ordo de celebrando Concilio*, quem Iſidorus ſuo codici ſe inſeruiſſe in præfatione teſtatur. Dein poſt tabulam primæ partis intruſi ſunt canones apoſtolici, quos collectionis Hiſpanicæ auctor in præfatione uti apocryphos rejecit. In codice Vat. 1341. iidem canones indicantur initio præmiſſæ tabulæ, ſed ſine numero (nam numerus capitulorum a Nicænis canonibus incipit:) quod eoſdem canones in hiſce codicibus additios confirmat. Additi autem videntur ex MSS. Iſidori Mercatoris, qui ipſos canones cum ceteris documentis collectionis Hiſpanicæ primus conjunxit. In ſecunda autem parte, quæ inchoat a duabus epiſtolis Damaſi, alteri hujus Pontificis epiſtolæ ex ſpuriis Iſidori mercibus intermixtæ ſunt epiſtolæ tres, una Stephani Archiepiſcopi & trium Conciliorum ad Damaſum Papam, alia Damaſi ad eumdem Stephanum & ad Concilia Africæ, tertia ejuſdem ad Epiſcopos Numidiæ: & hæ quidem epiſtolæ iiſdem Damaſi genuinis litteris in partes diſſectis ita ſunt intermixtæ, ut in Iſidoriana collectione cap. 6. §. 4. diſtinctius notabimus. Mirum porro accidit, eum, qui has tres epiſtolas ſpurias in Damaſo addidit, ab aliis pluribus, quæ in ſequentibus Pontificibus ex eodem Iſidori fonte ſuppetebant, abſtinuiſſe. Solum in litteris Vigilii ad Profuturum ex Iſidoro adtexuit duo capitula ſextum & ſeptimum, quæ in puris Hiſpanicis codicibus deſunt. Tandem ex genuinis unum in fine ſubjecit præter fidem tabulæ omniumque codicum originis Hiſpanicæ, Gregorii ſcilicet junioris decretum, ſeu Concilium Romanum cum XVII anathematiſmis & ſubſcriptionibus Epiſcoporum, quod ex eodem Iſidoro ſumtum videtur.

Ex Iſid. ſumpta.

Quædam apocrypha.

His autem paucis partim ſuppoſititiis, partim genuinis additamentis exceptis, laudati codices originis Gallicanæ eam in ceteris collectionis Hiſpanicæ auctiorem formam exhibent, quæ in MS. Vindebonenſi originis Hiſpanæ novem Toletana Concilia, & Bracarenſe anni 675. primigeniæ collectioni addita recipit. Hic librarius primi ejus exempli, ex quo memorati quatuor codices originis Gallicanæ, ideſt Vat. 1341. Laudunenſis, Bellovacenſis, & Noviomenſis proficiſcuntur, duo præ oculis habuit exemplaria, unum collectionis Hiſpanicæ liberius emendatæ, ex quo ipſam perinde emendatam deſcripſit, alterum Iſidori, ex quo illa additamenta decerpſit. Quod ſi e tribus epiſtolis S. Gregorii Magni ad Leandrum, quæ in præmiſſa tabula indicantur, duas tantum exhibent laudati codices originis Gallicanæ (ſecundam enim ignorant;) id vel ſaltui tribuendum eſt primi ejus librarii, ex quo ejuſmodi codices prodeunt, vel certe ille librarius codicem Hiſpanicæ originis adhibuit, in quo ſimilis ſaltus amanuenſis oſcitantia inciderat. Hic autem defectus codicum Gallicanæ originis memoria retinendus eſt ob ea, quæ de Iſidoro dicturi ſumus cap. 6.

Omittitur una ep. S. Gregorii.

XVII. Unum vero hic animadvertendum credimus. Si omnes codices collectionis Hiſpanicæ originis Gallicanæ ejuſdem rationis eſſent, ac Vaticanus 1341. & alii tres recenſiti & allegati a P. Couſtantio: ita ut præter emendationes liberiores indicata quoque additamenta ex Iſidoro excerpta omnes exhiberent; nec unum hiſce additamentis expertem, ſoliſque emendationibus liberioribus diſtinctum liceret reperire (quod illis inquirendum relinquimus, qui in Galliis plura ejuſmodi exemplaria invenire & conferre queunt;) tunc vehemens ſuſpicio ingereretur, ipſum fortaſſis Iſidorum Mercatorem, quem Gallicanum fuiſſe videbimus, eorumdem exemplarium Gallicanæ originis fuiſſe auctorem, qui ſcilicet codicem Hiſpanæ originis exſcribens, ſuo arbitrio emendavit ſimul, & indicatis tum ſinceris, tum ſuppoſititiis additionibus auxit, antequam digereret ſuam collectionem pluribus impoſturis refertam, cui ipſam Hiſpanicam collectionem abs ſe ſe jam emenda-

(1) Hinc ſicut in Vindebonenſi, ita etiam in laudatis codicibus originis Gallicanæ Bracarenſi I. Concilio vix incepto & ſtatim abrupto aſſuuntur novem Concilia Toletana a V. ad XIII. ac deinde iterum Bracarenſe I. ſed integrum ſubjicitur.

datam inſeruit. Qua tamen in re caute deliberandum erit; ſi præſertim quædam collectiones Iſidoriana anteriores, uti eſt Herovalliana, ex codicibus Hiſpanicis Gallicanæ originis aliquot quidem emendationes arbitrarias, nihil autem ex recenſitis additamentis receperint.

§. VI.

De his, qui ex codicibus collectionis Hiſpanicæ documenta ediderant, vel emendarunt, ac præſertim de Joanne Baptiſta Perezio.

XVIII. PRima editio documentorum collectionis Hiſpanicæ eſt illa Merlini, quæ cum ex Iſidori codice prodeat, eadem documenta ab Iſidoro recepta exhibet cum lectionibus codicum originis Gallicanæ, quibus Iſidorus uſus eſt. Hinc lectiones hujus editionis, quæ in vulgatis Conciliorum repetita fuit, ſuſpectæ eſſe debent, eo quod liberiores emendationes num. 14. indicatas contineant. Ad diſtinguendas ac reſtituendas germanas lectiones collectionis Hiſpanicæ, opus eſſet conferre codices, qui Hiſpanicam originem præferunt. Primus, qui hac in re perutilem operam poſuit, eſt Joannes Baptiſta Perezius. Gregorius XIII. cum in editionem ac emendationem librorum Gratiani vetera exemplaria canonum & decretalium deſcribenda vel conferenda undique conquireret, intelligens in Hiſpania præſtantiſſimos hujus generis codices inveniri, Gaſpari Quirogæ tunc Epiſcopo Conchenſi, poſtea Archiepiſcopo Toletano & Cardinali id negotii dedit, ut eoſdem codices quantum ad Concilia præcipue Hiſpanica cum vulgatis conferendos, & inedita ex iiſdem tranſcribenda curaret. Is vero hanc curam commiſit viro doctiſſimo familiari ſuo Joanni Baptiſtæ Perezio, qui poſtea fuit Canonicus & a bibliotheca Eccleſiæ Toletanæ, ac dein Epiſcopus Segobricenſis. Hic autem ob temporis anguſtias uno MS. Lucenſi uſus, qui omnium antiquiſſimus & locupletiſſimus videbatur, & interdum duobus aliis, quingenta loca inſignia in laudatis Conciliis emendavit, ac ſex ineditas Synodos, & fragmenta item in aliis multa deſcripſit, nec non abbreviationem ſeu indicem canonum collectionis Hiſpanicæ, de quo dicemus part. 4. c. 5. Hæc omnia anno 1575. ad Pontificem miſſa fuere ſcripta in libro, qui eſt inter MSS. Vaticanæ num. 4887. Ex hoc MS. Quirogæ epiſtolam ad Gregorium XIII. Perezii præfationem, & aliam peculiarem ejuſdem Perezii notationem, quæ rebus pluribus utiles futuræ ſunt, in calce hujus capitis ſubjiciemus. Cum hoc primum opus Romano Antiſtiti placuiſſet, & Perezius ob hunc egregium laborem munificentiſſime remuneratus, ad alia, quæ pollicitus fuerat, impendenda fuiſſet impulſus; anno ſequenti 1576. alias Synodos Hiſpanas nondum impreſſas ex codice potiſſimum S. Æmiliani tranſcripſit, & chronologiam Conciliorum Hiſpaniæ a Cardinali de Aguirre poſtea typis impreſſam exactiſſime digeſſit in altero libro, ex quo alia tum Quirogæ epiſtola ad Pontificem, tum Perezii præfatio ad lectorem editæ invenientur poſt Stephani Baluzii præfationem ad *Novam Conciliorum editionem*, ac exinde in Apparatu I. ad Concilia Labbeana editionis Venetæ col. 48. & 49. Aliud horum duorum librorum exemplum idem Perezius miſerat etiam ad Antonium Auguſtinum tunc Epiſcopum Ilerdenſem, & electum Tarraconenſem, uti diſcimus ex duabus ejuſdem Auguſtini epiſtolis ad ipſum Perezium, quæ a Cardinali de Aguirre editæ ſunt tomo 4. Conciliorum Hiſpaniæ pag. 650. & 651. Romanæ editionis anni 1692. Hi libri deinde tranſierunt in bibliothecam nobiliſſimi Gaſparis Mendozæ Ibannez Marchionis Mondexarenſis & Tendillæ Comitis, qui eoſdem poſtea communicavit Stephano Baluzio, dein vero dono dedit laudato Cardinali de Aguirre.

De Jo. Bapt. Perezio ac duabus ejus operibus.

t. 1. Concil. Hiſp. p. 13.

XIX. His præclaris Perezii laboribus uſi ſunt Romani correctores Gratiani, cum plura loca auctoritate codicis Lucenſis emendarunt. Cardinalis Baronius & ex eo Binius Narbonenſem Synodum anni 589. ediderunt, uti in ſecundo Perezii tomo ex S. Æmiliani codice deſcripta fuerat. Anno 1593. Garſias Loaiſa Ordinis Prædicatorum tum Philippi III. Hiſpaniarum Regis præceptor, poſtea vero Archiepiſcopus Toletanus in Hiſpanienſium Conciliorum editione eoſdem fere codices, quos Perezius, adhibuit. Sunt qui ſuſpicantur, Loaiſam ex Perezii libris profeciſſe. At eum non vidiſſe hos libros, quædam indicia nobis ſatis aperte manifeſtant. Si enim illos evolviſſet, haud affirmaſſet in præfatione Lucenſem codicem fuiſſe deſcriptum ac miſſum Romam, cum Perezius non totum eum codicem, ſed ſolas variantes, & quæ erant inedita Conciliorum Hiſpaniæ in ſuis libris Romam miſſis expreſſerit. Præterea ex quatuor præcipuis codicibus, quos Perezius laudat, tres tantum Loaiſa agnovit, & in his Hiſpalenſem vocat, quem rectius S. Æmiliani appellaſſet, ſi Perezium legiſſet. Alias animadverſiones prætermittimus, cum hæ duæ Loaiſam a plagii nota ſatis purgent. Quodſi in multis hujus editio cum Perezii libris convenit, nihil mirum, quippe iiſdem codicibus Hiſpanicis uterque uſus eſt. Hinc autem ſola Concilia Hiſpaniæ ad codices Hiſpanæ originis emendata, vel edita dici poſſunt. Reliqua vero ſunt alia tum Græciæ, tum Africæ, tum Galliarum Concilia, quæ ex Iſidoro, ſeu ex codicibus originis Gallicanæ vulgata, lectionibus exemplarium Hiſpanicæ originis carent: ac præterea eamdem opem expectant pleraque decretalia Pontificum, quæ in ſecunda collectionis Hiſpanicæ parte continentur. Nos in Leonis epiſtolis hanc diligentiam adhibuimus. Alii germanas lectiones tum in ceteris Conciliis, tum in epiſtolis Pontificum ex aliis optimæ notæ collectionibus & exemplaribus edidere. At quæ ſint lectiones codicum originis Hiſpanicæ, ex quibus pateſiat ſincerus textus ejuſdem collectionis, in pleriſque adhuc deſideratur.

De Garſia Loaiſa.

XX. Nunc ex MS. Vat. 4887. appendenda ſunt quæ antea recepimus.

Gaſparis Quirogæ Epiſcopi Conchenſis epiſtola ad Gregorium XIII.

„ Sanctiſſimo Domino noſtro Gregorio XIII.
„ Pontifici Maximo Gaſpar Quiroga Epiſcopus Conchen. poſt humillima pedum oſcula S. P. D.
„ Cum multa quotidie beneficia a Veſtræ Sanctitatis ſollicitudine Eccleſia catholica accipiat, quæ Veſtræ Beatitudinis nomen immortalitati conſecrabunt; tum nihil, ut puto, erit apud omnem poſteritatem illuſtrius, quam quod Juris canonici fontes, hoc eſt Gratiani collectionem & Romanorum Pontificum epiſtolas repurgandas curet. Cum enim eorum librorum auctoritate omnis pene eccleſiaſticæ gubernationis diſciplina nitatur; cum nulli magis libri omnium manibus terantur, nulli frequentius in ſcholis citentur: non ſine magno noſtro pudore audiebamus, infinitis mendis eſſe refertiſſimos, quæ vel ex rudis ætatis vitio, vel impreſſorum negligentia contraxerant. Quanta porro ſollicitudine eorum librorum emendationem Veſtra Sanctitas faciendam curet, ſatis magno teſtimonio illa ſunt, quod doctiſſimorum hominum Congregationem ad hoc ipſum Romæ inſtitutam habet; quod exemplaria vetera undique conquirat, vel illorum exempla deſcripta ad ſe perferri jubeat. Cum vero audiſſet extare in Hiſpania aliquot vetuſtos Conciliorum codices in S. Laurentii bibliotheca, quam Philippus Rex Catholicus non minori ſtudio, quam Ptolomeus ille Philadelphus, omni librorum genere in dies magis magiſque inſtruit; illico mihi Veſtra Sanctitas, Brevi Apoſtolico de ea re miſſo, mandavit, ut ex iis codicibus librum quemdam canonum exſcribendum, & Concilia cum impreſſis conferenda curarem, ad Veſtramque Beatitudinem mitterem. Quod ſtatim eſt a me pro mea erga Veſtram Sanctitatem Sedemque Apoſtolicam obſervantia fieri cœptum, & jam tandem Deo juvante ad finem perductum. In quo propter ſummas meas occupationes magna ex parte uſus ſum opera domeſtici miniſtri mei Joannis Baptiſtæ Perezii juvenis docti, & in hoc genere litterarum valde exercitati: qui (ni fallor) ſuam in

„ hoc

,, hoc opere fidem & diligentiam egregie præſti- A
,, tit. Nunc Sanctitatem Veſtram ſupplex oro, ut
,, hanc meam in ſe obſervantiam ſummumque ob-
,, ſequendi ſtudium benigne accipiat; & quæcum-
,, que a me præſtari poſſe viderit, mihi frequen-
,, ter pro ſuo jure imperet. Deus Opt. Max. Bea-
,, titudinem Veſtram Eccleſiæ ſuæ quam diutiſſi-
,, me incolumem conſervet.
,, Madriti XV. Kal. Aprilis MDLXXV.

Joannis Baptiſtæ Peretii Præfatio in tomum I. Collationum, quas in laudato MS. Vat. 4887. deſcriptas Romam miſit.

,, Deſcriptor harum Collationum Lectori. B
,, Reverendiſſimus Dominus meus Gaſpar Qui-
,, roga Epiſcopus Conchenſis, Generalis per Hi-
,, ſpaniam Inquiſitor, juſſus a SS. Domino Noſtro
,, Gregorio XIII. collationes Conciliorum Hiſpa-
,, nienſium faciendas curare, me inter ceteros ſuos
,, miniſtros elegit, cui id opuscommitteret. Quod
,, munus etſi ſcio me non ſatis pro dignitate im-
,, pleſſe; ſed fidem tamen & diligentiam in eo
,, meam, quiſquis hæc legeris, non omnino im-
,, probabis. Ut vero quæ hoc volumine continean-
,, tur, vel a me præſtita ſint, cognoſcas; neceſſe
,, eſt me hoc loco paucis præfari. Quantum utili-
,, tatis afferant vetuſti codices manu ſcripti ad pu-
,, ros fontes omnium diſciplinarum retinendos, fru- C
,, ſtra nunc perſequar, cum id tam multi caſtiga-
,, tionum libri a viris doctis noſtræ ætatis in lu-
,, cem editi, cum magno litterarum fructu per-
,, ſuaſerint. Neque vero ejus laboris ſummas uti-
,, litates diffitebuntur, niſi qui vel ita fuerint cæ-
,, ci, ut non videant ſemper in deterius abire po-
,, ſteriora quæque ab uno exemplari ſæpe deſcri-
,, pta, vel ita excordes, ut nihilo plus ament lu-
,, cem, quam tenebras; nihil intereſſe putent, af-
,, firmeturne aliquid, an negetur. Quæ diligentia
,, ſi in reſtituendo Cicerone, Galeno, vel Ariſtote-
,, le laudatur, multo quidem laudabilius in eccle-
,, ſiaſticos libros conferetur, & Conciliorum atque
,, Romanorum Pontificum canonicas ſanctiones, D
,, quarum ſumma eſt poſt Scripturæ ſacræ libros
,, auctoritas. Multi quidem per Hiſpaniam ſunt
,, Conciliorum codices vetuſtiſſimi, omnes litteris
,, Gotthicis deſcripti, qui magnum in primis ad-
,, jumentum afferre poſſent ad hanc Conciliorum
,, emendationem. Nam præter quatuor codices ve-
,, teres, qui in bibliotheca Regia S. Laurentii ſtu-
,, dio Regis Catholici Philippi conſtructa aſſervan-
,, tur (de quibus ante Concilium Eliberitanum
,, dicam) & duos in Eccleſia Toletana, multi
,, præterea alii in antiquis Eccleſiis adhuc exſtant,
,, ut in Ovetenſi & Urgellenſi, atque in Mona-
,, ſteriis S. Facundi, S. Zolli, S. Petri Montenſis,
,, Oniæ, & aliis fortaſſe, quæ mihi nondum co- E
,, gnita ſunt. Quos omnes codices ſi quis conſule-
,, ret, mirabile eſt quantum lucis Conciliis affer-
,, retur. Ego quidem in his Conciliorum collatio-
,, nibus uno fere Lucenſi codice uſus ſum, tum
,, quod ad feſtinationem urgebat, tum quod hic
,, codex antiquiſſimus & copioſiſſimus Domino meo
,, Epiſcopo eſt viſus. Quamquam & interdum alios
,, duos adhibui, ſed id quidem paucis locis, ut in
,, ipſis caſtigationibus teſtor. Quod ſi ex uno libro
,, quingenta loca inſignia in Conciliis Hiſpanienſi-
,, bus emendavi, quid futurum quis putet, ſi re-
,, liquos adhibuiſſem codices, ſi non modo Hiſpa-
,, nienſia Concilia, ſed Græca, Africana, & Gal-
,, lica contuliſſem? Jam vero ſi ex hoc codice ſex
,, addidit Concilia nondum impreſſa, nempe quin- F
,, que poſteriora Toletana, & unum Emeritenſe,
,, & fragmenta item in aliis multa; quænam fie-
,, ret acceſſio, ſi ex codice S. Æmiliani addidiſſem
,, quæ in eo ſunt, tria Toletana, unum ſub Gun-
,, demaro, alterum anno duodecimo Recaredi,
,, aliud vero anno primo Chintillæ; & Cæſarau-
,, guſtana item ſecundum & tertium, Barcinonen-
,, ſia duo, Oſcenſe, & Egarenſe, omnia hæc Hi-
,, ſpanienſia? Mitto enim illa Hiſpaniæ excidio
,, poſteriora, ſed antiqua tamen, Compoſtellanum,
,, Legionenſe, Vallisoletanum, Cojancenſe, & mul-
,, ta ejuſmodi, quæ apud nos habemus. Sed de
,, his omnibus alteri & tempori & volumini re-
,, ſervatis, nunc de hoc noſtro volumine, quod eſt
,, in manibus, agamus, in quo hæc a nobis ſunt
,, deſcripta. In primis librum, cui titulus eſt *Ex-*
,, *cerpta canonum* (hoc enim nomen ſingulæ pa- Vid. part. 4. cap. 5.
,, ginæ præferebant) ex codice Lucenſi tranſcri-
,, pſimus: quamquam & is in aliis vetuſtis Con-
,, ciliorum codicibus legitur, ut in Vigilano &
,, Ovetenſi. Id opus collectio quædam eſt, ſive in-
,, dex canonum omnium, qui in Conciliis vel epi-
,, ſtolis Romanorum Pontificum ad ea uſque tem-
,, pora continebantur: digeſtus non quidem ordine
,, alphabetico, ſed per locos communes diſtributis
,, rerum generibus, de cujus auctore nihil, quod
,, ſciam, hactenus conſtat. Certe antiquior eſt Bur-
,, chardo, Ivone, & Gratiano, qui Jus canonicum
,, in locos communes digeſſerunt. Non vero eſſe
,, hoc Iſidori vel illud argumento eſt, quod heic
,, Concilia Toletana ad duodecimum uſque paſſim
,, citentur; cum conſtet Iſidorum ante ſextum To-
,, letanum obiiſſe. At mihi quidem ſi ex conjectu-
,, ris loqui fas eſt, illud potius Juliano Archiepi-
,, ſcopo Toletano tribuendum videtur, qui illis
,, temporibus floruit, & quatuor Conciliis Toleta-
,, nis præfuit magna doctrinæ celebritate. Quod
,, indicant ejus tria opera jam hactenus typis man-
,, data, nempe Prognoſtica, Contra Judæos, &
,, Antikimena, præter alia, quæ ab ejus ſucceſſo-
,, re Felice enumerantur: qui etiam prodit hunc
,, verſibus luſiſſe, ut vel ex eo ſuſpicari liceat, ab
,, eodem conſcripta ea carmina, quæ aliquibus li-
,, bris hujus operis præponuntur. Nam quod illa
,, inania & boatu tantum contexta ſint, id vitium
,, rudi illi ætati condonandum merito videatur.
,, In eo libro admonendus eſt lector, quod paſſim
,, ibi ſcribitur *a cap. XX.* aut *XXX.* hoc ſignifica-
,, re, illud nempe Concilium, cujus pars aliqua
,, tum citatur, eſſe a capite, vel ab initio Conci-
,, liorum vigeſimum in ordine eorum, quæ in
,, Lucenſi codice continebantur: & eodem modo
,, in Pontificum epiſtolis, quas ex ordine quoque
,, enumerat. Id quod ex indice Conciliorum & epi-
,, ſtolarum pontificiarum intelliges, quem mox
,, ipſi operi præponemus. Sequuntur Concilia Hi-
,, ſpanienſia, quæ ex codice Lucenſi cum impreſſis
,, anni 1567. contulimus. In his brevitatis cauſſa
,, aliquibus notis uſi ſumus, ut his L. H. A. Æ. de
,, quibus ante Concilium Eliberitanum mox dice-
,, mus. Quamquam vero omnia loca, quibus im-
,, preſſa a manuſcriptis diſtabant, obſervaverimus,
,, ea tamen ſolum, quæ plane & omnino in im-
,, preſſis emendari debere judicabamus, aſteriſco in
,, margine notavimus, ut feſtinus lector cetera ſi
,, vellet præteriret. Nam illud mirari nemo de-
,, bet, quod non modo loca melius in MSS. haben-
,, tia deſcripſerimus, ſed ea etiam, quæ plane in
,, his depravata eſſe videbamus. Quis enim neget,
,, multis locis mendoſos quoque eſſe manuſcriptos,
,, & veram lectionem ex multis inter ſe collatis
,, eruendam? Nos tamen in eo ſummam fidem ad-
,, hibere maluimus, & in partem peccare tutio-
,, rem: quod uſu edocti ſperemus non defuturos,
,, qui vel in depravata ſcriptura plerumque veſti-
,, gia alicujus veræ lectionis perveſtigando repe-
,, riant. Itaque & in ceteris Conciliis Toletanis &
,, Emeritenſi, quæ integra hinc deſcripſimus, reli-
,, cta in ipſo contextu ſæpe depravata (ut erat in
,, ipſo codice) ſcriptura, adhibito tantum veræ
,, interpunctionis labore (quæ nulla omnino in co-
,, dice erat) conjecturas noſtras in margine ad-
,, ſcripſimus; & fortaſſe multis locis deſperatiſſi-
,, mis medicinam fecimus. Reliquum illud eſt, ut
,, ſi quid in noſtra ſententia exponenda alicubi pec-
,, catum ſit, id totum correctioni catholicæ Ro-
,, manæ Eccleſiæ (quod obſequentiſſimo facimus
,, animo) ſubdamus.

Eiuſ-

Ejuſdem Perezii adnotatio ante variantes Concilii Eliberitani, ubi agit de quatuor inſignioribus codicibus collectionis Hiſpanicæ.

Inter aliquot egregias adnotationes, quas Perezius in memorato Vaticano codice ſcripſit, illam præcipue heic ſubnectimus, qua codicum notas L. H. A. Æ. ſe ſe explicaturum in antecedenti præfatione ſpopondit. Cum nota L. codicem Lucenſem, H. Hiſpalenſem, A. Alveldenſem, & Æ. S. Æmiliani exemplum indicet, de ſingulis hæc habet.

,, Quatuor hi codices ſunt in membranis manu ſcripti litteris Gotthicis, ſervanturque in Monaſterio D. Laurentii Regii apud Eſcurialium, quod nuper exſtruxit Philippus II. Rex Hiſpaniarum Catholicus.

,, Lucenſis eſt allatus ex Eccleſia Lucenſi. Non habet annum, quo ſcriptus ſit; ſed certe ante ſexcentos, vel ſeptingentos annos. In eo ſunt præter impreſſa hæc Concilia, quæ nondum prodierunt, Emeritenſe, & quinque Toletana (1) a decimo tertio ad decimum ſeptimum.

,, Hiſpalenſis cæpit ita a noſtris appellari, quod ex conjecturis credatur ſcriptus Hiſpali. Fuit Martini Ajalæ Archiepiſcopi Valentini, ſcriptus æra 949. ut in eo dicitur, ideſt anno Chriſti 911. In hoc ſunt Concilia, quæ vulgo habentur etiam in veteribus impreſſionibus, ſub recepta illa in omnibus MSS. diviſione, ab * Iſidoro, ut puto, primum uſurpata, nempe in Orientalia, Africana, Gallica, & Hiſpanienſia. In hoc autem codice, quod quidem non exſtet, tantum eſt decimum tertium Toletanum.

* S. Iſidorum Epiſcopum Hiſpalenſem intelligit.

,, Alveldenſis fuit ſcriptus a Vigila Presbytero in Monaſterio S. Martini de Alvelda æra 1014. ut in eo dicitur, ideſt anno Chriſti 976. In hoc præter impreſſa ſunt Toletanum XV. & XVI. & Cæſarauguſtanum II.

,, S. Æmiliani codex allatus ex Monaſterio S. Æmiliani de la Cogolla prope Najaram, ſcriptus anno Domini 962. ut ibi dicitur. Eſt vero omnium locupletiſſimus. Nam præter communia habet hæc nondum impreſſa, Cæſarauguſtanum II. & III. Barcinonenſia duo, Oſcenſe, Egarenſe, Toletanum ſub Gundemaro, alterum Toletanum anno duodecimo Recaredi, & item aliud Toletanum anno primo Chintillæ.

Alia porro, quæ in hoc eodem MS. legebantur nondum impreſſa, quæque ad Priſcillianiſtarum cauſſam pertinent, non ſolum indicat in alia notatione, ex qua excerptum dedimus tom. II. col. 1376. verum etiam in eodem tomo deſcripſit.

CAPUT V.

De collectione Hadriano-Hiſpanica, quæ exſtat in MS. Vaticano 1338.

I. Cum auctor vetuſtæ collectionis a Luca d'Acheri editæ, & Rabanus Maurus, de quibus parte quarta erit ſermo, Græcarum ſynodorum canones, & Africanos, conſtitutaque apoſtolicas cum illarum titulis ac numeris Hadrianæ collectionis recitent; ac præterea inter Conciliorum canones non paucos afferant Africanos, Gallicos, & Hiſpanienſes, qui non in Hadriana, ſed in Hiſpanica collectione continentur, eos vel utraque illa collectione uſos liquet, vel ſaltem alia, quæ Hadrianæ collectioni memoratos canones collectionis Hiſpanicæ inſertos præferret. Hoc poſtremum quidem nobis probabilius creditur. Si enim illi integram & ſeparatam collectionem Hiſpanicam adhibuiſſent; non ſolos canones Conciliorum in ea inventos, ſed decretales etiam ejuſdem, quæ in Hadriana deſunt, aliquando ſaltem allegaſſent. Ne vero id ſomnio ſimile videatur, codicem Vat. 1338. nacti ſumus, in quo ejuſmodi collectio Hadriano-Hiſpanica exhibetur.

II. Eſt codex pergamenus in folio, qui ſæculo XI. vel XII. ſcriptus ſingulas paginas duabus columnis diſtinctas repræſentat. Præcedit tabula primæ partis, quæ Conciliorum canones reſpicit. Quadruplex Conciliorum diviſio ex collectione Hiſpanica ſumitur. Primum enim referuntur capitula Conciliorum Græciæ, dein Africæ, poſtea Galliæ, tandem Hiſpaniæ. Tabulam hæc adnotatio excipit: *Iſte codex eſt ſcriptus de illo authentico, quem Dominus Hadrianus Apoſtolicus dedit glorioſiſſimo Carolo Regi Francorum & Longobardorum & Patricio Romanorum.*

In prima ſerie, quæ ad Concilia Græciæ pertinet, non ſolum proferuntur canones Synodorum Græcarum interpretationis Dionyſianæ, verum etiam Latini canones Africani, quos Dionyſius produxit, ita ut totam primam partem Hadrianæ collectionis hæc prima ſeries contineat, paucis inſertis præſertim ex Hiſpanica, ut ex ſequenti ordine patebit. Dividitur hæc prima ſeries in duodecim capita.

I. Canones Apoſtolici num. 50.

II. Nicæni num. 20. quibus præmittuntur notatio chronica, & ſymbolum, ſubjicitur autem catalogus Epiſcoporum, ut in Hadriana vidimus. Illud autem peculiare eſt, quod poſt ſymbolum Nicænum, & ante canones ſine ullo titulo adjicitur: *Poſt Concilium Nicænum in urbe Roma Concilium congregatum eſt a catholicis Epiſcopis, & addiderunt de Spiritu Sancto* &c. quod in alio MS. Vat. 1337. collectionis Hadrianæ ſimiliter inſertum vidimus cap. 2. num. 6.

III. Ancyrani canones num. 24.

IV. Epheſini Concilii nomine ex Hiſpanica collectione inſertæ duæ epiſtolæ S. Cyrilli ad Neſtorium.

V. Canones Neocæſarienſes num. 14.

VI. Gangrenſes num. 20. cum epiſtola ad Epiſcopos Armeniæ & catalogo Epiſcoporum, ut in Hadriana.

VII. Antiocheni num. 25 cum Epiſcoporum nominibus ex Hadriana deſcriptis.

VIII. Laodiceni num. 59.

IX. Conſtantinopolitani num. 3. cum ſymbolo & ſubſcriptionibus.

X. Chalcedonenſes num. 27. cum definitione fidei, & Epiſcoporum catalogo.

XI. Sardicenſes num. 21. cum eadem clauſula quam in Hadrianis MSS. notavimus.

XII. Tandem Carthaginienſes canones in duas partes diviſi: quod Hadrianæ collectionis proprium animadvertimus. Primum enim afferuntur canones 33. cum præmiſſis Dionyſianis in Hadriana pariter receptis; ultimum vero canonem 33. ſubſcriptiones excipiunt. Tum inſeritur ex Hiſpanica collectione *Formata Attici CP.* Poſtea adduntur ceteri canones 105: ex diverſis Conciliis Africæ, qui primam partem collectionis Hadrianæ concludunt.

III. Quæ porro afferuntur ſub titulo Conciliorum Africæ, Galliæ, & Hiſpaniæ, prorſus excerpta fuere ex illa collectione Hiſpanica, quæ Toletanas Synodos ad decimam tertiam uſque, & Bracarenſem anni 675. recepit. Africani autem canones etſi ſub titulo Conciliorum Græciæ ex Hadriana antea deſcripti fuerint, cum tamen in collectione Hiſpanica alia diviſione, ac numero procedantur, heic ſub titulo Conciliorum Africæ ex eadem Hiſpanica eadem ratione exhibentur. Vide quæ notavimus capite præcedenti num. 1[illegible]. ac ex his omnium Synodorum tum Africæ, tum Galliæ, tum Hiſpaniæ ſeriem hoc loco receptam cognoſces. Has vero ſynodos non ex Iſidoriana, ſed ex Hiſpanica collectione fuiſſe deſcriptas, lectiones explorate docuerunt. Unum præcipuum & evidens exemplum proferre ſufficiet. Omnes codices Iſidoriani, quos attente inſpeximus, in Hiſpalenſi ſecunda Synodo canonem ſeptimum interpolatum præferunt. Intruſam enim habent bis vocem *Chorepiſcopos*, & in fine ejuſdem canonis additituum pannum exhibent:

(1) Concilium Toletanum XIII. ex editione Merlini, Perezii tempore erat ita mutilum, ut nondum editum dici potuerit.

bent: *quæ omnia eis a Sede Apoſtolica prohibita eſſe noſcuntur*. Id autem reſpicit ſuppoſititiam pſeudoiſidorianam epiſtolam Damaſi ad Epiſcopos Numidiæ. Hæ vero interpolationes in Hiſpanicæ collectionis MSS. libris deſunt, ut palam fit ex editione Loaiſæ, quæ ex puris Hiſpanicis exemplaribus ſumpta fuit: qua de re vide tom. 2. hujus editionis col. 1270. & ibidem noſtram notam 5. Cum porro hæ interpolationes non inveniantur in præſenti collectione Vat. 1338. hanc ex Hiſpanicis, non vero ex Iſidorianis codicibus canones Conciliorum Africæ, Galliæ, & Hiſpaniæ recepiſſe manifeſtum eſt.

Interpolatio in MSS. Iſid.

IV. In ſecunda parte, quæ apoſtolicas conſtitutiones continet, hæ ex ſola Hadriana collectione tranſcriptæ fuerunt. Cum vero codex in fine ſit mutilus, deſinit in Leonis epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem.

CAPUT VI.

De collectione Iſidori Mercatoris.

§. I.

De ſpuriis hujus collectionis documentis. Quam ſero impoſtura detecta. Num Nicolaus I. ejuſmodi collectionem approbarit. Potiora ſuppoſitionis argumenta proponuntur.

I. COllectio Iſidori Mercatoris præcedentium locupletior eo præſertim titulo diſtinguitur, quod pluribus ſuppoſititiis documentis referta eſt. Vetuſtiſſimoram Romanorum Pontificum a S. Clemente ad S. Silveſtrum uſque, quorum nullæ extant decreta, plures epiſtolas præfert: aliiſque Pontificibus uſque ad Gregorium Magnum aliquas item imponit, ac genuinis interſerit. Mirum eſt tam inſignem impoſturam, quæ non ſenſim, nec per partes, ſed uno in libro tota ſimul prodiit, non ſtatim fuiſſe detectam. Aliquid ſuſpicionis ſuboluiſſe creditur Hincmaro Remenſi aliiſque Gallicanis Epiſcopis, qui ad Nicolaum I. ſcripſerunt. Verum hi nullam falſitatis dubitationem in animum induxiſſe videntur; ſed eo tantum nomine ipſis epiſtolis auctoritatem adimendam putarunt, *quia*, inquiebant, *in codicem canonum non haberentur adſcriptæ*: nimirum quia non erant in collectione Hadriana, quam hoc tempore Eccleſiarum uſu receptam *Codicem canonum* appellabant. Jure autem Nicolaus ad eoſdem reſcribens hanc ſolam rationem nihili faciendam credidit, cum non omnes Romanorum Pontificum ſinceriſſimæ ceteroquin conſtitutiones ſed admodum paucæ in ea collectione legantur; iidemque Gallicani Epiſcopi, *ubi ſuæ intentioni hæc* (priorum Pontificum decretalia) *ſuffragari conſpiciunt, illis indifferenter utantur*. Cum vero illi eaſdem decretales epiſtolas, etſi in canonum codice non deſcriptas, ac minus acceptas traderent, non tamen ſpurias, ſed genuinas haberent, adeo ut ipſis, cum libebat, uterentur; idem Pontifex, qui illas ex ſola Gallicanorum relatione cognoverat, nihil de impoſtura ſuſpicatus, (quamdiu nihil aliunde affulgeret) repudiare non potuit; nec ejus verba, quibus eas quodammodo videtur approbaſſe, ei præſumtioni ſubnixa, quam Gallicani Epiſcopi ingeſſerant, pro vera ac legitima approbatione accipi queunt, quæ ſine ipſarum epiſtolarum, quibus carebat, lectione præſtari non poterat. Illis autem Nicolaum caruiſſe evidens ex eo fit, quod in ſuis epiſtolis, ubi eas allegandi multiplex fuit occaſio, alia documenta ſollicitius exquiſita laudet, quæ in canonum codice non inveniuntur; & laudet etiam quædam apocrypha, quæ olim conficta atque vulgata in antiquiores collectiones irrepſerant, uti ſunt Synodus S. Silveſtri, alia Sinveſſana, geſta de purgatione Xyſti III. & de Polycronio: numquam vero pſeudoiſidorianis decretalibus uſus ſit. Has ſane Leoni IV. immediato ejus prædeceſſori cognitas non fuiſſe patet ex ejus epiſtola ad Britannos, in qua decretalia in codice canonum contenta recenſens, a Silveſtro exorditur, & cetera Hadrianæ collectionis ita commemorat, ut ſi quid negotii incurrat, quod illis dirimi nequeat, ad Sanctorum Patrum Hieronymi, Auguſtini &c. ſcripta confugiendum tradat; nec de aliis vulgatis decretalibus indicium præbeat.

Nicolaus I. epiſt. 42. ad Epiſc. Gall.
Ibidem.

II. Plures quidem impoſturæ caracteres in hiſdecretalibus, aliiſque Iſidorianis mercibus continentur, quæ ad earum falſitatem in ipſo ortu detegendam attentos & peritos homines facile inducerent. At ea erat illorum temporum & ſequiorum conditio, ut pauci eſſent, qui puram remotioris antiquitatis haberent notitiam, & ſanioris critices uſum facere vellent, aut poſſent. Primus, qui earum ſuppoſitionem præſenſit & indicavit, fuit Cardinalis de Cuſa in opere *Concordantia catholica* lib. 3. c. 2. Wicleſus enim, qui ante ipſum effutivit: *Decretales epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt a Chriſti fide, & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eas*: non ſolas decretales ab Iſidoro confictas in ſuſpicionem adducere, ſed omnium decretalium auctoritatem evertere nitebatur. Poſt Cuſanum vero ſenſim alii plures excitati, adeo multa & firma ad ſuppoſitionem probandam attulerunt in medium, ut nemo jam de impoſturis ejuſmodi jure poſſit ambigere.

III. Nonnulla impoſturæ argumenta ſatis ſit heic delibare. Non leve eſt illud, quod ex ipſa præfatione proditur. Hæc in titulo inſcribitur Sancto Iſidoro Epiſcopo, quem quidem Epiſcopum etiam declarat illa ipſa formula præfationi inſerta, qua Epiſcopos *fratres noſtros* appellat. Hiſpanum vero præferunt illa ejuſdem præfationis: *In principio vero voluminis hujus qualiter Concilium APUD NOS celebretur, poſuimus*: ſubditur autem poſt præfationem *ordo celebrandi Concilii* ſumptus ex Synodo Toletana IV. c. 4. Quis autem alius *Iſidorus* Hiſpanus, & *Epiſcopus*, & *Sanctus* niſi celebris ille S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis, cui quidem eamdem collectionem vix editam, ideſt nono ſæculo, ex eadem utique præfatione vulgo fuiſſe adſcriptam ſatis cognoſcitur ex Hincmari Remenſis epiſt. 7. c. 12. Quæ autem major impoſtura, quam S. Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo collectionem tribuere octo Toletana Concilia continentem a V. ad XIII. & unum Bracarenſe, quæ poſt ipſius mortem celebrata fuerunt; & eodem anachroniſmo in ipſa præfatione mentionem facere Concilii VI. œcumenici, quod S. Iſidoro vivente nondum habitum fuerat? Quid quod in epiſtolis, quæ affinguntur priſcis trium priorum ſæculorum Pontificibus, plura ſacræ Scripturæ teſtimonia leguntur ex verſione S. Hieronymi, quæ poſterius edita fuit? Quid quod pleræque conſulares notæ iiſdem epiſtolis appenſæ vel Conſules referunt, qui in faſtis conſularibus numquam fuerunt, vel ſi inveniuntur in faſtis, cum Pontificis epiſtolæ auctoris ætate nequaquam concordant? Adde magiſtratuum conficta nomina, *archiflaminum*, *primorum flaminum* &c. & voces *Primatuum*, *Archiepiſcoporum*, *Apocryſariorum*, quæ ab ætate ac uſu veterum illorum Pontificum omnino alienæ quiſque vel leviter in antiqua hiſtoria & diſciplina eccleſiaſtica verſatus facile intelliget. Adde quod nullum priſcorum morum indicium, plurima autem poſterioris diſciplinæ in iiſdem litteris continentur. Alia non pauca argumenta alii uberius notarunt, quæ referre nec vacat, nec opus eſt.

S. Iſidoro Epiſc. Hiſpal. afficta.

IV. Duo tantum omittenda non credimus, quæ licet ſeorſim aliquam reſponſionem poſſint recipere, ſimul tamen juncta evidentem impoſturæ demonſtrationem præ ſe ferunt. Primo aliæ ex his epiſtolis datæ traduntur ad omnes Epiſcopos, aliæ ad orthodoxos omnes, ad omnes Eccleſias, ad Epiſcopos Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Africæ, Germaniæ &c. Plura ergo earum exemplaria per orbem diſſeminata eſſe debuerunt. Qui autem fieri potuit, ut e tot epiſtolis toto orbe divulgatis ne una quidem ante nonum ſæculum a quopiam inventa & laudata fuerit? Secundo eædem epiſtolæ poſteriorum quarti, quinti, ſexti, ſeptimi, & octavi etiam ſæculi auctorum non ſententias ſolum, ſed voces, & integras identidem periodos ſatis prolixas & multas exſcriptas exhibent, uti accurate poſt Blondellum P. Philippus Labbeus in margine earumdem epiſtolarum notavit. Primo argumento

reſpon-

Digitized by Google

reſponderi poteſt, eas epiſtolas uſque ad nonum ſæculum latuiſſe, & idcirco a nemine fuiſſe laudatas. Secundo autem nonnemo reſpondit, eos poſteriores auctores, qui indicatas ſententias iiſdem verbis præferunt, eas ex ipſis epiſtolis ad verbum exſcripſiſſe. Neutra vero reſponſio probabilis eſt: immo altera cum altera pugnat. Si enim epiſtolæ ſtatim poſt earum ortum uſque ad nonum ſæculum ita delituiſſent, ut nemo idcirco eas allegare potuerit; poſterioribus ergo ſcriptoribus non patuerunt, ut ex iiſdem poſſent periodos exſcribere. Quod ſi ex ipſis periodi integræ a pluribus multo & temporis & locorum intervallo diſſitis fuerunt excerptæ; in tenebris ergo diutius fuiſſe ſepultæ dici nequeunt. Alterutrum malis, ſemper impoſtura convincitur, ac ex ipſo reſponſionum conflictu magis multo eluceſcit. Si enim plures antiqui ſcriptores ex ipſis epiſtolis ſumſiſſent ſententias, verba, atque periodos; notæ igitur fuiſſent, & frequenti uſu tritæ, rebuſque pluribus utiles, ita ut laudari poſſent a multis, & ab iis præſertim, qui ex ipſis profeciſſent: inter quos ſane ſummi Pontifices, & Synodi, & Patres, qui eadem verba, & eaſdem periodos præferunt, ita has vetuſtiſſimorum Pontificum epiſtolas allegaſſent, uti alias aliorum, quæ genuinæ ſunt, laudaſſe inveniuntur. Si vero inter tam multos nono ſæculo anteriores viros & ſanctiſſimos, & doctrina celebres, qui eaſdem ſententias iiſdem verbis in ſuis operibus afferunt, ne unus quidem inventus eſt, qui illarum mentionem fecerit, quia ex ipſis re ipſa nihil ſumſerunt; ſententiæ ergo & periodi pares, quæ in epiſtolis quoque inveniuntur, ex iiſdem proculdubio Scriptoribus derivatæ fuerunt ab epiſtolarum artifice; quod ſpuriam earum originem clare demonſtrat. Hinc etiam a nullo alio auctore ante nonum ſæculum fuerunt laudatæ, non quia latuerunt, aut earum allegandarum materies & occaſio non eſſet; ſed quia nondum natus erat, qui eaſdem confingeret; alias ſicut illas poſt hoc tempus, quo ſuppoſitæ & vulgatæ fuerunt, paſſim laudatas, & in collectiones etiam non pauca ex iiſdem traducta reperimus; ita idipſum antiquis etiam temporibus factum deprehenderemus, ſi a priſcis illis Pontificibus, quibus afflictæ ſunt, vere ſcriptæ & editæ fuiſſent.

§. II.

Alia documenta ſincera eidem collectioni inſerta, quibus e fontibus hauſta fuerint. Quanti interſit hos fontes detegere ad ea diſcernenda, quæ Pſeudoiſidorus confinxit. Quædam ſincera documenta ab eodem interpolata. Duæ ultimæ Synodi Symmacho attributæ, & Capitula Hadriano I. aſſerta, quæ genuina a multis creduntur, ab eodem Pſeudoiſidoro ſuppoſita demonſtrantur.

V. NEque vero ex ſolis documentis ſpuriis abs ſe conſarcinatis Pſeudoiſidorus ſuam collectionem condidit. Plura ſcilicet ſinceriſſima, & aliunde nota monumenta falſis intermiſcuit. Fontes autem, e quibus hæc ſincera documenta derivavit, detegendi ſunt: id enim non modicum juverit ad ea ipſa ſecernenda, quæ ille e ſuo cerebro commentus eſt. Præcipuus fons eſt collectio Hiſpanica, quam totam ſuæ collectioni inſeruit. Cumque vulgata eſſet opinio S. Iſidorum Hiſpalenſem fuiſſe auctorem collectionis Hiſpanicæ, hinc Iſidori nomen, quod omnibus venerationi erat, libenter arripuit, & præfationi inſcripſit. Illam vero collectionem Hiſpanicam ſumſit, non quæ primitus prodiit, ac ultra Toletanam IV. Synodum non progrediebatur, ſed illam paullo auctiorem, quæ novem Toletanas Synodos, & Bracarenſem anni 675. receperat. Neque iis hujus collectionis exemplaribus uſus eſt, quæ Hiſpanicam originem habent, ſed illis quæ ſunt originis Gallicanæ, uti pluribus ſtatuemus num. 14. Alter fons eſt collectio Hadriana, ex qua a Pſeudoiſidoro excerpta fuerunt nonnulla, quæ in Hiſpana collectione deſunt. Fons tertius eſt vetus collectio a Queſnello edita, & a nobis hoc tomo recuſa. Non pauca enim documenta, quæ ſunt in Iſidoriana collectione, nec leguntur in Hadriana, nec in Hiſpanica, ex eo fonte eodem quandoque ordine derivata fuere. Alia pauca auctor delibavit ex Hiſtoria Tripartita, aliiſque ex fontibus, quos in catalogo inferius ſuo cujuſque loco indicabimus.

Collect. Hiſp. traducta in Iſid.

VI. Adeo vero utile eſt hos fontes cognoviſſe, ut quæcumque in his non inveniuntur, ea a Pſeudoiſidoro ſuppoſita certiſſime dicenda ſint. Quod ſi quæ documenta per ſe genuina in illis fontibus breviora ſint, apud Pſeudoiſidorum vero auctiora; quidquid additamenti acceſſit, quod in illis fontibus non reperiatur, id ejuſdem impoſtoris opera ſuppoſitum affirmare licebit. Ita ſuppoſititia ſunt duo poſtrema capitula ſextum & ſeptimum epiſtolæ Vigilii ad Profuturum, quæ abſunt a ſinceris Hiſpanicæ collectionis codicibus, in Iſidoriana autem collectione leguntur. Immo cum in hac eadem collectione auctiora pariter ſint quædam vetuſta documenta ceteroquin apocrypha, quæ in aliquibus antiquioribus collectionibus recepta, ſed breviora ſunt; horum quoque additamenta ipſi impoſtori adſcribenda. Sic nemo jam dubitare poteſt, quin ab hoc ſuppoſita fuerint aliquot fuſiora capitula duarum epiſtolarum S. Clementis ad Jacobum, quæ olim apud Græcos confictæ, & a Rufino latine redditæ, in nonnullas veteres collectiones irrepſere, ſed in his breviores ſunt multo, apud Pſeudoiſidorum autem tantummodo cum illis additamentis inveniuntur auctiores. Neque omittenda hoc loco eſt ea brevis interpolatio, qua in ſincera Synodo Hiſpalenſi II. canoni ſeptimo nonnulla inſeruit, de quibus diximus capite præcedenti num. 3. Heic porro animadverte, quæſumus, impoſtoris indolem, qui adeo ad fingendum erat propenſus, ut ne ipſis quidem ſive ſinceris, ſive apocryphis documentis parceret, in quibus ſua commenta ex collatione vetuſtiorum codicum detegi facile poterant. Quanto ergo audentius is confingeret integras epiſtolas, quæ nullam antiquiorum exemplarium collationem, qua fraus detegeretur, metuebant?

Quædam genuina interpolata.

Item & quædam antiqua apocrypha.

VII. Ea porro generali regula, quam propoſuimus, deteguntur apocryphæ duæ Synodi, quinta, uti appellant, & ſexta ſub Symmacho, nec non Capitula Hadriano Papæ in vulgatis, & in pleriſque MSS. attributa, quæ in ſola Iſidoriana collectione reperiuntur. Mirum nobis accidit, pleroſque etiam acerrimos ceteroquin criticos, qui ſingula ejuſdem collectionis documenta ad calculos revocarunt, de duabus memoratis Synodis, atque Capitulis nihil dubii moviſſe. Immo Blondellus, qui omnium maxime Iſidoriana figmenta perſtrinxit, adeo de illis nihil dubitavit, ut inter ea vetuſtiora monumenta, ex quibus Pſeudoiſidorus apocryphas epiſtolas conflavit, laudatas Synodos atque Hadriani Capitula identidem referat, perinde ac ſi hæc genuina ac vetuſtiora ſint, nec ipſum Pſeudoiſidorum habeant auctorem. Et primo quantum ad duas Synodos ſub Symmacho, non ſolum Hadriana collectio iſtas ignorat, verum etiam vetuſtiſſima omnium contenta in MS. Vaticano Reginæ 1997. quæ paullo poſt ejuſdem Pontificis ætatem omnes genuinas ipſius Synodos, & documenta cetera ad eaſdem pertinentia accuratiſſime protulit. Quod ſi tres Synodi tantum ibidem afferuntur, non quatuor; quartam ſinceram in eo codice omiſſam nemo ſuſpicetur: quatuor enim Synodorum opinio ex quadam notula dimanat, quæ in antiquioribus & præſtantioribus codicibus abeſt, uti animadvertimus part. 2. c. 4. n. 5. Præterea ſi tres, quæ tantum editæ ſunt ſinceræ Synodi, conferantur cum duabus in ſolo Iſidoro deſcriptis; manifeſtum introductionis, ſtili, ac totius orationis diſcrimen quiſque deprehendet: quod diverſum auctorem ſatis demonſtrat. Adde quod in ſexta, quam vocant, Synodo Gangrenſes canones *apoſtolica auctoritate conditi* dicuntur; quod falſiſſimum eſt. Referuntur autem duo ejuſmodi canones ex interpretatione Dionyſii, cum tamen Romani Pontifices per id tempus præter Nicænos & Sardicenſes nullos Græcarum Synodorum canones recepiſſent. Vide part. 2. c. 1. Accedit tandem quod in Synodo, uti appellant, quinta legantur quædam decreta, quæ ab anteceſſoribus ſuis conſtituta idem Symmachus pronuntiat: *Eſt enim*, inquit, *a multis*

Duæ Synodi ſub Symmacho apocryphæ.

Vid. part. 2. c. 1. n. 10.

anteceſſoribus noſtris ſynodaliter decretum atque firmatum. Producuntur autem decreta, quæ totidem verbis recitantur in pſeudoepiſtolis Zephirini, Stephani, Euſebii, & Julii. Idem ergo & iſtarum epiſtolarum, & ejus Synodi fabricator agnoſcitur. Symmachus enim laudare non poterat epiſtolas, quæ tanto poſt confictæ fuerunt. Neque vero cuipiam incredibile videatur, Pſeudoiſidorum in ea Synodo compingenda ex epiſtolis abs ſe confictis verba exſcripſiſſe, ac Pontificum, quibus eas affixit, auctoritatem allegaſſe. Id enim uſitatum ipſi fuit, in epiſtolis, quas poſterioribus Pontificibus attribuit, ex litteris fictitiis anteceſſorum nomine inſcriptis decreta iiſdem quandoque verbis repetere, eorumdemque deceſſorum auctoritatem ingerere. His argumentis ſuppoſitione ejuſmodi Synodorum detecta, nihil erit ambigendum, quin ſubſcriptiones ipſis pſeudoſynodis appenſæ, & partim ex ſinceris Symmachi Conciliis, partim ex Chalcedonenſi ſumtæ (quæ impoſturam maxime declarant,) ex eodem impoſtore provenerint.

t. 8. Conc. Ven. edit. col. 197.
Capitula Hadriano I. afficta, & ſuppoſititia.

VIII. Nunc de Capitulis, quæ Hadriano Papæ I. in vulgatis inſcribuntur. Vidimus in bibliotheca Vaticana codicem ſignatum num. 631. in quo ea Capitula non Hadriano Pontifici, ſed Ingelramno, ſeu Angilranno Metenſi adſcripta ſunt. *Incipiunt Capitula collecta ex diverſis Conciliis, ſeu decretis Romanorum Pontificum ab Angilramno Metenſi Epiſcopo & Adriano Papæ oblata.* Eamdem plane inſcriptionem præfert alius codex bibliothecæ S. Victoris Pariſienſis, uti teſtatur Baluzius in præfatione ad libros Antonii Auguſtini de emendatione Gratiani: qui dein in notis ad eoſdem libros pag. 492. aliud MS. exemplum laudat monaſterii Lætienſis, ubi ſimilis epigraphes his verbis exprimitur: *Liber Capitulorum ex diverſis Conciliis, ſive decretis Romanorum Pontificum collectorum ab Anilramno Metenſi Epiſcopo*. At plerique & præſtantiores codices Vat. 630. 1340. 1344. 3791. &c. vulgatam lectionem tuentur: *Ex Græcis & Latinis canonibus, & Synodis Romanis, atque decretis Præſulum, ac Principum Romanorum hæc Capitula ſparſim collecta, & Angilramno Mediomatricæ urbis Epiſcopo Romæ a B. Papa Adriano tradita ſub die XIII. Kalendarum Octobrium Indictione IX. quando pro ſui negotii cauſa agebatur.* Quem titulum omnino præferendum demonſtrat Hincmarus Remenſis Pſeudoiſidoro ſuppar, qui ſimiliter in ſuo codice legit. Scribit enim in opuſculo contra Hincmarum Laudunenſem cap. 24. *De ſententiis vero, quæ dicuntur ex Græcis & Latinis canonibus atque decretis Præſulum & Ducum Romanorum collecta ab Adriano Papa, & Ingilramno Metenſium Epiſcopo datæ, quando pro ſui negotii cauſa agebatur* &c. Ipſa plenior inſcriptio, qua Capitulorum tempus & occaſio notatur, & non ex ſolis decretis Pontificum, atque canonibus Conciliorum, ſed ex Principum etiam Romanorum legibus Capitula collecta traduntur, verior agnoſcitur: ac propterea ambigendum non eſt, quin hæc Capitulorum collectio Hadriano adſcripta fuerit. Porro Hadrianus Papa nullam aliam collectionem ſuo nomine ornavit niſi eam, quæ Carolo Magno ab ipſo tradita *Hadriana* vocatur. Hinc Leo IV. in epiſtola ad Epiſcopos Britanniæ eccleſiaſticos canones referens, eos præſertim, *per quos & Epiſcopi judicant, & Epiſcopi judicantur*, canones in Hadriana contentos recenſet, de iſtis autem Capitulis Hadriano attributis (quæ cum nihil fere aliud exhibeant quam quæ ad Epiſcoporum judicia pertinent, maxime commemoranda fuerant) ne verbum quidem. Quædam præterea in ipſis Capitulis inſunt, quæ Romanus Pontifex nequaquam propoſuiſſet; ut illud c. 6. quo appellationum cauſæ ad Conſtantinopolitanam, & non potius ad Apoſtolicam Sedem deferendæ traduntur; nec non illud c. 49. ex lib. 10. Codicis Theodoſiani tit. 10. n. 2. ſeu ex Breviario Aniani ſumtum: *Delatoris aut lingua capulatur, aut convicto caput amputatur*: quod quam a lenitate eccleſiaſtica ſit alienum, nemo eſt qui non videat. Angilramnus quoque Metenſis Epiſcopus, qui *vir mitiſſimus & pietate præcipuus* a coævo auctore Paulo Diacono vocatur lib. 4. de geſtis Longobardorum c. 6. ab hac ſanctione collectioni canonum inſerenda quam maxime abhorruiſſet. Illud addemus ad pleniorem impoſturæ probationem, quod Pontificum decreta, ex quibus præſertim ea Capitula dicuntur collecta, non alia fere ſunt niſi decretales apocryphæ Iſidorianæ, in quibus eædem ſententiæ, & eadem identidem verba recitantur, ut ex Antonii Auguſtini notis in eadem Capitula colligere licet. Quem earum epiſtolarum & Capitulorum conſenſum quicumque perpenderit, eumdem tum illarum, tum iſtorum architectum facile perſpiciet. Hujus argumenti vim plerique hactenus non perceperunt, eo quod crediderint pſeudoepiſtolarum auctorem ex Capitulis, uti videbantur, ſinceris profeciſſe. At nos e contra Capitula poſt pſeudoepiſtolas condita, & ubi cum ipſis pſeudoepiſtolis totidem ſententiis aut verbis conveniunt, ex iiſdem derivata manifeſtiſſimum facere poſſumus. Plura in id afferri queunt. Unum autem maxime evidens brevitatis gratia ſufficiet. Idem prolixum Synodi Romanæ decretum, quod in Capitulis legitur c. 5. totidem verbis continetur etiam in epiſtola ſuppoſititia Felicis I. ad Epiſcopos Galliæ. Hæc vero decretum ex hac epiſtola traductum in Capitula, non autem ex Capitulis in eam epiſtolam tranſiiſſe ex eo liquet, quia Romana Synodus, cui idem decretum in Capitulis tribuitur, alia vere non eſt niſi ſuppoſititia Synodus ſub eodem Felice I. deſcripta in eadem epiſtola, quæ ipſius Synodi relationem continet. Id manifeſtum fit ex his eiuſdem epiſtolæ verbis: *Nos vero* (ait Pſeudo-Felix) *ad ſupplementum veſtrum fratres & Coepiſcopos noſtros vocavimus amplius quam ſeptuaginta, cum quibus hæc quæ ſubter habentur inſerta, regulariter tractanda decrevimus. Veſtris enim epiſtolis in omnium audientia perlectis, quæ multas, ut noſtis, querimonias & oppreſſiones in ſe continebant veſtras, decretiſque quæ ſunt de accuſationibus Epiſcoporum, Sancta Synodus dixit: Hæc ſunt quæ decrevit propter malorum hominum inſidias* &c. Quo decreto relato Pſeudo-Felix Synodi habitæ relationem concludens ait: *Hæc, fratres, ad veſtram & omnium Coepiſcoporum opem in Synodo unanimiter ſunt decreta, ut ſi forte aliqui ſtultorum vos accuſare* &c. Itaque hæc Romana Synodus ejuſque decretum in Capitulis recitatum aliunde peti non potuit quam ex hac Felicis I. pſeudoepiſtola, ex qua tantum in lucem prodiit. Si vero auctor Capitulorum ex hac pſeudoepiſtola idem decretum hauſit, poſteriora ergo ſunt illa Capitula iiſdem litteris, & ſimiliter poſteriora ſunt ceteris decretalibus apocryphis, ex quibus alia bene multa loca ſimiliter decerpta fuerunt. Non igitur Hadriano I. immo nec Angilramno Metenſi Epiſcopo eadem Capitula adſcribi poſſunt, quorum ætate ſicut nondum illæ pſeudodecretales, ita nec Capitula exinde derivata prodierant. Hinc nemo aſſentiri poterit Stephano Baluzio, qui in laudata præfatione ad Antonii Auguſtini libros de emendatione Gratiani ea Capitula Angilramno Metenſi tribuens ſcripſit: *Ea ex novitiis veterum Pontificum epiſtolis ut plurimum collegit, & Adriano obtulit, ut ſuæ cauſæ præſidium quæreret*. Eorum artifex ille idem Pſeudoiſidorus eſt, qui ipſas epiſtolas finxit; ac proinde in ſola eius collectione inveniuntur. Enimvero in codice Vat. 630. omnium vetuſtiſſimo inveniuntur quidem in appendice collectionis Iſidorianæ, eo quod ea ex documentis apocryphis in primo collectionis fetu contentis expreſſa, poſterioribus Pſeudoiſidori curis condita fuerint, & veluti appendix in prioribus exemplis acceſſerint, ut ex adnotandis §. 5. patebit. In primo quidem fetu, quem uſque ad Sanctum Gregorium ſe perduxiſſe idem impoſtor in præfatione teſtatur; hæc Capitula Hadriano I. attributa locum habere non poterant; ac propterea poſterius tantum conficta & addita confirmantur.

t. 1. Conc. col. 924.

IX. Illud autem ad impoſtoris indolem apertius dignoſcendam hoc loco animadvertendum credimus, nimirum eum in exſcribendo ex pſeudoepiſtola Felicis eo Synodi Romanæ decreto, quod paullo ante memoravimus, nonnulla eiuſdem decreti verba licentius immutaſſe. Cum enim in pſeudoepiſtola legatur, *Tempore congruo, id eſt autumnali, vel æſtivo Concilium regulariter convocare debebunt*; in Ca-

Pi-

pitulis ſcripſit c. 5. *Tempore a canonibus præfixo Nicænis Concilium canonice convocare debebunt*. Viderat impoſtor Nicænam Synodum allegari non poſſe in epiſtola & Synodo Felicis I. qui Nicænum Concilium præceſſit. Cum vero hoc decretum ei Synodo tributum hac in particula, quæ Concilia congreganda præſcribit, reipſa ſumſerit ex Concilio Nicæno; hoc Concilium in Capitulis adſcriptis Hadriano, qui poſtea floruit, indicare non timuit. Sic duplicem impoſturam prodit, unam cum Romanæ Synodo affixit, quod Nicænæ convenit; alteram cum allatum ex ea Romana pſeudoſynodo decretum, mutatis nonnullis interpolavit.

§. III.

Quo fine Pſeudoiſidorus tot documenta ſpuria ſuppoſuerit. Num his documentis ſuppoſititiis diſciplina eccleſiaſtica immutata ſit.

X. QUo autem ſpiritu, quo conſilio Pſeudoiſidorus tot documenta confinxerit, omittendum non eſt. Non deſunt, qui eum amplificandæ, vel defendendæ auctoritatis Romanorum Pontificum ſtudio ductum ad ea procudenda excitatum fuiſſe arbitrentur. At falluntur manifeſte. Licet enim in iis Apoſtolicæ Sedis amplitudo & auctoritas pluribus commendetur; non tamen hic impoſtoris ſcopus fuit, nec eadem Sedes, cuius privilegia & jura quam plurimis ſinceris & vetuſtis documentis nituntur, illis apocryphis indigebat, ut Cardinalis Baronius ad annum 865. n. 8. notavit. Pſeudoiſidori autem conſilium longe aliud fuiſſe ex ipſa collectionis præfatione ſatis dignoſcitur. Poſtquam enim indicavit documenta, quæ ſuæ collectioni erant inferenda, hanc eorum colligendorum rationem ſubjicit: *Quatenus eccleſiaſtici ordinis diſciplina in unum a nobis coacta atque digeſta & ſancti Præſules paternis inſtituantur regulis, & obedientes Eccleſiæ miniſtri, vel populi ſpiritualibus imbuantur exemplis, & non malorum hominum pravitatibus decipiantur. Multi enim pravitate & cupiditate depreſſi, ACCUSANTES SACERDOTES OPPRESSERUNT*. Et multis proſequitur in eos acriter invehens, qui Epiſcopos accuſare audent, *ut ſe per illos excuſent, vel eorum bonis ditentur*: ac plura ejuſmodi judiciorum incommoda referens, illud urget, non poſſe cogi Epiſcopos ad dicendam cauſſam, ſi fuerint accuſati, & rebus ſuis exſpoliati, aut gradu dejecti, & a ſede pulſi, niſi prius fuerint reſtituti: additque nonnulla de accuſatoribus & accuſationibus rejiciendis: quibus omnibus palam ſignificat, ſe ea potiſſimum mente collectionem confeciſſe, ut Epiſcopis, qui accuſabantur, proſpiceret. Id quidem in apocryphis, quæ conflavit, documentis multo clarius elucet. Eamdem enim ſemper de accuſatis Epiſcopis curam ac ſollicitudinem præfert; cumque Apoſtolicæ Sedis auctoritatem præcipuam, eo ſemper omnia referri, ut Epiſcopi accuſationibus impetiti & condemnati, ſi ſe gravatos ſentiant, ad illam confugiant, quæ Synodorum ſententias retractare, & ſi juſtum putaverit, irritas reddere poteſt. Idem quoque conſilium maxime perſpicitur in Capitulis Hadriano tributis, quæ ex apocryphis præſertim epiſtolis decerpta, apocryphorum documentorum velut compendium & compilatio vocari queunt. Pleraque enim illorum Capitulorum eo ſpectant, ut ne Epiſcopi accuſari a quibuslibet poſſint, nec, ſi accuſentur, accuſatoribus facile deferatur, ſed ex multis cauſſis tum accuſatores repellere, tum judices liceat recuſare; ut Synodorum retractentur judicia, & alia ejuſdem generis in apocryphis ſimiliter ingeſta, ex quibus ſi omnia ad Epiſcoporum, qui accuſantur, exſpoliantur, deponuntur, patrocinium, defenſionem, atque præſidium conlata & conficta creduntur, nemo jure poſſit revincere.

XI. Non pauci de Pſeudoiſidoro ſeverius conqueruntur, perinde ac ſi ejus impoſturis diſciplina vetus abolita, & nova fuerit introducta, adeo ut hinc deſertos antiquos canones, fractos diſciplinæ nervos, perturbata Epiſcoporum & provincialium Conciliorum jura, ſublatas judiciorum leges, aliaque rei eccleſiaſticæ damna illata contendant. Hæc autem novæ & immutatæ diſciplinæ reprehenſio quam minus æqua ſit, quiſque facile intelliget, ſi duo animadvertat, nimirum pleraque pſeudoepiſtolarum Iſidori excerpta eſſe ex ſententiis Sanctorum Patrum, ex ſinceris conſtitutionibus Romanorum Pontificum poſt Siricium, ex canonibus Conciliorum, ac ex Romanis legibus: quæ ſane novi juris, novæque diſciplinæ non ſunt: cetera vero eam diſciplinam plerumque exhibere, quæ vel jamdiu inoleverat, vel jam ante aliquanto induci cœperat. Impoſtura autem in eo ſita eſt, quod Pſeudoiſidorus eas ſententias iis auctoribus impoſuerit, quorum non ſunt, & poſterioris ævi diſciplinam antiquioribus Pontificibus affixerit, quaſi prioribus Eccleſiæ ſæculis æque viguiſſet. Ceterum quod de novæ diſciplinæ introductione ingeritur, ſtultus quidem plane fuiſſet impoſtor, ſi ſperaſſet ſuam collectionem acceptum iri ab hominibus quæ novam omnino diſciplinam a ſui quoque ſæculi moribus & conſuetudinibus abhorrentem contineret. Quod ſi quæcumque contra conſuetudinem ingeruntur, etiamſi bona & utilia ſint, ipſa novitate perturbare ſolent; multo magis de iis timendum eſt, quibus diſciplinam per ſe optimam & ſanctioribus fultam legibus, longoque uſu ab omnibus receptam quiſpiam evertere & immutare contenderet. Nulli autem tumultus, clamores nulli auditi ſunt ob inductas decretales apocryphas, niſi in ea parte, quæ ad Epiſcoporum cauſſas & judicia pertinet: de quibus aliqua apud Hincmarum leguntur, & in epiſtolis Nicolai I. At in his ipſis cauſſis atque judiciis quod in pſeudoepiſtolis ac Synodis Iſidorianis traditur, non erat omnino novum. Nonne cauſſæ majores, quæ circa accuſationes Epiſcoporum verſantur, certis antiquorum Pontificum decretis Apoſtolicæ Sedi reſervatæ, ſine ejus aſſenſu definiri non poterant? Vide inter cetera Leonis epiſtolas 6. 13. & 14. & Gregorii IV. epiſtolam primam ad univerſos Epiſcopos. Nonne Epiſcoporum appellationes ad eamdem ſedem antiquis canonibus & conſuetudini, ac primatus etiam juri innixas probavimus in Obſervationibus ad Diſſert. V. Queſnelli part. 1. c. 5. 6. & 7.? Ne omnes promiſcue admittantur ad accuſandum Epiſcopum, cautum fuerat in canonibus Codicis Africani 128. 129. 130. & 131. nec non etiam canone ſexto Concilii CP. quem ex Græco codice Nicolaus I. laudat epiſtola octava. Epiſcopos ejectos & ſuis rebus exſpoliatos non cogendos ad judicium, niſi prius in ſuum gradum reſtituantur, & omnia eiſdem ablata redintegrentur, colligitur ex Codice Eccleſiæ Africanæ c. 87. Hæc & alia ejuſdem generis, quæ novæ diſciplinæ a pſeudoiſidorianis decretalibus inductæ tribuuntur, legere licebit in epiſtolis 8. 9. & 38. Nicolai I. qui tamen ea non ex illis apocryphis, quibus carebat, ſed ex antiquioribus documentis confirmat: quemadmodum ante ipſum fecerat etiam Gregorius IV. in epiſt. 1. ad univerſos Epiſcopos, in qua Veneloni Epiſcopi judicium ſibi reſervat. Fieri quidem potuit, ut hæc diſciplina, antiquis licet juribus ac decretis commuta, non multum, ſeu rarius obtinuerit in quibuſdam locis, quæ aliis conſuetudinibus & canonibus utebantur. Fieri etiam potuit, ut eadem diſciplina in favorem proborum ad fraudes præcavendas inſtituta, a quibuſdam traheretur in abuſum, & malorum impunitati ſerviret. Pſeudoiſidori vero conſilium ab hac improbitate alienum, non aliud fuiſſe niſi ut Epiſcopis injuſte oppreſſis ſubveniret, ex ejus præfatione intelleximus. Forte etiam in ea Galliarum parte, in qua eſt Moguntia, ubi hæ Pſeudoiſidori merces, ut mox dicemus, fabricatæ fuerunt, diſciplina in ipſis propoſita jamdiu ante invaluerat S. Bonifacii Epiſcopi Moguntini opera, qui apoſtolica legatione functus, quantum apoſtolicæ auctoritati deferret, eamdemque obſervantiam in ea loca inducere ſtuduerit, ex ejus epiſtolis liquet. Vide inter ceteras ejus epiſtolam 105. ad Cudberthum Archiepiſcopum Cantuarienſem, in qua aliquot præcipua diſciplinæ capita ab eodem ſancto Martyre & Germaniarum Apoſtolo iis in regionibus inſtituta, ac in pſeudoepiſtolis Iſidorianis poſtea repetita exhibentur. Idem quoque ſpiritus in ſucceſſores ejus Lullum, Riculfum, Autgarium tranſiit, ut ex aliis

 mo-

monumentis conſtat. Quod ſi Pſeudoiſidorianæ decretales eam diſciplinam præferunt, quæ & antiquioribus decretis atque canonibus fulciebatur, & jamdiu ante ſaltem iis in regionibus vigebat, ubi pſeudoiſidorus illas condidit; num æqua ſit illa reprehenſio, qua novæ diſciplinæ introductio ipſis decretalibus attribuitur, quiſque intelliget. Negari tamen non poſſe videtur, quin eadem diſciplina latius propagata magis multo inoleverit, poſtquam eædem decretales editæ & divulgatæ fuerunt, ac mox in quibuſdam Conciliis laudatæ, atque ſubinde inſertæ in collectiones Reginonis, Burcardi, & aliorum, quæ ob ſuam brevitatem ac methodum magno uſui fuere.

§. IV.

De auctore & tempore ejuſdem collectionis.

XII. ISidori nomen præfationi ab impoſtore fuiſſe inſcriptum eo conſilio, ut S. Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo opus tribueretur, innuimus num. 3. ubi etiam probavimus hanc collectionem eidem Sancto adſcribi non poſſe. Plerique eam adjudicant Riculfo Epiſcopo Moguntino, quem collectionem, uti putabatur Iſidori Hiſpalenſis, ex Hiſpania allatam Moguntiæ edidiſſe, & in vicinas Galliarum regiones evulgaſſe Hincmarus Remenſis tradidit in opuſculo contra Hincmarum Laudunenſem cap. 24. *Si vero ideo talia*, inquit, *quæ tibi viſa ſunt, de præfatis ſententiis* (Angilramni) *ac ſæpememoratis epiſtolis detruncando, & præpoſterando, atque diſordinando collegiſti, quia forte putaſti neminem alium eaſdem ſententias, vel ipſas epiſtolas præter te habere, & idcirco talia libere te exiſtimaſti poſſe colligere; res mira eſt, cum de ipſis ſententiis plena ſit iſta terra, ſicut & de libro collectarum epiſtolarum ab Iſidoro, quem de Hiſpania allatum Riculſus Moguntinus Epiſcopus in hujuſmodi, ſicut & in Capitulis regiis ſtudioſus, obtinuit, & iſtas regiones ex illo repleri fecit*. Cum vero Riculſus Moguntinus, qui Lullo ſucceſſit anno 786. vel 787., e vivis exceſſerit anno 814. in collectione; autem Iſidoriana epiſtolæ quædam contineantur, ex. gr. Urbani I. & Joannis III. quibus ab impoſtore inſertæ fuerunt ad verbum aliquot ſententiæ Concilii Pariſienſis celebrati anno 829. haſce impoſturas (1) Riculſo attribui non poſſe liquet. Hincmarus vero excuſandus eſt, quippe quem hæc bona fide ſumſiſſe credimus ex Benedicto Levita. Is enim in præfatione ad tres libros Capitularium V. VI. & VII. ab ipſo digeſtos & editos circa annum 845. ſcripſerat: *Hæc vero Capitula, quæ in ſubſequentibus tribus libellis coadunare ſtuduimus, in diverſis locis, & in diverſis ſchedulis, ſicut in diverſis Synodis ac placitis generalibus edita erant, ſparſim invenimus, & maxime in ſanctæ Mogontiacenſis Metropolis Eccleſiæ ſcrinio a Riculſo ejuſdem ſanctæ ſedis Metropolitano recondita, & demum ab Autcario ſecundo ejus ſucceſſore atque conſanguineo inventa reperimus, quæ in hoc opuſculo tenore ſupraſcripto inſerere maluimus*. Inter Capitula vero ab hoc inſerta libris laudatis nonnulla occurrunt ex epiſtolis apocryphis priſcorum Pontificum, quædam ex pſeudo-ſynodis Symmachi, & fere omnia Capitula ad Angilramnum Hadriano Papæ affictа: quæ tamen ſine ullo auctoris nomine recitantur. Neque vero hæc Benedictum Levitam ſumſiſſe exiſtimes ex aliquo Capitulari Regum Francorum, ex quo item eadem Pſeudoiſidorus excerpens, priſcis illis Pontificibus, Synodis Symmachi, ac Hadriano I. attribuerit. Si enim ea decreta in ſinceris Capitularibus fuiſſent conſtituta; inventa ſane fuiſſent, ſi non omnia, ſaltem aliqua ejuſmodi Capitularia, in quibus illa legerentur. Sic quidem cum Anſegiſus ex veris Capitularibus ſuos libros quatuor compegerit; ſtudioſi homines eadem Capitularia nacti ſunt, in quibus fere omnia Anſegiſi

Riculſo Moguntino tribui nequit.

capitula continentur, nec non illa, quæ ab Anſegiſo prætermiſſa idem Benedictus Levita ex veris Capitularibus in ſuis libris adjecit. Quid vero cauſſæ eſt, cur ne unum quidem capitulum ex apocryphis illis documentis in ullo antiquiori Capitulari reperitur; niſi quia ea Benedictus non ex veris Capitularibus, ſed ex pſeudoiſidorianis mercibus, in quibus dumtaxat inveniuntur, derivavit? Hæc ergo pſeudoiſidorianæ collectionis capitula inter illa eſſe videntur, quæ in Moguntinæ Eccleſiæ ſcrinio a Riculſo recondita tradidit. Cum porro hæc collectio ab ipſo Benedicto tribuatur, ſeu ſaltem involvatur cum ætate Riculſi, quem obiiſſe jam vidimus antequam ea conderetur & ederetur; non alia de cauſſa id videtur feciſſe, niſi ut iiſdem documentis auctoritatem crearet, & impoſturæ, quæ ipſi ignota non eſſet, ſuſpicionem removeret. Hinc cum ejuſmodi impoſturis ipſe primus, aut fere primus uſus ſit, & Levita fuerit Eccleſiæ Moguntinæ, ex qua ea collectio prodiit; nonnulli ſuſpicantur cum Blondello, ipſum fortaſſis earumdem impoſturarum fuiſſe architectum.

XIII. Hoc certe tempore collectio condita, & in Germania quidem, quæ in Galliis veteri diſpoſitione cenſita, Francorum Regibus ſuberat, non vero in Hiſpania; ac proinde aliquem Germano-Francum habet auctorem. Cum recentius documentum, ex quo impoſtor integras ſententias in apocryphis compingendis decerpſit, ſit Concilium Pariſienſe anni 829. ante hunc annum editio ejuſdem collectionis collocari nequit. Porro Concilium Aquiſgranenſe anni 836. cap. 2. n. 8. decernens, ut per ſingulos annos ſanctum oleum in cœna Domini *juxta traditionem apoſtolicam ac ſtatuta decretalium, in quo de eadem re præcipitur*, ab Epiſcopis conficiatur; ſecundam Fabiani pſeudo-epiſtolam indicare creditur. Hinc ea editio poſt annum 829. & ante annum 836. ſtatuenda videtur. Mirum vero eſt, Rabanum, qui paullo poſt annum 841. Otgario, ſeu Autcario Moguntino Epiſcopo Pœnitentiale nuncupavit, nihil ex apocryphis Iſidorianis produxiſſe. Num id fecerit, quia ipſis nihil fidebat; an vero quia nondum prodiiſſent, ita ut Aquiſgranenſis Concilii decretum ad Fabiani pſeudo-epiſtolam perperam referatur, alii judicent. Quod ſi hoc ſecundum probabilius judicetur, & multo magis ſi cum Blondello credatur impoſtor quaſdam formulas & phraſes excerpſiſſe ex epiſtola Jonæ Aurelianenſis ad Carolum Calvum, qui regnum obtinuit anno 839. Iſidoriana collectio vulgata dicenda eſſet circa tempus, quo Benedictus Levita libros Capitularium edidit, nimirum circa annum 845. unde prima apocryphorum expreſſa mentio legitur in epiſtola Caroli Calvi ad Epiſcopos in conventu Cariſiaco ſcripta anno 857. Neque vero moveat collectio Remedio Curienſi attributa, & a Goldaſto edita cum hac epigraphe: *Alamannicæ Eccleſiæ veteris canones ex Pontificum epiſtolis excerpti a Remedio Curienſi Epiſcopo juſſu Karoli Magni Regis Francorum & Alamannorum*. Hic Rex cum obierit anno 814. Goldaſtus ipſam collectionem conditam putat circa annum 813. Amplior erat hæc collectio, eique additamenta acceſſerunt Notingi Conſtantienſis Epiſcopi, qui vita functus eſt anno 934. At hæ Notingi additiones cum non exigua parte canonum a Remedio collectorum ex ſuo codice exciſa atque ſublata idem Goldaſtus tradit. Capita ab eodem edita, quæ ſuperſunt, ſunt tantum quadraginta novem; eaque ex ordine exhibent excerpta ex ſolis pſeudo-epiſtolis priſcorum Pontificum a S. Clemente ad S. Urbanum uſque. Hæc vero ipſa excerpta, quæ auctor ex Pſeudoiſidori collectione poſt Carolum Magnum, ut vidimus, compacta derivavit, palam faciunt, errorem eſſe in titulo, vel in explicatione tituli *Karoli Magni*, & Remedium, qui horum excerptorum auctor traditur, ad poſteriorem ætatem referri oportere. Forte pro *Carolo Ma-*

Auctor Germano-Francus.

Tempus collectionis.

De collect. Remedii Curienſis. t. 2. Rer. Alaman. part. 2. p. 134. edit. 1730.

(1) Riculſum aliquid novi attuliſſe Blondellus colligit ex libro 7. Capitularium c. 205. nunc 281. ubi ille in Wormatienſi conventu Gregorii Papæ epiſtolam attuliſſe traditur, cujus nulla nec ante, nec poſt memoria exſtitit. Verum hæc non ſuppoſititia, ſed ſincera eſt epiſtola Gregorii II. ad Bonifacium Moguntinum, quæ legitur tom. 8. Concil. Venetæ editionis col. 178.

Magno intelligendus eſt *Carolus Craſſus*, qui ita *Carolus Magnus* fuerit nuncupatus, uti *Ludovicus Magnus* dictus invenitur Imperator Ludovicus II. Carolus nimirum Craſſus vulgata jam Pſeudoiſidori collectione primo Alemannorum Rex fuit, & poſtea imperium obtinuit.

Auctor non fuit Hiſpanus.

XIV. Pſeudoiſidorum vero non fuiſſe Hiſpanum, ſed Germano-Francum multa convincunt. Ex Moguntia quidem collectionem prodiiſſe, & per Gallias diſſeminata fuiſſe exemplaria Hincmaro teſte accepimus: qui licet in eo falſus ſit, quod præſumens auctorem S. Iſidorum Hiſpalenſem, eam ex Hiſpania allatam tradidit; in eo tamen quod e Moguntia eadem collectio vulgata fuerit, conlato Benedicti Levitæ teſtimonio maxime confirmatur. Hac de cauſſa, qui apocrypha illa nono ſæculo primum laudarunt, Germano-Galli ſunt, nulli autem Hiſpani, aut aliarum regionum Scriptores. Hiſpanos quidem hanc collectionem diutius ignoraſſe, vel non ſuſcepiſſe colligere licet ex epiſt. 121. Innocentii III. lib. 2. Hinc enim diſcimus, eos in quadam cauſſa Alexandro III. obtuliſſe ſuum codicem canonum, in quo cum aliis Conciliis deſcribebatur Emeritenſe. Hoc autem Concilium cum aliis non in Iſidoriana collectione, ſed in auctiori Hiſpanica deſcribitur: ac proinde corpus canonum per id quoque tempus apud Hiſpanos receptum erat collectio Hiſpanica. Vetuſtiores codices Iſidoriani ſunt Germano-Franci, adeo ut ii quoque, qui in alias regiones traducti nonum ſæculum attingunt, e Galliis provenerint, ut de duobus Vaticanis nono ſæculo ſcriptis paragrapho ſequenti patebit. Adde quod in pſeudoepiſtolis plures Germano-Francorum idiotiſmi inveniuntur, eademque ſtili barbaries, quæ in aliis ejuſdem ætatis Scriptoribus Gallicanis & Germanis deprehenditur: idiotiſmi autem Hiſpanorum proprii, qui in Etherio & Eulogio notari queunt, nulli. Evidentius eſt illud, quia impoſtor non pauca tranſcripſit ex epiſtolis S. Bonifacii Epiſcopi Moguntini, & ex litteris Cangith Abbatiſſæ ad eumdem Bonifacium, quæ non in Hiſpania, ſed Moguntiæ, & in Germania, ubi illi verſati ſunt, inveniri potuerunt. Accedit tandem argumentum omnium, ut nobis quidem videtur, graviſſimum. Dum impoſtor Hiſpanicam collectionem ſuæ inſeruit, non uſus eſt codicibus Hiſpanæ originis, ſed illis originis Gallicanæ. Id nobis innotuit in conferendis epiſtolis S. Leonis. Duos enim codices collectionis Hiſpanicæ adhibuimus, Vindebonenſem 41. originis Hiſpanæ, ac Vaticanum 1341. Gallicanæ originis. Inſignem horum codicum varietatem in lectionibus jam notavimus cap. 4. n. 13. ita ut in Vindebonenſi corruptæ quidem ſint, ſed ad veram lectionem ipſi errores accedant; in Vaticano autem manifeſtæ ſint emendationes arbitrariæ, quæ a germano textu recedunt. Huic autem Vaticano codici, qui ex Gallia in bibliothecam Vaticanam pervenit, ſimiles plane in lectionibus ſeu emendationibus agnovimus tres alios codices Gallicanos laudatos a P. Couſtantio, ex quibus ejuſmodi codices in Galliis inventi ac diſſeminati, a ſtudioſo aliquo Gallicano antiquario Hiſpanicum corruptum codicem olim exſcribente & emendante provenire nemo dubitare poteſt. Vide quæ in hanc rem adnotavimus loco laudato. Porro eaſdem Leonis epiſtolas contulimus cum editione Merlini, quæ e MS. Iſidoriano prodiit, nec non cum aliis codicibus Iſidorianis, ac præſertim cum Vat. 630. qui inter Iſidorianos omnium vetuſtiſſimus & Pſeudoiſidoro ſuppar puriorem ejus collectionem continet. Horum autem lectiones cum plurimum abſunt a lectionibus Vindebonenſis exempli originis Hiſpanæ; tum eaſdem omnino lectiones & emendationes repræſentant, quæ ſunt in codice Vat. 1341 originis Gallicanæ; idque adeo evidenter putavit, ut conferentibus codicem Iſidorianum Vat. 630. cum Hiſpanico Vat. 1341. in eiſdem Leoninis epiſtolis, alter ex altero ad verbum exſcriptus viſus ſit. Nihil ergo dubitandum eſt, quin Pſeudoiſidorus in inferendis ſuæ collectioni documentis collectionis Hiſpanicæ codicem adhibuerit non Hiſpanæ originis, ſed Gallicanæ. Quid ita? niſi quia in Galliis, ubi erant hujuſmodi codices, non autem in Hiſpania ſuam collectionem digeſſit. Quis ergo poſt tot ac tam manifeſta indicia de auctore Gallicano, ſeu Germano-Franco adhuc ambigendum putet?

Collect. Iſid. præfert lectiones collectionis Hiſpanæ originis Gallicanæ.

§. V.

De codicibus Iſidorianis. Ordo & catalogus documentorum hujus collectionis ſumtus ex antiquiſſimo omnium MS. Vat. 630. Spuria, ſincera, & interpolata accurate diſcernuntur.

Codices Iſid. quantum diſcrepent.

XV. CUm MSS. codices Iſidorianæ collectionis in bibliothecis frequentiores ſunt; tum vero plerique ita inter ſe diſcrepant, ut quid contineret primitiva collectio, plures dubitent. Multi enim codices ſolas decretales epiſtolas præferunt, carent vero canonibus Conciliorum, quos tamen Pſeudo-Iſidorum ſuæ collectioni inſeruiſſe ex ejus præfatione liquet. In his alii plures, alii pauciores epiſtolas continent, alii etiam ordine ipſarum nonnumquam diſcrepant. Qui autem canones cum epiſtolis exhibent, non ſemper conveniunt. Quidam enim auctiores ſunt in epiſtolis, quas vel Iſidorianis inſerunt, vel in fine adjiciunt. Nobis tredecim exemplaria invenire licuit, e quibus quinque Conciliorum canonibus expertes tum numero, tum ordine epiſtolarum plerumque diſſentiunt. Hujuſmodi ſunt codices Vat. 629. 3788. 3791. 4873. & Vallicellanus D. 38. Codices autem cum epiſtolis atque canonibus, e quibus ne unum quidem reperire contigit P. Couſtantio, nobis hi octo præſto fuere, Vat. 630. 931. & 1340. Vat. Ottobonianus 93. Caſanatenſis A 11. 14. Florentinus PP. Prædicatorum S. Marci 182. Paravinus 100. Canonicorum Lateranenſium S. Joannis in Viridario, & Venetus bibliothecæ Ducalis S. Marci in duos tomos diviſus, quorum alter ſignatur n. 168. alter 169. Ex his tamen nonnulli mutili, aliquibus epiſtolis initio, vel in fine carent.

Præfat. t. 1. epiſt. R. P. n. 155.

Quæ vera Iſid. collectio.

XVI. Ut in tanta manuſcriptorum varietate diſcerni tute poſſit, quænam vere fuerit Pſeudo-Iſidori collectio, ſeu quæ documenta in primævo ejus fetu indita fuerint, lucem præferent hæc præfationis ejus verba, quibus ſuæ collectionis imaginem ac documentorum ſummam atque ordinem exprimit. *In principio vero*, inquit, *voluminis hujus, qualiter Concilium apud nos celebretur, poſuimus, ut qui noſtrum ordinem ſequi voluerint, ſciant qualiter hoc agere debeant. Qui autem hoc agere melius elegerint, faciant quod juſto canonicoque atque ſapientiſſimo conſilio judicaverint. Denique propter eorum auctoritatem ceteris Conciliis præpoſuimus canones, qui dicuntur Apoſtolorum, licet a quibuſdam apocryphi dicantur, quoniam plures eos recipiunt, & ſancti Patres eorum ſententias ſynodali auctoritate roboraverunt, & inter canonicas poſuerunt conſtitutiones. Deinde quarumdam epiſtolarum decreta Apoſtolicorum interſeruimus, id eſt Clementis, Anacleti, Evariſti, & ceterorum Apoſtolicorum, quas potuimus hactenus reperire epiſtolas, uſque ad Silveſtrum Papam. Poſtmodum vero Nicænam Synodum conſtituimus propter auctoritatem ejuſdem magni Concilii. Deinceps diverſa Concilia Græcorum & Latinorum, ſive quæ antea, ſeu quæ poſtmodum facta ſunt, ſub ordine numerorum ac temporum capitulis ſuis diſtincta, ſub hujus voluminis aſpectu locavimus: ſubjicientes etiam reliqua decreta Præſulum Romanorum uſque ad S. Gregorium, & quaſdam epiſtolas ipſius, in quibus pro culmine Sedis Apoſtolicæ non impar Conciliorum exſtat auctoritas.* Illi igitur codices, qui primo poſt præfationem exhibent ordinem celebrandi Concilii, dein canones proferunt Apoſtolorum, poſtea epiſtolas Apoſtolicorum, ſeu priſcorum Pontificum a S. Clemente ad S. Silveſtrum, deinde Nicænum cum ceteris Græcorum & Latinorum Conciliis, ac tandem epiſtolas alias conſequentium Pontificum uſque ad S. Gregorium; hi, inquam, codices veram & integram Iſidorianam collectionem continere dicendi ſunt. Tales autem omnino eſſe deprehendimus duos codices Vat. 630. & 631. qui ſunt plane integri. Tres autem Vat. Ottobon. 93. Florentinus S. Marci, & Caſanatenſis, licet tum decretales epiſtolas, tum Conciliorum canones præferant,

Qui puri codices.

ferant; cum tamen mutili ſint, integræ collectionis notitiam præſtare non poſſunt. Alius autem Vat. 1340. ac duo Veneti S. Marci plura documenta addunt poſt S. Gregorium, quæ cum Pſeudo-Iſidoro attribui non poſſint, ad additamenta referenda ſunt, de quibus capite ſequenti erit ſermo. Codicem Patavinum 100. S. Joannis in Viridario etſi integrum, at poſterioris ætatis, diligenter evolvere per tempus non licuit. Itaque ex illis duobus integris & puris Iſidori codicibus Vat. 630. & 631. quos diligentius expendimus, totius collectionis Iſidorianæ deſcriptionem ſubjiciemus: de aliis autem aliqua addemus poſtea. Inter hos autem duos Vaticanos integros codices in ſerie & ordine præcipue ſequemur codicem 630. Is enim præferendus omnino eſt omnibus, quippe qui non ſolum eſt Gallicanus, ideſt ejus regionis, in qua hæc collectio concinnata fuit; verum etiam uti antiquiſſimus omnium laudatur a Montfauconio, & Cardinali de Aguirre. Gallicanum duo probant: I. notatio recentiori caractere initio ſcripta: *Hic liber ſpectat ad uſum Joannis Epiſcopi Attrebatenſis*: II. epiſtola Luitardi Vencienſis ad Wenilonem Rothomagenſem. Antiquiſſimum vero & ipſi Pſeudoiſidoro ſupparem declarat catalogus Romanorum Pontificum, qui in Leone IV. Benedicto III. & Nicolao I. deſinit: ex quo hic codex ſub Nicolao I. exaratus agnoſcitur, ideſt inter annum 858. & 867. quo quidem tempore documenta hujus collectionis ab Hincmaro & aliis Gallis Epiſcopis allegari cœperunt. Hinc idem codex unum e primis ejuſdem collectionis exemplaribus habendus: quod ipſum etiam atque etiam confirmant duæ appendiculæ quorumdam documentorum, quæ cum poſterioribus curis Pſeudoiſidorus addidiſſet, in hoc primigeniæ collectionis exemplo adjectæ ſunt in fine; cum in aliis codicibus ſuo loco inſertæ inveniantur. Huic ergo codici in conſtituenda ac deſcribenda eadem collectione quantum præ ceteris ſit deferendum, nemo non videt.

De MS. Vat. 630. puro Iſidoriano, & omnium vetuſtiſſimo.

Quæ in eo MS. præmiſſa ſunt collectioni Iſid.

XVII. Ante collectionem præter catalogum Romanorum Pontificum, quem in Nicolao I. deſinere monuimus, affertur adnotatio de quatuor Conciliis generalibus. Hæc legitur apud Gratianum diſt. 15. c. 1. ac ex S. Iſidoro Hiſpalenſi lib. 6. Originum c. 16. ſumta eſt. Dein ſequitur adnotatio de ſex Conciliis, uti apud eumdem Gratianum diſt. 16. c. 10. tum alia adnotatio de aliis Conciliis uno & viginti, quorum octo priora ſunt Ancyranum, Neocæſarienſe, Gangrenſe, Sardicenſe, Antiochenum, Laodicenum, Carthaginienſe, & Africanum, quæ Hadrianæ collectionis ſeriem referunt: cetera vero tredecim ſunt Gallicana, nullum Hiſpanicum: quod hanc adnotationem in Galliis conditam indicat. Eadem apud Gratianum extat diſt. 16. c. 11. ubi tamen tria alia Gallicana Concilia adduntur, quæ idcirco compleat numerum XXIV. Tum in codice poſt mentionem Concilii Maticenſis propoſitam numero XXI. ſubjiciuntur alii octo numeri a XXII. uſque ad XXIX. qui tamen vacui relinquuntur. Sequuntur porro alii decem & octo numeri a XXX. ad XLVII. in quibus indicantur Concilia Hiſpanica, & reliqua, quæ in tabula Conciliorum dein recolenda iiſdem numeris referuntur. Subjicitur Notitia provinciarum, quam Andreas Scotus, Petrus Bertius, & Emanuel Schelestratius publici juris fecerunt; ac poſtea Notitia Galliarum, quæ a pluribus vulgata eſt. Hæ omnes adnotationes atque Notitiæ non ſolum extant ſimiliter in MS. Vat. 631. aliiſque exemplis, quæ Iſidorianam integram collectionem continent, verum etiam in codice Vat. 1341. collectionis Hiſpanicæ, originis Gallicanæ, ita ut dubitandum non ſit, quin vel ex aliquo ejuſmodi exemplo collectionis Hiſpanicæ traductæ fuerint in manuſcripta Iſidori, vel ex MSS. Iſidorianis in eos codices collectionis Hiſpanicæ tranſierint. Hæc autem omnia, quæ præcedunt, & non pertinent ad collectionem Iſidori, claudit memorata epiſtola Luitardi Epiſcopi Vencienſis ad Wenilonem Rothomagenſem ſcripta an. 868. quæ ſolius manuſcripti Vat. 630. propria, ex eodem edita eſt tom. 10. Conciliorum edit. Ven. col. 1403.

Deſcriptio collectionis Iſid.

XVIII. Poſt hæc collectio Iſidoriana exorditur a præfatione hoc titulo: *Incipit præfatio S. Iſidori Epiſcopi. Iſidorus Mercator ſervus Chriſti lectori conſervo ſuo & parenti in Domino fidei ſalutem. Compellor a multis* &c. Edita eſt ex codice Vat. 630. a Cardinali de Aguirre. Vide tomum 1. Concil. pag. 4. Merlinus omittit *Mercator*, & pro *fidei* habet *fideli*. Vulgati Conciliorum pro *Mercator* ſubſtituunt *peccator*, quod nulli noſtri codices præferunt. *Mercator* quoque legitur in codice Pariſienſi, quem vidit Harduinus, nec non apud Ivonem in decreto; & ſolum in hujus margine *peccator*.

Præfationi ſubjicitur epiſtola ſuppoſititia Aurelii ad Damaſum, cujus initium eſt: *Gloriam Apoſtolicæ Sedis*, nec non apocrypha Damaſi reſponſio, *Scripta ſanctitatis tuæ* &c. quas videſis tom. 2. Concil. col. 1011. & 1012. In MS. Vat. 635. hæ deſcribuntur ante præfationem, ſed perperam; nam Hincmarus Remenſis in opuſculo adverſus Hincmarum Laudunenſem c. 24 Damaſi reſponſionem ad Aurelium laudans, *quam*, inquit, Iſidorus *ſuæ præfationi ſuppoſuit, & collectioni præpoſuit*.

Poſtea ſequitur *Ordo de celebrando Concilio. Hora diei prima* &c. uti tom. 1. Concil. a col. 8. uſque ad col. 12. Hunc quidem ordinem, qui ſumtus eſt ex Concilio Toletano IV. initio collectionis præmittendum auctor in præfatione receperat.

Dein affertur tabula Conciliorum cum titulis 47. quorum primi 45. illi ſunt, quos in Hiſpanica exhibuimus c. 4. n. 5. alii autem duo ſunt hi: XLVI. *Decreta quorumdam Præſulum Romanorum ad fidei regulam, & diſciplinam eccleſiaſticam conſtituta.* XLVII. *Synodus Toletana LXVIII. Epiſcoporum.* Hæc eadem tabula cum iiſdem titulis 47. extat etiam in codice Caſanatenſi A 11. nec non in Vat. 1341. continente collectionem Hiſpanicam originis Gallicanæ; ac propterea ex alterutro fonte in alterum irrepſit. Certe duo tituli 46. & 47. qui nec cum Hiſpanicæ, nec cum Iſidorianæ collectionis corpore concordant, additi noſcuntur. Error quidem ineſt in titulo 46. qui non exprimit ullum Concilium, ſed eſt ille ipſe titulus in Hiſpanica collectione præfixus parti ſecundæ, quæ decretales Sedis Apoſtolicæ continet.

Subduntur aliæ duæ epiſtolæ ſuppoſititiæ, altera S. Hieronymi ad Damaſum, cujus initium: *Gloriam ſanctitatis tuæ* &c. altera Damaſi ad Hieronymum, quæ incipit: *Gaudet Eccleſia tuo fonte* &c. Editæ ſunt ab Henſchenio, Schelestratio, & aliis: noviſſime autem inſertæ ſunt Appendici operum S. Hieronymi tom. 11. editionis Veronenſis pag. 275. Cum hæ inveniantur etiam in quibuſdam MSS. Pontificalis Romani Damaſo inſcripti, quod Pſeudoiſidorus adhibuit, num harum ſuppoſitio ipſum Pſeudoiſidorum, an aliom antiquiorem habeat auctorem, ex quo ipſe illas receperit, definire non licet.

Mox ex collectione Hadriana deſcribuntur quinquaginta canones Apoſtolorum verſionis Dionyſianæ.

Tum ſequuntur epiſtolæ priſcorum Pontificum a S. Clemente ad Melchiadem uſque, omnes ſuppoſititiæ, & omnes a Pſeudoiſidoro confictæ, duabus tantummodo S. Clementis exceptis, quas tamen ille interpolavit. En ipſarum ſeriem, quas in editis Conciliorum invenire licebit.

Epiſtolæ priſcorum Pontificum ſuppoſititiæ.

Epiſtolæ quinque S. Clementis, duæ ad Jacobum, tertia ad omnes Epiſcopos, Presbyteros &c. quarta ad Julium & Julianum, quinta ad Hieruſolymis habitantes cum Jacobo Epiſcopo. Duæ primæ jam a Græco aliquo confictæ fuerunt, & a Rufino latinitate donatæ, in vetuſtiores collectiones tum Italicas, tum Gallicanas tranſierant. Solum epiſtola ſecunda in collectionibus Italicis inſcribitur: *Præcepta S. Petri*: quo titulo illam ex iiſdem collectionibus hoc tomo edemus inter documenta Juris canonici veteris: at in Gallicanis codicibus ab Harduino & Couſtantio indicatis inſcribitur: *Epiſtola præceptorum S. Clementis Papæ miſſa Jacobo Fratri Domini*, vel *Epiſtola S. Clementis Romani ad Jacobum de ſacramentis Eccleſiæ*. Has duas epiſtolas Pſeudoiſidorus ex Gallicanis collectionibus excerpſit, unde in ſecunda *epiſtola* inſcriptionem retinuit.

Tres

Duæ epiſt. S. Clementis ſpuriæ ab Iſid. interpolatæ.

Tres vero alias epiſtolas ipſe ſuppoſuit. Illis autem duabus ſpuriis epiſtolis, quas aliunde accepit, novas impoſturas addidit, cum eas prolixis interpolationibus auxit. Has interpolationes quiſque dignoſcet, ſi eaſdem epiſtolas ex Iſidoriana collectione in Conciliis editas conferat cum illis multo brevioribus, quæ ex verſione Rufiniana, & ex antiquioribus collectionibus hoc ipſo tomo proferuntur, prima in collectione ſubjicienda cap. 64. col. 454. altera inter documenta paullo ante laudata num. 5. col. 674.

S. Anacleti epiſtolæ tres, prima ad Omnes Orientales, ſecunda ad Epiſcopos Italiæ, tertia ad Epiſcopos omnes.

S. Evariſti duæ, una ad Africanos Epiſcopos, altera ad Ægyptios.

S. Alexandri I. epiſtolæ tres, prior ad omnes Orthodoxos, aliæ duæ ad Epiſcopos omnes.

S. Xyſti I. epiſtolæ duæ, prima ad omnes Chriſtianos, altera ad omnes Epiſcopos.

S. Theleſphori una ad omnes Chriſtianos.

S. Hygini epiſtolæ duæ, una ad omnes Chriſtianos, altera ad Athenienſes.

S. Pii I. item duæ, prima ad omnes Chriſtianos, ad Italos altera.

S. Anitii (pro Aniceti) una ad Epiſcopos Galliæ.

S. Soteris duæ, prior ad Campaniæ, ſecunda ad Italiæ Epiſcopos.

S. Eleutherii una ad Galliæ provincias.

S. Victoris I. epiſtolæ duæ, una ad Theophilum Epiſcopum Alexandrinum, alia ad Africanos.

S. Zephirini duæ, prima ad Siciliæ, altera ad Ægypti Epiſcopos.

S. Calliſti I. duæ, una ad Benedictum Epiſcopum, alia ad Epiſcopos Gallos.

S. Urbani I. una ad omnes Chriſtianos.

S. Pontiani duæ, prior ad Felicem Succribonum, altera ad Chriſtianos omnes.

S. Anteri una ad Epiſcopos provinciarum Bœticæ & Toletanæ.

S. Fabiani tres, prima ad omnes Epiſcopos, ſecunda ad Orientales, tertia ad Hilarium Epiſcopum.

S. Cornelii duæ, una ad omnes Epiſcopos, ad Ruſticum Epiſcopum altera.

S. Lucii I. una ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ.

S. Stephani I. duæ, prior ad Hilarium Epiſcopum, ſecunda ad Epiſcopos omnes.

S. Xyſti II. duæ, prior ad Gratum Epiſcopum, ſecunda ad Epiſcopos Hiſpaniæ.

S. Dionyſii duæ, una ad Urbanum Præfectum, altera ad Severum Epiſcopum.

S. Felicis I. epiſtolæ tres, prima ad Paternum Epiſcopum, ſecunda ad Epiſcopos Galliæ, tertia ad Benignum Epiſcopum.

S. Eutychiani duæ, prior ad Bœticæ, ſecunda ad Siciliæ Epiſcopos.

S. Gaii una ad Felicem Epiſcopum.

S. Marcellini duæ, ad Salomonem Epiſcopum una, altera ad Epiſcopos Orientis.

S. Marcelli duæ, prima ad Epiſcopos Antiochenæ provinciæ, ſecunda ad Maxentium tyrannum.

S. Euſebii tres, prior ad Galliæ, altera ad Ægypti, tertia ad Tuſciæ & Campaniæ Epiſcopos.

S. Melchiadis una ad Epiſcopos Hiſpaniæ.

In hac prima parte, quæ ad priſcos Pontifices pertinet a S. Clemente uſque ad Melchiadem incluſive, ſeu excluſive uſque ad S. Silveſtrum, Pſeudoiſidorus quinquaginta novem epiſtolas finxit, & duas S. Clementi olim afficțas retulit, ac interpolavit.

XIX. Sequitur ea pars, quæ Concilia exhibet. Præmittitur opuſculum inſcriptum *de primitiva Eccleſia & Synodo Nicæna*. Hoc opuſculum cum ſubjiciatur litteris Melchiadis, ejuſdem Pontificis nomine inſcriptum a Gratiano aliiſque allegatur. Sed in codicibus nomine caret. Eſt autem veluti proœmium ipſius Pſeudoiſidori in conſtitutionem ſequentem. Incipit: *Nemo, qui divinas Scripturas legit* &c. uti tom. 1. Concil. Ven. edit. col. 1562.

Subjicitur *Conſtitutio Conſtantini ad Silveſtrum*. *In* A *nomine* &c. *En quæ Salvator & Redemptor noſter* &c. Ibidem col. 1564. Apocryphum eſt hoc documentum. Quidam iſtud Pſeudoiſidoro tribuunt. Balſamon quædam Græca ejus fragmenta recitat. Integrum autem documentum græce ſcriptum invenit P. Poſſinus in Vaticanis codicibus Græcis 614. fol. 76. 789. fol. 185. 973. fol. 39. & 1416. fol. 127. uti P. Labbeus notavit. Hinc non improbabiliter ſuſpicati ſunt Baronius & Binius, hoc conſtitutum a Græcis fuiſſe confictum, & poſtea latine redditum, atque a Pſeudoiſidoro exceptum. Illud quidem legitur latine in collectione Gallicana, quam primo loco exhibet vetuſtus codex Colbertinus 3368. Vide quæ diximus part. 2. c. 8. n. 3. Etſi vero hoc B documentum ibidem addititium videatur; cum tamen eadem collectio Colbertina ſit Pſeudoiſidoro antiquior, nec quidquam Iſidorianum receperit; ipſum ex hac, vel ex alia fortaſſis vetuſtiore Gallicana collectione hoc monumentum ebibiſſe ſatis credibile eſt.

Sequitur: *Quo tempore Nicænum Concilium habitum ſit. Canones generalium Conciliorum a temporibus Conſtantini cœperunt*, &c. ac deſinit in verbis *ſecundum poſt Apoſtolos ſimbolum tradiderant*. Eſt initium præfationis collectionis Hiſpanicæ, quam integram dedimus cap. 4. n. 5.

Incipit epiſtola, vel præfatio Nicæni Concilii. Beatiſſimo Silveſtro in urbe Roma Apoſtolicæ Sedis Antiſtite C &c. Eſt præfatio a Pſeudoiſidoro ſumta ex collectione hoc tomo edita. Vide col. 22.

Canones Concil. ex Hiſpanica ſumti.

Poſtea deſcribuntur canones Conciliorum Græciæ, Nicæni, Ancyrani, Neocæſarienſis, Gangrenſis, Sardicenſis, Antiocheni, Laodiceni, Conſtantinopolitani, Epheſini, & Chalcedonenſis, ac forma ita Attici. Item canones [illegible] Conciliorum Africæ, ſeptem Carthaginienſium, & Milevitani. Dein canones Conciliorum in Galliæ, trium Arelatenſium, Valentini, [illegible] Regenſis, Arauſicani, Vaſenſis, Agathenſis, Aurelianenſis. Tandem canones Conciliorum Hiſpaniæ, Eliberitani, Tarraconenſis, Gerundenſis, Cæſarauguſtani, Ilerdenſis, Valentini, Toletanorum I. II. III. & IV. initium Bracarenſis I. quo interrupto D inſeruntur aliæ novem Synodi Toletanæ a V. ad XIII. quæ ultima apud Merlinum in fine mutila, in Vat. 630 aliiſque Iſidorianis integra legitur. Poſtea iterum ſubditur Synodus Bracarenſis I. ſed integra; & mox Bracarenſis II. Dein Capitula Martini Bracarenſis, & Concilium Bracarenſe anni 675. ac tandem duæ Synodi Hiſpalenſes. Hæc omnia Pſeudoiſidorus ſumſit ex auctiori collectione Hiſpanica originis Gallicanæ, qualis eſt in MS. Vat. 1341. cum eadem repetitione Bracarenſis I. & cum iiſdem lectionibus liberius emendatis, uti antea monuimus. Solum in Nicæno poſt ſymbolum omittitur Epiſcoporum catalogus, qui in eodem codice collectionis Hiſpanicæ legitur.

Epiſtolæ Pontificum a S. Silveſtro partim ſpuriæ, partim ſinceræ, aut interpolatæ.

E XX. Tertia pars ſequitur, quæ epiſtolas profert ceterorum Præſulum Romanorum a S. Silveſtro ad S. Gregorium uſque. Eadem præfatio his præmittitur, *Hactenus digeſtis Conciliis* &c. quam in Hiſpanica attulimus cap. 4. n. 6.

Primum autem documentum, quod producitur, ſuppoſititium eſt. *Incipiunt excerpta quædam ex ſynodalibus geſtis S. Silveſtri Papæ. Temporibus S. Silveſtri Papæ, & Conſtantini piiſſimi Auguſti factum eſt magnum Concilium in Nicæa* &c. uti t. 1. Concil. a col. 1575. uſque ad verba columnæ 1578. *deſignatus ſit chirographus*. Cum vero in editione Conciliorum his excerptis ſubjiciantur ipſa ſynodalia geſta S. Silveſtri cum titulo: *Canon, ſive Conſti-* F *tutum Silveſtri*, ex quibus hæc excerpta Pſeudoiſidorus decerpſit; hæc quoque geſta, quæ æque ſuppoſititia ſunt, in Iſidoriana collectione intexta ibidem traduntur. Verum licet in aliquo codice Iſidoriano legantur; abſunt tamen a noſtro codice & ceteris, quos conſuluimus. Inanem quidem laborem ille aſſumſiſſet concinnando excerpta ex iiſdem geſtis, ſi ipſamet geſta ſuæ collectioni inſerenda putaſſet. Hæc tantum excerpta in ſuo quoque codice inventa memorat Hincmarus Remenſis in ſæpe laudato opuſculo contra Hincmarum Laudunenſem c. 24. ubi etiam geſta ejuſmodi veluti apocrypha rejicit. Cum porro ea ſub Symmachi ætatem una

cum

cum aliis documentis apocryphis concinnata inſerta fuerint quibuſdam collectionibus Italicis, ac in Gallias etiam tranſierint, uti leguntur in vetuſto MS. Colbertino 784. de quo confer part. 2. c. 6. n. 4. & 5. Pſeudoiſidorus ex aliquo ejuſmodi Gallicano exemplo hæc excerpta deduxiſſe dicendus eſt. Ceterum præ oculis habuiſſe etiam Pontificale Romanum Damaſi nomine inſcriptum, cujus auctor eadem S. Silveſtri ſynodalia geſta compendio exhibet, nihil dubii eſt. Quædam enim particulæ excerptorum Pſeudoiſidori cum Pontificalis abbreviatione magis, quam cum ipſis geſtis conveniunt.

Epiſtola ſuppoſititia Athanaſii & ceterorum Ægyptiorum ad Marcum Papam, qua petunt exemplum canonum Nicænorum; & reſcriptum Marci ad eoſdem item ſuppoſititium. Vide t. 2. Conc. col. 488. & 490.

Fides in ſacro Romano tractata Concilio a beatiſſimo Julio Papa & reliquis veræ fidei Epiſcopis. *In nomine Domini Dei & Salvatoris* &c. Ibi col. 549. Hæc quoque eſt pſeudoiſidoriana impoſtura.

Ejuſdem Julii Papæ epiſtola ad Orientales pro S. Athanaſio. *Decuerat vos, fratres, alios eccleſiaſticis inſtruere diſciplinis* &c. Ibi col. 477. Eſt apocrypha.

Reſponſio Orientalium pariter apocrypha. *Licet circa omnes* &c. Ibi col. 502.

Reſcriptum Julii ad eoſdem Orientales. *Decuerat vos adverſus Sanctam Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam* &c. Ibi col. 506. Apocryphum.

Athanaſii & Ægyptiorum Synodica ad Liberium Papam apocrypha. *Veſtræ beatiſſimæ paternitatis jura* &c. Eodem tom. 2. Concil. col. 817.

Liberii reſcriptum ad eoſdem item ſuppoſititium. *Olim & ab initio* &c. Ibi col. 819.

Athanaſii & Ægyptiorum ad Felicem Papam epiſtola apocrypha. *Veſtro ſancto ſuggerimus Apoſtolatui* &c. Ibi col. 993.

Felicis reſponſio. *Sacram veſtram Synodicam* &c. Ibi col. 999. Alia ejuſdem ad eoſdem. *Gratia vobis* &c. col. 1005. Utraque ſuppoſititia.

Liberii epiſtola ad univerſos Epiſcopos. *Nihil eſt quod ſtare* &c. Ibi col. 815. Apocrypha.

Damaſus Paullino. *Per filium meum Vitalem* &c. Ibi col. 1014. Hæc ſincera Damaſi epiſtola ſumta eſt ex collectione Hiſpanica.

Poſtea Pſeudoiſidorus alteram genuinam ejuſdem Damaſi epiſtolam ad eumdem Paullinum ex Hiſpanica collectione ſumtam, quæ *Confeſſio fidei ad eumdem Paullinum* alias inſcribitur, in tres partes diſſecuit, iiſdemque tres apocryphas epiſtolas interſeruit, tabula ſex capitulorum præmiſſa, cui eæ partes tres genuinæ epiſtolæ, ac tres epiſtolæ ſuppoſititiæ poſt tabulam ſubjectæ reſpondent hoc modo.

I. Ejuſdem Damaſi ad Paullinum. *Poſt Nicænum Concilium aliud in urbe Romana poſtea congregatum eſt* &c. uti tom. 2. Concil. col. 1061. uſque ad illa, *ſi quis de Patre & Filio bene ſenſerit, de Spiritu Sancto autem non recte habuerit, hæreticus eſt*. Eſt prima pars laudatæ epiſtolæ, ſeu confeſſionis fidei ad Paullinum, niſi quod omittitur hoc loco decretum adverſus eos, qui de Eccleſiis ſuis ad alias migrant: quod infra ſubjicitur tit. 6.

II. Epiſtola Stephani ac trium Conciliorum Africæ ad Damaſum. *Notum veſtræ facimus Beatitudini* &c. Ibi col. 1018. Eſt ſuppoſititia.

III. Quod omnes hæretici de Filio Dei & Spiritu Sancto male ſentientes in perfidia Judæorum & gentilium inveniuntur. *Quod ſi quis patiatur Deum Patrem, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum Deos dici* &c. Eſt poſtrema pars laudatæ genuinæ epiſtolæ ad Paullinum. Ibi col. 1063. B. Sed poſt ultima verba *ſine dubio credamus*, in cod. Iſid. adduntur alia nonnulla, quæ in puris Hiſpanicæ collectionis exemplaribus non leguntur.

IV. Epiſtola Damaſi ad Proſperum Numidiæ & alios Arios. *Licet, fratres cariſſimi, nobis ſint nota* &c. Ibi col. 1045. Apocrypha.

V. De Sacerdotibus, qui de Eccleſiis ſuis ad alias migrant. *Eos autem Sacerdotes, qui de Eccleſiis ad Eccleſias* &c. Ibi col. 1062. C uſque ad verba *quieſcat in Domino*. Eſt decretum memoratæ genuinæ epiſtolæ Damaſi ad Paullinum, quod ante omiſſum fuerat.

Epiſtola ſynodica Damaſi ad Illyrios Epiſcopos. *Credimus ſanctam fidem veſtram* &c. Sumta eſt ex verſione Epiphanii in hiſtoria tripartita lib. 5. c. 29. cui Pſeudoiſidorus addidit chronicam notam ſpuriam, *Dat. XVII. Kal. Nov. Siricio & Ardabure VV. CC. Conſulibus*. Vide tom. 2. Concil. col. 1031.

Damaſi epiſtola apocrypha ad Epiſcopos Italiæ, *Optaveram dilectiſſimi* &c. Ibi col. 1033.

Siricii epiſtolæ tres, omnes ſinceræ ex collectione Hiſpanica, una ad Himerium, altera ad diverſos contra Jovinianum, tertia ad Orthodoxos per diverſas provincias. Ibi col. 1212. 1218. & 1223.

Anaſtaſii duæ ſuppoſititiæ, prior ad Germaniæ & Burgundiæ Epiſcopos, ſecunda ad Nerianum nobiliſſimum virum. Ibi col. 1428. & 1430.

Innocentii epiſtolæ tres & viginti, omnes ſinceræ ex Hiſpanica collectione excerptæ, quæ leguntur tom. 3. Conciliorum ab epiſt. 1. ejuſdem Pontificis uſque ad 23. col. 13. & ſeqq.

Carthaginienſis Concilii epiſtola ad Innocentium, & reſcriptum Innocentii. D. in epiſtola Concilii Milevitani ad eumdem Pontificem cum hujus reſcripto. Item epiſtola familiaris quinque Epiſcoporum Africæ ad ipſum Innocentium, & hujus reſponſio. Tandem epiſtola familiaris Innocentii ad Aurelium. Hæ ſeptem epiſtolæ leguntur in collectione Gallicana hoc tomo impreſſa, ex qua Pſeudoiſidorus illas hauſit. Vide infra a col. 128. ad 164.

Zoſimi epiſtolæ duæ ex collectione Hiſpanica decerptæ, una ad Eſychium, altera ad clerum Ravennenſem. Exſtant in epiſtolis Zoſimi t. 3. Conc. ep. 1. & 2.

Bonifacii Papæ epiſtola ad Honorium Auguſtum cum hujus reſponſione; & alia ejuſdem Pontificis ad Epiſcopos Galliæ. Sunt ſinceræ, ex Hiſpanica collectione ſumtæ. Exſtant eodem tom. 3. Concil. inter Bonifacii epiſtolas.

Cæleſtini epiſtolæ tres item ex Hiſpanica, una ad Venerium & alios Epiſcopos Gallos, altera ad Epiſcopos per Viennenſem & Narbonenſem provinciam conſtitutos, tertia ad Epiſcopos Apuliæ. In Conciliis ſunt epiſt. 1. 2. & 3. hujus Pontificis.

Xyſti III. una apocrypha ad Epiſcopos Orientales. Eſt tom. 4. Concil. epiſt. 3.

Ex collectione Hiſpanica poſtea ſubduntur eodem plane ordine epiſtolæ novem & triginta S. Leonis, & aliorum, quas in deſcriptione collectionis Hiſpanicæ recenſuimus cap. 4. n. 6.

Hilari Papæ tria documenta ex eadem collectione Hiſpanica, ideſt ſynodale decretum, & duæ epiſtolæ ad Aſcanium Tarraconenſem. Sunt in Conciliis epiſt. 1. 2. & 3.

Simplicii Papæ epiſtola ad Zenonem Spalenſem, & Acacii epiſtola ad Simplicium ex eadem collectione. Prior eſt in Conciliis epiſt. 1. ejuſdem Pontificis, altera eſt poſt epiſt. 8.

Felicis II. (apud Pſeudoiſidorum III.) epiſtolæ tres ex eadem Hiſpanica, una ad Siculos, altera ad Acacium, tertia ad Zenonem Spalenſem. In Conciliis epiſt. 6. 7. & 8.

Decretum Gelaſii Papæ de libris recipiendis vel non recipiendis, quod incipit: *Poſt propheticas & evangelicas Scripturas* &c. uti tomo 5. Concil. col. 386. Hoc decretum ſincerum exſcriptum fuit ex aliqua vetuſtiore collectione, ſeu codice Gallicano, cujuſmodi ſunt Colbertinus 784. de quo diximus part. 2. c. 6. & alius Colbert. 3368. de quo ibidem c. 8.

Aliud ejuſdem decretum generale, quod alias inſcribitur: *Epiſtola ad Epiſcopos Lucaniæ & Siciliæ*. Item alia ejuſdem epiſtola ad Sicilienſes. Hæc duo ex Hiſpanica collectione excerpta, leguntur tom. 5. Concil. epiſt. 7. & 10.

Ejuſdem Gelaſii epiſtolæ quatuor, prior Fauſto Magiſtro, ſecunda Anaſtaſio Imperatori, tertia Dardaniæ Epiſcopis, quarta ad Orientales. Hæ ſumtæ ex Gallicana collectione hoc tomo impreſſa cap. 48. 49. 50. & 51.

Anaſtaſii Papæ epiſtola ad Anaſtaſium Auguſtum ex collectione Hiſpanica. Exſtat tom. 5. Concil. ep. 1. inter illas ejuſdem Pontificis.

Symmachi Papæ epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem, item ex Hiſpanica. Ibi epiſt. 5. inter Symmachi epiſtolas.

Sub-

Subjiciuntur tria genuina Concilia ſub eodem Symmacho ex Hadriana collectione, quæ tom. 5. Concil. inſcribuntur Synodus I. III. & IV. In pleriſque codicibus Iſidorianis inſeruntur hoc loco duæ aliæ Synodi ſub eodem Pontifice, quas fictitias probavimus, nec non alia ſincera ſumta ex Ennodio. Verum hæc in MS. Vat. 630. in finem collectionis rejiciuntur, de quibus inferius redibit ſermo.

Hormiſdæ epiſtolæ octo, & duæ ad Hormiſdam eodem ordine, quo eas deſignavimus in collectione Hiſpanica, ex qua Pſeudoiſidorus eas derivavit.

Joannis I. Papæ epiſtolæ duæ, una ad Zachariam Archiepiſcopum, alia ad Epiſcopos Italos. Sunt ſuppoſititiæ.

Felicis III. (apud Pſeudoiſidorum IV.) aliæ duæ epiſtolæ item ſuppoſititiæ, prima ad omnes Epiſcopos, altera ad Sabinam.

Bonifacii II. epiſtola ad Eulalium apocrypha.

Joannis II. apocrypha epiſtola ad Valerium Epiſcopum.

Agapeti I. epiſtola ad Antemium Epiſcopum CP. item apocrypha.

Amatoris Epiſcopi epiſtola ad Silverium Papam, & hujus reſponſio: ambæ ſuppoſititiæ.

Vigilii epiſtola ſincera ad Profuturum, ſumta ex collectione Hiſpanica; ſed apud Pſeudoiſidorum inſcribitur ad Euterium ob mendoſam lectionem, de qua videſis cap. 4. n. 15. Huic porro epiſtolæ ille ex ſuo duo capita addidit ſextum & ſeptimum.

Pelagii I. epiſtola ad Vigilium Epiſcopum, in Vat. 631. ad Julium, ſuppoſititia.

Joannis III. Papæ decreta ad Germanos & Gallos, item ſuppoſititia.

Benedicti Papæ apocrypha epiſtola ad David Epiſcopum.

Pelagii II. epiſtolæ tres, una ad Epiſcopos Synodi CP. ſecunda ad Benignum Archiepiſcopum, tertia ad univerſos Epiſcopos præſertim Campaniæ & Italiæ, omnes apocryphæ.

S. Gregorii Magni epiſtolæ ſex. Tres priores genuinæ ex collectione Hiſpanica ſumtæ, prima & ſecunda ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem, tertia vero ad Recaredum Regem, quæ leguntur lib. 1. Regiſtri epiſt. 43. editionis Maurinæ, & lib. 9. epiſt. 121. & 122. Poſtea ſubjiciuntur tres aliæ ejuſdem Gregorii epiſtolæ, quæ vel ex Regiſtro ipſius, vel ex aliis collectionibus Gallicanis ſumi potuerunt: una ad Secundinum, quæ extat lib. 9. epiſt. 52. ſed apud Pſeudoiſidorum longo additamento interpolata eſt, quod tamen ab alio antiquiori impoſtore confictum videbimus part. 4. c. 8. altera ad Teoctiſtam Patriciam, quæ habetur lib. 11. ep. 45. tertia ad Auguſtinum, quæ exhibet hujus interrogationes & Gregorii reſponſa, uti leguntur eodem lib. 11. epiſt. 64.

Synodus ſub eodem Gregorio Magno cum ſex canonibus uſque ad verba *ſubire appetit ſervitutem*, uti habetur tom. 6. Concil. col. 1310.

Primæva collectio Iſid. quæ.

Decreta Papæ Gregorii junioris. Eſt Synodus Romana impreſſa tom. 8. Concil. col. 585. In hac Synodo primæva Pſeudoiſidori collectio deſinit. Porro in MS. Vat. 630. ex quo hujus collectionis deſcriptionem expreſſimus, folium album ſequitur, quod confirmat eamdem collectionem in laudata Synodo deſiiſſe, adeo ut quæ poſt idem folium in eodem codice ſubjiciuntur, poſteriori additamento accenſenda ſint.

Additamenta ejuſdem ſecundis Iſidori curis.

Subduntur autem eodem caractere totius codicis ſequentia documenta, quæ ad Symmachi Papæ cauſſam pertinent.

Libellus apologeticus Ennodii pro Synodo Palmari Romana, & pro Symmacho. Vide tom. 5. Concil. col. 479.

Synodus V. & VI. ſub eodem Symmacho, quas n. 7. ſuppoſititias probavimus. Extant ibidem col. 501. & 509.

Ennodii epiſtolæ duæ Symmacho attributæ, una ad Laurentium Mediolanenſem, quæ incipit: *Prodit religioſa motum conſcientia*. In Ennodii operibus legitur, ſed cum titulo: *Dictio tertia Ennodii data Stephano V. S. Vicario dicenda Maximo Epiſcopo*: altera ad Liberium Patricium, quæ apud eumdem Ennodium eſt epiſt. 1. libri 5.

Cum porro hæc documenta, præſertim Synodi duæ ſuppoſititiæ, Pſeudoiſidoro tribuantur, & in aliis collectionis Iſidorianæ exemplaribus poſt tres ſinceras Symmachi Synodos inveniantur inſerta; hæc poſterioribus Pſeudoiſidori curis acceſſiſſe videntur: & idcirco deſcripta in fine laudati codicis Vat. 630. qui in antecedentibus foliis primigenium collectionem his documentis expertem continet.

Poſt hujuſmodi additamenta in eodem codice iterum pagina alba & vacua relinquitur; ac dein ſequentia eodem caractere adjiciuntur.

Capitula Hadriano Papæ adſcripta, & Angilramno Epiſcopo Mediomatriciæ tradita. Sunt capita 52. quorum ultimo alia capita 19. immediate adnectuntur. Hæc, quæ edita ſunt tom. 8. Concil. col. 599. ſuppoſititia, & ab impoſtore poſt primum fetum digeſta demonſtravimus n. 8.

Diſputatio Conſtantii Imperatoris & Liberii Romani Pontificis. *Conſtantius Imperator dixit* &c. ut in Hiſt. Tripartita lib. 5. c. 17.

Nonnullæ ſanctiones ſparſim collectæ ex actionibus Concilii Chalcedonenſis, quas in aliis quoque collectionibus invenimus.

De mutatione Epiſcoporum ex lib. 12. Hiſt. Tripartitæ c. 8. & 11.

Item ex epiſtola Pelagii Papæ. *Quod non debeat Epiſcopus de civitate ad civitatem tranſire*.

Hic eſt codicis finis. Capitula Hadriano I. affixa, in aliis Iſidorianis codicibus, qui pſeudoſynodos Symmachi ſuo loco inſerunt, ſubduntur poſt Gregorii junioris decreta, & ad Iſidori collectionem (in qua tantum inventa ſunt, nec non in iis, quæ ex Iſidoriana proveniunt) pertinere creduntur. Certe ipſorum Capitulorum ſuppoſitio Pſeudoiſidori indolem refert, & ex ſuppoſititiis quidem epiſtolis ab eo conditis eadem fuiſſe excerpta obſervavimus, adeo ut idem omnium artifex perſpiciatur. Cum vero Pſeudoiſidorus in præfatione ſcripſerit, *ſe ſubjecturum decreta Præſulum Romanorum*, non ad Hadrianum uſque, ſed uſque *ad S. Gregorium*; ea Capitula ad primigenium ejus fetum non pertinuiſſe dicenda ſunt, ſed poſtea ab eodem fuiſſe conficta; ac propterea jure in noſtro codice ſeparatim inter additamenta referuntur.

De MS. Vat. 631.

XXI. Codex Vat. 631. qui quondam fuit Cardinalis Petri Epiſcopi Rothomagenſis, ſæculo XII. ſcriptus, omnia continet quæ ſunt in Vat. 630. exceptis duabus poſtremis additionibus *de mutatione Epiſcoporum*, & *ex epiſtola Pelagii Papæ*. Solum ordo alicubi mutatur: & cum ea, quæ ad Symmachum pertinent additamenta, ſuo loco deſcripta ſunt poſt tres ſinceras ejuſdem Pontificis Synodos; tum vero Hadriani Capitula cum reliquis poſt Gregorii junioris decreta ſine ullo additamenti indicio ſubjiciuntur. Illud vero hujus codicis peculiare eſt, quod poſt Iſidorianam collectionem addit totam collectionem Hadrianam, & verſionem Concilii VI. ſub Agathone Pontifice.

§. VI.

De quibuſdam MSS. codicibus, qui Iſidorianam collectionem non omnino puram, aut integram continent. Quædam epiſtolæ apocryphæ Pſeudoiſidoro perperam attributæ.

De MS. Vat. Ottob. 93.

XXII. Quænam ſit pura & integra Iſidoriana collectio, hactenus explicavimus. Nunc de quibuſdam codicibus agendum, qui eam cum additamentis ab ipſa alienis, vel etiam non omnino integram præferunt. Primo occurrit codex Vat. Ottobonianus 93. membranaceus in folio, qui antiquiſſimo caractere minutiori ſcriptus, & in duas columnas diſtinctus, noni vel decimi ſæculi ætatem exhibet. Gallicanum olim fuiſſe manifeſtat pergamena ad muniendum codicem in fine adnexa, quæ actum continet Gallicani Epiſcopi Pariſienſis, & Thomæ de Corcellis ſacræ paginæ profeſſoris, & Eccleſiæ Pariſienſis Decani ſub Pio II. Pontifice. Idem codex initio epiſtolas priſcorum Pontificum, dein canones Conciliorum, poſtea ſubſequentium Sedis Apoſtolicæ Antiſtitum decreta, ideſt ipſam Iſidorianam collectionem repræſentat. Sed cum ini-

Duo alii codd.

tio, & fine careat, eamdem collectionem non omnino integram præſtat. Hunc vero defectum ſupplent duo alii codices, Caſanatenſis PP. Prædicatorum Minervæ ſignatus A. 11. 14. & Vat. 3791. ille enim omnino integer priſcorum Pontificum epiſtolas, & canones Conciliorum complectitur, iſte vero ſubſequentium decreta Pontificum ad finem uſque; & ita hi codices cum laudato MS. Vat. Ottoboniano in ſua cujuſque parte conveniunt, ut is in duas veluti partes diſſectus, duobus illis codicibus comprehendatur, ac quid in ipſo ſive initio, ſive in fine deſit, ex iiſdem ſuppleri tute poſſit.

Præfat. ad Epiſt. Rom. Pont. n. 155.

XXIII. P. Couſtantius ſimiles Iſidorianos codices vidit, qui ſolum canonibus Conciliorum carebant. Monet enim duplicem indicem capitulorum in iiſdem fuiſſe præmiſſum, unum initio ante epiſtolas priſcorum Pontificum, qui & Conciliorum canones quantumvis in iis codicibus omiſſos deſignat, alium ante epiſtolas poſteriorum Pontificum. Hos autem indices in memoratis tantummodo exemplis nacti ſumus: primum quidem in Caſanatenſi (nam Vat. Ottob. initio mutilus eſt) ſecundum vero in Vat. Ottob. & in alio Vat. 3791. Præterea ille in ſuis codicibus quaſdam pſeudoepiſtolas reperit Damaſo, Hieronymo, & Leoni affictas, quas ſolum laudatis noſtris codicibus ſimul inſertas reperire licuit: ac proinde illos P. Couſtantii noſtris plane ſimiles multo certius agnovimus. Is porro eaſdem pſeudoepiſtolas æque ac ceteras ſuppoſititias Pſeudoiſidoro attribuit, eo quod eos ſolos Iſidorianos codices nactus, puram Iſidorianam collectionem in ipſis contineri credidit. Nos vero, quibus contigit manuſcriptum Vat. 630. omnium antiquiſſimum & integrum, aliosque ſimiles puram Iſidorianam collectionem præſeferentes inſpicere; horum comparatione memorata exemplaria eamdem collectionem non omnino puram continere perſpeximus.

In prima parte ſunt puri Iſid.

XXIV. Quantum ad primam partem, quæ priſcorum Pontificum epiſtolas, & canones Conciliorum comprehendit, illi quidem codices cum eadem ejuſdem partis documenta eodem ordine præferant, quem in Vat. 630. notavimus, puri Iſidoriani dici queunt. Solum hæc pars, ut ex Caſanatenſi intelligimus, incipit a præfatione Iſidori omiſſis admonitionibus atque Notitiis, quæ in Vat. 630. præfationi præeunt, in codicibus autem, de quibus agimus, poſt finem ſecundæ partis rejiciuntur, uti deteximus ex MS. Vat. 3791. Poſtea ſequitur index capitum LXXVII. qui etſi deeſt in puris Iſidori exemplis, documentis tamen Iſidorianis plane reſpondet. Priores numeri XXX. aſſignantur totidem Pontificibus a S. Clemente uſque ad Melchiadem, quorum epiſtolæ in eadem parte deſcribuntur: ceteri numeri XLVII. ſunt illi, qui ad Concilia pertinent in totidem numeros diſtributa, ut alibi vidimus.

Diſcrimen in parte altera.

XXV. In altera vero parte, quæ poſteriorum Pontificum epiſtolas reſpicit, non leve eſt iſtorum codicum a puris Iſidorianis diſcrimen. Indicem capitulorum huic parti præmiſſum, qui in iiſdem tantum MSS. inventus eſt, Iſidoro quidem adſcribi non poſſe duo ſuadent. I. quia pauciores epiſtolas recenſet, quam in Iſidoriana collectione contineantur. E ſeptem ex. gr. Gelaſii epiſtolis duas tantum, & e quatuor documentis Symmachi unum ſolummodo indicat. Præterea tabula manuſcripti Caſanatenſis deſinit in Anaſtaſio, illa vero codicis Vat. Ottoboniani concluditur in Hormiſda; cum Iſidoriana collectio ipſo auctore teſtante ad Gregorium uſque perveniat. II. quia idem epiſtolarum ordo, qui in eo indice viſitur, nec cum ordine aliorum codicum Iſidori concordat, nec cum illo ipſius codicis Vat. Ottoboniani, aut alterius Vat. 3791. In ipſo autem corpore horum codicum epiſtolæ non ſolum non reſpondent præmiſſo indici, verum etiam a collectione Iſidoriana diſſentium, & ex hoc præſertim diſcrimine hanc eſſe veram Iſidori collectionem opinari non poſſumus. In printis ordo epiſtolarum ex. gr. S. Leonis Iſidorianus non eſt. Pſeudoiſidorus enim Leonis epiſtolas XXXIX. ex Hiſpanica collectione in ſuam tranſtulit eo plane ordine, quo in Hiſpanica deſcribuntur, uti probant codices Vat. 630. 631. & alii. Hunc eumdem pariter ordinem retinuit auctor ejus auctioris collectionis Iſidorianæ, quam deſcribemus capite ſequenti. Licet enim is plura additamenta inſeruerit, epiſtolas tamen ex Iſidoro exſcriptas eodem ordine retulit, quem in Iſidorianis codicibus nactus eſt. At in MSS. de quibus in præſentiarum eſt ſermo, alius omnino Leonis epiſtolarum ordo inducitur, eademque ordinis perturbatio eſt etiam in litteris Innocentii & aliorum. Deinde in Damaſo num. 15. & 22. bis affertur confeſſio fidei, quam ille ad Paullinum miſit, cujus initium eſt: *Poſt Nicænum Concilium*. Semel tantum in puris Iſidorianis exemplis legitur. Præterea in Leone epiſtola ad Africanos ea forma auctiori exhibetur, qua editioni Hadrianæ quædam capitula ſubnectuntur in ea editione omiſſa, cum Iſidorus ex Hiſpanica aliam formam decurtatam dederit. Vide noſtram admonitionem in ipſam epiſt. 12. Adde tandem quod adjiciuntur aliquot epiſtolæ partim ſinceræ, partim ſpuriæ, quæ in puris Iſidorianis MSS. deſunt. Ita in epiſtolis Damaſi interſeruntur tres, quarum duæ ſunt apocryphæ, una ejuſdem ad Hieronymum, quæ incipit: *Cum multa corpora librorum*; altera reſcriptum Hieronymi incipiens: *Supplex legi epiſtolas Apoſtolatus veſtri*; tertia autem Damaſi ſine titulo, cujus initium: *Cum Apoſtolicæ Sedi reverentiam debitam*: quæ eſt genuina ex Græco latine reddita ab Epiphanio Scholaſtico Hiſtoriæ Tripartitæ inſerta lib. 9. c. 15. ubi ad Orientales miſſa traditur. In Leonis epiſtolis additititiæ ſunt decem & octo; & in his epiſtola 28. ad Flavianum ex diverſis fontibus bis deſcribitur, nec deeſt epiſtola apocrypha a nobis in Appendicem tomi primi rejecta *de privilegio Chorepiſcoporum ſeu Presbyterorum ad univerſos Germaniæ & Galliæ Eccleſiarum Epiſcopos*, quam tamen anterius confictam didicimus ex litteris Joannis III. ab ipſo Pſeudoiſidoro ſuppoſitis, in quibus eadem Leonis epiſtola allegatur. Præterea poſt S. Gregorii litteras adduntur *Apoſtolarum verba de diverſis locis excerpta*, nimirum ex variis S. Gregorii Magni epiſtolis: & poſt Capitula Hadriani tria apponuntur: I. *Epiſtola Papæ Spalenſis Eccleſiæ* (ideſt S. Iſidori Hiſpalenſis) *ad Laudefridum Cordubenſem*, quam ex MS. Hiſpanico edidit Loaiſa, ac ex Loaiſa refertur tom. 7. Concil. col. 434. II. *Acta Iſidori ad Maſſanum Epiſcopum de reſtauratione Sacerdotum*, quæ ſuppoſititia creditur a Joanne Morino lib. 4. de pœnitentia c. 15. n. 6. III. *Catalogus de nominibus hæreticorum, qui unitatem Eccleſiæ turbaverunt*. Incipit: *Quidam etiam hæretici* &c. uti apud Gratianum cauſ. XXIV. q. 3. c. 39. Sumtus eſt ex lib. 8. Etymologiarum S. Iſidori Hiſpalenſis c. 5. Hæc poſtrema additamenta, quæ ob codicem in fine mutilum abſunt a Vat. Ottob. 93. nobis innotuerunt ex MS. Vat. 3791. in quo hæc ſecunda pars integra conſervatur. Hoc tam multiplex ejuſmodi codicum diſcrimen a ceteris antiquioribus & purioribus Iſidorianis exemplis nonne puram Iſidori collectionem in illis non reperiri demonſtrat? Neque vero quiſpiam ſuſpicetur, documenta additititia, præſertim illa tria apocrypha quæ memoravimus, poſterioribus Pſeudoiſidori curis acceſſiſſe. Id enim ſatis revincit præcipue codex Vat. 630. in quo cum poſteriora ejuſdem Pſeudoiſidori additamenta duplici appendice in fine deſcripta inveniantur, dubitare non licet, quin ea quoque additititia laudatorum codicum documenta ibidem cum ceteris ſubnexa fuiſſent, ſi eodem Pſeudoiſidoro auctore acceſſiſſent. Hinc ergo Pſeudoiſidoro minus recte adſcribuntur ſuppoſititiæ epiſtolæ tres, una Damaſi ad Hieronymum, alia Hieronymi ad Damaſum, & alia Leonis ad Epiſcopos Germaniarum, atque Galliarum, quæ a puris Iſidorianis codicibus abſunt, & ſolum in iis inveniuntur, qui pluribus nominibus a pura Iſidoriana collectione diſtant, & aliquot additamenta aliunde recepere. Non ſolus Pſeudoiſidorus fuit apocryphorum fabricator, ſed alii plures ejuſdem indolis inventi ſunt. Ut autem omittamus quaſdam vetuſtiores impoſturas, epiſtola Deuſdedit Papæ ad Gordianum Hiſpalenſem Epiſcopum cum aliis tribus, quæ in ea allegantur, Julii, Innocentii, & Cæleſtini ad Epiſcopos Iſauriæ, Epheſiorum, & Hieroſolymæ, ſuppoſitionem manifeſtam prodit; nec tamen in ullo Iſidori codice inventa, huic artifici tribui poteſt. Idem eſt de qui-

t. 2. Conc. col. 1017.

Ibidem.

Quædam apocrypha non ſunt Iſidori Mercatoris.

buſ-

huſdam aliis commentitiis ſcripris, de quibus in Additionibus Iſidorianis dicetur capite ſequenti.

De MS. Florentino Iſid.

XXVI. Codex Flurenrinus S. Marci ſignatus n. 182. qui ſæculo circiter XII. ſcriprus, & epiſtolas, & canones continet, in poſtrema parte a pura Iſidoriana collectione aliquantulum diſcrepat. Nam poſt Innocentii epiſtolas addit legem Imperaroris Conſtsntii ad Voluſianum, & ipſius Voluſiani edictum in cauſſa Pelagianorum, quæ in collectione canonum hoc tomo edenda leguntur cap. 19. & 20. Dein in Leone præter ordinem ab Iſidorianis codicibus diverſum nonnullas epiſtolas præfert, quæ in iiſdem codicibus deſunt; & epiſtolam 12. ad Africanos Mauros non decurtatam, ut illi, ſed integram & exacte deſcriptam exhibet, qualem in nulla alia collectione invenire licuit. Vide præfationem in Leonis epiſtolas §. XIV. ubi quatuor & viginti epiſtolas, quæ in eo codice deſcribuntur, recenſuimus. Cum autem epiſtola XXIV. ob codicem mutilum fine careat, num aliæ Leonis epiſtolæ ſequerentur, & num in ceteris Pontificibus aliquid aliud ab Iſidori collectiona diverſum inſereretur, ignoramus.

XXVII. Plura dicenda eſſent de MS. cod. Vat. 1340. & de duobus ſimilibus Venetis S. Marci 168. & 169. qui in poſtrema item parte Iſidorianæ collectionis plurima documenta partim inſerta, partim in fine addita continent. Sed cum hæc latius pateant, de his ſeparatim agendum erit capite ſequenti.

De MS. Vat. 629.

XXVIII. Codex Vat. 629. ſæculi XII. in folio ante Iſidorianam collectionem quædam præmittit S. Iſidori Hiſpalenſis opuſcula, & Eccleſiaſticam Rufini Hiſtoriam. Sequitur Pſeudoiſidori præfatio. Dein index capitulorum cum hoc titulo: *Incipit breviarium canonum Apoſtolorum & primorum a S. Clemente uſque ad S. Damaſum Apoſtolicorum ſequens ordinem ſuum, quorum etiam geſta in hoc opere condita continentur ſubjecta capitulis ſuis*. Inquit autem *uſque ad Damaſum*, quia poſt canones Apoſtolorum epiſtolæ omnes Iſidorianæ collectionis a S. Clemente ad Damaſum uſque continua ſerie deſcribuntur, omiſſis intermediis canonibus Conciliorum, nec non tractatu de primitiva Eccleſia, & Synodo Nicæna. In reliquis autem Pontificibus librarius deſatigatus multa omiſit, pauca vero adjecit. Nam unam tantum Siricii epiſtolam dedit ad Himerium, unam ſpuriam Anaſtaſii ad Germaniæ & Burgundiæ Epiſcopos, unam Innocentii ad Decentium, unam Zoſimi ad Heſychium, Bonifacii epiſtolam ad Honorium Auguſtum & hujus reſcriptum, unam Cæleſtini ad Epiſcopos Galliæ, quæ incipit *Apoſtolici verba præcepti*, unam apocrypham Xyſti III. ad Orientales, Leonis tres tantum ad Ruſticum, ad Anaſtaſium, & ad Nicetam, unam Hilari ad Aſcanium Tarraconenſem, quæ in Conciliis eſt ipſius Pontificis epiſt. 2. omnes ex Iſidoro excerptas. Duas addidit Simplicii, quæ in Iſidoro deſunt, unam ad Joannem Epiſcopum Ravennatem, alteram ad Florentium, Equitium, & Severum Epiſcopos, quæ in Conciliis ſunt ejuſdem Pontificis epiſt. 2. & 3. ac ex Hadriana collectione excerptæ videntur. Mox ex eadem collectione ſubduntur *Felicis decreta in Synodo, Flavio Boetio V. C. Conſule* &c. uti tom. 5. Concil. col. 275. Apud Iſidorum ſola epiſtola eidem Synodo inſerta & Siculis inſcripta legitur. Poſtea vero ex Iſidoro profertur alia tantum ejuſdem Felicis epiſtola ſexta ad Acacium, una Gelaſii ad Epiſcopos Lucaniæ, primum Symmachi Concilium, una tantum Hormiſdæ epiſt. 25. ad Epiſcopos Hiſpanos, una ſuppoſititia Joannis I. ad Zachariam Archiepiſcopum, ac tandem una Felicis III. al. IV. ad Epiſcopos diverſarum provinciarum, quæ apud Iſidorum integra, heic procemio diminuta legitur: incipit enim ab ultima ejuſdem procemii periodo: *Scripta ſanctitatis veſtræ, quæ ad Sedem Apoſtolicam* &c. Præterea ſingulis Pontificibus ante cujuſque epiſtolas ſuum elogium præmittitur ex Pontificali Romano, quod Anaſtaſio Bibliothecario tribuitur: & licet poſt laudatum Felicem nullæ ſubſequentium Pontificum conſtitutiones in eodem codice deſcribantur; elogia tamen omnium afferuntur ad Hadrianum uſque. Succedunt Capitula decem Gregorii VII. quorum initium: *Quicumque militum vel cujuſcumque ordinis, vel profeſſionis perſona prædia eccleſiaſtica* &c. ut in Concilio Romano celebrato ann. 1078. Dein ordo de diſcretione pœnitentium, quem Gregorius Papa conſtituit. *Ponunt canones peccantibus de quibuſdam peccatis tres annos in pœnitentia, unum ex his in pane & aqua, de quibuſdam quinque annos* &c. Finis eſt, *vitam conſequi poſſimus ſempiternam*. Hunc ordinem hactenus nullibi invenimus. Ultimum documentum eſt Synodus Urbani II. Papæ Placentiæ habita an. 1095. quæ exſtat tom. 10. Concil. col. 824.

De MS. Vallicellano Iſid.

XXIX. Codex Vallicellanus D. 38. ſæculi circiter decimi, canonibus Conciliorum omiſſis, Iſidorianæ collectionis epiſtolas continet a S. Clemente ad Damaſum uſque, ut in præcedenti codice. Præter Pſeudoiſidori præfationem habet etiam opuſculum de primitiva Eccleſia. Subjicit Nicolai I. epiſtolas in cauſſa Rothadi Epiſcopi Sveſſionenſis, quæ in editione Conciliorum leguntur. Codicem claudit epiſtola Vitaliani Papæ ad Paulluin Archiepiſcopum Cretenſem, quæ in Conciliis eſt ejuſdem Pontificis epiſt. 1.

Duo alii MSS. Vatt.

XXX. Duo codices Vatt. 3788. ſæculi XI. & 4873. ævi recentioris, eaſdem epiſtolas Iſidorianas prætulerunt a S. Clemente uſque ad Damaſum. Poſtea quædam ſubnectunt ex S. Gregorio Magno, quæ in Iſidoro non inveniuntur. Duo codices Iſidoriani, qui Patavii in bibliotheca S. Joannis in Viridario continentur notati numeris 100. & 159., alia atque alia ab Iſidoro aliena receperunt, quæ non vacavit in adverſaria referre: nec dubitamus, quin alii codices alibi ſint, aliquot omiſſionibus, vel additamentis diverſi. Ex diligenti autem, quam §. 5. dedimus puræ Iſidorianæ collectionis, deſcriptione, quid Iſidorianum, quid adtititium, val omiſſum ſit, quiſque facile intelliget.

CAPUT VII.

De Additionibus Iſidorianæ collectionis a Merlino editæ, quæ continentur in MS. Vat. 1340. ac aliis duobus bibliothecæ Venetæ S. Marci.

De edit. Merlini.

I. PRima Iſidorianæ collectionis editio a ſubſequentibus Conciliorum editoribus recepta, Jacobi Merlini opera Pariſiis prodiit an. 1523. quæ iterum repetita fuit Coloniæ an. 1530. & iterum Pariſiis an. 1535. Verum hæc in poſtrema parte, quæ canones Conciliorum ſubſequitur, pluribus additamentis plerumque genuinis aucta eſt, quibus pura Iſidoriana collectio caret. Hæc autem additittia documenta non a Merlino inſerta fuerunt, ſed ante ipſum a ſtudioſo aliquo hinc inde diligenter collecta, atqua deſcripta invenimus in MS. Vat. 1340. cujus ſimile exemplum eum in editione præ oculis habuiſſe deprehendimus. Cum vero idem Merlinus aliquot documenta prætermiſerit, & ob defectum, uti credimus, ſui exempli ipſam collectionem perduxerit uſque ad Zachariam; plura vero laudatus codex contineat, quæ ad Remenſe uſque Concilium anni 1148. ſub Eugenio III. perveniunt; hinc ejuſmodi Additionum notitiam ex eodem codice heic diſtincte proferre neceſſarium ducimus. Aliquot exemplaria MSS. plane ſimilia reperiri in Galliis, quorum unum Herovallianum Queſnellus laudat, alterum Remenſe S. Remigii tum idem Queſnellus, tum P. Couſtantius commemorant, ex aliquot certis indiciis agnovimus. Aliud in duas partes diſtinctum nacti ſumus in bibliotheca Ducali Veneta S. Marci, quarum prima pars in Cæleſtini litteris deſinens, exſtat in MS. ſignato num. 168. altera vero, quæ a Xyſti III. epiſtolis incipiens, & progrediens uſque ad laudatam Synodum Remenſem, plura & potiora additamenta complectitur, deſcribitur in MS. 169. Hæ porro additiones diſcerni non poſſent, niſi accurata præceſſiſſet integræ & puræ Iſidorianæ collectionis deſcriptio, quam ex puris Pſeudoiſidori codicibus præcedenti capite §. 5. exhibuimus. Hinc enim perſpectis quæ Pſeudoiſidorus in ſua collectione vel prioribus curis poſuit, vel poſterioribus addidit, cetera quæ præterea in hoc vel illo codice inveniuntur deſcripta, alienis additamentis jure ſunt deputanda. Ex qua diſtinctione Addi-

Digitized by Google

tionum a puris Iſidorianæ collectionis documentis id utilitatis ſequetur, quod quiſque perſpiciet, quam perperam nonnulli Pſeudoiſidoro tribuerint nonnulla, quæ non ad ipſum, ſed ad memoratas aliorum Additiones pertinent.

De MS. Vat. 1340.

II. Codex itaque Vat. 1340. ex quo præſertim ejuſmodi Additionum deſcriptionem eruemus, eſt pergamenus in ſolio ſæculi XII. nam in fine legitur catalogus duplex Romanorum Pontificum, quorum alter brevem ipſorum notitiam præferens deſiuit in Eugenio III. & Hadriano IV. alter vero in Clemente III. qui obiit an. 1191. Initio ante Pſeudoiſidori præfationem ea omnia præmittuntur, quæ adnotavimus in deſcribendo codice Vat. 630. exceptis catalogo Romanorum Præſulum, & Notitia provinciarum, quæ in finem codicis rejiciuntur. Poſt præfationem eadem omnino ſequuntur uſque ad Siricium, quæ in eodem MS. Vaticano 630. recenſuimus. Poſt Siricii autem epiſtolas tres duo inſeruntur; I. Concilium Telenſe cum ejuſdem Pontificis epiſtola ad Africanos: II. epiſtola Ambroſii, Sabini, Baſſiani &c. ad Siricium, quæ in collectione hoc tomo impreſſa invenientur cap. 31. & 62. Cetera uſque ad Leonem ut in eodem codice Vat. Solum poſt epiſtolas Cæleſtini I. hæc clauſula notatur: *Explicit prima pars canonum:* quæ quidem tota exhibetur in MS. Veneto S. Marci 168. Dein ſecunda pars, quæ in codice Vat. 1340. poſtea ſequitur, & continetur in alio codice Veneto 169. præmittit tabulam capitulorum cum titulo: *Incipiunt capitula ſequentis operis*. Inchoat vero a litteris Xyſti III.

Duo codd. Veneti, & partes duæ diſtinctæ.

III. In Leonis autem epiſtolis, quæ Xyſtu III. ſubnectuntur, Additionum auctor peculiari diligentia uſus eſt. Cum enim apud Iſidorum ſint tantum epiſtolæ XXXIX. ille alias ſexaginta adjecit, quas indicavimus in præfatione ad epiſtolas S. Leonis §. 13. tom. 1. pag. 350. In his eſt Leonis pſeudoepiſtola de Chorepiſcopis. Cum vero Additionum collector dediſſet Leonis epiſtolam 12. ad Africanos ex editione decurtata, quam apud Iſidorum reperit; memoratæ pſeudoepiſtolæ de Chorepiſcopis ſine ullo titulo ex collectione Hadriana ſubjecit ea capitula earumdem litterarum ad Africanos, quæ in decurtata editione deſiderantur. Inter Leoninas epiſtolas inſeruit alienas epiſtolas duas. Una eſt epiſtola Leonis, Victorii, & Euſtochii ad Epiſcopos inter tertiam provinciam conſtitutos, quam Leoni Bituricenſi, aliiſque Gallicanis Epiſcopis reſtitutam in Appendice epiſtolarum S. Leonis dedimus tom. 1. pag. 1471. Hanc quidem, perinde ac ſi eſſet S. Leonis Papæ *cum Synodo Romæ* ſcripta, bis laudavit Hincmarus Remenſis, primo in quaternione ad Carolum Regem Opuſc. I. tom. 10. Concil. edit. Venetæ col. 1253. ac iterum initio Opuſculi II. ibidem col. 1268. Nihil ergo mirum, ſi noſter collector pari hallucinatione eam ejuſdem Pontificis litteris accenſuit. Altera eſt epiſtola S. Cyrilli ad Neſtorium eu ea antiqua verſione, quæ profertur in collectione hoc tomo edita cap. 66. Merlinus in his epiſtolis non ſolum ordinem noſtrorum codicum alicubi mutavit; verum etiam tres epiſtolas omiſit, unam Petri Ravennatis ad Eutychen, quæ in ipſo Iſidoro legitur, alteram Ceretii, Salonii, & Verani ad S. Leonem, tertiam S. Cyrilli ad Neſtorium.

IV. Poſt Leonis epiſtolas in utroque noſtro codice Vaticano & Veneto afferuntur ſequentia a Merlino pariter omiſſa.

I. Breviarium cauſſæ Neſtorianorum in capita 24. diſtinctum, quod Liberatus digeſſit.

II. Joannis CP. epiſtola ad Theodorum Mopſueſtenum, quæ incipit: *Si eſſet quidem vraire poſſibile* &c.

III. Gregorii Nazianzeni ad eumdem. *Tempus mihi eſt illud Scripturæ dicere* &c.

IV. Alia ad Theodorum. *Dilectionis indiciis delectamur* &c.

V. Pars epiſtolæ ejuſdem Gregorii ad eumdem. *Qui aſſumpſit David* &c.

VI. Alia ejuſdem ad eumdem. *Habuit quidem & apud nos livor* &c.

VII. Iſidori Peluſiotæ ad Cyrillum. *Terrent me divinarum Scripturarum exempla* &c.

VIII. Alia ad eumdem. *Compaſſio quidem non acute videt* &c.

IX. Alia. *Multa quidem teſtimonia* &c.

X. Alia. *Oportet admirabilis inconvertibilem ſemper eſſe* &c. Hæ quatuor epiſtolæ S. Iſidori Peluſiotæ ſunt epiſt. 370. 310. 323. & 324. Hæc autem novem documenta indicata a n. II. ad X. ſumta fuerunt ex antiqua verſione lucubrata tempore celebris controverſiæ de tribus Capitulis; iiſdemque ipſorum Capitulorum defenſores uſi ſunt, ut colligere licet præſertim ex libris Facundi Hermianenſis.

XI. Defenſio fidei facta a Cyrillo. *Invicta pariter veritate defendimus omouſion* &c.

XII. B. Cyrilli & teſtimonia SS. Patrum. *Certum eſt tamquam aliud in alio habitam divinam naturam in humanitate* &c. Incipiunt teſtimonia diverſorum. S. Cyrilli ex libro 22. Theſauri. *Non enim unam eſſe naturalem operationem* &c. aliaque adduntur ex SS. Athanaſio, & Gregorio Nyſſeno, eu Gelaſii epiſtola ad Dardanos, & eu Theodoreto.

XIII. S. Quintiani Epiſcopi Aſculani ad Petrum Antiochenum. *Omnis itaque qui dicit naturam Dei* &c. Sunt anathematiſmi 21. ejus ſuppoſititiæ epiſtolæ ſubjecti. Vide tom. 5. Concil. col. 223. & notam Severini Binii. Conferſ etiam quæ de hoc aliiſque quinque ejuſdem generis documentis apocryphis diximus part. 2. c. 11. §. 3. Hanc pſeudoepiſtolam in Gallicanis MSS. Bellovacenſi & Victorino Harduinus invenit.

XIV. Athanaſii epiſtola ad Epictitium (lege Epictetum) & alia Cyrilli ad Joannem Antiochenum eu verſione, quam in collectione hoc tomo edenda reperies cap. 52. & 53.

XV. Libellus Auguſtini contra omnes hæreſes. *Credimus in unum verum Deum* &c. Editus eſt in Appendice tomi 8. Operum S. Auguſtini col. 73.

V. Redit collectio ad Iſidorianam, & poſt tria documenta Hilari Papæ eu Iſidoro deſcripta, quæ Merlinus etiam dedit, cum eodem Merlino addit epiſtolam ejuſdem Pontificis ad Leontium, Veranum, & Victurium, ac duas Aſcanii & aliorum Epiſcoporum provinciæ Tarraconenſis ad ipſum Pontificem, quas videſis tom. 5. Concil. in Hilaro epiſt. 4. 5. & 2. Dein inter epiſtolas Simplicis ex Iſidoro exſcriptas in noſtris codicibus, & apud Merlinum tres aliæ ejuſdem Pontificis inſeruntur, una ad Joannem Ravennatem, altera ad Florentium, Equitium, & Severum, quæ eu collectione Hadriana excerptæ fuerunt, ac tertia ad Acacium, quam codex canonum hoc tomo edendus profert cap. 44. Porro in Iſidoro, ſicut & in collectione Hiſpanica unica producitur epiſtola Felicis III. ad Siculos. In noſtris autem MSS. & apud Merlinum ex Hadriana collectione deſcribitur integra Synodus Romana ejuſdem Pontificis, in qua recitata fuit eadem epiſtola inſcripta non *Siculis*, ſed *Epiſcopis per diverſas provincias conſtitutis*. Porro præter Gelaſii epiſtolas in Iſidoro inventas additur *tomus de anathematis vinculo* eu laudato Codice canonum ſumtus c. 47. Subjicitur quoque ipſius epiſt. 1. ad Euphemium CP. Decretum Gelaſii de libris, quod apud Iſidorum ante ipſius epiſtolas profertur, non ſolum rejicitur in finem, verum etiam eidem præmittitur Ordo veteris & novi Teſtamenti, ejuſdem Pontificis nomine inſcriptus, qui apud Iſidorum non legitur: & in ipſo decreto poſt mentionem Synodi Chalcedonenſis additur periodus: *Et ſi qua ſunt Concilia* &c. quæ in Iſidoro deeſt.

VI. Sequuntur, ut apud Iſidorum, omnia documenta Anaſtaſii & Symmachi cum hujus quoque Synodis apocryphis, & cum ceteris documentis ex Ennodio tranſcriptis, nec non epiſtolæ Hormiſdæ. His autem ſubnectuntur alia duo documenta ſumta eu collectione Hadriana. I. Juſtini Auguſti epiſtola ad eumdem Hormiſdam, cujus initium eſt: *Quo fuimus ſemper*. II. Exemplar precum ad Juſtinum a Hieroſolymitanis & Antiochenis, & ſecundæ Syriæ Clericis miſſum, quod incipit: *Haurite aquam cum lætitia*. Nihil præter Iſidori collectionem producitur in ſubſequentibus Pontificibus a Joanne I. ad Silverium uſque, cujus litteræ ad Vigilium his verbis incipientes, *Multis te tranſgreſ-*

ſioni-

Digitized by Google

Aliæ litteræ Pſeudoiſidoro non adſcribendæ.

ſionibus irretitum, a Merlino editæ, cum in hisauctioribus codicibus, non autem in puris Iſidorianis inveniantur, Pſeudoiſidori impoſturis perperam accenſentur. Has porro litteras in codicibus noſtris ſubſequitur liber S. Proſperi contra Caſſianum, quem Merlinus præterivit. A Vigilio ad S. Gregorium Magnum uſque omnia cum Iſidoro conſentiunt. Poſt Synodum vero ejuſdem S. Gregorii appenduntur duæ epiſtolæ, una Felicis Siciliæ Epiſcopi ad eumdem, altera reſcriptum Pontificis, quæ in editione PP. Benedictinorum S. Mauri ſunt epiſt. 16. & 17. libri 14. Hinc porro quam male hæ epiſtolæ a nonnullis ſuppoſitionis accuſatæ, quæ in puris Iſidorianis MSS. deſunt, Pſeudoiſidori figmentis adſcribantur, nemo non videt. Si vero ſuppoſititiæ ſint, noſtris additionibus antiquior eſt hæc impoſtura, quippe alterius fragmentum retulerunt Joannes Diaconus in vita S. Gregorii lib. 2. c. 3. & Hincmarus Remenſis epiſt. 37. & 59. nec non in tractatu de divortio Lotharii & Teuthbergæ interrog. 5. & quæſt. 7. ac interrog. 12. ante finem.

Nec duæ aliæ epiſtolæ.

VII. Decretis Gregorii junioris, in quibus Iſidoriana collectio deſinit, noſtri codices cum Merlino ſequentes additiones ſubnectunt. Quatuor epiſtolas Vitaliani Papæ, unam ad Paullum Cretenſem, alteram ad Vaanum cubicularium, tertiam ad laudatum Paullum Cretenſem, & quartam ad Gregorium Syracuſanum, quæ in editione Conciliorum ſunt ejuſdem Pontificis epiſt. 1. 2. 3. & 4. Item Martini I. epiſtolam ad Amandum Epiſcopum Trajectenſem, quæ legitur tom. 7. Concil. col. 391. Sequuntur aliquot documenta, quæ ſpectant ad S. Bonifacium Epiſcopum Moguntinum. Profeſſio ſcilicet & juramentum ejuſdem præſtitum Gregorio II. quod exſtat tom. 8. Concil. col. 167. Ipſius Gregorii epiſtola prima ad eumdem Bonifacium; item epiſt. 3. ad univerſos Epiſcopos &c. dein epiſt. 4. ad Clerum & populum Thuringiæ: ep. 5. ad Optimates Thuringorum: epiſt. 7. ad Saxones: epiſt. 8. ad Bonifacium, nec non alia ad eumdem, quæ in vulgatis eſt epiſt. 1. Gregorii III. Porro ſub nomine Gregorii junioris affertur epiſt. 2. ejuſdem Gregorii III. ad omnes Epiſcopos, Presbyteros, & Abbates; item epiſt. 3. ad Optimates & populum provinciarum Germaniæ: epiſt. 4. ad Epiſcopos Bajoariæ & Alamanniæ: item alia ad Bonifacium, quæ eſt epiſt. 13. Gregorii II. Dein ep. 7. Gregorii III. ad Bonifacium. Tum epiſtola Bonifacii ad Zachariam Papam, quæ eſt in Conciliis tom. 8. col. 227. Item epiſtola 2. Zachariæ ad Witum Epiſcopum Barbaranæ, quæ in Conciliis inſcribitur Burchardo Epiſcopo Wirciburganſi. Vide ibidem obſervationem Pagii. Item ejuſdem epiſt. 11. ad Rugiofridum & alios Epiſcopos Gallos atque Germanos. Item ejuſdem Pontificis ad Bonifacium epiſtolæ tres, ideſt 9. 12. & 1. Hucuſque etiam Merlinus, quem deinceps codex ſuus deſeruit. At in noſtris exemplaribus ſubjiciuntur duæ epiſtolæ Bonifacii ad Stephanum II. Papam, quarum prima edita eſt tom. 8. Concil. col. 403. altera vero inter Opera ſeu epiſtolas ipſius S. Bonifacii eſt epiſt. 97. Dein epiſtola Danielis omnibus Regibus, Ducibus &c. ibidem epiſt. 33. Tum epiſtola Caroli Majoriſdomus Epiſcopis, Ducibus &c. tom. 8. Concil. col. 175. Poſtea Concilium anni 742. quod in vulgatis Germanicum appellatur, ibidem col. 269. Item alia Synodus ad Kalendas Martias in loco, qui dicitur Liptinas: ibi col. 273. Tum Bonifacii Moguntini epiſt. 19. ad Ethobaldum Regem Mercionum; ac tandem alia ejuſdem epiſt. 20. Buggani Abbatiſſæ.

VIII. Deſcriptis poſtea ex Iſidori collectione Capitulis Angilramno traditis ab Hadriano I. Pontifice, nec non excerptis ex actionibus Concilii Chalcedonenſis una cum altercatione inter Liberium & Conſtantium, hæc documenta adjiciuntur. Duæ epiſtolæ Innocentii II. una ad Samſonem Remenſem & Ervicum Senonenſem cum ſuffraganeis, alia ad Bernardum Abbatem Clarevallenſem inſertæ in Concilio Senonenſi anni 1140. tom. 12. Conciliorum col. 1531. Concilium Remenſe anni 1148. ſub Eugenio III. Ibidem col. 1652. Clauditur collectio cum Notitia provinciarum, quæ in aliis quoque Iſidorianis MSS. deſcribitur. In fine adduntur vitæ breviores & catalogus Romanorum Pontificum, de quibus n. 2. diximus.

Additionum collectio eſt Gallicana.

IX. Cum poſt documenta ad S. Bonifacium Moguntinum pertinentia nullum trium ſæculorum ſubſequentium ibidem ſuppetat uſque ad Innocentium II. & Concilium Remenſe; ſuſpicio non levis exoritur, hæc poſtrema documenta ſæculi XII. additiones eſſe recentiores; collectorem vero ceterorum additamentorum vetuſtiorem aliquem ſtudioſum virum fuiſſe, qui in epiſtolis & Conciliis ad S. Bonifacium ſpectantibus deſiit. Quidquid autem hac in re credatur, hanc certe collectionem in Galliis digeſtam oſtendunt additamenta documentorum, quæ vel Gallicana ſunt, vel ex antiquioribus Gallicanis collectionibus excerpta fuerunt. Quæ ad S. Bonifacium Moguntinum pertinent, epiſtola Leonis Bituricenſis, Victorii Cenomanenſis, & Euſtochii Turonenſis ad Epiſcopos inter tertiam provinciam conſtitutos, Concilium Remenſe, & alia ejuſdem generis ita Galliarum propria ſunt, ut non niſi a Gallicano tam facile inveniri & colligi potuerint. Concilium Telenſe in ſolis Gallicanis collectionibus inventum eſt. Multa collector ſumſit ex Codice canonum a nobis recudendo, quem non Romanum, ſed Gallicanum eſſe Codicem oſtendemus in Obſervationibus ad Queſnelli Diſſertationem XII. Ceteræ additiones in aliis Gallicanis collectionibus reperiuntur, vel in Hadriana, quæ ad Carolum Magnum miſſa, in Galliis diſſeminata erat.

Præſtantia harum Additionum.

Harum Additionum præſtantia vel ex eo perſpicitur, quod multa contineant, quibus careremus, niſi exinde prodiiſſent. Vide inter cetera quæ de Leonis epiſtolis in hanc rem animadvertimus tom. 1. pag. 529. n. 26. Documenta fere omnia harum Additionum ſincera: quæ autem pauca ſunt apocrypha, vetuſtiorem originem habent, ac propterea in aliis antiquioribus MSS. inventa fuere. Harum quidem Additionum collector, qui tam pretioſa monumenta ſumma diligentia expiſcatos eſt, non eam fingendi indolem præfefert, qua alia multo plura, ut Pſeudoiſidorus fecit, commentitia ingeſſiſſet.

CAPUT VIII.

De codice Cantabrigenſi, quem Fabricius & Larroquanus laudant. De duobus MSS. Vat. 1343. & 1344. Epiſtola S. Gregorii Magni, qua Auguſtini interrogationibus reſpondet, cum proœmio nondum impreſſo, & forma a vulgatis diverſa ex iiſdem MSS. producitur.

I. MErlinum puram Iſidorianam collectionem non ediſſe, ſed illam, quæ eſt multis additionibus auctior, ex hactenus diſputatis liquet. Hinc puram Iſidori collectionem ſeparatim edi, recenſerique ad ſinceriorum manuſcriptorum codicum fidem plures eruditi viri peroptarunt. At videndum eſt, ne pro ſinceris Iſidorianis exemplis illa habeantur, quæ a MSS. Vatt. 630. & 631. ex quibus illam deſcripſimus capite ſexto, diſſentiant. Joannes Albertus Fabricius tomo XI. Bibliothecæ Græcæ lib. 6. c. 1. pag. 17. idem eruditorum deſiderium proponens, inter præſtantiora Iſidorianæ collectionis exemplaria, ad quæ ea editio exigenda eſſet, refert codicem Cantabrigenſem, qui ſæculo XI. emptus fuerat a Lanfranco Archiepiſcopo Cantuarienſi, & eximie laudatur a Matthæo Larroquano in epiſtola, quam a Baſnagio Bellovaſio editam; idem Fabricius recudendam putavit.

Codex Cantabrig.

Notat autem Larroquanus, in eodem codice deeſſe præfationem & ordinem celebrandæ Synodi, tres tantum exhiberi S. Clementis epiſtolas, ceteras vero plerumque multum differre a vulgatis, quæ ſunt identidem tertia, vel media etiam parte auctiores, quam in eo codice. Ordinem præterea diverſum commemorat, quem in alio recentiori MS. Cantabrigenſi non tam a vulgatis, quam a codice Lanfranci diſſimilem affirmat. Primo Carthaginienſi Concilio præmiſſam teſtatur epiſtolam Aurelii & Mizonii ad Synodum Carthaginienſem, quæ in Merlino non legitur. Ex his autem idem Larroquanus puram Iſidori collectionem non in editione Merlini, ſed in hoc codice contineri credidit. Auctiora autem documen-

Digitized by Google

cumenta apud Merlinum librariis tribuit, qui in illis exſcribendis addiderint, quæ ipſis placuiſſent. Cum vero nos codicem Vat. 630. Pſeudoiſidori ætati ſupparem nacti ſimus, quocum alii item Iſidoriani tum antiqui, tum recentiores concinunt; nihil dubium eſt, quin hi memorato Cantabrigenſi exemplo anteſerendi ſint. Hoc quidem exemplum ab integra Iſidoriana collectione alienum ſatis demonſtrat ipſe defectus tum præfationis, tum ordinis celebrandi Concilii, quæ duo præter laudatos vetuſtiores codices Hincmarus quoque Pſeudoiſidori ævo proximus ex primitivis hujus exemplaribus laudat. Cetera ejuſdem codicis a Larroquano notata, quæ cum vetuſtioribus & ſincerioribus codicibus non conveniunt, eo referenda ſunt, quia non puram & perfectam collectionem Iſidori, ſed imperfectam & mixtam continet, in qua ſcilicet peculiari librarii arbitrio alia per ſaltum omiſſa, alia decurtata, alia aliunde addita fuerunt. Inter hæc addititia referri debet Aurelii & Mizonii epiſtola, quæ cum in ſola antiqua collectione a Queſnello edita, & a nobis hoc tomo repetenda inveniatur, ejus codicis librarium ipſam exinde addidiſſe manifeſtum eſt. Aliquot alios Iſidorianæ collectionis codices deſcripſimus capite ſexto num. 28. & ſequentibus, qui cum alia omittant, alia addant præter ſinceriorum & vetuſtiorum Iſidori exemplarium fidem, ſi quis ſe puram & integram ejus collectionem in ipſis nactum arbitraretur, nimium aberraret. Aliquot præterea alios codices in bibliotheca Vaticana invenimus, in quibus quædam tantum documenta librariorum arbitrio ex Iſidoro excerpta, & una cum aliis aliarum collectionum documentis tranſcripta leguntur. In his quoque Iſidorianam collectionem agnoſcere nemo poterit, ſed merum excerptum ex pluribus. Duas ex his hoc capite paucis explicabimus.

Collect. Vat. 1343. II. Una exſtat in MS. codice Vat. 1343. ſæculi circiter X. qui ad Eccleſiam Ticinenſem olim pertinuit, ut ex duobus documentis initio & in fine deſcriptis agnoſcitur. Tres hujus codicis præcipui fuerunt fontes, nimirum collectiones Hadriana, Additionum Dionyſii, & Iſidoriana. Primum ex Hadriana ſumti ſunt canones Conciliorum a Nicænis ad Africanos uſque. Hadrianæ autem collectionis uſum demonſtrat non ſolum diſtinctio canonum XXXIII. Chartaginienſium a ceteris Africanis, verum etiam indicium ſubſcriptionum, ſeu catalogi Epiſcoporum Nicænorum, qui in Hadriana, non autem in puro Dionyſio appenditur. Non omnes vero canones cujuſque Synodi deſcribuntur, ſed nonnulli identidem omiſſi per ſaltum. Ex Conſtantinopolitano Concilio ſolum ſymbolum exhibetur. In decretis Pontificum ex eadem collectione excerptis multo plura eodem ſaltu prætermiſſa fuerunt. Immo ex Bonifacii decretis nihil affertur: nihil item ex Hilario, Simplicio, Felice, Symmacho, & Gregorio juniore.

III. Porro ex Additionibus Dionyſianis proferuntur *Præcepta S. Petri de conſervandis ſacramentis*, quæ in iiſdem Additionibus recenſentur n. 69. *Statuta antiqua Orientis*, ibidem n. 70. & 71. & *Epiſtola canonica* n. 72. Inſeritur ex alio ignoto fonte *Decretum Silveſtri Papæ*, cujus initium: *Si quis Epiſcopus nulla eccleſiaſticæ rationis neceſſitate*, quod in Capitulis Martini Bracarenſis eſt caput 14. Redeunt documenta ex Additionibus Dionyſianis: S. Leonis epiſtola ad Theodorum Forojulienſem, ibidem n. 109. ejuſdem epiſtola ad Siculos num. 110. alia ad Eutychen n. 111. exempla geſtorum, ubi in CP. Synodo a Flaviano Epiſcopo Eutyches hæreticus auditus & condemnatus eſt n. 112. Sententia Papæ Gelaſii, quod Sedes Apoſtolica omnium ligata diſſolvere poſſit, ad Epiſcopos per Dardaniam. Item ex epiſtola ad eoſdem, quod Sedes Apoſtolica facultatem habet ſine Synodo & abſolvendi & damnandi: quæ duæ particulæ in Additionibus habentur num. 134. Gelaſii epiſtola ad Orientales de vitanda communione Acacii n. 135. Conſtituta S. Gelaſii Papæ n. 136. Conſtituta Gregorii Papæ n. 137. Additur epiſtola ejuſdem Gregorii ad Auguſtinum, quem in Saxoniam direxit atque Britanniam, cum initio, quod in vulgatis, deſideratur, & cum forma a vulgatis diverſa, quam in fine hujus capitis dabimus. Sequitur fragmentum epiſtolæ Hieronymi ad Evangelum: *Nam Alexandriæ* &c. Exſtat in editione Veronenſi operum ejuſdem S. Doctoris tom. 1. col. 1076.

IV. Poſtea ex Iſidoriana collectione aliquot apocryphæ priſcorum Pontificum epiſtolæ, ſive earum fragmenta ſubjiciuntur uſque ad Damaſum. Tum Nicolai epiſtolæ in cauſſa Rothadi. In his librarius præ oculis habuiſſe videtur Iſidorianum codicem ſimilem Vallicellano D. 38. de quo diximus c. 6. num. 29.

V. Dein affertur epiſtola Leonis ad Dioſcorum, quæ cum ſequentibus ex aliis collectionibus derivata fuere. Poſtea epiſtola S. Gregorii ad Serenum Epiſcopum Maſſilienſem, Zachariæ Papæ Synodus, & liber Gennadii de eccleſiaſticis regulis Auguſtini nomine inſcriptus: quæ tria eodem ordine leguntur in Additionibus Dionyſianis n. 139. 140. & 141. Deinde fragmentum epiſtolæ S. Gregorii ad Januarium Epiſcopum Calaritanum, ac duæ epiſtolæ Innocentii I. una ad Marcianum Epiſcopum Naiſſitanum, alia ad Rufum & ceteros Epiſcopos Macedoniæ, quæ incipit: *Magna me gratulatio*. Item Hormiſdæ ad Epiſcopos per univerſas provincias de lapſis; *Ecce manifeſtiſſime conſtat* &c. uti legitur in fine titulorum, qui ſubjecti ſunt epiſtolæ ſextæ Joannis II. ad Cæſarium Arelatenſem tom. 5. Concil. col. 903. Hoc fragmentum Hormiſdæ nomine perperam inſcriptum recitatur a Gratiano diſt. 50. c. 29. & ab aliis etiam antiquioribus. Vide quæ dicemus part. 4. c. 7. §. 2. num. 7. Epiſtola S. Gregorii ad Etherium Epiſcopum Lugdunenſem, quæ in editione Maurina eſt epiſt. 106. lib. 9. Tandem *dicta Zachariæ Papæ*: *Quod nullus cum ſanguine debeat copulari &c.* In fine codicis tranſcripta fuit epiſtola formata Papienſis Epiſcopi ad Archiepiſcopum Mediolanenſem, cujus initium heic proferimus. Epiſt. formata Epiſcopi Papienſis. *In nomine Patri Π, & Filii Φ, & Spiritus Sancti C. A. ſacratiſſimo ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archipræſuli A. divino reſpectu Papienſis Epiſcopatus Pontifex debitæ venerationis devotam in Chriſto famulatum. Solertia veſtra nulla ambiguitate teneatur, quia parati quotidie ſumus obſequi vobis in omnibus, quæ poſſibilitas ſubminiſtrat & eccleſiaſtica cenſura monendo confirmat. Concedimus ergo veſtræ Eccleſiæ Ill. quem petiſtis veſtri Epiſcopatus miniſtrum, ita ut ea lege Epiſcopatui veſtro ſubdatur, qua Epiſcopatui noſtro ſubdebatur: ſicque vobis eum liceat ſummovere, velut ſi veſtræ Eccleſiæ tonſuram haberet. Hac denique conceſſione, quam ſacri canones formatam appellant*, &c. Sub finem notat indictionem *præſentis anni nonam*. Plures ſunt Archiepiſcopi Mediolanenſes, qui incipiunt a littera A, & cum indictione nona concurrunt. Tabulæ vero vulgatæ Epiſcoporum Papienſium pluribus lacunis laborant. Qui alia documenta Ticinenſia hujus temporis præſto habent, invenient fortaſſis Epiſcopum Papienſem incipientem a littera A, ex quo aliquid certius elicere licebit.

Collect. Vat. 1344. VI. Codex Vat. 1344. pergameus in folio ſæculi XII. partem amplioris collectionis præfert inchoantem a numero CXXXII. qui indicat, aliam partem, quæ deſideratur, numeros ſeu capitula CXXXI. fuiſſe complexam. Hæc autem pars totam Iſidorianam collectionem exhibet a Silverio uſque ad S. Gregorium, Hadriani I. Capitula, & excerptiones ex Concilio Chalcedonenſi. Plura vero addit aliunde recepta, & hic illic intermixta, quæ hoc loco notanda ſunt. Illud autem præmittendum eſt, quod cum in religando codice confuſa fuerint folia, ordo in pluribus eſt perturbatus; ita ut poſtpoſita ſint quæ præcedere debuiſſent, alia vero quæ conjungenda erant, ſeparentur. Ne quid vero alicubi ex arbitrio videamur inducere, ordinem codicis ſequemur. Simplicii Papæ documentis, quæ ad Acacii cauſſam pertinent, initio codicis præmittitur *Narrationis ordo de pravitate Dioſcori Alexandrini*, qui in collectione hoc tomo edenda legitur cap. 43. Tres porro inſeruntur epiſtolæ Simplicii, quæ in puro Iſidoro deſunt, una ad Zenonem Auguſtum, altera ad Joannem Ravennatem, tertia ad Florentium, Equitium, & Severum, quæ in Conciliis ſunt ejuſdem

Pon-

Pontificis epiſt. 8. 2. & 3. Felicis epiſtolæ ad Siculos præfigitur initium Synodi Romanæ ſub eodem Pontifice, cui eadem epiſtola inſerta erat. In Silverio additur ejuſdem epiſtola ad Vigilium, quæ in Additionibus Iſidorianis continetur. Quatuor in S. Gregorio adjiciuntur: nimirum ejus epiſtola ad Auguſtinum cum procemio in fine hujus capitis ſubjiciendo, & alia ad Etherium Epiſcopum Lugdunenſem, quas in præcedenti quoque codice deſcriptas vidimus: item alia ad Brunichildem Reginam, quæ in editione Maurina eſt epiſt. 109. libri 9. ac tandem plura excerpta ex epiſtolis ejuſdem Pontificis. Accedit Synodica Martini Papæ I. contra Theodorum & Cyrum. Afferuntur vero canones XX. ſumti ex Concilio Lateranenſi ejuſdem Martini, qui leguntur tom. 7. Conciliorum col. 358. & ſeqq. Poſt Capitula Hadriani ad Angilramnum hic titulus ſubjicitur: *De Monachorum Monaſteriorumque libertate*. Tum producitur epiſtola S. Gregorii ad omnes Epiſcopos, uti tomo 6. Concil. col. 1341. cum ſubſcriptionibus, quæ ex Vaticano codice ibidem proferuntur col. 1343. D. Aliæ vero ſubſcriptiones in eodem tomo ſubduntur ex MS. Flaviniacenſi. Cum in primis ſubſcriptionibus ex hoc noſtro, uti credimus, codice a Cardinali Baronio excerptis notetur dies Nonarum Aprilium & indictio IV. hæc Synodica Gregorii Magni affigitur anno 601. At mirum nobis accidit, neminem obſervaſſe, eas ſubſcriptiones huic Gregorii Synodicæ perperam aſſutas fuiſſe ex ſubſcriptionibus Epiſcoporum, viginti alterius Synodi Gregorii II. anni 721. Veræ autem ſubſcriptiones Epiſcoporum ætati S. Gregorii I. congruentes ſunt illæ, quas codex Flaviniacenſis ſuppeditavit: ex quibus tamen certos annus colligi nequit. Poſt hæc alia ſubtexuntur aliarum epiſtolarum ejuſdem S. Gregorii Magni fragmenta, quæ de Monachis & Monaſteriis agunt. Dein ſequuntur Nicolai I. epiſtolæ in cauſa Rothadi Epiſcopi Sueſſionenſis, quas in aliis quoque collectionibus reperimus. Tum Vitaliani Papæ epiſt. 1. 2. 3. & 4. duæ S. Iſidori Hiſpalenſis, ad Laudefredum Cordubenſem una, altera ad Maſonium: Juſtini Auguſti epiſtola ad Hormiſdam, & exemplar precum ad eumdem Juſtinum, quæ ex Hadriana collectione ſumta videntur. *Capitula ſancti quinti Concilii Conſtantinopoli celebrati ſub Juſtiniano*. Sunt canones 13. ejuſdem Concilii qui in Lateranenſi Synodo Martini I. recitati & inſerta fuerunt. Vide tom. 7. Concil. col. 254. Aliquot fragmenta ex Concilio VI. œcumenico cum hoc titulo: *Quæ ſequuntur, ex CP. ſexta Synodo ſumta ſunt*. Nonnulla excerpta ex S. Ambroſio, ex ſacra Scriptura, ex SS. Hieronymo, Auguſtino, aliiſque Patribus, & duo ex pſeudo-epiſtolis Fabiani atque Clementis. Dein ex collectione Hiſpanica auctiori præter Concilium Nicænum, & CP. ſub Theodoſio æra 419. tranſcripta fuit etiam *alia Synodus CLXIII. Epiſcoporum temporibus Conſtantini æra 720*. cum adnexis epiſtolis Leonis II. ad Hiſpanos, ad Quiricum, ad Simplicium Comitem, & Benedicti Presbyteri ad Petrum Notarium regionarium, & alia memorati Leonis II. ad Ervigium Regem: quæ hac eadem forma atque ordine in ſola collectione Hiſpana auctiori inveniuntur. Vide cap. 4. n. 11. Tum Epheſina Synodus, atque Chalcedonenſis, formata Attici CP. & Concilium Carthaginienſe I. ſub Grato, ut in eadem collectione exhibentur. Cetera Concilia deſunt, & in laudato Carthaginienſi codex deficit. Non dubitamus, quin in aliis bibliothecis aliæ ſimiles collectiones inveniantur, in quibus documenta hinc inde ex antiquioribus excerpta nunc integra, nunc mutila a ſtudioſis viris deſcripta fuerint. Verum hæ duæ, quas hoc capite explicavimus, ad liberiorem & vagam ceterarum formam cognoſcendam ſufficient.

Synodica Gregorii an. 601. non recte affixa. Quæ ſint veræ ejus ſubſcriptionea.

VII. Concludemus cum Gregorii Magni epiſtola ad Auguſtinum, quam nos heic appendendam recepimus.

ADMONITIO

in epiſtolam ſequentem.

Hujus epiſtolæ duplex eſt in vulgatis forma. Una, quæ legitur in editione operum S. Gregorii, undecim interrogationes Auguſtini totidemque Gregorii reſponſa continet; ac præterea poſt nonum reſponſum obſecrationem Auguſtini, & conceſſionem Gregorii ſubjicit. Altera, quæ a Beda inſerta eſt lib. 1. Hiſt. Anglorum c. 27. primam & ſecundam reſponſionem jungit, omiſſa interrogatione ſecunda; & ſuppreſſa quoque ſeptima interrogatione ſextam ac ſeptimam reſponſionem copulat, Auguſtinique obſecrationem & Gregorii conceſſionem ignorat. In codice autem Vat. 1343. tertiam formam nacti ſumus: nam & procemium epiſtolæ præfert, quod omnes vulgati libri deſiderant, & ipſum epiſtolæ corpus alia omnino ratione & ordine exhibet. Neque vero de procemio dubitari poſſe videtur. Non ſolum enim idem procemium in duobus aliis MSS. invenimus, nimirum in Vat. 1344. & in Patavino 159. Canonicorum Lateranenſium S. Joannis in Viridario; verum etiam quæ in eo indicantur de Laurentio Presbytero & Petro Monacho concinunt cum iis, quibus Beda loco laudato narrat, Auguſtinum miſiſſe eos Romam, qui quæſtiones aliquot propoſuerunt S. Pontifici, & reponſiones ejuſdem retulere. *Itaque vir Dei Auguſtinus*, inquit, ... *reverſus in Britanniam miſit continuo Romam Laurentium Presbyterum & Petrum Monachum, qui B. Pontifici Gregorio gentem Anglorum fidem Chriſti excepiſſe, ac ſe Epiſcopum factum eſſe referrent, ſimul & de eis, quæ neceſſariæ videbantur, quæſtionibus reſponſa recepit, quæ etiam huic hiſtoriæ noſtræ commodum duximus indere*. Podagra etiam, quæ in eodem exordio memoratur, concinit cum aliis ipſius Gregorii teſtimoniis, quibus podagræ doloribus pluries, & plures menſes ſe laboraſſe prodidit. Vide lib. 9. ep. 52. & 124. lib. 10. ep. 36. lib. 11. ep. 30. & alibi. Non leve porro eſt diſcrimen ipſius epiſtolæ in memorato codice Vat. 1343. Cum enim in vulgatis, & in duobus aliis laudatis codicibus omnia efferantur per interrogationes Auguſtini, & reſponſiones Gregorii; in eo MS. quæſtiones ab Auguſtino propoſitæ ipſius epiſtolæ contextui inferuntur hac formula: *Primo capitulo requiſiſti &c.* Hæc verior ejuſdem epiſtolæ forma fuiſſe videtur, ex qua interrogationes vulgatæ a Beda fortaſſis excerptæ fuerunt. In aliis quidem pleriſque ejuſmodi litterarum exemplia interrogationes non abſimiliter expreſſæ inveniuntur. Præterea primum capitulum primam & ſecundam reſponſionem complectitur: ſecundum continet reſponſionem tertiam: tertium quartam: quartum decimam: quintum undecimam: & ſextum quintam. Ceteræ quatuor reſponſiones ſexta, ſeptima, octava, & nona una cum obſecratione Auguſtini, & conceſſione Gregorii deſunt. Cum vero deſiderentur etiam in eodem codice clauſula, & chronica nota, quæ in integris Gregorii epiſtolis apud Bedam leguntur; hoc exemplum in fine mutilum ſuſpicamur, ita ut nihil hinc elici queat, ex quo ea, quæ in hoc codice deſunt, a S. Gregorio abjudicanda credantur. Quidquid vero id eſt, en modo ipſam epiſtolam, uti in laudato codice exhibetur.

lib. 11. ep. 64. edit. Maurinæ.

„ Item Gregorius ad Auguſtinum Epiſcopum, „ quem in Saxoniam direxerat & in Britanniam. (1)

„ Per dilectiſſimos filios meos Laurentium Preſ„ byterum & Petrum Monachum fraternitatis tuæ „ ſcripta ſuſcepi, in quibus a me de multis capi„ tulis requirere curaſti. Sed quia prædicti filii mei „ podagræ me invenerunt doloribus afflictum; & „ cum urgerent citius dimitti, ita relaxati ſunt, „ ut in eadem me dolorum afflictione relinquerent: „ ſingulis quibuſque capitulis, ut debui, latius reſ„ pondere non valui.

„ Pri-

(1) Codex Vat. 1344. & Patavinus 159. S. Joannis in Viridario addunt inſcriptionem, quæ cum ceteris aliarum litterarum Gregorii a Beda recitatis plane concordat. *Reverentiſſimo Fratri Auguſtino Epiſcopo Gregorius ſervus ſervorum Dei.*

„ Primo etenim capitulo requiſiſti, ut liber unus „ tranſmitti debuiſſet, in quo contineri poſſit, qualiter Epiſcopus cum ſuis Clericis converſetur, vel „ de his, quæ fidelium oblationibus accedunt altario, quantæ debeant fieri portiones: & qualiter „ agere in Eccleſia Epiſcopus debeat. Et ſacra Scriptura teſtatur, quam bene &c. “ uti lib. 11. editionis Maurinæ epiſt. 64. ad finem uſque primæ reſponſionis col. 1151. *erant illis omnia communia*: poſt quæ in codice jungitur ſecunda reſponſio, uti apud Bedam etiam copulatur ſic: *Si qui vero ſunt Clerici extra ſacros ordines* &c. uſque ad ejuſdem reſponſionis finem.

* *quia* pro *cur*.

„ Secundo quoque capite requiris, * quia cum „ una ſit fides, ſunt Eccleſiarum diverſæ conſuetudines, & aliter conſuetudo Miſſarom in ſancta „ Romana Eccleſia, atque aliter in Galliarum Eccleſiis tenetur: atque addit fraternitas tua Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, in qua ſe meminit „ nutritam, quam valde amabilem habet. Sed mihi placet ut ſive in Romana &c. “ ut in vulgata reſponſione quarta col. 1152.

„ Tertio quoque capite requiris, quid pati debeat, ſi quis aliquid de Eccleſia furto abſtulerit. Sed „ hoc tua fraternitas ex perſona penſare poteſt „ &c. ” ut in vulgata reſponſione quarta.

„ Quarto quoque capitulo requiſiſti, ſi prægnans „ mulier debeat baptizari, aut poſtquam genuerit, „ poſt quantom temporis poſſit Eccleſiam introire, „ aut etiam baptizari, aut ne morte præoccupetur „ quod genuerit, poſt quot dies hoc liceat ſacri baptiſmatis ſacramenta percipère, aut poſt quantum temporis huic vir ſous poſſit in carnali copulatione conjungi, aut ſi menſtrua conſuetudine „ teneatur, an in Eccleſiam intrare ei liceat, aut „ ſacræ communionis ſacramenta percipere; aut „ vir ſuæ conjugi permixtus, priuſquam lavetur „ aqua, ſi Eccleſiam poſſit intrare, vel etiam ad „ miniſterium ſanctæ communionis accedere. Quæ „ omnia a rudi Anglorum gente fraternitatem tuam „ arbitror requiſitam, cui jam te reſponſum dediſſe non ambigo. Sed id quod ipſe dicere & ſentire potuiſti &c. “ ut in vulgata reſponſione decima col. 1157.

„ Quinto quoque capite requiſiſti, ſi poſt illuſionem, quæ per ſomnium ſolet accidere, vel corpus Domini qoislibet accipere valeat, vel, ſi Sacerdos ſit, audeat ſacra miniſteria celebrare. Et „ quidem hunc Teſtamenti veteris lex, ſicut ſuperiori capite diximus, pollutum dicit &c. ” ut in vulgata reſponſione undecima col. 1165.

„ Sexto quoque capite requiſiſti, ſi debent duo „ germani fratres ſingulas ſorores accipere, quæ „ ſunt ab illa longa progenie generatæ. Sed hoc „ fieri modis omnibus licet; nec quicquam in ſacris eloquiis invenitur, quod huic capitulo contradixiſſe videatur. “

In his codex Vat. 1343. deſinit. Duo vero alii codices Vat. 1344. & Patavinus 159. poſt procemium novem Auguſtini interrogationes, & totidem S. Gregorii reſponſa omnino uti apud Bedam ſubjiciunt.

DE ANTIQUIS COLLECTIONIBUS & COLLECTORIBUS CANONUM.

PARS QUARTA.

DE ANTIQUIS CANONUM BREVIATIONIBUS, aliiſque collectionibus Latinis in titulos & locos communes diſtributis ad Gratianum uſque.

CAPUT PRIMUM.

De Breviatione canonum Ferrandi Diaconi Carthaginienſis. Plures obſcuræ allegationes explicatæ, aliæ ſupplete, vel emendatæ, quæ novæ editioni utiles erant.

I. Explicatis collectionibus, quæ integra vel fere integra canonica documenta exhibent; nunc de iis collectionibus agendum, quæ canonum abbreviationes, vel eoſdem canones in titulos & loca communia diſtributos repræſentant. Inter Breviationes primum locum obtinet illa Fulgentii Ferrandi Carthaginienſis Eccleſiæ Diaconi. Hic Juſtini ac Juſtiniani temporibus floruit. In Chronico enim Victoris Tunonenſis claruiſſe dicitur anno ſexto poſt Conſulatum Baſilii, ideſt anno 547. Magiſtro uſus eſt S. Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo, ut ex ſcriptis ejus liquet. Facundus Hermianenſis libro 4. pro defenſione trium Capitulorum cap. 3. Ferrandum *laudabilis virum memoriæ* appellans, vita jam functum ſignificat. Scripſit autem eos libros Facundus anno 551. uti ex Victoris Chronico colligitur: ac proinde Ferrandus ante hunc annum e vivis exceſſerat. Creſconius in præfatione ſuæ collectionis eum *reverendiſſimum Carthaginis Eccleſiæ Diaconum*, & *virum ſapientiſſimum* vocat. Scripta ejus, quæ tomo nono Bibliothecæ Patrum inſerta ſunt, commemorare non eſt neceſſe. De ſola *Breviatione canonum*, quæ noſtri inſtituti eſt, non pauca dicenda ſunt.

Quis Ferrandus, & quando floruerit.

II. Duo tantum hujus Breviationis codices hactenus inventi ſunt, Trecenſis, & Corbejenſis. Franciſcus Pithœus ex Trecenſis Eccleſiæ codice primum edidit Pariſiis an. 1588. Dein Petrus Franciſcus Chiffletius Soc. Jeſu in editione Divionenſi anni 1649. MS. Corbejenſi uſus, nonnulla loca emendavit, notiſque illuſtravit. Ex his autem duabus editionibus idem opuſculum pluries recuſum, inſertumque tomo I. Bibliothecæ canonicæ pag. 418. nec non tomo IX. Bibliothecæ Patrum, & alibi.

De ejus Breviatione, & hujus codicibus.

III. In allegandis Nicænis canonibus Ferrandus Philonis & Evariſti verſionem, quæ in Africanis codicibus canonum deſcripta erat, ſequutus videtur, uti animadvertimus part. 2. c. 2. §. 5. n. 4. Nicænorum canonum ſeu titulorum, quos laudat, numeri cum ceteris quoque verſionibus concinunt uſque ad canonem ſextum, quocum canonem ſeptimum jungit: ſeptimum enim titulum num. 172. eum appellat, qui in vulgatis eſt canon 8. Canones vulgati 9. & 10. apud ipſum num. 87. in unum copulati ſunt *tit.* 8. Canonem in editis undecimum num. 146. *titulo* 9. deſignat. Tres canones 12. 13. & 14. nullibi allegat. Cum vero num. 18. canonem decimum quintum vulgatum tribuat *tit.* 11. tres omiſſi canones in Ferrandi codice partim conjungebantur cum nono, partim autem decimum titulum conficiebant. Canon in vulgatis 16. apud Ferrandum num. 27. eſt *tit.* 12. canon vero 17. num. 123. per errorem vocatur *tit.* 14. cum ex laudata ſerie eſſe debeat *titulus* 13. Enimvero num. 106. *titulus* 14. adſignatur vulgato canoni 18. & n. 173. *titulus* 15. canoni 19. adſcribitur. Poſtremus canon Nicænus 20. Sardicenſis primus vocatur n. 214. de quo dicemus poſtea. Duo hic obſervanda. Primo non ſolum partitio, ſed ordo etiam canonum ab Iſidoriana verſione diſcrepat. Nam canon de Diaconibus, qui *titulo* 14. deſignatur poſt canonem de fœneratoribus, in Iſidoriana ante aliquot canones præmittitur. Hinc ergo Ferrandum verſionem ab Iſidoriana diverſam in hiſce canonibus fuiſſe ſequutum confirmatur. Secundo cum verſionem Philonis & Evariſti a Ferrando adhibitam conjecimus, ne moveat partitio vulgata in viginti canones: ejus enim codex in contractiorem titulorum numerum eamdem verſionem exhibere potuit, ut alii quoque aliarum Synodorum canones, licet iidem ſint, varias partitiones in diverſis exemplaribus recipiunt.

In Nicænis canonibus qua verſione uſus. Vid. t. 3. Concil. col. 449.

IV. In ceteris Græcarum Synodorum canonibus Ferrandus eam interpretationem præ oculis habuit, quæ Iſidoriana vocari ſolet. Etenim præter nomina *Anquiritani* & *Novacæſarienſis* Conciliorum ſolius Iſidorianæ interpretationis propria, dum num. 149. Concilii Anquiritani titulum 17. allegat, verba *inter energumenos orent*, ex ſola Iſidoriana verſione proficiſcuntur. Similiter num. 80. Concilii Antiocheni *tit.* 8. laudans, voces *Vicarii Epiſcoporum* cum eadem verſione concordant: & num. 144. totidem Iſidorianæ verſionis verba ex can. 56. repetuntur. Plura indicia ſuppetunt in canonibus Laodicenis. Cum enim num. 115. citat *Concil. Laodic. tit.* 5. voces *uſuras & lucra, ideſt ſeſcupla* Iſidorianæ verſionis ſunt. Canon 11. laudatus num. 221. canon 15. deſignatus num. 535. canon 57. indicatus num. 225. item canones 25. & 27. allegati num. 142. & 216. qui in vulgatis ſunt canones 26. & 28. vel totidem omnino verbis tranſcripti deprehenduntur ex eadem verſione, vel peculiares ipſius voces præferunt, ut conferenti patebit. Idem eſt de canonibus 35. & 47. citatis num. 185. & 209. qui in vulgato Iſidoro ſunt can. 37. & 47. Cum hæc exempla ſufficiant, cetera ejuſdem generis brevitati conſulentes prætermittimus. De canonum vero cujuſque Synodi numeris, quibus nonnumquam duo vulgati Iſidorianæ interpretationis canones apud Ferrandum in unum coeunt, nihil attinet dicere: etenim quinam juncti ſint, ex collatione quiſque nullo negotio intelliget. De canonibus Sardicenſibus, qui ex originali Latino cum Iſidorianis lectionibus a Ferrando allegantur, illud unum notatu dignum eſt,

In aliis Græc. canon. uſus verſione Iſid.

Notatio peculiaris in canon. Sardic.

eſt, canonem ultimum Nicænum de omittenda genuflexione diebus dominicis atque paſchalibus num. 214. laudari uti *Concilii Sardicenſis tit.* 1. ac aliis in numeris canonem primum hujus Concilii citari *tit.* 2. ſecundum *tit.* 3. & ſic deinceps ceteri canones Sardicenſes uno numero augentur. Id autem ea de cauſſa proficiſcitur, uti part. 2. c. 1. n. 18. indicavimus, quia iidem canones olim juncti erant cum Nicænis etiam verſionis Iſidorianæ, cum qua quidem utroſque copulatos reperimus in vetuſtiſſimo codice 58. Capituli Veronenſis: dein vero in ſeparandis utriſque quidam minus accurate incepit a poſtremo canone Nicæno, eumque Sardicenſibus veluti primum attribuit.

Vide part. 2. c. 1. n. 15.

V. De Africanis canonibus, qui a Ferrando frequentius allegantur, plura dicenda ſunt. Cum enim aliquot Concilia eodem in loco, ex. gr. Carthagine, celebrata fuerint; Ferrandus vero in ipſorum Conciliorum canonibus laudandis generali formula *Concil. Carthag.* uti ſoleat; ad quod Concilium Carthaginienſe hic, vel ille canon pertineat, ignoratur. Alicubi etiam titulorum ſeu canonum numerus vel deſideratur, vel mendoſus eſt. Cum vero in diſtinguendis iiſdem Synodis ac numeris titulorum ſupplendis, vel emendandis non modicum laboravimus; utile futurum credimus, ſi hoc loco omiſſis illis Ferrandi allegationibus, quæ per ſe claræ ſunt, ſeriem Ferrandianæ Breviationis ſequentes, citationes obſcuras explicemus, canoneſque cujus Synodi fuerint aperiamus.

Num. 4. Breviationis Ferrandi laudatur *Concil. univerſal. Carthag. tit.* 49. Eſt Synodus anni 397. ipſe autem canon legitur in Codice Eccleſ. Afric. c. 49. qui codex editus invenietur tom. 2. Conciliorum edit. Ven. col. 1252. & ſeqq.

N. 5. *Conc. Carth. tit.* 50. Eſt eadem Synodus anni 397. can. 50. Cod. Afr.

N. 9. *Conc. Carth. tit.* 10. Eſt eadem Synodus. Canon autem legitur c. 18. Cod. Afr.

N. 13. *Conc. Carth. tit.* 52. *Item* 54. *Conc. Carthag. in baſilica tit.* 5. Primum eſt idem Concilium anni 397. c. 34. & 56. Codicis Africani. Secundum autem eſt aliud Concilium anni 407. c. 98. Codicis Afr.

N. 14. *Conc. Carth. tit.* 54. Eſt Synodus anni 397. c. 56. Cod. Afr.

N. 15. *Conc. Carth. tit.* 3. ubi corrigendum *tit.* 26. Eſt Synodus anni 397. c. 36 Cod. Afr.

N. 16. *Conc. Carth. tit.* 1. Indicari credimus Concilium ſub Genethlio anni 390. c. 2. ac propterea corrigendum in Ferrando *tit.* 2. pro *tit.* 1. Hic quidem canon repetitus legitur in Concilio Carthaginienſi anni 419. c. 3. Codic. Afr.

N. 17. *Conc. Carth. tit.* 6. Eſt Synodus anni 401 Idibus Sept. c. 71. Cod. Afr.

N. 22. *Conc. Carth. tit.* 9. Eſt canon ejuſdem Synodi anni 401. c. 74. Cod. Afr.

N. 24. *Item Conc. Carth. tit.* 5. Hic titulus ſpectat ad Synodum anni 397. Legitur autem ipſe canon integer in Breviario Concilii Hipponenſis anni 393. quod in Synodo Carthaginienſi anni 397. repetitum & inſertum fuit. Vide Breviarium in collectione hoc tomo impreſſa col. 89. & confer quæ in hanc rem notavimus part. 2. c. 3. §. 3. in quintum canonem Synodi anni 397.

N. 25. *Conc. Carth. tit.* 12. Eſt Concilium anni 418. c. 120. Cod. Afr. ubi licet ſit canon 13. in codice tamen Ferrandi hunc canonem cum duodecimo fuiſſe conjunctum oſtendimus part. 2. c. 3. §. 7. n. 1.

N. 27. *Conc. Carth. tit.* 28. *Item* 53. Eſt Synodus anni 397. Titulus, ſeu canon 28. in Codice Africano omiſſus, continetur in Breviario Hipponenſi c. 19. Titulus vero 53. habetur in Cod. Afr. c. 54.

N. 28. *Conc. Carth. tit.* 14. Pertinet ad Concilium anni 401. c. 80. Cod. Afr.

N. 30. *Conc. Carth. tit.* 18. Eſt Synodus an. 418. c. 126. Cod. Afr.

N. 32. *Conc. Carth. tit.* 15. Eſt Synodus an. 401. Id. Sept. c. 81. Cod. Afr.

N. 33. *Conc. Carth. tit.* 23. Spectat ad Concilium anni 397. c. 14. Breviarii Hipponenſis.

N. 34. *Concil. Hipponiregienſ. tit.* 5. Eſt Synodus anni 427. quæ deſideratur. Hic autem canon repetitus eſt ex anteriori Concilio Carthaginienſi anni 421. quod hoc tomo typis dabimus, ubi legitur c. 4. Vide quæ diſſeruimus part. 2. c. 3. §. 9. n. 4. Vid. col. 649.

N. 35. *Conc. Hipponiregienſ. tit.* 8. Laudatur eadem Synodus anni 427. Hic autem canon legitur in Codice Afric. c. 32. nec non in Concilio Carthaginienſi anni 421. c. 5.

N. 38. *Conc. Hipponiregienſ. tit.* 9. Eadem Synodus allegatur, & canon deſcribitur c. 10. Concilii Carthaginienſis anni 421. hoc tomo col. 653.

N. 39. *Conc. Carth. tit.* 21. Indicatur Synodus anni 397. c. 12. Breviarii Hipponenſis.

N. 40. *Conc. Carth. tit.* 20. Eadem Synodus eſt: canon autem legitur in Breviario Hipponenſi c. 15.

N. 41. *Conc. Carth. tit.* 22. Eſt ejuſdem Synodi in Cod. Afr. c. 35. & in Breviario Hipponenſi c. 13.

N. 43. *Conc. Carth. tit.* 9. Laudatur Synodus anni 407. c. 104. Cod. Afr.

N. 46. *Conc. Carth. tit.* 36. Spectat ad Synodum anni 397. c. 27. Breviarii Hipponenſis.

N. 47. *Conc. Carth. tit.* 5. *Conc. Hippon. tit.* 9. Prima eſt Synodus XIX. vel XX. ſub Aurelio, quæ deſiderantur. Vide part. 2. c. 3. §. 9. n. 2. Secunda eſt Synodus anni 427. quæ pariter deeſt. Legitur vero hic canon in Concilio Carthaginienſi anni 421. c. 9. hoc tomo col. 652.

N. 48. *Conc. Carth. tit.* 40. Eſt Synodus an. 397. c. 31. Breviarii Hipponenſis, & in Cod. Afr. c. 44.

N. 49. *Conc. Carth. tit.* 49. Eſt canon ejuſdem Synodi, qui legitur c. 30. Breviarii Hipponenſis, & 43. Cod. Afr.

N. 50. *Conc. Carth. tit.* 2. Videtur eſſe Synodus anni 405. uti conjecimus part. 2. c. 3. §. 6. n. 5. Canon vero in Iſidori collectione Milevitano Concilio perperam tributus, legitur c. 23.

N. 51. *Conc. Carth. tit.* 17. Innuitur Synodus anni 397. Canon vero eſt in Breviario Hipponenſi c. 8.

N. 52. *Hoc in alio Concilio Carthaginienſ. actum eſt.* Hic Ferrandus nec titulum, nec numerum deſignat, eo quod hoc loco indicatur Synodus anni 409. quæ non plenaria, ſed provincialis fuit: ille enim in Conciliis provincialibus titulum ac numerum præterire conſuevit, uti animadvertimus part. 2. c. 3. §. 9. n. 5. Hic autem canon refertur in Cod. Afr. c. 107.

N. 53. *Concil. Carth. tit.* 8. & in MS. Corbejenſi *tit.* 9. Legitur in Synodo anni 419. c. 29. Codicis Afr. & in altera anni 421. c. 1. hoc tomo col. 650. Sub titulo autem 8. vel 9. ſpectat ad alterutram poſteriorem Synodum XIX. vel XX. ſub Aurelio, quæ interciderunt, uti probavimus part. 2. c. 3. §. 9. n. 2.

N. 54. *Conc. Hipponiregien. tit.* 3. Eſt canon Synodi anni 427. cui quidem tribuitur etiam in duobus codicibus a P. Harduino laudatis tom. 2. Concil. col. 1275. not. 4. Legitur in Cod. Afr. c. 29.

N. 58. *Conc. Carth. tit.* 15. Eſt Synodus anni 397. canonque exhibetur c. 6. Breviarii Hipponenſis.

N. 62. *Conc. Carthag. tit.* 19. Indicatur eadem Synodus. Canon refertur in Breviario Hippon. c. 10.

N. 64. *Concil. Carth. tit.* 3. *Item Concil. Carthag. tit.* 15. Hac poſtrema allegatione corrigendum *tit.* 19. Priori loco indicari videtur Synodus anni 397. VI Kal. Julias, ſecundo autem loco alia ejuſdem anni Synodus V. Kal. Septembris. Confer part. 2. c. 3. §. 2. n. 7. Hic canon ante conſtitutus in Synodo Hipponenſi anni 393. legitur in Breviario Hippon. c. 10

N. 67. *Conc. Carth. tit.* 18. Eſt Synodus an. 397. Canon autem recitatur in Breviario laudato c. 9.

N. 70. *Conc. Carth. tit.* 24. Eadem Synodus allegatur. Canon deſcribitur in eodem Breviario c. 15.

N. 71. *Conc. Carthag. tit.* 38. Eſt ejuſdem Synodi canon, in Breviario Hippon. c. 29. & in Codic. Afr. c. 42.

N. 73. *Conc. Carth. tit.* 2. corrige *tit.* 6. Eſt canon actionis ſecundæ Concilii Carthaginienſis anni 419. qui in Cod. Afr. legitur c. 132. Confer part. 2. c. 3. §. 8. n. 7.

N. 75. *Conc. Carth. tit.* 11. Eſt Concilium anni 421. Idibus Septembris. Canon refertur c. 76. Codicis Afr.

N. 81.

Digitized by Google

N. 81. *Conc. Carth. tit.* 34. Laudatur Concilium anni 397. Canon eſt in Breviario Hippon. c. 25. & in Cod. Afr. c. 39.

N. 82. *Conc. Carth. tit.* 6. Indicatur idem Concilium. Legitur vero hic canon in præmiſſis Breviarii Hipponenſis eidem Concilio inſertis, uti ſuo loco adnotavimus part. 2. c. 3. ſ. 3.

N. 83. *Conc. Carth. tit.* 7. Idem Concilium anni 397. hic pariter innuitur. Verba canonis in iiſdem Breviarii præmiſſis deſcribuntur.

N. 84. *Conc. Carth. tit.* 3. Eſt Synodus XIX. ſub Aurelio, cui hunc canonem adjudicat Concilium Carthaginienſe anni 525. tom. 5. Conciliorum col. 781.

N. 90. *Conc. Carth. tit.* 7. Eſt Concilium ſub Genethlio anni 390. c. 9. Cum in codice Ferrandi ex quatuor canonibus duo conflati eſſent, titulus 9. in eodem codice erat *tit.* 7. Vide quæ adnotavimus part. 2. c. 3. ſ. 1. n. 4.

N. 91. *Conc. Carth. tit.* 43. Spectat ad Synodum anni 397. c. 34. Breviarii Hipponenſis.

N. 95. *Conc. Hipponiregienſi tit.* 9. Eſt Synodus anni 427. Canon profertur in Cod. Afr. e. 33. & in Synodo Carthaginienſi anni 421. c. 9. hoc tomo col. 652.

N. 101. *Conc. Carth. tit.* 7. Sunt duo canones 8. & 9. Concilii anni 390. ſub Genethlio, qui in Ferrandi codice in unum copulati canonem ſeptimum conflaverant. Vide notata num. 90.

N. 118. *Conc. Carth. tit.* 12. Pertinet ad Synodum anni 401. Idibus Septembris. Legitur hic canon apud Iſidorum in Concilio Carthaginienſi V. c. 11. repetitus autem fuit in Synodo anni 419. c. 27. Codicis Afr.

N. 119. *Conc. Carth. tit.* 8. Eſt Concilium ſub Grato c. 8.

N. 121. *Conc. Carth. tit.* 9. Eſt Synodus anni 397. Canon refertur in Breviario Hippon. c. 1.

N. 122. *Conc. univerſal. Carth.* Supplendum *tit.* 25. Eſt canon ejuſdem Synodi, qui in Breviario Hippon. legitur c. 16.

N. 129. *Conc. Carth. tit.* 27. Idem Concilium: in Breviario autem canon deſcribitur c. 18.

N. 132. *Conc. Carth. tit.* 33. Idem Concilium: canon vero in Breviario Hippon. c. 24. in Cod. Afr. c. 38.

N. 134. *Concil. Carthag. tit.* 35. Eſt canon ejuſdem Concilii in Breviario Hippon. c. 26. in Cod. Afr. c. 40.

N. 135. *Conc. Carth. tit.* 44. Ejuſdem Concilii canon in Breviario c. 35.

N. 136. *Concil. Carthag. tit.* 13. Spectat ad Synodum anni 401. Idibus Septembris. Eſt in Codice Afr. c. 79.

N. 143. *Conc. Carth. tit.* 3. Laudari videtur Synodus XX. ſub Aurelio, uti probavimus part. 2. c. 3. ſ. 9. n. 3.

N. 144. *Ut Concilium univerſale non fiat, niſi cauſſa communis, ideſt totius Africæ, coegerit.* Hic canon ad Synodum Africanam manifeſte pertinet. Allegatio autem Synodi, quæ deſideratur, ſupplenda eſt ſic. *Conc. Carth. tit.* 1. Hic enim canon primus eſt inter canones Concilii Carthaginienſis anni 407. c. 95. Codicis Africani.

N. 163. *Conc. Carth. tit.* 7. Eſt eadem Synodus 407. c. 102. Codicis Afr.

N. 170. *Conc. Carth. tit.* 42. Eſt canon Synodi anni 397. c. 33. Breviarii Hippon. & c. 45. Cod. Afr.

N. 171. *Conc. Carth. tit.* 17. Spectat ad Synodum anni 401. Id. Septembris c. 83. Cod. Afr.

N. 175. *Conc. Carth. tit.* 48. Indicatur Synodus anni 397. c. 48. Cod. Afr.

N. 183. *Conc. Carth. tit.* 2. Eſt Synodus ſub Grato e. 2.

N. 189. *Conc. Carth. tit.* 2. Pertinet ad Concilium anni 401. Id. Septembris c. 68. Cod. Afr.

N. 190. *Conc. Carth. tit.* 10. Allegatur Synodus anni 418. c. 117. Cod. Afr.

N. 191. *Conc. Carth. tit.* 11. Idem Concilium c. 118. Cod. Afrc.

N. 193. *Conc. Carth. tit.* 1. Eſt Synodus anni 401. XVI. aut XVII. Kal. Julias c. 57. Codicis Afr.

N. 195. *Conc. Carth. tit.* 2. Eſt canon actionis ſecundæ Concilii anni 419. c. 128. Codicis Africani.

N. 196. *Conc. Carth. tit.* 3. Ex eadem actione c. 119. Cod. Afr.

N. 197. *Conc. Carth. tit.* 4. Ex eadem actione c. 110. Cod. Afr.

N. 198. *Conc. Hipponiregienſi tit.* 5. ubi corrigendum eſt *tit.* 4. Eſt Synodus Hipponenſis anni 427. Vide quæ notavimus part. 2. c. 3. ſ. 9. n. 4. Repetitus eſt hic canon ex anteriori Synodo Carthaginienſi anni 421. in qua legitur c. 2. hoc tomo col. 650. & profertur etiam in Cod. Afr. c. 30. inter canones primæ actionis Synodi anni 419.

N. 202. *Conc. Carth. tit.* 41. Eſt Synodus anni 397. Habetur vero hic canon in Breviario Hipponenſi c. 32. & in Cod. Afr. c. 45.

N. 203. *Conc. Carth. tit.* 7. Pertinet ad Synodum anni 401. Id. Septembris. Legitur hic canon in Codice Afr. c. 72.

N. 213. *Conc. Carth. tit.* 32. Eſt Concilium anni 397. c. 23. Breviarii Hippon. & c. 37. Cod. Afr.

N. 219. *Conc. Carth. tit.* 31. (ubi corrigendum *tit.* 30.). *Item Conc. Carth. tit.* 7. Primum eſt Concilium anni 397. c. 21. Breviarii Hipponenſis. Alterum eſt Concilium anni 407. c. 103. Cod. Afr.

N. 226. *Conc. Carth. tit.* 11. Innuitur Synodus anni 397. c. 3. Breviarii Hippon.

N. 227. *Concil. Carth. tit.* 12. Eadem Synodus anni 397. c. 4. Breviarii laudati.

N. 228. *Conc. Carth. tit.* 45. Eſt canon ejuſdem Synodi in Breviario Hippon. c. 36.

N. 229. *Conc. Carth. tit.* 46. Ex eadem Synodo eodem c. 36. Breviarii, & c. 46. Codicis Afr.

N. 230. *Conc. Carth. tit.* 54. Idem Concilium c. 55. Codicis Afr.

N. 231. *Conc. Carth. tit.* 5. Eſt Synodus anni 401. Id. Septembris. Legitur hic canon in Cod. Afr. c. 71.

N. 232. *Conc. Carth. tit.* 29. Eſt Concilium anni 397. c. 20. Breviarii Hipponenſis.

Codices, quibus Ferrandus uſus eſt.

Ex his Ferrandus præter codicem Græcorum canonum verſionis Iſidorianæ, in quo Chalcedonenſes, numquam ab eo allegati, videntur defuiſſe, codices Afrorum canonum præſto habuit, in quibus continebantur duo Concilia Grati & Genethlii, & Synodi omnes ſub Aurelio uſque ad Hipponenſem anni 427. Mirum vero ne ſit, eum numquam memoraſſe Synodum Hipponenſem ſub eodem Aurelio celebratam anno 393. nec canones primæ actionis Concilii Carthaginienſis anni 419. Satius enim ipſi viſum eſt referre canones ejus Synodi Hipponenſis ex Concilio Carthaginienſi anni 397. in quo deorum Breviarium inſertum fuit. Canones vero tres ac triginta primæ actionis Concilii Carthaginienſis anni 419. partim ex anterioribus, partim ex poſterioribus Synodis retulit, in quibus vel conditi, vel repetiti fuerant. Peculiarem præterea codicem canonum provinciæ Byzacenæ adhibuit, ex quo plures Synodos ejuſdem provinciæ laudat. Vide quæ in hanc rem notavimus part. 2. c. 3. ſ. 9. n. 5. ubi etiam nonnulla attigimus de Synodo Zellenſi, & de duabus Siricii epiſtolis eidem Synodo inſertis, quas ille identidem allegat.

Cur quædam canones ſub Aurelio numquam retulerit.

CAPUT II.

De Collectione, ſeu Capitulis S. Martini Epiſcopi Bracarenſis.

I. POſt Breviationem Ferrandi memoranda eſt collectio Capitulorum S. Martini Epiſcopi Bracarenſis, qui eodem ſæculo floruit. Hunc in Pannonia ortum teſtatur S. Gregorius Turonenſis in Hiſtoria Francorum lib. 5. c. 38. ac propterea erravit Garſias Loaiſa, qui eum Græcum credidit. Ex Pannonia vero ad viſitanda loca ſancta in Orientem migrans, Græcas litteras & optimas ſcientias ibidem excoluit; tantumque in iiſdem profecit, ut doctiſſimis quibuſque ſui temporis nihil cederet. Ex Oriente in Galliciam trajecit, ibique ab Arriana impietate converſis Svevorum populis regulam fidei ac religionis præcepta conſtituit, Eccleſias informavit, & Monaſteria condidit, uti S. Iſidorus Hiſpalenſis memoriæ prodidit. Monaſterium Dumienſe conſtruxiſſe traditur in Concilio Toletano X. c. 3. cujus etiam pri-

De Vir. illuſtr. c. 22. al. 35.

primus Abbas fuit. *Monaſterii Dumienſis Epiſcopus* vocatur ab eodem S. Iſidoro in Hiſtoria Gotthorum, qui epiſcopalis honor, Martini ejuſdem meritis, Dumienſi Eccleſiæ primum tributus, in aliquot ejus ſucceſſores tranſivit. Hinc non male eum, qui in Concilio Bracarenſi I. anni 563. ſeu, ut putat Loaiſa, anni 561. ſubſcriptus legitur *Martinus Epiſcopus*, noſtrum Martinum Epiſcopum Dumienſem nonuulli interpretati ſunt. Enimvero cum in Concilio Bracarenſi II. idem Martinus decreta primi Bracarenſis a ſe jam antea firmata pronuntiet, tunc autem Bracarenſem ſedem teneret Lucretius; non alio profecto nomine ille in eodem Conciliu I. ea decreta firmare potuit niſi uti Epiſcopus Dumienſis. Huic autem tempori, quo erat Epiſcopus Dumienſis, adſcribenda videtur ea Latina verſio, cujus meminit Sigebertus de Script. Eccleſ. c. 117. *Martinus Epiſcopus tranſtulit per manum Paſchaſii Diaconi interrogationes & reſponſiones plurimas Sanctorum Ægyptiorum Patrum in Dumienſi Monaſterio.* Hæc verſio in Appendice ad vitas Patrum typis Plantinianis anni 1628. edita fuit. Monet autem Roſweydus ſolius Martini nomen præferri in duobus codicibus, inter quos vetus liber S. Floriani ſcriptus ſæculo IX. hanc epigraphen exhibet: *Interrogationes & reſponſiones Ægyptiorum Patrum, quas de Græco in Latinum tranſtulit Martinus Epiſcopus in Monaſterio Dumienſi.* Paſchaſii autem verſio referri poteſt ad aliud non abſimile opus in eadem editione impreſſum libro ſeptimo, quod Paſchaſio quidem interpreti in MSS. tribuitur. Ad Bracarenſem porro ſedem Martiuus promotus, præfuit Bracarenſi II. ann. 572. cui ſubſcripſit: *Martinus Bracarenſis metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus.* Illa vero S. Gregorii Turonenſis, quibus ſacerdotio ejus tribuit annos plus minus XXX. non ſolum Epiſcopatum Bracarenſem, ſed & Dumienſem reſpiciunt.

Martinus primo Epiſc. Dumienſis.

Poſtea Bracarenſis.

II. Inter eius opera ad noſtrum inſtitutum pertinet ea LXXXIV. canonum ſeu Capitulorum collectio in duas partes diſtincta, quarum prior exponit quæ ad Epiſcopos & univerſum Clerum pertinent, altera vero res ad laicos ſpectautes complectitur. Hanc collectionem ille ex canonibus præſertim Græcis & latine redditis digeſſit. Hujus compingendæ cauſſam in præmiſſa epiſtola his verbis expoſuit. *Canones in partibus Orientis ab antiquis Patribus conſtituti, Græco prius ſermone conſtituti ſunt; poſtea autem ſuccedenti tempore in Latinam linguam tranſlati ſunt. Et quia difficile eſt, ut ſimplicius aliquid ex alia lingua transferatur in alteram; ſimulque & illud accidit, ut in tantis temporibus ſcriptores aut non intelligentes, aut dormitantes multa prætermittant; & propterea in ipſis canonibus aliqua ſimplicioribus videantur obſcura: ideo viſum eſt, ut cum omni diligentia & ea quæ per translatores obſcurius dicta ſunt, & ea quæ per ſcriptores ſunt immutata, ſimplicius & emendatius reſtaurarem.* Latina Græcorum canonum verſio, quæ in Hiſpania vigebat, quæque idcirco traducta fuit in collectionem Hiſpanicam, illa eſt quæ ab Iſidoro poſtea recepta, Iſidoriana appellari ſolet. In hac itaque verſione quædam obſcurius reddita Martino viſa ſunt. Aliqua vero in eadem a librariis aut minus intelligentibus, vel dormitantibus immutata, aut omiſſa in aliquibus exemplaribus reperit: ſicuti nos in eadem verſione, quæ in codice canonum mox edendo continetur, nounullas ſententias liberius traductas atque mutatas, aliquas vero breviores particulas prætermiſſas in notationibus indicabimus.

De Martini Capitulis.

III. Paſchaſius Queſnellus Diſſert. 12. n. 10. exiſtimat, Martinum ex antiqua canonum translatione in Codice canonum abs ſe edito contenta, non autem ex Græco ſuam collectionem concinnaſſe; eoſque hallucinatos affirmat, qui eum novæ tranſlationis canonum auctorem prædicant. Ea quæ affert, ut probet Martinum uſum fuiſſe laudato Codice canonum, refellemus in Obſervationibus ad eamdem Diſſert. 12. cap. 2. n. 10. E Græco autem codice, non autem ex ulla antiqua verſione ſuam collectionem digeſſiſſe non ſolum indicant recitata ejus verba, quibus Græcum textum cum vulgatis verſionibus ſe contuliſſe demonſtrat; verum etiam ex ipſis ejuſdem Capitulis liquet, quæ cum nulla Latina interpretatione conveniunt. Verum tamen eſt, Martinum novam Græcarum Synodorum verſionem lucubrandam ſibi non propoſuiſſe, ſed nova quadam faciliori methodo novam & brevem collectionem voluiſſe condere ex iis capitulis, quæ Clericis & Laicis utiliora videbantur: *Hoc ſimul obſervans*, inquit, *ut illa quæ ad Epiſcopos, vel univerſum Clerum pertinent, una in parte conſcripta ſint; ſimiliter & quæ ad laicos pertinent, ſimul ſint adunata, ut de quo capitulo ſcire aliquis voluerit, poſſit celerius invenire.* Ut autem hac in re lectorum intelligentiæ & utilitati proſpiceret, canones quidem Græcarum Synodorum in ipſo Græco fonte potiſſimum expendit; ſed eos, quos utiles & excerpendos credidit, non ſemper latine interpretatus eſt. Pleroſque enim ita retulit, ut quædam quæ ſimplicioribus videbantur obſcura, explicarit latius, quædam omiſerit, quædam etiam inſeruerit, prout ſuorum diſciplinæ utilius putavit: & ob hanc, ut credimus, libertatem, undenam hoc vel illud capitulum ſumtum fuerit, numquam adſcripſit. Eodem conſilio canonem decimum, alias nonum Synodi Ancyranæ, quem præ oculis habuit cap. 39. emendans, Occidentali diſciplinæ accommodavit. Cum enim eo canone Diaconis, qui in ordinatione proteſtati fuerint, velle ſe uxorem ducere, & nihilominus ordinationem acceperint, ſi poſtea matrimonio jungantur, in miniſterio permanere permittatur; Martinus hos poſt hujuſmodi poteſtationem ordinari vetat. Cum nullum capitulum proferatur, quod cum Chalcedonenſibus canonibus ulla ratione conveniat; Martinus Græco codice uſus videtur, qui iiſdem canonibus carebat.

Num & quatenus ex Græco Capitula expreſſerit.

IV. Licet præfationem legentibus omnia ex Orientalibus Synodis excerpta videri poſſint; nonnulla tamen ex Latinis quoque fontibus hauſta fuerunt. Certum ſiquidem eſt, quædam iiſdem fere verbis ſumta ex Concilio Toletano I. nonnulla etiam, ſed rarius, ex Bracarenſi I. & ex Africanis derivata videntur. Non pauca vero, quæ in nullis nec Græcis, nec Latinis canonibus, qui Martino antiquiores ſint, hactenus invenire licuit, ipſi Martino tribuenda arbitramur. In editione quidem inſerta Bibliothecæ Juris canonici Gulielmi Voelli, & Henrici Juſtelli ſingulis Martini capitulis ii canones Conciliorum e regione adnotantur, ex quibus tamquam ex fontibus ea capitula depromta creduntur. Utilis & commendanda hæc diligentia, quam Joanni Doujatio laudati editores referunt. At canones Nicænus 8. & Laodicenus 39. ita minimum congruunt cum capitulis 36. & 73. quibus aſſignuntur, ut illos Martinus in his capitulis animo obvolviſſe haud facile credi poſſit. Eadem, immo multo major eſt ratio de Concilio Turonenſi II. cujus canon 22. alias 23. una cum Laodiceno canone apponitur laudato capitulo 73. & de Agathenſi, cujus canon 64. adſcribitur capitulo item 64. Nam præterquam quod indicati canones cum iiſdem capitulis minus conveniunt, incredibile eſt has Synodos Gallicanas præ oculis fuiſſe S. Martino, qui ex Gallicanis Conciliis nihil excerpſiſſe deprehenditur. Adde quod Synodus Turonenſis II. ſub idem circiter tempus celebrata, quo Martinus Capitula condidit, cum poſteriori collectioni Hiſpanicæ etiam auctiori non inveniatur inſerta, Hiſpanis fuiſſe videtur ignota. Cur porro capitulo 68. apponatur canon cujuſdam Concilii ex Capitularium lib. 6. num. 198. non intelligimus. Non ſolum enim idem canon cum eo Martini capitulo non concinit; verum etiam nullum ibidem Concilium Martino anterius allegatur, ex quo idem capitulum excerpi potuerit. Pejus autem multo nonnulli hac notatione decepti affirmarunt, Martinum canones ſumſiſſe *etiam ex Capitularibus*, quæ multo poſt ejus ætatem digeſta fuerunt. Simili de cauſſa non arridet allegatio Aralatenſis III. can. 5. ex num. 594. ejuſdem libri Capitularium affixa capitulo 69. cum præſertim in canonibus Arelatenſis III. nihil tale inveniatur. Quæ vero cum Ivone Carnotenſi afferuntur ex Conciliis Carthaginienſi & Bracarenſi ad capitula 65. 74. & 75. nihil aliud ſunt niſi ipſa horum Martini capitulorum verba, quæ in nullo Chartaginienſi, aut Bracarenſi Concilio reperire licebit. Forte Ivo Concilium Bracarenſe appellavit

Nan omnia Capitula ex Græcis excerpta.

vit ipſa Martini Capitula, quæ apud quoſdam Concilii Bracarenſis nomine donantur. Hi ergo canones cum ceteris, quos paullo ante indicavimus, eidem Martino referendi videntur. Nonnulli canones apoſtolicos perperam adſcribi putant capitulis 26. & 27. cum præſertim illos Martino ignotus arbitrentur, immo etiam nondum conditos, dum idem in Oriente verſaretur. Hos vero multo antiquiores oſtendimus part. 1. c. 1. Certe Dionyſius Exiguus, qui ante S. Martinum ſuam collectionem lucubravit, eoſdem e Græco latine reddiderat. Num vero ex adſcriptis canonibus apoſtolicis Martinus aliquid ſumſerit, & more ſuo latius expoſuerit, an vero hæc quoque capitula 26. & 27. inter ea recenſenda ſint, quorum ipſe auctor exſtitit, definire non audemus.

V. Hanc Capitulorum collectionem Martinus direxit ad Nitigiſium & univerſum Concilium Lucenſe. Hic Nitigiſius cum ſuis ſuffraganeis interfuit Concilio Bracarenſi II. cui Martinus præfuit. Eadem Capitula in hoc Concilio lecta & confirmata creduntur. At quod ibidem lectum & confirmatum traditur, non ſunt hæc Capitula, ſed geſta Bracarenſis I. ut ex interloquutione ipſius Martini manifeſtum eſt. Hæc Capitula nobis conſervata fuerunt a collectione Hiſpanica, ex qua in Iſidorianam tranſierunt. Edita ſunt primum ex codice Iſidoriano, quem Merlinus adhibuit: dein vero illa recuſit Loaiſa ad fidem codicum collectionis Hiſpanicæ. Juſtellus & Voellus utriuſque editionis lectiones & manuſcriptorum variantes notarunt quam diligentiſſime in Appendice tomi 1. Bibliothecæ Juris canonici. In perampla collectione canonum manuſcripta Collegii Pariſienſis Societatis Jeſu hæc Capitula inſcribuntur *Concilium Martini Papæ*, ut P. Harduinus notavit. Hinc nihil mirum, ſi illa apud poſteriores quoſdam collectores canonum nonnumquam allegentur *ex decretis*, ſeu *ex Concilio Martini Papæ*. Hoc errore ducti nonnulli eadem Capitula a S. Martino I. Summo Pontifice in Concilio Romano ſancita putantes, eidem Pontifici tribuerunt eam diſciplinæ relaxationem, qua in iiſdem Capitulis permittitur ut bigami in minoribus ordinum gradibus permaneant; & proinde etiam contendebant, vi eorumdem Capitulorum, quæ Martino Pontifici aſſerebantur, hoc quoque tempore Epiſcopum cum bigamo poſſe ad minores ordines diſpenſare. Quam opinionem falſo fundamento innixam Sixtus V. tandem exploſit, ut videre licet apud Fagnanum in Commentario ad caput ſecundum *de bigamis*.

CAPUT III.

De Breviario & Collectione Creſconii.

Duo Creſconii opera.

I. CReſconii, ſeu, ut alii malunt, Criſconii Epiſcopi Africani duo opera memorantur, alterum *Concordia canonum*, alterum poema *de bellis Lybicis*. Utrumque hoc opus deſignatum vidimus in MS. Vallicellano XVIII. pag. 136. ubi deſcribitur tabula eorum, quæ in eodem continentur. In primo autem ejuſdem tabulæ numero hæc leguntur. *Concordia canonum a Creſconio Africano Epiſcopo digeſta ſub capitulis trecentis. Iſto nimirum Creſconius bella & victorias, quas Johannes Patricius apud Africam de Saracenis geſſit, exametris verſibus deſcripſit ſub libris* ... Primum opus tantum ſupereſt; ſecundum vero, quod hactenus in deſiderio eſt, cum inſcriptione quidem *de bellis Lybicis*, continebatur in MS. Monaſterii montis Caſſini inter codices, quos Deſiderius Abbas, poſtea Romanus Pontifex Victor III. bibliothecæ ejuſdem Monaſterii addidiſſe traditur a coævo auctore Leone Oſtienſi in Chronico Caſſinenſi lib. 3. c. 63. Id autem utilitatis notitia hujus operis attulit, quod Creſconii ætas exinde cognoſcitur. Cum enim memorati Joannis Patricii victoria tum ab Anaſtaſio Bibliothecario in Eccleſiaſtica Hiſtoria, tum a Cedreno affigatur anno tertio Leontii Imperatoris, ideſt anno Chriſti 697. Creſconius, qui eam verſibus deſcripſit, hoc tempore floruit.

Poema de bellis Lybicis.

De Concordia canonum.

II. Nunc de altero opere, quod *Concordia canonum* inſcribitur. Hæc, quam petente Liberino Epiſcopo concinnavit, totam Dionyſii collectionem in trecentos titulos diſtributam ita continet, ut non integra Concilia, nec integras Romanorum Pontificum epiſtolas, uti apud Dionyſium leguntur, continua ſerie exhibeat; ſed omnia Conciliorum Pontificumque decreta, quæ in unam materiam conferunt, hinc inde excerpta ſimul colligat, & certis titulis ſubjiciat. Cum vero hoc opus non totum ſimul, ſed per partes editum fuerit; non ſatis perſpectum eſt. Anno 1588. curante Franciſco Pithœo una cum Breviatione Ferrandi edita fuit ea tantum ejuſdem Creſconiani operis portio, quæ poſt præfationem ipſius Creſconii ad Liberinum non integros canones, aut decreta integra exhibet; ſed ſola canonum & decretorum capitula cuique titulo congruentia, ut in Breviatione Ferrandi obſervavimus, leviter indicat, hac inſcriptione editioni præfixa. *Criſconii Epiſcopi Africani Breviarium canonicum. Hic habetur Concordia canonum Conciliorum infraſcriptorum & Præſulum Romanorum, ideſt canonum Apoſtolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæſarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Carthaginenſium: item Præſulum Siricii, Innocentii, Zoſimi, Cæleſtini, Leonis, & Gelaſii.* Prima hujus inſcriptionis verba *Criſconii Epiſcopi Africani canonicum*, in nullo codice invenimus; ſed in omnibus titulus incipit a verbis, *Hic habetur Concordia* &c. Non incongrue vero *Breviarium* appellata eſt ea prima pars, quæ non opus integrum *Concordiæ*, ſed ejus compendium tantummodo exhibet. Hoc idem Breviarium Creſconianum poſtea recuſum a multis, tomo 1. Bibliothecæ Juris canonici una cum Breviatione Ferrandi inſertum fuit pag. 455. Cum porro eodem tomo ad umbilicum perducto, Gulielmus Voellus & Henricus Juſtellus laudatæ Bibliothecæ editores ipſum opus *Concordiæ canonum* e MS. bibliothecæ Claromontanæ Soc. Jeſu accepiſſent, in quo integri canones in titulos diſtributi deſcribebantur; eam veluti *opus alterum*, & a Breviario diſtinctum ſeparatim in Appendice ejuſdem tomi impreſſerunt pag. XXXIII. cum hac epigraphe: *Criſconii Epiſcopi Africani liber canonum, in quo integros ipſos Conciliorum canones & Pontificum decreta eo ordine, quo in Breviario allegantur, deſcripſit.*

Breviarium Creſconii.

Editio Concordiæ canonum, ſeu libri canonum.

Variæ ſententiæ.

III. Hæc editionis ratio plures eruditos, qui codices integri operis non potuerunt inſpicere, in diverſas ſententias diſtraxit. Alii enim Breviarium & librum canonum duo Creſconii opera exiſtimant. Alii malunt, Creſconium tantum ſcripſiſſe poſterius opus, in quo canones integri recenſentur; Breviarium vero decerptum ſuſpicantur ab alio, cui Creſconii opus nimis prolixum videbatur, quive nudam notitiam canonum memoriæ juvandæ cauſſa præſtare voluit. P. Couſtantius primo ancepſ fuit, num præter Breviarium Creſconius etiam librum canonum condidiſſet. Rem hanc dijudicaturus ad celebriorum codicum fidem, Romam ad ſodales & amicos ſuos ſcripſit, ut Vallicellanos, & Vaticanos codices a Cardinali Baronio laudatos excuterent. His autem reſcribentibus nullum utrobique codicem exſtare, niſi qui merum Breviarium continet, ſolum Breviarium a Creſconio concinnatum tandem cenſuit. Quantum vero ad fuſiorem librum canonum conjecit, *ſtudioſum aliquem repertum eſſe, qui Breviarium Canonicum ſic tamquam oſſeam compagem carne ſua veſtierit, hoc eſt, qui delineatam a Creſconio Concordiæ formam ſequutus, pro ſummariis canonum totos ipſos canones deſcripſerit, ſervato primo rerum ordine ac numero titulorum.* Qua in ſententia confirmatus fuit ex ipſo codice Claromontano, ex quo idem liber canonum editus fuerat: quippe in hoc poſt Breviarium, cui Creſconii præfatio præmittitur, ſequitur ſpecies quædam veluti præfationis libro canonum præfixæ, quam ipſorummet etiam editorum judicio *Creſconii non eſſe multa perſuadent*. Ipſe autem liber canonum, qui ſtatim ſubjicitur, nec in prima fronte, nec alibi uſpiam Creſconii nomen præfert.

Præfat. t. 1. Epiſt. Rom. Pont. n. 125. & 126.

Utrumque Creſconio vindicatur.

IV. Nobis vero, quibus feliciter obtigit plura Creſconiani operis exempla invenire & expendere, rem hanc certius conſtituere licebit. Quatuor quidem codices nacti ſumus, in quibus ſolum, uti appel-

pellant, Breviarium ſine prolixiori libro canonum A legitur, nimirum Vat. 1353. & 5845. Vallicel. A 5. & Vercellenſem, qui omnes Dionyſianam, ſeu Dionyſio-Hadrianam collectionem una cum Additionibus Dionyſiana complectuntur. In his Breviarium Creſconianum præmittitur ipſi collectioni Dionyſii, ex qua excerptum fuit. Deeſt autem in iiſdem liber canonum, quia cum mox ipſa ſubjiciatur Dionyſii collectio, quæ integra documente eodem Breviariu indicata continet, ille liber, in quo eadem documenta alia methodo in titulos diſtributa repetuntur, ſuperfluus viſus eſt. Quiſquis enim ex numeris titulorum in Breviario notatis, qui Dionyſianæ collectioni plane reſpondent, ipſos canones B & decreta Pontificum in eadem collectione reperire facile poteſt. Hos tantum codices inſpexerunt illi ſodales & amici P. Couſtantii, qui ſolum Breviariom in Vaticanis & Vallicellanis forulis invenientes ad eum reſcripſerunt: ſimileque MS. exemplum Franciſco Pithoeo occurriſſe dicendum eſt, cum merum Breviarium edidit. Cum vero horum codicum ſcopus non fuerit, Creſconianum opus integrum exhibere, ſed eam partem ex Creſconio decerpere, quæ Dionyſianæ collectioni utilis videbatur; nihil ex his codicibus colligi poteſt, ut ſolum Breviarium Creſconio aſſeratur; ſi præſertim alii omnes codices, qui ſine Dionyſiana collectione Creſconium præferunt, numquam ſolum Breviarium, ſed ſemper tum Breviarium, tum prolixiorem canonum C librum exhibeant.

Codices integrum opus Creſconii continentes.

V. Sex autem ejuſmodi manuſcripta exemplaria invenimus, nimirum Veronenſe 60. Vat. Palat. 579. Vat. Reginæ 849. Vat. 1347. & 5748. ac Vallicellanum XVIII. Inter hæc omnium vetuſtiſſimum, & ætati Creſconii proximum eſt exemplum Veronenſis Capituli ſignatum numero 60. quod ſæculo octavo exaratum creditur: paullo autem poſterior eſt codex Vat. Palat. 579. In his omnibus Breviarium cum libro canonum ita conjungitur, ut utrumque ejuſdem Creſconii opus eſſe liqueat; & Breviarium quidem eſſe perſpiciatur veluti index, ſeu tabula capitulorum prolixioris operis, ſeu libri canonum, qui ſine ea intermedia præfatione in Claromonta- D num codicem perperam intruſa ſtatim ſubjicitur. Hinc quod in editis vocatur *Breviarium*, proprium in codicibus *Capitula* inſcribitur tum initio, tum in fine. Initio quidem poſt Creſconii præfationem ad Liberinum (ut in ipſa quoque Pithoeana editione legitur) his verbis: *Deinceps ſuccedunt Capitula*: & in fine: *Expliciunt Capitula*, vel *Explicit Capitulare canonum*. Hoc autem *Capitulorum* nomen indicem ſequentis operis innuere ſolet, ut ex quibuſdam aliis collectionibus diſcimus. Creſconius ſcilicet imitari voluit Dionyſium, ex quo ſuam collectionem excerpſit. Sicut enim is ſuæ collectioni indicem ſeu tabulam præmiſit inſcriptam *Tituli canonum*; ita Creſconius *capitulorum* indicem præfixit. E Hæc igitur Capitula, ſeu hoc Breviarium Creſconii nomine in omnibus tum primi, tum alterius generis codicibus prænotatum nemo ab eodem abjudicare poteſt.

VI. Prolixior autem liber, qui eadem capitula in tot & tam vetuſtis codicibus ſtatim ſubſequitur, in ipſa præfatione Creſconii ita eidem adſcribitur, ut de auctore dubitare non liceat. Narrat ſiquidem ſe a Liberino Epiſcopo excitatum, *ut cuncta canonica conſtituta, quæ ab ipſis exordiis militiæ chriſtianæ tam ſancti Apoſtoli, quam apoſtolici viri per ſucceſſiones temporum protulere, colligeret in unum, eorumque CONCORDIAM faciens, ac TITULORUM PRÆNOTATIONEM interponens, ea dilucidius declararet*. Notabilis eſt diſtinctio *Concordiæ*, quæ F ipſum canonum librum innuit, & *titulorum prænotationis*, quæ Breviario ſeu Capitulis congruit. Hunc autem laborem declinare ſtudens Creſconius, *propoſuerat hoc canonum Breviarium a viro reverentiſſimo Ferrando Carthaginenſis Eccleſiæ Diacono jam fuiſſe digeſtum, & debere eum noſtræ eruditioni ſufficere*. Hoc autem Ferrandi opus, quod indicat ſolos canonum titulos, non autem ipſos proponit canones, indoctis, quorum eſt maxima multitudo, non ſufficere Liberinus repoſuit, *dum eos* (Ferrandus) *ad inquiſitionem earum rerum præmiſit, quæ nec ab omnibus reperiuntur, nec repertæ ſine faſti-* A *dio perleguntur. Nulli ſiquidem dubium eſt, quam moleſtiſſime perferat lector, dum avidius cujuſque rei cognitionem expectat, & ad librum præmittitur, quem aut forte non legit, aut ubi reperiat non novit*. Liberinus ergo non merum Breviarium Ferrandiano ſimile, quod ſolos canonum titulos prænotaret, ſed ipſos canones integros deſcribendos expetiit, quod prolixius opus requirit. Huic autem petitioni Creſconius ſe ceſſiſſe affirmans, *neceſſarium duxi*, inquit, *cuncta eccleſiaſtica, ut dictum eſt, conſtituta, quæ ad noſtram notitiam pervenerunt, in hoc opere ſub titulorum ſerie prænotare, & ea condiſcere valentibus & volentibus dubitationis ambagem auferre, ut eorum plena inſtructio non ex diſ-* B *ficultate ſcriptoris, ſed ex deſidia jam dependeat lectoris*. Verba *ſub titulorum ſerie prænotare* præmiſſum Breviarium ſignificant, in quo ad Ferrandi exemplum canonum tituli ſeu capitula *prænotantur*: *plena* autem *inſtructio*, qua *condiſcere valentibus & volentibus dubitationis ambages auferatur*, ad prolixius opus refertur, ex quo quidem fiet, ut plena canonum inſtructio ſi cui deerit, *non ex difficultate ſcriptoris*, qui longiorum canonum tranſcriptionem declinarit, *ſed ex deſidia jam dependeat lectoris*. Utrumque igitur Creſconio adjudicandum eſt opus, ſeu potius utraque pars eſt unius ejuſdemque operis, quod *Concordia canonum* inſcribitur.

Editio Concordiæ quomodo curanda ſit.

VII. Integra hujus operis editio ad fidem eorum C codicum, qui illud integrum continent, ſic exigenda erit. Primo hæc præfigatur inſcriptio: *Hic habetur Concordia canonum Conciliorum infraſcriptorum* &c. uti jam dedimus num. 2. Sequetur præfatio ſeu epiſtola Creſconii ad Liberinum cum epigraphe: *Incipit præfatio Creſconii de Concordia canonum ad Liberinum*. Tum deſcribetur Breviarium cum titulo: *Deinceps ſuccedunt capitula*, uti cum vulgato habet codex Vat. Palat. 579. vel *Incipiunt capitula*, quemadmodum in codice Veronenſi legitur: & in fine Breviarii *Expliciunt capitula*, vel ut in aliis MSS. obſervavimus: *Explicuerunt capitula de Concordia canonum*. Dein ſubjicietur ipſe liber canonum, qui tum in codice Claromontano, tum in D laudato Palatino hanc epigraphen præfert, *Incipit liber canonum*; in Vallicellano autem MS. XVIII. *Item Concordia canonum*. Omiſſis autem illis, quæ in Appendice tomi 1. Bibliothecæ Juris canonici pag. XXXIII. leguntur, *Qui Epiſcopus ordinandus eſt* &c. in MS. Claromontanum intruſa, & ſumta ex canone primo vulgati Concilii Carthaginienſis IV. incipiendus erit Creſconii liber a num. 1. *De ordinatione Epiſcopi. In canonibus Apoſtolorum* &c. ut in eadem Appendice pag. XXXIV. & ſequentibus cum clauſula in fine: *Explicit Concordia canonum*, addit codex Vat. Palatinus, *ſcripta a Creſconio ad B. Liberinum Pontificem*. Quantum ad numerum capitulorum retinenda eſt vulgata diviſio E in capitula trecenta, quæ pleriſque & vetuſtioribus codicibus comprobatur. Quod ſi duo codices Vat. 1347. & Vat. Palat. 579. dividunt in capitula CCCI. alius autem codex Helmſtadienſis laudatus a Fabricio dividit in capitula CCCIII. id ex eo accidit, quia unum aut alterum capitulum partiuntur in duo; ſicut e contra in MS. Vat. Reginæ 849. prætereuntur capitula CCXCVII. quippe nonnulla in unum coeunt. Hæc pura & integra eſt Creſconii collectio.

Collectio Creſconiana laudata a Baron. & aliis quid ſit.

VIII. Hoc autem loco non eſt omittendum, ab Eminentiſſimo Baronio, & ab editoribus Romanis Epiſtolarum Romanorum Pontificum, & ex iis a Binio, aliiſque ſæpius laudari *collectionem Creſconianam*, quæ in MS. Vallicellano & in alio Vaticano F continetur. Cum vero exinde allegata, vel excerpta fuerint quædam documenta, quæ nec in Creſconio, nec apud Dionyſium leguntur; non minima difficultas plures inceſſit. Ex laudatis autem codicibus deteximus, *Creſconianæ collectionis* nomine indicatos fuiſſe codices Vallicellanum A. 5. & Vat. 1353. qui a præfatione & Breviario Creſconii exordiuntur. Cumque Breviario ſubjiciatur collectio Dionyſio-Hadriana cum pluribus aliis documentis, quæ inter Additiones Dionyſianas retulimus atque deſcripſimus part. 3. c. 3. hæc omnia incaute eodem collectionis Creſconianæ nomine allegata fuerunt. Cum

non-

nondum certa eſſet ætas Creſconii, nec integrum ejus opus ex aliis MSS. cognoſceretur; facile fuit eidem Creſconio, cujus præfatio initio deſcribitur, tribuere totam collectionem in laudatis codicibus comprehenſam; tametſi pleraque ejuſdem documenta in Breviario nuſpiam indicentur, & nonnulla etiam reipſa Creſconii ætate poſteriora ſint.

Creſcon. primus inter Latinos collectionem in titulos diſtribuit.

IX. Alius quoque nonnullorum error ex Creſconiano opere detegitur, eorum ſcilicet, qui olim putarunt, Burchardum Vormatienſem Epiſcopum, & Ivonem Epiſcopum Carnotenſem primos fuiſſe, qui in ſuis collectionibus Synodos & epiſtolas Romanorum Pontificum non ediderint integras ſervato temporum ordine, ut antiqui fecerunt, ſed ſectas in partes & in titulos diſtributas. Nec mirum eſſe debet, viros ceteroqoin doctiſſimos ita ſenſiſſe, cum nondum prodiſſet ulla collectio illis Epiſcopis vetuſtior, in qua eadem methodus deprehenderetur. Primum vero hujus methodi exemplum inter ſcriptores Latinos ex Creſconio ſuppetit. Solom hic ex unius Dionyſianæ collectionis documentis decreta excerpſit. Alii vero poſtea ex aliis quoque fontibus plura ſumentes, in libros & titolos diviſerunt; ac præterea addiderunt ſententias ſanctorum Patrum, & nonnumquam etiam teſtimonia ex legibus Principum, ut patebit ex dicendis de quibuſdam collectionibus & collectoribus, qui Burchardo & Ivone anteriores ſunt.

CAPUT IV.

De abbreviatione canonum, quæ continetur in MS. 59. Capituli Veronenſis, & alio 88. Capituli Eccleſiæ Lucanæ.

Judicium de codice & abbreviatione.

I. CODex Veronenſis membranaceus, pluribus temporum viciſſitudinibus ſquallens eſt quadratæ minoris formæ, majuſculis quidem litteris, ſed ita inconcinnis atque diſtortis exaratus, ut perdifficilis lectu ſit. Ad octavum ſæculum pertinere videtur. Abbreviationem canonum atque conſtitutionum Sedis Apoſtolicæ continet in duas veluti partes diſtinctam, quarum una cauones Conciliorum, altera apoſtolicas conſtitutiones compendio exhibet. Auctor valde imperitus, nonnumquam eorumdem canonum atque conſtitutionum ſententias non recte aſſequutus, perperam expoſuit; adeo ut ex ejus breviationibus nihil ad explicandos vel emendandos originales textus elici poſſit. Quandoque non omnia alicujus Synodi, aut conſtitutionis decreta, ſed quæ libuit ſummatim repræſentat. Duos etiam canones identidem in unum conjungens, numerum canonum minuit, tametſi nullum canonem reipſa prætereat. Aliquando vero, ſed rarius, eumdem canonem aliis verbis abbreviatum incaute repetit. Accedunt imperitiſſimi librarii menda & barbaries, quæ ex ejus notatione in fine codicis appoſita ſatis eluceſcet: unde totus codex multo magis vitiatus fuit. Cum nihilominus ex codicibus & collectionibus canonum multo vetuſtioribus hæc perantiqua abbreviatio ſumta fuerit; quædam remotioris antiquitatis indicia retinet, & non pauca valde utilia nobis ſuppeditat, ex quibus hæc abbreviatio non minimi habenda eſt. P. Joannes Dominicus Manſius hanc eamdem abbreviationem reperit in alio vetuſtiſſimo codice Capituli cathedralis Eccleſiæ Lucanæ, cujus notitiam dedit in *Commentario de celebri codice ſæculo Caroli Magni ſcripto*, ut videre eſt tom. 45. Opuſcolorum P. Angeli Mariæ Calogerà pag. 114 Frequenter etiam ejuſdem abbreviationis mentionem facit tom. 1. & 2. Supplementi ad Concilia P. Labbei, in quibus quaſdam particulas ex eadem abbreviatione typis impreſſit. Etſi vero Marchio Scipio Maſſejus ante P. Manſium de hac eadem abbreviatione in MS. Veronenſi contento nonnulla diſſeruerit in Notitia codicum Capitularium, quæ inſerta eſt Appendici Hiſtoriæ Theologicæ pag. 78. accuratiorem tamen ejus deſcriptionem cum opportunis obſervationibus hoc loco producere non modicum juverit.

Deſcriptio abbreviationis.

II. Hic titulus in noſtro Veronenſi codice legitur. *Incipiunt capitula ſanctorum omnium Conciliorum, quæ a beatis Patribus ſtatuta ſunt, ſive epiſtolarum decretalium, quæ a Pontificibus, ſive apoſtolicis viris decreta ſunt, breviter collecta atque conſcripta.* Sequitur tabula ſeu index capitulorum primæ partis, quæ Conciliorum canones reſpicit.

I. *Excerpta Conciliorum a S. Domino Martino Epiſcopo Galliciæ.* In corpore operis hic titulus melius exponitor ſic: *Excerptæ de canonibus ſententiæ tantum ex libro Bracarenſe Martini Epiſcopi Galliciæ de diverſis Conciliis.* Afferuntur autem compendio canones 84. quot quidem ejuſdem Martini capitula in vulgatis referuntur.

II. *Capitula Nicæni Concilii, & Sardicenſis Concilii, ubi Oſius fuit, quomodo teſtantur CCXIV. Epiſcopi Africani Concilii.* Melius in corpore (hac notatione præmiſſa *De libro Compluenſi*) ſcribitur: *Ex Concilio Nicæno, vel aliis Conciliis.* Proferuntur autem abbreviati canones 91. ſine ulla mentione Synodi, ad quam quiſque pertineat. Conferendæ fuerunt horum ſententiæ cum volgatis, ut cujus eſſent Concilii detegeremus. Primi canones 17. ſunt Nicæni. Sequentes 21. uſque ad 38. ſunt Sardicenſes. Canon vero 39. eſt ultimus Nicænus de omittenda genuflexione diebus dominicis atque paſchalibus. Tum a num. 40. ad 55. ſunt canones Ancyrani. Dein Neocæſarienſes cum aliis Ancyranis permiſcentur uſque ad numerum 72. Subduntur Gangrenſes a num. 73. uſque ad 83. & cum Antiochenis concluditur a n. 84. ad 91. uſque. Tria heic animadverſionem merentur. Primo in ea collectione antiquiori, ex qua hi canones 91. compendio fuerunt excerpti, deerant, ut videtur, non ſolum Conſtantinopolitani & Chalcedonenſes, verum etiam Laodiceni, ex quibus ne unum quidem abbreviator expoſuit. Secundo cum relati canones notatione ſui cujuſque Concilii careant; in titulo autem, qui in corpore iiſdem præfigitur, ſolius Nicæni expreſſa mentio fiat; lectori minus attento hinc occaſio eſſe potuit allegandi veluti Nicænos canones etiam ſequentes, qui Nicæni non ſunt. Aliqua ſimili collectione uſus forte fuit S. Gregorius Turonenſis, dum Gangrenſem canonem Nicæni nomine laudavit. Tertio cum Sardicenſes canones Nicænis ſubjectos ultimus Nicænus canon concludat; non leve indicium ſuppetit, auctorem hujuſmodi abbreviationis eos exſcripſiſſe ex codice, in quo cum Nicænis copulati, & Nicænis inſerti Nicænorum nomine inſcribebantur. Quod ſi in epigraphe tabulæ, quæ initio codicis præmittitur, non tam Nicæni quam Sardicenſes canones memorantur; id a breviationis auctore fieri potuit, qui utroſque canones in aliis MSS. diſtinctos invenit.

Tria notabilia.

III. *Capitula Nicæni Concilii data ab Innocentio Papa.* In titulo autem corpori inſerto: *De epiſtola Innocentii Papæ ex Concilio Nicæno.* Sunt Nicæni canones 22. ex abbreviatione Rufini, quam pro ipſis canonibus in Gallicanis codicibus receptam, & a Gallicanis nonnumquam uſurpatam vidimus part. 2. c. 10. §. 2. Innocentio autem Pontifici hæc capitula abbreviator ea de cauſſa fortaſſis attribuit, quia laudatæ breviationes Rufinianæ in ſuo codice Innocentii litteris ſubjiciebantur. P. Manſius hæc capitula ex Lucano codice edidit tom. 1. Supplementi Conciliorum pag. 277.

IV. *Ex Concilio Arelatenſi.* Sunt canones 20. Arelatenſis I. anni 314.

V. *Ex Concilio Ankiritano* c. 18.

VI. *Ex Concilio Novæ Cæſariæ* c. 12.

VII. *Ex Concilio Gangrenſe* c. 19.

VIII. *Ex Concilio Laodiciæ Phrygiæ* c. 53.

IX. *Ex Concilio Conſtantinopolitano* c. 5.

X. *Ex Concilio Epheſano* c. 12. quæ ſunt duodecim anathematiſmata ex epiſtola S. Cyrilli ad Neſtorium.

XI. *Ex Concilio Chalcedonenſe* c. 27.

XII. *Ex Concilio Antiocheno* c. 24.

Hi omnes canones Conciliorum Græciæ etſi abbreviati, interpretationem, uti vocant, Iſidorianam ſatis indigitant. Auctor ergo hujus abbreviationis vetuſtiorem codicem reperit, qui hæc omnia Concilia Græciæ ex eadem verſione in unum corpus collecta complectebatur; & inter hæc epiſtola S. Cyrilli ad Neſtorium Epheſini Concilii nomine erat inſcripta, uti in Hiſpanica & Iſidoriana collectionibus poſtea recepta ſunt.

Cyrilli Epiſt. ad Neſtorium Concilii Epheſ. titulo inſcripta.

XIII. *Ex*

XIII. *Ex Concilio Valentino ſub die IV. Idus Julias Gratiano & Equitio Coſſ.* an. 374. can. 4.

XIV. *Ex Concilio Regenſe ſub die XIV. Kal. Decembris Theodoſio Aug.* XVII. *Feſto V. C. Coſſ.* an. 439. c. 6.

XV. *Ex Concilio Arauſico VI. Idus Novembris* an. 441. c. 27.

XVI. *Ex Concilio Vaſenſe ſub die Id. Nov. Dioſcoro Conſulibus*, omiſſo altero Conſule anni 442. c. 8.

XVII. *Ex Concilio Aurelianenſe* ann. 511. cap. 27.

XVIII. *Ex Concilio Arelatenſe*, quod vocari ſolet *ſecundum*, c. 36.

XIX. *Ex Synodo Carthaginis Africæ Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ.* c. 103. Eſt illa collectio, quæ in aliis MSS. *Statutorum antiquorum* nomine inſcripta hoc tomo edetur inter documenta Juris canonici veteris num. 3. Vide part. 2. c. 3. §. 4. ubi de diverſis eorumdem Statutorum inſcriptionibus diſſeruimus.

XX. *Ex Synodo Carthaginis ſub die Iduum Auguſtarum Conſulatu Cerani*, lege *Cæſarii*, nimirum an. 397. c. 71. quæ capita 72. ex MS. Lucano edita ſunt a P. Manſio tom. 1. Supplem. Concil. pag. 255. Eſt Breviarium Hipponenſe eadem chronica notatione ſignatum & imprimendum capite 2. collectionis huic tomo inferendæ. Canones quidem hujus Breviarii ſunt multo pauciores. At ſicut in laudata collectione duos Africanos canones addititios ſuſceperunt; ita in hac breviatione multo plures ex Carthaginienſi III. aliiſque Africanis Synodis adjecti fuere.

XXI. *Ex Concilio Agathenſi ſub die Id. Septembris XXII. Domini noſtri Alarici Regis Meſſala V. C. Conſule*, ideſt an. 506. Proferuntur autem canones 46. qui duobus canonibus in unum coeuntibus, comprehendunt vulgatos ejuſdem Concilii canones 47. quot in antiquis quidem exemplaribus Gallicanis eidem Gallicanæ Synodo tribuuntur. Deſunt vero ceteri viginti canones in vulgatis ante clauſulam inſerti ex codicibus collectionum Hiſpanicæ & Iſidorianæ, qui ex illorum vetuſtiorum Gallicanorum codicum fide addititii jure creduntur.

De numero canonum Agathenſium.

XXII. *Ex Concilio Arelatenſe* an. 524. c. 2.

XXIII. *Ex Synodo Tarraconenſe* an. 516. c. 11. Tam in præmiſſa tabula, quam in corpore codicis omittuntur numeri XXIV. & XXV.

XXVI. *Ex Concilio Gerundenſe* an. 517. c. 9.

XXVII. *Ex Concilio Toletano Thiudi*, ſic *Thiudi* tum in tabula; tum in corpore. Eſt Concilium Toletanum II. anni 531. cum canonibus 5. Hoc quidem anno 531. Theudes Rex Amalrico ſucceſſit menſe Decembri; Synodus vero Toletana II. habita fuit menſe Majo; ac proinde alii codices recte ſignant Amalrici Regis annum quintum.

Thiudi Rex.

XXVIII. *Ex Synodo Hilerdenſe* an. 524. ſeu melius 546. ut ex MSS. codicibus Hiſpanicis, qui non Theodorici, ſed Theudis Regis annum XV. notant, eruditi probarunt. Vide Pagium ad an. 546. n. 10. & 11. Referuntur autem canones 15.

XXIX. *Ex Concilio Vallenſe*. Eſt Valentinum Hiſpanicum anni 546. c. 5.

Sequitur hæc notatiuncula. *Ex lebro Agabrienſe*, lege *ex libro Agabrenſe*. In MS. Lucano mutile legitur: *Ex libro gabrenſe*, ubi littera *A* librario excidit.

XXX. *Ex Concilio Eliberitano* c. 69.

XXXI. *Ex Synodo Toletana æra CCCCXXXVIII.* an. 400. can. 23.

XXXII. *Ex Concilio Bracarenſe* an. 563. c. 22.

XXXIII. *Item ſynodo Bracarenſe* an. 572. c. 10.

XXXIV. *Ex Concilio Toletano*. Eſt tertium Toletanum an. 589. cum canonibus 23.

XXXV. *Ex Concilio Cæſarauguſtano* c. 7. Eſt Cæſarauguſtanum I. quod creditur celebratum an. 381.

XXXVI. *Ex Concilio Arvernenſe Franciæ* an. 549. c. 22. In vulgatis Conciliorum tom. 5. edit. Ven. col. 1389. proferuntur tantum canones 16. ex Fuxenſi codice, ex quo hanc Synodum Arvernenſis nomine inſcriptam Sirmondus edidit. At cum hujus Synodi præfatio ex Urgellenſi MS. addita non Arvernenſem, ſed Aurelianenſem urbem præferat; canones autem iidem ſint ac illi Aurelianenſis V. eſt potius Concilium Aurelianenſe V. quod quidem in iiſdem vulgatis col. 1377. & in MSS. Gallicanis, unde editum fuit, exhibet canones 24. Hinc Fuxenſis codex non tam præfatione, quam numero canonum deficit. Noſter vero abbreviator codicem adhibuit, in quo canonum numerus ita erat integer, ut in MSS. exemplis amplioris collectionis Hiſpanicæ, ideſt Urgellenſi Petri de Marca, & Lucenſi, quod Perezius laudat. Arvernenſis autem Concilii nomen pro Aurelianenſi in ſolis MSS. Hiſpanis inventum, eum codicem, ex quo hæc abbreviatio deducta fuit, Hiſpanicum fuiſſe confirmat.

Concilii Arvernenſis canones ſunt potius Aurelianenſis V.

XXXVII. *Ex Concilio Cæſarauguſtano* anni 592. cap. 4.

XXXVIII. *Ex Synodo Taurinatium X. Kal. Octobris* circa annum 401. c. 1.

XXXIX. *Ex Concilio Narbonenſe* anni 589. c. 15.

XL. *Ex Synodo Teleptenſe* an. 418. c. 6. In codice Lucano mutile *leptenſe*.

XLI. *Ex Concilio Barcinonenſe* circa an. 540. c. 10.

XLII. *Ex Synodo Oſcenſe* an. 598. c. 1.

XLIII. *Ex Concilio Urbico ſub Hilare Papa* an. 465. c. 5.

Mox ſub numero XLIV. ponitur titulus ſecundæ partis. *Item Capitolatio epiſtolarum decretalium, ſententiæ tantum*; ac poſtea alia numerorum ſeries inchoat.

I. *Ex epiſtola B. Clementis ad Jacobum*. c. 4.

II. *Ex præceptione cujus ſupra*. cap. 5. Hæc duo documenta S. Clementi afficta ex Rufini verſione vulgata fuerant; ac proinde antiquis Latinis collectionibus inſerta inveniuntur. Vide not. 5. in cap. 64. collectionis hoc tomo ſubjiciendæ col. 454. in qua primum documentum legitur; & confer etiam præfationem in documenta Juris canonici veteris num. 5. col. 631. in quibus alterum documentum profertur col. 674.

III. *Ex epiſtola Siricii Papæ ad Eumerium Epiſcopum* c. 5.

IV. *Ex epiſtola Innocentii Papæ ad Exuperium Epiſcopum* c. 5.

V. *Ex epiſtola Innocentii ad univerſos Epiſcopos in Toloſ.* ideſt Toletani Concilii c. 4.

VI. *Item Innocentii ad Victorium* (ideſt Victricium) *Epiſcopum* c. 7.

VII. *Item Innocentii ad Epiſcopos*, ſupple Macedoniæ. Eſt in edit. Concil. epiſt. 22. c. 1.

VIII. *Item Innocentii ad Decentium* c. 8.

IX. *Item Innocentii ad Aurelium Epiſcopum* epiſt. 128 in vulgatis Conciliorum.

X. *Ex epiſtola Zoſimi Papæ ad Heſichium Epiſcopum*.

XI. *Ex epiſtola Bonifacii ad Elarum Epiſcopum*. Eſt epiſt. ad Hilarium Narbonenſem.

XII. *Ex epiſtola Cæleſtini Papæ ad Viennenſes Epiſcopos*, in Conciliorum editione epiſt. 11.

XIII. *Item Cæleſtini Papæ ad Epiſcopos per Apuliam & Calabriam conſtitutos*. Ibi epiſt. 3.

XIV. *Ex epiſtola Papæ Leonis ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem*, in noſtra editione epiſt. 14.

XV. *Item ejuſdem Papæ ad Africanos Epiſcopos*. Ib. epiſt. 12.

XVI. *Item ejuſdem ad Ruſticum Narbonenſem*. Ibi ep. 167.

XVII. *Item ejuſdem Papæ ad Siculos Epiſcopos*. Ibi ep. 16.

XVIII. *Item ejuſdem Papæ ad Nicetam Epiſcopum*. Ibi ep. 159.

XIX. *Item ejuſdem Leonis ad univerſos Epiſcopos*. Eſt epiſt. 4. ad Epiſcopos Campaniæ &c.

XX. *Ejuſdem Leonis ad Theodorum Epiſcopum* epiſt. 108.

XXI. *Ejuſdem Leonis ad Leonem Epiſcopum*. Eſt epiſt. 166. ad Neonem Ravennatem.

XXII. *Ejuſdem Leonis per Campaniam Samnium Epiſcopis*. Eſt epiſt. 168.

XXIII. *Leo Dioſcoro* epiſt. 9.

XXIV. *Leo Epiſcopus Turibio Epiſcopo* epiſt. 15. quæ in corpore codicis abbreviata legitur, at in præmiſſa tabula deſideratur.

XXV. *Epiſtola Gelaſii Papæ per Lucaniam Epiſcopis* c. 18.

XXVI. Ex

XXVI. *Ex epiſtola ejuſdem Papæ ad Sicilienſes*,

XXVII. *Ex epiſtola Felicis Papæ ad Sicilienſes Epiſcopos*. Eſt epiſt. 5. Felicis III.

XXVIII. *Ex epiſtola Vigilii Papæ ad Profuturum Epiſcopum Bracarenſem*.

XXIX. *Ex epiſtola Felicis Papæ ad Sicilenſes Epiſcopos*. Collatis iis quæ ſub hoc titulo afferuntur, ex numeris ac ſententiis abbreviatis deteximus indicari librum *de eccleſiaſticis dogmatibus* editum in Appendice tomi 8. operum S. Auguſtini pag. 78. Hic liber eſt etiam in nonnullis MSS. collectionibus canonum, nunc Auguſtini nomine inſcriptus, nunc Gennadii, qui verus eſt ejuſdem operis auctor, nunc vero ſine ullo auctoris numine. Forte noſter abbreviator idcirco Felicem Papam eidem præfixit, quia hoc opuſculum in aliqua collectione reperit poſt epiſtolam Felicis ad Epiſcopos Siculos.

XXX. *Ex epiſtola Siricii Papæ ad Eumerium*. Afferuntur octo ſententiæ hujus epiſtolæ, quæ diverſæ ſunt ab iis, quas ex eadem epiſtola abbreviator protulit num. 512.

XXXI. *Ex epiſtola Leonis Papæ ad Balconium*. Eſt epiſtola deperdita, ex qua tamen abbreviator nullam ſententiam compendio exhibuit, tametſi ejus titulum tum in tabula tum in corpore afferat. Vide Differt. de epiſtolis S. Leonis deperditis tom. 1. col. 1444. n. 19.

De Epiſt. Hieron. tributa.

XXXII. *Ex epiſtola Geronimi ad Patroclum Epiſcopum de gradibus Clericorum*. Exponuntur autem gradus ſeptem. Hæc epiſtola inſcripta *ad Ruſticum* legitur in Appendice tomi XI. Operum S. Hieronymi pag. 114. edit. Veron. Hanc S. Hieronymo affictam plures colligunt non ſolum ex ſtili diſcrimine, verum etiam ex ætate Ruſtici, qui poſt S. Hieronymi mortem Epiſcopatum geſſit. Putant autem eam ſcriptam multo poſt S. Iſidorum Hiſpalenſem, ex cuius libro 7. de Originibus cap. 12. & ſeq. excerptam credunt. Difficultatem vero ex Ruſtico Epiſcopo oppoſitam adimit noſter codex, dum eam epiſtolam præfert ſcriptam non ad Ruſticum, ut in vulgatis, ſed ad Patroclum, qui Hieronymi ætate Arelatenſi Eccleſiæ præfuit. Quantum ad S. Iſidorum, cum inter omnes conſtet, ipſi ſolemne fuiſſe plura, quæ ad ſuum inſtitutum conferrent, tacitis auctorum nominibus in Originum libros traducere: quidni credibile ſit, laudatus ſeptem Clericorum gradus ex hac epiſtola deſcripſiſſe? Quod ſi ſtilus a Hieronymiano alienus judicetur, id ſaltem ex noſtræ abbreviationis auctore, qui codices S. Iſidoro antiquiores, ut videbimus, adhibuit, colligere licet, hanc epiſtolam S. Iſidoro anteriorem eſſe, ex qua is eoſdem gradus deduxerit.

In hac epiſtola deſinit antiqua Abbreviatio. Additur porro eodem caractere, ſed ſine numero fragmentum ex decreto Gregorii junioris adverſus illicita conjugia, quod pertinet ad Synodum Romanam anni 721. ac tandem hæc imperiti amanuenſis notatio legitur. *Deo gratias. Qui lege, ora pro me peccatore: ſic habeat Deo adjutore.*

Codex Lucanus caret memorato Gregorii junioris fragmento, quod idcirco in MS. Veronenſi addititium confirmatur. At alia habet additamenta, ex. gr. epiſtolam Leonis III. ad Alcuinum memoratis Hieronymi litteris præmiſſam; quæ cum in Veronenſi MS. ceteroquin integro deſit, perperam intruſa & a primigenia ejuſmodi collectione aliena cognoſcitur.

Collectiones vetuſtiores ab abbreviatore adhibitæ.

III. De vetuſtate codicum & collectionum, ex quibus hanc abbreviationem auctor derivavit, nonnulla dicenda ſuperſunt. Ea collectio, ex qua ille n. 11. Græcarum Synodorum canones digeſſit in c. 91. canonibus Laodicenis & CP. carebat; quod remotæ antiquitatis indicium eſt. In ſubſequentibus numeris refert Concilia Græciæ, Africæ, Galliarum, & Hiſpaniæ, quemadmodum etiam deſcribuntur in collectione Hiſpanica. At ex aliis vetuſtioribus fontibus ebibiſſe evidentiſſimum eſt. Neque enim præfert duo Concilia Hiſpalenſia, neque Toletanum IV. quæ in primæva collectione Hiſpanienſi inveniuntur. E contra quædam Concilia exhibet, quæ in eadem primigenia collectione Hiſpana deſiderantur, nimirum Arvernenſe, ſeu potius Aurelianenſe V. quod Hiſpanæ collectioni poſtea additum fuit, & quatuor alias rariſſimas Synodos, Cæſaraugustanam II. Narbonenſem, Oſcenſem, & Barcinonenſem, quæ ex ſingulari codice S. Æmiliani editæ ſunt. Inter omnes autem Synodos, quas abbreviator profert, recentior eſt Oſcenſis anni 598. anterior aliquanto collectione Hiſpanica, in qua proferuntur duæ poſteriores Synodi Hiſpalenſis II. anni 629. & Toletana IV. anni 633. Codicibus igitur non ſolum diverſis ab Hiſpanica, verum etiam antiquioribus abbreviator uſus eſt. Trium tantum meminit, *Ex libro Bracarenſi, ex libro Complutenſi*, & *ex libro Agabrenſi*, quæ urbes ad Hiſpaniam pertinent. Bracara archiepiſcopalis adhuc ſedes celebris eſt. Complutum erat olim urbs epiſcopalis in provincia Carthaginienſi, quæ Toletano Metropolitæ ſuberat. Agabra vero item epiſcopalis in provincia Bœtica Metropoli Hiſpalenſi parebat, cujus mentionem videſis in Concilio Hiſpalenſi II. cap. 1. 5. & 8. atque in Notitiis Hiſpanicis a Loaiſa vulgatis tom. 6. Concil. edit. Ven. col. 558. & ſeqq. Hi ergo codices Hiſpani collectiones videntur anteriores illa, quæ vocatur Hiſpanica. Nobis quidem hoc quoque tempore innotuit fragmentum pervetuſti codicis Capituli Novarienſis, qui antiquioris Hiſpanicæ collectionis indicia præfert.

Eædem Hiſpanienſes.

Quædam etiam Gallicanæ.

IV. Neque vero ſolos Hiſpanienſes, ſed Gallicanos etiam codices abbreviator adhibuiſſe videtur. Id colligere licet ex Synodis, quas allegat, Africanis. Tria tantum Africana Concilia laudat. Primo n. 19. affert ſtatuta antiqua Africanæ Synodo anni 418. attributa hoc titulo: *Ex Synodo Carthaginis Africæ Honorio XII. & Theodoſio VIII. Conſulibus*. Hæc autem ſtatuta non ſumſit ex eo fonte, ex quo illa dimanarunt in collectionem Hiſpanicam, tum quia in hac iiſdem ſtatutis prænotantur Conſules anni 398. tum etiam quia ordo ſtatutorum in ipſa maxime diſcrepat. Ordinem autem noſtri codicis cum eodem titulo Africanæ Synodi anni 418. invenimus in MS. Vat. Palat. 574. qui Gallicanam vetuſtiſſimam collectionem continet. Vide p. 2. c. 10. §. 2. n. 13. Secundo n. 20. producitur Breviarium Hipponenſe *ex Synodo Carthaginis ſub die Id. Auguſtarum conſulatu Cerani*. legendum *Cæſarii*, quod non in Hiſpanicis, ſed in Gallicanis collectionibus ſuppetit. Tertio n. 40. compendio exhibetur Concilium Teleptenſe, quod in ſolis Gallicanis collectionibus hactenus inventum eſt. Ad hæc accedit Nicænos canones n. 3. produci ex breviationibus Ruſinianis: quod apud ſolos Gallicanos aliquando uſitatum ſcimus. Confer part. 2. c. 10. §. 2. n. 1. Neque omittendum eſt in epiſtolis Romanorum Pontificum duo documenta referri n. 1. & 2. S. Clementi attributa, quæ in Hiſpanica collectione deſunt: cumque ambo reperiuntur in collectionibus Gallicanis, tum vero in his ſolis alterum inſcribitur *præceptiones*, aut *præcepta S. Clementis*, ut in noſtro codice. Vide part. 3. c. 6. §. 5. & notam 1. in documentum v. hoc tomo col. 673. Auctor igitur hujus breviationis, qui Hiſpanicam collectionem non vidit, ſive Hiſpanus fuerit, ſive Gallicanus, tum Hiſpanos, tum Gallicanos codices Hiſpanica collectione anteriores adhibuit.

C A P U T V.

De abbreviatione collectionis Hiſpanicæ edita a Cardinali de Aguirre.

Hæc abbreviatio Jo. Bapt. Perez debetur. Editiones ejuſdem.

I. INſignis eſt antiqua abbreviatio in locos communes diſtributa, eorum ſcilicet, quæ in auctiori collectione Hiſpanica continentur. Hoc pretioſum documentum in MS. Lucenſi Hiſpanico invenit Joannes Baptiſta Perezius, Romamque miſit ad Gregorium XIII. una cum aliis documentis accurate deſcriptum in libro, qui eſt inter codices Vaticanos n. 4887. Aliud hujus libri exemplum pervenit in manus Cardinalis de Aguirre, qui idem monumentum exinde Romæ an. 1693. evulgavit initio tomi III. Conciliorum Hiſpaniæ hac inſcriptione præfixa: *Index ſacrorum canonum & Conciliorum, quibus Eccleſia præſertim Hiſpanica regebatur ab ineunte ſexto ſæculo uſque ad initium octavi; nunc primum edita e MS. antiquo excellentiſſimi Marchionis Mondexarenſis, quod olim fuit Cl. V. Joannis Perez Cano-*

nici & Bibliothecarii Eccleſiæ Toletanæ, ac poſtea Epiſcopi Segobricenſis. Noviſſime vero hoc idem opus egregie illuſtratum ex eodem Aguirrio mutuatus, an. 1739. Romæ recuſit Cajetanus Cennius cum titulo: *Codex veterum canonum Eccleſiæ Hiſpanæ*.

II. Perezius præter codicem Lucenſem duo alia MSS. exemplaria commemorat, in quibus idem documentum deſcribitur, Vigilanum & Ovetenſe. P. Couſtantius duo alia recenſet in bibliothecis duabus, Colbertina & Coisliniana. Hi autem omnes codices ſpectant ad auctiorem collectionem Hiſpanicam, quam deſcripſimus part. 3. c. 4. §. 3. n. 11. Hæc nimirum breviatio non primævæ tantum collectionis Hiſpanicæ documenta, ſed illa quoque nonnumquam allegat, quæ inter additamenta ejuſdem amplioris collectionis inſerta inveniuntur; eaque omnia iis allegat numeris, qui non primævæ collectioni, ſed ampliori reſpondent. Sic ex. gr. Concilium Elibeſitanum, quod in primæva collectione exſtat cap. 30. in hac breviatione allegatur cap. 38. quod ampliori collectioni congruit, in qua octo aliæ Synodi anterius inſertæ capitum numerus auxerant. Similiter Synodus Bracarenſis I. quæ in prima collectione notatur cap. 40. in lib. 2. ejuſdem breviationis tit. 20. citatur *a cap. 61*. Laudantur etiam cum numeris amplioris collectionis Synodi, quæ in primæva collectione deſunt; & in his non ſolum Toletanæ V. VI. VII. VIII. IX. X. & XII. quæ in prioribus additionibus acceſſerant, ſed etiam lib. 5. tit. 13. laudatur Toletana XVI. *a cap. 59.* quæ poſterioribus acceſſionibus addita fuit. Cum Synodus Toletana XVI. allegetur a cap. 59. collectionis Hiſpanicæ; Bracarenſis vero I. *a cap. 61*. palam fit inter utramque capite 60. in eadem collectione fuiſſe deſcriptam Synodum T letanam XVII. licet in ea breviatione nuſpiam laudetur, uti alia non pauca auctor ſimiliter præterivit. Adde quod lib. 9. tit. 9. citatur *homilia Toletani Concilii III. a Leandro edita in laudem Eccleſiæ ob converſionem Gothicæ gentis*, quæ uberioribus additamentis acceſſit.

Sumta ex auctiori collectione Hiſpanica.

III. Id ut evidentius pateat, ſimulque ut perſpiciatur ſeries & ordo documentorum ejus amplioris collectionis, quæ cum hujus numeris in breviatione allegantur, integram tabulam hoc loco deſcribimus. In hac autem quæ capita curſivo, uti vocant, caractere exhibentur, illa ſunt, quæ in abbreviatione eodem numero laudantur: quæ vero efferuntur caractere rotundo, illa ſunt, quæ etſi in breviatione numquam citentur, ei tamen numero ſeu capiti, cui aſſiguntur, in ipſa collectione reſpondent. Solam porro tabulam primæ partis producimus, quippe quod ſecunda pars nullis documentis aucta, eadem eſt in ampliori, ac in primigenia collectione.

Ordo documentorum.

CAPITULA CONCILIORUM GRÆCIÆ.

I. *Concilium Nicænum*. II. *Ancyritanum*. III. *Neocæſarienſe*. IV. *Gangrenſe*. V. *Sardicenſe*. VI. *Antiochenum*. VII. *Laodicenum*. VIII. *Conſtantinopolitanum I.* IX. Conſtantinopolitanum II. X. *Epheſinum*. XI. *Chalcedonenſe*. XII. *Epiſtola formata Attici CP.*

CONCILIA AFRICÆ.

XIII. *Carthaginienſe I.* XIV. *Carthaginienſe II.* XV. *Carthaginienſe III.* XVI. *Carthaginienſe IV.* XVII. *Carthaginienſe V.* XVIII. *Carthaginienſe VI.* XIX. *Carthaginienſe VII.* XX. *Africanum Milevitanum*. In breviatione aliquando vocatur *Carthaginienſe VIII.*

CONCILIA GALLIÆ.

XXI. *Arelatenſe I.* XXII. *Arelatenſe II.* XXIII. *Arelatenſe III.* XXIV. *Valentinum*. XXV. *Tauritanum*, ideſt Taurinenſe. XXVI. *Regienſe*. XXVII. *Arauſicanum*. XXVIII *Vaſenſe I.* XXIX. Vaſenſe II. XXX. *Agathenſe*. XXXI. *Aurelianenſe I.* XXXII. Aurelianenſe II. XXXIII. Epaunenſe. XXXIV. Carpentoratenſe. XXXV. Arvernenſe. XXXVI. Arvernenſis Concilii epiſtola. XXXVII. Arvernenſe aliud.

CONCILIA HISPANIÆ.

XXXVIII. *Eliberitanum*. XXXIX. *Tarraconenſe* XL. *Gerundenſe*. XLI. *Cæſaraugustanum*. XLII. *Ilerdenſe*. XLIII. *Valetanum*, ideſt Valentinum. XLIV. *Toletanum I.* XLV. *Toletanum II.* XLVI. *Toletanum III* XLVII. *Toletanum IV.* XLVIII. *Toletanum V.* XLIX. *Toletanum VI.* L. *Toletanum VII.* LI. *Toletanum VIII.* LII. *Toletanum IX.* LIII. *Toletanum X.* LIV. Toletanum XI. LV. *Toletanum XII.* LVI. Toletanum XIII. LVII. Toletanum XIV. LVIII. Toletanum XV. LIX. *Toletanum XVI.* LX. Toletanum XVII. LXI. *Bracarenſe I.* LXII. *Bracarenſe II.* LXIII. *Bracarenſe III.* ſeu *excerpta Martini Bracarenſis*. LXIV. Bracarenſe aliud anni 675. LXV. *Hiſpalenſe I.* LXVI. *Hiſpalenſe II.* LXVII. Emeritenſe. LXVIII. Sententiæ, quæ in veteribus exemplaribus non habentur, ſed a quibuſdam inſertæ ſunt.

IV. Opus, ſeu breviatio, de qua loquimur, per locos communes ac materias digeſta, diſpertitur in libros decem, quorum ſinguli plures in titulos dividuntur. Cum vero ea iam vulgata ſit, librorum inſcriptionem cum titulorum numeris heic exhibere ſufficiet. Epigraphes totius voluminis Lucenſis, quod non tam hanc abbreviationem, quam Hiſpanicam collectionem auctiorem complectitur, eſt ejuſmodi. *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Incipit liber canonum ſanctorum Patrum generaliter*: quæ epigraphes totum volumen videtur reſpicere, non vero ſolam breviatiorem, quæ Perezio teſte in ſingulis paginis prænotatur: *Excerpta canonum*.

Liber I. *De inſtitutionibus Clericorum*. Dividitur in titulos 60.

Liber II. *De inſtitutionibus Monaſteriorum & Monachorum atque ordinibus pœnitentium*. In tit. 23.

Liber III. *De inſtitutionibus judiciorum & gubernaculis rerum*. In tit. 44.

Lib. IV. *De inſtitutionibus officiorum & ordinis baptizandi*. in tit. 40.

Lib. V. *De diverſitate nuptiarum & ſcelere flagitiorum*. In tit. 18.

Lib. VI. *De generalibus regulis Clericorum, ceterorumque Chriſtianorum, & regimine principali*. In tit. 6.

Lib. VII. *De honeſtate & negotiis Principum* In tit. 15.

Lib. VIII. *De Deo, & de iis quæ ſunt credenda de illo*. In tit. 9.

Lib. IX. *De abdicatione hæreticorum*. In tit. 9.

Lib. X. *De idololatria & cultoribus ejus, ac de ſcripturis pacis, & muneribus miſſis*. In tit. 7.

V. Cajetanus Cennius cum hoc opus S. Iſidoro Hiſpalenſi adjudicandum putet, addititios eſſe cenſet titulos, quibus additamenta collectionis Hiſpanicæ eodem S. Iſidoro poſteriora allegantur. Id autem plane incredibile nobis videtur. Non enim pauci tantum tituli in hoc vel illo libro deſcripti, ſed integer fere liber ſeptimus addititius dici deberet, quippe qui fere totus Toletanas Synodo S. Iſidoro poſteriores laudat. Præterea ſi hæc primæva abbreviatio a S. Iſidoro lucubrata ad primigeniam collectionem Hiſpanicam multo breviorem pertineret, & non potius ad ampliorem; cur in ſolis MSS. exemplis amplioris collectionis inventa fuiſſet, nuſpiam vero brevior in tot aliis codicibus, qui eamdem collectionem pluribus additamentis expertem repræſentant? Quid quod numeri capitulorum, qui in hac breviatione non cum primævæ, ſed cum auctioris collectionis numeris, plane concinunt, ſatis demonſtrant, breviationis auctorem eos non ex primigenia, ſed ex ampliori collectione ſumſiſſe? Alias dicendum eſſet, poſteriorem auctorem, cui additamenta quædam attribuenda credantur, horum additamentorum gratia, quæ pauciora ſunt, ceteros omnes primævæ abbreviationis numeros immutaſſe, & ad amplioris collectionis ſeriem exegiſſe: quod ſine evidenti argumento ne ſuſpicari quidem licet. Adde tandem verſus ab ipſius abbreviationis auctore concinnatos, quos a Cardinali de Aguirre omiſſos ex Perezio ſubjicemus. Hi autem tam inficeti, inſulſi, barbari, & a metri poetici legibus alieni ſunt, ut S. Iſidoro Hiſpalenſi tribui non poſſint: & eos quidem licet per ſe ſe negligendos eo conſilio

De auctore hujus breviatiois.

ſub-

ſubjiciemus, ut S. Iſidoro quam indigni ſint, quiſque perſpiciat. Laudatus Cardinalis eos idcirco neglexit, quia ipſos ab auctore breviationis alienos, & cujuſpiam poetaſtri βιβλιομάχου commentum perperam inſertum credidit. At gratis ita opinatus eſt, ipſoſque verſus ad breviationem referri ita eſt evidens, ut procemii cujuſdam loco ſint, & in quoddam compendium videantur redigere quidquid in ipſis libris continetur. Eumdem quidem & verſuum & compendii auctorem produnt inter cetera illa ſub finem primi generalis procemii.

Sicque novum corpus primævis artubus implens
Ingeniis brevia formem compendia tardis.

Hinc Antonius Auguſtinus, qui hos verſus ab auctore breviationis lucubratos non dubitavit, in *Judicio de quibuſdam veteribus canonum eccleſiaſticorum collectoribus* cap. 17. jure ſcripſit: *Indices vidi, qui eidem Iſidoro* (Epiſcopo Hiſpalenſi) *adſcriberent; ſed vehementer falluntur: nam ipſe ſe ſcriptor prodit his carminibus ineptis uſus, quæ detegunt, eum adoleſcentem fuiſſe tum primum manum ferulæ ſubtrahentem.*

VI. Joannes Baptiſta Perezius in præfatione tomi primi, quam dedimus part. 3. c. 4. §. 6. Juliano Archiepiſcopo Toletano hanc breviationem tribuendam conjecit, *qui illis temporibus*, inquit, *floruit*, & a Felice ejus ſucceſſore verſibus luſiſſe traditur: *ut vel ex eo ſuſpicari liceat, ab eodem conſcripta ea carmina, quæ aliquibus libris hujus operis præponuntur. Nam quod illa inania & boatu tantum contenta ſint, id vitium rudi illi ætati condonandum merito videtur.* Verum ille Toletana Concilia uſque ad duodecimum in breviatione paſſim laudata cogitavit, nec animadvertit ſemel citari etiam Toletanum XVI. & ex numerorum ſerie cognoſci, in collectione, qua uſus eſt abbreviator, fuiſſe quoque deſcriptum Toletanum XVII. ut ſuperius obſervavimus. Etſi vero Julianus præfuit quatuor Synodis Toletanis a duodecima uſque ad decimam quintam; duæ tamen ſequentes XVI. & XVII. poſt ejus mortem celebratæ fuerunt: ac propterea breviationis & carminum auctor conſtitui debet poſt annum 694. quo decima ſeptima Synodus Toletana habita fuit, nimirum ſub finem ſæculi ſeptimi, vel initio octavi. Forte ille, quicumque fuit, qui collectioni Hiſpanicæ plura documenta reformatis capitulorum numeris addidit, ipſius quoque abbreviationis auctor fuit: unde hæc abbreviatio auctioribus collectionis ejuſdem codicibus præfixa legitur.

Tempus breviationis.

VII. En tandem carmina, quæ prioribus quinque tantummodo libris prænotata & a Perezio deſcripta invenimus in MS. Vat. 4887. Ante primum librum, immo ante ipſam primi libri epigraphen quaſi procemium totius abbreviationis hi verſus leguntur cum titulo:

Incipit verſificatio. Interrogatio.

Celſa terribilis cadens qui ſede
Locaris, quia tu es vitalis ordo,
Quod ineſt tibi nomen?
Celeriter dicas Sanctorum regna voce,
Qui ſunt hi, quibus hoc titulo cenſere.
Totius orbis jus, imperia juveris.
Tu quem tot valida procerum ſententia format,
Quid ſtatuere vales, tibi quæve potentia ſubſtat?
O tenuem tenero nutantem corde clientem!
Me celebrem fama totum correxit in orbem.
Et te cur latebra fovet hic miſerame vetuſta?
Ad me, ſi vis me noſſe, convertere totus,
Arcaniſque tuis promtus me inlabere totum.
Auſculta jam quid poſſunt mea promere ſigna,
Et ſi poſſe ſubeſt tibi, ſic agnoſce ſecreta;
Felix quæ veritat tenetur, nuntio terris.
Terrigenus felix mitto dans loquere terras.
Stans in ſublime rectorum deprimo colla,
Ardua dum culpis jubeo diſponere jura.
Excelſa ſiſtens elevatus præferor arce,
Dum ſubjecta premo valide tota ordine ſacro.
Me decet onimie narrantem concio verax,
Dum bene cuncta ſimul mox inerebo ante taceſcunt,
Cuncta tremunt, pono dum cunctis juſſa tremoris.
Me validametuunt, mihi magna parere jubentur.
Schiſma perit, error reſilit, fallacia non eſt,
Obſcænus fugit, impurus ruit, impius cutra eſt,
Gula cadit, ebrius nec erit, & pompa recedit.
Dæmonibus jubeo, rerum auctor non erit alter:
Non curvare caput ſaxis, non ponere thura,
Nec creatura dabit operi creatoris honores.
Ordine compono cuncta, ſeco ordine cuncta,
Ordinibus ponens facio tota ordine pulchra.
Dico fidem ſacram, tribuo myſteria ſacra.
Altare, templum, veſtis, vas, ſedis, honorque,
Chriſma, caro, ſanguiſque ſacer, baptiſta, ſacrorum
Janitor, acolytus, lector, pſalteſque canorus,
Exorciſta potens acta, minorque levitis,
Voce levita valens, præſul & Presbyter: alma
Virgo, jugum nuptæ, cælebs, verboque reclinis:
Quæque fidem nomenque Dei cenſetur habere,
Ordinibus diſcreta meis celeberrima conſtat:
Et . . . . . & formam de limite ſervant.
Cumque ſuis plena poſſint ſubſiſtere cauſis,
Sunt tamen ordinata meis hæc omnia juſſis.
Me, rogo, me ſine ipſe modo narrare quod opto,
Si ſat adtribuis, mihi dentur jura loquendi.
Dicito quæque vales, & firma pectore vota.
Poſtquam te noſſe valui, & cognoſcere quivi,
Ac ſublime tuum poſſe mihi noſſe dediſti,
Appeto plane ſatis tua mecum volvere juſſa,
Et ſi ſcire Deus dederit, ſcrutare profunda.
Sicque per orbem verborum vitæ ſemina ſparſum
Sinibus aggregare meis, ut acumine mentis
Te aggreſſus ſtringam diſtentum corpore multu.
Diſperſaque trahens nec jam commenta ſub uno,
Quo dum judicium quærat ſententia diſcors,
Quidquid velle libet, totum concordia præſtet.
Sicque novum corpus primævis artubus implens,
Ingeniis brevia formem compendia tardis.
Magna libet, perge celer, otia nulla retardent.
Eſto Deus mecum, per me hæc diſperſa reducens,
Ut facias in me digna compendia multis.

Poſt epigraphen, ſeu titulum libri ſecundi hi verſus deſcribuntur.

Poſtquam ſanctifico miſſos de ceſpite flores
Magnopere ſacros diſtinximus ordine campos;
Quo nunc ire jubes, aut quo me tramite mittis?
Eſt bene quod præfixa tenent loca ſacra miniſtri.
At nunc virgineam ſolers diſpone cohortem.
Adſtringe viduam, pœnitens det corde dolorem,
Ne laſciviens ſuis redeat in montibus illa,
Quæ adhuc deliciis pollens eſt mortua vivens.
Niſu toto, ſi Dominus vult, ibimus illuc,
Quo nos magna jubet orit ſententia veſtri.

Sequitur tabula titulorum libri ejuſdem, poſtea hi verſus adduntur.

Compixi turmam celebratus lumine fulvam,
Quæve ſibi debent ordine cuncta dedi.
Siſtit præclare ſolidatus virginis ordo,
Atque decus ejus permanet inde ſacrum.
Rexpexi dignis pœnitentem fletibus omnem,
Curvavit viduam legibus ipſe ſacris.
Eſt ne placens itinere viatoris cruce ſubactum
Condigno quæ ſunt pondere dicta manent.
Hæc ad fines te mittat intentio conſtans,
Et peſtorit cœptum fingeris hoſpes opus

Poſt titulum tertii libri hi verſus leguntur.

Juſſis poſtquam noſtra tuis ſe lingua ſubegit,
Ac dicto citius famulatum mente paravit,
In qua curſivagum mittamus parte viantem,
Aut commotum librabimus orbe regreſſum?
Enixo ſeries uſque nunc proruit orſu.
Ex hoc incipe juridicos diſponere motus.
Os, guttur, linguam, labium accuſantis obunca.
Falſum non tolleres indomitum vivere teſtem.
Judicium judex addiſcat promere juſtum,
Nec nimium juris vertat in parte favoris.
Quiſquis enim torquet leges, torquetur ad ignes,
Et parva magnus penſabit facta reatus.

Sequitur tabula titulorum libri tertii, ac poſtea hi verſus ſubjiciuntur.

Complevi præcepta ſacris implena loquelis,
Aſportans quicquid præcipis ipſe tibi.
Putaſne recto labuntur crura viatu,
Aut non alterno fallimur inde pede?
Directe jugulus mentem conſilit iniquam,
Juſtitiæ telo callida cuncta ſecans.

Pulchre eſt infauſte punitus crimine mendax,
Ne falſe ſtaret quod veritate perit.
Veridice cuncta congreſſa eſt orbita greſſu:
Perge vigens, error nullus in antra latet,

Poſt titulum libri quarti.

Ecce jugi motu placendi munera portans
Totum quod ſtatuit implevi mente reclini.
Amodo quæ noſtris ſternatur ſemita plantis?
Aut committemus alacres per plana recurſus?
Hactenus excerpte verborum lingua cucurrit
Ordine, nunc compone choros reboantibus hymnis.
Doce delicti ſordes baptiſmate tolli.
Diſtingue templis altaria, carmina, thura.
Complere tua concurram cito juſſa citatus,
Imperiaque animis ſacra portabo ſuperbis:

Sequitur tabula titulorum ejuſdem quarti libri, poſt quam hic unicus verſus legitur, ceteri deſunt.

Altaris aram, ritus, & cantica templi.

Poſt titulum quinti libri.

Quicquid promulgaſſe tui fuit inclite juſſi,
Certatim tibi totum manus operoſa remiſit.
Et jam baptiſma, choros, cantuſque libravi.
Poſt hæc pande viam, qua noverit iſſe viator,
Ex hinc diſpone generoſi ſeminis ortum.
Nupta virum teneat, vir nuptam linquere ceſſet.
Naſcatur proles communi velle peracte.
Stent nuptus opera communi velle negato.
Nobiles hoc utraque regat ſic vita parentes,
Ut teneat ambos poſt mortem vita perennis.

Sequitur titulorum tabula, nec alii verſus vel hic, vel in aliis libris inventi fuerunt.

CAPUT VI.

De vetuſtioribus collectionibus canonum pœnitentialium a Theodoro, Beda, & Egberto lucubratis. Vulgatus liber de remediis peccatorum Bedæ adſcriptus, Egberto aſſeritur. Egberti opus de ſacerdotali jure, ejuſque fragmenta. Excerptiones canonum ex hoc opere Hucario Levitæ vindicandæ. Pœnitentiale in quatuor libros diſtinctum ab Egberto abjudicatur. De collectione canonum libro quarto comprehenſa, ex qua Reginonem profeciſſe detegitur.

Pœnitentialia unde.

I. DUm canonum uſus frequentior eſſet in regendis pœnitentibus, canonum & Pontificum decreta ac dicta Patrum, quæ in eum finem conferrent, in unum colligi cœperunt. Hinc libri pœnitentiales ex canonum, Pontificum, ac Patrum ſententiis compacti: quorum quidam ita diſtincte eorum ſanctiones in unum collectas referunt, ut inter collectiones canonum jure cenſeri queant. Vetuſtiores & celebriores libri pœnitentiales præter Romanum, quem Halitgarius e Romanis ſcriniis dedit, ſunt illi Theodori Epiſcopi Cantuarienſis, Bedæ Presbyteri, & Egberti Epiſcopi Eboracenſis, quorum potiſſimum meminit Gregorius III. ſeu quicumque ſit auctor *Excerpti ex Patrum dictis canonumque ſententiis de diverſis criminibus & remediis eorum*. Theodori Cantuarienſis an. 690. defuncti Pœnitentiale editum Pariſiis a Jacobo Petit ex duobus MSS. Thuaneis, integrum non eſt: ac propterea idem Petit non pauca ejus Pœnitentialis fragmenta, quæ ex aliis auctoribus ſedulo collegit, adjicere coactus fuit. Cum vero multa alio ordine, & aliis quandoque verbis repetita inveniantur in Capitulis Theodori ex MS. Corbejenſi editis a Luca Acherio; vehemens ſuſpicio eſt, tum in hoc codice, tum in duobus illis Thuaneis aliiſque ejuſdem generis manuſcriptis non contineri ipſum Pœnitentiale Theodori, aut ejus fragmentum; ſed a diverſis ſtudioſis viris in iis codicibus collecta fuiſſe hinc & hinc Theodori Capitula, quæ in poſterioribus Pœnitentialibus ex Theodoro allegata fuere. Enimvero in capitulis, quæ ex Thuaneis MSS. & ex Corbejenſi vulgata fuere, allegatur ipſe Theodorus: quod germano ipſius exemplo convenire nequit. Sic enim cap. 12. apud Petit pag. 11. e MSS. Thuaneis: *Ergo unam licentiam dedit Theodorus*; & c. 21. apud Acherium pag. 487. e MS. Corbejenſi: *Pœnitentes ſecundum canones non debent communicare ante conſummationem pœnitentiæ. Theodorus dicit: Nos autem pro miſericordia* &c. Henricus Spelmannus tom. 1. Conciliorum Britanniæ tradit, ſe in celebri bibliotheca S. Benedicti Cantabrigenſi reperiſſe prolixiorem librum pœnitentialem Theodori, ex quo titulos capitum tantummodo edidit. Sunt autem tituli 78. quos Jacobus Petit recuſit tom. 1. pag. 85. Cum vero ipſum opus nobis præſto non ſit, num hoc quoque Pœnitentiale Theodorum habeat auctorem, definire non licet. Certe ultimus titulus his verbis expreſſus, *Auguſtinus Aurelianenſis Epiſcopus dixit*, qui eodem modo repetitur in excerptionibus Egberto tributis, Theodoro adſcribi non poſſe videtur. Textus enim, qui in iiſdem excerptionibus Auguſtino Aurelienſi aſſeritur, ex tribus partibus conſtat, quarum prior Cæleſtini Papæ, altera Leonis I. tertia Aurelii Auguſtini Hipponenſis verba refert.

tom. 8. Concil. col. 209.

Theodori Pœnitentiale vulgatum quid ſit.

De Pœnitentiali Bedæ.

II. Bedæ Pœnitentiale a multis laudatur. Is Theodori Pœnitentiale auxiſſe creditur. Hoc ſaltem Pœnitentiale in ſuum fere tranſtulit: unde Regino lib. 1. c. 297. textum recitat *ex Theodori Archiepiſcopi, vel Bedæ Presbyteri Pœnitentiali*; lib. 2. c. 246. alium textum refert *ex Pœnitentiali Theodori Epiſcopi, & Bedæ Presbyteri*: quia iidem Theodori textus in Pœnitentiali Bedæ recepti fuerunt. Hoc ipſum Pœnitentiale Bedæ non multo poſt alienis additamentis auctum teſtatur Egbertus, quem videbimus auctorem eſſe ejus teſtimonii, quod a Burchardo profertur capite octavo libri XIX. *In Pœnitentiali Bedæ*, inquit, *plura inveniuntur utilia, plura autem inveniuntur ab aliis inſerta, quæ nec canonibus, nec aliis Pœnitentialibus conveniunt.* Hoc autem Pœnitentiale Bedæ ad nos neque purum, neque auctum pervenit. Ipſi quidem tribuitur liber *de remediis peccatorum*, qui etiam *Pœnitentiale* appellari ſolet. Sed hujus auctorem Egbertum Eboracenſem credimus. Bedæ ſane non poſſe adſcribi palam ſit ex c. 1. ejuſdem operis, in quo ter Beda laudatur. Integrum hoc caput profert Burchardus lib. 19. c. 8. ubi hæc inter alia leguntur de Pœnitentiali libro, *qui & ſecundum canonum auctoritatem, & juxta ſententias trium Pœnitentialium Theodori Epiſcopi, & Romanorum Pontificum, & Bedæ ordinetur. Sed in Pœnitentiali Bedæ* &c. ut ſupra. Et paullo poſt: *Hæc omnia de canonibus, & de ſanctorum Patrum ſententiis, & de Hieronymo, de Auguſtino, Gregorio, Theodoro, Beda, & ex Pœnitentiali Romano vera collegimus.* Qui hunc librum *de remediis peccatorum* affixerunt Bedæ, verba Bedæ nomen præferentia ex hoc textu expunxiſſe videntur, ne forte hinc ſuſpectus eſſet idem libellus, in quo Beda Bedam allegaret. Sed omnis ſuſpicio evaneſcet, ſi a Beda idem liber abjudicetur, & ſuo auctori aſſeratur. Verum autem auctorem ſatis prodit inſcriptio, quæ in ipſis MSS. & vulgatis codicibus capitulo primo præfigitur: *Excerptum de canonibus catholicorum Patrum, vel Pœnitentiæ* (forte *Pœnitentialium*) *ad remedium animarum, Domni Egberti Archiepiſcopi*. [Egbertum Eboracenſem intellige. Idem confirmat Rhabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus, qui paullo poſt Egbertum floruit. In epiſtola enim ad Heribaldum c. 18. de perjurio agens, hæc habet: *Item Ecbertus Anglorum Epiſcopus diffinit ita dicens: Qui juramentum in Eccleſia fecerit, aut in Evangelio, ſive in reliquiis Sanctorum, ſeptem annos pœniteat* &c. ut in cap. 9. libri *de remediis peccatorum*. Hic igitur vetuſtus Scriptor Ecbertum, ſeu Egbertum ejus libri auctorem maxime comprobat. Quod ſi alii Rhabano poſteriores collectores canonum, ut Regino, Burchardus &c. aliquot hujus libelli teſtimonia nunc Pœnitentiali Romano, nunc Theodoro, nunc Bedæ adjudicant; id ea de cauſſa contigit, quia ſicut poſteriores Pœnitentialium auctores ex antiquioribus pleraque derivarunt, ita etiam Egbertus (uti in textu, quem ſincerum, nec mutilatum ex Burchardo recitavimus, innuitur) ex tribus Pœnitentialibus Theodori, Romano, & Bedæ plura decerpſit. Id tandem multo magis confirmat codex Vat. Palat. 485. qui idem opus Egberto inſcriptum & additiis expertem præfert. Diſcrepat enim non modicum a vulgato libro *de remediis peccatorum* tum in ordine, tum in ſubſtantia ac numero capitum, cum alia vulgatis breviora ſint, alia vero omnino deſint, ut vel ex ſequenti capitum indice palam fiet.

Lib. *de remediis peccat.* Bedæ tributum cujus ſit.

Egberto aſſeritur. tom. 1. Concil. col. 359.

Qualis edendus ex MS. Vat. Palat.

Inci-

Incipiunt capitula de canonibus Patrum.

I. De præfatione. II. De capitalibus culpis. III. De cupiditate ceteriſque flagitiis. IV. De clericorum pænitentia. V. De juramento. VI. De machina mulierum. VII. De auguriis & divinationibus. VIII. De minutis peccatis. IX. De furto. X. De ebrietate. XI. De Eucharistia. XII. De diverſis cauſſis. XIII. Qui non poteſt implere quod in Pœnitentiale ſcriptum eſt.

Dein hic titulus legitur cum auctoris nomine. *Incipit liber Pœnitentialis ſumtus de canonibus Patrum catholicorum ad remedium animarum, Domni Egberti Archiepiſcopi*. Præfatio vulgata, cui in aliis MSS. & editis Bedæ nomen præfixum, vulgatæ opinioni cauſſam dedit, & capita 2. 3. 4. & 15. quæ vel ex ipſa contextus lectione intruſa deteguntur, in eodem codice deſunt; præfationiſque locum obtinet caput primum vulgatum incipiens *Inſtitutio illa ſancta*, quod non mutilatum legitur apud Burchardum lib. 19. c. 8. Quantum ad variantes, quæ in ſingulis capitulis occurrunt, hoc unum monemus octavum caput codicis maxime diſcrepare a ſexto vulgato, cui titulus eſt *de minoribus peccatis*. Hic autem libellus Egberti *de remediis peccatorum* pars eſt amplioris operis, de quo paullo poſt redibit ſermo.

Pars eſt operis amplioris Egberti.

Collectio canonum pœnitentialium ſub Greg. II.

III. Tomo 4. Anecdotorum P.P. Martene & Durandi col. 31. collectio antiqua canonum pœnitentialium exhibetur, quam P. Dominicus Manſius tomo 1. Supplementi Conciliorum Bedæ tribuendam exiſtimat. Non aſſentimur. Plura enim decreta ibidem deſunt, quæ Bedæ Pœnitentiali erant inſerta. Vide inter cetera, quæ ex Beda allegat Burchardus lib. 19. c. 29. 84. 102. & 146. Hæc autem canonum brevis collectio tempore Gregorii II. lucubrata fuit, uti probat titulus col. 37. *Item ex decreto Papæ Gregorii minoris, qui NUNC Romanam gerit matrem Eccleſiam*. In Galliis potius quam in Anglia compactam conjiciemus in Obſervationibus ad diſſert. XVI. Queſnelli §. 1. n. 4. Unius Nicæni canonis ſenſum profert, non verba, quæ idcirco cum nulla interpretatione concordant. Alii pauci canones Synodorum Græcarum vel ex Iſidoriana, vel ex Dionyſiana verſione recitantur. Nulli canones Hiſpani, ſed ſoli Gallicani, & Hibernenſes, ſtatuta Eccleſiæ antiqua, & unus canon *ex Concilio Hipponeregio de pœnitentibus*, qui eſt canon 30. Breviarii Hipponenſis, & inſertus legitur Concilio Carthaginienſi anni 397. apud Dionyſium c. 43. Ex Romanis Pontificibus laudantur Innocentius, Cæleſtinus, Leo, Gregorius magnus, & Gregorius minor: ex Patribus Baſilius, Auguſtinus, Caſſianus, atque Iſidorus: ac inter Pœnitentialia illud unius Theodori expreſſo ipſius nomine allegatur.

Infr. col. 97.

IV. Egberti Eboracenſis nomine duo opera memorantur ab Henrico Spelmanno tom. 1. Conciliorum Britanniæ, ac ex iis nonnulla edidit, quæ a P. Labbeo ſuſcepta, & tomo 8. Venetæ editionis Conciliorum inſerta leguntur. Primum opus inſcribitur: *Excerptiones Ecberti Eboracenſis Archiepiſcopi e dictis & canonibus ſanctorum Patrum concinnatæ & ad eccleſiaſticæ politiæ inſtitutionem conducentes*. Hæ vero excerptiones licet ex ampliori opere ipſius Egberti ſumtæ ſint; non tamen Egbertum, ſed Hucarium habent auctorem. Id ſatis explorate nos docuit Anglicanus ſcriptor Jacobus Waræus in MSS. Britanniæ verſatiſſimus, qui in adnotationibus ad Synodum S. Patricii agens de canone 25. ejuſdem Synodi ſcribit: *Canon XXV. de thoro fratris defuncti habetur etiam in excerptis MSS. e Jure Sacerdotali Ecberti Archiepiſcopi Eboracenſis per Hucarium levitam ſub titulo* &c. Canon autem, quem ibidem Waræus laudat, in excerptionibus a Spelmanno vulgatis legitur num. 128. *Item Synodus de thoro fratris defuncti*, qui eſt canon 25. Synodi ſecundæ S. Patricii tom. 4. Concil. col. 760. Cum porro Waræus has excerptiones non ex editione Spelmanni, ſed ex MSS. alleget; vidit ergo manuſcripta Britannica, quæ Hucarium harum excerptionum auctorem præferebant. Hinc etiam Baleus has, ut credimus, excerptiones indicat, cum Ecberti conſtitutiones ab Hucario levita redactas aſſerit in compendium. Spelmannus vero fortaſſis deceptus fuit marginali notatione codicis Cottoniani. In catalogo enim manuſcriptorum Britanniæ tom. 2. pag. 47. de codice Cottoniano Nero A. 1. hæc leguntur. *In margine: Excerptiones D. Egberti Archiepiſcopi Eboraci civitatis de Sacerdotali Jure*. Verum hic quoque verum Egberti opus cum excerptionibus Hucarii perperam confuſum. Utrumque cum Waræo diſtinguendum. Opus Egberti inſcriptum erat *de Sacerdotali Jure*. Ex hoc autem Hucarius levita quædam excerpſit, quæ in vulgatis excerptionibus continentur.

col. 335. & ſeqq.

Excerptiones Egberto inſcriptæ cujus ſint.

V. Oper. S. Patric. edit. Londin. 1656.

V. Egberti prolixum opus *De Sacerdotali Jure* integrum nondum in lucem prodiit. Quædam tantum ejus particulæ editæ ſunt. Librum *de remediis peccatorum*, quem Egberto antea vindicavimus, uti in MS. Vat. Palatino continetur, ejuſdem operis particulam credimus. Alia quoque ejuſdem operis pars videri poteſt Pœnitentiale Egberti, quod e Romano MS. Sanctæ Crucis in Hieruſalem vulgavit Joannes Morinus in Appendice librorum de Pœnitentia, cui titulus: *Excerptum de canonibus catholicorum Patrum, vel Pœnitentiæ ad remedium animarum, Domini Egberti Archiepiſcopi Eboracæ civitatis*. Verum hic titulus non congruit corpori ipſius opuſculi, in quo nihil ex canonibus profertur, ſed deſcribuntur rituales preces & ordo in reconciliatione pœnitentium. Cum vero hiſce precibus & ordini præmiſſa ſint duo capita ſumta ex cap. 1. & 5. vulgati libri *de remediis peccatorum*, quæ in cod. Vat. Palatino ſunt cap. 1. & 2. libri ejuſdem eo titulo inſcripti; idem titulus non ad corpus opuſculi a Morino editi, ſed ad librum pertinet *de remediis peccatorum*, ex quo illa duo capitula ſtatim poſt titulum deſcripta fuerunt. Sola ergo duo iſta capitula ad Egberti opus pertinent. Excerptiones porro ab Hucario digeſtæ ad opus *de Sacerdotali Jure* certius ſpectant: unde in Oxonienſi codice inſeruntur cum hac epigraphe: *Hæc ſunt JURA SACERDOTUM, quæ tenere debent*, ut in margine Conciliorum notatur. Deficiente integro Egberti opere, de excerptis ex eo capitulis dicendum ſupereſt. Excerptiones tantum 21. in codice Oxonienſi a Spelmanno inventæ: ceteras autem uſque ad 145. adjecit ex alio codice, qui tamen luxatus & mutilus erat. David autem Wilkius tom. 1. Conciliorum magnæ Britanniæ noviſſimæ editionis Londinenſis an. 1737. ex codice Cottoniano, quem Spelmannus memorat, non tamen adhibuit, eaſdem excerptiones ſupplevit ad numerum uſque 163. Nihil (ſi unum aut alterum excipias) in his excerptionibus invenitur poſterius Gregorio juniori: quod Egberti ætati apprime convenit, quippe qui ad Eboracenſem ſedem evectus circa annum 734. eamdem tenuit annis triginta & amplius. Unum, quod difficultatem movere poteſt, eſt canon ſeptimus, in quo oratio præcipitur *pro vita & imperio Domini Imperatoris, & filiorum ac filiarum ſalute*. In Synodo Cuthberti Archiepiſcopi Cantuarienſis Egberto coævi c. 30. perſcripta legitur oratio *pro Regibus ac Ducibus, totiuſque populi Chriſtiani incolumitate*. Imperator & filii ac filiæ Imperatoris huic Egberti ævo non conveniunt præſertim in Britannia, quæ propriis Regibus parebat. Alterum, quod majorem difficultatem faceſſit, eſt canon 131. ad verbum exſcriptus ex cap. 38. libri ſecundi Vitæ S. Gregorii, cujus auctor Joannes Diaconus Egberto poſterior fuit. Hinc nonnulla canonibus ex Egberto excerptis aliunde inſerta noſcuntur. Adde nonnullos errores, qui ſane eidem Egberto tribui non poſſe videntur. In præfatione excerptionibus præmiſſa errore aliquo tria teſtimonia in unum coeunt, unum ex Cæleſtino, alterum ex Leone, tertium ex Aurelio Auguſtino, eaque Auguſtino Aurelienſi adſcribuntur. Hæc autem tria optime diſtinguuntur in opere, quod Egberto perperam aſſertum mox oſtendemus. Diſtinguuntur, inquam, lib. 4. c. 232. 233. & 234. & ſuo cujuſque auctori aſſeruntur. Alia nonnulla tum in canonum titulis, tum in ipſis canonibus confuſa & vitiata occurrunt. Num. 39. *Canonis Africanenſis* nomine aſſertur quoddam decretum, quod inter capitula Pœni-

Egberti opus *de Sacerdotali Jure*. Quæ ejus particulæ tantum editæ.

Excerptiones ex opere Egberti editæ.

Quædam ipſis inſerta.

Aliqua vitia notata Egberto non tribuenda.

nitentialis Theodori recitatur apud Acherium cap. 21. inſertis vocibus: *Theodorus dicit*. Num. 68. allegatur uti Agathenſis canon, qui inter Agathenſes non legitur. Ita quidem laudatur etiam a Reginone lib. 2. c. 271. & a Burchardo lib. 11. c. 64. Melius vero in collectione, de qua mox dicturi ſumus, lib. 4. c. 127. vindicatur S. Ferreolo. Cum vero in hac collectione numero præcedenti 126. afferatur canon ex Concilio Agathenſi; ſi quidpiam ſimile fuit etiam in Echerti opere, ex quo excerptiones ſumtæ ſunt, facile potuit evenire, ut excerptoris hallucinatione præcedentis canonis titulus ad ſequentem transferretur: quemadmodum Ivoni accidit, qui in epiſt. 80. ad Guilelmum Fiſcanenſem ex Burchardi libro 3. c. 11. ſimili errore canonem epiſtolæ Hygini allegavit *ex Concilio Meldenſi capitulo quinto*, hac epigraphe traducta ex præcedenti capite decimo ejuſdem libri Burchardiani. Præterea num. 539. excerptionum, Vigilii decretum recitatur, quod poſteriores ex Burchardo Hygino Papæ tribuunt: at nec in ſuppoſititiis Hygini litteris legitur, nec in Vigilii epiſtola ad Profuturum eodem modo ac ſenſu profertur. Notatione dignæ ſunt etiam quædam allegationes inuſitatæ. Num. 53. ſub titulo *Canon Sanctorum*, producitur canon 23. Carthaginienſis III. collectionis Iſidorianæ ſeu potius Hiſpanicæ. Num. 94. *Canonum Romanorum & Francorum* nomine appellari videntur leges civiles Imperatorum Romanorum ac Regum Francorum, quibus delictorum pœna, & delinquentium coercitio præſcribitur. Ceterum ex n. 30. harum excerptionum, quas ex ampliori Echerti opere maxima ſaltem ex parte Hucarius ſumſit, exploratum fit in Anglia exſtitiſſe abbreviationes Rufinianæ canonum Nicænorum. Dionyſiana pariter verſio detegitur in num. 31. 33. 43. & 59. Laudantur canones Hibernenſes, & Synodus S. Patricii, regulæ Fructuoſi, Aureliani, & Iſidori, ac nonnulli canones Synodorum Galliæ, inter quos ſunt Epaunenſes, qui nec in primigenia collectione Hiſpanica, nec in primis ejus additamentis leguntur.

tom. 8. Concil. Ven. edit. col. 330.

VI. Alterum opus, quod Spelmannus Ecberto adjudicat, eſt Pœnitentiale, ex quo aliquot canones excerptos edidit hac inſcriptione: *Ex ejuſdem Egberti Pœnitentialis libro ſecundo in publica bibliotheca Oxonienſi ſub titulo: Ab hinc diverſa ex diverſis exceſſibus judicia*. Deſcriptis autem exinde tantummodo canonibus 35. hæc idem Spelmannus notavit tom. 1. Concil. Britanniæ pag. 278. *Huc uſque canones in ſecundo libro Pœnitentiali prope finem, habentarque in libro quarto multi alii ex epiſtolis dictisque Patrum, decretis Paparum, & diverſorum Conciliorum ſanctionibus, quadraginta duo ejuſdem libri folia occupantes in Oxonienſi MS.* Hunc codicem ipſe non vidit: monuit enim pag. 275. ſe eos canones ex ſecundo libro excerptos *aliorum oculis & induſtria* accepiſſe; additque illud Pœnitentiale in eodem codice *quatuor libros integros complecti*. Nobis autem contigit hoc opus in quatuor libros diſtinctum reperire in MS. Vat. 1352. in cujus quidem libro ſecundo illi canones 35. a Spelmanno editi continentur, & libro quarto laudata fuſior canonum collectio exhibetur, quam ſeparatim deſcriptam nacti ſumus in alio cod. Vat. 1347. In nullo autem ex his duobus codicibus Egberti nomen legitur. Immo ex præfationibus, quas Spelmannus non vidit, palam fit hoc opus a privato aliquo auctore fuiſſe ſcriptum præcepto alicujus ſive Abbatis, ſive Epiſcopi, quemadmodum colligere licet inter cetera ex his verbis proœmii in librum quartum. *Magnopere popoſciſti, ac præcepiſti, cariſſime Rector, ut ad corrigendos vel inſtruendos tuorum mores ſubditorum, quædam ex divinis conſtitutionibus* &c. Hæc Egberto Archiepiſcopo non congruunt. Certe hoc non eſt opus ejuſdem *de Sacerdotali Jure*, quod ipſius Pœnitentiale vocari poteſt. Quædam enim capitula in eiſdem libris non leguntur, quæ in excerptionibus ex Egberti opere ſumtis proſtant: ſicut nec legitur illud caput, quod ex Egberto Rhabanus allegat. Adde quod in eiſdem excerptionibus laudatur canon Synodi Agathenſis, qui in libro quarto hujus operis cap. 127. ſuo auctori Ferreolo aſſeritur. Spelmannum igitur, qui codicem Oxonienſem non evolvit, ex eo deceptum credimus, quod in eodem MS. his libris nullo Egberti nomine ſignatis præmiſſa eſſent excerptionum capitula 21. quæ etſi Egberti titulo carebant, cum tamen ea Egbertum habere auctorem, alius ſaltem Cottonianus, quem n. 4. memoravimus, codex (licet erronee) præferret; eumdem Egbertum ejus quoque operis in quatuor libros diſtincti, quod laudatis capitulis ſubjiciebatur, auctorem credidit. Tres priores libri ex Patrum fere ſententiis compacti ſunt, in quibus frequenter Proſperi nomine laudantur libri de Vita contemplativa, uti apud Scriptores octavi & noni ſæculi mos erat. Quartus vero liber canonum collectionem complectitur diſtinctam in titulos ſeu capita 381. Nullum teſtimonium occurrit recentius Gregorio II. & Beda, qui ante medium octavum ſæculum vita functi ſunt. Nihil apocryphum recitatur. In teſtimoniis deſcribendis fere exactus eſt auctor: aliquando tamen (ut alii ejuſdem temporis) liberiori calamo, ſeu compendio uſus deprehenditur. Pœnitentialia Romanum & Bedæ laudantur, nec non regulæ monaſticæ S. Benedicti, & Sanctorum Patrum Baſilii, Aureliani, Cæſarii, Fructuoſi, Ferreoli, Iſidori, atque Columbani, & aliorum ſimilium. Dionyſii collectio uſui fuit, ex qua præcipue Græcarum Synodorum, ac Africani canones ſumti fuere. Hiſpanicam vero collectionem in canonibus Africanis collector aliquando ſequutus eſt, ex qua Carthaginienſi Concilio tribuit canones, qui in ea collectione perperam aſſeruntur Carthaginienſi IV. Nihil refert ex canonibus Synodorum Hiſpaniæ, quod in eadem collectione Hiſpanica non inveniatur. Ex Gallicanis canonibus præter Hiſpanicam aliud exemplum præ oculis habuit: laudat enim Synodos Turonicam, Veneticam, Epaunenſem, & aliquot Aurelianenſes, quæ in Hiſpanica deſiderantur. Ex collectione etiam hoc tomo edenda profeciſſe videtur. Etenim canonem Chalcedonenſem refert c. 213. ex interpretatione Priſca; & c. 238. canonem Nicænum, c. 247. Antiochenum, c. 312. Laodicenum ex antiqua verſione cum lectionibus, quæ in ſupradicta tantum collectione inveniuntur. Illud porro maxime animadvertendum eſt, Reginonem uſum fuiſſe quarto libro hujus operis: plurimos enim canones eodem ſæpe ordine, ac iiſdem titulis ex ipſo manifeſtiſſime exſcripſit. Perutilis fuit diligentiſſima Reginonis editio, quam curavit Stephanus Baluzius; quippe ex hac maxime illuſtrantur collectiones Burchardi & Ivonis, qui ex Reginone ebiberunt. Quanto autem magis utilis futura erit editio laudati operis, ex quo Regino quamplurima derivavit? Hanc vero editionem fere paratam, ſi Deus conceſſerit, aliquando daturi ſumus.

Pœnitentiale in quatuor libros diſtinctum.

Non eſt Egberti.

Sup. n. 2.

Regino ex hac collectione non pauca recepit.

CAPUT VII.

De tribus vetuſtis collectionibus, quæ canones in locos communes diſtribuunt.

§. I.

De collectione Hibernenſi.

I. Methodum diſtribuendorum canonum in titulos & locos communes præferunt vetuſtæ collectiones Hibernenſis, Herovalliana, Andegavenſis, Divionenſis, Pithœana, & aliæ ejuſmodi, quæ a P. Sirmondo, a Jacobo Petit, & ab aliis laudatæ, cum nullis fœdatæ ſint Pſeudoiſidori impoſturis, & nihil habeant poſterius ſæculo VIII circa hoc tempus & ante Iſidorianam collectionem lucubratæ videntur. De Hibernenſi in primis dicamus. Ex hac P. Lucas Acherius, Corbejenſi codice uſus, primum edidit canones Hibernenſes; & dein ex MS. Bigotiano P. Edmundus Martene adjecit alios canones Hibernenſes, qui vel Acherii diligentiam fugerunt, vel (quod probabilius eſt) in ipſius codice deerant. Hæc vetus compilatio ex Conciliorum Romanorumque Præſulum Patrumque decretis fere abbreviatis conflata, conſtat ex libris 65. quorum ſinguli in plura capitula dividuntur. Collectoris nomen indicare videtur librarius in fine anti-

t. 1. Spicil. nov. edit. pag. 492.

t. 4. Anecdot. p. 2.

tiquiſſimi codicis Corbejenſis his verbis: *Arbedoc Clericus ipſe has collectiones conſcripſi laciniosæ conſcriptionis Haelhucar Abbate diſpenſante, quæ de ſanctis Scripturis, vel divinis fontibus hic in hoc codice glomeratæ ſunt: ſive etiam decreta, quæ ſancti Patres & Synodi in diverſis gentibus, vel linguis conſtruxerunt.* Acherius in monito conjicit Hucarium levitam, qui excerptiones ex Egberto digeſſit, fortaſſis eſſe eum, qui Hael Hucar appellatur. At *Haelhucar* unum nomen conflare videtur, & præterea *Abbas* dicitur. Ipſe Corbejenſis codex, Mabillonio teſtante de Re diplomatica pag. CCCLX. octavo ſæculo ſcriptus, collectionis & collectoris antiquitatem demonſtrat. Hanc certe apud Hibernos compoſitam probant tum S. Patricii ac Gildæ Sapientis dicta, tum Hibernenſis Synodi, quæ ſere *Sancta Synodus*, vel ſimpliciter *Synodus* appellatur, decreta. Hæc collectio, inquit Acherius, *docet & conſtituit quæ ſpectant ad ordinationes ſacras, administrorum Eccleſiæ diverſa munia, ad adminiſtrandorum ſacramentorum modum, ad eccleſiaſticam diſciplinam probe obſervandam, & ad laicos chriſtianis moribus religioſe imbuendos; denique remedia adhibenda pœnitentiaſque lapſis imponendas præſcribit.* In hac canonum Nicænorum nomine conſtanter afferuntur Sardicenſes, uti fidem facit P. Couſtantius in præfatione ad tom. 1. Epiſtolarum Romanorum Pontificum num. 77. pag. LXXII. Ex paucis autem, quæ Acherius protulit, perſpicitur, Africanos & Gallicanos canones iis libris fuiſſe inſertos, ac Dionyſii collectionem in Hibernia uſo receptam: Gangrenſes enim canones ex Dionyſiana interpretatione afferuntur, ut patet ex lib. 43. c. 2. ubi canon 10. Dionyſianus ad verbum deſcribitur. Modum vero liberiorem in canonibus compendio efferendis, qui per hæc tempora inolevit, & in aliis ejuſmodi collectionibus invaluit, auctor exponit in prologo. *Synodorum*, inquit, *exemplariorum innumeroſitatem conſpiciens . . . brevem planamque ac conſonam de ingenti ſilva ſcriptorum in unius voluminis textum expoſitionem digeſſi, plura addens, plura minuens, plura eodem tramite degens* (leg. *digerens*,) *plura ſenſu ad ſenſum neglecto verborum tramite aſſerens.*

Nota libertatem collectoris.

II. Hæc jam ſcripſeramus, cum recolentibus noſtras adnotationes in MS. Vallicellanum XVIII. ſæculi decimi, quod diverſas collectiones continet, ſuſpicio incidit numero III. eamdem Hibernenſem collectionem exhiberi. Nec ſuſpicio inanis fuit. Nam P. Franciſcus a Puteo Congregationis Oratorii Romæ Presbyter, quem pro ſua humanitate noſtris ſtudiis cooperatorem experti ſumus, rogatus titulorum indicem ac certa quædam ejuſdem opuſculi capita ex eo codice deſcripta tranſmiſit, ac ex iis omnia cum laudata collectione convenire deteximus. Solum tituli ibidem appellantur, qui apud Acherium vocantur libri. Diſcrimen aliquod eſt etiam in diviſione, cujus cauſſa in Vallicellano exemplo tituli ſunt 68. qui in codice Corbejenſi ſunt libri 65. Ita ex. gr. liber tertius manuſcripti Corbejenſis apud Acherium inſcriptus *de Diacono* Subdiaconos complectitur. Melius autem in Vallicellano dividitur in duos titulos tertium & quartum, quorum alter *de Diacono*, alter *de Subdiacono* inſcribitur. E contra in Vallicellano deeſt titulus *de regionibus cenſus*, qui in Corbejenſi eſt liber 46. Nunc inſcriptionem ipſius collectionis, ut in Vallicellano legitur, appendimus cum indice titulorum & numero capitum, ex quibus conſenſum cum Hibernenſi collectione ab Acherio edita quiſque exploratius agnoſcet.

Incipit gratiſſima canonum collatio, quæ Scripturarum teſtimoniis & Sanctorum dictis roborata legentem lætificat; ubi ſi quidpiam diſcordare videtur, illud ex eis eligendum eſt, quod majoris auctoritatis eſſe decernitur.

Sequitur *Præfatio in eamdem collationem. Synodicorum exemplarium innumeroſitatem conſpiciens* &c. uti apud Acherium tom. 1. Spicil. pag. 492. ubi minus recte *Synodorum exemplariorum*. Tum pauca de quatuor Synodis ex S. Iſidori libro Originum, vel ex præfatione collectionis Hiſpanicæ. Mox *Item præfatio Dionyſii ad Stephanum de diverſis Synodis.* Pro Dionyſii autem præfatione collector excerpſit ſolos titulos & numerum canonum, quos in Dionyſiano codice reperit. Solam partem Dionyſii, quæ canones complectitur, præ oculis habuiſſe videtur, ac ex ea Carthaginienſes canones continua numerorum ſerie, ut in Vaticano puri Dionyſii exemplo, deſcriptos indicat numerus eorumdem canonum CXXXVIII. qui numerus non Hadrianis, ſed puris Dionyſii codicibus convenit. Sic enim legitur: *Regulæ apud Carthaginem Africæ centum XXVIII* corrige *centum XXXVIII.* Subditur canon vigeſimus Antiochenus ex verſione Dionyſii. Tum hæc tabula titulorum deſcribitur, quibus ſingulis numerum capitum ex corpore excerptum adjiciendum putavimus.

I. *De Epiſcopo* c. 24. II. *De Presbytero* c. 30. III. *De Diacono* c. 10. IV. *De Subdiacono* c. 4. V. *De lectore* c. 4. VI. *De exorciſta* c. 2. VII. *De oſtiario* c. 3. VIII. *De recapitulatione ſeptem graduum* c. 1. IX. *De acolyto & pſalmiſta* c. 2. X. *De Clerico* c. 10. XI. *De Chriſtiano* c. 6. XII. *De peccante ſub gradu* c. 6. XIII. *De lege* c. 4. XIV. *De jejunio* c. 27. XV. *De eleemoſyna* c. 10. XVI. *De oratione* c. 12. XVII. *De cura pro mortuis* c. 9. XVIII. *De teſtimonio & teſtibus & teſtamento* c. 19. XIX. *De oblationibus* c. 20. XX. *De jure ſepulturæ* c. 13. XXI. *De ordine inquiſitionis cauſſarum* c. 1. XXII. *De provincia* c. 6. XXIII. *De judicio* c. 43. XXIV. *De veritate* c. 11. XXV. *De dominatu & ſubjectione* c. 5. XXVI. *De regno* c. 28. XXVII. *De ſorte* c. 5. XXVIII. *De ſceleribus & vindicta eorum* c. 33. XXIX. *De civitate refugii* c. 18. XXX. *De futuro*, leg. *furto* c. 12. XXXI. *De commendatis* c. 10. XXXII. *De patribus & filiis* c. 22. XXXIII. *De parentibus & eorum heredibus, & de pietate parentum heredes in hereditate in perpetuum conſervante* c. 16. XXXIV. *De debitis & pignoribus & uſuris* c. 15. XXXV. *De fidejuſſoribus & ratis & ſtipulationibus* c. 8. XXXVI. *De juramento* c. 15. XXXVII. *De iubeleo* c. 15. XXXVIII. *De principatu* c. 43. XXXIX. *De doctoribus* c. 22. XL. *De Monachis* c. 19. XLI. *De excommunicatione* c. 17. XLII. *De commendationibus mortuorum* c. 13. XLIII. *De Eccleſia & mundialibus* c. 32. XLIV. *De tribu* c. 10. XLV. *De locis* c. 32. XLVI. *De quæſtionibus mulierum* c. 22. XLVII. *De ratione matrimonii* c. 42. XLVIII. *De pœnitentia* c. 33. XLIX. *De martyribus* c. 22. L. *De ſomniis* c. 2. LI. *De tonſura* c. 9. LII. *De beſtiis*. LIII. *De carnibus edendis* c. 16. LIV. *De vera innocentia* c. 5. LV. *De infantibus* c. 5. LVI. *De hoſpitalitate* c. 4. LVII. *De hæreticis* c. 5. LVIII. *De ſubſtantiis hominum* c. 4. LIX. *De ducatu barbarorum* c. 6. LX. *De conviviis* c. 8. LXI. *De maledictionibus & benedictionibus* c. 8. LXII. *De proximis placendis* c. 6. LXIII. *De ſilentio & elevatione vocis* c. 4. LXIV. *De artificio* c. 3. LXV. *De auguriis* c. 7. LXVI. *De anima* c. 9. LXVII. *De contrariis cauſſis* c. 7. LXVIII. *De variis cauſſis* c. 25.

§. II.

De collectione Herovalliana.

I. CODEX Herovallianus ſeptingentorum annorum eſſe traditur a P. Couſtantio tom. 1. Epiſtolarum Rom. Pont. col. 709. Fuit Antonii de Heroval, deio Jacobi Petiti, ac demum hujus teſtamento in bibliothecam Sangermanenſem PP. Benedictinorum Congregationis S. Mauri tranſivit. Laudatus Jacobus Petitus plura ex hac collectione edidit tom. 1. poſt Pœnitentiale Theodori pag. 102. & ſeqq. Eamdem collectionem antea laudavit Joannes Morinus in Appendice librorum de Pœnitentia. Diviſa eſt, inquit Petitus, in 92. titulos. *Conciliorum canones, Pontificum decreta, & Patrum ſententiæ, ex quibus compilata eſt, omnia ſunt antiqua.* Nonnulla maxime animadvertenda in hac collectione occurrunt.

II. Præmittitur index Synodorum, quæ in ipſa col-

collectione allegantur. Præter Synodos Græcorum & Africæ, ac præter canones Romanorum, reliquæ ſunt viginti & amplius Synodi Gallicanæ uſque ad Auguſtodunenſem S. Leodgarii Epiſcopi, ex Hiſpanis vero ſoli canones Toletani allegantur. Hic Gallicanorum Conciliorum numerus collectionem in Galliis lucubratam declarat.

Hæc collectio eſt Gallicana.

III. Hujus collectionis auctor non ex uno, ſed ex pluribus codicibus collectionibuſque profecit. Hinc Nicæni canones ex gr. nunc proferuntur ex abbreviatione Rufini, quam in aliquot Gallicanis antiquiſſimis collectionibus receptam vidimus part. 2. c. 10. §. 2. nunc ex antiqua verſione, quam Iſidorianam vocant, quæque in aliis MSS. Gallicanis legitur. Mirum vero accidit, eumdem canonem ſextum Nicænum eodem titulo ſexto primum p. 120. referri ex interpretatione, quæ ad Iſidorianam accedit, dein pag. 122. iterum produci ex Rufiniana abbreviatione. Dionyſiana quoque translatio collectori uſui fuit, quidquid contra Petitus contendat; ac propterea in Obſervationibus ad Diſſert. XVI. Queſnelli hinc non exiguum argumentum ſumemus, quo confirmetur Dionyſii codicem ante Hadriani I. & Caroli Magni tempora in Gallias perveniſſe. Septem canones Chalcedonenſes pag. 127. 192. 196. 197. 249. & 261. relati, Dionyſii verſionem perſpicue exhibent. Eamdem quoque præferunt unus canon Nicænus pag. 163. unus item Ancyranus pag. 245. alius Antiochenus pag. 132. & duo Laodiceni pag. 122. & 208. Canones Apoſtolorum ex ſola Dionyſii interpretatione apud Latinos vulgati ſunt, adeo ut in ipſa tabula ab auctore præmiſſa hæc de iiſdem ſcribantur: *Canones Apoſtolorum, quos Dionyſius Epiſcopus* (corrige *Exiguus*) *de Græco in Latinum tranſtulit rogante Stephano Epiſcopo*. Quatuor quidem ejuſmodi canones pag. 182. 201. 205. & 211. eam verſionem repræſentant. Quod ſi alii canones Apoſtolorum ab ea diſcrepant, id non alii interpretationi, cujus nullum uſpiam indicium eſt, referendum credimus, ſed alicui codici vel collectioni, in qua iidem canones ex Dionyſio ſumti, liberius expreſſi fuerint. Id comprobatur ex Gregorio Turonenſi lib. 5. Hiſt. 19. *Ipſe vero* (Rex Chilpericus), inquit, *diſceſſit tranſmittens librum canonum, in quo erat quaternio novus adnexus habens canones quaſi apoſtolicos continentes hæc: Epiſcopus in homicidio, adulterio, & perjurio deprehenſus a Sacerdotio divellatur*. Canon iſte eſt vigeſimus quintus Apoſtolorum, qui cum careat voce *furto*, quæ in Dionyſio legitur, & præferat vocem *homicidio*, quæ in eodem deeſt, liberiorem alicujus exſcriptoris licentiam manifeſtat. Confer quæ hac de re dicemus not. 14. in Diſſertationem Queſnelli XVI. Alii aliarum quoque Græcarum Synodorum canones ſæpius eamdem licentiam in Herovalliano codice exhibent. Nunc enim compendio deſcripti ſunt potius, quam e Græco redditi; nunc autem efferuntur aliis atque aliis verbis, quæ in nulla verſione inveniuntur, vel interpolationem aliquam produnt. Hinc nemini probari poterit Jacobi Petit ſententia, qua in hujuſmodi canonibus interpretationem ſingularem & vetuſtiſſimam ingerit. Errores in citationibus nonnumquam occurrunt. Sic tit. 5. pag. 109. *canon Calcidonenſis* affertur *era* 20. qui eſt compendium canonis 20. Antiocheni.

Libertas in referendis canonibus notata.

IV. Dionyſiani porro codicis uſus in præſenti collectione lucubranda potiſſimum comprobatur ex canonibus Africanis. Nulli ex Hiſpanica collectione allegantur. Ex Dionyſio autem eoſdem proferri ipſi numeri, quibus deſignantur, demonſtrant. Canones *Hypponenſes* ibidem vocantur, qui leguntur apud Dionyſium poſt canonem 33. Cum enim prima Synodus a Dionyſio laudata poſt eumdem canonem 33. ſit Hipponenſis; huic noſter compilator inconſiderate adſcripſit canones ſequentes, licet ad alias Africanas Synodos ſpectent. Numeri autem, quibus hi canones Hipponenſes citantur, non ſunt ſecundum eam ſeriem, qua in Hadriana collectione diſtinguuntur canones poſteriores a prioribus 33. ſed illi ſunt, qui in puris Dionyſii codicibus eoſdem canones a primo ad ultimum continua numerorum ſerie deſignant. Numerorum errorem aliquem excipe, qui tamen ad numeros puri Dionyſii, non vero ad Hadriani propius accedit. Africanos igitur canones compilator non ex Hadriana, ſed ex pura Dionyſii collectione excerpſit; quod ipſam compilationem Hadriano anteriorem comprobat. Hinc etiam allatus agnoſcitur in Gallias purus Dionyſii codex, antequam ab Hadriano I. Carolo Magno traderetur.

Canones Hipponenſes qui errore appellati.

Hæc collectio anterior Hadriana.

V. Sardicenſes canones Nicænorum nomine referuntur, eo quod ſumti fuerint e collectionibus, in quibus cum Nicænis ſine proprio Sardicenſium titulo jungebantur; uti ſunt ii codices Gallicani, quorum mentionem fecimus part. 2. c. 10. §. 2. Hanc Nicænorum inſcriptionem Sardicenſibus canonibus in Herovalliano MS. tributam vide apud Petitum pag. 133. 135. 149. 188. & 202. Unicum canonem Sardicenſis nomine collector laudat pag. 194. qui non Sardicenſis, ſed Nicænus eſt, ſeu potius Nicæni canonis 18. compendium. Nicæno quidem Concilio eumdem canonem adſcribit pag. 143. ubi ipſum iiſdem verbis Nicæni titulo recitat: ac eumdem pag. 193. Nicæni quoque nomine refert ex abbreviatione Rufini.

VI. Statuta Eccleſiæ antiqua, quæ inter documenta Juris canonici edituri ſumus, in codice Herovalliano plerumque laudantur hoc titulo: *Canon Africanus*, vel *Africanorum*: aliquando *Canon Carthaginienſis*: ſemel vero pag. 255. *Statuta Eccleſiæ antiqua*. His titulis diverſis eadem ſtatuta inventa a nobis ſunt in MSS. exemplaribus Gallicanis, qualia ſunt Vat. Palat. 574. & Veron. 59. quorum primum duos titulos ſimul profert, *Synodus Africana*, & *Statuta Eccleſiæ antiqua*; ſecundum vero *ex Synodo Carthaginis Africæ*. Numeri autem, quibus eadem ſtatuta notantur, iis numeris reſpondent, qui in his Gallicanis exemplis præferuntur; non vero illis, quibus in codicibus collectionis Hiſpanicæ ea ſtatuta alio ordine deſignantur ſub titulo *Concilii Carthaginienſis quarti*. Non omnes vero canones, qui Carthaginienſes in Herovalliana collectione appellantur, ad Statuta antiqua pertinent. Nam quidam ſunt ex prioribus canonibus 33. Concilii Carthaginienſis anni 419. tres vero ex poſterioribus, qui tamen in numeris ita vitiati ſunt, ut nec cum Hiſpanicæ, nec cum Hadrianæ, nec cum puri Dionyſii ſerie concordent.

VII. Titulo 26. pag. 163. *Canon Arelatenſis era* 1. ideſt can. 1. his verbis exprimitur. *Conjuimus igitur Paſcha Domini per totum orbem uno die obſervari*: quæ non leguntur in primo canone, ſed in epiſtola Concilii Arelatenſis I. ex uno rariſſimo Gallicano codice edita. Vide ipſam epiſtolam apud P. Couſtantium pag. 346. t. 1. epiſt. Rom. Pontif. n. 3. *Canones* quoque *Romanorum* laudantur non minus quam in MSS. collectionibus Pithœana, Andegavenſi, & Opuſculo II. Vallicell. XVIII. quæ omnes ſunt vetuſtæ collectiones Galliarum. Hi autem canones ex Foſſatenſi collectione pariter Gallicana a Sirmondo vulgati, Innocentio I. tributi fuere, a Couſtantio autem inter Siricii epiſtolas referuntur pag. 686. Præterea recitantur quædam excerpta ex epiſtola Siricii ad Geneſium, quæ hoc pariter titulo laudatur in duabus aliis collectionibus Gallicanis Pithœana & Vallicellana XVIII. opuſculo II. quæque idem Couſtantius collegit & impreſſit col. 709. & 710. ubi etiam ſcite notavit, hæc nihil aliud eſſe *niſi quæ Sirmondus & Labbeus ex codice S. Mariæ Laudunenſis edidit, Stephani II. Papæ reſponſa* 9. 10. 11. 12. 13. & 14. *ab eo, qui illa excerpſit, ſumma licentia vel truncata, vel mutata*. Siricio autem in noſtra aliiſque Gallicanis ſimilibus collectionibus, de quibus ſequenti paragrapho dicemus, ea occaſione tributa non improbabiliter cenſet, quia in editione Sirmondi ſecundum Laudunenſem codicem ante ea reſponſa proxime præcedit reſponſum octavum ex epiſtola Siricii ad Himerium: imperitus autem antiquior compilator exiſtimavit, ſequentia quoque capitula & reſponſa, quæ nullo citato auctore proferuntur, ad eamdem Siricii epiſtolam pertinere. Ex corruptione autem vocis *Himerium* indiligens librarius ſcribere facile potuit *Geneſium*. Hactenus P. Couſtantius, apud quem col. 637. not. 6. videſis quæ diſſerit de alio fragmento Siricii, quod in codice Corbejenſi fuſius,

in

in Herovalliano autem contractius multo invenitur. Epiſtola Silveſtri, ex qua noſter collector textum deſcribit pag. 192. eſt conſtitutum apocryphum eidem Pontifici inſcriptum, quod aliæ vetuſtiores collectiones receperunt. Vide part. 2. c. 6. n. 4. Nonnihil difficultatis movebit textus *ex epiſtola Hormiſdæ Papæ per univerſas provincias*, qui ſimili mendoſa epigraphe legitur in codice Vat. 1343. & poſt Halitgarii libros in MS. Sangallenſi apud Henricum Caniſium, nec non apud Gratianum diſt. 50. c. 29. & 58. At in Herovalliano MS. teſte Petit Hormiſdæ nomen poſterius videtur adſcriptum. Textus vero pertinet ad excerpta titulorum ſubjecta epiſtolæ Joannis II. ad Cæſarium Arelatenſem tom. 5. Concil. col. 903. quorum auctorem ipſum Cæſarium cum Sirmondo credimus.

Theſaur. monum. t. 2. p. 2. pag. 243.

VIII. Nunc ipſos titulos 92. hujus collectionis ex Petit exhibemus.

I. *De fide catholica & ſymbolo.* II. *De Scriptura canonica.* III. *Sententia Papæ Leonis de apocrypha Scriptura.* IV. *Decretalis de recipiendis & non recipiendis libris.* V. *Ut per ſingulos annos Synodus bis fiat; & qualiter decantietur.* VI. *Quales ad ſacros ordines venire non poſſint.* VII *Quales, vel qualiter ad ſacros ordines accedant, & ubi ordinentur.* VIII. *Ne in una civitate duo ſint Epiſcopi, & de Vicariis Epiſcoporum.* IX. *De ordinando Epiſcopo intra tres menſes.* X. *De ordinatis Epiſcopis, nec receptis.* XI. *De Epiſcopo invito ordinato.* XII. *Quod non oporteat abſoluta ordinare quemquam.* XIII. *De ſervo aut liberto ordinato.* XIV. *De Presbyteris, qui diverſis Eccleſiis miniſtrant; & quod non licet Clericum quemque in duas civitates miniſtrare, nec Abbati plura monaſteria habere.* XV. *Ut de uno loco ad alium non tranſeat Epiſcopus, vel Clericus ſine juſſione Epiſcopi.* XVI. *De peregrinis Epiſcopis & Clericis, ſeu ad comitatum pergentibus.* XVII. *De formatis peregrinorum, & Clericis ſine litteris ambulantibus.* XVIII. *Qualiter vel pro quibus culpis quiſque degradetur.* XIX. *De expulſo ab Eccleſia, & de excommunicato, vel damnato ab officio.* XX. *De ordine eccleſiaſtico & officio Miſſæ.* XXI. *De reliquiis Sanctorum, & oratoriis.* XXII. *Altaria non ſacranda niſi lapidea.* XXIII. *De baptiſmo.* XXIV. *De iterato baptiſmo.* XXV. *De confirmatione: & prandia in Eccleſia non fieri: & quod die dominico genu non flectatur.* XXVI. *De Paſcha, & die dominico, & reliquis feſtivitatibus.* XXVII. *De jejunio Quadrageſimæ, vel Letania.* XXVIII. *Ut feſti dies in civitatibus, aut in vicis publicis celebrentur.* XXIX. *De hoc quod offertur ad altare, vel offertur ad domum Sacerdotis, & de oblatione.* XXX. *De communione; & ut populus Miſſas perſpectet.* XXXI. *De prædicatione.* XXXII. *De hoſpitalitate.* XXXIII. *De decimis.* XXXIV. *De viduis, pupillis, & pauperibus, infirmis, & carceratis, & de leproſis.* XXXV. *Qualiter res Eccleſiæ Epiſcopus diſpenſet, vel regat; & de his quæ in altari dantur; & de baſilicis per parœchias.* XXXVI. *De rebus quas Sacerdos ſuis Clericis dedit.* XXXVII. *De rebus quæ Eccleſiæ dantur.* XXXVIII. *De rebus Eccleſiæ abſtractis, & contradictis.* XXXIX. *De cauſantibus, & judicibus.* XL. *De Epiſcopo, vel Clericis accuſatis, & accuſatoribus eorum.* XLI. *De Clericis uſurariis, & ebrioſis, & fidejuſſoribus, carmina vel cantica turpia, & alia plura his ſimilia ſectantibus.* XLII. *Ut Clerici non negligant officium ſuum, & non ſint contumaces, & conductores, & a ſæcularibus abſtineant.* XLIII. *Ut non habitet Clericus cum extraneis mulieribus; & de relicta Sacerdotis.* XLIV. *De Epiſcopis & ordinibus, vel regulis Clericorum, & veſtibus eorum, & cetera quamplurima.* XLV. *De venationibus & hoſpitalitate.* XLVI. *Ut peccantes fideles non liceat paſſim verberari.* XLVII. *De parœchiis & oratoriis conſtruendis.* XLVIII. *De natalitiis Martyrum.* XLIX. *De fictis Martyribus, & locis qui inaniter venerantur.* L. *De ſortibus & auguriis.* LI. *De Clericis, Monachis, & Abbatibus.* LII. *De Deo ſacratis puellis, & monaſteriis earum.* LIII. *De raptis.* LIV. *De inceſtis & adulteris, & qui uxores ſuas dimittunt.* LV. *De revertentibus ad ſæculum poſt depoſitum militiæ cingulum; & de his qui poſt baptiſmum adminiſtraverunt.* LVI. *De falſariis, & perjuris, & homicidis; & de captivitate, & diſcordia.* LVII. *De expoſitis.* LVIII. *De libertis, qui ad Eccleſiam confugiunt.* LIX. *De Judæis.* LX. *De Clericis, qui carne abſtinent.* LXI. *De Hæreticis & Gentilibus.* LXII. *De Catechumenis.* LXIII. *De conjurationibus.* LXIV. *De energumenis.* LXV. *De Chriſmate.* LXVI. *De exequiis mortuorum & ſepulcris; & ne palla ſuper corpora ponantur.* LXVII. *De lectione ad menſam.* LXVIII. *De lapſis & pœnitentibus.* LXIX. *De his qui contra canones faciunt.* LXX. *De Epiſcopis, qui hos ſupradictos canones ſubterfirmaverunt.* LXXI. *Canones S. Gregorii Papæ cap. 12.* LXXII. *Item ejuſdem S. Gregorii Papæ capitula ſex.* LXXIII. *Item ejuſdem capitula* XIV. LXXIV. *Epiſtola ejuſdem S. Gregorii Papæ ad Etherium Epiſcopum.* LXXV. *Item ejuſdem epiſtola ad Branchildem Reginam pro hæreſi ſimoniaca deſtruenda.* LXXVI. *De mulieribus quæ lanificia exercent.* LXXVII. *De his qui ſibi mortem inferunt quacumque negligentia.* LXXVIII. *De his qui ſacramento ſe obligant, ne ad pacem redeant.* LXXIX. *Ut oblationes diſſidentium fratrum non recipiantur.* LXXX. *De his qui intrantes Eccleſiam per nimiam luxuriam ſuam ſacramento ſe abſtinent.* LXXXI. *De non permittendo imperare laicos Religioſis.* LXXXII. *De pœnitentibus tranſgreſſoribus.* LXXXIII. *Ut pœnitentes ab aliis Epiſcopis vel Presbyteris non recipiantur, nec alibi communicent, niſi in ipſis locis, ubi fuerint excluſi.* LXXXIV. *Ut nullus Epiſcopus, vel infra poſitus die dominico cauſas audire præſumat.* LXXXV. *Ut Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia Clericorum ſuorum.* LXXXVI. *Ut Epiſcopus nullum ad Epiſcopatum per ſe conſtituat promovendum.* LXXXVII. *Si quis peccatum quemlibet expoliaverit, & admonente Epiſcopo non reddiderit, excommunicetur.* LXXXVIII. *De tricennali præſcriptione, ut poſt triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tempus excluſit.* LXXXIX. *Ut Epiſcopus ambulet per diœceſim ſuam.* XC. *Ut Epiſcopus duos ſolidos tantum accipiat, neque tertiam partem de oblationibus quærat; & ut Clerici non tractentur more ſervili.* XCI. *Ut vallematia & turpia cantica prohibeantur.* XCII. *Presbyterorum & Diaconorum ordinationes certis celebrari debere temporibus.*

§. III.

De collectione contenta in MS. Vallicellano XVIII.

I. Ejuſdem circiter rationis ac temporis ſunt etiam aliæ tres collectiones item Gallicanæ Andegavenſis, Divionenſis, & Pithœana, quas P. Sirmondus laudat: eaſque libenter deſcriberemus ſi eas videre licuiſſet. Harum vero loco aliam plane ſimilem referemus, quæ continetur in MS. Vallicellano XVIII. opuſculo ſecundo. Hanc Gallicanæ eſſe originis, ex eo colligimus, quod in ipſa laudentur *canones Romanorum*, *epiſtola Siricii ad Geneſium*, aliaque ejuſmodi, quæ in ſolis Gallicanis collectionibus invenimus. Concinit in multis cum præcedenti Herovalliana. Sed cum in aliis ab ea differt, tum vero diſcrepat etiam ab Andegavenſi & Divionenſi: nonnulla enim, quæ ex his allegata ſunt a P. Sirmondo, in ea reperire nequivimus. Num vero eadem ſit ac Pithœana, ſuſpicionem quidem afferunt ea, quæ exinde recitata, in Vallicellana pariter nacti ſumus. At cum totam collectionem conferre non licuerit, affirmare non audemus. In Vallicellana afferuntur canones Synodorum Græciæ ex antiqua interpretatione, uti vocant, Iſidoriana, & nonnumquam ex verſione Dionyſii. Laudantur Concilia Africæ, Galliarum, & Hiſpaniæ. Inter Pontifices recentior eſt Gregorius junior. Nullæ occurrunt ſuppoſititiæ Iſidori merces. Canonibus interſeruntur teſtimonia Patrum, ut in præcedentibus quoque collectionibus tum hoc, tum anteriori capite deſcriptis vidimus. Hinc mos ejuſmodi, qui a poſterioribus canonum collectoribus ſuſceptus fuit, ſæculo octavo incepiſſe cognoſcitur.

Teſtimonia Patrum collectionibus inſerta.

II. Hujus vero collectionis titulum, & capitula proferre ſufficiet.

Incipiunt capitula ſacrorum canonum num. LXXII.

I. *De apocryphis*. II. *De his, qui de poteſtate ſeculari ad Sacerdotium promoventur.* III. *De his, quibus nulla dignitas ad ſacrum ordinem ſuffragatur.* IV. *De eo, qui ab Hæreticis fuerit ordinatus.* V. *Quod qui ab Hæreticis baptizantur, promoveri non debeant.* VI. *Quod qui de Catholica Fide ad Hæreſim tranſit, ad Clerum non admittatur.* VII. *Qualiter ad ſacrum Ordinem ſit accedendum.* VIII. *De obſervatione temporum per ſingulos gradus.* IX. *Si Presbyter uxorem acceperit.* X. *Si pro neceſſitate in vino baptizatur ægrotus.* XI. *Si cum vaſe, aut cum manibus æger infans baptizatus fuerit.* XII. *Si Presbyter Orationem Dominicam, vel Symbolum ignoraverit.* XIII. *Si quis ruſtice baptizat.* XIV. *De iterato Baptiſmo.* XV. *Quod Sabbato jejunandum ſit.* XVI. *Quod poſſeſſio Eccleſiæ ab Epiſcopo non ſit alienanda.* XVII. *Si Eccleſia per ſimplicem Epiſcopum res ſuas amiſerit.* XVIII. *Quod Paſchæ temporibus Presbyteri, & Diaconi remiſſionem peccatorum per Parochias dent.* XIX. *De Monachis ad ſacrum Ordinem promovendis.* XX. *Quod Monachi ad ſacrum Ordinem promoti, non debeant a ſuo propoſito deviare.* XXI. *Quod alterius deſponſatam nemo accipere præſumat.* XXII. *Quod ſi unus ex conjugio ſuſceperit, uterque compater efficiatur.* XXIII. *Quod ſi ſanus vir leproſam duxerit uxorem.* XXIV. *Quod ſi vir, aut uxor adulteraverit, communione privetur.* XXV. *De his, qui poſt Baptiſmum aminiſtrantes capitalem ſententiam protulerunt.* XXVI. *Quod quinta feria ante Paſcha pænitentibus ſit remittendum.* XXVII. *Quod qui pænitentiam petunt, per impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput, eam conſequantur.* XXVIII. *Ne peccatorum profeſſio palam recitetur.* XXIX. *De his, qui ante Communionem obmuteſcunt, & moriuntur.* XXX. *Quod in Altari, ubi Epiſcopus Miſſam facit, non liceat ipſo die Sacerdoti Miſſam celebrare.* XXXI. *Capitula duodecim ex reſcriptis B. Gregorii Papæ ad Auguſtinum Epiſcopum, quem in Saxoniam ad prædicandum direxerat.* XXXII. *S. Auguſtini, unde ſupra ex Lib. 1. de Serm. Domini in monte.* XXXIII. *Sermo S. Johannis de Sacerdotibus.* XXXIV. *De his, qui neceſſitate mortis urgente pænitentiam ſimul & Viaticum petunt; & de his, qui obmuteſcunt, antequam ad eos Sacerdos daturus pænitentiam accedat.* XXXV. *De his, qui pænitentiam agere differunt.* XXXVI. *De remedio pænitentiæ, & quod abſolutio Pænitentium per manuum impoſitionem Epiſcoporum ſupplicationibus fiat.* XXXVII. *De pænitentibus, quod a Presbyteris non reconcilientur, niſi præcipiente Epiſcopo.* XXXVIII. *De eadem re.* XXXIX. *De tempore remiſſionis pænitentiæ.* XL. *De his, qui ſervos ſuos extra Judicem necant.* XLI. *Si domina per zelum ancillam occiderit.* XLII. *De his, qui ſibi quacumque negligentia mortem inferunt, & de his, qui pro ſuis ſceleribus puniuntur.* XLIII. *De his, qui uxores, aut quæ viros dimittunt, ut ſic maneant.* XLIV. *Qui uxorem habent, & ſimul concubinam.* XLV *Si vir, aut uxor adulteraverit.* XLVI. *De his, qui proximis ſe copulant, ut a communione Chriſti ſeparentur.* XLVII. *Gregorii Papæ de inceſtis.* XLVIII. *De multis nuptiis.* XLIX. *De quæſtionibus conjugiorum, ejuſdem.* L. *Quod non liceat in colligendas medicinales herbas incantatio fieri.* LI. *Quod non liceat chriſtianis feminis in ſuo lanificio quaſdam vanitates obſervare.* LII. *De auguriis.* LIII. *De perjuriis.* LIV. *De furto.* LV. *De falſis teſtibus.* LVI. *De diſcordantibus.* LVII. *De his, qui ex odio ad pacem non vertuntur.* LVIII. *De his, qui ſacramento ſe obligant, ne ad pacem redeant.* LIX. *Quod uſuram Laici Chriſtiani exigere non debeant. Regulæ de judiciis Clericorum.* LX. *De Presbyteris, qui uxores acceperint, vel fornicaverint.* LXI. *De Diaconibus ſimiliter.* LXII. *De his, qui ad Presbyterium promoventur, & ante ordinationem peccatorum ſibi ſunt conſcii.* LXIII. *Si Presbyter, vel Diaconus in fornicatione, vel perjurio, aut furto captus fuerit.* LXIV. *De diverſis ordinibus ab uxoribus abſtinendis.* LXV. *De incontinentia Sacerdotum, ſeu Levitarum.* LXVI. *De ſubintroductis mulieribus.* LXVII. *De Clericis uſuras accipientibus.* LXVIII. *Ut nullus Presbyter, & Diaconus conductor exiſtat, & Clerici abſtineant ſe ab uxoribus.* LXIX. *Quod nefas ſit feminas ſacris Altaribus miniſtrare, vel aliquid ex his, quæ virorum officiis deputata præſumere.* LXX. *De pollutionibus interrogatio Auguſtini, & reſponſio S. Gregorii.* LXXI. *Quod nihil proſit Sacerdoti, etiamſi bene vivat, ſi male viventibus non contradicat.* LXXII. *Luctuoſa deſcriptio carnalium viventium Sacerdotum.*

CAPUT VIII.

De collectionibus Acheriana, Halitgarii, & Rhabani.

I. Acherianam collectionem vocamus, quam e tribus MSS. Thuaneo, Baluziano, & Agobardino edidit Lucas Acherius tomo 1. Spicilegii noviſſimæ editionis pag. 510. Præfationem hujus collectionis viderat, ejuſdemque fragmentum vulgaverat Beatus Rhenanus in admonitione de Tertulliani dogmatibus: integram tamen collectionem, uti exoptabat, reperire non potuit. Nos eamdem collectionem in tribus aliis vetuſtiſſimis MSS. invenimus, nimirum in Vat. 1347. & in duobus Vat. Reginæ 446. & 849. In editione Acheriana hic titulus præfigitur. *Collectio antiqua canonum pænitentialium:* notatque Acherius rectius appellandam ſimpliciter *Collectio canonum*, niſi auctor *pænitentialium* vocem appoſuiſſet. Noſtri vero codices hunc titulum ignorant, hancque ſolam epigraphen præferunt, quæ in eadem editione poſt laudatum titulum ſubjicitur: *Incipit de utilitate pænitentiæ, & quomodo credendum ſit de remiſſione peccatorum per pænitentiam cum præfatione operis ſubſequentis.* Certe ex præfatione apparet, auctoris conſilium fuiſſe pœnitentiæ modum ſacris canonibus præſcriptum tradere: primus vero liber fere quidem ad pœnitentiam pertinet, at reliqui duo non item. Hæc nimirum collectio in tres libros diſpertita eſt, quorum argumentum auctor in ipſa præfatione his verbis proponit. *Et primus quidem libellus*, inquit, *continet ea, quæ ſunt de pænitentia & pænitentibus, criminibus, atque judiciis. Secundus maxime de accuſatis & accuſatoribus, judicibus ac teſtibus cum ceteris ad hæc pertinentibus eccleſiaſticis regulis. Tertius de ſacris ordinibus, vel qui promovendi ſunt ad Clerum, quive removendi a Clero, & de regulis ac privilegiis omnium Clericorum & Præſulum.* Petrus Pithœus in Synopſi hiſtorica virorum clarorum, qui præter Gratianum canones & decreta eccleſiaſtica collegerunt & digeſſerunt, de hac collectione ſcribit: *Exſtant paſſim & incerti collectoris libri tres pænitentiales ex Synodis, epiſtolis, ſententiiſque ſanctorum Patrum.* Niſi *ſanctorum Patrum* nomine intelligantur ſummi Pontifices, hæc poſtrema particula delenda eſt: nulli enim ſancti Patres in hiſce libris allegantur, ſed ſoli canones Conciliorum, & decretales Romanorum Pontificum.

II. Græcarum Synodorum canones & decretales auctor ex Hadriana collectione cum iiſdem numeris ac titulis recitat. Africanos quoque ex eadem ita decerpſit, ut duplici ac diſtincta numerorum ſerie alleget nomine Concilii Carthaginenſis priores canones XXXIII. & ſub titulo Concilii Africani poſteriores canones CV. ut in Hadriana deſcribuntur. Hinc Hadrianam collectionem ipſi uſui fuiſſe dubitare non licet. Præter Hadrianam vero collectionem adhibuit etiam Hiſpanicam, ex qua alios non paucos canones exſcripſit Africanos, Gallicanos, & Hiſpanos, qui in Hadriana deſiderantur. Itaque ex his duabus collectionibus Hadriana & Hiſpanica auctor profecit, vel potius ex aliqua ſimili contenta in codice Vat. 1338. in qua collectioni Hadrianæ Concilia Africæ, Galliarum, & Hiſpaniæ ex collectione Hiſpanica inſerta fuere, ut pluribus diximus p. 3. c. 5. Nihil profecto in cunctis illis libris occurrit, quod in eadem collectione Vat. 1338. non inve-

Unde collector excerpſit.

Digitized by Google

veniatur, nec quicquam affertur ex illis documentis, quæ præterea in integra Hiſpanica collectione leguntur. Hinc etiam iidem libri carent apocryphis, quod hanc collectionem Iſidoriana anteriorem indicat. Acherius digeſtam arbitratur ante ſæculum nonum. Certe Halitgarius, qui obiit anno 831. ex hujus collectionis præfatione ſuam mutuatus videtur, ſicut hæc ejus verba demonſtrant. *Hanc autem epiſtolam nemo quidem exiſtimet meam, ne illi pro parvitate nominis mei viteſcat. Sed ſciat a majoribus noſtris ex Sanctorum ſententiis eſſe collectam, a me quidem excerptam, ne nimia prolixitate negligentibus lectoribus faſtidium generaret. Majorum* nomine, qui *ex Sanctorum ſententiis* uberiorem præfationem collegerunt, indicat, ut credimus, auctorem præfationis præſenti collectioni præmiſſæ, in qua eædem quidem Auguſtini, & Gregorii ſententiæ leguntur, quas Halitgarius brevius contraxit. Si autem Halitgarius *majorum* nomine noſtrum compilatorem deſignavit, hic ſaltem quinquaginta circiter annis Halitgarium anteceſſit. Hanc itaque collectionem & documentorum ſinceritas, & auctoris antiquitas maxime commendat.

De collect. Halitgarii.

III. De Halitgario Epiſcopo Cameracenſi, qui ex eadem collectione profecit, pauca ſufficient. Hic petente Ebbone Remenſi circa annum, ut putat Baſnagius, 825. ſex libros ſcripſit de pœnitentia. Henricus Caniſius primos quinque libros vulgavit e MSS. Sangallenſibus, qui recuſi ſunt tomo 2. Theſauri monumentorum part. 2. pag. 91. adjecto ſexto libro, quem Stevartius ex alio codice impreſſerat. Hic liber deerat in Caniſii codicibus, ſicut etiam deeſt in antiquo codice 61. Capituli Veronenſis. At in hoc codice præfatio Halitgarii ſextum quoque librum indicat, ut videre eſt in Appendice Hiſtoriæ Theologicæ March. Maffeji pag. 79. Pater vero Menardus omnes hos libros nactus in MS. Corbejenſi cum præfatione integra, ſextum librum inſeruit adnotationibus in Sacramentarium S. Gregorii not. 679. Vide tomum III. Operum ejuſdem Sancti col. 461. Primus liber de octo vitiis principalibus, & ſecundus de vita activa & contemplativa fere excerpti ſunt ex operibus S. Gregorii, & ex Proſperi, ſeu verius Juliani Pomerii libris de vita contemplativa. Tertius de ordine pœnitentium, quartus de judiciis laicorum, & quintus de ordinibus Clericorum ſumti ſunt ex canonibus Conciliorum & conſtitutionibus Romanorum Pontificum. Sicut autem Halitgarius præfationem derivavit ex illa, quæ collectioni Acherianæ antea memoratæ præfigitur; ita canones & conſtitutiones ferme omnes ex tribus ejuſdem collectionis libris eruit, alioque ordine diſtribuit: adeo ut neque apud Halitgarium quicquam ex Pſeudoiſidori impoſturis occurrat, quas quidem poſt Halitgarium vulgatas hoc ipſum confirmat. Tandem ſextus liber eſt Pœnitentiale Romanum, quod ex ipſius Eccleſiæ ſcriniis ſe ſumſiſſe auctor teſtatur.

Rhabani collectiones duæ. Liber pœnitentium.

IV. Ab his disjungendæ non videntur duæ Rhabani Mauri collectiones, quæ pœnitentiales canones ſine ullis Iſidorianis apocryphis exhibent. Prima eſt *liber pœnitentium*, quem ſcripſit, dum eſſet Abbas Fuldenſis, paullo poſt annum 841. & certe ante annum 847. quo ad Moguntinam cathedram evectus, Otgario ſucceſſit: huic enim tunc Epiſcopo eumdem librum inſcripſit. Hic liber exſtat inter Rhabani opera, ac poſtea ab Antonio Auguſtino recuſus ac notis illuſtratus in opere inſcripto *Canones pœnitentiales*. Quibus ex fontibus auctor canones hauſerit, idem Auguſtinus in præfatione notavit his verbis. *Uſus autem Rhabanus eſſe videtur corpore canonum, & Iſidori Mercatoris priori editione, quod ad Concilia tantum attinet provincialia. Nam Romanorum Pontificum epiſtolas nullas refert præter eas, quæ poſt Damaſum conſcriptæ ſunt, & in corpore canonum exſtant.* Corpus canonum vocat Hadrianam collectionem: pro *Iſidori* autem *Mercatoris prioris editione* melius ſcripſiſſet *collectione Hiſpanica*. Rhabanus quidem (excepto teſtimonio S. Gregorii in epiſtola ad Secundinum, de quo mox dicemus) nullam conſtitutionem pontificiam allegat, quæ in Hadriana collectione non inveniatur; nullum vero Conciliorum canonem, qui non ſit vel in Hadriana, vel in Hiſpanica, ut de collectione Acheriana loquentes obſervavimus. Mirum porro eſt hunc Scriptorem, qui eo tempore vixit, iiſque in locis verſatus eſt, in quibus Pſeudoiſidori collectio compacta & edita fuit, nihil ex eadem recepiſſe. Neque vero opponas teſtimonium de Clericis lapſis ex epiſtola S. Gregorii ad Secundinum ſervum Dei incluſum, quod ſuppoſititium ejuſdem epiſtolæ additamentum in Iſidoro legitur. Cum enim nihil ex tot aliis ſuppoſititiis Iſidori mercibus Rhabanus exceperit; nobis probabilius videtur, hoc ejus epiſtolæ additamentum ab alio anteriori impoſtore confictum, non ex Iſidoro, ſed ex alio fonte Rhabanum derivaſſe. Enimvero ea ad Secundinum epiſtola cum eodem additamento deſcripta legitur (1) in vetuſtiſſimo MS. Corbejenſi originali Paulli Diaconi, quod in bibliotheca S. Germani a Pratis ſervatur. Hic enim codex ab eodem Paullo miſſus ad S. Adelardum Abbatem Corbejenſem (ut patet ex ipſius Paulli epiſtola, quæ collectis in eodem codice S. Gregorii epiſtolis præmittitur) quinquaginta quatuor ejuſdem Pontificis epiſtolas continet, ex quibus quatuor & triginta, teſtantibus editoribus Benedictinis, ipſius Paulli manu correctæ ſunt. Cum porro Paullus Diaconus e vivis exceſſerit anno 801. illud additamentum ante Iſidori collectionem compactum agnoſcitur: ac propterea Rhabanus, qui ex certis Iſidori figmentis nihil deſcripſit, ex diverſo & anteriori fonte illud teſtimonium hauſiſſe dicendus eſt. Id quidem alia obſervatione confirmari poteſt. Cum conſtituta Pontificum ex collectione canonum recitat, hac formula conſtanter utitur: *Ex decretis Siricii, Ex decretis Innocentii, Ex decretis Cæleſtini* &c. indicato capitulo, quo in collectione ipſum decretum refertur. Epiſtolam vero S. Gregorii ad Secundinum ſine decreti aut capituli mentione ita allegat, ut alios Patres laudat: quod indicio eſt ita eam epiſtolam, ſicut & Patrum textus non ex collectione canonum, ſed aliunde accepiſſe. Similiter ex alio profecto fonte retulit longum fragmentum epiſtolæ S. Iſidori Hiſpalenſis ad Maſonem, quæ de eadem circa Clericos lapſos diſciplina eodem ſenſu agens, pariter creditur ſuppoſititia. Hæc enim apud Pſeudoiſidorum, ſeu in puris ejus codicibus haudquaquam legitur.

Additamentum epiſtolæ S. Greg. ad Secundinum antelius Pſeudoiſidoro.

Præfat. in tom. 2. Oper. S. Greg. pag. 431.

Epiſt. S. Iſid. ad Maſonem non eſt Pſeudoiſidori.

V. Alia Rhabani collectio in prolixa epiſtola ad Heribaldum, quem dum erat Moguntinus Epiſcopus ſcripſit anno 853. ejuſdem plane rationis eſt ac antecedens collectio. Immo ibidem non pauca ex eodem *libro pœnitentium* ad verbum exſcripta deprehenduntur, inter quæ ſunt idem additamentum epiſtolæ S. Gregorii ad Secundinum, & fragmentum epiſtolæ S. Iſidori Hiſpalenſis ad Maſonem. Heic quoque quantum ad canones Conciliorum & decreta Pontificum nihil eſt, quod non inveniatur in collectionibus Hadriana & Hiſpanica, exceptis tantummodo quibuſdam canonibus Conciliorum Remenſis, Turonenſis III. & Moguntini, quæ Rhabani ætate celebrata fuerunt. Hæc epiſtola in capita 34. diſtincta, edita fuit primum a Petro Stevartio tom. 6. antiquarum lectionum Henrici Caniſii, dein a Stephano Baluzio in Appendice Reginonis p. 467.

Rhabani epiſt. ad Heribaldum.

CAPUT IX.

De collectionibus Capitularium Anſegiſi, & Benedicti Levitæ, & de earum Additionibus. Excerpta ex iiſdem Capitularibus Iſaaci Epiſcopi Lingonenſis. De Capitulis Herardi Archiepiſcopi Turonenſis, Theodulfi Aurelianenſis, Ahytonis Baſileenſis, & aliorum ſimilium.

Capitularia quid, & quomodo condita.

I. Capitularia Regum Francorum plura continent, quæ ad exteriorem eccleſiaſticam politiam regendam pertinent. Hæc fere condita in conventibus, in quibus plures Epiſcopi intererant, ac ab ipſis etiam Epiſcopis juſſione Regum hinc

Hh 2 inde

(1) Vide tom. 2. Operum S. Gregorii editionis Maurinæ col. 965. not. a in epiſt. 62. lib. 9. & col. 967. not. l.

Præfat. in Capitul. n. 9.

inde collecta, & plurima ex placitis ſanctorum Patrum canonibuſque Conciliorum excerpta, ut Baluzius notavit. Hinc magna eorumdem Capitularium cum eccleſiaſticis canonibus conſenſio prodiit. Hac de cauſſa Epiſcopi apud Trosleium in pago Sveſſionenſi congregati anno 909. poſt laudata *inſtituta canonum*, *eorum pediſſequa* appellarunt Capitularia, eademque tum in Synodis, tum a Pontificibus confirmata, *canonum* nomen nonnumquam obtinuerunt, ut laudatus Baluzius probavit. Horum igitur Capitularium collectiones, quas Anſegiſus Abbas, & Benedictus Levita compegerunt, inter collectiones canonum non immerito referendæ viſæ ſunt; cum præſertim Capitularia in poſterioribus canonum collectionibus inſerta, ex iiſdem canonicis fontibus ſere derivata fuerint.

Concil. Trosl. c. 3.

Præf. n. 58.

Collectio Anſegiſi. Præf. n. 40.

II. Hæc Capitularia ante annum 827. ſeparatim ſcripta, uti ſeparatim condita fuerant, nondum erant in unum corpus collecta. Anſegiſus Abbas, non Lobienſis, ſed Fontanellenſis, ut Baluzius demonſtrat, primus collegit aliquot Caroli Magni & Ludovici Pii Capitularia, ne oblivioni traderentur; eaque in quatuor libros digeſſit, quorum ordo ab eodem Anſegiſo in præfatione profertur. *Illa ſcilicet, quæ Domnus Karolus fecit ad ordinem pertinentia eccleſiaſticum, in primo adunavi libello. Ea vero eccleſiaſtica, quæ Domnus ac piiſſimus Hludowicus Imperator addidit, in ſecundo deſcripſi. Illa autem, quæ Domnus Karolus in diverſis fecit temporibus ad mundanam pertinentia legem, in tertio adunavi. Ipſa vero, quæ Domnus Hludowicus præclarus Imperator fecit ad augmentum mundanæ pertinentia legis, in quarta congeſſi.* Illud autem monet Baluzius, tametſi inſtitutum Anſegiſi fuerit ſola capitula Caroli Magni in primo libro deſcribere; permixta nihilominus ab illo per errorem fuiſſe quædam capitula Ludovici Pii a cap. 79. uſque ad cap. 104. quæ ſumta ſunt ex ejuſdem Capitulari anni 816. errorisque cauſſam non improbabilem ex eo colligit, quia cum Anſegiſus duo Caroli Magni capitula deprehendiſſet initio ejus Capitularis, quod a Ludovico conditum eſt; cetera quoque ejuſdem edicti capitula Caroli eſſe præſumſit. Ipſa Capitularia, ex quibus Anſegiſus libros illos concinnavit, ſtudioſorum hominum diligentia in antiquis tabulariis inventa & edita ſunt.

Collectio Benedicti Levitæ.

III. Cum Anſegiſus multa ipſius Caroli Magni, & Ludovici Pii capitula prætermiſſet; Benedictus Levita Moguntinus, Autgario Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopo jubente, circa an. 845. eam in ſe curam ſuſcepit, ut omiſſas illorum conſtitutiones, quarum frequens erat uſus, colligeret; iiſque adjicienda credidit, quæ antea Pippinus, & Carolomannus ſtatuerant. Neque vero is ex ſolis Capitularibus Regum & Imperatorum excerpſit, ſed alia multa ſumſit ex libris ſacræ Scripturæ, ex dictis ſanctorum Patrum, ex Codice Theodoſiano, ſeu ex Aniani interpretationibus, Paulli J. C. ſententiis, Juliani anteceſſoris Novellis, ex codice legum Wiſigothorum, & ex documentis, quæ, ut ipſe ait, *in diverſis locis, & in diverſis ſchedulis, ſicut in diverſis Synodis, & placitis generalibus edita erant, ſparſim invenimus, & maxime in ſanctæ Mogontiacenſis Metropolis Eccleſiæ ſcrinio a Riculfo ejuſdem ſanctæ Sedis Metropolitanæ recondita, & demum ab Autcario ſecundo ejus ſucceſſore atque conſanguineo inventa reperimus.* Hoc poſtremo commate potiſſimum indicantur ſuppoſititiæ Pſeudoiſidorianæ merces Riculfi ævo perperam attributæ, quarum particulæ in Benedicti libris receptæ leguntur: de qua re vide quæ animadvertimus part. 3. c. 6. §. 4. Hæc Benedicti collectio in tres fuſiores libros diſtinguitur, qui Anſegiſi libris ſubnexi, conſtituunt Capitularium libros quintum, ſextum, & ſeptimum.

Non ex ſolis Capitularibus condita.

De Additionibus Capitularium. tom. 1. Baluz. pag. 579.

IV. Præter hos ſeptem Capitularium libros inventæ ſunt Additiones quatuor. Hæ permulta capitula continent, quæ nec apud Anſegiſum, nec apud Benedictum repeIiuntur. Prima Additio, quæ in nonnullis MSS. exemplaribus continua numerorum ſerie ita jungitur cum tertio Benedicti Levitæ libro, ut partem ejus faciat, conſtat ex Capitulari Aquiſgranenſi anni 817. in quo LXXX. capitula ad continendos in officio Monachos ſancita fuerunt. Additio ſecunda capitulis XXVIII. ea continet, *quæ ſunt generaliter per parrochias populis denuntianda.* Tertiæ Additionis capitula CXXIV. *proprie ſunt ad Epiſcopos, vel ordines quoſque pertinentia, quæ non ſolum obſervare, ſed etiam ſibi ſubiectis, vel commiſſis facienda perdocere debent.* Quarta Additio prolixior, quæ varia diſciplinæ capita reſpicit, conſtat ex capitulis CLXXI. ac in his pleraque ex pſeudoiſidorianis impoſturis ſumta ſunt. Cum Benedictus Levita nullius documenti, ex quo capitula excerpſit, mentionem faciat; ut ea quæ ſpuria, vel ſincera ſint, diſcernerentur, non exiguo ſtudio & collatione opus fuit. At in Additione quarta ipſi ſuppoſititii fontes allegantur iis titulis, qui apud Iſidorum inveniuntur: quod indicio eſt, non ſolum hujus Additionis auctorem diverſum eſſe a Benedicto Levita, qui ab allegandis fontibus abſtinuit; verum etiam eo tempore, quo hæc Additio facta fuit, Iſidorianam collectionem celebrem & pervulgatam fuiſſe, adeo ut ejus documenta uti jam nota ſuis titulis indicarentur. Hujus autem Additionis tempus erui poteſt ex præfatiuncula eidem præfixa, in qua hæc leguntur: *Sequuntur quædam capitula ex ſanctorum Patrum decretis, & Imperatorum edictis colligere curavimus, atque inter noſtra capitula lege firmiſſima tenenda generali conſultu Erchembaldo Cancellario noſtro inſerere juſſimus.* Duo Erchembaldi Cancellarii memorantur, alter Carolo Magno imperante, alter ſub Lothario I. Cum hæc Additio ſpurias Iſidori merces receperit, quæ multo poſt Carolum Magnum prodierunt, Erchembaldus in laudata epigraphe nominatus ille eſſe cognoſcitur, qui ſub Lothario I. floruit. Hoc ergo tempore quarta Additio Capitularibus acceſſit.

Erchembaldi Cancellarii.

V. Hoc integrum Capitularium corpus cum ſuis Appendicibus olim editum fuit. Omnium vero præſtantiſſima eſt Stephani Baluzii editio Pariſienſis anni 1677. duobus tomis in folio, quibus eadem Capitularia multis & documentis, & notationibus illuſtravit. Præmiſſa ſunt inter cetera quotquot originaria Capitularia invenire potuit partim edita, partim inedita, ex quibus tamquam ex fontibus laudati collectores Anſegiſus, & Benedictus Levita, & Additionum auctores capitula derivarunt.

Iſaac Lingon. Capitula.

VI. A libris Capitularibus Regum Francorum disjungenda non ſunt Iſaac Epiſcopi Lingonenſis capitula, quæ ex iiſdem Capitularibus excerpta fuerunt. Hic Epiſcopus ab anno 859. teſte auctore Chronici S. Benigni, *compoſuit librum, qui dicitur* Canones Iſaac, *eoque ex libris canonum utiliora quæque eligendo in unum volumen coarctavit.* Is autem omnia ſumſit ex tribus poſtremis Capitularium libris, qui Benedicto Levita auctore poſt Anſegiſum editi, ſeparato volumine continebantur. Tradit in præfatione idem Epiſcopus, ſe ea capitula excerpſiſſe, *quæ ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Legatus venerabilis Bonifacius Mogonciacenſis Archiepiſcopus vice Zachariæ Papæ una cum orthodoxo Karolomanno Francorum Principe in duobus Epiſcoporum Conciliis ad honorem & profectum Eccleſiæ Dei conſcripſit, quæque etiam idem Papa Zacharias ſub anno Incarnationis Dominicæ DCCXLII. auctoritate apoſtolica confirmavit, & omnibus Eccleſiæ Dei fidelibus irrefragabiliter obſervanda conſtituit.* Hæc cum præmonuerit, ut ſuæ collectioni auctoritatem crearet; quanti eſſet apud Gallos Apoſtolicæ Sedis auctoritas, patefaciunt. Animadvertendum vero eſt, hæc Iſaac affirmaſſe innixum teſtimonio ipſius Benedicti Levitæ, qui in ſuo proœmio idipſum ingeſſit. Hæc autem S. Bonifacii delegatio, & Zachariæ Papæ confirmatio ſola prima capitula reſpicit libri primi ejuſdem Benedicti, inter Capitularia quinti: nam cap. 1. habetur *epiſtola Zachariæ Papæ Francis & Gallis directa:* cap. 2. & 3. afferuntur duæ Synodi S. Bonifacii Legati apoſtolici Carolomanno præſente celebratæ, altera anni 742. altera apud Liptinas anno 743. Hæc Iſaac collectio dividitur in titulos XI. ſinguli autem tituli plura capitula complectuntur.

t. 1. Baluz. p. 1233.

Capitula Herardi. t. 1. p. 1283.

VII. Stephanus Baluzius addit etiam capitula Herardi Archiepiſcopi Turonenſis, quæ ex Capitularibus Regum Francorum collecta creduntur. Sunt autem capitula CXL. quæ ille recitari juſſit in dice-

diœceſana Synodo anni 858. XVII. Kal. Junii. Idem ſane Baluzius notationes librorum Capitularium affigit in margine, ex quibus quælibet capitula compendio excerpta exiſtimat. Verum hæc capitula nullo indicio ex Capitularibus potius, quam ex aliis Juris canonici fontibus ſumta dici queunt. Eædem enim ſententiæ in pluribus aliis canonibus inveniuntur. Hæc Herardi capitula ejuſdem generis eſſe videntur ac illa Theodulfi Aurelianenſis, qui cum ante Capitularium libros floruerit, ex his profecto nihil derivavit. Ejuſdem quoque rationis ſunt capitula Ahytonis Baſileenſis, Walteri, ſeu Gualteri Aurelianenſis, Hincmari Remenſis, Rodulfi Bituricenſis, Riculfi Sveſſionenſis, Attonis Vercellenſis, & aliorum ſimilium, quæ non magis ex Capitularibus, quam ex Synodis derivari potuerunt. Unum heic addimus, laudata Herardi capitula inveniri etiam in MS. codice Vat. Reginæ 612. ubi plura capitula ſimul coeunt, conficiuntque capita XLVI.

Capitula Theodulfi & aliorum.

CAPUT X.

De manuſcripta collectione Sorbonico-Mutinenſi in partes duodecim diſtributa. Hæc ſæculo IX. exeunte in Italia lucubrata oſtenditur. De uſu legum Romanarum in collectionibus.

I. Collectionem nulli tum amplitudine tum vetuſtate concedentem, quam elegantiſſimus aſſervat Sorbonicæ bibliothecæ codex 841. commendant P. Couſtantius in præfatione ad totum 1. Epiſtolarum Romanorum Pontificum num. 169. & Franciſcus Salmon ejuſdem bibliothecæ perfectus in tractatu gallice inſcripto *De l'Etude des Conciles & de leurs collections* part. 2. c. 1. Porro Correctores Romani in editione Gratiani *collectionem canonum* memorant *ex bibliotheca Eccleſiæ Mutinenſis*. At cum ex ea nihil afferant niſi quaſdam lectiones, quid ea eſſet ignorabatur. Nos autem in bibliotheca Vaticana codicem nacti ſumus ſignatum num. 4899. qui exſcriptus ex Mutinenſi exemplo, iiſdem Romanis Correctoribus uſui fuit. Ex comparatione vero titulorum, qui ex MS. Sorbonico a laudatis Scriptoribus referuntur, cum iis titulis, quos in hoc Vaticano exemplo invenimus, eamdem prorſus collectionem in utroque contineri deprehendimus, quam idcirco collectionem Sorbonico-Mutinenſem diſtinctionis gratia appellavimus. Invenimus præterea in bibliotheca Vaticana duos alios perantiquos codices Palat. 580. & 581. quorum unus quatuor tantum priores partes ejuſdem collectionis, alter autem partes tres item priores tantummodo continet; ſed uterque caret ea præfatione, quæ tum in Sorbonico, tum in Mutinenſi ac Vaticano exemplo legitur. Ex his vero codicibus, quos commode evolvimus, accuratiorem hujus præclaræ collectionis deſcriptionem afferre licebit.

II. Hæc in partes duodecim diſtributa eſt, quibus in MS. Vaticano hæc præfatio præfigitur, *Domino magnifico, vigilantiſſimo Paſtori, & præcellentiſſimo Archipræſuli Anſelmo nos minimæ gregis ipſius oviculæ & peculiares quodammodo vernulæ pontificale decus inenarrabile meritum votis ſedulis imprecamur. Laudibus providentiæ veſtræ præferendum inclite paſtor acumen, eccleſiaſticis utilitatibus provide ac ſolerter proſpiciens, & ad communem gregis ſibi commiſſi profectum internis ſemper externiſque decertans, noſtram quoque parvitatem inter reliquos ſuorum famulorum permonere frequentius & ad potiora ſtudia incitare non abnuit, præcipiens omnimodis & injungens, ut ſacrorum inſtituta canonum, quæcumque ab ipſis chriſtianæ fidei primordiis ſanctæ atque catholicæ Eccleſiæ magiſtri, Apoſtoli videlicet atque apoſtolici viri, ad poſteritatis inſtructionem ſcriptis indidere ſuis, coadunandi & coaptandi in unam formulam pro modulo ingenioli noſtri qualemcumque diligentiam haberemus. Nos vero imperitiæ, exiguitatis, atque imbecillitatis noſtræ admodum conſcii, opus tam arduum nulla prorſus temeritate aggrediendum, nulla audacia præſumendum duceremus, niſi veſtri compelleret cenſura mandati: præſertim cum in hoc ipſo robuſtiores perſpicacioreſque viros tam Græcos quam & Latinos certum ſit deſudaſſe. Nam in altero Ferrandus Carthaginienſis Eccleſiæ Diaconus, in altero autem Creſconius quidam ejuſdem operis imitator, eccleſiaſticarum ſanctionum quamdam videtur feciſſe concordiam; nobiſque magnopere cavendum, ne forte id idem reſarciendo, aut compilatorum, aut derogatorum devitemus infamiam. Ut ergo veſtræ præceptioni, quæ nos ſupra modum cogit, veſtroque ardentiſſimo amori ſatisfacere valeamus, poſt divinum præſidium veſtræ nobis ante omnia paternæ benedictionis adeſſe precamur ſuffragium, quatenus inter alios veſtræ dominationis alumnos, etſi non de proprio, ſaltem de alieno labore, veſtro providentiſſimo judicio non penitus appareamus immunes. Ad exequendum igitur noſtræ parvitatis opuſculum, prout bonorum opifex Dominus conferre dignatus fuerit incrementum, univerſas paternorum canonum, Conciliorum, atque decretalium paginas in duodecim partes inſtar apoſtolici ſtemmatis conſuimus diſtinguendas, ita duntaxat ut ſingulis partibus congruentia capitula prænotentur, quæ propoſitæ cauſſæ, velut quidam veraciſſimi teſtes, evidens teſtimonium præferant, atque avido lectori patulum inveniendi quod deſiderat, aditum oſtendant. Quem petimus moleſte non ferat, ſi de unaquaque re quid ſinguli magiſtrorum ſenſerint, non improvide ſubiiciamus: quandoquidem ratu magis atque inconcuſſa videtur ſententia, plurimorum judicum auctoritate ſubnixa.*

Ferrandus, & Creſconius laudati.

III. Mox ſubditur index cum titulis ſingularum partium ſic.

Prima itaque pars hujus, quod Deo adjuvante aggredimur, operis, continet de primatu & dignitate Romanæ Sedis aliorumque Primatum, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, atque Metropolitanorum. c. 133.

Secunda pars continet de honore competenti, ac dignitate, & diverſo negotio Epiſcoporum & Choepiſcoporum. c. 300.

Tertia pars continet de Synodo celebranda & vocatione ad Synodum: de accuſatoribus & accuſationibus: de teſtibus & teſtimoniis: de ſpoliatis injuſte: de judicibus & judiciis eccleſiaſticis vel ſecularibus. c. 186.

Quarta pars continet de congruenti dignitate, & diverſo negotio Presbyterorum, & Diaconorum, ſeu reliquorum ordinum eccleſiaſticorum. c. 182.

Quinta pars continet de Clericorum inſtructione, & nutrimento, vel qualitate vitæ. c. 199.

Sexta pars continet de propoſito Monachorum, & profeſſione Sanctimonialium ac viduarum. c. 142.

Septima pars continet de Laicis, Imperatoribus ſcilicet, Principibus, & reliquis ſeculi ordinibus. c. 141.

Octava pars continet de norma fidei chriſtianæ, & gratia Chriſti, ac divinorum mandatorum exequutione. c. 89.

Nona pars continet de Sacramento baptiſmatis, & baptizandis, ac baptizatis. c. 66.

Decima pars continet de templorum divinorum inſtitutione, & cultu, ac prædiis: de ſacrificiis, oblationibus, ac decimis. c. 169.

Undecima pars continet de ſolemnitate paſchali, & reliquis feſtivitatibus ac feriis. c. 47.

Duodecima pars continet de hæreticis, ſchiſmaticis, Judæis, atque paganis. cap. 26.

IV. Non unum, ſed plures ſimul in hac collectione adornanda elaboraſſe ipſa, quam ex Vaticano codice apographo Mutinenſis exhibuimus, præfatio inſinuat. *Nos*, inquiunt, *minimæ gregis ipſius oviculæ, & peculiares quodammodo vernulæ*: ſemperque in toto contextu plurali numero loquuntur. Quæ tamen cum e MS. Sorbonico apud P. Couſtantium, & Franciſcum Salmon ſingulari numero efferantur; & in alterutro exemplo exſcriptoris arbitrium adſtruendum ſit; probabilius videtur, eum librarium ex arbitrio emendaſſe, qui unum collectionis auctorem ratus, ſingularem numerum induxit, quam qui ex ſingulari pluralem fecerit. Quatuor autem ex fontibus capitula excerpta, ex Hadriana, & Iſidoriana collectionibus, ex S. Gregorii Regiſtro, & ex legibus Romanis, quæ in Codice, in Novellis, & Inſtitutionibus Juſtinianeis continentur, hac conſtanti methodo ſervata, ut primum plurima deſcribantur partim ex collectione Hadriana,

Plures videntur collectionis auctores.

Fontes hujus collectionis.

na, ex qua ſumti ſunt inter cetera Græcarum Synodorum canones verſionis Dionyſianæ, partim ex collectione Iſidori, quæ ſuppoſititia documenta ſuppeditavit; dein ſequantur nonnulla ex Regiſtro S. Gregorii; ac tandem quædam ex Romanis legibus ſubjiciantur. Ita ex. gr. pars prima canones Conciliorum, & decreta Pontificum ex laudatis collectionibus profert uſque ad cap. 119. Poſtea ea Regiſtro B. Gregorii quædam referuntur a cap. 120. uſque ad cap. 128. Tandem nonnulla ex legibus Romanis a cap. 129. uſque ad cap. 133. Animadvertimus, in parte tertia canones Conciliorum & decreta Pontificum numeris notari uſque ad cap. 186. Dein vero aliquot capitula ex Gregorii Regiſtro & ex Romanis legibus ſubjecta numero carent.

Romanæ leges receptæ. V. Ivonem primum fuiſſe, qui Romanas leges ex Codice & Novellis Juſtinianeis in collectionem canonum induxerit, plerique exiſtimant. At hæc collectio Ivone, immo & Burchardo & Reginone, ut mox videbimus, anterior eſt. Illud porro hoc loco non eſt omittendum, in codice Vaticano Mutinenſis apographo, & in Sorbonico quædam documenta adjecta fuiſſe, quæ ad primævam collectionem non pertinent. **Additamenta notantur.** Omnis enim pars ex inſtituto collectorum in Romanis legibus deſinit. Porro parte tertia poſt Romanas leges hæc adjiciuntur. I. *De tumultu Concilii. Definitio Patrum* &c. II. *Incipit de quatuor Synodis principalibus. Canon græce* &c. III. *Item ratio de canonibus Apoſtolorum, & de ſex Synodis principalibus.* IV. *Item brevis adnotatio de reliquis Synodis*: quæ ex præmiſſis Iſidorianæ collectionis dimanant. V. *Item adnotatio de decretalibus Apoſtolorum*, legendum *Apoſtolicorum* quæ ex codice Sorbonico edita eſt a Franciſco Salmon libro citato part. 2. c. 1. pag. 258. editionis Lipſienſis anni 1726. VI. *De formatis*: & profertur epiſtola formata Regemberti Vercellenſis ad Andream Mediolanenſem, quæ ex alio antiquo MS. præſentia collectionis impreſſa fuerat a Franciſco Bernardino Ferrario Mediolanenſi lib. 5. *De antiquo eccleſiaſticarum epiſtolarum genere* c. 5. & ex Ferrario inſerta fuit Appendici Capitularium a Baluzio ſomo 2. col. 1575. ubi hæc data legitur: *Data Vercellis anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCCIV. Indictione VII.* In MS. Vallicellano B. 58. hanc eamdem formatam chronica notatione expertem invenimus, quæ ex hoc codice typis data fuit a Mabillonio tom. 1. Muſei Italici pag. 240. **Regembertus Epiſcopis Vercellenſibus adjiciendus.** Hinc autem Regembertus Epiſcopus adjiciendus eſt catologo Epiſcoporum Vercellenſium apud Ughellum, ejuſque Epiſcopatus Vercellenſis hujus temporis confirmatur ex privilegio Anaſtaſii III. Pontificis ad eumdem *Ragimpertum*, quod eaſtat in MS. 62. Capituli Veronenſis: Anaſtaſius enim tertius Pontificatum geſſit ab anno 910. ad annum 912. VII. *Ordo de celebrando Concilio*, uti apud Iſidorum legitur. In calce autem partis quintæ adduntur capitula Nicolai Papæ in Concilio collecta & firmata anno 861. contra Joannem Ravennatem cum ſubſcriptionibus, quæ ex MS. Mutinenſi hujus collectionis edita ſunt a P. Abbate Bacchinio in Appendice ad Agnellum Ravennatem, & recuſa leguntur tom. 10. Conciliorum Venetæ editionia col. 189. Additamenta partis tertiæ deſunt in MSS. Vatt. Palatinis, qui eamdem partem præferunt.

Tempus collectionis. VI. Tempus hajus collectionis exquirens P. Couſtantius, certum eſſe pronuntiat, eam digeſtam ante annum 1009. Id enim, inquit, aperte docet is, qui Sorbonicum exemplar deſcripſit, cujus ad calcem hæc adnotatio legitur: *Juſſu Domini Heimonis venerandi Præſulis Eccleſiæ Virdunenſis accepi ego Rodulphus obedienter ac gratanter hunc librum ad ſcribendum, finivique anno Incarnationis Dominicæ milleſimo IX. Indict. VII. X. Kal. April. regnante Heinrico in regno Hlotarii. Obſecro autem, quicumque legeris, ut mei jam dicti Rodulphi peccatoris indigni Monachi memineris, ne pro commiſſis recipiam pœnas, ſed oramine tuo, vel omnium hic legum jura pertractantium aliquantiſper æterni capiam refrigerii. Vale Domine Heimo Præſul beate, tuique ſervuli memento benigne.* Hactenus ea P. Couſtantio, qui nihil aliud de tempore conjicere potuit. Cum autem duo laudati codices Vatt. Palatini 580. & 581. formæ quadratæ, & in duas columnas diſtincti ſæculo ſaltem decimo ineunte exarati credantur; huic ſæculo eadem collectio adſignanda videtur. Verum antiquiorem eſſe, & ſæculo IX. lucubratam, ea quæ octavo numero afferentur, palam evincent.

Eſt Italica. VII. Hanc collectionem in Italia conditam ſuadent Romanæ legea, quæ ex Juſtiniani Codice, Inſtitutionibus, atque Novellis ibidem afferuntur. In Galliis lex Salica, & Capitularia Regum Francorum; in Germania autem præter eadem Capitularia priſcæ Ripuariorum, Alemannorum, Bajoariorum, & aliæ propriæ leges vigebant: & has quidem Gallicanus aut Germanus collector retuliſſet. **Leges Juſtinianeæ in Italia vigebans.** In Italia vero jam inde a Juſtiniani ævo, qui in ea imperabat, Romanæ leges Codicis, Inſtitutionum, ac Novellarum ejuſdem uſui erant. Hinc S. Gregorius Magnus eas identidem in ſuis epiſtolis profert. Vide epiſt. 9. lib. 1. epiſt. 38. lib. 3. epiſt. 25. lib. 4. epiſt. 36. lib. 6. epiſt. 23. & 39. lib. 7. epiſt. 6. & 7. lib. 9. epiſt. 3. 4. 11. & præſertim 45. libri 13. Hinc Leo IV. in epiſtola ad Lotharium Auguſtum, qui regnabat in Italia, ſcripſit: *Veſtram flagitamus Clementiam, ut ſicut hactenus Romana lex viguit .... ita nunc ſuum robur propriumque vigorem obtineat.* Exſtat hoc fragmentum apud Ivonem part. 4. c. 131. & apud Gratianum diſt. 10. c. 13. Notant autem Romani Correctores: *Videtur Lotharius populo Romano, quod hic Leo petiit, conceſſiſſe: nam in legibus Longobardicis lib.* 15. *tit.* 57. *ſic habetur.* „ Lotharius Imperator. Volumus ut cunctus „ populus Romanus interrogetur, qua lege vult „ vivere, ut tali lege, quali lege vivere profeſſi „ ſunt, vivant &c. „ Verum hæc Lotharii lex conſtituta fuit anno 824. Eugenio II. Pontifice, qui Leoni IV. præceſſerat; ut recte probavit Stephanus Baluzius in præfatione ad Capitularia Regum Francorum num. 24. Igitur ante Leonem IV. id conceſſum fuerat. Cum vero Lotharius Capitularia Regum Francorum a Romanis quoque recipi ſtuduerit, uti colligimus ex antiquis carminibus, quæ e MS. codice edidimus part. 2. c. 10. §. 4. in fine; Leo IV. inſtitit, ne quod jamdiu uſu receptum erat, aliqua novitate turbaretur. Eccleſiaſtici quidem Italiæ Romana lege ſe velle vivere univerſim profitebantur, uti de ipſis ſtatuerat Ludovicus Imperator lib. 3. legum Longobardorum tit. 1. n. 37. Legis autem Romanæ nomine illæ leges intelligebantur, quæ in Codice, Inſtitutionibus, atque Novellis Juſtinianeis erant deſcriptæ. Hinc ergo præſentis collectionis auctores, qui ſane in Clero erant, Romanas leges ex his fontibus in fine cujuſque partis addentes, numquam vero Salicas, aut alias aliarum nationum, ſe ſe Italos præferunt. Regino quidem Germanus quaſdam leges Codicis Theodoſiani ex Anniano retulit, quippe quæ apud exteros jamdiu erant in uſu; ſed Capitularium etiam, & Ripuariorum, atque Burgundionum leges ſimul exhibuit, numquam vero Juſtinianeas, quod Italorum proprium fuit. Quod ſi quidam exteri nonnulla excerpſerunt ex Juſtiniani Novellis; hi adhibuiſſe noſcuntur Juliani anteceſſoris epitomen: ipſum vero earumdem textum ſoli Itali fere produxerunt. **Quando ab aliis receptæ.** Ivo autem Carnotenſis licet Gallus ex iiſdem Juſtinianeis fontibus leges poſtea allegavit: quia publicum earumdem legum ſtudium ſuo ævo inſtitutum, latius propagari cœperat. Italicam quoque collectionem confirmant tum epiſtola formata Regemberti Vercellenſis ad Andream Mediolanenſem, quæ ſub finem tertiæ partis addita fuit, tum Synodus Romana ſub Nicolao I. contra Joannem Ravennatem addita parti quintæ: quæ duo ſunt documenta Italica. Formatæ præſertim epiſtolæ in codicibus ejus regionis, in qua datæ aut acceptæ fuerunt, deſcribi ſolent.

VIII. Si porro ſciremus quis ſit illa Archiepiſcopus Anſelmus, ad quem præfatio dirigitur, clarius & locus & tempus collectionis paterent. Cum P. Couſtantius Gallicanam collectionem fortaſſis præſumens, illum inter Galliarum Archiepiſcopos quæſierit; nihil ſe ſe expiſcari potuiſſe fatetur. Nos vero nihil ambigentes de collectione Italica, quærentes inter Archiepiſcopos Italos, deprehendimus eum eſſe Anſelmum II. Mediolanenſem, qui floruit

Collectio directa Anſelmo II. Mediolan. ruit nono ſæculo ab anno 883. ad annum uſque 897. Fuit quidem alius Anſelmus Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui ineunte nono ſæculo vixit, & alius item, qui ſub medium undecimum ſæculum eamdem Eccleſiam adminiſtravit. At illi primo non convenit hæc collectio, in quam ex Iſidoriana compilatione poſt ejus ætatem vulgata plura capitula traducta fuerunt. Neque tertio Anſelmo congruit, ante quem exemplum Sorbonicum, & duo Vaticano-Palatina ſcripta fuere. Igitur ſub Anſelmo II. Mediolanenſi Archiepiſcopo ſæculo nono exeunte iſthæc collectio Italica collocanda eſt.

CAPUT XI.

De Reginonis & Abbonis collectionibus.

I. Celebris eſt Reginonis Abbatis Prumienſis collectio, ex qua ſubſequuti poſtea collectores Burchardus, & Ivo plura ſumſeruut. Hanc ille ineunte ſæculo X. digeſſit, præcipiente Rathbodo Archiepiſcopo Trevirenſi, in cujus diœceſi ſitum erat Monaſterium Prumienſe. *Regino Abbas Prumienſis.* Id patet ex ipſo titulo, quem Baluzius in præclara editione Pariſienſi anni 1671. ſic ex MSS. codicibus expreſſit. *Incipit libellus de eccleſiaſticis diſciplinis & religione Chriſtiana, collectus ex juſſu Domini metropolitani Rathbodi Trevericæ urbis Epiſcopi a Regione quondam Abbate Prumienſis Monaſterii ex diverſis ſanctorum. Patrum Conciliis, & decretis Romanorum Pontificum feliciter in Dei nomine. Amen.* Ipſe Regino narrat in Chronico, ſibi in regimine Monaſterii Prumienſis ſucceſſiſſe Richarium anno 899. *Collectionis tempus.* Collectionem vero, quam regimine dimiſſo lucubravit, certe ante annum 906. editam non fuiſſe patet ex cap. 448. & 449. libri primi, in quibus duæ epiſtolæ formatæ proferuntur, una ipſius Rathbodi ad Robertum Epiſcopum Metenſem, altera Dadonis Virdunenſis Epiſcopi ad laudatum Rathbodum, utraque ſignata an. 906.

Diviſio. II. Diviſa eſt hæc collectio in libros duos, quorum primus de perſonis & rebus eccleſiaſticis tractat, ſecundus de laicis; quam diviſionem Regino a Martino Bracarenſi mutuatus videtur. Incipit primus liber ab inquiſitione de his, quæ Epiſcopus vel ejus miniſtri in ſuo diſtrictu vel territorio inquirere debent circa res & perſonas eccleſiaſticas. Hæc eadem inquiſitio, ut ſcite notavit Baluzius, inter Capitula Hincmari legitur tit. 2. Quare vel Regino eam ſumſiſſe dicendus eſt ex Hincmari Capitulis, vel vetuſtior fuit hæc formula prius ab Hincmaro, poſtea a Reginone deſcripta; quod veroſimilius videtur. Similiter libro ſecundo cap. 5. proponitur inquiſitio Epiſcopi circa laicos. Utrobique autem poſt inquiſitionem ſubjiciuntur auctoritates canonicæ, quibus probentur ſingula, quæ in inquiſitione præmiſſa fuerant. Hinc poſt primi libri inquiſitionem legitur: *Hæc quæ ſupra capitulatim inquirenda expreſſimus, auctoritate canonica roborari oportet.* Et poſt inquiſitionem libri ſecundi: *Capitula hæc, quæ per ordinem adnotavimus, canonicis oportet roborari decretis.* Prior liber conſtat ex capitulis 443. ſecundus vero capitula 446. complectitur.

Fontes ejus. III. Auctoritates, quæ ad probanda capitula proferuntur, ſumtæ ſunt non ſolum ex canonibus Conciliorum, decretis Romanorum Pontificum, & dictis ſeu ſententiis ſanctorum Patrum, verum etiam aliquando ex legibus Codicis Theodoſiani; ſeu potius ex verbis Anniani interpretis, ex Capitularibus Regum Francorum, nec non ex legibus Burgundionum & Ripuariorum. Cum ſuppoſititiæ Pſeudoiſidori epiſtolæ raro allegentur, Reginonem non admodum magni feciſſe illas nonnulli colligunt. *Neque enim dici poteſt*, inquit Baluzius, *incognitas illi fuiſſe, cum earum auctoritate aliquoties utatur; & cum conſtet præterea, permulta illum accepiſſe ex collectione Iſidori.* *In præfat. n. 8.* Nos autem arbitramur, illum plura ſumſiſſe ex collectionibus Pſeudoiſidoro antiquioribus, quæ in locos communes diſtributæ, nihil ex ſpuriis ejuſdem mercibus ſuppeditare potuerunt. Eum quidem multa decerpſiſſe ex ea MS. hujus generis collectione, de qua diximus cap. 6. n. 6. adeo certum eſt, ut integra capitula ejuſdem collectionis peculiaria eodem ordine, iiſdemque titulis in Reginone tranſcripta invenerimus. Alia ſimiliter ex ejuſmodi collectionibus, quæ ante Iſidorianam in Galliis & Germania erant vulgatæ, eum deduxiſſe ſatis credibile eſt, uti ex Halitgario & Rhabano accepiſſe a memorato Baluzio traditur. *Ibi n. 12.* Aliquam certe collectionem adhibuit, in qua canones Conciliorum & decreta Pontificum hinc inde collecta longiori numerorum ſerie deſcribebantur. Hac de cauſſa lib. 1. c. 61. canonem primum Nannetenſis Concilii allegat hoc titulo, *Ex Concilio Nannetenſi CCCCXVIIII.* ideſt cap. 419. & ſimiliter eodem libro cap. 117. quoddam Innocentii decretum afferens, ſe illud accepiſſe ait *ex epiſtola Papæ Innocentii cap. CCCLXXXVII.* Hi quidem numeri capitulorum, ſeu canonum 419. & 387. nulli collectioni, quæ integra documenta exhibeat, ſed ſolis illis codicibus canonum convenire queunt, qui plures promiſcue canones Conciliorum & Pontificum decreta ſub una ſerie numerorum permixta deſcribunt. Immo laudatum decretum Innocentii iiſdem verbis refertur in MS. collectione paullo ante memorata, ex qua Reginonem alia multa ſumſiſſe animadvertimus. Refertur autem num. 377. non vero 387. uti apud Reginonem legitur: quod errori librarii tribuendum videtur. Etſi igitur pleraque a Reginone recitata in collectionibus Dionyſiana, Hadriana, Hiſpanica, & Iſidoriana reperiantur; non tamen ſequitur eum ex his collectionibus decreta extraxiſſe. Illas enim plerumque collectiones adhibuit, quæ ante ipſum canones ex illis excerpſerant. Hinc cum in ejuſmodi collectionibus canones Græcarum Synodorum non ſemper ex antiqua, ſeu Iſidoriana, uti vocant, interpretatione proferantur, ſed identidem ex Dionyſiana; Regino ex his fontibus nunc antiquam, nunc Dionyſianam verſionem derivare potuit. Auctoritates vero Capitularium & legum Burgundionum atque Ripuariorum, aliaque nonnulla recentiora, quæ in laudatis collectionibus deſunt, ipſe propria diligentia adjecit; & eadem ratione ex Pſeudoiſidori mercibus pauca quædam, quæ in ſuam rem conferre poſſe credidit, excerpſiſſe arbitramur, ut ne idcirco eas ſuſpectas habuiſſe colligi queat.

Abbonis collectio. IV. Sub finem ejuſdem ſæculi X. quo Regino floruit, Abbo Floriacenſis Monaſterii Abbas collectionem edidit cum præfatione ad Francorum Regem Ugonem filiumque ejus Robertum. Cum Ugo Rex e vivis exceſſerit ann. 997. ante hunc annum hæc collectio digeſta fuit. Titulus eſt ejuſmodi: *Incipiunt canones Domini Abbonis Abbatis . . . excerpti de aliis canonibus.* Hæc in capita 52. diſtinguitur, ac ex canonibus Conciliorum, decretis Pontificum, Capitularibus Regum Francorum, & Novellis conſtitutionibus ita compacta eſt, ut quædam ipſius Abbonis verba identidem inſerantur, quibus opus contextum efficitur. Mabillonio curante prodiit tom. 2. Analectorum pag. 248. editionis autem in folio pag. 133.

CAPUT XII.

De collectione Burchardi Epiſcopi Wormatienſis. Hujus mos inſcribendi Synodis, Pontificibus, vel Patribus ſententias quorumdam poſteriorum ſcriptorum. Pœnitentiale Eccleſiarum Germaniæ ab ipſo receptum & auctum.

I. Burchardus patria Haſſus, non monachus, ut plures crediderunt, ſed canonicus & capellanus regius fuit, ac poſtea ad Wormatienſem cathedram promotus ante annum 1002. eamdem tenuit uſque ad annum 1025. quo e vivis exceſſit XIII. Kal. Septembris. *Vid. Jo. Feder. Schannat. Hiſt. Epiſcop. Wormat. pag. 333.* Dum autem erat Epiſcopus, collectionem canonum hortante Brunicone Eccleſiæ Wormatienſis Præpoſito concinnavit. Stephanus Baluzius in præfatione ad Antonii Auguſtini libros de Emendatione Gratiani §. 18. animadvertit, verum hujus collectionis auctorem dicendum eſſe potius Olbertum monachum Lobienſem, & poſtea Abbatem Gemblacenſem, *quo dictante & magiſtrante Burchardus magnum illud canonum volumen centonizavit*, ſi vera hæc ſunt, quæ leguntur in libro *Olbertus Gemblacen. adjutor, non auctor collectionis.*

bro *de geſtis Abbatum Gemblacenſium*. Verum ex MSS. Gemblacenſibus atque Leodienſibus rem aliter narrat Bartholomæus Fiſen in *Floribus Eccleſiæ Leodienſis* pag. 328. Cum vero Burchardus Olberto præceptore & familiari ſuo uteretur, eumdem operis adjutorem adhibuiſſe negari non poteſt. Hinc Sigebertus in Chronico ad annum 1008. Burchardum *collaborante magiſtro ſuo Olberto viro undequaque doctiſſimo magnum canonum volumen edidiſſe* ſcribit. Anonymus, qui poſt Buchardi obitum ejus vitam digeſſit editioni Colonienſi inſertam, alium ejuſdem operis adjutorem commemorat. *Eodem quippe tempore*, inquit, *in Collectario canonum . . . non modicum laboravit. Nam Domino Walterio Spirenſi Epiſcopo adjuvante, & Brunicone præpoſito exhortante & ſuggerente canones in unam corpus collegit*. Notatu dignus eſt titulus *Collectarium canonum*: nam manuſcripti codices omni titulo carent. Concinit vero cum præfatione ipſius Burchardi paullo poſt ſubjicienda, in cujus fine is ſuam collectionem *Collectarium* vocat.

Walterius Spirenſis.

Tempus collectionis.

II. Ad Eccleſiæ ſuæ Wormatienſis uſum idem opus ſe confeciſſe in eadem præfatione teſtatur. Iſtud non inceptum ante annum 1012. colligitur ex libro ſecundo c. 227. ubi ſuam formatam epiſtolam refert ad Walterium Spirenſem ſcriptam eodem anno Idibus Martii. Idem vero opus jam fuiſſe perfectum, antequam Burchardus anno 1023. Synodo Salanguſtadienſi intereſſet, ex eo cognoſcimus, quia ejuſdem Synodi canones cum in collectionem non potuiſſet inſerere, in calce omnes ſubjecit. Joannes Molinæus in præfatione ad Ivonis Decretum auctor eſt multa in editis Burchardi libris deſiderari, quæ ipſe vidit in veteribus pleniora, ſed ea in duodecim libros tantum diviſa, quorum ſexta pars eſt editus liber. Hinc, ut credimus, Joannes Albertus Fabricius tom. 11. Bibliothecæ Græcæ pag. 8. *duodecim tomos decretorum* a Burchardo collectos tradit, additque: *Hoc opus ipſum integrum necdum lucem vidit, ſed tantum excerpta ex illo diviſa in libros XX.* At non ſolum codex, ex quo editio prodiit, libros XX. Burchardo inſcribit, verum etiam illa quoque vetuſtiſſima exemplaria, quæ Petrus Pithœus commemorat. Nos item quatuor integros codices vidimus, duos in bibliotheca Vaticana ſignatos num. 1350. & 1355. unum apud Patres Benedictinos in Monaſterio Padilironenſi, & alium Patavinum in bibliotheca S. Juſtinæ, qui totidem libros eidem Burchardo inſcriptos exhibent. Addemus & alia duo antiqua Vaticana exemplaria 1356. & 4980. quorum alterum incipit a libro ſeptimo, alterum a nono; & utrumque proſequitur uſque ad librum XIX. qui ob mutilos codices fine caret. Cum hæc librorum ſeries, ac ea quæ in eiſdem continentur, eadem ſint in aliis exemplaribus integris; hæc quoque duo exemplaria eumdem viginti librorum numerum confirmant. Cum porro nulli hactenus noti codices ullam collectionem Burchardi nomine prænotatam, in duodecim partes diſtributam contineant; veremur, ne Joannes Molinæus æquivocatione aliqua ductos aliam ampliorem anonymam collectionem in totidem partes diviſam ob conſonantiam in pluribus pro Burchardiano opere inadvertenter acceperit. Forte ob oculos habuit collectionem Sorbonico-Mutinenſem in partes duodecim diſtinctam, quam deſcripſimus capite decimo; deceptuſque ex eo fuit, quia inter titulos librorum Burchardi I. II. & ſequentibus, ac titulos ejuſdem collectionis præfixos partibus I. II. III. IV. V. & X. ſumma conſenſio eſt. Certe præfatio, quæ in ſolis MSS XX. libros præferentibus invenitur, Burchardum habet auctorem, iiſdemque libris fidem facit. Id autem multo clarius elucet ex tribus Burchardi codicibus Vat. 1355. Patavino S. Juſtinæ, & Padilironenſi, in quibus ipſa præfatio ab editis diſcrepans, & ſincerior, ut mox videbimus, quam vulgata, non ſolum eumdem viginti librorum numerum expreſſe approbat; verum etiam ipſorum titulos inſertos præferens, hos, & non alios a Burchardo concinnatos teſtatur. Concinit etiam Anonymus ipſi Buchardo coævus, qui in ejus vita tradit: *Hoc vere corpus, ſive Collectarium diſtinxit, & in viginti libros diſtribuit.* Nonne hæc duo, coævi ſcilicet ſcriptoris, & ipſius Burchardi, teſtimonia, duodecim librorum opinionem expungunt?

De numero librorum ejuſdem. Duodecim partium opinio expungitur.

Codices Burchardi.

III. In operibus Georgii Caſſandri pag. 1091. & 1098. teſte Fabricio, hæc leguntur: *Nacti etiam ſumus MS. opus Burchardi, quod obiter tantum cum impreſſo Pariſiis an. 1549. contulimus, & deprehendimus epiſtolæ phraſim totam immutatam.* Idipſum & nos obſervavimus in tribus laudatis codicibus, in quibus tantum præfationem invenimus. In his præfatio non ſolum verbis diſcrepat a vulgata, verum etiam ordine: ea enim, quæ in editis ad præfationis calcem ab aliis adjecta videri poſſunt, ipſi præfationi in iiſdem MSS. ita inſeruntur, ut Burchardo auctore ſcripta fuiſſe manifeſtiſſime conſtet. Horum vererum exemplarium concordia, cum quibus alios quoque codices, qui præfatione non careant, convenire non ambigimus, hanc veram eſſe præfationem, ſeu epiſtolam Burchardi ad Brunicorum ſuadet: idipſumque confirmat ipſa ſtili ac ſyntaxeos inconcinnitas, quæ illi ævo maxime congruit. Præfationem autem vulgatam, cum tam aperte a memoratis vetuſtis MSS. diſſentiat, ſtudioſi alicujus arbitrio, cui elegantior ſtilus placebat, fuiſſe immutatam arbitramur. Illam interim, qualis in codicibus legitur, heic exhibemus.

IV. „ Burchardus ſolo nomine Wormacienſis Epiſcopus Brunichoni fideli ſuo, ejuſdem videlicet Sedis Præpoſito, in Chriſto Domino ſalutem.

„ Multis jam ſæpe diebus familiaritas tua, frater cariſſime, præſens nobis hortando ſuggeſſit, quatenus libellum ex variis utilitatibus ad opus compresbyterorum noſtrorum tam ex ſententiis ſanctorum Patrum, quam ex canonibus, ſeu ex diverſis pœnitentialibus vigilanti animo corpus in unum colligerem: ob id maxime, quia canonum jura, & judicia pœnitentium in noſtra Diœceſi ſic ſunt confuſa, atque diverſa, & inculta, ac ſic ex toto neglecta, & inter ſe valde diſcrepantia, & pene nullius auctoritate ſuffulta, ut propter diſſonantiam vix a ſciolis poſſint diſcerni. Unde fit plerumque, ut confugientibus ad remedium pœnitentiæ, tam pro librorum confuſione, quam etiam Presbyterorum ignorantia nullatenus valeat ſubveniri. Cur hoc? Inde æſtimo evenire maxime, quia menſuram temporis, & modum delicti in agenda pœnitentia non ſatis attente, & aperte, & perfecte præfigunt canones pro unoquoque crimine, ut de ſingulis dicant, qualiter unumquodque emendandum ſit, ſed magis in arbitrio Sacerdotis intelligentis relinquendum ſtatuunt. Quapropter quia hoc niſi a ſapientibus, & legis divinæ eruditis fieri nequit, rogavit me dilectio tua, ut hunc librum breviter collectum, nunc demum pueris diſcendum traderem: ut quod noſtri cooperatores in maturiore ætate poſiti noſtris diebus, & anteceſſorum noſtrorum tarditate neglexerant, modo ætate teneris, & aliis diſcere volentibus traderetur. Siquidem ut prius fierent probi diſcipuli, poſt plebium & Doctores, & Magiſtri; & ut perciperent in Scholis, quod quandoque docere deberent ſibi commiſſos. Deſiderium tuum, & petitio, frater, juſta mihi videtur, & de voluntate tali gratias ago. Etiam & illi multimodas gratias refero, qui te talem mihi præſtiterat, quia pro ſtatu Eccleſiæ noſtræ te aſſidue deſudaſſe cognoveram. Sed quod tuam exhortationem ſæpius mihi inculcatam tandiu diſtuleram, meæ ignaviæ nolo ut aſſignes, quia duabus ex cauſſis minime mihi hoc attingere licuerat: ſcilicet propter varias, & inevitabiles eccleſiaſticas neceſſitates, quæ quotidie more fluctuum emergunt; & inſuper cura mundialium rerum ad imperialia mandata pertinentium, quæ ſtudentis, & ad ſuperiora tendentis animum valde obtundunt: quia animus cujuſque dum dividitur per plura, minor fit ad ſingula. Tamen tuis ſanctis petitionibus obediens, ſynodalia præcepta, & ſancta ſtatuta tam ex ſententiis ſanctorum Patrum, quam ex canonibus Deo largiente collegi, &, prout potui, corpore connexui in uno, & in viginti libros idem corpus diſtribui. Et ſi quis diligens lector eos ſubtiliter perſcrutatus fuerit,

„ mul-

„ multas utilitates noſtri miniſterii in eis inveniet.

„ Index (1) ſingulorum librorum D. Burchardi wormacienſis Epiſcopi, breviter quidquoque libro continetur oſtendens.

„ Primus liber continet de poteſtate & primatu Apoſtolicæ Sedis, Patriarcharum, ceterorum Primatum, Metropolitanorum, & de Synodo celebranda, & vocatione ad Synodum: De accuſatis, & accuſatoribus, & teſtibus: De expoliatis injuſte: De Judicibus ac de omni honore competenti, ac dignitate, & diverſo negotio, & miniſterio Epiſcoporum.

„ Secundus liber continet de congruenti dignitate, & diverſa inſtitutione, ac nutrimento, vel qualitate vitæ, & diverſo negotio, & miniſterio Presbyterorum, & Diaconorum, ſeu reliquorum ordinum eccleſiaſticorum.

„ Tertius liber continet de divinarum domorum inſtitutione, & cultu, & honore; de decimis, & oblationibus, & juſtitiis ſingulorum; & qui libri in ſacro Catalogo recipiantur, qui vero apocryphi, & quando apponendi ſint.

„ Quartus liber continet Sacramentum baptiſmatis, & miniſterium baptizandorum, & baptizatorum, & conſignandorum, & conſignaturum.

„ Quintus liber continet de Sacramento corporis & ſanguinis Domini, & de perceptione, & obſervatione eorum.

„ Sextus liber continet de homicidiis ſponte, & non ſponte commiſſis, & de parricidiis, & de fratricidiis, & de illis, qui uxores legitimas, & ſeniores ſuos interficiunt, & de occiſione Eccleſiaſticorum, & de obſervatione, & de pœnitentia ſingulorum.

„ Septimus liber continet de inceſta copulatione conſanguinitatis, & in quo geniculo fideles & conjungi, & ſeparari debeant, & de revocatione, & de pœnitentia ſingulorum.

„ Octavus liber continet de viris, ac feminis Deo dicatis, & ſacrum propoſitum tranſgredientibus, & de revocatione, & de pœnitentia eorum.

„ Nonus liber continet de virginibus, & viduis non velatis, de raptoribus earum, & de ſeparatione eorum, de conjunctione legitimorum connubiorum, de concubinis, de tranſgreſſione, & pœnitentia ſingulorum.

„ Decimus liber continet de incantatoribus, & de auguribus, de divinis, de ſortilegis, & de variis illuſionibus Diaboli, & de maledicis, & de contentioſis, & de conſpiratoribus, & de pœnitentia ſingulorum.

„ Undecimus liber continet de excommunicandis, & excommunicatis, de furibus, & de prædatoribus, & de præſumtione, & contemtu, & negligentia, & reconciliatione, & pœnitentia eorum.

„ Duodecimus liber continet de perjurio, & de pœnitentia ejus.

„ Tertiuſdecimus liber continet de veneratione & obſervatione ſacri jejunii.

„ Quartuſdecimus liber continet de crapula, & ebrietate, & de pœnitentia eorum.

„ Quintuſdecimus liber continet de Imperatoribus, Principibus, & de reliquis Laicis, & de miniſterio eorum.

„ Sextuſdecimus liber continet de accuſatoribus, de judicibus, de defenſoribus, de falſis teſtibus, & de pœnitentia ſingulorum.

„ Septimuſdecimus liber continet de fornicatione, & inceſtu diverſi generis, & de pœnitentia utriuſque ſexus, & diverſæ ætatis.

„ Octavuſdecimus liber continet de viſitatione, & pœnitentia & reconciliatione infirmorum.

„ Nonuſdecimus, liber, qui *Corrector* vocatur & *Medicus*, continet correctiones corporum, & animarum medicinas, & docet unumquemque Sacerdotem, etiam ſimplicem, quomodo, vel qualiter unicuique ſuccurrere valeat, ordinato, vel ſine ordine, pauperi, diviti, puero, juveni, ſeni, decrepito, ſano, infirmo, in omni ætate, in utroque ſexu.

„ Vigeſimus liber *ſpeculationum* vocatur. Speculatur enim de providentia, & de prædeſtinatione divina, & de adventu Anti-Chriſti, de ejus operibus, de reſurrectione, de die judicii, de infernalibus pœnis, de felicitate perpetuæ vitæ.

„ Unde, Frater, ſi regentibus plebes ſuas ex his omnibus unum defuerit, quomodo eas inſtruere, & docere poterunt? Etiam Sacerdotis nomen vix in eis conſtabit, quia valde periculoſe ſunt evangelicæ minæ, quibus dicitur: *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*. Quod ſi eſt aliquis invidulus, qui poſtquam iſtud viderit, mihi inviderit dicens, me ex alienis aribus colligere eſcas, & ex aliorum labore mihi facere nomen inane, eſto. Fateor, quia hæc ex aliorum labore collegeram, quia mihi ſoli canones facere non licet, colligere licitum eſt, quod & feci; Deus novit, non pro arrogantia quadam, ſed pro noſtræ Eccleſiæ neceſſitudine. Ut autem obſtruatur detrahentis murmur, liber qualiſcumque ſit, noſtrorum ſit. Non rogo, ut noſtri Epiſcopii limen tranſeat, ſed noſtris addiſcendum remaneat. Quomodo autem, vel unde illum collegerim, volo ut audias, & ſi eſt peccatum ullum, tuo judicio relinquo dijudicandum. Nihil addidi de meo niſi laborem, ſed ex divinis teſtimoniis ea, quæ in eo inveneris, magno ſudore collegi. Et ut eſſent quæ comportaveram auctoritativa, ſummo ſtudio elaboravi. Ex ipſo enim nucleo Canonum, quod a quibuſdam *Corpus canonum* vocatur, quæ ſunt noſtro tempori neceſſaria, excerpſi. Ex canone Apoſtolorum quædam, ex tranſmarinis Conciliis quædam, ex Germanicis quædam, ex Gallicis, & Hiſpanicis quædam, ex decretis Romanorum Pontificum quædam, ex doctrina ipſius veritatis quædam, ex veteri Teſtamento quædam, ex Apoſtolis quædam, ex dictis Sancti Gregorii quædam, ex dictis Sancti Hieronymi quædam, ex dictis Sancti Auguſtini quædam, ex dictis Sancti Ambroſii quædam, ex dictis Sancti Benedicti quædam, ex dictis Sancti Iſidori quædam, ex dictis Sancti Baſilii quædam. Ex Pœnitentiali Romano quædam, ex Pœnitentiali Theodori quædam, ex Pœnitentiali Bedæ quædam. Ad hæc in Collectario hoc ſi quid utilitatis inveneris, Dei donis adſcribe. Si autem quid ſuperfluitatis, meæ inſipientiæ deputa. Bene valeas, & in ſacris orationibus tuis mei peccatoris memoriam deprecor ut habeas. Explicit prologus.

V. In hac præfatione, ſeu epiſtola ipſius Burchardi notanda ſunt verba *in viginti libros idem corpus diſtribui*; & præterea recolendum eſt, quod antea attigimus, ſingulorum librorum ordinem & titulos eidem præfationi a Burchardo fuiſſe inſertos, ut ne dubitari poſſit, quin editum opus, quod cum hoc librorum numero, & cum iiſdem titulis atque ordine plane concordat, Burchardum habeat auctorem. In vulgata præfatione, licet rebus pluribus diſcrepans, idem librorum numerus indicatur. At ordo diverſus; & quædam particulæ ita ab eadem præfatione diſſectæ ſunt, & in calcem rejectæ, ut non a Burchardo, ſed ab alio conſcriptæ & adjectæ videri poſſint. Non ſolum enim index titulorum cujuſque libri in vulgatis a præfatione diſtractus eſt, verum etiam ipſi præmittitur auctorum, ex quibus Burchardus canones derivavit, catalogus ab eadem præfatione pariter divulſus cum hac inſcriptione, quæ a Burchardo proficiſci nequit: *Ex quibus locis Auctorum ſcriptis eccleſiaſtica hæc decreta collegerit*. *Nucleus canonum*, quem initio catalogi Burchardus in fine præfationis laudat, & *canonum corpus* a quibuſdam appellari affirmat, eſt Pſeudoiſidori collectio, ex qua quidem multa apocrypha decreta tranſcripſit. Plura vero capitula ex Reginone, & nonnulla etiam ex duabus Appendicibus, quæ in MSS. Reginonis collectioni ſubjiciuntur, eum excerpſiſſe Stephanus Baluzius in præfatione ad Reginonem late demonſtrat. Verum in titulis multa mutavit, aliis titulis ex arbitrio præfixis, qui a ſubſequentibus canonum collectoribus ex eodem ſuſcepti, magnam confuſionem pepererunt. Cum enim non pauca ap-

Fontes Burchardi.

(1) Hic titulus, vel ſaltem Burchardi nomen librariorum arbitrio inſertum videtur.

Quando & cur auctorum nomina mutavis.

ea apud ipſum inſcribantur nominibus Conciliorum, vel Pontificum, in quorum decretis aliunde editis nihil tale reperitur; ea in deperditis eorumdem documentis a Burchardo, vel ab exſcriptoribus ejus inventa plures crediderunt; ac propterea eadem veluti fragmenta pretioſa ab ipſis conſervata ſuo cujuſque Synodi, vel Pontificis loco in Conciliorum editionibus addita ſunt. Qui vero rem hanc accuratius expendendam ſuſcepere, detexerunt Burchardum Synodorum, Romanorum Pontificum, aut ſanctorum Patrum nominibus tribuiſſe ea capitula, quæ Regino vel ex Capitularibus Regum, vel ex Rhabano, vel ex Ferrando Diacono, vel ſine ulla auctoris mentione recitavis. Stephanus Baluzius in laudata præfatione num. 22. hæc de Capitularium libris notavit. *Burchardus cum Reginonem compilaret, maluit quæ hinc accipiebat capita, tribuere Conciliis quibuſdam, aut Patribus antiquis, quam Regibus noſtris; quod Francorum appellatio, qua Reginonis atque Witichindi etiamnum ævo gloriabantur Reges Germanorum, uſurpari deſiiſſet ætate Burchardi, adeoque exuta a Saxonibus eſſet omnis Capitularium iſtorum reverentia. Burchardus enim ſemel tantum cap. 218. & 219. libri primi citat capitula Karoli Magni, ſic ut addat illa ab Epiſcopis collaudata eſſe apud Aquiſgranum, alioqui forſitan his non uſurus.* Illud vero Burchardus ſibi præſtituiſſe videtur, ut capitula ſumta ex auctoribus, qui non eſſent vel ſummi Pontifices, vel Synodi, vel Patres ſatis noti & celebres, non ſui cujuſque auctoris, ſed alio celebriori nomine allegaret. Quæ animadverſio peutilis erit in legendis collectionibus Burchardo poſterioribus, ex. gr. Ivonis & Gratiani, qui plura ejuſdem generis ex Burchardo receperunt. Illam porro laudem huic collectioni omnes tribuunt, quod methodum ſatis aptam ſequatur; ac præterea canones aliquot Conciliorum Germaniæ poſterioris temporis contineat, qui vel in rariſſimis codicibus inveniuntur, vel etiam lectiones præferunt optimas, ex quibus vulgati emendari queunt.

Ms. Vat. 4227.

VI. Duo tandem omittere nolumus. Primo in bibliotheca Vaticana ſine auctoris nomine exſtat vetus codex 4227. inſcriptus *Corrector & Medicus*, cui ſimilem in bibliotheca Pariſienſi S. Victoris vidit etiam Jacobus Petit, ac ex eodem excerptum dedit in Pœnitentiali Theodori tom. 1. pag. 358. Hic autem ad Burchardi collectionem pertinet, in qua eſt liber decimus nonus eodem titulo prænotatus, ut vel ex titulis in Burchardi præfatione antea deſcriptis liquet. Secundo in MS. Vat. 3830. ſæculi XI. exhibetur Pœnitentiale, in quo leguntur interrogationes faciendæ a Confeſſariis cum taxatione pœnitentiæ. Hæ omnes interrogationes ad verbum exſcriptæ leguntur in eodem Burchardi libro XIX. cap. 5. Solum in hoc capite Burchardiano plures ſunt, quam in laudato codice. Interrogationum paragraphi, quos vitandæ confuſionis cauſſa numeris computavimus atque diſtinximus, apud Burchardum ſunt centum & nonaginta quatuor. In eo autem codice interrogationes eædem ſunt ac in laudato capite quinto Burchardi a num. 5. uſque ad num. 59. qui incipit: *Violaſti ſepulcrum*. Dein apud Burchardum abundant ſequentes numeri a 60. uſque ad n. 503. incluſive, qui inſcribuntur *de arte magica, de ſacrilegio, de gula, & ebrietate, de irreligioſitate, item de arte magica, de ſuperſtitione*, & *item de arte magica*. Hi omnes numeri deſunt in memorato codice, qui poſt illa numeri 59. *Violaſti ſepulcrum* &c. ſubdit: *Concubuiſti cum ſorore uxoris tuæ* &c. uti apud Burchardum num. 104. & ſequitur uſque ad num. 552. *Credidiſti, quod quidam credere ſolent, quod ſint agreſtes feminæ* &c. Omittit autem quæ in fine hujus numeri apud Burchardum adjiciuntur: *In iſtis omnibus ſupradictis debent Sacerdotes* &c. ac præterea ignorat ſequentem numerum 553. cujus initium eſt: *Feciſti ut quædam mulieres in quibuſdam temporibus* &c. Mox idem codex productis numeris apud Burchardum 154. 155. & 156. præterit ſex numeros ſequentes a n. 157. *Feciſti quod quædam mulieres facere ſolent, ut cum filio tuo parvulo* &c. uſque ad num. 162. Profert autem numerum 563. *Interfeciſti filium vel filiam* &c. cum duobus ſequentibus. Caret num. 566. *Guſtaſti de ſemine* &c. Tum deſcripto numero 567. *Bibiſti chriſma* &c. omittit ceteros quatuordecim a num. 568. uſque ad 181. atque concludit cum Burchardianis numeris 182. *Oppreſſiſti infantem*, & 183. *Inveniſti infantem*. Burchardus addit in fine undecim numeros, qui in codice non reperiuntur.

Pœnitentiale vetus Eccleſ. German.

Pœnitentiale hujus codicis Germanicis Eccleſiis uſitatum indicant inter ceteros duo numeri, in quibus Theutonicæ loquutionis fit mentio. Num. 30. *quod Theutonice carina vocatur*; & quæ num. 551. apud Burchardum efferuntur, *quod vulgaris ſtultitia Werwolff vocat*, in codice exprimuntur ſic: *quod theutonice Werevolf vocatur*. Facile autem ex dictis conjicere licet, Burchardum hoc Pœnitentiale apud ſuos receptum collectioni inſeruiſſe, & ex aliis Pœnitentialibus addidiſſe quæ in eo deſiderantur.

CAPUT XIII.

De collectione S. Anſelmi Epiſcopi Lucani.

I. SAncti Anſelmi Lucani Epiſcopi collectionem, quæ fere tota in Gratianum tranſiit, explicare non minimi intereſt, cum præſertim ea in manuſcriptis deliteſcens non ſatis perſpecta ſit. Lucas Vadingus atque Acherius ipſam typis proferandam receperant; ſed alter morte præventus, alter vero aliis curis diſtractus infectum opus reliquerunt. Cum itaque ex codicibus omnis notitia pendeat; codices, quos expendere licuit, prius memorandi ſunt.

Codices hujus collectionis.

Quatuor MSS. codices in Vaticana bibliotheca reperimus ſignatos num. 1364. 3531. 4983. & 6365. Ex his duo cartacei recentiores ſunt, nimirum 3535. & 4983. eumque in horum marginibus notentur Gratiani diſtinctiones, ſeu cauſſæ, & quæſtiones, in quibus eadem capitula recepta fuerunt; hos codices illos eſſe cenſemus, quos Gratiani emendatores adhibuere. Codex 3535. tabulam præmittit librorum tredecim; at in libro ſeptimo, non tamen perfecto deſinit. Integros vero libros tredecim continet alius codex 4983. qui ex antiquo exemplo dimanat ſcripto ſub Innocentio II. in fine enim exhibet catalogum Romanorum Pontificum, qui uſque ad Calixtum II. annos Pontificatus notat, at ſine annorum notatione addit duos alios Pontifices Honorium II. & Innocentium II. Duo alii Vaticani codices pergameni 1364. & 6365. vetuſtiores ſunt, quorum primus catalogum Romanorum Pontificum concludit in Gregorio VII. poſt cujus mortem Anſelmus, Sede adhuc vacante, ſupremum diem obiit: alter vero catalogum producit uſque ad Paſchalem II. quo vivente cum idem codex fuerit exaratus, anni pontificatus ejus nequaquam notantur. In his vero duobus antiquioribus MSS. duodecim tantum libri leguntur, omiſſo undecimo de pœnitentia. Anſelmi nomen in duobus codicibus vetuſtioribus, qui omni titulo carent, deſideratur; nec non in Vaticano recentiori 4983.

Qui Anſelmum præferant.

Solus codex Vat. 3531. Anſelmum præfert hoc titulo pag. 12. *Incipit capitulatio librorum, quos B. Anſelmus Lucenſis Epiſcopus de coæqualibus cauſſis ſingulos in hoc volumine libros compoſuit*. Et iterum poſt librorum capitulationem, ſeu tabulam pag. 56. his verbis. *Incipit authentica & compendioſa collectio regularum & ſententiarum ſanctorum Patrum & auctorabilium Conciliorum facta tempore Gregorii ſanctiſſimi Papæ a B. Anſelmo Epiſcopo Lucenſi ejus diligenti imitatore & diſcipulo, cujus juſſione & præcepto deſideranter conſummavit hoc opus*. In alio MS. Vat. recentiori 4983. hæc poſtrema inſcriptio uſque ad vocem *Conciliorum* tantummodo legitur. Duo Barberina exempla laudantur, quorum unum ſignatum num. 1885. ſeptem tantum priores libros continens, in fronte auctoris nomen rythmo vetuſto inſertum exhibet.

In Trinitatis nomine
Sanctæ & individuæ
Incipit hinc feliciter
Iſtius libri ſeries,
Quem ſcilicet ex Italia
Anſelmus, quique Pontifex
Lucanæ fuit Eccleſiæ,
Vir prudens ac catholicus

In

In Chriſti fide fervidus
Carpſit ex toto canonum
Et Patrum ſanctorum corpore &c.

Duo item codices 765. & 766. bibliothecæ S. Germani a Pratis memorantur, unus apographus exempli Barberini, qui rythmicis recitatis verſibus diſtinguitur; alter ſine auctoris nomine ac ſine ullo titulo, *optimus & antiquus* vocatur a Baluzio in præfatione ad Antonii Auguſtini libros de emendatione Gratiani n. 19. ubi etiam teſtatur hunc codicem nihil continere poſterius anno 1086. quo S. Anſelmus obiit. Laudatur præterea recentior codex regius Pariſienſis ſæculi XVI. qui plane ſimili Vaticano 3531. ſeptem tantum libros cum iiſdem inſcriptionibus auctoris nomen præferentibus continet. Antonius Auguſtinus tres codices vidit, quorum unus *Romanus*, uti vocat, eſt MS. Vat. 4983. alium vero, quem *veterem meum* appellat, duodecim tantum libros complectentem, ex aliquot indiciis eum eſſe deteximus, qui in Vaticanam bibliothecam poſtea traductus, ſignatur num. 6361. Hos duos codices in Epitome canonum frequenter adhibuit. De tertio ejus codice nihil reſcire potuimus. Ignotum tandem, ſed vetuſtum exemplum communicatum nobis fuit ex Monaſterio S. Benedicti Padilironenſi, quod libros tredecim ſine auctoris nomine continens, ſæculo XII. ſcriptum creditur.

Quæſtio de auctore collectionis. Judic. de collectoribus canonum cap. 29.

II. Antonius Auguſtinus, cui tres codices auctoris nomine expertes præſto fuerunt, de Anſelmo auctore dubium inſperſit, quod alii non pauci ſubinde ſuſceperunt. Duo præcipue difficultatem faceſſunt. Primo quia nulla hujus collectionis mentio facta eſt ab iis, qui ejuſdem S. Anſelmi opera recenſuerunt. Inter hos præcipue movet coævus vitæ ejuſdem auctor, atque Pœnitentiarius, qui alia minoris momenti opuſcula referens, hoc non videtur fuiſſe prætermiſſurus, ſi ab Anſelmo lucubratum noviſſet. Secundo quia codices aliqua eidem collectioni inſerta præferunt ex Urbano II. & Paſchali II. qui poſt S. Anſelmum ad Apoſtolicam Sedem evecti fuere. Notat præterea idem Auguſtinus magnam in ipſo opere codicum varietatem. Nam præter eos codices, qui undecimo libro carent, magna eſt varietas in numeris capitum ſingulorum librorum: alii enim codices plura, alii pauciora capitula ſingulis fere libris comprehendunt.

III. Cum id exploratius declarare non minus ad collectionem cognoſcendam, quam ad judicium ferendum de auctore maxime conferat; tituli ſingulorum librorum cum varietate præcipua capitum prænotandi ſunt.

Liber I. *De Primatu & excellentia Romanæ Eccleſiæ*. Alias *De poteſtate & Primatu Apoſtolicæ Sedis*. c. 90. al. 91. vel 94.

II. *De libertate appellationis*. Alias *De Primatu Romanæ Eccleſiæ & libertate appellationis*. c. 78. al. 81. vel 82.

III. *De ordine accuſandi, teſtificandi, & judicandi*. c. 117. al. 124. vel 127. vel 131.

IV. *De privilegiorum auctoritate*. c. 55. vel 56. aut 57.

V. *De ordinationibus Eccleſiarum, & de omni jure ac ſtatu illarum*. Alias *De ordinatione & jure ac ſtatu Eccleſiarum*. c. 71. al. 83. vel 93.

VI. *De electione & ordinatione ac de omni poteſtate ſive ſtatu Epiſcoporum*. c. 201. al. 203. vel 207.

VII. *De vita ordinatione & a Clericorum*. Alias *De vita & ordinatione Presbyterorum, Diaconorum & reliquorum ordinum*. c. 201. al. 207. vel 209. aut 213.

VIII. *De lapſis*. c. 39.

IX. *De Sacramentis*. c. 64. al. 69.

X. *De conjugiis*. c. 63. al. 68. vel 70. aut 76.

XI. *De pœnitentia*. c. 174. al. 179.

XII. *De excommunicatione*. c. 75.

XIII. *De vindicta & perſecutione juſta*. c. 28. al. 29. vel 34.

Additamenta notantur.

IV. Notandum eſt, hanc numerorum varietatem duplici ex capite proficiſci, nimirum aliquando ex diviſione unius numeri in duos, vel e contra; ſæpius vero ex additamentis, quæ cum poſteriora ſint, fere in fine librorum deſcripta inveniuntur, nec in præmiſſa tabula capitulorum indicantur. Immo quædam additiones ſine numero, & quandoque caractere diverſo ſubjectæ ſunt. Sic ex. gr. antiquus codex Vat. 1364. libro quarto duo capita 56. & 57. addita præfert, quæ in tabula capitum non proponuntur: & libro ſexto in fine addit ſine ullo numero epiſtolam Urbani II. ad L. Præpoſitum Eccleſiæ S. Iventii apud Ticinum, libro ſeptimo canones Placentinæ Synodi ſub eodem Urbano an. 1095. libro octavo epiſtolam Alexandri II. ad Landulfum in Corſica, omnia ſine numero & in fine librorum, quod manifeſtum additamenti indicium eſt. Præterea libro undecimo alia manu accedit Innocentii II. epiſtola ad Archiepiſcopum Mediolanenſem, & ad Epiſcopos Cumanum atque Laudenſem. Codex cartaceus Vat. 4983. in fine libri quarti diverſo caractere addit decretum Calixti II. in Concilio Lateranenſi, ac inter alia additamenta antecedenti codici communia libro tertio ſubnectit eam Urbani II. epiſtolam ad Præpoſitum Eccleſiæ. S. Iventii, quæ in ſuperiori codice additur in fine libri ſexti. Quædam tamen capita non ſolum in fine, ſed etiam in corpore manuſcripti 4983. interſeruntur libro quinto & ſexto, quæ cum in aliis codicibus non inveniantur, additamenta eſſe noſcuntur. Licet vero hic codex plures additiones receperit, quam Vaticanus 3531. caret tamen duobus decretis Urbani II. quæ in cod. 3531. inſeruntur cap. 150. & 175. Codex Padilironenſis in fine cujuſque libri quædam folia alba olim relicta exhibet; & in his foliis plerumque plura poſtea pontificia decreta deſcripta fuerunt caractere minutiori, quo alia quoque in marginibus identidem ſcripta leguntur.

Judicium de hac collectione.

V. His præmiſſis, quid de hac collectione ſentiendum ſit, paucis dicamus. Eam in Italia conditam oſtendunt non ſolum codices in Italia frequentiores, vel ex Italia in alias provincias allati, ſed monumenta præſertim Italica atque Romana, quæ in aliis exterarum gentium collectionibus non inveniuntur. Talia ſunt fragmenta ex Ordine Romano, nonnulla capitula ex epiſtolis & actis ſub recentioribus Pontificibus, ac præſertim ſub Gregorio VII. & quædam etiam ex rariſſimis epiſtolis Gelaſii I. & Pelagii I. quæ ex apoſtolicis ſcriniis videntur educta, & ex hac collectione a Gratiano recepta, ex hujus editione innotuerunt. Notatu dignum eſt, quod Italicus hic auctor non ſolum ex Romanis legibus, ſed ex Capitularibus etiam quædam excerpſit. Si porro additamenta ſeparentur, hanc collectionem ſub Gregorio VII. lucubratam patebit. Nihil enim habet, quod hoc Pontifice poſterius ſit. Quæcumque autem movebant ex Urbano II. Calixto II. & Innocentio II. ea ad additiones pertinere deprehendimus, uti etiam Antonius Auguſtinus perſenſit ſcribens; *Sed potuerunt addi ea capita poſt Anſelmi mortem ab aliquo viro ſtudioſo*. Enim vero duo præſertim codices Vat. 6361. & vetuſtus Sangermanenſis a Baluzio laudatus omnia ejuſmodi additamenta poſteriora anno 1086. plane ignorant. Hinc ergo nihil obeſt quominus hanc collectionem tribuamus S. Anſelmo Epiſcopo Lucano, quem quidem ejus auctorem duo diverſi fontes teſtantur, nimirum tum illi codices, qui duplici epigraphe Anſelmi nomen præferunt, tum potiſſimum codex Barberinus, qui idipſum rythmicis verſibus prodidit: hi enim verſus vetuſtioris ætatis teſtimonium præbent. Equidem verſus rythmici jam deſcripti, in MS. Barberino clauduntur his aliis quatuor verſiculis:

Et hæc ſunt ſanctorum nomina
Veneranda per omnia
Romanæ Sedis Præſulum
A Petro deſcendentium.

Subjicitur autem catalogus Romanorum Pontificum a S. Petro ad Honorium II. uſque. Igitur qui eos verſus compegit, vixit ſub Honorio II. id eſt non multo poſt Anſelmi mortem.

VI. Initio quidem ſine auctoris nomine hæc collectio prodiiſſe videtur; ac propterea plerique codices Anſelmi nomine carent. Quæ autem exemplaria ejus nomen præferunt, vel merum B. Anſelmi Epiſcopi nomen exhibent, vel elogium addunt, quod viris ſanctitate inſignibus vita functis convenit. Vivo autem Anſelmo hæc collectio edita non videtur, ſed in ſchedis ejus poſt mortem inventa, atque vulgata,

nec tamen omnino perfecta, ac propterea præfatione, aut epiſtola nuncapatoria caret. A Hinc fortaſſis auctor vitæ ejus, aliique Scriptores, qui cetera Anſelmi opera recenſent, nullam hujus collectionis mentionem fecerunt, quod ſcilicet ab eodem edita & perfecta non fuerit. Poſtea vero quam aliquot exemplaria ſine auctoris nomine eaſcripta & pervulgata fuerunt; alii, quibus notus erat auctor, in aliis codicibus ſubinde tranſcriptis Anſelmi nomen præfixere. Quod porro in quibuſdam, iiſque vetuſtis codicibus liber undecimus de pœnitentia, qui ejoſmodi collectionum præcipua pars eſſe ſolet, deſideretur; forte primus librarius, ex quo ejuſmodi manuſcripta proficiſcuntur, in ſchedis S. Anſelmi duodecim tantum libros nactus exſcripſit; liber vero B de pœnitentia ab aliis diligentiori cura inventus ſuo loco inſertus fuit, uti ſane ſuo loco inſertus legitur in duobus antiquis MSS. Padilironenſi & Sangermanenſi, nec non in Vat. 4983. quem licet recentiorem, ex vetuſtiori tamen exemplo derivatum obſervavimus ſcripto ſub Innocentio II.

VII. Eminentiſſimus Cardinalia Baronius ad annum 1086. n. 14. textum recitat, quem tribuit illi anonymo Anſelmi Pœnitentiario, qui vitam ejus ſcripſit. *Auſelmus ex multis & diverſis ſanctiſſimorum Patram voluminibas unum compilavit canonicarum ſententiarum non medicum corpus.* His verbis indicari videtur collectio canonum. Verum in integra & germana vita S. Anſelmi, quam Pœnitentiarius ejus digeſſit, C ut idem Baronius poſtea ſubdit, aliter ſcribitur ſic: *Apologeticum unum ex diverſis ſanctorum Patrum voluminibus compilavit, quibus Domini Papæ ſeutentiam, & univerſa ejus facta atque præcepta canonicis defenderet rationibus:* quæ non collectionem canonum, ſed Apologeticum a Caniſio editum pro Gregorio VII. contra Guibertum manifeſtiſſime indicant. Oudinus quoſdam eruditos cenſera ait, opus a Caniſio impreſſum *nihil eſſe aliad quam excerpta quædam ex collectione canonum ejaſdem Anſelmi aliunde a Caniſio comparata. Peſſant autem nullo negotio experiri, an hæc conjectura vera ſit, quibus adſunt aliqua exemplaria MSS. collectionis canonum Anſelmi Lucenſis*, cum quibus idem opus impreſſum conferri poſſit. D Nos, qui plura exemplaria vidimus, eam conjectationem inanem perſpeaimus. Apologeticum enim opus contextum elt plutibus teſtimoniis in ſcopum colligatia refertum, quod a MSS. collectionem canonum continentibus abeſt quam longiſſime. In eo autem Apologetico, quod certum eſt Anſelmi opus, inter plura quæ proferuntur teſtimonia, libro ſecundo leguntur tariora Gelaſii I. & Pelagii I. fragmenta, nec non textus ex Romanis legibus, atqua Capitolaribus, quemadmodum in collectione canonum obſervavimus. Hæc allegationum & teſtimoniorum concordia S. Anſelmum collectionis noo mious quam Apologetici auctorem confirmat.

tom. 2. de Script. Eccl. pag. 728.

Apud Caniſ. tom. 3. part. 1. nov. edit. pag. 382. & ſeqq.

VIII. Nonnulli inter MSS. exempla collectionis E Anſelmi referunt codicem Baſilicæ Vaticanæ 558. C. ſæculi XI. cui quidem recentiſſimo caractere Anſelmi nomen inſcriptum fuit. Etſi vero non pauca contineat, quæ in aliis Anſelmi MSS. inveniuntur; in multis tamen diſcrepat. Primo differt in librorum oumero: novem enim libros tantum complectitur, qui fere titulis & capitulis carent. Decreta Pontificum huic collectioni & Aoſelmo communia, alio ſæpe in libro leguntur apud Anſelmum, alio in hac collectione. Hæc præterea expers eſt aliquot decretis Pontificum, quæ deſcribuntur in Anſelmo, aliaque decreta exhibet, quæ in Anſelmo deſiderantur. Inter hæc eſt epiſtola Joannis Papæ ad Iſaac Syracuſanum, quæ apod Gratianum legitur cauſſ. F xvi. q. 2. c. 5. ubi Romani correctores, qui Anſelmi codices diligenter evolverant, laudant unum codicem Populeti, ideſt collectionem Tarraconenſem, eo quod nec in MSS. Anſelmi, nec in alia collectione eam epiſtolam invenerant. Adde nonnulla folia identidem vacua in eo Baſilicæ exemplo relicta, adeo ut primus imperfectæ collectionis fetus ſit; cui poſtrema auctoris manus defuit. In ſuperiori hujus codicis margine pag. 73. libellus accuſationis deſcribitur ſub Eugenio III. quem heic inſerimus.

Quid de collect. MS. Baſilicæ Vat. Anſelmo attributa.

Libellus accuſationis:

Eugerius Papa. Die Martis apud prædictum Dominum Eugenium Papam Johannes Presbyter profeſſus eſt, ſe Lanfrancum Ticinenſem Epiſcopum lege canonum de ſimonia reum deferre, quod dicat, eum cum Alberto Diacono in civitate Novaria domo Petri Ruffi menſe Aprili Papa Lucio anno I. commiſiſſe ſimoniam. Egu Johannes Presbyter profiteor me hujus libelli auctorem.

Inter Epiſcopos Ticinenſea in Ughelli ſerie nullus Lanfrancus Lucii II. & Eugenii III. tempore refertur. Ibidem per hæc tempora recenſentor Alfonſus, Conradus, ac Petrus, cui ſucceſſor profertor S. Lanfrancus, qui cum ab Alexandros III. fuetit ordioatus anno 1178. diverſus eſt ab eo, qui jam ſub Lucio II. & Eugenio III. Ticinenſem ſedem occupabat.

Lanfraacaa addendus Epiſcopis Ticinenſibus.

CAPUT XIV.

De collectione manuſcripta Vaticana Cardinalis Deuſdedit. Aliquot documenta hactenus inedita eninde producuntar.

I. DEuſdedit Presbyter Cardinalis creatus a Gregorio VII. titulo Apoſtolorum in Eudoxia, duo opera ſcripſit, quæ cum æque in libros ſeu partes quatuor diſpertita ſint, & plura ex ſacris canonibus afferant, a nonnullis invicem confuſa, accurate diſtinguenda ſunt. Unum digeſtom ſub Victore III. eſt collectio canonum; alterum tempore Urbani II. adverſus invaſores & ſimoniacos & reliquos ſchiſmaticos ſcriptum fuit. Romani correctores Gratiani, unius collectionis canonum indicium dederunt in catalogo librorum, quibus uſi ſunt, his verbis: *Deuſdedit Cardinalis collectio canonum, & libri quatuor de rebus eccleſiaſticis ex Vaticana.* Libros autem quatuor de rebus eccleſiaſticis idem eſſe ac collectionem canonum, quam in notis allegant, palam fit ex notatione eorumdem in cap. 6. diſt. 40. ubi hæc habent. *Deuſdedit Presbyter Cardinalis tit. Apoſtolorum in Eudoxia tempore Victoris Papæ tertii libros quatuor de rebus eccleſiaſticis compoſuit, qui in bibliotheca Vaticana ſervantar: & in libro primo c. 205. ex geſtis Boniſacii Martyris & Archiepiſcopi Moguntini Sedis Apoſtolicæ Legati hæc ſanctiſſimi illius viri de Romano Pontifice ac Sede Apoſtolica verba reſert* &c. quæ quidem lib. 1. c. 235. in canonum collectione Vaticana ejuſdem Cardinalis leguntur. Utrumqoe vero hujus Cardinalis opus poſtea diſtincte memoravit Antonius Auguſtinus in Judicio de quibuſdam veteribus canonum eccleſiaſticorum collectoribus cap. 28. Ex præfatione in collectionem canonum, quam tantum ſe legiſſe teſtatur, pauca retulit, quibus operis diviſio profertur. Alterius vero operis adverſus invaſores & ſimoniacos, ac reliquos ſchiſmaticoa cum duo ipſi prælto eſſent MSS. exempla ex codice Baſilicæ Vaticanæ tranſcripta, eodem frequenter uſus eſt in Epitome canonum. Hoc ſecundum licet plures canones & teſtimooia contineat, non eſt tamen collectio canonum; ſed contextum eſt opus ipſius Cardinalis, in quo confutans invaſores, ſimoniacos, atque ſchiſmaticos ſui temporis, plures auctoritates in confirmationem inſeruit. Hinc recte Antonius Auguſtinus de eodem opere ſcripſit: *Hic non eadem ratione utitur, qua Burchardus, Ivo, Anſelmus, & Gratianus, ut colligat tantum dicta Patrum vel Conciliorum; ſed ipſe pluribus utitur argumentis, & ſua auctoritate Patrum confirmat, aliena confutat, & acrius in cauſſa verſatur, quæ illis temporibus Eccleſiam Dei pertuebabat.* Hajus operis diviſio ab ipſo Cardinali his verbis eaprimitur: *Qaatuor itaque ſunt, de quibus Deo auctore ſcribere proponimus. Primum quod Regi non liceat ſacroſanctis Eccleſiis Epiſcopos conſtituere. Secundum de ſimoniacis, ſchiſmaticis, & eorum ſacerdotio, & ſacrificio &c. Tertium quod Clerus a ſæcularibus paſci debet atque honorari, non infamari, &c. Quartum quod ſæculari poteſtati non liceat in Eccleſiam Clericos introducere, vel expellere, nec res eccleſiaſticas regere, vel in ſua jura transferre.* Hoc opus reſpicit Anonymus Melicenſis de Vir. Illuſtr. cap. 113.

Duo opera Cardinalis Deuſdedit.

De opere contra invaſores &c.

113. inquiens: *Deuſdedit Cardinalis .... ſcripſit contra Guibertinos*. Nonnulla ejuſdem operis prolixa fragmenta, quæ contextum opus demonſtrant, videſis apud Eminentiſſimum Baronium ad annum 1059. n. 30. & ſeqq. ad an. 1080. n. 31. & ad an. 1085. n. 22. & ſeqq.

De collectione canonum. t. 3. Rer. Ital. p. 352.

II. Inſtituti vero noſtri propria eſt collectio canonum, ex qua idem Cardinalis Baronius ſolius præfationis exceptum dedit ad an. 1080. num. 30. & 1087. n. 22. Hanc olim paucis laudavit Pandulſus Piſanus in vita Victoris III. ex quo Platina & alii, qui vitas Romanorum Pontificum lucubrarunt. *Ad hunc* (Victorem III.) inquit ille, *Deuſdedit Presbyter tituli Apoſtolorum in Eudoxia compoſuit & ordinavit librum canonum*. Codex Vaticanus hujus collectionis, qui a nonnullis laudatur, eſt ſignatus n. 3833. Alium vero codicem indicat Petrus Pithœus in Synopſi hiſtorica virorum clarorum, qui canones & decreta eccleſiaſtica collegerunt. Memorata enim ejuſdem Cardinalis collectione de rebus eccleſiaſticis, *Vidimus*, ait, *aliquando exemplar hujus collectionis in bibliotheca Dominicanorum Valentin. Canonum quatuor in libros diſtinctum, continens multa ex Romanæ Eccleſiæ ſcriniis*: cujus quidem generis plura documenta in eadem collectione deſcripta videbimus. Vaticanum exemplum, quod commode licuit evolvere, ipſi auctori ſuppar eſt, ut non tam ex charactere ejus ætatis, quam ex præmiſſo catalogo Romanorum Pontificum liquet, qui in Paſchali II. Urbani II. ſucceſſore deſinit.

III. Initio codicis deſcriptæ leguntur duæ adnotationes, una de Synodis generalibus, altera de particularibus, quas in Iſidorianis MSS. invenimus. Tum ſubjicitur *adnotatio de decretalibus Apoſtolicorum*, cujus meminimus part. 3. c. 2. n. 5. Sequitur laudatus catalogus Romanorum Pontificum a S. Petro ad Paſchalem II. uſque. Dein incipit collectio ab epiſtola Deuſdedit ad Victorem III. ex qua collectionis tempus agnoſcitur. Victor enim tertius creatus menſe Majo an. 1086. e vivis exceſſit anno ſequenti menſe Septembri. Ex ea non tam conſilium & partitio operis, quam fontes, ex quibus Cardinalis profecit, agnoſcere licet. Cumque ea nondum edita ſit, heic inſerenda eſt.

„ Beatiſſimo atque apoſtolico viro Pontifici Domno Papæ Victori tertio & omni Clero ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Deuſdedit exiguus Presbyter tituli Apoſtolorum in Eudoxia.

„ Novit Beatitudo veſtra, quod ſancta Romana Eccleſia idcirco omnium Eccleſiarum mater ſcribitur, & creditur, quoniam B. Petrus ipſius inſtitutor prius patriarchalibus ſedibus in Oriente, & poſtea e latere ſuo primus dedit paſtores omnibus urbibus, quæ ſunt in Occidente. Ipſi Apoſtolo hæc ordinatio maxime competebat, cui principaliter Chriſtus Dei Filius, cæleſtis regni clavibus traditis, ſuas oves paſcere juſſerat, cuique fratres ſuos in eadem fide confirmare præceperat. Cujus tam excellentiſſimi privilegii inſignia munera diligenter attendentes cccxviii. Patres, qui in Nicæno conſederunt Concilio, ſtatuerunt (ut Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus ſcribit B. Felici Papæ) non debere abſque Romani Pontificis ſententia Concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari, & omnia majora negotia ad ejuſdem judicium debere deferri. Sed & Sardicenſe Concilium, quod ccc. Epiſcopos habuit, teſte univerſali Synodo, quæ a ſuis conditoribus octava dicitur, capitulo iii. & iv. & * vi. & ix. eadem ſtatuit, & ita inter cetera B. Papæ Julio ſcripſit: *Optimum & valde congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad caput, id eſt ad B. Petri Apoſtoli ſedem de ſingulis quibuſque provinciis Domini referant Sacerdotes*. Huic etiam ante illam Synodum tantum reverentiæ ab antiquis Patribus legitur impenſum fuiſſe, ut ille inſignis Martyr Cyprianus, Africanæ provinciæ Primas, legatur in ſuis epiſtolis Presbyterorum & Diaconorum Romanam Eccleſiam poſt martyrium Fabiani gubernantium ſtatutis humiliter paruiſſe, & eorum, quæ apud ſuam provinciam gerebantur, directis ad eos epiſtolis, rationem reddidiſſe. Quinetiam idem Clerus legitur in epiſtolis ad eumdem Cyprianum miſſis, & ad Siciliam, & ad diverſas partes epiſtolas direxiſſe, & nondum præſidente Cornelio pro imminentibus tunc negotiis etiam ad celebrandam Romæ Synodum Epiſcopos convocaſſe.

* Cov. vss. & x.

„ Quæ cum ita ſint, ſatis impium videtur, quemlibet, qui chriſtiano nomine glorietur, chriſtianis temporibus Romanæ Eccleſiæ monitis non acquieſcere, cum ſub perſecutionis crudelitate Deo digni Pontifices tam devote paruerint, etiam dum careret Pontifice. Arbitrati quippe ſunt Patres ſpiritu Dei pleni, Beatos Apoſtolos Petrum & Paullum in ea magnificis meritis vivere, & præeſſe, fidemque, quam ab eiſdem ſuſcepit, quæ in toto mundo, eodem B. Paullo atteſtante, annuntiata eſt & laudata, in eadem uſque in ſæcula non deficere; ſed ut eidem B. Petro imperatum fuerat, uſquequaque poſitos fratres in eadem fide confirmare. Hæc etſi interdum adverſis mundi flatibus opprimitur; meritis tamen Principum Apoſtolorum, qui in ea & vivunt, & præſident, non obruitur. Quoniam etſi aliquando ad probationem portæ inferi adverſus eam valent, tamen Jeſu Domino orante pro fide Petri ne deficiat, nullatenus prævalent. Itaque ego auctoritatis ipſius privilegium, quo omni chriſtiano orbi præeminet, ignorantibus pateſacere cupiens, Domino mihi opem ferente, ex variis ſanctorum Patrum, & chriſtianorum Principum auctoritatibus, potioribus quibuſque in unum congeſtis, præſens defloravi opuſculum quadrifaria diſpertitum partitione. Nam primus liber continet privilegium auctoritatis ejuſdem Romanæ Eccleſiæ. Et quoniam Eccleſia ſine Clero ſuo eſſe non poteſt, neque Clerus abſque rebus, quibus temporaliter ſubſiſtat; huic ſubjunxi ſecundum & tertium de Clero & rebus ejuſdem Eccleſiæ. Quia vero ſæculi poteſtas Dei Eccleſiam ſibi ſubjugare nititur; libertas ipſius & Cleri & rerum ejus tertio, & maxime quarto libro evidenter oſtenditur. Singulas autem deflorationes huic operi inſertas juxta ordinem capitulorum minime locavi, quia pene omnes aliæ bina, aliæ plura in ſe negotia continent; & ſi ſecundum numerum negotiorum, de quibus agunt, acciperent ſectionem, mihi laborem plurimum, & auctoritati afferrent derogationem: ideoque moneo ſcriptorem, ne lector graviter offendatur, ut non ſolum in emendatione codicis, verum etiam in utriſque numeris recte ſe habendis, & cautiſſime emendandis diligentiam adhibeat, ſcilicet in eo, qui ſubpoſitus eſt quibuſque capitulis, & item in eo, qui per totum codicem præpoſitus eſt ſingulis deflorationibus.

„ Porro ſi qua heic inſerta, quod etiam in Evangeliſtis ſæpe contingit, ſibi invicem contraria videbuntur; diſcretione adhibita facile patebit, quod neque ſibi, nec extra poſitis ſcripturis adverſentur. Quod ſi patenter adverſari contigerit, inferior auctoritas potiori cedere debebit. Itaque primum deſloravi quæque optima de quibuſdam univerſalibus Synodis, id eſt Nicæna, Epheſina prima, Chalcedonenſi & vi. & vii. & viii. quæ partim a quatuor, ſive a quinque Patriarchis, ab eorum partim vicariis ſub diverſis temporibus univerſaliter celebrata fuiſſe noſcuntur. De quarum auctoritate, niſi qui inſaniat, nemo dubitat. Sed & de reliquis Conciliis orientalibus non abs re putavi, quæ congrua viſa ſunt, mutuare: a quibus videbam Romanos Pontifices in ſuis conſtitutionibus, quod & curioſus lector deprehendere poterit, auctoritatem accepiſſe. Præterea quædam aſſumſi de Carthaginienſi Synodo, quæ a cc. & xvii. Epiſcopis ſub Papa Zoſimo acta eſt, præſentibus & ipſius Legatis Fauſtino Epiſcopo, & Philippo, & Aſello Presbyteris, in qua eiſdem præſentibus confirmata ſunt & inſerta eidem Synodo Africana Concilia diverſis capitibus, de quibus Cæleſtinus, & Symmachus, & Hadrianus quædam videntur in ſuis decretis inſerere. Et quoniam adverſarius, dum rationi ſuccumbit, auctoritatem infamat; ſciendum eſt, quoniam omnia Concilia ſive univerſalia, ſive

pro-

„ provincialis, quæ ante Chalcedonenſem Synodum acta fuerant, poſtea confirmata & corroborata fuerunt in eadem cap. 1. quod ita ſe habet: *Regulas ſanctorum Patrum per ſingula nunc uſque Concilia conſtitutas, proprium robur obtinere decrevimus*. Nam Chalcedonenſe Concilium, a DCXXX. Patribus ſub Leone Papa geſtum, eſt ejus auctoritatis ac firmitudinis, ut quiſquis ejus ſoliditatem non tenet, cujuslibet vitæ, atque actionis exiſtat, ut B. Gregorius ait, etiamſi lapis eſſe videatur, extra Dei ædificium jaceat. Sed & de auctoritate canonum Apoſtolorum, qui per Clementem Romanum Pontificem de Græco in Latinum tranſlati dicuntur, quorum etiam auctoritate VII. univerſalis Synodus Patrum CCCL. & idem Gregorius in ſuo regiſtro uti videtur, de quorum, inquam, & quorumlibet aliorum canonum auctoritate Anaſtaſius Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius in prologo ejuſdem VII. univerſalis Synodi, quam de Græco in Latinum tranſtulit, Joanni VIII. Papæ ita ſcribit: *Prædeceſſore veſtro PP. Stephano & Apoſtolatu veſtro decernente non tantum ſolos Apoſtolorum quinquaginta canones Eccleſia recipit, utpote tubarum Spiritus Sancti, ſed etiam omnium omnino probabilium Patrum, & ſacrorum Conciliorum regulas, & inſtitutiones admittit, illas duntaxat, quæ nec rectæ fidei, nec bonis moribus obviant; ſed nec Sedis Romanæ decretis admodum quid reſultant; quin potius adverſarios potenter impugnant*. Epiſtolas autem Clementis ad Jacobum, contra quas quidam garrire videntur, authenticas oſtendunt ſucceſſores ejus Anacletus, & Alexander, & quidam alii Pontifices, & a Deo Benedictus Monachorum Pater, qui ex illis plures ſententias in ſuis ſcriptis inſeruerat. Sed & de Apoſtolicæ Sedis auctoritate heic plurima congeſſi. Quædam etiam de opuſculis B. Hieronymi, cujus eloquium, ut Auguſtinus de eo ait contra Julianum, ab Oriente in Occidentem inſtar Solis refulget. Quædam de opuſculis beatorum Cypriani, Ambroſii, Auguſtini, & aliorum Patrum. Et omnimodis operam impendi, ut eſſent pleniſſima auctoritate, quæ heic congeſſi. Quoniam ſicut aliquos, quibus hæc placerent, ita non defuturos quoſdam, qui hæc inviderent, non ignoravi. Præterea antiquum ordinem electionis ſeu conſecrationis Romani Pontificis & Cleri ejus huic operi inſerere libuit. Nam quidam olim in Dei & ſanctorum Patrum ſanctionis contemtum ad ſui oſtentationem & adſcribendam ſibi ventoſam auctoritatem, quæ nullis canonicis legibus ſtare poteſt, ſcripſerunt ſibi novam ordinationem Romani Pontificis: in qua quam neſanda, quam Deo inimica ſtatuerunt, horreo ſcribere. Qui legit intelligat. Porro de modo docendi ſubditos pauca heic inſerta ſunt: quoniam & laborioſum & alterius operis arbitratus ſum ad hoc ſacram deflorare Scripturam. Potiſſima autem ad id operis mihi viſa ſunt Evangelium, & Apoſtolorum epiſtolæ, & Clementis, & paſtorala Gregorii, & ſuper Evangelia homiliæ ejuſdem XL. & VIII. & IX. & X. ſuper Ezechielem. Et quoniam dum brevitati ſtudeo, plurima utilia me præterire doleo; moneo curioſum Lectorem, ut cum vacat, his, a quibus hæc deflorata ſunt, ſtudium adhibeat; non ut defloratis aliquid adjungat, ſed ut ſuo deſiderio ſatisfaciat. Hoc itaque opus veſtræ paternitati dedicavi, quod non ſolum ſanctæ Apoſtolicæ Sedi, ſed omni Eccleſiæ, & omni Clero profuturum putavi. Obſecro autem legentem in Domino, ut pro meis exceſſibus ad Dominum intercedat."

Ex hac epiſtola patet collectionis diviſio in libros quatuor, quorum primus de Primatu & poteſtate Eccleſiæ conſtat ex titulis ſeu capitulis 251. ſecundus de Romano Clero ex cap. 131. tertius de rebus Eccleſiæ ex cap. 159. & quartus de libertate Eccleſiæ & rerum ejus ac Cleri ex cap. 152.

Quæ vero & quam gravia in ipſis libris contineantur, demonſtrat ipſa titulorum tabula, quæ poſt epiſtulam nuncupatoriam ſtatim ſubjicitur. Hæc veluti rerum index, ſeu totius operis Breviarium Ferrandiano ſimile videtur: ſiquidem in deſcribendis ſingulorum librorum titulis, ſi quæ in aliis libris ad eumdem titulum ex. gr. primi libri pertineant, ea pariter ex iiſdem libris indicat. In ipſo autem collectionis corpore textus hoc ordine proferuntur. Primo ſacræ Scripturæ loca, ubi opportuna ſunt, deſcripta leguntur: dein canones Conciliorum. Græcarum autem Synodorum canones nunc ex Dionyſiana verſione, nunc ex Priſca producuntur, aliquando etiam ex utraque: nam lib. 1. n. 2. Nicænus canon ſextus primum ex Priſca, dein ex Dionyſiana recitatur hac notatione: *Alia tranſlatio ſic habet*. Nonnumquam etiam, ſed rarius, Iſidoriana interpretatio adhibetur. Cum vero quidquid ex Priſca, vel Iſidoriana affertur, inveniatur in codice Vat. 1342. qui ad veterem Lateranenſem bibliothecam pertinuiſſe traditur; hoc codice Cardinalem Deuſdedit uſum fuiſſe valde credibile eſt. Ex Priſca nimirum profert aliquot canones Nicænos, Antiochenos, & Chalcedonenſes; ex Iſidoriana vero unum Ancyranum, & alium Gangrenſem: uti ſane illi ex Priſca, iſti ex Iſidoriana tranſlatione in eodem codice deſcribuntur. Poſt canones ſequuntur decreta Romanorum Pontificum, in quibus nonnulla ex Pſeudoiſidorianis apocryphis. Plura ſuppetunt ex Regiſtro Gregorii VII. qui Victori III. præceſſerat. Subduntur, ubi locum habent, Patrum teſtimonia, & nonnulla ex Juſtiniani legibus, quædam ex Hiſtoria Anaſtaſii Bibliothecarii, ex Pontificali Romano, quo vitæ Pontificum deſcribuntur, *ex libro Romanorum Pontificum, qui dicitur Diurnus*, ex Hiſtoria Paulli Diaconi, ex Chronico Victoris Tunonenſis, & ex actis S. Bonifacii Epiſcopi Moguntini. Inſeritur *antiquus Ordo Romanus*, qui incipit: *In quacumque ſchola reperti fuerint pueri bene docti litteras, tollantur, & nutriantur in ſchola cantorum* &c. Eſt Ordo Romanus nonus a Mabillonio editus tom. 2. Muſei Italici pag. 89. qui tamen in noſtro codice variantes lectiones notatu dignas, & vetuſtiorem ætatem præfert.

Liber Diurnus.

Ordo Romanus.

IV. Plura addit Cardinalis *ex tomis Lateranenſis Baſilicæ* ad patrimonium S. Petri pertinentia, ex quibus nunc unum, nunc aliud volumen laudat, quæ eſſe ait *in archivo ſacri palatii Lateranenſis*. Celebris eſt liber *de Cenſibus* Cencii Camerarii, qui poſtea fuit Romanus Pontifex Honorius III. Hic liber impreſſus eſt a Muratorio tom. 5. Antiquitatum Italicarum. Deteximus vero ea, quæ in hoc libro leguntur a pag. 827. ejuſdem editionis, *Hadrianus Papa obtinuit* &c. uſque ad pag. 842. totidem verbis (quibuſdam variantibus exceptis) a Cardinali Deuſdedit ex tomis Lateranenſibus fuiſſe tranſcripta lib. 3. c. 149. & ſeqq. a pag. 85. ipſius codicis ad pag. 92. uſque. Hinc autem perſpicitur utrumque ex iiſdem fontibus ebibiſſe; Deuſdedit vero ſæculo & amplius ante Cencium idem opus ſuæ collectioni inſeruiſſe. Alia porro documenta ex laudato Lateranenſi archivo Deuſdedit adjecit pag. 92. & ſeqq. quæ in vulgato Cencii libro non leguntur, nimirum integra privilegia Romanæ Eccleſiæ data a Ludovico Pio, Ottone I. & Henrico I. Accedunt juramenta Roberti Ducis Apuliæ & Calabriæ, ac Jordani & Ricardi Principum Capuæ, & alia ejuſdem generis quamplura, quæ partim edita ſunt, partim inedita. Præter regeſta Gregorii I. & VII. ac Joannis VIII. jam impreſſa, idem Cardinalis nonnulla fragmenta profert ex epiſtolis Gelaſii I. Pelagii I. Honorii I. & Gregorii II. in quibus non pauca ex hac ſola collectione ſuperſunt. Lucas Holſtenius quædam ex his typis impreſſit, quæ poſtea in editiones Conciliorum traducta fuerunt. Alia vero, quæ Holſtenius omiſit, ex eodem codice heic proferimus: in quibus etſi quædam apud Gratianum recepta legantur, cum tamen in editionibus Conciliorum una cum aliis fragmentis ex Gratiano excerptis vulgata non fuerint, heic indicanda viſa ſunt, ut in nova Conciliorum editione non omittantur. Illa autem tantum indicaturi ſumus, quæ in collectione Deuſdedit reperimus: cetera enim, quæ apud Gratianum exſtant fragmenta aliunde tranſcripta, & in Conciliis nondum impreſſa, iis accuratius inquirenda & colligenda relinquimus, qui novam Conciliorum editionem curabunt.

Tomi Baſilicæ Lateranenſis.

FRAG-

FRAGMENTA EPISTOLARUM GELASII I.

ex collectione Cardinalis Deuſdedit contenta in MS. Vat. 3833.

In laudata collectione lib. 1. c. 139. *Gelaſius Helpidio Epiſcopo Volaterrano, inter cetera.*

QUo auſu, qua temeritate &c. uti apud Gratianum cauſſ. xxiii. q. 8. c. 26. ubi Correctores Romani in notis ex collectione Polycarpi locum a Deuſdedit omiſſum ſuppleverunt. Hoc fragmentum in Conciliis omiſſum, cum ceteris reponendum eſt.

Ibi c. 140. *Gelaſius Majorico & Joanni Epiſcopis.*

Ita nos Squillacinorum cædes geminata Pontificum &c. uti apud eumdem Gratianum cauſſ. xxv. q. 2. c. 25.

Gelaſius Creſconio, Joanni, & Meſſalæ Epiſcopis.

lib. 2. c. 92. *Deceſſorum ſtatuta* &c. uti apud Gratianum ibidem c. 19. ubi male *Meſſaliæ Epiſcopis.*

Gelaſius Ioanni Epiſcopo Sorano.

Ibi c. 93. *Certum eſt quidem* &c. uti apud Gratianum de conſecr. diſt. 1. c. 7. Noſter autem codex addit in fine: *Data Idibus Aprilis.*

Gelaſius Senecioni Epiſcopo.

Ibi c. 94. *Piæ mentis ampleƈtenda devotio eſt, qua ſe Julius V. H.* (ideſt *vir honorabilis*) *in re Juviana* &c. uti in Gratiano cauſſ. xvi. q. 7. c. 26. Codex addit in fine: *Data XIII. Kal. Auguſti.*

Gelaſius Agilulpho poſt cetera.

Ibi c. 100. *Precor autem ut reculam B. Petri Apoſtoli inter Dalmatias conſtitutam defenſare dignemini, & quæ vobis vel frater & Coepiſcopus meus* (1) *Honorius pro ejus utilitate ſuggeſſerit, vel conductores putaverint intimandum, quam fieri poteſt, præſtare jubeatis.*

Gelaſius Januario poſt cetera.

Ibidem. *Sed cauſas, quibus beneficia B. Petri Apoſtoli continentia percupias, fidemer iniungo. Præſtet igitur tua ſolicitus, ut rebus pauperum ejus auxilium defenſionemque concedat, & conductores earum pio favore tueatur, ut viciſſitudinem præſtitorum ab eodem percipiat conſequentem, cujus meritis & honori devotus iſta dependit.*

Gelaſius Firminæ illuſtri feminæ poſt cetera.

Ibidem. *At cunctum vero mercedis veſtræ pertinere certiſſimum eſt, ſi prædia quæ vel a barbaris, vel a Romanis inconvenienter invaſa ſunt, veſtris diſpoſitionibus egentium victui reformentur. Cujus tanta de provinciis diverſis, quæ bellorum clade vaſtatæ ſunt, Romam multitudo confluxit, ut vix ei, Deo teſte, ſufficere valeamus. Conſpicitis ergo quantum boni operis acquiratis, ſi B. Petro Apoſtolo prædia, quæ pro ſua quiſque anima contulit, veſtro poſt Deum præſidio liberata reddantur. Cujus benedictionis eulogias, quas pro affectione direxi, peto ut grata ſuſcipere mente digneris.*

Provinciarum vaſtatio, & multitudo confluentium Romam.

Eulogiæ.

Gelaſius Actoribus urbici.

Ib. c. 101. *Conſtat vos intuliſſe actionibus Eccleſiæ ex præſtatione fundi Claculas, quem conductionis titulo tenes, de fructibus * anni Conſulatus Aſterii & Præſidii VV. CC. de Indictione III. auri ſolidos XXX. Notavi. V. Kal. Auguſti* (2) *Flavio V. C. Conſule.*

* an. 494.

Alia cautio ejuſdem diei ac iiſdem verbis ſubjicitur ab eodem Gelaſio data Vincomalo, ubi ſolum fundi nomen deeſt.

Gelaſius (3) *Hereleuvæ Reginæ.*

Idem lib. 4. c. 55. *Qui pro victu pauperum Domno filio meo excellentiſſimo Regi cum meis litteris ſupplicaret, Petrum Eccleſiæ Defenſorem dirigere properavi. Quo veniente ſublimitatem quoque tuam ſalutare non deſtiti, plurimum deprecans, ut pro veſtræ ſalutis & proſperitatis augmentis egentium cauſſas juvare dignemini. Data V. Kal. Martis.*

FRAGMENTA EPISTOLARUM PELAGII I.

ex eadem collectione Deuſdedit.

Pelagius Melleo Subdiacono inter cetera. lib. 3. c. 102.

*NOtariorum Sedis noſtræ inſinuatione didicimus, nullius indictionis a tempore, quo tibi primum Eccleſiæ patrimonium conſtat eſſe commiſſum, uſque hactenus ratiocinia * ſunt deciſſa: & ea * ſut neceſſario diſpungenda, ut quid eccleſiaſticis utilitatibus debeatur, vel quid a quoquam uſurpatum ſit, fideli inſpectione cognoſcere valeamus; & tu, vel heredes tui in futuro tempore ſecuritate plenaria communiti, nullas poſſitis inquietudines ſuſtinere.*

* l. eſſe. * l. ſunt.

Pelagius Mauro Epiſcopo Prænestino inter cetera. Ib. c. 103.

Didicimus de patrimonio Hilviade annis quidem de prima, ſecunda, & tertia Indictionibus Ampliato quondam Presbytero & Stephano Diacono vices Pontificis in urbe R. agentibus, quod exegiſti, fide media perſolviſſe. De quarta vero Indictione ſecundum ordinationem filii noſtri viri religioſi Narſæ ſacri Palatii filiis noſtris Dulcitio, Felici, atque Joanni Presbyteris, quod exactum fuerat, intuliſſe. Supervenientibus vero nobis & per Dei gratiam ordinatis intuliſti de eadem quarta Indictione. Et infra. *Ideoque ſupplicante dilectione tua ex omnibus ſupraſcriptis præteritis VI. indictionibus fraternitatem tuam hac ſecuritate credidimus muniendam, ut nulla caritati tuæ in poſterum a quolibet calumnia moveatur.*

Pelagius Narſæ Patricio Anagnoſticon inter cetera. Ib. c. 104.

Bene noverit excellentia veſtra nos habentibus dumtaxat hominibus & nullam neceſſitatem patientibus res dare pauperum nulla ratione præſumere: quia neque hoc vobis placere novimus, neque hoc noſtro eſſe officio convenient judicamus.

Pelagius Boetio Præfecto Prætorio Africæ inter cetera.

Ibi c. 105. *Romana, cui Deo auctore præſidemus, Eccleſia, poſt continuam XXV. & eo amplius annorum vaſtationem bellicam in Italiæ regionibus accidentem, & pene adhuc minime diſcedentem non aliunde niſi de peregrinis inſulis aut locis Clero pauperibuſque, etſi non ſufficiens, vel exiguum tamen ſtipendium conſequitur.*

Pelagius Juliano Epiſcopo Cingulano.

Ib. c. 109. *Conſtat dilectionem tuam intuliſſe rationibus Eccleſiæ ex præſtatione maſſarum, ſive fundorum per Picenum ultra XI. poſitorum, quod curæ tuæ commiſſum eſt, de indictione VII. filio noſtro Anaſtaſio argentario & arcario Eccleſiæ noſtræ auri ſolidos D. Notavi die III. Kal. Auguſti* (4) *poſt Conſulatum Baſilii Viri clariſſimi.*

Pelagius Dulcitio Defenſori poſt quædam.

Ibi c. 110. *Præterea rationes nobis neſcio quas Græcorum more fucatas de VI. indictionis penſionibus direxiſti, ſuggerens te per L. ſolidos, & pro aliis LX. a Diacono Varino & neſcio quo alio caſas recolegiſſe. Et cum tibi cotidie hinc & inde accreſcant prædia, tu nobis de penſionibus anguſtias generas. Non tibi ſufficit, quod te a notariis & aliis diverſis officiis . . . vix te liberare potuimus* &c.

Pelagius Vito Defenſori inter cetera.

Ibi c. 111. *Ideoque præſenti tibi juſſione mandamus, ut curam ipſius patrimonii peragere non omittas: ſciens quod nos a te jam & reliquam VI. indictionem, & omnes ſingularum deinceps indictionum a VII. exigemus penſiones, ut ſecundum morem & omittas in ſcrinio cautionem, & Brevem ejuſdem patrimonii poſſis accipere.*

Brevis libelli genus.

DUÆ

(1) Hic Honorius fuit Salonitanus Epiſcopus, ad quem aliæ duæ Gelaſii epiſtolæ editæ ſunt.
(2) Ideſt Flavio Viatore, qui fuit Conſul an. 495.
(3) Anonymus a Valeſio editus de Geſtis Theodorici Regis hanc Reginam ejuſdem Theodorici genitricem memorat. *Mater Ereleva dicta Gothica, catholica quidem erat, quæ in baptiſmo Euſebia dicta.*
(4) Supplendum *XVIII. poſt Conſulatum Baſilii*, ideſt anno 559. quo III. Kal. Auguſti ad finem accedebat indictio ſeptima. Pelagius autem I. anno ſequenti obiit die tertia Martii currente indictione octava. Julianus Epiſcopus Cingulanus ſubſcriptus legitur conſtituto Vigilii an. 553. Fragmentum alterius epiſtolæ Pelagii I. ad eumdem editum eſt a Baluzio tom. 5. Miſcellan. pag. 466. & recuſum a P. Manſio tom. 1. Supplem. Concil. pag. 432.

DUÆ EPISTOLÆ HONORII I.

ex ejus Regiſtro deſcriptæ in collectione Deuſdedit.

Honorius Gratioſo Subdiacono.

lib. 3. c. 117. *NE cuiquam labor ac diligentia, quam in rebus Eccleſiæ adhibet, poſſit eſſe damnoſa, ita diſponendum eſt, ut illi ſuus labor ſit utilis, & detrimentum eccleſiaſticæ res non agnoſcant. Proinde domum cum horto ſuo poſitam in hac urbe Roma juxta thermas Diocletianas regione A. cum omnibus ad eam pertinentibus tibi in XXIX. annorum ſpatia ad unum auri ſolidum perſolvendum ſingulis quibuſque annis rationibus eccleſiaſticis penſionis nomine poſſidendam concedimus: nec te exinde ejici, vel augmentum penſionis illic conſtituimus imponendum; ita ſane ut reparationi ejuſdem domus in cunctis utilitatibus ſtudere, ſicut diligens pater familiar, debeas. Poſt viginti vero novem annorum curricula eadem domus cum horto ſuo ad jus S. Romanæ Eccleſiæ, cujus eſt proprietas, ſine dubio revertatur; nec aliquid ex his, quæ in ejus meliorationem expenſa fuerint, vel a te, vel tuis heredibus ſit repetendi licentia: quia rationis ordo non ſinit, ut in res meliorationum expenſas repetat, qui in eadem penſione augmentum non recepit. Dat. Id. Decemb. Indict. XIV.* *

Locatio in annos 29.

* Ideſt an. 625.

Honorius Servodei Notario.

Ibi c. 118. *Quoties a nobis illud petitur, quod rationi noſcitur convenire, animo nos decet libenti concedere. Idcoque quia petiſti a nobis, ut caſale, quod appellatur Aurelianum, in integro una cum vineis ſuis poſitum via Portuenſi juxta ſanctos Abdon & Sennen* * *præſtantem auri ſolidos duos & ſemis, juris S. Romanæ, cui Deo auctore deſervimus, Eccleſiæ, tibi ad certum tempus debeamus concedere: enpropter hujus præcepti ſerie emiſſa, ſuperſcriptum caſale cum omnibus ad ſe pertinentibus tibi a præſenti hac XIV. Indictione diebus vitæ tuæ concedimus, ita ſane ut a te annis ſingulis penſionis nomine rationibus eccleſiaſticis duo auri ſolidi & tremiſſis an. V. ſine mora aliqua perſolvantur, quatenus & tu aliquod exinde poſſis habere remedium, & Eccleſiæ noſtræ utilitas non decreſcat. Poſt tuum vero obitum prædictum caſale ad jus S. Eccleſiæ noſtræ, cujus eſt proprietas, revertatur ſine dubio. Dat. IV. Id. Maji Indict. XIV.* *

Aurelianum caſale in via Portuenſi.

*l. præſtans.

Locatio ad vitam.

* Ideſt an. 626.

EX REGISTRO GREGORII JUNIORIS.

Gregorius Stephano Presbytero atque aliis duabus ſucceſſivis perſonis.

Ibi c. 119. *QUoties illa a nobis tribui ſperantur, quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum impertire ſuffragium. Ideoque quia poſtulaſti a nobis, quatenus fundum Campanam cum domo ſua & vinea poſita via Flaminia XIV. plus minus millibus ab hac urbe Roma, quod tenuit per commutionem Sergius Preſbyter & veſtararius noſter, qui fundus extitit ex corpore patrimonii Tuſciæ juris S. Romanæ, cui Deo auctore deſervimus, Eccleſiæ, hunc vobis emiſſa præceptione ad tenendum concedere deberemus. Inclinati itaque precibus veſtris per hujus præcepti ſeriem ſupradictum fundum cum domo & vinea & omnibus ei pertinentibus in integro a præſenti VIII. Indictione diebus vitæ veſtræ vobis concedimus detinendam, ita ſane ut a vobis ſingulis quibuſque Indictionibus penſionis nomine rationibus eccleſiaſticis III. auri ſolidi a ſſicultate poſtpoſita perſolvantur, omnemque, qua indigent, meliorationem ac defenſionem prædictus fundus, & vinea, ſeu domus indifferenter a vobis ſine dubio procurantibus efficiantur; nullaque poſtea ad dandam annuæ penſionis a vobis mora proveniat, ſed altro Actionariis S. noſtræ Eccleſiæ a prædicto ſempore perſolvatur. Nam ſi aliter, quod abſit a vobis, provenerit de ſupraſcripta melioratione, defenſione, & annua penſione; ſtatuimus fore invalidam hanc noſtram præceptionem. Poſt obitum vero veſtrum memoratus fundus ad jus ſanctæ noſtræ Eccleſiæ, cujus eſt proprietas, in integro revertatur. Dat. Id. Aprilis Indict. VIII.* *

Campanus fundus via Flaminia. Veſtatarius.

Alia locatio ad vitam.

Actionarii S.R. Eccleſiæ.

* Ideſt an. 725.

Duo fragmenta ex epiſtolis Joannis VIII. Pontificis ad Angelbertam Imperatricem, & Ludovicum Imperatorem, & litteræ ejuſdem Pontificis ad Anonem Epiſcopum Friſingenſem, quæ ex MS. Colbertino 2576. vulgavit Baluzius lib. 5. Miſcellaneorum pag. 489. & 490. ex hac noſtra collectione olim videntur excerpta, in qua leguntur lib. 3. c. 121. 122. & 123.

CAPUT XV.

De MS. collectione Bonizonis Epiſcopi Sutrini.

I. BOnizo ob ſcientiam eminentem ac zelum pro libertate eccleſiaſtica inſignem prius Sutrienſis Epiſcopus fuit. At ob Romanæ Eccleſiæ defenſionem e Sutrina Sede pulſus, *poſt multas captiones, tribulationes, & exilia*, inquit Bertoldus Conſtantienſis, *a Placentinis catholicis pro Epiſcopo recipitur. Sed a Schiſmaticis ejuſdem loci effoſſis oculis, & truncatis omnibus pene membris martyrio coronatur*. Ita ille in Continuatione Chronici Hermanni Contracti ad an. 1089. qui idcirco Bonizonis emortualis creditur. At hujus libellum *de Sacramentis* ad Gualterium Leonenſis Monaſterii Priorem e MS. bibliothecæ Ambroſianæ vulgavit Muratorius differt. 37. Antiquitatum Italicarum t. 3. col. 599. in quo col. 602. Bonizo meminit opuſculi a ſe conſcripti contra Ugonem Schiſmaticum. Hujus etiam opuſculi mentionem facit libro quarto collectionis mox deſcribendæ his verbis: *Urbani vero* (ſecundi) *Pontificis facta, & de ejus victoria ſi quis ſcire voluerit, legat librum, quem ſcripſi in Ugonem ſchiſmaticum, & ibi inveniet ad plenum dilucidata quæ voluerit*. Victoria Urbani II. quæ heic indicatur, illa eſt, qua ex Urbe expulſus fuit Antipapa Guibertus. Id autem accidit anno 1089. Citius igitur hoc anno Bonizo opuſculum in Ugonem ſcripſit. Poſtea vero aliquanto lucubravit tum libellum de Sacramentis, tum collectionem canonum, in quibus illud opuſculum jam ante abs ſe ſcriptum laudat. Igitur ei anno 1089. affigi nequit ipſius mors, ſed poſtea contigiſſe dicenda eſt. Bertoldus itaque ſi eo anno Bonizonis mentionem fecit, quia tunc vita functum credidit, hallucinatus eſt; uti ſane hallucinatus eſt etiam, cum Berengarii Andegavenſis mortem retulit anno 1083. nam inter omnes conſtat eum exceſſiſſe anno 1088. Hinc multo magis falſus eſt Anonymus Melicenſis Bertoldo coævus, cum in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. 113. Bonizonis collectionem ſub Gregorio VII. ſcriptam tradidit. *Bonizo Sutrienſis Presbyter* (ſcribendum erat *Epiſcopus*) *ſeptimi* (Gregorii) *temporibus ſcribit excerpta de canonibus*.

De anno emortuali Bonizonis.

II. Hæc collectio aliquanto poſt annum 1089. lucubrata, diutius ignota fuit. Primus Lambecius t. 2. Commentarii de Bibliotheca Cæſarea Vindebonenſi c. 8. præter Bonizonis Epitomen Sententiarum S. Auguſtini inſcriptam *Paradiſus Auguſtinianus* in octo libros diſtributam cum epiſtola nuncupatoria ad Joannem Abbatem, codicem hujus collectionis in eadem bibliotheca cuſtoditum ſic deſcripſit. *Volumen membranaceum eſt in folio minori, ſeu quarto majori, quod, quantum ex ſcriptura aliiſque circumſtantiis judicare licet, haud multo poſt Bonizonis mortem exaratum eſt ... Continetur autem in memorato codice ineditum hactenus DECRETALE BONIZONIS, ſive SYNTAGMA DECRETORUM ECCLESIASTICORUM ex ſacra Scriptura probatiſque Conciliis, ut & Pontificum Romanorum & ſanctorum Patrum aliorumque orthodoxorum auctorum monumentis collectum, & ſecundum locos communes in ſeptem libros diviſum, cui loco proœmii eſt præfixa EPITOME HISTORIÆ ROMANORUM PONTIFICUM a S. Petro Apoſtolorum Principe uſque ad Papam Urbanum II. Titulus autem jam memoratæ Epitomes hic eſt: CHRONICA ROMANORUM PONTIFICUM EDITA A BONITHONE SUTRINO EPISCOPO VIRO PER OMNIA DOCTISSIMO*. Longum fragmentum ejuſdem Epitomes publici juris fecit idem Lambecius, quod incipit: *Scripturus de excellentia Romanæ Eccleſiæ* &c. Hic autem codex Vindebonenſis ſeptem tantum libros continens, & ab indi-

Codex Vindebonenſis.

Tribus prioribus libris caret.

cato

Digitized by Google

cato fragmento incipiens, non integram, ſed tribus prioribus libris expertem Bonizonis collectionem exhibet. Id nobis exploratum fecit codex Capituli Brixienſis Eccleſiæ, cujus notitiam doctus ejuſdem urbis Presbyter Carolus Doneda perhumaniter communicavit. Hinc pleniorem hujus collectionis deſcriptionem producere licet.

Codex Brixianus.

III. Brixianus hic codex membranaceus in quarto oblongo Bonizoni ſuppar, exeunte ſæculo XI. vel ſaltem ineunte XII. ſcriptus fuit. In ultimo enim folio poſteriori manu deſcribitur notitia redditium libellariorum Cathedralis Eccleſiæ Brixienſis cum datu anni MCCX. Indictione XIII. In hoc autem manuſcripto decem libri proferuntur. Una tantum primi libri pagina deſideratur. In ſuperiori autem margine alterius paginæ, quæ nunc prima eſt, hic titulus ſecunda manu ſcriptus legitur: *Bonizonis Epiſcopi ad Gregorium Presbyterum de ſanctorum Patrum authenticis canonibus opuſculum.* Nullus libris titulus præfigitur, ſed tituli loco quædam in ſingulos præfatiuncula argumentum cujuſque proprium deſignat. Igitur ad hanc collectionem cognoſcendam pauca ex ipſis præfatiunculis proferre ſufficiet. Licet vero ob defectum primæ paginæ, libri primi præfatio interciderit; hujus tamen argumentum non ſolum ex ipſo libro, qui de baptiſmo late differit, elici poteſt; ſed etiam ex libri ſecundi exordio, in quo prioris libri compendium, & ſecundi ſimul argumentum proponitur.

Incipit liber ſecundus. Quod ante ſit docendus omnis, quam baptizandus, & quid ſit baptiſmus, & quot modis fiat, & a quo ſumpſit exordium, & quando, & quomodo fieri debeat, ſuperiori libro breviter, prout potuimus, enarravimus. Deinde catecuminum per exorciſmi inſufflationem, & per olei exorcizati unctionem purgatum certis temporibus ad fontem uſque perduximus, in quo tertio immiſſus, vel immerſus, propria oris confeſſione, vel per ſuſcipientium fidem ſe credere in Deum Patrem omnipotentem & in Dominum Chriſtum filium Dei & hominis crucifixum, & in Spiritum Sanctum præſentibus Angelis teſtatus eſt. De quo aſcendens, vel ſublatus, oleo principali delibutus, cæleſtis menſæ convivio participatus eſt. Quia vero, teſte Jacobo Apoſtolo, fides ſine operibus mortua eſt; *ſupereſt nunc opera digna fide enumerare, ut velut ſapiens architectus poſſim domum ſuper fundamentum, quod Chriſtus eſt, ædificare, quam nec venti, nec flumina, nec imbres valeant eradicare. Nunc vero Dei confiſi miſericordia, adoriamur ſermonem. Prima ac principalis Chriſtianorum virtus eſt obedientia humilitatis filia* &c. Et poſt nonnulla profitetur ſe velle inſtructionem exhibere, ex qua omnes diſcant, quatenus in ſuo quiſque ſtatu chriſtiane vivat. Hanc autem Chriſtianorum diviſionem proponit. *Alii ſunt Clerici, alii Laici, & in his conditionibus alii ſubditi, alii prælati. Prælatorum in clericali ordine poſitorum alii ſunt Epiſcopi, alii ſecundi ordinis Sacerdotes, alii judices.* Hoc autem libro ſecundo agit de Epiſcopis, & de eorum functionibus, ac præſertim de ordinationibus.

Baptiſma per trinam merſionem.

Incipit liber tertius. Hic ſolus liber præfatiuncula caret. Agit autem de Metropolitanis, de pallio, de officiis eorum in ſoffraganeos, & viceverſa, de Epiſcopis, de ordinationibus ſimoniacis, de Epiſcoporum judiciis, de Synodo, de juramento purgativo, de Epiſcoporum translatione, atque officiis. Hi libri tres in MS. Cæſareo Vindebonenſi deſiderantur.

Incipit liber quartus. Scripturus de excellentia Romanæ Eccleſiæ, & de privilegiis ad ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum pertinentibus, & de conſtitutionibus ejuſdem, ſolertem rogo lectorem ne citiſſime in meam prorumpat ſugillationem, dum viderit me in tam profuſo opere ſuccinctum pauca dixiſſe de magnis. Longior eſt hæc introductio, & in hac inſerta illa Epitome Romanorum Pontificum a S. Petro ad Urbanum II. quæ a Lambecio laudatur. Unum fragmentum hujus Epitomes hoc loco deſcribere non inutile fuerit.

Ceterum ſi quis de Theophylacto Tuſculano, qualiter Joanni Sacerdoti vendidit Papatum, & quomodo uno eodemque tempore Theophylactus & Gregorius & Silveſter Romanum non regebant, ſed vaſtabant Pontificatum; & qualiter Henricus Rex Conradi filius Romanam Eccleſiam a talibus peſtibus liberavit, gnarus eſſe voluerit, legat librum quem dictavi, qui inſcribitur, Ad amicum; *& ibi inveniet hæc ordinabiliter eſſe digeſta. Inveniet autem & ibi, qualiter Papa Clemens electus ſit; qualiterve Henricus Rex, Imperator ab eodem ordinatus ſit; & de Damaſo ejus ſucceſſore, quot in Papatu duxerit dies; & de præclaro Leone, quid in Papatu egerit, qualiterque vitam finierit; & de Victore ejus ſucceſſore, quid egerit, aut quid ejus temporibus novum advenerit; & de Stephano Gothefredi Ducis germano, & qualiter ejus temporibus* * *Patarea apud Mediolanum exorta eſt; & de Nicolao Papa, & de lite quam habuit cum Benedicto invaſore, & quid egerit in Papatu; & de Alexandro II. Papa, & de lite, quam habuit cum Cadolo Parmenſi, & de ejus victoria, & quid egerit in Papatu, & de ejus fine, & de ſeptimo Gregorio, & de ejus electione, & de vita ejus, & moribus, & qualiter ad altare Domini a Centio viro crudeli captus ſit, & eo die Dei gratia liberatus; & de Werra, quam ſuſtinuit ab Henrico Imperatore; & de controverſia, quam habuit cum Wiberto, & de ærumnis, quas ſuſtinuit, & de obſidione civitatis & ſua; & qualiter a Rotberto Normannorum Duce ſit liberatus; & qualiter beate finè quievit, aptiſſime declarata. Urbani vero Pontificis acta, & de ejus victoria ſi quis ſcire voluerit, legat librum, quem ſcripſi in Ugonem ſchiſmaticum, & ibi inveniet ad plenum dilucidata quæ voluerit. Huc uſque incipiens a B. Petro Apoſtolorum Principe uſque ad noſtra tempora Romanorum Pontificum acta compendioſe digeſſimus. Supereſt nunc, ut de privilegiis ad Romanum Pontificem pertinentibus, & de prærogativa ipſius Sedis non profuſe, ſed ſuccincte Dei adjuvante gratia diſſeramus.*

* Al. Paterena.

Incipit liber quintus. Superioribus tribus libellis qualis debeat eligi Epiſcopus, & a quibus, & ubi, & quando debeat conſecrari, & qualiter poſt conſecrationem decenter debeat vivere, prout potuimus breviter enarravimus. Dein de Metropolitani dignitate & uſu pallii, & ejus genio, & de excellentia epiſcopali, & de induciis, & de reſpuenda inimicorum accuſatione & infamium, & de eorum judicio compendioſe tractavimus. Poſt vero de excellentia Romanæ Eccleſiæ, & de prærogativa Romani Pontificis, & de conſtitutionibus, & conſuetudinibus præfatæ Eccleſiæ non profuſe, ſed ſuccincte, vix pauciſſima de multis carpendo digeſſimus. Supereſt nunc de ſecundi ordinis Sacerdotibus, & Diaconibus, ceteriſque ordinibus, prout Deus conceſſerit, enarrare, & primum ab ordinatione ordiamur.

Epilogus libri ſecundi, tertii, & quarti.

Argumentum libri quinti.

Incipit liber ſextus. Monachorum quatuor eſſe genera, B. Benedicto referente cognovimus: Primum Anachoritarum, qui ex cœnobiis probati, velut jam emeriti, viſus hominum fugientes, Angelorum vallantur præſidio, & relevantur eloquio. Secundum eſt Cœnobitarum ſub regula Abbatis degentium, qui imitantes Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, non ſuam faciunt, ſed alterius voluntatem. Tertium eſt teterrimum genus Sarabaitarum, qui ſecundum proprium libitum viventes, ſine Abbate terni, vel bini in cellulis commorantur, artificio manus victum quærentes. Quartum eſt Gyrovagorum, eo quod gyro vagando certas non habeant manſiones. Fuſe dein agit de Monachis.

Quatuor Monachorum genera.

Incipit liber ſeptimus. Scripturis de Regibus, & de judicibus, & de his, qui in laicali ordine ſunt conſtituti, operæ pretium viſum eſt nobis, unde Regalis poteſtas, vel a quo primum ſumſit exordium, breviter dilucidare &c.

Incipit liber octavus. Quia vero ſuperiori libro de prælatis in laicali ordine poſitis, prout potuimus, breviter enarravimus; ſupereſt nunc in ulteriori libro, qualiter ſubditi vitam debeant inſtituere, breviter indagare. Et primum plebis faciamus diviſionem. Nam in plebe alii ſunt artifices, alii vero agricolæ &c. Agit poſtea de decimis, de ſponſalibus, de matrimonio, de jejunio, & de diebus feſtis.

Incipit liber nonus. Liber iſte medicinalis inſcribitur, eo quod ægrotantium continet varia medicamen-

-camenta animarum. Et ſicut peritorum medicorum eſt ad tactus venarum & ad aſpectum urinæ morbos cognoſcere ſingulorum; ſic prudentum eſt Sacerdotum conſiderata pœnitudine pœnitentis, quid, quibus, & quantum conveniat judiciali magiſterio diſpertire: & ut ad hoc faciendum ſint idonei, oportet eos canones ſanctorum Patrum non ignorare, ut & judicium a ſanctorum canonum prodeat auctoritate, & miſericordia ſemper ſequens ſuperexaltet judicium &c. Agit vero poſt multa de pœnitentibus excommunicatis, & de variis peccatorum generibus.

Incipit liber decimus. Superiori libro dixiſſe me memini, prudentum ſubjacere arbitrio Sacerdotum ſecundum modum culpæ conſiderata humilitate ac pœnitudine pœnitentum rigorem canonum temperare. Quia vero auctoritas majorum in ſancta multum valet Eccleſia; operæ pretium viſum eſt mihi, auctoritates & exempla ſanctorum Patrum inſerere. Et primum a Clericis incipiamus. Sequitur multis canonibus de pœnitentia.

IV. Etſi nullus librorum titulus eſt, ac præfationes tituli locum gerant; canonibus tamen, qui proferuntur, ſui fere tituli præfixi ſunt. Hanc collectionem a P. Abbate Joanne Chryſoſtomo Trombellio, qui Brixiani codicis apographum obtinuit, editum iri confidimus.

CAPUT XVI.

De Ivonis Carnotenſis duplici collectione.

I. IVo in agro Bellovacenſi natus ſub medium ſæculum XI. & anno 1078. conſtitutus Abbas Monaſterii Bellovacenſis S. Quintini Ordinis Canonicorum Regularium, tandem Epiſcopus Carnotenſis electus an. 1092. & conſecratus ab Urbano II. mortem oppetiit anno 1115. vel, ut alii malunt, 1117. Vir fuit non ſolum doctrina egregius, ſed etiam zelo, prudenti conſtantia, fide, & ſanctitate conſpicuus: ac propterea Pius V. conſtitutione data anno 1570. Canonicis Congregationis Lateranenſis conceſſit, ut die 20. Maji Ivonis memoriam celebrarent.

Duæ Ivonis collectiones canonum.

Duæ canonum collectiones Ivonis nomine inſcriptæ prodierunt: una in octo partes diſtincta *Pannormia Ivonis* appellatur; altera *Decretum Ivonis*, quod in ſeptem & decem partes diſtribuitur. *Pannormia* typis impreſſa fuit Baſileæ anno 1499. curante Sebaſtiano Brandt, eamque iterum Lovanii anno 1557. a mendis correctam Melchior a Voſmediano recudendam curavit. *Decretum* vero primum prodiit Lovanii anno 1561. opera & ſtudio Joannis Molinæi Gandenſis, & poſtea cum aliis Ivonis operibus ad fidem antiquiſſimi codicis Victorini iterum impreſſum Pariſiis anno 1647. Utrique operi in vulgatis præfixa eſt eadem omnino præfatio, quam Ivonis eſſe ſtilus aliis ejus epiſtolis æqualis omnino demonſtrat.

Decretum diſtinctum in partes 17.

II. Utriuſque operis titulos in primis reſeramus. Parte prima fuſioris operis, quod *Decretum Ivonis* vocari ſolet, agitur de baptiſmo & confirmatione. Secunda de ſacramento Corporis Chriſti, ſacrificio Miſſæ, & reliquis ſacramentis, ac ſimonia. Tertia de Eccleſia & rebus eccleſiaſticis, & earumdem reverentia & obſervatione. Quarta de feſtis, jejuniis, Scripturis canonicis, conſuetudinibus, & Conciliis. Quinta de primatu Eccleſiæ Romanæ, & de Primatum, Metropolitanorum, & Epiſcoporum ordine ac juribus. Sexta de vita, ordine, & cenſura Clericorum. Septima de Monachis. Octava de conjugio, & virginitate, de raptu, concubinatu, & adulterio. Nona de inceſtu & gradibus prohibitis. Decima de homicidiis voluntariis & involuntariis. Undecima de magis, ſagis, hiſtrionibus. Duodecima de mendacio, perjurio &c. Decima tertia de furto, uſuris, venatoribus. Decima quarta de ebrioſis, furioſis, & Judæis. Decima quinta de pœnitentia. Decima ſexta de officio & judiciis laicorum. Decimaſeptima pars ſanctorum Patrum, ac præſertim Gregorii Magni ſententias continet de fide, ſpe, & caritate.

Pannormia in partes octo.

III. En porro titulos alterius collectionis, quæ *Pannormia Ivonis* inſcribitur, quales ipſe auctor expoſuit.

Prima pars hujus libri continet de fide, & de diverſis hæreſibus, de ſacramento, id eſt baptiſmate, & miniſterio baptizandorum, & conſecrandorum, & conſignandorum, & conſignatorum, & de obſervatione ſingulorum; & quid conferat baptiſmus, quid confirmatio. De ſacramento Corporis & Sanguinis Chriſti; de Miſſa, & ſanctitate aliorum ſacramentorum.

Secunda pars continet de conſtitutione Eccleſiæ, & oblationibus fidelium. De dedicatione & conſecratione Eccleſiarum & altarium. De ſepultura, & Preſbyteris, & de eorum Eccleſiis. De decimis & legitima poſſeſſione, & de confugientibus ad Eccleſiam. De ſacrilegio. De liberorum tutela. De alienatione, & commutatione rerum eccleſiaſticarum. De Scripturis, & authenticis Conciliis.

Tertia pars continet de electione, & conſecratione Papæ, Archiepiſcoporum. De ordinibus, de Clericis, & de laicis ordinandis, & non ordinandis. De mutatione Epiſcoporum. De ordinatis non reordinandis. De continentia ordinatorum. De ſimoniace ordinatis & ordinatoribus, quod omnino ſint deponendi, & quod miſericorditer reconciliandi. De profeſſione hæreticorum. De lapſis in ſacris ordinibus, quod non debeant miniſtrare, & quod miſericorditer ad miniſtrandum poſſint accedere. De Clericis homicidis, quod non debeant miniſtrare. De uſurariis. De ſervis per ignorantiam ordinatis, qui debeant manere in ordinatione, qui non. De Clericis ebrioſis, ſcurrilatoribus. De Monachis. De ætate, qua poſſint parentes contradicere religioni filiarum, & qua non poſſint. De viduis, & virginibus velatis. De Abbatiſſis.

Quarta pars continet de primatu & dignitate Romanæ Eccleſiæ. De Conciliis convocandis. De provincia quomodo ſit conſtituenda. De poteſtate Primatum, & Metropolitanorum Epiſcoporum. De negotiis & cauſſis Clericorum, ubi debeant tractari. De ſpoliatis reveſtiendis. De accuſatione, & quo ordine, & a quibus perſonis, & adverſus quas perſonas debeat, vel non debeat fieri. De teſtibus, qui, & quomodo, & quot, & in quo negotio teſtificari debeant. De judicibus, quales debeant eſſe, & quando ſententiam judicii debeant proferre. De appellatione, quo tempore, & qua ratione debeat fieri, & de pœna male appellantium.

Quinta pars continet de Clericis ſola infamia ſine teſtibus accuſatis, quota manu ſe debeant purgare. De cauſſis & negotiis laicorum. De vocatione excommunicandorum. De licita & illicita excommunicatione. De abſolutione. De illis, qui excommunicatis in fidelitate aut ſacramento adſtricti ſunt, poſſunt ſine perjurio abſolvi ab illo ſacramento. De hæreticis poſt mortem excommunicandis. Quod ſit communicandum non ex nomine excommunicatis.

Sexta pars continet de nuptiis, quo ſcilicet tempore, & inter quas perſonas, & qua de cauſſa debeant fieri. De tribus, quæ perfectum reddunt conjugium. De perfecto & imperfecto conjugio. De concubinis. De conjugibus, quorum alter ſine altero continentiam vovit, vel religionis habitum ſumſit. De uxoribus, quæ, viris in captivitatem ductis, aliis nupſere. Quod ſit conjugium inter perſonas ejuſdem religionis, vel fidei: ut poteſt & inter Judæos; inter perſonas vero, quæ non ſunt ejuſdem religionis, vel fidei, non poteſt fieri conjugium. Quibus de cauſſis non debeat ſolvi conjugium. Cujuſmodi conjunctio non facit conjugium. De ſeparatione conjugii non ob cauſſam fornicationis.

Septima pars continet de ſeparatione conjugii ob cauſſam fornicationis carnalis. De viro, qui cum alterius uxore fornicatur, quod poſt mortem mariti non poteſt eam habere uxorem. De interfectoribus conjugum ſuarum. De fornicatione ſpirituali, quod propter eam licite dimittatur uxor. De reconciliatione conjugum. De ſacramentis, quod debent viri facere mulieribus, & mulieres viris ſuis, quando reconciliantur. De ſubjectione, qua debent uxores ſubjici viris ſuis. Qua ratione non debet fieri conjugium inter parentes. De eo quod unus vir non poteſt duas commatres ducere unam poſt aliam. De eo, qui cum filiola ſua, aut cum commatre ſua, aut qui filium ſuum baptizavit, aut ejus uxor filium ſuum, aut privignum ſuum de ſacro fonte levavit, aut ad confirmationem tenuit, & ideo voluit ſe-

pa-

parari. In quo ramuſculo conſanguinitatis poſſunt conjugia fieri. De accuſatione conſanguinitatis, & a quibus perſonis debet fieri. De inquirenda parentela, & de inceſtuoſo conjugio. Diſcidio de gradibus conſanguinitatis recte & tranſverſo ordine diſpoſitis.

Octava pars continet de homicidio ſpontaneo & non ſpontaneo, & quod poteſt fieri ſine peccato. De eo, qui quemlibet Clericum occiderit, quid debeat emendare. De eo, qui percuſſerit mulierem in utero habentem, & abortierit, utrum homicidium fecerit, nec ne. De incantationibus, & divinationibus, & diverſo genere magicæ artis. De natura dæmonum. De ſortibus. De obſervatione dierum & menſium. De juramento, quod debeat teneri, nec ne, & quos habeat comites. De omni genere mendacii.

Variæ ſententiæ.

IV. Priorem collectionem, quæ *Decretum* dicitur, Ivonem habere auctorem nemo dubitat. De *Pannormia* vero magna inter criticos vertitur quæſtio. Vincentius Bellovacenſis lib. 25. Specul. Hiſtor. c. 84. poſt notitiam *Decreti Ivonis*, quod volumen *non parvæ quantitatis, nec facile portatile* affirmat, hæc addit: *Hugo Catalaunenſis ex eodem volumine abbreviato libellum portatilem legitur compoſuiſſe, qui & ipſe apud me eſt, &* Summa Decretorum Ivonis *appellatur*. Hinc Sebaſtianus Brandt, qui Pannormiam edidit, primus omnium ſuſpicatus eſt, hanc eſſe potius *Summam decretorum Ivonis* ab Hugone Catalaunenſi ex Decreto Ivonis excerptam, quam ipſius Ivonis opus. Joannes Molinæus in editione Decreti eamdem ſententiam arripuit ac propugnavit; ac ſubinde hos ſequuti ſunt Correctores Romani, & P. Antonius Pagius. Alii vero cum Stephano Baluzio in præfatione ad dialogos Antonii Auguſtini de emendatione Gratiani non minus Pannormiam, quam Decretum Ivoni adjudicarunt; cenſentque eum prius lucubraſſe Pannormiam, deinde vero cum eam legentibus probari vidiſſet, ad auctiorem collectionem concinnandam animum appuliſſe, & utrique operi eumdem prologum aptaſſe.

Quid probabilius credatur.

V. Quid nobis inter has ſententias probabilius videatur, paucis explicabimus. Certum eſt primo collectionem aliquam canonum Ivoni adſcribi oportere. Non ſolum enim id affirmat Sigebertus, qui Ivoni coævus fuit, ſcribens in libro de Script. Eccleſ. c. 168. *Ivo Carnotenſis Epiſcopus compoſuit inſigne volumen canonum*; & ſimiliter Anonymus Mellicenſis, qui paullo poſt Ivonem vixit, de Script. Eccl. c. 95. *Ivo Carnotenſis Epiſcopus ſcribit inter alia nonnulla, Excerpta de Canonibus*: verum etiam ipſe Ivo in epiſt. 262. ad Pontium Abbatem Monaſterii Cluniacenſis teſtatur, *Collectiones canonum*, inquiens, *quas a me poſtulaſtis, & opuſcula mea, quæ his addi voluiſtis, tranſmiſi vobis*: quibus verbis collectionem a ſe digeſtam ſignificare videtur. Erunt fortaſſis qui ex hoc teſtimonio colligant, utramque collectionem, nempe tum Pannormiam, tum Decretum Ivoni adjudicari, quippe qui *collectiones* plurali numero ſcripſit, non *collectionem*. At idem Ivo in epiſt. 80. plurali item numero ait: *In collectionibus Burchardi Wormatienſis Epiſcopi*; cum tamen unica ſit Burchardi collectio. Neque vero pro excludendis duabus Ivonis collectionibus ſatis efficaces ſunt Sigeberti, Roberti de Monte, & aliorum Scriptorum textus, qui unius voluminis meminerunt. Unam enim collectionem *Pannormia* inſcriptam, cujus frequentiora ſunt exemplaria, fortaſſis viderunt, non vero alteram, ſeu *Decretum*, cujus quidem rariores codices inveniuntur.

Quid ſit Summa decretorum Ivonis.

VI. Secundo certum eſt Pannormiam non eſſe illam *Summam decretorum Ivonis*, quam Hugo Catalaunenſis compoſuiſſe traditur: tum quia Pannormia ob partitionem atque diſtributionem a Decreto diverſam, a forma compendii ejuſdem Decreti abeſt quam longiſſime; tum quia continet nonnulla quæ in Decreto fruſtra requires; tum etiam quia nullibi in vetuſtis codicibus *Summa decretorum*, ſed *Pannormia*, aut *Excerptiones Ivonis* inſcribitur. Hinc *Summa* ab Hugone digeſta, & memorata a Vincentio Bellovacenſi, alia fuit, quæ injuria temporum intercidit. Ne autem Pannormia adjudicetur Ivoni, difficultatem movebunt quædam decreta in fine partis ultimæ deſcripta ex Innocentio II. qui poſt Ivonem Pontifex fuit. Verum hæc difficultas ex vetuſtis Pannormiæ codicibus ſublata eſt, in quibus cum eo Innocentii II. decreta non legantur, eadem in aliquibus exemplaribus poſteriori additamento acceſſiſſe perſpiciuntur.

Codices Decreti.

VII. Ex codicibus autem res dijudicanda videtur. Decreti codices pauci. Tres tantum hactenus nobis innotuerunt, unus ex quo prima editio prodiit; alter Victorinus a pluribus laudatus, ad quem ſecunda editio Pariſienſis exacta fuit; tertius Vaticanus 1357. ſæculi XII. quem ipſi vidimus. Hi omnes præfationem exhibent; ſed Vaticanus ſine auctoris nomine hunc titulum præfert: *Incipit liber excerptionum, ſive excerptarum eccleſiaſticarum rerum partim ex epiſtolis Romanorum Pontificum, partim ex geſtis Conciliorum, catholicorum Epiſcoporum, & Regum; & continet XVII. partes*: Victorinus autem eam præfationem non initio, ſed in fine ipſius codicis manu recentiori additam repræſentat hac inſcriptione: *Liber canonum ſupraſcriptus decreta Joviniani, quem compoſuit Ivo quondam Carnotenſis Epiſcopus; & continet XVII. partes principales*; uti diſcimus ex Baluzio in præfatione ad Auguſtini dialogos num. 25. Plura vero ſunt exemplaria Pannormiæ. Unum tantum laudatum ab Antonio Auguſtino cum epigraphe *Liber ſacrorum canonum*, præfationem ac Ivonis nomen ignorat. Ceteri præfationem vel titulum cum Ivonis nomine præferunt. Baluzius Victorinum antiquiſſimum, & tres S. Albini Andegavenſis laudat. Franciſcus Salmon in tractatu gallice ſcripto de ſtudio Conciliorum part. 2. c. 1. pag. 269. edit. an. 1726. manuſcriptum exemplar Eccleſiæ Pariſienſis F. 4. commemorat. Nos præter unum exemplar S. Benedicti Padilironenſis mutilum, tria alia cum præfatione nacti ſumus, unum Baſilicæ Vaticanæ 19. G aliud Vat. 1358. cum peculiari ejuſdem præfationis epigraphe *ad P. Abbatem*, nimirum, ut credimus, ad Pontium Abbatem, ad quem Ivo collectionem ſe miſiſſe profeſſus eſt epiſt. 262. ac tandem codicem Patavinum Monachorum S. Juſtinæ ſignatum YY. V. n. 86. in quo hic titulus legitur: *Ivonis Epiſcopi Carnotenſis Excerptiones eccleſiaſticorum canonum*. Sequitur autem præfatio cum titulis octo partium, in quas Pannormia dividitur. Hic autem codex controverſiam de hujus operis auctore videtur dirimere. Licet enim credatur ſæculi XIV. tranſcriptus tamen fuit ex vetuſtiore exemplo, quod ſtatim poſt Ivonis mortem fuerat exaratum. Catalogum enim ſubjicit Romanorum Pontificum, qui ita deſinit in Gelaſio II. ut annos pontificatus hujus omittat, qui in præcedentibus Pontificibus ſingillatim notantur. Id autem ex eo evenit, quia ille catalogus ſub eodem Gelaſio ſcriptus fuit, cum anni pontificatus ejuſdem ſignari non poterant. Gelaſius II. pontificatum inivit anno 1118. & obiit menſe Januario anni 1119. Ivo autem exceſſerat, ut initio diximus, anno 1115. vel 1117. Illud ergo exemplum, ex quo Patavinus codex deſcriptus eſt, Ivonis ætati ſuppar fuit. Hoc autem tam antiquum teſtimonium, quo Pannormia Ivoni aſſeritur, nobis tanti eſt, ut ſi de alterutro opere dubitandum eſſet, de Decreto potius, quam de Pannormia ambigendum arbitraremur.

Codices Pannormiæ. Judic. de collect. c. 30.

Pannormia Ivoni adjudicata.

Item Decretum.

VIII. Neque idcirco Decretum ab ipſo abjudicandum putamus. Cum enim huic quoque operi eadem Pannormiæ præfatio in veteribus libris addatur, id ea de cauſſa factum fuiſſe credimus, quia antiqui illi amanuenſes hoc quoque ab Ivone lucubratum acceperant. Ivo Pannormiam primo ſcripſiſſe, & cum præfatione edidiſſe videtur. Hinc plura ejuſdem Pannormiæ exemplaria ſtatim conſcripta & propagata. Poſtea vero prolixiorem collectionem digeſſit, ſed fortaſſis ipſe non edidit. Hinc ſine proprio prologo poſt ejus mortem inventa, eidemque in rarioribus, quæ ſcripta fuerunt, exemplaribus prologus ex Pannormia additus fuit, qui proinde in Victorino antiquiſſimo exemplo, non in fronte, ſed in fine Decreti velut addititius deſcribitur.

Fontes Ivonis.

IX. Præcipuus fons, ex quo Ivo canones derivavit, fuit collectio Iſidoriana. Uſus eſt etiam aliquando Reginonis compilatione, ex qua inter cetera, exemplaria litterarum formatarum ab eo relata lib. 5.

n. 437. 438. & 439. de verbo ad verbum tranſtuliſt in Decretum part. 6. c. 433. 434. & 435. Pleraque vero ex Burchardo ſumſit. Alia non pauca & ipſe inſeruit, uti ſunt ex. gr. quæ parte ſecunda Decreti deſcribuntur adverſus Berengarii errores, & quæ part. 16. referuntur ex Jure Romano & ex Capitularibus Regum Francorum.

CAPUT XVII.

De MS. collectione Gregorii Presbyteri, quæ Polycarpus *inſcribitur*.

I. COllectio, quæ *Polycarpi* titulo allegari ſolet, innotuit poſtquam eam Romani Correctores Gratiani in præfatione & in notis laudarunt. Continetur in MS. Vat. 1354. Auctor ejus Gregorius Presbyter ex epiſtola nuncupatoria cognoſcitur, qui eamdem *Polycarpi* nomine inſcripſit. Oudinus cenſuit auctorem eſſe celebrem illum Gregorium, qui poſtea fuit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis. Fallitur. Hic enim Cardinalis Gregorio VII. Pontifice floruit, e vivis autem exceſſit ſub Urbano II. Auctor vero collectionis cum libro tertio tit. 9. laudet decretum Calixti II. qui pontificatum iniit anno 1119. a laudato Gregorio Sabinenſi diverſus eſt. Hunc quidem Presbyterum fuiſſe Romanum, non tam ex epigraphe manuſcripti Colbertini ab Oudino relata colligitur, quam ex documentis, quæ apud ipſum pleniora, ſeu integriora quandoque invenimus quam apud Anſelmum & Deuſdedit; adeo ut ex Romanis ſcriniis eadem derivarit.

tom. 2. de Script. Eccl. col. 764.

Tempus collectionis.

II. Tempus autem ex epiſtola nuncupatoria conſtituere licet. Ea inſcripta eſt *D. Sancti Jacobi Eccleſiæ pontificali infula digne decorato*. Quis autem ſit iſte Epiſcopus Eccleſiæ S. Jacobi, ideſt Compoſtellanus, cujus nomen incipit a littera *D*, inquirendum eſt. Duo ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopi ſub initium ſæculi XI. inveniuntur, Dalmachius, & Didacus. Primo hæc nuncupatoria non competit; quippe qui jam obierat anno 1103. vel 1104. quo Didacus ejus ſucceſſor epiſtolam a Paſchali II. accepit, quæ legitur tom. 12. Concil. Venetæ edit. col. 987. Gregorii autem collectio ex memorato Calixti II. decreto ante annum 1119. collocari nequit. Igitur ſoli Didaco Dalmachii ſucceſſori eadem nuncupatoria convenit. Duo documenta Cardinalis de Aguirre vulgavit, in quibus hujus Didaci fit mentio. Unum eſt privilegium Adelphonſi Hiſpaniæ Regis ſubnexum Concilio Lateranino anni 1129. quo idem Rex dono dedit *Didaco Dei gratia Compoſtellanæ Sedis Archiepiſcopo* omnia regalia ad Emeritenſem olim archiepiſcopalem Eccleſiam pertinentia, quippe quod Emerita eo tempore a Saracenis occupata, Calixtus II. Archiepiſcopatum Emeritenſem *meritis & reverentia beatiſſimi Jacobi Apoſtoli in Compoſtellanam Eccleſiam* tranſtulerat. Alterum documentum eſt Synodus Ovetenſis, cui ſubſcriptus legitur *Didacus Jacobenſis Archiepiſcopus*. Hæc Synodus in vulgatis affigitur anno 1115. Sed cum Emeritenſis Archiepiſcopatus (ſi Adelphonſi privilegium genuinum ſit) Compoſtellam translatus fuerit a Calixto II. qui Pontifex creatus fuit an. 1119. ea Synodus, in qua Didacus Jacobenſis, ſeu Compoſtellanus Archiepiſcopus vocatur, poſt annum 1119. habita dicenda eſt. Forte annus 1115. errore librariorum ſcriptus fuit pro anno 1125. Porro duos Didacos I. & II. Compoſtellanam Eccleſiam rexiſſe deteximus ex MS. duodecimi ſæculi. Hujus apographum conſervatur apud Comitem Joſephum Garampium Canonicum Baſilicæ S. Petri, & archivo Vaticano præfectum, qui nobis hæc de iiſdem Didacis communicavit. Memoratum exemplum, Eccleſiæ S. Jacobi de Compoſtella deſcriptionem exhibet. In hac ea Eccleſia incepta dicitur *ſub Epiſcopo Didaco I. & ſtrenuiſſimo milite, & generoſo viro in æra MCXVI.* ideſt anno Chriſti 1078. Porro ubi deſcribitur tabula argentea opere anaglyptico ornata, proferuntur hi verſus in ea inſculpti, in quibus Didacus II. laudatur.

tom. 12. Concil. Ven. edit. col. 1402.

Ibi col. 1219. Ovetenſis Concilii tempus emendatur.

Duo Didaci Epiſcopi Compoſtellani.

Hanc tabulam Didacus Præſul Jacobita ſecundus
Tempore quinquenii fecit Epiſcopii.
Rex erat Alfonſus, gener ejus Dux Raimundus,
Præſul præfatus quando peregit opus.

Huic ſecundo Didaco Gregorii collectio convenit, qui poſtquam archiepiſcopalem dignitatem S. Jacobi cauſſa obtinuit, in Concilio Ovetenſi *Jacobenſis Archiepiſcopus* vocatus fuit, in his verſibus *Præſul Jacobita*, & in nuncupatoria præſentis collectionis *S. Jacobi Eccleſiæ pontificali infula decoratus*. Forte poſt hanc dignitatis acceſſionem ſub Calixto II. Gregorius Presbyter Romanus Didaci ipſius hortatu collectionem lucubravit, eidemque ipſam direxit.

III. Laudatus Oudinus duos MSS. codices Colbertinos laudat ſignatos 696. & 4047. & quatuor tantum libros commemorat. At codex Vaticanus collectionem in octo libros diſtinctam exhibet: ſingulos vero libros dividit in plures titulos, qui plura item decreta ac teſtimonia comprehendunt; ac propterea non ita exiguum eſt opus, ut multi poſt Antonium Auguſtinum ſuſpicati ſunt. Epiſtolam nuncupatoriam, & librorum titulos ex Vaticano codice heic proferimus.

„ (1) D. D. Sancti Jacobi Eccleſiæ pontificali infula digne decorato Gregorius Presbyterorum humillimus ſalutem.

„ Petiſtis jam dudum & hoc ſæpe, ut opus arduum ac ſupra vires meas aggrederer, librum canonum ſcilicet, ex Romanorum Pontificum decretis, aliorumque ſanctorum Patrum auctoritatibus, atque diverſis authenticis Conciliis utiliora ſumens, ſeriatim componerem. Id vero non idcirco a me inſcio placuit requirere, ut aut veſtra ſapientia huic labori ut quam multo graviori non ſufficeret, aut plures ad id magis idoneos ac prudentiores voluntarie obſecundari præceptioni ſuæ non habeat; ſed ut in hoc magno diu exercitatus, ad aliorum majorum... inſtructior & paratior efficerer: ſeu etiam ſi in aliquo parvitas ingenii mei deficeret, prudentia veſtra mihi magiſtra & auxiliatrix manus extenderet. Cujus inquiſitio etſi acre ingenium expeteret, & meis viribus minime conveniret; & ne temerarium a quibuſdam judicaretur, timerem; tamen ne tantum ac talem virum recuſatione offenderem, acquievi; ac tandem hac maxime fiducia, ut veſtra auctoritate interpoſita, a detrahentium morſibus defenderer, veſtræ juſſioni parui. Sicut enim olim in Eccleſia & quotidie negotiis negotia varie ſuccedunt, atque multarum cauſſarum pro temporis eventu actiones ſuccreſcunt; ſic ſub titulis unicuique congruentia capitula, auctorum tempore perſpecto plurima connexui, & octo librorum diſtinctionibus volumini compendioſe finem impoſui. Cui pro ratione compoſitionis, a vobis auctoritate ſumta, *Polycarpi* nomen convenienter indidi. Quod veſtram obnixe deprecor induſtriam, ut compoſitionem perſpiciat, atque perſpiciendo ſi quid deeſſe, aut ſi quid magis quam deceat (ineſſe) cognoverit, cauta conſideratione quod decens eſt compleat, & quod indecens eſt removeat. Approbandus vero ad laudem veſtram & ad obedientiam veſtræ juſſionis augendam moderatione habita comprobor. Præterea ne per libri ſeriem lectorem res induſtincta turbaret, hujus operis titulos præponere placuit, ut ſuis locis colligere poſſit quod ſub numero competenti prædictum eſſe cognoſcit.

IV. Libro primo agit de primatu Romanæ Eccleſiæ, & privilegiis ejus tit. 27.

Libro ſecundo de Prælatorum electione, ordinatione, pallio, & de aliorum Clericorum ordinibus tit. 38.

Libro tertio de Eccleſiis, Monaſteriis, decimis, oblationibus, de celebratione officiorum, jure Eccleſiarum, & Monaſteriorum: de Corpore Chriſti, ejuſque cuſtodia: de baptiſmo, & impoſitione manus, de ritibus, de divinis Scripturis, de celebratione Paſ-

(1) Oudinus loco laudato ex MSS. codd. quos laudat, Colbertinis, titulum, qui in Vaticano deeſt, & nuncupatoriæ initium producit his verbis: *Prologus Gregorii S. Romanæ Eccleſiæ ſuper exceptum de Romanorum Pontificum & aliorum Sanctorum auctoritatibus. Dilecto Domino D. Sancti Jacobi Eccleſiæ &c.*

Digitized by Google

Paſchæ, de prædicatione, conſuetudinibus, jejuniis &c. tit. 30.

Libro quarto qualiter lex Dei ſit legenda, & du officiis Epiſcoporum: de Chorepiſcopis, de Abbatibus, de Monachis, de monialibus, de diaconiſſis, de viduis, de Clericorum reatibus tit. 40.

Libro quinto de judiciis tit. 8.

Libro ſexto de Imperatoribus, Principibus, & reliquis Laicis: de conjugiis & matrimonio, ac de delictis variis: de pœnitentia & pœnitentibus: de juſta miſericordia: de bono obedientiæ: ne Chriſtiani temere ſe exponant periculis tit. 23.

Libro ſeptimo de excommunicatione, de poteſtate ligandi, de unitate Eccleſiæ, de ſchiſmate, de hæreticis & ſchiſmaticis, de vindicta &c. tit. 16.

Libro octavo de infirmis, de morte & purgatorio, de ſepultura & oblationibus pro defunctis, de immortalitate animæ, de tormentis malorum, de receptione animarum juſtorum in cælum ante reſurrectionem corporum tit. 10.

CAPUT XVIII.

De aliis manuſcriptis nondum editis collectionibus.

I. Concludemus hunc tractatum brevi recenſione aliquot collectionum, quæ in bibliothecis latentes vel a nobis inventæ ſunt, vel ab aliis indicatæ fuerunt. Pleræque digeſtæ ſunt ſæculo undecimo, quo ſtudium ſacrorum canonum effervesſcere ac latius propagari cœpit. Licet vero omnes ex iiſdem fontibus derivatæ, & fere etiam apocryphis plus minus infartæ in pleriſque reipſa conveniant; cum tamen librorum, aut partium diviſione maxime diſcrepent, non inutilis futura eſt brevis earum notitia.

II. Primum memoranda eſt peculiaris collectio, quæ exſtat in MS. Vat. Reginæ 973. Id autem proprium habere viſa eſt, quod cum ceteræ collectiones, quæ per loca communia in titulos dividuntur, textus cuique titulo congruentes indiſcriminatim ſubjiciant ex Decretalibus atque Conciliis, ſive etiam ex Patribus, ex Capitularibus, atque legibus Romanis; hæc ſeparatim Pontificum, Conciliorum, Patrum, ac legum textus ſub propriis cujuſque titulis profert. Poſt brevem ſcilicet præfationem, quæ incipit: *Quoniam quorundam Romanorum decreta Pontificum* &c. deſcribit primo ſelecta Pontificum decreta inchoans ab apocryphis Clementis, Anacleti, Evariſti &c. ac ordine chronologico ceterorum decreta producit uſque ad Nicolaum I. Joannem VIII. Alexandrum II. & Urbanum II. ex quo hæc collectio undecimo ſæculo concinnata cognoſcitur. Omnia vero cujuſque Pontificis decreta in titulos diſtributa ſimul coeunt, nec cum decretis aliorum Pontificum immiſcentur, ſed poſt decreta Clementis in titulos diſtincta, alia titulorum diſtributione ſubduntur decreta Anacleti, & ſimiliter de reliquis Pontificibus. Poſt decreta Pontificum eadem ratione in titulos diſtributi ſubjiciuntur canones cujuſque Concilii. Exordium ſumitur a Nicænis: concluditur autem cum canonibus Concilii Hiſpalenſis II. in quibus auctor Iſidorianæ collectionis ordinem ſequutus eſt. Dein teſtimonia producuntur ex dictis Patrum, in quibus (raro tamen) quidam canones Conciliorum immiſcentur, nec non ex Capitularibus, ex Novellis, atque Theodoſiano Codice.

III. MS. exemplum Vat. 3832. ſæculi XI. vel XII. poſt nonnulla integra, vel in partes ſecta documenta ex Pſeudoiſidoro excerpta collectionem profert in duos libros diſtinctam, quorum primus continet capitula ſive titulos 360. ſecundus vero fere totidem, qui tamen non ſignantur numero niſi uſque ad titulum 54. Primum caput libri primi inſcribitur *De primatu Romanæ Eccleſiæ*, & incipit: *Si difficile & ambiguum* &c. quod caput ex hac collectione fortaſſis exceptum, cum ſeparatim inventum fuerit a Joanne Wendelſtino, uti nos quoque illud ſeparatim nacti ſumus in MS. Vat. 4977. & in alio apud Eminentiſſimum Paſſioneum; ab eodem editum fuit cum Hadriana collectione Moguntiæ anno 1525. & exinde inſertum legitur tom. 1. Conciliorum edit. Ven. col. 65. Alia capitula agunt de Monaſteriis, de judiciis, de matrimonio, de perjuriis, de Clericis, de ordinibus &c. Scatet undique documentis ſuppoſititiis. Decretum Gelaſio inſcriptum de libris recipiendis, vel non recipiendis interpolatum producit, de quo dictum eſt part. 2. c. 11. §. 5. Profert ordinem ad dandam pœnitentiam, cujus initium eſt: *Presbyteri admonere debent plebem ſibi ſubjectam* &c. uti apud Burchardum legitur lib. 19. c. 2. & ſeqq. In fine additur epiſtola Urbani Papæ ad Gibeardum Conſtantienſem Epiſcopum data XIV. Kal. Maji anno 1089. quæ edita eſt tom. 12. Concil. col. 737. Hinc collectionis tempus colligi poteſt.

IV. Codex Vat. 1339. ſæculi XI. collectionem canonum complectitur diſtributam in libros quinque, cui hic titulus majuſculis litteris ſcriptus præfigitur pag. 15. *In Chriſti nomine incipit liber canonum ex multis ſententiis Patrumque dictis deſloratus, in quo conſtant remedia animarum ex diverſis Doctoribus compta pro omnibus, qui in innumerabilibus caſibus lapſi ſunt. Omnia, dilectiſſimi fratres, quæ ad utilitatem animarum pertinent, in hoc valebitis reperire volumine, quod aiſi partibus, qui in his diviſas refulget* (legendum videtur *quod ſi partibus quinque diviſum refulget*) *non temeritatis cauſſa, ſed caritatis remedioque languentium profecto hic congeſtus eſt liber: unde ſi lector prudens perſcrutari curaverit, de cunctis vitiis dignam in eo inveniet medicinam.* In præfatiuncula, quæ ſubſequitur, hæc collectio *Manuale* vocatur, eaque congeſta dicitur *pro amore cujuſdam Luponis Sacerdotis valde amabilis*. Liber primus diviſus in capita 164. inſcribitur: *De gradibus & nominibus, de miniſteriis ac meritis, de qualitate vel ordinatione Clericorum*. Secundus diſtributus in capita 178. *De Primatibus Eccleſiæ, & de Concilii temporibus, de vita & caſtitate Clericorum, præcipue de prohibitione conſortii cum mulieribus, & de feminis, quæ in fornicatione cum Clericis deprehenſæ ſunt*. Tertius diſtinctus in capita 271. *De baptiſmo, & chriſmate, atque de die dominico, ac feſtivitatibus Sanctorum*. Hæc in titulo hujus libri tertii. At ex tabula capitulorum addendum eſt: *De decimis & redditibus Eccleſiæ, earumque diviſione, de oblationibus vivorum & defunctorum: de tribus generibus eunuchorum, de tonſura, de miniſterio altaris, de horis canonicis, de excommunicatione, de ſepultura, de Euchariſtia, qualiter accipienda ac veneranda ſit: de ſortibus & auguriis, de ducatu barbarorum, de beſtiis immitibus, de origine ſervorum*. Liber quartus diſſectus in cap. 444. hoc titulo prænotatur: *De utilitate pœnitentiæ & gratia communionis etiam in ultimis poſitis, & de aliis cauſſis Chriſtianitatis obtentis*. De variis autem criminibus & de operibus ſatisfactoriis late diſſeritur. Liber quintus in cap. 240. *De legitimis conjugiis, & de raptoribus, & plurimis nuptiis, atque de concubinis*. Cuique libro præmittitur tabula capitulorum hac epigraphe: *Incipiunt capitula*. Tabula autem libri quinti ſic inſcribitur: *Incipit Breviarium*; ex quibus patet *Breviarium* & *Capitula* promiſcue uſurpari. Teſtimonia proferuntur ex Scriptura, ex Conciliis, & epiſtolis Romanorum Pontificum tum ſinceris, tum apocryphis, ex SS. Patribus, ac potiſſimum ex S. Iſidoro Hiſpalenſi, & quædam etiam ex Capitularibus ac legibus Juſtinianeis. Conciliorum & Pontificum decreta ſuppedita unt præcipue collectiones Hadriana & Iſidoriana. Quædam etiam ex collectione Hibernenſi videntur excerpta.

Capitula & Breviarium promiſcue accepta.

V. Aliam collectionem in ſeptem libros diſtinctam exhibet codex Vat. 1346. Hujus ætas cognoſcitur ex præmiſſo catalogo ſummorum Pontificum, qui prima manu ita deſinit in Paſchali II. ut dies obitus ejus eadem manu omiſſus, poſteriori manu notatus fuerit; & dein alio caractere additi alii ſubſequentes Pontifices uſque ad Alexandrum III. Hæc itaque collectio lucubrata fuit ineunte ſæculo XII. ſub Paſchali II. cujus quidem epiſtola 88. ad milites & oppidanos de S. Geminiano ante ipſam collectionem deſcribitur. En ſingulorum librorum titulos. Liber primus de rebus ad Romanos Pontifices, & Romanam Eccleſiam pertinentibus. Secundus de Epiſcopis. Tertius de Clericis. Quartus de

tom. 12. Conc. col. 1038.

variis

variis rebus ad Clericos pertinentibus. Quintus de Sacramento baptiſmi, & de his ad baptiſma pertinentibus, nec non de Monachis & Monaſteriis. Sextos varia de laicis. Septimus de peccatis & pœnitentia &c.

VI. Codex Vat. 1349. ſæculi IX. vel X. collectionem in libros novem diſtributam continet. Ea caractere perdifficili ſcripta eſt, nec ob anguſtias temporis licuit niſi ſolos librorum titulos exſcribere, quos heic exhibemus. Liber primus *de ordine Clericorum, vel ordinatione*. Secundus *de Conciliorum celebratione vel Synodorum*. Tertius *de miniſteriis eccleſiaſticis*. Quartus *de Monachis, vel Monialibus*. Quintus *de gratia baptizandorum, vel de Chriſtianitate*. Sextus *de gratiſſima canonum collectione*: qui titulus ad epigraphen collectionis Hibernenſis refertur; ex qua heic quoque exſcripta leguntur illa: *Quæ Scripturarum teſtimoniis & Sanctorum dictis roborata: ubi ſi quidpiam diſcordare videatur, illud* (ex) *eis eligendum eſt, quod maioris auctoritatis eſſe decernitur*. Confer ſupra cap. 7. §. 1. num. 2. Septimus *de homicidiis & ſceleribus, & vindictis eorum; de coniugationibus licitis, vel illicitis; de adulteriis & fornicatione, de furto, & de ieiuniis, & orationibus*. Octavus *de utilitate pœnitentiæ*. Nonus *de judicio pœnitentium*. Afferuntur textus non ſolum ex Conciliis, & decretis Pontificum, verum etiam ex Scripturis, & Patribus, ac ex Juſtiniano. Plura aliis, qui commodius poterunt, in hac collectione, quæ multum vetuſta eſt, expendenda relinquimus.

VII. Collectio in duodecim libros diſtincta legitur in MS. Vat. Palat. 584.

Liber I. De Pontifice, Primatibus, Metropolitanis &c. c. 187.

II. De ſacris ordinibus c. 188.

III. De vita Clericorum, de Monachis & Laicis c. 220.

IV. De Eccleſiis & celebratione Miſſarum, de oblationibus & decimis, de ſepulturis, & de libris in Eccleſia legendis c. 241.

V. De Sacramentis, eorumque perceptione, & obſervatione c. 198.

VI. De feſtis & diverſorum temporum jejuniis c. 82.

VII. De homicidiis c. 99.

VIII. De coniugiis, & de variis criminibus in materia carnis c. 183.

IX. De Synodo & judiciis eccleſiaſticis c. 184.

X. De Regibus, & Principibus, de Comitibus, judicibus, teſtibus, & de variis delictis, & de criminoſis hominibus c. 179.

XI. De vitiis principalibus eorumque remediis, de pœnitentia & reconciliatione infirmorum c. 177.

XII. De virtutibus & qualitate hominis creati, de prædeſtinatione, de mortis origine, de animabus poſt mortem, de igne purgatorio, de igne æterno, de Antichriſto, de die judicii, de pœna malorum & gloria juſtorum c. 116.

Non pauca ex apocryphis inſerta præfert.

VIII. Rariora teſtimonia ex ſuppoſititiis documentis occurrunt in MS. collectione conſervata apud Cardinalem Paſſioneum, quæ libris tredecim digeſta fuit. Deeſt liber primus. Secundus vero initio mutilus deſinit in cap. 56. Tertius inſcribitor, *De multimodis cauſſis* c. 61. Quartus, *De baptiſmo & chriſmate, de die dominico & feſtivitatibus Sanctorum, & de infirmis, ſeu de decimis, & de oblationibus fidelium* cap. 38. Quintus, *De taciturnitate, & Clericis negotiatoribus, aut arma bajulantibus, atque venationem exercentibus* cap. 13. Sextus, *De homicidiis* c. 58. Septimus, *De veritate & falſitate, hoc eſt, de falſis teſtibus* c. 47. Octavus, *De juramento & perjuriis* c. 15. Nonus, *Quod oportet omnibus Chriſtianis ex corde inimicis dimittere* c. 18. Decimus, *De abſtinentia a carne & vino, de morticino & ſuffocato, de his qui immunda comedunt, & de negligentia ſacrificiorum* c. 27. Undecimus, *De canonicis horis, & de Euchariſtia, & de excommunicatione, de ſepultura, & de ſortibus, divinationibus, & ſortilegiis* c. 51. Duodecimus, *De utilitate pœnitentiæ* c. 75. Decimus tertius, *De Epiſcopis ordinandis, & Abbatibus, & Presbyteris, & aliis ordinibus eccleſiaſticis, & de ſervis eccleſiaſticorum* c. 135. Hæc de collectionibus manuſcriptis, quas nos ipſi reperimus.

IX. Nunc de iis, quarum alii mentionem fecerunt. Gerhardus Von Maſtricht in Hiſtoria Juris Eccleſiaſtici num. 413. collectionem laudat deſcriptam in membranaceo ſuæ bibliothecæ codice, ac in tres libros diſtinctam. In primo libro ſunt tituli 45. in ſecundo tit. 56. in tertio tit. 46. ille vero prioris tantum libri titulos retolit. Notat porro præter complura fragmenta e ſuppoſititiis epiſtolis priſcorum Romanæ Sedis Antiſtitum, inter ea, quæ ex ſinceris aliorum Pontificum litteris proferuntur, legi aliquot decreta Agathonis, Nicolai, & Adriani II. cuius ſanctiones ordine non interrupto inſeruntur libro ſecundo. Si recentiora hujus collectionis decreta ſunt illa Adriani II. eadem collectio ſub finem noni ſæculi, vel ſaltem ante undecimum concinnari potuit. Idem Scriptor hanc notationem in fine libri tertii exaratum recitat. *Si quis in his libris, quos de corpore canonum excerpſimus, aliquid invenit, quæ* (ita codex) *aut deſpicienda judicat, ignoſcat paupertati ſenſus noſtri. Nos tamen deputamus plurimorum ſententiam ſingulorum ſumtionibus præferendam* &c. Hæc ab imperito collectore perperam excerpta deteximus ex poſtremis periodis præfationis collectionis Acherianæ, de qua egimus cap. 8. ubi congroentius & emendatius legitur: *In quibus* (libris) *ſi quiſquam aliquid invenit de talibus Conciliis, quæ aut deſpicienda, aut non recipienda judicat, ignoſcat paupertati ſenſus noſtri. Nisi tamen dignum putamus, plurimorum ſententiam ſingulorum ſuſpicionibus præferendam; & in quibuſcumque rebus generalium Conciliorum auctoritatem non habemus, magis earum Synodorum, quæ per ſingulas provincias factæ ſunt, quam proprium noſtrum ſequendum ſenſum.*

Synodorum provinc. auctoritas

Collectio Tarraconenſis, ſeu Populeti.

X. Antonius Auguſtinus in ſuis operibus duas collectiones ſæpe commemorat, quarum alteram Tarraconenſem vocat, alteram Cæſarauguſtanam. Tarraconenſis in ſex libros diſtributa eſt, de qua hæc refert Antonius Auguſtinus Soc. Jeſu in Appendice ad Antonii Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis judicium de quibuſdam veteribus canonum eccleſiaſticorum collectoribus c. 33. *Tarraconenſis, quam alias Populeti nominat Archiepiſcopus, ex inſigni Monaſterio Ciſtercienſium Monachorum regio, duodecim millibus Tarracone diſtanti, quod vulgo* Populeti, *ſive* Poblete *dicitur, dono data ei fuit: & quia auctoris nomine carebat, hæc ex diœceſi Tarraconenſi ab eo nominatur*. Notat porro recentiora hujus collectionis documenta eſſe decreta Gregorii VII. Hanc Correctores Romani aliquando adhiboerant, & in indice librorom vocant quidem *collectionem decretorum Romanorum Pontificum ab Auguſtino Archiepiſcopo Tarraconenſi*; in notis autem quandoque nominant *antiquum codicem Monaſterii Populeti*.

Cæſarauguſtana collectio.

XI. De Cæſarauguſtana vero collectione ipſe Archiepiſcopus Antooius Auguſtinus dialogo 5. de emendatione Gratiani affirmat, eam ad ſe miſſam fuiſſe ex Monaſterio Carthuſianorum Cæſarauguſtano, quo pervenerat poſt obitum Hieronymi Zuritæ regii Hiſtorici. In quindecim libros diviſa eſt; & cum poſt Urbanum II. reliquorum Pontificum non meminerit, eo tempore ſcripta creditur. Hujus apographum nacti ſumus in MS. Barberino 2864. in cujus fronte hic titulus legitur: *Liber Cæſarauguſtanus Aulæ Dei Hieronymi Zuritæ*. Alium codicem Vat. 4976. cartaceum hujus collectionis invenimus, ſed in fine mutilum, quippe qui novem tantum libros integros continet, & decimum abrumpit capite 47. Titulos & capita ſingolorum librorum indicare ſufficiet.

Liber I. *De ratione & auctoritate, & quæ cui ſit præponenda* c. 64.

II. *De Romanæ Eccleſiæ privilegiis* cap. 74. al. 79.

III. *De Metropolitanis & Epiſcopis* cap. 72. al. 74.

IV. *De variis delictis & officiis Epiſcoporum & Clericorum* c. 103. al. 122.

V. *De judiciis eccleſiaſticis* c. 94. al. 97.

VI. *De*

VI. *De jurejurando & perjurio* c. 30.

VII. *De ſacrilegiis, & de privilegiis Eccleſiarum* &c. c. 111. al. 115.

VIII. *De vita Clericorum, & nominis interpretatione* c. 106. al. 159.

IX. *De vita & officio Monachorum* c. 69.

X. *De nuptiis, & virginibus* c. 141. al. 143.

Hactenus librorum titulos exhibuimus ex codice Vaticano, qui illos præfert. In ſequentibus autem libris, qui in eo codice deſunt, ſolos titulos primi capitis cujuſque libri dabimus ex apographo Barberino, quod generalibus librorum titulis caret.

XI. *Quod ſacrificium altaris verum corpus Chriſti ſit* c. 28. Id impetit Berengarii errorem medio ſæculo XI. excitatum.

XII. *Qualiter rudes prædicari debeant* c. 96.

XIII. *Quod in unica catholica Eccleſia vera Chriſti hoſtia immoletur* c. 55.

XIV. *De hæreticis & ſchiſmaticis, & quid diſtet hæreſis a ſchiſmate* c. 49.

XV. *De damnatione Conſtantini, & reordinatione eorum, qui ab ipſo fuerunt ordinati* c. 81.

XII. Duas alias manuſcriptas collectiones paſſim laudant, & ex illis canones quoſdam & decreta Pontificum referunt Conciliorum editores. Unam deſignant hac formula *Ex codice librorum quinque*, quia in libros totidem dividebatur. Alteram *Ex codice librorum ſexdecim*, propterea quod ſexdecim libros complecteretur. Iidem vero editores ea fragmenta ex ipſis codicibus referunt, quæ in vulgatis Conciliis atque epiſtolis Romanorum Pontificum non invenientes, inedita putaverunt. Verum accuratiori ſtudio deprehenſum eſt, ea fere omnia ſimiliter allegari in collectione Burchardi, qui Capitularium & aliorum poſterioris ævi Scriptorum ſententiis veterum Pontificum & Conciliorum nomina inſcripſit, ut cap. 12. n. 5. monuimus. Hinc non nemo ſuſpicatus eſt has collectiones eſſe portiones Burchardi. At non ſolum librorum numerus ac tituli, ſed ipſorum etiam canonum ordo, & quæ allegantur capitula cum Burchardi collectione nequaquam congruunt. Illud autem colligi tute poteſt, earum collectionum compilatores plura ſumſiſſe ex Burchardo, ſive ex alia poſteriori collectione, quæ e Burchardo permulta receperat.

XIII. Romani Correctores Gratiani in indice librorum, quibus uſi ſunt, laudant MS. *collectionem canonum pœnitentialium incerti auctoris ex bibliotheca Michaelis Thomaſii Epiſcopi Ilerdenſis*. Hanc Antonius Auguſtinus ex eadem bibliotheca typis impreſſit Tarracone an. 1582. Licet autem illam ſine ſcriptoris aut libri inſcriptione repererit; *Pœnitentiale Romanum* nihilominus appellavit, quod ex urbe Roma in ejus manus pervenerit. Continet hæc collectio titulos 9. ſinguli autem tituli in plura capitula diſtinguuntur. Cum laudentur decreta non tam Gregorii VII. & Urbani minoris, quam Calixti & Innocentii II. hæc collectio ſæculo XII. ſcripta perſpicitur. Ejuſdem rationis eſt ac præcedentes, atque ex iiſdem fontibus hauſta.

Hildeberti Cenoman. collectio.

XIV. Unum in fine hujus capitis non eſt omittendum. Hildebertus Cenomanenſis, poſtea Turonenſis Epiſcopus, in epiſtola ad Nemoſienſem Epiſcopum ſcripta exeunte anno 1128, vel ineunte anno 1129. de collectione canonum, cui dabat operam, ſic loquitur. *Exceptiones autem decretorum, quas in unum volumen ordinare diſpoſuimus, ad ſummam nondum perductæ ſunt. Opus enim hoc liberum curis pectus deſiderat, cujus nos Epiſcopus immunes fecit. Horum tamen jam explevimus partem, atque ad id peragendum quod reſtat, Epiſcopum deponemus. Peractum veſtras veniet in manus, nec opus erit, ut pro eo deferendo veſter legatus ad nos uſque fatigetur. Officii noſtri erit, vobis illud per noſtrum deſtinari.* Num hæc collectio, uti ſpoponderat, ad finem perducta & edita fuerit, non liquet. Titulus *Exceptiones decretorum*, quo eam deſignat, in cauſſa fuit, ut nonnulli huic Hildeberto tribuerint *Decretum* Ivonis, cui præmiſſa eſt Ivonis præfatio incipiens a voce *Exceptiones*, quam quidem in fine epiſtolarum Hildeberti editores Benedictini impreſſerunt, uti antea vulgata fuerat hac inſcriptione: *Hildeberti Turonenſis Epiſcopi in ſuas regularum eccleſiaſticarum Exceptiones de multiplici divinorum præceptorum genere*. Ipſi vero editores eam non Hildeberto, ſed Ivoni vindicandam exiſtimant, uti ſane illam Ivoni aſſerunt MSS. exemplaria, de quibus diximus cap. 16. ubi etiam tum Pannormiam, tum Decretum eidem Ivoni adjudicavimus. Alii vero ſuſpicati ſunt, Hildeberti potius eſſe vel Tarraconenſem, vel Cæſarauguſtanam collectionem, adde vel aliam aliquam ex præcedentibus, quæ ſub idem tempus digeſtæ, certum non habent auctorem. Niſi vero aliquid certius occurrat, nihil affirmari poteſt. lib. 2. ep. 27. edit. Pariſ. an. 1708. pag. 124.

XV. Hæ ſunt collectiones, quas ante Gratianum digeſtas explicandas cenſuimus. Illa vero Gratiani ſatis nota & a multis illuſtrata, explicatione non indiget: ac propterea in collectionibus Gratiano anterioribus, ex quibus ipſe fere omnia derivavit, laborem noſtrum concluſimus. Unum vero quantum ad eumdem Gratianum, qui non ex antiquis primigeniis fontibus integra documenta continentibus, ſed ex poſteriorum temporum collectionibus, quæ eadem documenta in partes diſſecta, & in locos communes diſtributa continent, pleraque hauſit, adnotare non inutile fuerit. Cum nimirum hæ collectiones in titulos diſtinctæ, ob methodum faciliorem plurimum afferrent commodi; his paſſim receptis, uſuque frequentiori multiplicatis earum exemplaribus, antiquorum & puriorum fontium amor ac ſtudium ſenſim obſolevit. Harum vero collectionum auctores non ſemper accurati, nec ſemper ex priſcis illis codicibus canones & decreta tranſcripſere. Vidimus quoſdam non ſemper textus integros excerpſiſſe, ſed liberiori licentia alios abbreviatos, alios aliis verbis expreſſos, alios diminutos, alios interpolatos dediſſe. Multa ex ſuppoſititiis paſſim inſerta, & quædam etiam ceteroquin ſincera alienis auctoribus attributa plures notavimus. Vidimus etiam nonnullos ejuſmodi collectores ex vitiatis hujus generis collectionibus fere profeciſſe, & pro emendandis earum erroribus novos in excerpendo errores addidiſſe. Hinc autem detectis fontibus, e quibus fere omnia menda Gratiani profecta ſunt, quantum noſter hic labor, quo de iiſdem fontibus, ſeu collectionibus diſſeruimus, utilis eſſe queat iis qui in Gratiani ſtudio verſantur, quiſque facile intelliget.

Notatio in Gratianum.

ſup. c. 7. §. 1. n. 1. & §. 2. n. 3. c. 12. n. 5.

IN.

Digitized by Google

INDEX
EORUM
QUÆ IN PRÆCEDENTI TRACTATU CONTINENTUR.

PRÆFATIO ad Eminentiſſimum Fortunatum Tamburinum S. R. E. Cardinalem. pag. 95

PARS PRIMA.

De Græcis Canonum collectionibus.

CAP. I. De Græca canonum apoſtolicorum collectione omnium antiquiſſima. Quænam fuerit collectio Sabini Macedoniani Epiſcopi Heracleenſis. Prima Græci codicis canonum expreſſa mentio in Concilio Chalcedonenſi. Codex canonum univerſæ Eccleſiæ a Chriſtophoro Juſtello editus, non fuit vetus Græcorum codex, nec univerſæ Eccleſiæ. De Græca collectione Stephano Epheſiorum Epiſcopo tributa. 97

CAP. II. Antiquus canonum codex apud Græcos quinam initio fuerit, & quomodo ſubinde auctus. 100

CAP. III. De catalogis Patrum Nicænorum, Ancyranorum, Neocæſarienſium, atque Gangrenſium: num e primævo Græco Codice derivent. 103

§. I. Catalogus Patrum Nicænorum Symbolo ſubjectus, non ſolum in primævo Græco Codice canonum inerat, verum etiam antiquior eſt ipſa collectione Græca. Provinciæ in eo deſignatæ ſunt juxta civilem diſpoſitionem, quæ Nicænæ Synodi tempore vigebat. Nonnullarum civilium provinciarum diviſiones Concilio Niceno poſteriores probantur. Phrygia nondum diviſa in duas tempore ipſius Synodi Sardicenſis. S. Hilarii locus emendatus. Inſcriptio Sardicenſis Synodicæ apud Theodoritum vitiata. Conſtituitur tempus Synodi Laodicenæ. Ibid.

§. II. Catalogi Patrum Ancyranorum, ac Neocæſarienſium, qui cum civitatum ac provinciarum nominibus in vulgatis Conciliorum exhibentur, a Græco canonum Codice alieni, & ſuppoſititii demonſtrantur. 106

CAP. IV. De notationibus chronicis, quibus Ancyrani & Neocæſarienſes canones dicuntur anteriores Synodo Nicæna, Gangrenſes vero poſteriores: & de vera epocha canonum Antiochenorum, ac de Synodo, in qua conditi fuerunt. Ibid.

§. I. Notationes chronicæ præfixæ canonibus Ancyranis, Neocæſarienſibus, atque Gangrenſibus, a primævo Græco Codice dimanant. Expungitur ſententia, qua Gangrenſis Synodus Nicæna anterior traditur, ejuſque tempus conſtituitur. Num anteriorum Synodorum canones lecti & confirmati fuerint in Nicæna. Ibid.

§. II. Canonum Antiochenorum celebritas. Variæ ſententiæ de eorum auctoribus, ac tempore. Oſtenditur eos non pertinere, ut hactenus invaluit, ad Synodum Antiochenam ab Euſebianis hæreticis coactam in encæniis anno 341. ſed ad aliam anteriorem ex Nicænis fere Patribus celebratam anno 332. Catalogus Patrum ejuſdem Synodi in Conciliis vulgatus poſt Synodicam ſuppoſititius probatur. De numero Patrum, qui eoſdem canones edidere. 108

CAP. V. De canonibus Sardicenſibus. Hi duplici exemplo ab ipſa Synodo editi, græce, & latine. Horum exemplorum diſcrimen. Quid ſentiendum de inſignibus variantibus lectionibus exemplarium Latinorum, ob quas nonnulli diverſas interpretationes Latinas præferri opinati ſunt. 110

CAP. VI. Num Sardicenſes canones Græco canonum Codici inſerti fuerint. Non omnes Græci Codices canonum fuere ſimiles, nec in omnibus canones continua numerorum ſerie notati. De Sardicenſium canonum auctoritate apud Græcos etiam Orientales. 112

CAP. VII. De Patrum Sardicenſium ſubſcriptionibus ac numero. Accuratus ipſorum catalogus ex certioribus monumentis contextus. Num Sardicenſis Synodus fuerit œcumenica. 117

PARS SECUNDA.

De antiquioribus collectionibus Latinis, quæ vel ſunt anteriores Dionyſio Exiguo, vel ex fontibus Dionyſio anterioribus originem ducunt.

CAP. I. De primæva canonum collectione apud Latinos præſertim Romanos, quæ ſolos Nicænos canones & Sardicenſes ſimul junctos complectebatur. 122

§. I. Canones, qui olim apud Latinos præſertim Romanos auctoritatem habuere, ſoli fuerunt Nicæni & Sardicenſes. Expungitur ſententia, qua alii Græci canones Nicænorum nomine laudati, aut in Nicæna Synodo confirmati dicuntur. Ibid.

§. II. Nec Antiocheni, nec Conſtantinopolitani canones a Romana Eccleſia olim recepti. Conſtantinopolitana Synodus ejuſque ſymbolum poſt Chalcedonenſe Concilium a Latinis celebrata; nec tamen eadem Synodus habita fuit ut œcumenica niſi aliquanto poſt, nec canones ejus recepti uſque ad S. Gregorium Magnum, ſed ſolum ſymbolum ejus receptum. Ante Chalcedonenſe hæc Synodus ab ipſis Græcis non fuit recenſita inter Concilia œcumenica. Siricii ac Cæleſtini verba pro Græcorum canonum uſu apud Latinos objecta explicantur. Eorum uſus apud eoſdem inductus ſæculo VI. 123

§. III. De conjunctione canonum Nicænorum & Sardicenſium, qua hi poſtremi ſine proprio Sardicenſium nomine Nicænis ſubjecti pro Nicænis habebantur. Diverſæ originis collectiones Latinæ hanc eorumdem canonum conjunctionem atque appellationem apud Latinos pervulgatam probant. Hinc omnis doli & fraudis expertes cognoſcuntur Romani Pontifices, qui Sardicenſes canones Nicænorum nomine allegarunt. Similis canonum utriuſque Synodi unio fuiſſe videtur in aliquo priſca Græcorum codice. 125

§. IV. Num Romanorum Pontificum decretales epiſtolæ in unum codicem una cum canonibus Nicænis & Sardicenſibus relatæ & editæ fuerint. 129

CAP. II. De antiquis verſionibus canonum Synodorum Græcarum ante Dionyſianam lucubratis. 130

§. I. Verſiones peculiares Latinæ canonum Nicænorum ab Eccleſiis Latinis olim adhibitæ, & diſtinctæ ab interpretationibus univerſi Græci Codicis canonum. Quæ particulæ Nicæni Concilii ſuperſint ex antiqua verſione apud Romanam & Africanam Eccleſiam recepta. Integra canonum ejuſdem Concilii verſio in MS. Vaticano Reginæ nobis conſervata. Abbreviationes eorumdem canonum lucubratæ a Rufino, & a Gallicanis uſurpatæ. Ibid.

§. II. De verſione totius Græci Codicis canonum, quæ Iſidoriana vocari ſolet. 131

§. III. De alia verſione, quæ Priſca appellatur. 132

CAP. III. De canonibus Eccleſiæ Africanæ, qui in omnes fere collectiones Latinas antiquas fuerunt inſerti, & de vetuſtis eorum codicibus. 134

§. I. Neceſſitas diſſerendi de canonibus Africanis. Recenſentur codices & collectiones, in quibus Africani canones continentur. De antiquitate collectionis Synodorum Africæ, quæ in collectionibus Hiſpanica & Iſidoriana recepta eſt. Duo codices canonum Africanorum producti in Synodo Carthaginienſi anni 525. De canonibus Synodorum Carthaginienſium ſub Grato & Genethlio, qui in uno ex iiſdem codicibus continebantur. Ibid.

§. II. De Synodis Africanis ſub Aurelio Epiſcopo Carthaginienſi celebratis, quæ in alio codice producto

Digitized by Google

ducte in Synodo anni 525. erant deſcriptæ. Earum catalogus. De Concilio Hipponenſi anni 393. ac de duobus Carthaginienſibus I. & II. ſub Aurelio. 135

§. III. *Reſtituitur Synodus Carthaginienſis anni 397. tertia ſub Aurelio habita V. Kalendas Septembris, in qua Breviarium canonum Hipponenſium lectum, confirmatum, & geſtis inſertum fuit. Quantum Africani Romanæ Sedis auctoritati detulerint. Subſcriptiones Epiſcoporum laudatæ Synodi ex optimo codice erutæ.* 137

§. IV. *De Synodo Carthaginienſi anni 398. VI. Idunm Novembris edita ex collectione Iſidori. Statutorum, quæ in ea continentur, antiquitas atque celebritas ex aliis MSS. collectionibus comprobata. In aliis codicibus inſcribuntur* Statuta Eccleſiæ antiqua, *in aliis* Statuta antiqua Orientis. *Diverſus ſtatutorum ordo a vulgato in plerisque MSS. notatur. Non pertinent ad ullam Synodum Africanam. Sunt collectio, ſeu abbreviatio antiquorum canonum partim Orientalium, partim Occidentalium. Formulæ inordinatione Officielium Eccleſiæ in fine adjectæ.* 141

§. V. *De Concilio Carthaginienſi anni 349. & de duobus aliis anni 401., quæ ſunt Concilia IV. V. & VI. ſub Aurelio. Alterum Concilium anni 401. reſtituitur.* 143

§. VI. *Milevitana Synodus anni 402. apud Iſidorum ex plurium Synodorum canonibus compacta. Sincera & integra apud Dionyſium legitur. De aliis Synodis ſub Aurelio ab octava ad decimam quintam.* 144

§. VII. *De Synodo Carthaginienſi XVI. anni 416. Vindicatur ejus canon editus contra illam Pelagianorum ſententiam, qua parvulis abſque baptiſmo decedentibus tribuebant ſalutis & quietis locum extra regnum cælorum.* 145

§. VIII. *De celeberrima Synodo Carthaginienſi XVII. anni 419. in qua anteriora Concilia lecta & inſerta fuere. Iſidorianæ & Dionyſianæ collectionum defectus. Duæ hujus Synodi actiones, & quid in unaquaque actum ſit. De geſtis poſt hanc Synodum ob exemplaria canonum Nicænorum, & de exemplo verſionis ab Attico Conſtantinopolitano miſſæ in Africam. Authentica ejus ſubſcriptio e MSS. educta.* 147

§. IX. *De Synodis Carthaginienſibus XVIII. XIX. & XX. ſub Aurelio. De Synodo Hipponiregienſi anni 427. Aliæ Synodi provinciæ Byzacenæ laudatæ a Ferrando. Integer codex canonum Africanæ Eccleſiæ quid continere deberet. Obſervationes in vulgatum Codicem canonum Africanæ Eccleſiæ.* 149

CAP. IV. *De collectione canonum vetuſtiſſima omnium detecta in MS. Vaticano Reginæ 1997. De Synodis ſub Symmacho celebratis. Tempus figitur Synodi Palmaris. Duæ epiſtolæ formatæ ex eodem codice editæ.* 151

CAP. V. *De collectione in pervetuſto MS. Corbejenſi deſcripta.* 154

CAP. VI. *De collectione quæ continetur in duobus MSS. Lucano 88. & Colbertino 784.* 155

CAP. VII. *De alia collectione, quæ conſervatur in MSS. Barberino 2888. & Vat. 1342.* 156

CAP. VIII. *De collectione a Queſnello edita, & hoc tomo recuſa. De alia collectione Colbertina 3368.* 159

CAP. IX. *De collectione, quæ continetur in MS. 55. Capituli Cathedralis Eccleſiæ Veronenſis. De Synodo Antiochiæ celebrata circa an. 379. Tomus Occidentalium in ea productus & ſubſcriptus detegitur. Præſtantia hujus collectionis ex verſione antiquiſſima & documentis in ea conſervatis.* 160

CAP. X. *De collectionibus Gallicanis.* 163

§. I. *Vetuſti codices canonum apud Gallicanos plures privato ſtudio conditi, nullus publica auctoritate digeſtus & editus. De celebrioribus hujuſmodi codicibus, ac præſertim de Vat. Palat. 574.* ibid.

§. II. *Explicatur, notationibuſque illuſtratur collectio MS. Vat. Palat. 574. Canones Nicæni ex abbreviatione Rufini a Gallicanis recepti. Sardicenſes Nicænorum nomine inſcripti, & cum Nicænis nunc abbreviatis, nunc integris apud eoſdem Gallicanos conjuncti. Canon Neocæſarienſis inter titulos a Joanne II. miſſos ad Cæſarium Arelatenſem ex eodem codice in vulgatis ſupplendus. Synodus Arelatenſis II. videtur potius antiqua collectio canonum, quam Synodus, ejuſque tempus figitur.* ibid.

§. III. *Additamenta ejuſdem codicis recenſentur.* 166

§. IV. *De collectione Gallicana contenta in MS. Vat. 3827. Verſus ex hoc codice editi in funere Lotharii I.* 167

§. V. *De alia Gallicana collectione, quæ exſtat in MS. Colbertino 3368.* ibid.

CAP. XI. *De collectionibus pertinentibus ad cauſſas Neſtorii, Eutychis, ac præſertim Acacii.* 168

§. I. *De duabus collectionibus ad Neſtorii, & aliis duabus ad Eutychis cauſſam pertinentibus. Primæva Epheſina collectio e MS. Veronenſi deſcripta & ſuppleta.* ibid.

§. II. *De collectionibus in cauſſa Acaciana. Deſcriptio duorum codicum, Virdunenſis, & Veronenſis.* 170

§. III. *De integra collectione omnium, quæ hactenus prodierunt, documentorum in cauſſa Acacii. Quædam ſpuria notantur, & a Græco conficta oſtenduntur ante Synodum quintam. Duæ epiſtolæ perperam inſcriptæ. De tribus fragmentis a Baluzio editis.* ibid.

§. IV. *De epiſtolis, additamentis, & tractatibus Gelaſianis, qui in dubium a nonnullis vocantur.* 172

§. V. *Decretum de libris recipiendis vel non recipiendis num & quatenus Gelaſio tribuendum. Triplex ejuſdem decreti forma proponitur, codicumque varietas notatur. Idem decretum alicubi diviſum in duo. Codices, qui Damaſo, vel Gelaſio, vel Hormiſdæ decretum adſcribunt. Quid cuique adſerendum videatur.* 175

CAP. XII. *De MS. collectione Avellana. Duæ anten ineditæ epiſtolæ Hormiſdæ, & quædam fragmenta ex hac collectione producta.* 178

CAP. XIII. *De collectionibus Theſſalonicenſi, & Arelatenſi.* 183

PARS TERTIA.

De collectionibus Dionyſianis, & ceteris, quæ a Dionyſio proſecerunt.

CAP. I. **D***E collectione Dionyſii Exigui.* 186

§. I. *Caſſiodorii teſtimonium de Dionyſio. Collectionis Dionyſianæ partes duæ, earumque deſcriptio. De continuata numerorum ſerie in canonibus Græcis. Juſtelli editio duo additamenta a Dionyſio aliena in ſecunda parte recepit. Puri Dionyſii codices rari, & cum Hadrianeis non confundendi.* ibid.

§. II. *De Dionyſianæ collectionis præſtantia. Num Dionyſius primus collegerit decretales Romanorum Pontificum. Animadverſiones in eamdem collectionem. Quantum hæc propagata fuerit. De tempore quo condita fuit.* 188

§. III. *Deſcriptio codicis Vat. Palat. 577. qui ſolam primam partem Dionyſianæ collectionis, ſeu potius primum ejus fetum continet. Diſcrimen ejuſdem non exiguum ab ea, quam Dionyſius ſecundis curis digeſſit.* 190

CAP. II. *De collectione, quam Hadrianus Papa I. Carolo Magno tradidit.* 191

CAP. III. *De collectione Additionum Dionyſii.* 194

CAP. IV. *De collectione Hiſpanica.* 197

§. I. *Præcipui auctores qui de hac collectione egerunt. Quomodo compacta. De ejuſdem codicibus.* ib.

§. II. *De primigenia hujus collectionis editione. Tabula eorum, quæ in ea continebantur. Epiſtola Innocentii I. ad Aurelium a nota ſuppoſitionis Iſidorianæ eximitur.* 198

§. III. *De tempore, loco, & auctore ejuſdem collectionis.* 201

§. IV. *De additamentis, quæ primigeniæ collectioni Hiſpanicæ ſubinde acceſſerunt. Vindicantur documenta in auctiore collectione Hiſpanica ſubjecta Concilio CP. II. alias generali ſexta.* 202

§. V. *Notabilis diſtinctio codicum originis Hiſpanicæ & originis Gallicanæ.* 203

§. VI. *De his, qui ex codicibus collectionis Hiſpanicæ documenta ediderunt, vel emendarunt, ac præſertim de Joanne Baptiſta Perezio.* 205

CAP. V. *De collectione Hadriano-Hiſpanica, quæ exſtat in MS. Vaticano 1338.* 207

CAP. VI. *De collectione Iſidori Mercatoris.* 208
§. I. *De ſpuriis hujus collectionis documentis. Quam ſero impoſtura detecta. Num Nicolaus I. ejuſmodi collectionem approbarit. Potiora ſuppoſitionis argumenta proponuntur.* ibid.
§. II. *Alia documenta ſincera eidem collectioni inſerta, quibus e fontibus hauſta fuerint. Quanti interſit hos fontes detegere ad ea diſcernenda, quæ Pſeudoiſidorus confinxit. Quædam ſincera documenta ab eodem interpolata. Duæ ultimæ Synodi Symmacho attributæ, & Capitula Hadriano I. aſſerta, quæ genuina a multis creduntur, ab eodem Pſeudoiſidoro ſuppoſita demonſtrantur.* 209
§. III. *Quo fine Pſeudoiſidorus tot documenta ſpuria ſuppoſuerit. Num his documentis ſuppoſititiis diſciplina eccleſiaſtica immutata ſit.* 211
§. IV. *De auctore & tempore ejuſdem collectionis.* 212
§. V. *De codicibus Iſidorianis. Ordo & catalogus documentorum hujus collectionis ſumitur ex antiquiſſimo omnium MS. Vat. 630. Spuria, ſincera & interpolata accurate diſcernuntur.* 213
§. VI. *De quibuſdam MSS. codicibus, qui Iſidorianam collectionem non omnino puram, aut integram continent. Quædam epiſtolæ apocryphæ Pſeudoiſidoro perperam attributæ.* 217
CAP. VII. *De Additionibus Iſidorianæ collectionis a Merline editæ, quæ continentur in MS. Vat.* 1340. *ac in aliis duobus bibliothecæ Venetæ S. Marci.* 219
CAP. VIII. *De codice Cantabrigenſi, quem Fabricius, & Larroquanus laudant. De duobus MSS. Vatt.* 1343. *&* 1344. *Epiſtola S. Gregorii Magni, qua Auguſtini interrogationibus reſpondet, cum proœmio nondum impreſſo, & forma a vulgatis diverſa ex iiſdem MSS. producitur.* 221

PARS QUARTA.

De antiquis canonum Breviationibus, aliiſque collectionibus Latinis in titulos & locos communes diſtributis ad Gratianum uſque.

CAP. I. DE *Breviatione canonum Ferrandi Diaconi Carthaginienſis. Plures obſcuræ allegationes explicatæ, aliæ ſupletæ vel emendatæ, quæ novæ editioni utiles erunt.* 225
CAP. II. *De Collectione, ſeu Capitulis S. Martini Epiſcopi Bracarenſis.* 227
CAP. III. *De Breviario & Collectione Creſconii.* 229
CAP. IV. *De Abbreviatione canonum, quæ continetur in MS.* 59. *Capituli Veronenſis, & alio.* 88. *Capituli Eccleſiæ Lucanæ.* 231
CAP. V. *De Abbreviatione Collectionis Hiſpanicæ edita a Cardinali de Aguirre.* 233
CAP. VI. *De vetuſtioribus collectionibus canonum pœnitentialium a Theodoro, Beda, & Egberto lucubratis. Vulgatus liber de remediis peccatorum Bedæ adſcriptus, Egberto aſſeritur. Egberti opus de ſacerdotali jure, ejuſque fragmenta. Excerptiones canonum ex hoc opere Hucario Levitæ vindicandæ. Pœnitentiale in quatuor libros diſtinctum ab Egberto abjudicatur. De collectione canonum libro quarto comprehenſa, ex qua Reginonem profeciſſe detegitur.* 236
CAP. VII. *De tribus vetuſtis collectionibus, quæ canones in locos communes diſtribuunt.* 238
§. I. *De collectione Hibernenſi.* ibid.
§. II. *De collectione Herovalliana.* 239
§. III. *De collectione contenta in MS. Vallicellano XVIII.* 241
CAP. VIII. *De collectionibus Acheriana, Halitgarii, & Rhabani.* 242
CAP. IX. *De collectionibus Capitularium Anſegiſi, & Benedicti Levitæ, & de earum additionibus. Excerpta ex iiſdem Capitularibus Iſaaci Epiſcopi Lingonenſis. De Capitulis Herardi Archiepiſcopi Turonenſis, Theodulphi Aurelianenſis, Ahytonis Baſileenſis, & aliorum ſimilium.* 243
CAP. X. *De manuſcripta collectione Sorbonico-Mutinenſi in partes duodecim diſtributa. Hæc ſæculo IX. exeunte in Italia lucubrata oſtenditur. De uſu legum Romanarum in collectionibus.* 245
CAP. XI. *De Reginonis, & Abbonis collectionibus.* 247
CAP. XII. *De collectione Burchardi Epiſcopi Wormatienſis. Hujus mos inſcribendi Synodis, Pontificibus, vel Patribus ſententias quorumdam poſteriorum Scriptorum. Pœnitentiale Eccleſiarum Germaniæ ab ipſo receptum, & auctum.* ibid.
CAP. XIII. *De collectione S. Anſelmi Epiſcopi Lucani.* 250
CAP. XIV. *De collectione manuſcripta Vaticana Cardinalis Deuſdedit. Aliquot documenta hactenus inedita exinde producuntur.* 252
CAP. XV. *De MS. collectione Bonizonis Epiſcopi Sutrini.* 256
CAP. XVI. *De Ivonis Carnotenſis duplici collectione.* 258
CAP. XVII. *De MS. collectione Gregorii Presbyteri, quæ* Polycarpus *inſcribitur.* 260
CAP. XVIII. *De aliis manuſcriptis nondum editis collectionibus.* 261

Digitized by Google

I V.

CAROLI SEBASTIANI BERARDI

PRESBYTERI UNELIENSIS

DISSERTATIO

DE VARIIS SACRORUM CANONUM COLLECTIONIBUS
ANTE GRATIANUM,

CAROLI SEBASTIANI BERARDI
PRESBYTERI UNELIENSIS
DISSERTATIO *
De variis Sacrorum Canonum collectionibus ante Gratianum.

OBSERVATIO I.

Quales generatim eſſe potuerint eccleſiaſticæ juriſprudentiæ Codices uſque ad Gratiani ætatem.

I. ETſi maxime utiles ſemper Eccleſiæ fuerint ſacrorum Canonum collectiones, quemadmoduio & cujuſque reipublicæ commodo undequaque conſulitur, quum juris quo vivitur, capita congeruntur in unum; ſiquidem quæ variis in codicibus diviſa ſunt, vel difficilius reperiuntur vel facilius pereunt; quæ vero in unum congeſta, uno obtutu ſingula obſervantur ac perpetuo cuſtodiuntur: tamen non raro contigit, ubi plnres editæ fuerint collectiones hujuſmodi, plurimum exinde detrimenti rebus eccleſiaſticis acceſſiſſe. Ut enim ſingularia quæ exinde emergere potuerunt, incommoda recenſeam, primum ex inſcriptionibus ortum eſt, quum v. g. laudaretur ex uno concilio, quod tamen in altero aut forte etiam in nullo reperiebatur; aut ſancto cuidam patri aliquid tribueretur, quod alteri aut etiam nemini tribuendum eſſet. Secundum ad ſententias pertinet, quæ ex uno in aliud idioma, puta ex Græco in Latinum converti debuerunt. Tertium in additamentis, aut detractionibus vocum aut litterarum conſiſtit. Quartum peperit vel pravorum vel depravatorum uſus auctorum.

II. Quod ad primum attinet, non eſt dubitandum, frequenter in collectiones menda hujuſmodi irrepſiſſe. Fingamos enim Canones alicujus concilii Codici Canonum fuiſſe inſertos, quin tamen concilii nomen inſcriberetur; nonne ſtatim in ſuperioribus Canonibus jungebantur, ut ex eodem depromti concilio viderentur? Ex hoc arbitror profluxiſſe, ut Canones Sardicenſes pro Nicænis habiti ſæpe ſæpius fuerint., quod Nicænis Canonibus ſubjecti omiſſo Nicæni concilii nomine alicubi exhiberentur. Omitto etiam antiquiſſima ætate non defuiſſe perfidos homines, qui impiorum ſcripta fallendi animo virorum inſigninm nomine evulgaverint: quamobrem in Canone qui hodie eſt LIX. inter apoſtolicos, definiendum fuit: *Si quis falſo inſcriptos impiorum libros, tamquam ſacros in eccleſia ad populi & cleri corruptionem publicaverit, deponitur.*

III. Quod ſpectat ad ſecundum, facile itidem eſt percipere, verborum immo etiam ſententiarum varietatem ex linguarum interpretatione profectam. Si enim hac de cauſſa divina ipſa ſcriptura in Prophetarum oraculis etiam apud Judæos religioſiſſime cuſtodita, in doctrinis apoſtolicis a Chriſtianis hominibus ſummo in pretio habita & magno zelo traducta; aliquando depravata exſtitit, ut emendatione, teſte Sancto Hieronymo, ex collatione codicum ſive Hebræorum ſive Græcorum indiguerit; mirum eſſe non debet, id ipſum ſacris Canonibus ad diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtabilitatem conditis protuiſſe contingere. Nemo ignorat Canones antiquiſſimos ferme omnes apud Græcos editos fuiſſe, quales ſunt Nicæni, Ancyrani, Neocæſarienſes Gangrenſes, Antiocheni, &c. qui ad nos nonniſi per Latinas interpretationes derivati fuerunt. Quis nos certiores interea reddat de fide, de integritate interpretis, præſertim quum noverimus Græcos & Latinos codices invicem ſæpiſſime diſſonare? Quis tuto affirmaverit interpretem Græcæ linguæ vires & notas apprime calluiſſe, ut nec alienum vel extraneum ſenſum affinxerit, ne dixerim omnino contrarium? Præterea apud Græcos non una fuit & perpetua Canonum deſcriptio, ſed penes diverſas orientalium eccleſias diverſis quoque notis deſcripti reperiebantur, quemadmodum eruditi animadvertunt. Quis itaque nobis fidejuſſor exſiſtat pro Latino interprete, quaſi optimum Codicem is, non depravatum fuerit interpretatus?

IV. Tertium mendorum genus ex additamentis aut detractionibus ortum eſt: quod optime norunt quicumque in vetuſtorum MSS. codicum lectione vel mediocriter verſati ſunt. Quum enim nondum inventa eſſet ars typographica, & omnia etiam ſacratiſſima jura manu ſcriptis codicibus continerentur; unicuique fas erat vel tranſſcribendo vel legendo aut notas marginales adponere, aut gloſſas ut ajunt interlineares inſerere, aut commodiorem interpretationem ſubiicere, aut quod forte irrepſiſſe ſuſpicabatur, litura corrigere. Quid deinde, ſi hic idem codex hujuſmodi notis adauctus aut lituris imminutus ad alterius manus deveniret tranſſcribendus? Tranſſcribendus erat notis & gloſſis adauctus, ut aliquando in Gratiani Canonibus eveniſſe conſtat. Qua enim ratione amanuenſis divinaret, quænam verba germana eſſent, quænam privati auctoris gloſſemata? quæ forte etiamſi divinaſſet, omnia tamen aut ne interirent, aut ut primo auctori honorem deferret, aut commodo ſtudioſorum inſerviret, tranſſcribere adamavit.

V. Atque hinc profecta etiam ſunt quarti generis menda, quæ ajebam ex uſu depravaturum codicum eveniſſe, & quibus præcipue occaſionem præbuerunt improbi homines, qui plura opera luce prorſus indigna vimrum ſapientiſſimorum nomine, uti nuper attigeram, inſcripſerunt; in quæ incidentes incauti facile labi ex imprudentia potuerunt.

Hæc generalia ſunt, & pluribus collectionum generibus accommodata. Addere juvat etiam quædam certis collectionum ſpeciebus peculiaria. Siquidem duo potiſſimum eſſe potuerunt genera collectionum, quarum aliæ privatæ fuerint, aliæ publica auctoritate compoſitæ. De privatis primum dicam. Contigit ſæpiſſime, ut plures viri quorum aliqui eruditionis gloria clariſſimi ſunt, ad collectiones ſacrorum Canonum peragendas intenderint, quos nec ſui quidem præſulis movit auctoritas, ſed propen-

ſio

* Hæc Diſſertatio deſumta eſt ex præclaro auctoris opere inſcripto: *Gratiani Canones genuini ab apocryphis diſcreti* &c. quod Taurini prodiit anno 1752, extatque tom. 1. pagg. IV. --- XXXVI.

Digitized by Google

ſio quædam peculiaris vel ad utilitatem ſtudioſorum, vel ad famam ſibi cum honore adquirendam, aliquorum etiam ut privatis quibuſdam cupiditatibus, certiſque in quibus verſabantur, circumſtantiis inſervirent. Quis itaque horum collectorum fidem ſtatim ita probabit, ut nihil apud illos, niſi firmum aut certum referri tuto aſſeveret; ubi præſertim nomen auctoris ſupprimatur, aut adpoſitum quidem ſit, ſed nec pietate nec ſcientia hominis ſatis illuſtre? Calliditas, imperitia, temeritas, oſcitantia quid in hujuſmodi collectionibus operari non poterat?

VI. Publicæ auctoritatis collectiones ad duplicem rurſus claſſem arbitror referendas. Illas imprimis publicas voco, quas a primis Eccleſiæ ſæculis unuſquiſque epiſcopus ad ſuæ diœceſis commodum, per notarios quibus primicerius præerat, fieri curabat. Statim enim ac concilia celebrari cœperunt in quibus lege ſcripta Canones editi ſunt, epiſcopi a conciliis redeuntes Canones ipſos ſecum adferebant, illoſque promulgantes in peculiari Codice præcedentium conciliorum Canonibus jungentes in tabulario eccleſiæ ſuæ adſervabant, ad quos deinde oblata occaſione confugerent. Et ſi quando epiſcopi juſta de cauſſa a conciliis abfuiſſent, aut a legatis quos forte miſerant, aut a proximis coepiſcopis Canones in Codicem redigendos poſtulabant. Immo tanta erat veterum epiſcoporum, ſicut in ceteris, ita & in hac parte ſollertia, ut exoptarent etiam Canones alienarum provinciarum aut diœceſeon, ut diſciplinam alibi ſapientiſſime conſtitutam in ſuam quoque parochiam alieno exemplo traducerent, & quodammodo ſuam facerent. Id obſervarunt Romani Correctores ad Canonem I. diſt. XX. verbo *Carthaginienſium, ibi: Eos Canones ſedes apoſtolica videtur probaſſe & uſui eis eſſe, quando in Codicem Canonum referendos curavit. Eoſdem etiam Græci, quo ordine apud Latinos habentur, cum aliis præterea multis Africanarum ſynodorum conjunctos in linguam ſuam verterunt.*

VII. Quamquam vero magna hujus generis Collectionibus reverentia debeatur, quum præſumendum minime ſit ſacros eccleſiarum antiſtites & morum ſanctimonia & doctrina Canonum venerabiles aut facile decipi potuiſſe, aut, quod turpius eſſet, alios voluiſſe decipere, præſertim vero quo memoratis Codicibus olim infererentur Canones ſtatim atque in conciliis editi fuiſſent; nihil tamen impedit, quo minus aliquando fides aut denegetur, aut ſubdubitando præſtetur. Vel enim unius aut alterius epiſcopi, unius aut alterius diaconi apud quem Codicis cuſtodia eſſet, unius aut alterius notarii ad quem ſpectaret aut autographum edere aut conſumtum renovare, improbitas vel imperitia ſat erat, ut integrum atque optimum volumen vel auſu temerario vel per imprudentiam labefactaret. Manifeſtum hujus rei argumentum habemus ex actione I. concilii Chalcedonenſis. Ibidem Aetius & diaconorum & notariorum Conſtantinopolitanæ eccleſiæ primus, quem propterea in Codicum ſacrorum deſcriptione verſatiſſimum fuiſſe præſumendum eſt, ita teſtatur: *In talibus ſanctiſſimis conciliis contingit frequenter* (notanda ſane hæc vox *frequenter*) *unum ex præſentibus reverendiſſimis epiſcopis aliquid dicere; & quod ab uno dictum eſt, tamquam ab omnibus ſimul dicatur, & ſcribitur & intelligitur*. Id ſane in cauſſa erit, cur in Codicem Canonum referatur tamquam regula eccleſiaſtica, quod ab uno aut altero vel diſputando vel dubitando aut poſtulando publice in concilio propoſitum fuerit. Finge præterea, ut de ſolis epiſcopis loquar, quorum dignitas majorem, quam diaconorum aut notariorum officia, exigit fidem, majorem exigit integritatem; finge epiſcoporum quempiam interfuiſſe concilio, ubi acerrimam a coepiſcopis, ut olim fieri ſolebat, paſſus ſit controverſiam; finge deinde victum fuiſſe, ejuſque ſententiam cujus conſortes quoſdam habuerat, plurium conſenſione fuiſſe damnatam, & quidem lato decreto quod inter Canones recenſeretur: is profecto una cum ſociis (niſi homines dederis humanis prorſus affectibus exſpoliatos) ſecum adferens in diœceſim ſynodalia geſta, & in promulgatione & in deſcriptione in tabularium redigenda, niſi ſupprimet quod ſibi forte contumelioſum exiſtimat, ſaltem plurimum in ejus deſignatione temperabit. Quod ſi non novam controverſiam in concilio moverit, ſed antiquam & jam Canonibus definitam contra æquitatem excitare velit; quam ſollertiam non curabit ut Canones ad eam pertinentes & jam editi, ſi pro deperditis haberi non poſſint, ſaltem alia forma producantur? Celeberrimum hujus rei exemplum agnoſcunt eruditi in Photio Conſtantinopolitano patriarcha, qui adverſus Romanam eccleſiam renovato ſchiſmate pugnaturus, Conſtantinopolitanæ eccleſiæ ſuæ Codices vitiavit, ne in ipſis contentionis ſuæ moram aut impedimentum haberet. Apertiſſimam vero ejuſdem rei demonſtrationem eruere licet ex Actis concilii Chalcedonenſis, ex quibus adparet ſacrorum Canonum Codices eccleſiaſticorum quorumdam adminiſtrorum perfidia fuiſſe corruptos, ut ex ſequenti Obſervatione liquebit.

VIII. Altera publicarum Collectionum ſpecies, quæ videlicet a privato quidem auctore primum editæ; dein vero publica auctoritate ſedula præeunte deliberatione in Eccleſia generaliter recipi potuerunt: de quarum propterea fide & integritate publico inconcuſſo teſtimonio ſine ulla hæſitandi cauſſa conſtaret. Sed fruſtra vel unam hujuſmodi Collectionem ante Gratianum quærimus; ut propterea ſupervacaneum ſit in hujuſmodi Codicum auctoritate expendenda hoc loco elaborare. Satis mihi eſt interea generatim obſervaſſe, quotquot Canonum Codices ante Gratianum editi fuerunt, in incerta penitus fide vagari, nec aliquem produci umquam poſſe cui tuto in omnibus innitamur: non quod ego exinde ſentiam ita dubitandum eſſe de omnibus, ut nullum hodie habeamus Codicibus noſtris commendatum firmum veræ doctrinæ priſtinæque diſciplinæ præſidium. Obſervata ſint hæc ut adpareat, quam ſit neceſſarium vetuſtos Canonum Codices ſeu Collectiones invicem conferre, atque eorum ſententias ita perpendere, ne ſine diſcrimine fide omni præſtita vel in minimis apicibus temere judicemus. Ceterum quoties incidimus in illa monumenta, quæ jam diu apud omnes veluti eximia ſacræ prudentiæ capita habentur, quæque cum temporis, loci ceterorumque adjunctorum ratione conveniunt, præſertim quæ ab auctorum quibus tribuuntur, mente alias explorata non diſſonant; nefas arbitror contradicere aut etiam dubitare: ne forte occaſio exinde ſumatur improbis hominibus ſanctiſſimas leges & ſacræ reipublicæ maxime utiles in interitum ac perniciem ſuſdeque vertendi. Sobrie ac moderate, ſicut in ceteris, ita præſertim in hac re procedendum eſt, ne hinc nimia credulitas, hinc nimia temeritas officiat.

OBSERVATIO II.

Quales re vera fuerint peculiares ſacrarum Canonum Collectiones ante GRATIANUM: & primo de ea quæ vulgo dicitur: CODEX CANONUM ECCLESIÆ UNIVERSÆ.

I. A Sæculo Eccleſiæ IV. quo primum Collectiones Canonum fieri potuerunt, uſque ad Gratiani ætatem innumeræ propemodum prodierunt: præterquam quod enim in epiſcoporum more poſitum erat, ut ſuam ſinguli conficerent, in quam non generalium tantum conciliorum ſtatuta, ſed & peculiaria ſuæ diœceſeos vel provinciæ decreta ſacroſque ritus adſervarent; privati quamplures alias ediderant, ut in ſuperiore Obſervatione nuper prænotabam. Veroſimile autem non eſt Gratianum, dum ſuum Codicem componeret, omnes præ oculis habuiſſe: plurimum enim diligentiæ ejuſdem tribuerem, ſi vel celebrioribus uſum fuiſſe dicerem, quarum fama ad nos uſque pervenerit. Quamobrem ſatis erit mihi celebriores Canonum Codices obſervare, & quid de iis ſentiendum ſit, ſaltem paucis attingere: quotieſcumque enim Codicum ſingulorum quibus Gratianus uti facile potuit, perſpicuam tradam & claram imaginem; jam inde tutius de ipſo Gratiani Codice judicabo. Scio quidem nonnullos ex eruditis rem hanc agen-

agendam ſuſcepiſſe atque etiam fuſe pro rei dignitate tractaſſe. Non erat tamen a me omittenda, quod novis adhuc eiſque utilibus obſervationibus exornari debeat. Utar verbis ſancti Auguſtini, in prologo libri III. *de Trinitate* ita ſcribentis: *Non debet hic labor meus cuiquam pigro aut multum docto videri ſuperfluus; quum multis impigris multiſque indoctis, inter quos etiam mihi non parva ex parte, ſit neceſſarius. Ex his igitur quæ ab aliis de hac re ſcripta cum legimus, plurimum adminiculati & adjuti, ea quæ diſſeri poſſe arbitror, Deo adjuvante diſſerenda ſuſcepi: ut ſi alia non ſunt hujuſmodi ſcripta, ſit quod habeant & legant qui voluerint & valuerint. Si autem jam ſunt, tanto facilius inveniantur, quanto talia plura eſſe potuerint.*

II. Itaque diſſeram in primis de Codicibus Græcis, & præ ceteris de illa Collectione antiquiſſimorum Canonum, quam vulgo *Codicem univerſæ Eccleſiæ* appellant. Eam edidit Chriſtophorus Juſtellus in ſua Bibliotheca Juris Canonici veteris notis minime contemnendis illuſtratam, in qua continentur Canones 207. videlicet Nicæni 20.; Ancyrani 25.; Neocæſarienſes 14.; Gangrenſes 20., Antiocheni 25., Laodiceni 59., Conſtantinopolitani 7., Epheſini 8. & Chalcedonenſes 29. Ideo autem *Codicem univerſæ Eccleſiæ vocarunt*, quod crediderint in Chalcedonenſi concilio generali quod univerſam Eccleſiam repræſentabat, fuiſſe probatum, immo etiam, uti plures ſcripſerunt, confirmatum.

Perpendamos acta concilii Chalcedonenſis, ex quibus hæc diſcuſſio integra pendet. Ex iis autem arbitror manifeſte demonſtratum iri non ſolum nullam peculiariter tunc probatam fuiſſe, ut ajunt, collectionem, ſed nec aliquam ibidem peculiariter fuiſſe ſelectam, qua Chalcedonenſes epiſcopi ſynodalium definitionum cauſſa uterentur, quidquid hodie plures ex eruditis tradiderint. Illud mihi veroſimilius eſt, tum epiſcopos ad œcumenicum concilium vocatos ſuam ſingulos adtuliſſe collectionem Canonum, qua unuſquiſque uteretur, dum ſuffragium laturus eſſet, ratus nullum in concilio recto judicio ferre poſſe ſuffragium, niſi quod veterum traditioni ſolidius inniteretur. Hinc Dioſcorum Alexandrinum epiſcopum, quum ad Chalcedonenſe concilium acceſſiſſet, ſanctorum patrum Athanaſii, Gregorii, Cyrilli monumenta in codicibus detuliſſe ſcimus ex actione I. Chalcedonenſis concilii, ubi ita loquens Dioſcorus idem inducitur: *Et horum (ſanctorum patrum) teſtimonia non ſimpliciter neque tranſitorie, ſed in libris habeo.*

III. Quod de hac Collectione dici videtur in Chalcedonenſi concilio, ſic paucis colligo. Actione I. quum quæreretur de doctrina S. Cyrilli Alexandrini Epiſcopi qui ſynodo Epheſinæ præfuerat, Euſtathius Epiſcopus Beryti civitatis Phœnices maritimæ codicem protulit, ubi & Cyrilli epiſtola continebatur. Hujus ſane codicis nomine nullum alium intelligimus, quam quem Euſtathius idem ſecum attulerat, ubi Canones una cum actis conciliorum, præſertim generalium, ſervabantur. Inferius itidem in eadem actione I. legitur eumdem Euſtathium contuliſſe Nicænas regulas una cum epiſtolis Cyrilli ac fide concilii Epheſini, omniaque conſona reperiſſe. Quomodo autem conferri poterant hujuſmodi monumenta, niſi Codices plures præ epiſcoporum manibus haberentur! Illud autem certiſſimum interea liquet, Codicem hunc quo uſus fuit Euſtathius, non eſſe Codicem a Juſtello editum, quum in hoc & Cyrilli epiſtolæ & Epheſinæ fidei exemplar deſideretur. In actione II. *Glorioſiſſimi judices* (ita habet Labbeana editio) *& ampliſſimus ſenatus dixerunt: Recitentur quæ expoſita ſunt a ſanctis CCCXVIII. patribus in Nicæa congregatis. Eunomius reverendiſſimus Epiſcopus Nicomediæ civitatis recitavit ſymbolum CCCXVIII. patrum.* Hic erat alius ejuſdem Eunomii Codex, quem e Nicomedia ſecum attulerat. Poſtea ita ſequitur: *Glorioſiſſimi judices & ampliſſimus Senatus dixerunt: Recitentur & quæ a Sanctis CL. patribus expoſita ſunt. Aetius reverendus diaconus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ex Codice recitavit Symbolum CL. patrum.* Hic erat Codex eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, qui in manibus diaconi ejuſdem Eccleſiæ ſervabatur: ne gratis aſſeramus eumdem Codicem ſine cauſſa de manu Eunomii Nicomedienſis ad manus diaconi Conſtantinopolitani fuiſſe translatum. Sed mihi videor habere luculentiſſimum hujus rei argumentum. Quando petitum eſt, ut legeretur Nicæna fidei expoſitio, eam legit Eunomius Epiſcopus Nicomediæ: quando petitum eſt, ut legeretur expoſitio fidei Concilii Conſtantinopolitani, eam legit diaconus Conſtantinopolitanus. Quid aliud hæc indicant, quam ad Nicænæ fidei lectionem Nicænæ provinciæ Codicem; ad Conſtantinopolitanæ fidei lectionem, Conſtantinopolitanum Codicem fuiſſe deſideratum? Eunomius Nicomedienſis Epiſcopus princeps erat Epiſcoporum in provincia Bithyniæ, ubi ſita erat Nicæa civitas; propterea que in Nicæno Concilio Euſebius Nicomedienſis proxime ſubſcripſit ante Theogenem ſeu Theognem Nicænum. A quo itaque melius afferri poterat Symbolum Nicænum, quam ab illo in cujus provincia & conditum erat, quique etiam forte autographum veroſimiliter ſervabat? At Symbolum Conſtantinopolitani Concilii a quonam melius peti poterat, quam a Diacono Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, cujus fidei ejuſdem Eccleſiæ geſta erant commendata? Rurſus in dicta actione II. paullo inferius hæc leguntur: *Glorioſiſſimi judices & ampliſſimus Senatus dixerunt: Recitetur & epiſtola Deo digniſſimi Archiepiſcopi regiæ & Senioris Romæ Leonis. Beronicianus devotiſſimus Secretarius ſacri Conſiſtorii recitavit ex Codice ſibi porrecto ab Aetio archidiacono Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ:* En novam Codicis mentionem. Sed hallucinarentur, qui Codicis nomine heic intelligerent Codicem Canonum generalem, illum ſcilicet in quo præcedentium Conciliorum canones continerentur. Qui enim fieri poteſt Epiſtolam recentem a Leone Magno ſcriptam, & quæ ſententiam ſummi pontificis circa celebrationem & cauſſas Chalcedonenſis Concilii continebat, vel in ipſo Concilii exordio in Canonum Codicem generalem fuiſſe relatam? Res eſt in aprico poſita penes eum, qui ſingula rei hujus adjuncta accurate conſideret. Quo enim tempore Sanctus Flavianus Epiſcopatum Conſtantinopolitanum tenebat, jam Eutychiana hæreſis graſſabatur, atque orientales provincias fere univerſas omnino turbabat. Id quum ad Leonis Magni aures facile perveniſſet, non omiſit Sanctiſſimus æque ac prudentiſſimus Pontifex veram fidei doctrinam datis litteris ad eumdem Flavianum exponere triennio circiter ante Concilium Chalcedonenſe, atque ad generalis Concilii convocationem perpetuamque definitionem fidei ejus animum præparare. Iſtæ epiſtolæ ſunt, quæ in memorata actione II., ut legerentur, petitum eſt: iſtæ ſunt, quas Aetius Conſtantinopolitanus Archidiaconus legendas porrexit: iſtæ ſunt, quas Beronicianus Sacri Conſiſtorii Secretarius recitavit. Epiſtolæ erant non ad ſingulos Epiſcopos, ſed ad unum Flavianum a Leone directæ. A quonam alio peti poterant quam ab archidiacono Flaviani jam tum vita functi? Epiſtolæ erant ad cauſſas ipſius Concilii, videlicet ad impugnandam Eutychianam hæreſim pertinentes. A quonam recitandæ erant, niſi ab eo qui ſacri Conſiſtorii Secretarius electus fuerat? Fruſtra igitur quæritur publicus quidam Codex, quum de peculiaribus epiſtolis ageretur. Hujuſmodi autem Codicem fruſtra etiam apud Juſtellum quæreremus, quum in editione Juſtelli nulla Leonis ad Flavianum epiſtola deſcripta legatur. Pergo ad actionem IV. ubi poſt lectam epiſtolam archimandritarum ad Concilium Chalcedonenſe ſcriptam pro reſtitutione Dioſcori, provocatum eſt ad ſcriptos eccleſiaſticos Canones. Hinc *Aetius archidiaconus Conſtantinopolis* (ſequor Labbeanam editionem) *ſanctæ & catholicæ Eccleſiæ dixit: Regula hæc eſt cum aliis poſita a ſanctis Patribus, quam cuſtodientes ſanctiſſimi Patres Epiſcopi, docent & Clericos & Monachos & omnes Chriſtum colentes, ſi aut reſultantes aut acquieſcere non volentes hac utantur regula. Et ex Codice relegit hæc*, &c. Lectus autem eſt Canon quintus Concilii Antiocheni. Porro inferius ubi de Caroſo & Dorotheo monachis actum eſt, qui Eutychem archimandritam ſuum ſequebantur, Canonum pariter lectio viſa eſt opportuna.

San-

Digitized by Google

Sancta Synodus dixit: Sacri Patrum Canones legantur, & commentariis inſerantur. Sumtoque libro Aetius archidiaconus & Primicerius magnæ Eccleſiæ legit. Lectus eſt autem Canon IV. Concilii Antiocheni. En rurſus Codicem in manibus Aetii archidiaconi & Primicerii Conſtantinopolitani. Sed nihil prohibet alios Codices præ manibus aliorum notariorum ſuis Epiſcopis adſiſtentium, aut Epiſcoporum ipſorum oculis ſubjectos exſtitiſſe. Electus eſt peculiariter, qui publice aliquando legeretur Codex Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, non ob ſingularem Codicis prærogativam, ſed quod Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ maximus honor jam tum deferri a Græcis cœpiſſet, præſertim etiam quod Chalcedonenſis civitas in Conſtantinopolitana provincia ſita eſſet, immo non longe a Conſtantinopoli diſſita: quamobrem Conſtantinopolitani Codices facilius & commodius in uſu eſſe poterant, quemadmodum in uſu eadem ratione fuiſſent Codices Antiocheni, ſi penes Antiochiam Concilium celebratum fuiſſet. Diſcuſſa poſtmodum eſt cauſſa Photii Epiſcopi Tyri & Euſtathii Epiſcopi Beryti. Poſtulavit Photius, ut Canones legerentur. Patribus annuentibus, *Atticus reverendiſſimus Epiſcopus Nicopolis Tyri legit*. Lectuſque eſt Canon IV. ex Nicænis. Ecce alium lectorem Canonum Atticum Nicopolitanum, quem ſane veroſimile haud eſt Codicem Canonum ab Aetio commodatum habuiſſe, ſed potius in ſuo Codice peculiari legiſſe. Idem ſentiendum eſt de ſequentibus: nam in actione XI., dum dirimeretur cauſſa Baſſiani & Stephani de Epheſino Epiſcopatu contendentium, ita Stephanus idem poſtulavit: *Supplico, ut Canones relegantur ... Glorioſiſſimi judices dixerunt: Relegantur hi Canones. Leontius reverendiſſimus Epiſcopus Magneſiæ ex Codice relegit regulam XCV.* (is erat Canon XVI. Concilii Antiocheni)... *Idem reverendiſſimus Leontius Epiſcopus ex eodem Codice legit regulam XCVI.* (is erat Canon XVII. Antiochenus) In actione XIII. actum eſt de privilegio metropolis Nicomediæ ab Eunomio ejuſdem civitatis epiſcopo. *Glorioſiſſimi judices dixerunt: Canones legantur. Beronicianus vir devotus, magiſtrianus & ſecretarius divini conſiſtorii ex Codice dato ab Eunomio reverendiſſimo Epiſcopo legit.* Lectus autem eſt Canon IV. Concilii Nicæni. Quid porro ſignificant iſthæc omnia, niſi tunc plures in manibus Epiſcoporum Codices Canonum exſtitiſſe, ex quibus unuſquiſque pro data occaſione Canones in publicum legeret? Quid non probant laudata poſtrema verba, ubi expreſſe nominatur Codex Eunomii Secretario Concilii porrectus? In primis enim & peculiariter fuiſſe Eunomii Codicem deſignatur: deinde quum nullibi in integris hujus Concilii actionibus legatur Codicem Canonum Epiſcopis pro occaſione legentibus porrectum eſſe, ſed tantum porrectum eſſe Beroniciano Secretario, ut in duobus hujuſmodi Actorum locis animadvertimus; manifeſte concluditur ſolum Beronicianum deſtitutum fuiſſe Codice, ceteros vero Epiſcopos ſuos unumquemque Codices habuiſſe. Quod ſi e contrario publicus Codex pro conciliaribus Actis electus fuiſſet, potius Beroniciano ſecretario commiſſus fuiſſet, nec ipſe indiguiſſet Codicem Canonum modo ab Aetio Conſtantinopolitano, modo ab Eunomio Nicopolitano porrectum accipere, quemadmodum accepit dictis in locis actione II. & XIII.

IV. Hæc quæ huc uſque retulimus, Chalcedonenſis Concilii fragmenta illa omnia ſunt, quibus ut plurimum innituntur qui ſentiunt unum Codicem Canonum in Chalcedonenſi Concilio probatum eſſe, eumque propterea *Codicem Eccleſiæ univerſæ* appellare non dubitant. Sed, ut aperte demonſtravi, jam liquet ex ipſis quæ afferunt monumentis, quam infirmum habeant ſuæ opinionis præſidium. Ego heic minime ſiſto: puto enim ulterius demonſtrari poſſe contrariis argumentis, tantum abeſſe: ut tempore Chalcedonenſis concilii confirmatus fuerit receptuſque publicus Canonum Codex, quin potius jam tum conqueri cœperint antiſtites ſacri de corruptis depravatiſque notariorum perverſitate Codicibus.

Re vera nuſpiam fuit mens Chalcedonenſium Epiſcoporum certum Canonum Codicem ſeligere, eumque probare: ut enim probarent & tamquam integrum proponerent, opus fuiſſet deliberatione & plurium Codicum in omnibus capitibus collatione, de qua minime conſtat in ſynodalibus Actis. Præterea concilium Chalcedonenſe gravioribus detinebatur negotiis quæ pertractaret, nimirum curanda erat definitio fidei, & erroris Eutychiani cenſura. Hinc in actione IV. ita legitur: *Diogenes reverendiſſimus epiſcopus Cyzici dixit: Synodus propter Eutychem facta eſt, non propter aliquid aliud*. Quod tamen magis obſervandum eſt, ad Acta ſynodalia ſpectant, quæ vel in ipſo concilio Chalcedonenſi depravata fuiſſe, & invicem minus conſona conſpiciuntur. In actione I. lecta ſunt Acta Epheſini concilii; & quum inter cetera deventum eſt ad id quod dixerat Baſilius Seleuciæ Iſauriæ epiſcopus, agnita ſtatim eſt vocum immutatio ab ipſomet Baſilio qui in Chalcedonenſi concilio præſens aderat, ita ajente: *Hanc vocem quam dicunt me dixiſſe, ego non dixi his verbis, neque ſcio iſta me dixiſſe*. Hinc exſurgens Juvenalis epiſcopus Hieroſolymorum exclamavit: *Hæc ergo vox adulterata eſt?* Replicavit Baſilius: *Non ſum memor, neque ſcio me dixiſſe*. In eadem rurſus actione I. ita legitur: *Conſulatu Flavii Zenonis & Poſthumiani virorum clariſſimorum ſub die VI. Idus Novembris .... & poſtquam relecta eſt prima & ſecunda Actorum ſeries ... Aetius diaconus & notarius dixit: Petimus ſanctam & magnam ſynodum interrogari, auditis propriis vocibus & geſtorum ſerie, ne aliquid falſatum ſit vel corruptum ... & relecta proſequutione viri religioſiſſimi Joannis presbyteri & defenſoris, Conſtantius diaconus & monachus dixit: Ita non eſt dictum per veſtigia veſtra, ut continet* &c. Rurſus inferius quædam perhibentur adjecta, quaſi a magnificentiſſimo Patricio dicta, quæ re vera dicta non fuerant. Ita habent Acta Chalcedonenſia. *Quemadmodum hæc quæ non eſt interlocutus magnificentiſſimus Patricius, geſtis inſerta ſunt? Aetius reverendus diaconus & notarius dixit: Quis vobis hæc dictavit? Ego vobis aliquid addere dixi? aut a vobis vel certe ab aliis hæc audientes feciſtis? ... Et poſtquam relectum eſt, Eleuſinius diaconus dixit: Non ſunt ſecundum ordinem poſita*. Poſt pauca rurſum dubitatum fuit de Actorum depravatione circa ea, quæ tamquam ab Eutyche dicta proferebantur. Quare plures interrogati, Timotheus, Seleucus, Baſilius & Julianus epiſcopi profeſſi ſunt ſe talia antea non audiviſſe. Dein quum Acta relegerentur Codicibus inſerta, deventum eſt ad ea quæ magnificentiſſimus Patricius dixerat: *Magnificentiſſimus Patricius dixit: Hanc interlocutionem non dixi; neque enim idoneus eram dicere. Reverendiſſimus epiſcopus hujus glorioſæ civitatis dixit: quæ dicuntur non fuiſſe tunc dicta, Actorum tamen ſerie continentur. Advertite vos notarii: contra vos enim de hoc certamen eſt, & opportuno tempore requirenda ſunt hæc diligentius*. Subdidit autem Seleucus epiſcopus, *Notarios debere de hac re purificare*; quamquam dein ita concluſerit: *Quoniam vero nunc juſſit piiſſimus noſter imperator fieri inquiſitionem, ſi falſata ſunt geſta; nunc arbitror non convenire de hoc loqui*. In fine hujus diſcuſſionis Aetius & diaconorum & notariorum primus ita ſe ſe excuſavit: *Uſque ad præſens adprobavimus noſmet ipſos in quibus potuimus, & quia ſæpe lectione facta nemo nos reprehendit: quoniam vero ante multum tempus dum chartæ prius apud nos eſſent, Aſterius qui nobiſcum eſt presbyter & notarius, nobiſcum conſtitutus & agens diſcendit, & chartas noſtras abſtulit & ſchedas & authenticas, & eſt duorum aut trium menſium tempus, & nihil ex his habemus. Si ergo in poſterum aliquid aut dicitur aut movetur de præſenti negotio, liberos nos eſſe decet*. Hæc ratio fuit, quare Eutyches dein Acta hujus Concilii tamquam corrupta accuſavit, ut in iiſdem Actis legitur, ibi: *Precibus datis ab Eutyche reverendiſſimo archimandrita, & accuſante geſta quæ acta ſunt, tamquam maligne a notariis immutata*. Sunt hæc Macedonii verba tribuni notarii & referendarii, qui ita ſubdidit: *Quum vero recederem, obvius mihi factus eſt Aſterius*, (is eſt qui ſchedas & authenticas abſtulerat) *conjurans me audire ab ipſo quæ volebat effari. Accuſabat autem reverendum Abraamium & nota-*

notarios tamquam immutantes in geſtis quædam capitula, & quia neceſſariam habet ipſe meta͞noas hujuſmodi malignitatem: illos quidem oſtendere talia, ſed ſine ejus ſcientia commiſiſſe. Subdidit poſt hæc Eutyches archimandrita: *Pervidet & veſtra reverentia, quia relectorum actio oſtendit geſta priora eſſe falſata.* [Hæ vero Actorum & Codicum depravationes liquidius adparent ex iis quæ habentur in actione XVI. ejuſdem concilii. Actum ibidem fuit de jure Romanæ & privilegiis Conſtantinopolitanæ ſedis, atque ad eam rem laudatus eſt Canon VI. Nicæni concilii, ex diverſis tamen Codicibus, atque etiam diverſimode deſcriptus. En verba ipſa Actorum Chalcedonenſium. *Glorioſiſſimi judices dixerunt: Utraque pars Canones proponat. Paſchaſinus reverendiſſimus epiſcopus vicarius ſedis apoſtolicæ recitavit. Trecentorum decem & octo patrum Canon ſextus. Quod eccleſia Romana ſemper habuit primatum. Teneat autem & Ægyptus, ut epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano epiſcopo hæc eſt conſuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia conſtitutus eſt, & in ceteris provinciis primatus habeant eccleſiæ civitatum ampliorum. Per omnia autem manifeſtum ſit, quod ſi quis præter voluntatem metropolitani epiſcopi fuerit ordinatus, hunc ſtatuit hæc ſancta Synodus non debere eſſe epiſcopum. Sane ſi communi conſenſui & rationabiliter probato & ſecundum eccleſiaſticam regulam ſtatuto, duo aliqui aut tres per contentionem ſuam contradicant; illa obtineat ſententia, in qua plures fuerint numero Sacerdotes. Quoniam vero mos antiquus obtinuit & vetuſta traditio, ut etiam Æliæ, id eſt Hieroſolymorum epiſcopo deferatur, habeat conſequenter honorem ſuum: ſed metropolitano ſua dignitas ſalva ſit. Conſtantinus devotus ſecretarius divini conſiſtorii ex dato Codice ab Aetio archidiacono Conſtantinopolitanorum ſanctiſſimæ eccleſiæ recitavit. Regula ſexta CCCXVIII. ſanctorum patrum. Antiquæ conſuetudines teneant in Ægypto, ut Alexandrinus epiſcopus omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano epiſcopo hæc conſuetudo eſt. Similiter autem & Antiocheno, & in aliis provinciis primatus habeant Eccleſiæ civitatum. Univerſaliter autem illud manifeſtum eſt, quia quiſquis præter voluntatem metropolitani fiat epiſcopus, hunc Sancta Synodus definivit non eſſe epiſcopum. Sane ſi communi omnium conſenſui rationabiliter probato & ſecundum eccleſiaſticam regulam ſtatuto, duo aliqui vel tres per contentionem ſuam contradicant, definitio obtineat plurimorum.* En apertiſſime demonſtratur non tantum in concilio Chalcedonenſi plures fuiſſe Codices, verum etiam fuiſſe in Codicibus ipſis ſcriptionis varietatem & depravationem, tanto minus autem publico Codici probando & confirmando locum fuiſſe: fruſtra enim tum & Romani pontificis legati & ſedis Conſtantinopolitanæ patroni actione XVI. videlicet ſub finem concilii, diverſis codicibus iiſdemque variam lectionem habentibus uſi fuiſſent.

V. Sibi itaque perſuadeant quicumque voluerint de *Codice Canonum univerſæ Eccleſiæ* per concilium Chalcedonenſe probato. Mihi aliter viſum eſt vel una Chalcedonenſis concilii Acta perpendenti. Appellant, non ignoro, qui contra ſentiunt, ad Canonem Chalcedonenſis concilii a Gratiano relatum in Can. XIV. Cauſ. XXV. q. I. nec non ad Novellam CXXXI. Juſtiniani imperatoris. Verum quid aliud, bone Deus! laudatis in locis oſtenditur, quam definitio hujuſmodi, ut unuſquiſque præcedentia Synodorum ſtatuta moribus obſervet? De Codice vero nulla mentio eſt, immo ne verbum quidem, ut nemo exinde ſibi blandiri poſſit, fictoſque eccleſiaſticos Codices vetuſtiſſimæ Eccleſiæ commento ſuo tribuere.

OBSERVATIO III.

De celebrioribus vetuſtis Græcorum Collectionibus.

I. VIx utile forte videbitur propoſito meo de Græcis Canonum Collectionibus differere: etenim Gratianus quem perſequi debeo, Græci idiomatis prorſus ignarus fuit, proinde nihil ex Græcis fontibus derivare unquam potuit. Scio quidem in Gratianeo Codice aliqua legi Græca vocabula; verbi gratia in Can. XXXIX. Cauſ. XXIV. q. III. Jam diu vero viri eruditi obſervarunt in vetuſtis Gratiani exemplaribus non haberi, ſed adjecta fuiſſe per Antonium Democharem & Antonium Contium, qui excultius Decretum Gratianeum edidere, quos deinde ſecuti ſunt Romani Correctores. Veruntamen quum Gratianus Latinis immediate Codicibus uſus fuerit, Latinorum autem Codicum auctores a Græcis plurima acceperint; juvabit etiam ſaltem pauca de Græcis Codicibus attingere.

II. Poſt Codicem, ut ajunt, Eccleſiæ univerſæ ab Juſtello editum, quem ſuſpicor fuiſſe Codicem peculiarem alicujus diœceſis uſui apud veteres deſtinatum, adparet apud eruditos Græca Collectio quam Joannes Doviatius in lib. III. Prænotionum canonicarum cap. V. probabilius tribuit Theodorito Cyrenſi epiſcopo. Tradunt autem in ea nihil amplius contineri quam quod in Codice univerſæ Eccleſiæ nuncupato comprehendatur, exceptis tantummodo Canonibus Apoſtolorum & Canonibus Sardicenſibus, qui in hac Theodoriti Collectione leguntur. Si perſonam Collectoris, videlicet Theodoriti Cyrenſis inſpiciamus, mihi ſuſpecta quoquo modo videtur: etenim varias ipſe paſſus eſt controverſias cum Dioſcoro Alexandrino a quo ab ipſa ſede ſua dejectus eſt: propterea que non eſt præſumendus adeo temperate maturoque conſilio ſacros Canones voluiſſe deſcribere, quemadmodum Collectorem integræ fidei decebat; præſertim vero quod ejus ſcripta publico totius Eccleſiæ teſtimonio reprobata ſint in Synodo V. generali, ſive II. Conſtantinopolitana. Si Canones relatos attendamus, ii nec orientali nec occidentali eccleſiæ placuerunt: non orientali in qua ſcribebat, quia retulerat Sardicenſes Canones quos orientales tunc improbaverant; non occidentali, quia Canones quos tamquam apoſtolicos retulit, uti ſuo loco dicemus, nonniſi poſteriore ætate in occidente recipi potuerunt.

III. Celeberrima vero inter Græcas Collectiones illa eſt, quæ in Synodo Trullana ſive Quiniſexta probata dicitur, & eccleſiæ orientali propoſita anno 692. Continebantur in ea in primis Canones Apoſtolorum, deinde Nicæni aliique prioribus Collectionibus inſerti, Sardicenſibus tantum exceptis; itemque Carthaginienſes, ſelecti ſcilicet ex pluribus Africanis conciliis ad numerum 133. quales edidit Chriſtophorus Juſtellus in ſua Bibliotheca Juris Canonici veteris tom. 1. pag. mihi 328. Additi præterea ſunt Canones Conſtantinopolitani concilii a Nectario & Theophilo Alexandrino habiti anno 394. in cauſſa Agapii & Bagadii de Boſtrenſi epiſcopatu inter ſe contendentium. His acceſſere Canones ſancti Dionyſii Alexandrini qui medio III. Sæculo floruit. Continebant iſti reſponſa quædam Dionyſii, quibus ſatis fiebat interrogationibus epiſcopi Pentapolitani. Acceſſerunt etiam quindecim Decreta Petri epiſcopi Alexandrini de lapſis tempore perſecutionum initio ſæculi IV item Canones undecim Gregorii Thaumaturgi Neocæſareæ in Ponto Polemoniaco archiepiſcopi, in quibus agebatur de pœnitentia variorum criminum, præſertim de idolothytorum participatione, circa annum CCLX. Adjectæ ſunt tres epiſtolæ Athanaſii qui paullo poſt Nicænum Synodum eccleſiæ Alexandrinæ præſedit: prior ſcilicet ad Ammonem monachum; altera quæ eſt inter feſtales XXXIX. ubi libri canonici recenſentur, poſtrema de lapſis in hæreſim ad pœnitentiam admittendis, ad clerum miſſam, aut quemadmodum aliis lubet, ad Ruſticianum epiſcopum. Non omiſſæ fuerunt Baſilii Cappadociæ Cæſareæ epiſcopi tres epiſtolæ ad Amphilochium Iconii antiſtitem, quarum prima in XVI. ſecunda in LXIX. capita diſtribuitur, tertia unico capite de ciborum delectu adverſus Encratitas abſolvitur: præterea ejuſdem Baſilii epiſtola ad Gregorium presbyterum, epiſtola ad chorepiſcopos, fragmenta duo ex libro de Spiritu ſancto ad Amphilochium, & fragmentum epiſtolæ ad Nicopolitanos in Armenia minore. Hæc pertinent ad annum circiter CCCLXX. Laudatus etiam eſt Gregorius Nyſſenus Baſilio coævus, & canonicis adnumerata eſt ejuſdem epiſtola ad Letojum Meliti-

nes in minore Armenia epiſcopum; laudatus Gregorius alter, ſcilicet Nazianzenus primum, deinde epiſcopus Conſtantinopolitanus, Baſilio etiam & Gregorio Nyſſeno coævus, relatuſque eſt in Codicem Canonum ejus liber qui inſcribebatur *Librorum Sacræ Scripturæ catalogus*, verſibus concinnatus. Inſerta eidem Codici fuerunt ſcripta Amphilochii Iconienſis in Licaonia epiſcopi, XVII. reſponſa Timothei fratris Petri Alexandrini epiſcopi, qui poſt Athanaſium patriarcha Alexandrinus electus fuit; epiſtolæ duæ Cyrilli patriarchæ Alexandrini poſt annum CCCCXII. una ſcilicet ad Domnum, altera ad epiſcopos Libyæ & Pentapoleos in ſeptem Canones diſtributæ: demum epiſtola Gennadii ad ſummum pontificem & ſynodum Romanam adverſus ordinationes quæ data pecunia celebrarentur. Fuit Gennadius poſt Anatolium Conſtantinopolitanus patriarcha anno CCCCLVIII.

IV. Qualis eſſe debeat hujus Collectionis auctoritas, facile unuſquiſque intelligit. Etſi enim in ea plurima, & quidem venerabilia ſacræ vetuſtatis orientalis monumenta reperiantur; tamen quum auctores habuerit quoſdam Græcos epiſcopos in ſchiſmata pronos, qui illegitime convenerant, ut adjicerent quæ ſynodis generalibus quintæ & ſextæ deeſſe arbitrabantur, qui præterea plura germano Eccleſiæ ſenſui contraria ſtatuere non dubitarunt, inter cetera clericalem cœlibatum damnavere: non eſt cur eidem facile fidere poſſimus aut debeamus. Illud autem obſervandum erit, per hos Trullanos epiſcopos in hanc Collectionem relatum eſſe Canonem Africanæ eccleſiæ ſub ſancto Cypriano editum de baptiſmate per hæreticos fruſtra collato; quod veterem controverſiam jam diu ſopitam renovare poſſe videbatur, aut ſaltem veteres ſanctorum patrum contentiones ad memoriam imprudentiſſime revocare. Hanc itaque Collectionem arbitror apud illos equidem epiſcopos plurimum valuiſſe qui ad Trullanam ſynodum convenerant eamque in ſuis diœceſibus receperunt, additis deinde Canonibus concilii Nicæni II. quum ad ejus tempus deventum eſt: verum ad alios epiſcopos aliaſque diœceſes numquam perveniſſe obſervandam, nec pro Codice eccleſiaſticarum legum habendam.

V. Novam colligendorum Canonum methodum invexit Joannes Antiochenus cognomento Scholaſticus, qui anno DLXXIV. prope finem imperii Juſtiniani, pulſo Eutychio, ad Conſtantinopolitanam ſedem evectus eſt, obiitque anno DLXXVIII. quo reſtitutus fuit Eutychius a Theodoro Apſimaro Juſtiniani ſucceſſore, quemadmodum tradunt Evagrius lib. IV. hiſtor. eccleſ. cap. XXXVII. prope finem, Nicephorus in Chronico & in Catalogo patriarcharum Conſtantinopolitanorum. Collegit ipſe Canones Græcorum conciliorum, ne Sardicenſi quidem excepto, cujus Canones forte ex memorata Theodoriti Cyrenſis Collectione deſumſerat; eoſque omnes in quinquaginta Titulos diſtribuit. Huc pertinet fragmentum illud epiſtolæ Nicolai Papæ ad Photium: *Quomodo*, ait Nicolaus, *non ſunt penes vos Canones Sardicenſes, quando inter quinquaginta Titulos quibus concordia Canonum apud vos texitur, ipſi quoque reperiuntur?* Collegit, inquam, ſed non ſervato ordine temporum, quemadmodum alii Collectores conſueverunt; ſed unaquæque congerendo juxta ordinem rerum, quas pertractandas ſuſcipiebat. Primo enim de epiſcopis egit, inde de presbyteris, diaconis, hippodiaconis, ceteriſque inferioribus clericis, dein de monachis, poſtremo de laicis; ac ſingulis accommodatos Canones delineavit. Porro hic Codex non fuit eadem ſemper ſpecie: nam quum Joannes illius auctor adhuc eſſet presbyter Antiochenæ eccleſiæ, tantummodo continebat Canones ab Eccleſiæ Codicibus depromtos, quales erant, qui Apoſtolici vocabantur, Nicæni, Ancyrani, Neocæſarienſes, Sardicenſes, Gangrenſes, Laodiceni, Conſtantinopolitani, Epheſini & Chalcedonenſes: item quos ex epiſtolis canonicis ſancti Baſilii deſcripſerat. At quum Joannes Conſtantinopolitanam ſedem tenuit, eccleſiaſticis regulis imperatorias etiam leges adjecit. Et en originem *Nomocanonum* apud Græcos, videlicet Collectionum tum ex jure civili, tum ex jure ſacro confectarum. Erat enim hic Joannes in numero *Scholaſticorum*; quo nomine tunc temporis appellabantur *Advocati*; ſive qui apud magiſtratus ex jure conſultorum doctrina clientum ſuorum cauſſas tuebantur: propterea facile adduci potuit, ut eccleſiaſticis negotiis definiendis jus etiam civile adferret, ubi Canonibus eccleſiaſticis conſonum videretur, præſertim vero quod tunc temporis nuper imperator Juſtinianus in urbe regia Novellas conſtitutiones ediderat & promulgaverat, immo univerſum civile jus in novam formam redegiſſe gloriabatur: Joannes vero favore Juſtiniani, pulſo Eutychio, ad ſedem Conſtantinopolitanam conſcenderat. Nihil itaque opportunius novo epiſcopo videbatur, ut ſibi imperatoris benevolentiam captaret augeretque, quam ejuſdem imperatoris conſtitutiones in ſacros ipſos Codices referre, atque tamquam Eccleſiæ utiles auctoritate ſua probare. Hunc Codicem Juſtellus edidit in ſecundo tomo ſuæ Bibliothecæ Juris Canonici veteris. At ſi de ejus auctoritate quæratur, facile dubitaverim ob animum auctoris ad ſeditionem paratum; intrudi enim ſe paſſus eſt, expulſo Eutychio, legitimo Conſtantinopolitanæ eccleſiæ antiſtite, non aliam ob cauſſam quam quod hæreſi Incorruptibilium acerrime obſtitiſſet. Quid exſpectare nos poſſumus ab homine ſchiſmatico, quique humanis affectibus, ſpretis ipſorum Canonum ſanctionibus, ferebatur? Satis erit ejus manibus, quoties ejus ingenium laudemus, quod ſciverit Canonico juri novam formam tribuere, illudque faciliore methodo illuſtrare; quod ſciverit legum civilium quibus ante ſtuduerat, Collectores æmulari, quorum ſollertia recens civile jus non per temporum ſeriem, ſed diſtinctis rerum titulis diſpoſitum fuerat atque ordinatum.

VI. Joannis Antiocheni exemplo Photius quoque patriarcha Conſtantinopolitanus anno circiter DCCCLX. Nomocanonem condidit, collectionem videlicet ex Canonibus ſimul atque imperatoriis ſanctionibus compoſitam. Ferme omnia in hoc Codice Photius congeſſit, quæ ſuperius diximus in Codice Trullani concilii contineri: addidit tamen plura concilia a ſe celebrata, quæ licet apud Græcos venerabilia fuerint, Latinis tamen tamquam illicita conventicula ſemper audierunt. Illa concilia ſunt, quibus Ignatius a Conſtantinopolitana ſede Photii ambitu dejectus damnari per vim debuit, & nova Photii dignitas per vim occupata defendi. Addidit præterea quinque opuſcula Theophili Alexandrini, ſcilicet *Allocutionem* quum ſancta Theophania die dominico inſtarent, *Commonitorium* ex X. Canonibus conſtans, Ammoni datum propter ea quæ geſta fuerant apud Lyco Ægypti civitatem, *Epiſtolam de iis qui dicuntur Cathari*, Epiſtolam ad Agathonem epiſcopum, & Epiſtolam ad Mennam epiſcopum. (Theophilus hic Alexandrinus circa annum CCCLXXXV. damnationi S. Joannis Chryſoſtomi ſubſcripſit, quamobrem fertur ab Innocentio I. communione privatus: quamquam aliqui tradunt illum ſe pœnitentia expiaſſe, quam plura poſtea pro Eccleſia peracta, & quidem egregia monumenta teſtantur.) Adjecit inſuper epiſtolam Tharaſii Conſtantinopolitani ad Hadrianum papam circa annum DCCLXXXVII. de ordinationibus per pecuniam minime faciendis. Singulis autem eccleſiaſtici juris capitibus, legum civilium non verba, ſed titulos accommodavit, indicans loca quæ materiei quam tractabat, in jure civili conſonarent. Nemo, arbitror, ex iis qui unitati Eccleſiæ adhærent, ſchiſmatico homini talem fidem habebit, ut hanc Collectionem pſeudo canonibus undequaque refertam recipiat, ut ex ea diſciplinam eccleſiaſticam aut ſtabiliendam derivandamque, aut confirmandam arbitretur, tanto minus hodierna ætate, poſtquam ad manus interpretationemque Zonaræ, nec non Balſamonis pervenit. Zonaras in primis circa annum MCXX. & Gratiano noſtro in diſſita tamen regione fere coævus, commentariis illuſtrandam aggreſſus eſt Photii Collectionem, & poſt Zonaram Theodorus Balſamon, vir ſchiſmaticus, diaconus primum eccleſiæ Conſtantinopolitanæ & chartophylax, id eſt, chartis eccleſiaſticis ſive archivo præfectus circa annum MCLXX. deinde vero Antiochenus patriarcha titulo tenus ſalutatus; etenim Latini tunc Antio-

Digitized by Google

tiochiam occupaverunt, ſuumque ibi patriarcham conſtituerant: quod Balſamoni acerrimi odii adverſus Latinos occaſionem dedit. Is itaque manum admovit Nomocanoni Photiano, & nedum ſacros Canones conciliorum & patrum pro lubito accommodavit, verum etiam jura civilia ex codice Juſtiniani recte depromta reduxit ad *Baſilica*: unde novum jus ea ætate apud orientales vigebat. Sed hæc nullo modo pertinent ad rem noſtram, quum Gratianeo Codice paullo poſteriora ſint. Satis ſit oſtendiſſe Codicem Photianum & a ſchiſmatico homine fuiſſe confectum, & a ſolis ſchiſmaticis viris poſteriore ætate ſimul cum veteris Græcæ eccleſiæ monumentis perturbatum, ne dixerim etiam ſuſdeque perverſum.

VII. Quid jam nunc de ceteris Græcis obſcurioris nominis Collectoribus loquar? In medium adferri poſſet Epitome Canonum Simeonis magiſtri & logothetæ (logotheta dicebatur apud Græcos, cujus munus erat circa res eccleſiæ communes, ut obſervat Joannes Meurſius in Gloſſario Græcobarbaro) qui ſæculo IX. floruiſſe dicitur. Item Alexii Ariſtini diaconi eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Synopſis Canonum, quos veluti in epitomen redegit circa annum MCXXX. aut alia epitome Canonum a Conſtantino Harmenopulo Theſſalonicenſi elucubrata eadem ætate; ut de poſterioribus ſileam. Verum omnium iſtiuſmodi Collectionum una eademque apud nos eſſe debet exiſtimatio, vel quod ut plurimum a viris ſchiſmaticis compoſitæ fuerint, vel quod Photiano Codici ita innitantur, ut alias prorſus Collectiones auctores hujuſmodi omnino ignoraſſe videantur; immo etiam Photianis ipſis conciliis eamdem affingant auctoritatem, quam ſanctioribus generalium conciliorum Canonibus ſe exhibere profitentur.

OBSERVATIO IV.

De Collectionibus vetuſtis Latinis, quæ peculiaribus eccleſiis adſcribuntur.

I. VEnio nunc ad Latinas Canonum Collectiones, quæ ad duo potiſſimum capita referri commode poſſunt. Aliæ enim ſunt quæ peculiarium eccleſiarum nomine laudantur, ſive quæ creduntur ab eccleſiarum ipſarum notariis epiſcoporum auctoritate ad diœceſis vel provinciæ uſum confectæ, aliæ vero privato cujuſdam ſtudio elaboratæ, licet dein vel ob auctoris vel ob collectionis ipſius merita in pretio habitæ & plurium uſu receptæ. De illis dicam in primis, quæ peculiarium eccleſiarum nomine hodie inſcriptæ feruntur: & quamquam minime dubitaverim unamquamque eccleſiam ſive diœceſim ſuum olim habuiſſe Canonum Codicem, quemadmodum in præſens in unoquoque epiſcopatu ſua ſunt ſynodalia Conſtituta peculiaria quibus eccleſiaſtica diſciplina regitur; tamen ad noſtram ætatem paucæ admodum pervenerunt, & vix duarum eccleſiarum Codices apud eruditos vetuſtatis amatores memorantur. Ii ſunt Codices eccleſiæ Romanæ, nec non Africanæ. Exordior ab eccleſiæ Romanæ Codice, cujus ratione plura ſunt animadvertenda.

II. Præ primis autem nuſpiam ferre potui, quod plures vulgo tradunt, Romanam eccleſiam uſque ad concilii Chalcedonenſis ætatem non alios agnoviſſe Canones quam Nicænos. Videtur hæc injuria valde gravis priſcis pontificibus maximis, quibus talis oſcitantia tribuitur rerumque canonicarum contemtus, ut vel ipſa conciliorum generalium Conſtituta minimi facerent, nec curarent apud Latinos quibus etiam peculiari ratione præerant, palam exhibere. Quid memorem Sardicenſe concilium ad quod tercenti circiter ex occidente epiſcopi convenerant, & ſaluberrimas regulas ad diſciplinam eccleſiaſticam ſtabiliendam conſtituerant? Me refero ſtatim ad concilium Conſtantinopolitanum I. generale II. ad Epheſinum ſeu generale III. cujus ſanctiſſimas Sanctiones a Romanis potiſſimum pontificibus ſervari decebat, a quibus teſte Gregorio Magno, tamquam ipſa Evangelia colebantur. Video undenam decepti fuerint qui adeo perperam de vetuſtis Romanis pontificibus ſenſerunt. Inciderant illi in Acta concilii Chalcedonenſis, ubi actione XVI. quum ageretur de prærogativa patriarchæ Conſtantinopolitani, ceteris orientalibus epiſcopis præferri ambientis, Græci legerunt in ſuo Codice Canonem tertium concilii Conſtantinopolitani. Eo autem lecto Lucentius Romanæ Sedis legatus inquit: *Canones iſtius ſynodi in ſynodicis Conſtitutionibus non habentur*. Inciderant præterea in duas epiſtolas Innocentii Papæ I. Prior a Sozomeno laudatur lib. VIII. hiſt. eccleſ. cap. XXVI. & Nicephoro lib. XIII. cap. XXXIII. ſcripta ad clerum & populum Conſtantinopolitanum, ubi leguntur hæc verba: *Nos enim quantum ad Canonum obſervantiam attinet, illis obſequendum eſſe decernimus qui Nicææ determinati ſunt, quibus ſolis obtemperare & ſuum ſuffragium addere Eccleſia catholica debet*. Altera eſt ad Theophilum Alexandrinum, quem invitat ad concilium Romæ celebrandum in cauſſa S. Joannis Chryſoſtomi, ubi hæc habentur: *Tu quoque judicio accurre ad ſynodum proxime in Chriſto celebrandam, & ibi juxta Nicæni concilii Canones & decreta contende: alios quippe Canones Romana non admittit eccleſia*. Moveri etiam ex eo fonte potuerunt, quod dicitur in epiſtola XXXI. lib. VI. Gregorii Magni de concilio Conſtantinopolitano I. ibi: *Romana eccleſia eoſdem Canones vel geſta ſynodi illius hactenus non habet nec accipit: in hoc autem eamdem ſynodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum*.

III. Hæc illa ſunt, ex quibus aliquibus perſuaſum eſt uſque ad tempora concilii Chalcedonenſis non alios, niſi Nicænos Canones in Romana eccleſia fuiſſe receptos. Verum memorata tam concilii Chalcedonenſis, quam Innocentii & Gregorii loca meliorem deſiderant interpretationem, quam quæ vulgo adfingatur. In concilio Chalcedonenſi minime dixit Lucentius legatus Conſtantinopolitani concilii Canones in Codice Romanæ eccleſiæ non haberi, ſed tantum non haberi *in Synodicis Conſtitutionibus*. Sedis pontificiæ legati inter quos erat Lucentius, dum ad concilium commearunt, non jam ſecum detulerunt integros Codices Canonum univerſorum qui in Romanæ eccleſiæ archivis extiterant: neque enim decebat ſupervacaneis Codicibus gravari. Synodus Chalcedonenſis ob unam Eutychis hæreſim damnandam congregata eſt. Hæc fuit mens Leonis Magni, qui illud potiſſimum legatis ſuis commendavit, ne aliud in concilio promoverent. Hinc in actione IV. ſuperius jam memorata legitur: *Synodus propter Eutychem facta eſt, non propter aliud*: & poſt actionem VI. qua jam contra Eutychem ſatis proceſſum fuerat, clamaverunt epiſcopi: *Dimitte nos pie imperator, dimitte nos*: Itaque non alios legati pontificis Codices adferre debuerunt, quam eos qui ad fidem dominicæ incarnationis illuſtrandam pertinere poterant, adſummum vero Nicænæ Synodi exemplar. Ut enim Nicæna Synodus prima erat ex generalibus, ex ejuſdem Actis pontificii legati normam in novo concilio celebrando eximiam habere poterant. Paullo aliter meditati fuerunt Conſtantinopolitani, qui de privilegio ſuæ eccleſiæ ſoliciti, non tam catholicæ fidei, quam ſuam etiam cauſſam in concilio pertractari cupiebant; ideoque etiam illorum Canonum Codicem ſecum adtulerant, unde ſedis ſuæ jura probari poſſe credebant. Hinc eſt, a legatis pontificis minime allatos ad concilium fuiſſe Conſtantinopolitani concilii Canones, quos ſecum habebant Conſtantinopolitani. Atque huc pertinent illa verba Lucentii legati, quibus profeſſus eſt Canones Conſtantinopolitanos *in Synodicis Conſtitutionibus* ſe non habere, in illis ſcilicet Codicibus quos ſecum ad Synodum pergens adtulerat. Quæ propterea verba ſic commoda eaque perſpicua interpretatione illuſtrata, quam quæſo vim amplius faciunt, ut concludatur, Conſtantinopolitanos Canones Romanis fuiſſe prorſus ignotos?

IV. Idem quoque eveniet, ſi recta ratione laudata Innocentii & Gregorii verba referamus: neque enim pugnandum eſt obtruncatis mutilatiſque fragmentis patrum, ut res meo judicio graviſſima definiatur; ſed potius oportet eorum mentem inti-

Digitized by Google

mius ſcrutari. Itaque Innocentius I. cauſſam agebat S. Joannis Chryſoſtomi Conſtantinopolitani epiſcopi, & jam diu coepiſcoporum invidia atque odio a ſua ſede deturbati, alio in ejus locum ſuffecto adverſus ſacros Canones, & quidem celebrata Synodo quæ appellatur *ad Quercum*, ubi unanimi ſententia malorum epiſcoporum vir Sanctiſſimus damnatus fuerat. Hujus Synodi definitionem magni faciebant orientales Chryſoſtomo infenſi; ita ut quoties Chryſoſtomus aut alii Chryſoſtomi ejuſdem defenſores ad Nicæni potius concilii regulas provocarent, illi ſtatim novæ Synodi ſuæ, quam jure pſeudo Synodum appellare poſſumus, decreta producere non dubitarent. Produxerunt eadem in conſpectum Innocentii Papæ: qui propterea jure ſcripſit, ſe Romanamque eccleſiam ſolis Nicææ Canonibus uti, non ut Canones ſequentium generalium conciliorum excluderet, ſed ut illis acquieſcere recuſaret qui in pſeudoſynodis conditi erant & Nicænis regulis omnino contrarii. Hanc porro fuiſſe Innocentii ſententiam, apertiſſime liquet ex verbis integris epiſtolæ ad clerum & populum Conſtantinopolitanum: poſtquam enim Innocentius ſcripſerit illis Canonibus obſequendum eſſe qui Nicææ determinati ſunt, *quibus ſolis abtemperare & ſuum ſuffragium addere Eccleſia catholica debet*, ſtatim immediate ſubdidit: *Si qui vero & alii a quibuſdam praferuntur qui a Canonibus Nicænis diſcrepant & ab hæreticis compoſiti deprehenduntur, hi vero ab epiſcopis catholicis rejiciuntur. Hæreticorum enim commenta catholicis Canonibus aſſuere non licet: ſemper enim vel per contraria, vel per illicita labefactare voluntatem ſtudent concilii Nicæni. Non ſolum igitur his non obtemperandum eſſe dicimus, ſed ipſa potius cum hæreticis & Schiſmaticis dogmatibus eſſe condemnanda, quomodo & antea in Sardicenſi Synodo ab epiſcopis prædeceſſoribus noſtris [illegible]*, &c. Quid his verbis luculentius eſſe poteſt? Prætereo quod enim Innocentius concilium Sardicenſe laudet, ejuſdemque exemplo [illegible] utatur, quo ſane indicat, Sardicenſis concilii Acta, non ſolius Nicæni concilii Canones, Romanæ eccleſiæ tum nota fuiſſe, ita ſe Nicænos Canones ſolos recipere aſſerit, ut ceteros rejiciat qui *a Canonibus Nicænis diſcrepant & ab hæreticis compoſiti deprehenduntur, qui ab epiſcopis catholicis rejiciuntur*, quos appellat *commenta hæreticorum*, quæ potea con[illegible] *cum hæreticis & ſchiſmaticis dogmatibus eſſe condemnanda*. Hæccine forte eſſe potuerunt Canones concilii Conſtantinopolitani œcumenici? Videant, qui hanc Innocentio ſententiam affingunt, quo progredi coguntur, quum ſolos Nicænos Canones in Romano Codice exſtitiſſe putant; ſcilicet ceteros ſequentium conciliorum etiam ſanctiſſimorum & generalium non ſolum Romanis ignotos fuiſſe, verum etiam a Romana eccleſia reprobatos atque damnatos, atque ideo Nicænis Canonibus minime junctos, quod *hæreticorum commenta catholicis Canonibus aſſuere non liceat*. Eadem porro eſt Innocentii ejuſdem ſententia in epiſtola ad Theophilum Alexandrinum, ubi eamdem Chryſoſtomi cauſſam agebat. *Alios*, inquit, *Canones Romana non admittit eccleſia*, præter Nicænos, id eſt a Nicænis diverſos, Nicænis contrarios, quos in pſeudoſynodis hæretici quidam epiſcopi ex invidia ediderunt. Qui contra ſentiunt, non abuſi ſane fuiſſent hoc Innocentii fragmento, ſi epiſtolam Innocentii legiſſent, qualis exhibetur a Baronio ad annum 404 n. XXXVII. qui ſignificationem verborum pontificis obtulit, qualis re vera aſſignanda erat: ſcribit enim: *Alios (ab his ſcilicet diverſos) Romana non admittit eccleſia*.

Reſtat adhuc expendendum Gregorius Magnus, cujus integra verba adferre juvat, ſine quibus recta non poteſt eſſe mentis pontificiæ interpretatio. Scribit ibi Gregorius ad epiſcopos plures orientales de Cyriaco electo Conſtantinopolitano epiſcopo, quem ſuaſerat, ut œcumenici epiſcopi nomen a prædeceſſoribus uſurpatum minime aſſumeret, & a quo fidei profeſſionem acceperat quam epiſcopi initio ſuæ promotionis mittere conſueverant. In hac fidei profeſſione Cyriacus dixerat inter cetera ſe Eudoxium damnare, quod utpote novum Gregorius ſtatim probare non potuit, ac propterea ita ſcripſit. *Quemdam vero Eudoxium damnavit, quem neque in Synodis damnatum invenimus, neque a deceſſoribus ejus in Synodis reprobatum. Et Canones quidem Conſtantinopolitani concilii Eudoxianos damnant; ſed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minime dicunt. Romana autem eccleſia eoſdem Canones vel geſta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem eamdem ſynodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum; reliquas vero hæreſes quæ illic memoratæ ſunt, ab aliis jure patribus damnatas reprobat. De Eudoxianis vero nihil hactenus agnovit. In hiſtoria autem Sozomeni de quodam Eudoxio qui Conſtantinopolitanæ eccleſiæ epiſcopatum arripuiſſe dicitur, aliqua narrantur: Sed ipſam quoque hiſtoriam ſedes apoſtolica accipere recuſat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopſueſtiæ multum laudat*, &c. Itaque in primis peto ab illis qui hoc Gregorii capite utuntur, an tantum velint uſque ad concilii Chalcedonenſis ætatem nullos alios orientales Canones præter Nicænos Romanæ eccleſiæ cognitos exſtitiſſe, an vero etiam id aſſerant, poſt concilium Chalcedonenſe? Poſt concilium Chalcedonenſe quicumque ſcripſerunt, admittere debuerunt non ſolum Canones Græcorum conciliorum generalium, verum etiam provincialium apud Romanos agnitos fuiſſe, præſertim vero poſtquam Dionyſius Exiguus eoſdem Romæ evulgavit. Si ergo res tota reducitur ad tempora quæ Chalcedonenſe concilium præceſſerunt, eccur ex Gregorio Magno probare nituntur, ad eam uſque ætatem non alios Romæ receptos fuiſſe Canones, quam Nicænos? Loquimur quidem de Gregorio Magno, qui & Chalcedonenſi concilio, immo etiam Dionyſio Exiguo fuit longe poſterior. Alio itaque pertinent deſcripta Magni Gregorii verba; quæ ut intelligantur, monere oportet Synodicarum actionum nomine duo venire poſſe. Primum, prævius rerum diſcutiendarum tractatus, quo fit ut unuſquiſque in concilio præſens aut proponat, aut reſpondeat, diſputetve, [illegible] aut ſuffragium: Alterum eſt, [illegible] ipſa ſynodica quæ Canonis nomine pro[illegible]. Quoties concilium [illegible], unuſ[illegible] ex epiſcopis ibi [illegible] congregatis, ſolicitus [illegible] ſynodicas ſive Canones [illegible] ſecum [illegible] prævias tractationes [illegible] ſuffragia doctorum, diſputationes [illegible] acta [illegible] illam eccleſiam manent, [illegible] quam [illegible] celebratum eſt. Itaque apud Romanam eccleſiam tempore Gregorii Magni deſiderabantur acta concilii Conſtantinopolitani, non quidem illa quibus ſynodicæ definitiones & Canones continerentur, ſed illa quæ prævias concilii tractationes exhiberent: atque ita Gregorium Magnum intelligendum exiſtimo. Re vera Gregorii verba laudata id demonſtrat; etenim conqueritur a Cyriaco in profeſſione damnatum Eudoxium, quem ipſe *in ſynodis* damnatum non invenerat. Porro ſynodorum nomine non venit ſola Nicæna ſynodus, ſed exinde colligitur Gregorium plures Græcorum ſynodos habuiſſe, quas ea in re ſcrutaretur. Quid vero ſibi volunt ea verba, *Et Canones quidem Conſtantinopolitani concilii Eudoxianos damnant, ſed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minime dicunt*? Nonne ex his manifeſte colligitur apud Gregorium extitiſſe Canones concilii Conſtantinopolitani in quibus damnatos Eudoxianos, non Eudoxium aliquem, ſe reperiſſe profitetur? Sane ſi Canones Conſtantinopolitanos, quales hodie vulgatos habemus, inſpicimus, id ipſum agnoſcemus: ut concludendum ſit, Gregorium eoſdem in Romana eccleſia habuiſſe Canones Conſtantinopolitanos, quos hodie ex variorum interpretationibus editos habemus.

Forte autem ſuſpicabatur Gregorius Eudoxii nomen exhiberi potuiſſe in Actis conciliaribus, qualia apud Græcos habebantur. Quum enim in Canone I. Conſtantinopolitano Eudoxianorum hæreticorum mentio fieret, juſta eſſe poterat Gregorii ſuſpicio, ne in prævia tractatione ante Canonis editionem quædam de Eudoxio hæretico apud Græcos haberentur. Propterea ait ſe hæc geſta in Romana eccle-

eccleſia non habere; propterea ſe non poſſe tuto acquieſcere profeſſioni fidei factæ a Cyriaco, a quo Eudoxius damnabatur. Notatu digna ſunt illa verba Gregorii: *Canones vel geſta ſynodi illius*: non enim ſanctus pontifex profeſſus eſt ſe Canones non habere ſeu fidei definitiones, ſed *Canones vel geſta*: id eſt quæ in concilio ipſo prævio conſilio fuerant pertractata ante Canones conditos. Uno verbo, una Gregorii ſolicitudo eo pertinebat, quod in eccleſia Romana incognita eſſet nec damnata Eudoxii perſona, quam tamen ita libere Cyriacus in ſua profeſſione damnaverat. At de Eudoxianis Gregorius vere profeſſus eſt eos eſſe damnandos. Quemadmodum ergo noluit damnandum eſſe Eudoxium, quod in Canonibus Græcis damnatum minime reperit; ita voluit damnandos Eudoxianos, quod damnatos in Græcis conciliis noverit. Novit autem damnatos Eudoxianos in Canone I. concilii Conſtantinopolitani. Ergo Canones Conſtantinopolitani noti fuere Gregorio, ac propterea eccleſiæ Romanæ. Non novit damnatum Eudoxium de quo ſermo non eſt in Canonibus Conſtantinopolitanis: ergo quod Gregorio ſive eccleſiæ Romanæ deerat, erat Eudoxii damnatio, ſive ut ipſe Gregorius jure ſuſpicabatur, deerant geſta ſynodi ejuſdem Conſtantinopolitanæ, de quibus nihil aliud idem Gregorius ſe & Romanam eccleſiam recepiſſe teſtatur, quam quod ad damnandam Macedonii hæreſim pertineret.

VI. His generatim præmiſſis veniendum eſt ad eos Codices, qui nomine Romanæ eccleſiæ veteris hodie evulgati eruditorum manibus tenuntur. Primus eſt quem mutilum edidit Chriſtophorus Juſtellus in ſua Bibliotheca juris eccleſiaſtici veteris tom. 1. pag. mihi 277. Alterum edidit Paſchaſius Queſnellus, ſanctique Leonis Magni operibus velut appendicem quamdam adnexuit principio tom. II. operum ejuſdem ſummi pontificis. Non deerunt forte progreſſu temporis qui novos Codices producant ex latebris bibliothecarum Romanæ eccleſiæ nomine; & ſic eamdem pluribus Codicibus uſam fuiſſe demonſtrabunt. Hæc aſſeruerim, quod videam ſine ullo gravi fundamento, & nonniſi remotiſſimis iiſdemque levibus conjecturis hujuſmodi Codices Romanæ eccleſiæ adſcriptos fuiſſe.

Quod ſpectat in primis ad collectionem Juſtelli, inſcribitur illa: *Priſca Canonum editio Latina, complectens Canones conciliorum Ancyrani, Neocæſarienſis, Nicæni, Sardicenſis, Gangrenſis, Antiocheni, Laodicenſis, Conſtantinopolitani I. & Chalcedonenſis*. Quia hæc collectio [illegible] unus titulus exhibet. [illegible] ſimi cujus ceteroqui ſtudio multa debemus, quicumque hac in collectione [illegible] elaboravit, tantæ non eſt auctoritatis, ut pro Romanæ eccleſiæ omnium eccleſiarum principis notario ſtatim recipiatur. Etenim in primis ignarus erat Latinæ linguæ. Exorditur enim: *Incipit inſtituta Canonum Ancyrenſium*. Et paullo infra Canonem VIII. Ancyrenſem ita exhibet: *De his qui alios ſuadent idolis immolarem*. Et poſt aliqua: *Explicit Capitula Canonum Ancyrenſium*. Concilium autem Nicænum memorans ſubdit: *Quod factum eſt in Niciam*. In Canone I. Ancyrenſi habet: *Per remedium aliquem.... habere aut precare*, pro verbis: *Per remedium aliquod ... habere aut precari*. In Canone II. dicitur: *In eorum eſſe poteſtatem*, pro *In eorum eſſe poteſtate*. In Canone IV. legitur: *Apud idolis*, pro *Apud idola .... vita qui antecedat & qui ſequitur*, pro *vita quæ antecedit & quæ ſequitur*. In Canone V. legitur: *Uſque ad præſento tempore*, pro *Uſque ad præſens tempus*. Cetera omitto, quæ prope innumera unuſquiſque facile poterit obſervare.

Sed quia forte per amanuenſis imperitiam, quæ tamen in tot tantiſque locis facile non præſumitur, hæc errata contingere potuerunt; inſcitiam auctoris oſtendunt integra capita, ſcilicet ipſorum ſtilus adeo barbarus, ut diceres ab eo factam Græcorum Canonum interpretationem, qui vel prima Grammaticæ elementa addiſcere incipiat. Exemplum trado in uno ex Neocæſarienſibus Canonibus qui tertius eſt, ita conceptus: *Hi qui pluribus nubtiis inciderunt, tempus quidem agnitus qui inſtitutum eſt; converſatio autem & fides eorum perincidat tempus*. Quis ſententiam hanc niſi divinando percipiat? Multa deinde ſunt quæ Canonum Stili, & Canonum prorſus inexpertem auctorem deſignant, ſeu potius eum qui exercitationis cauſſa quaſdam ſibi perceptiones addiſcendi cauſſa, & privati ſtudii ac meditationis ergo proponit. Nam in Canone XIV. ex Neocæſarienſibus legitur: *Diaconi ſeptem debent eſſe ſecundum Canonem, etſi fortiter magna ſit civitas; ſed ut credas, inquire in volumine Actuum Apoſtolorum*. Deinde ante quam Canones Nicænos hic auctor exponat, verſuum metro elegiacam præfationem concinnat: quod nuſpiam publicis eccleſiarum notariis in uſu fuit. Omitto, nullum ordinem temporum fuiſſe ſervatum: nam concilii Conſtantinopolitani Canones poſt Chalcedonenſes referuntur, licet tempore anteriores. Omitto præterea plures ibidem eſſe ſententias depravatas, ut ipſemet Juſtellus hujus Codicis editor notis ſuis marginalibus profitetur: ex quibus omnibus facile eſt credere, Codicem hunc nulla umquam ratione haberi poſſe tamquam Codicem veteris eccleſiæ Romanæ.

VII. Major difficultas forte erit in explorando Codice Paſchaſii Queſnellii, qui ita inſcribitur: *Codex Canonum eccleſiaſticorum & Conſtitutorum ſanctæ ſedis apoſtolicæ, omnium qui huc uſque prodierunt vetuſtiſſimus & ampliſſimus; qui quidem in uſu fuit in eccleſia Romana Innocentio I. Zozimo & Leone I. pontificibus, nunc primum editus ex MSS. codicibus Thuaneo & Oxonienſi*. Refert autem Paſchaſius Codicem hunc Oxonienſem ſexcentorum fere annorum eſſe, eumdem præterea ex alio antiquiſſimo exemplari exceptum; ut proinde ſaltem octavo primum ſæculo hæc collectio ſcripta videatur. Thuaneum vero refert octingentorum circiter annorum eſſe, atque optimæ notæ. Sed interea fatetur ambos hujuſmodi codices inter ſe plurimum diſſonare in deſcriptione capitum; ut quod in uno refertur, in alio aliquando deſideretur: quamobrem certa & indubia fides neutri debetur, quum alterutrum ſaltem vitiatum fuiſſe oporteat. Quomodocumque autem res ſe ſe habuerit circa varia hujus Queſnelliani Codicis exemplaria, mihi perſuadere facile quidem Queſnellius poterit hunc Codicem antiquiſſimum eſſe & vetuſti auctoris manu exaratum, forte etiam VI. aut V. ſæculo; quin tamen vel veriſimilibus quidem conjecturis probet Romanæ eccleſiæ eſſe tribuendum. Sane Codex Romanæ eccleſiæ auctoritate confectus non adeo latuiſſet, ut nonniſi poſtrema hac ætate in lucem prodire potuerit: qui enim curæ habuit privatis MSS. codicibus iſtum exarare, facile habuiſſet nonnullos diligentiæ ſuæ æmulatores. Præterea ſi Codicem conſideremus, præter eccleſiaſticarum Collectionum morem continet plura adjuncta prorſus a Canonibus extranea, ut demonſtrat & recte advertit Donatus in lib. III. Prænotionum Canonicarum cap. XIV. Diſtinguit recte Queſnellius in ſua Diſſertatione XII. operibus S. Leonis ſubjecta cap. II. inter Codicem Canonum & Scrinia Sedis apoſtolicæ: in Codice ſoli conciliorum Canones & decreta patrum olim edi ſolebant: in Scriniis vero plura alia geſta ad Sedem apoſtolicam pertinentia continebantur; eodem ferme pacto, quo alius erat apud imperatores legum civilium Codex, alia erant epiſtolarum & libellorum imperialium Scrinia. Deinde vero minime advertit in ſuo opere quod edebat, non Codicem Canonum, ſed quoddam potius Scrinium ex pluribus compoſitum nobis ſe exhibuiſſe. Urget autem quam maxime Queſnellium, quod habet Bonifacius I. in epiſtola ad Hilarium Narbonenſem epiſcopum, in qua hæc leguntur: *Nulla etenim videtur incognita ſynodi conſtitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, (ut eadem proprie verba ponamus) per unamquamque provinciam jus metropolitanos ſingulos habere debere*. Itaque quum Bonifacius teſtetur ipſamet concilii verba ſe referre, hæc vero minime habeantur in Codice Queſnelliano; quis ſibi perſuadebit Codicem Queſnellianum eumdem eſſe cum Codice Romanæ eccleſiæ quo Bonifacius I. uſus fuerat? Agnovit Paſchaſius Queſnellius hujuſmodi difficultatem, a qua ut ſe extricaret, con-

tra

tra omnium codicum fidem ſua intereſſe putavit, ſi vim faceret textui, & verba Bonifacii aliter legeret, videlicet pro illis verbis, *ut eadem proprie verba ponamus* hæc ſubſtituens, *ut eadem prope verba ponamus*. Sed rurſus ipſe agnovit, quam ſit infirma reſponſio, candide ita profitens: *Sed conjectura eſt*, quam *donec codicis alicujus auctoritate confirmetur, non auſim fidentius aſſerere, etſi neceſſaria videatur correctio*. Peto ego, undenam neceſſaria correctio probatur? Reſpondet ille in nulla ex collectionibus aut verſionibus illa verba haberi. Quid refert tamen? Habebatur in Codice Romano ante Dionyſium Exiguum qui hodie periit, & ſatis eſt. Subdit Queſnellus verbum illud *proprie* forte tunc temporis aliquam ſignificationem habuiſſe, quam hodie ignoremus. Sed indicant hæc hominem omnino argumenti pondere gravatum, & neſcientem quo ſe convertat. Refert ad hanc rem aliqua S. Leonis fragmenta, in quibus adverbium *proprie* uſurpatur. Ego facile intelligo, quo ſenſu: idem enim apud Leonem ſignificat quod adverbium *vere*. Hinc ait Cicero: *Honeſtum quod proprie vereque dicitur, id ſapientibus eſt ſolis*. Igitur Bonifacius laudaverat *eadem proprie verba*, id eſt, *eadem vere verba* concilii Nicæni; illa propterea quæ in Codice Romanæ eccleſiæ non mutato apice tunc habebantur, quæ in Queſnelliano Codice non videmus, quia idem non eſt cum Codice vetere Romanæ eccleſiæ.

VIII. Nimis operoſa res eſſet ſingula Codicis capita diſcutere. Potius audiamus ipſius Queſnelli argumenta quibus plurimum ſibi blanditus eſt, ut duo probaret: primum, hunc Codicem ſincerum eſſe; ſecundum, hunc Codicem Romanæ eccleſiæ proprium olim exſtitiſſe. Vereor tamen ne de eo dicere poſſimus, quod ipſe in dicta Diſſertatione XII. in additione dixit de Emmanuele Schelestratio, qui Breviationem concilii Hipponenſis quæ habetur in cap. II. Codicis Queſnelliani, apocrypham dixerat: *Ut ita ſentiret, adductus eſt nonnullis argumentis quæ valida ac decretoria illi viſa ſunt, mihi vero admodum infirma ac nullius fere momenti*. Ait in primis, ut ſinceritatem Codicis probet, ſinceritatem ipſam vel in inſcriptione Codicis adparere: at quemadmodum candidatis animi ex hominis vultu minime deprehenditur, ita nec integritas libri ex una libri ejuſdem inſcriptione. Subdit, tertium exemplar omnino ſimile deveniſſe olim in manus Jacobi Pamelii. Quid deinde, ſi vel ipſe Queſnellus variantes duos quos ipſe vidit, Codices profitetur. Verum omittamus hæc omnia: nolim de hoc re præcipue contendere. Do libenter Codicem valde antiquum eſſe, vel etiam ipſo V. ſæculo gravi ſtudio & procul fallendi arte confectum. Erat illud opus ſtudioſi cujuſpiam & obſcuri collectoris, qui idem minime evulgavit, ſed in ſcrinio condidit, forte verens ne aliorum Codicum fama vinceretur obrueretur que. Producantur potius argumenta, quibus pateat Romanæ eccleſiæ tribuendum eſſe. *Id operoſum non eſſe judicio ſuo* jactat Queſnellus: non eſt tamen levis negotii id demonſtrare. Ait præ ceteris, Codicem Romanæ eccleſiæ olim ante Collectionem Dionyſianam valde fuiſſe confuſum. Et ego libenter fateor. Ait hunc Codicem ſuum eadem confuſione laborare. Quid ergo? Num propterea ejus Codex dicetur eccleſiæ Romanæ? Quotquot ferme lucem adſpexerunt Canonum vetuſti Codices, ii omnes inordinati ſunt, indigeſti, ac propterea ex eadem ratione Romanæ eccleſiæ per Queſnellium tribuendi.

Pergit Queſnellus, & inquit: *Codicis præfatio declarat ad uſum eccleſiæ Romanæ eſſe concinnatum: quid enim aliud indicant hæc verba, de Nicæna fidei expoſitione quam ſancta & reverentiſſima Romana complectitur & veneratur eccleſia? Quid quod mediantibus Victore atque Vincentio religioſiſſimis Romanæ ſedis presbyteris eſſe prolatam aſſerit? Nonnullas etiam ſubnexas eſſe regulas, quas memorata ſuſcipiens confirmavit eccleſia. Eamdem nullis ſynodicis decretis, ſed ſalvatoris voce eſſe prælatam, ac primatum obtinuiſſe. Denique quidquid ibi de Romanæ eccleſiæ fundatione ac fundatoribus privilegiiſque ſcribitur, argumento eſt pro illa Codicem eſſe exaratum*. Non videtur hoc loco Queſnellus meminiſſe eorum quæ dixerat ſuperius in cap. II. ſuæ Diſſertationis XII. ibi: *Si cui nihilominus placuerit prologum iſtum (ſive præfationem hujus Codicis) ad poſteriora tempora differre, contra ego non contendam*. Si itaque non eſt contendendum adverſus eos qui dixerint, poſteriore manu præfationem de qua loquimur adjectam fuiſſe; cur ex hac præfatione de Codicis qualitate judicandum erit? Præterea quæcumque in præfatione allata ſunt, ne conjecturam quidem afferunt pro opinione Queſnelli. Auctor præfationis ante quam ad Canones conciliorum deveniret, univerſæ Eccleſiæ ſive ſacræ Hierarchiæ majoris præferre voluit imaginem. Perſecutus eſt, quid de Romana, quid de Antiochena, quid de Alexandrina, quid etiam de Hieroſolymitana aut Epheſina eccleſia ſentiendum eſſet. Si itaque, quod mentionem fecerit de Romana tamquam majore eccleſia, cenſetur Codicem ad Romanæ eccleſiæ uſum edidiſſe; quum etiam de ceteris tamquam inferioribus ſingularumque privilegiis locutus ſit, cenſendus erit voluiſſe Codicem componere ad uſum eccleſiæ Antiochenæ, Alexandrinæ, Hieroſolymitanæ & Epheſinæ: quod nemo uſpiam dixerit.

IX. Addamus his, ſi lubet, numquam auctorem hujus præfationis uſum fuiſſe particulis demonſtrativis, ajendo *hanc aut iſtam* Romanam eccleſiam; quas voces adhibuiſſet profecto, ſi Romæ & pro ipſa Romana eccleſia peculiariter ſcripſiſſet. Præterea hæc eadem præfatio illa eſt, quam Iſidorus cognomento Mercator ſuo Codici adnexuit: ut dubium nobis hodie ſuperſit, num auctor Queſnelliani Codicis depromſerit ab Iſidoro, an potius ab illo Iſidorus. Saltem vero ex eo deducitur, ut quemadmodum Iſidori præfatio minime probat collectionem Iſidorianam ad uſum Romanæ eccleſiæ fuiſſe compoſitam; ita nec Codicis Queſnelliani præfatio idem probet de Codice Queſnelliano.

Pergit Queſnellus & ait, in memorata præfatione multa referri ex Decreto Gelaſii ſive, ut aliis placet, Hormiſdæ papæ de ſcripturis apocryphis: quod nemo recte feciſſet, niſi Codicem Romanæ eccleſiæ ex ipſis Romanæ eccleſiæ ſcriniis componeret. Non video quænam ſit vis hujus conjecturæ. Num probro vertendum eſt cuipiam auctori, ſi inter ſcribendum, præſertim in præfationibus, ſanctiſſimorum pontificum verbis utatur, ubicumque ſcribat? Sed eſto, id probrum & indecorum fuiſſet, quod procul omni jure Queſnellus aſſerit; num ego forte tenebor ab omni probro auctorem Queſnelliani Codicis mihi maxime incertum vindicare? Scio plures extitiſſe ex veteribus collectoribus, qui non omnia quæ Collectoris officium decent, obſervaverunt. Cur ego pro obſcuro homine ſeu Queſnelliano fidejuſſor extiterim?

Proſequitur Queſnellus: *Canon VI. Nicæni concilii a Paſchaſino legato ſedis apoſtolicæ eodem modo lectus eſt actione XVI. concilii Chalcedonenſis, quo habetur in noſtro Codice; ut ex eodem omnino depromtus eſſe intelligatur*. Sed quid prohibet in primis inter tot tantaſque veterum conciliorum interpretationes plures inter ſe ſe conſonare? Quid deinde, ſi dicamus Codicem Queſnellianum poſt ſynodum Chalcedonenſem editum fuiſſe, ut propterea ejus auctor Canonem VI. Nicænum deſcribere volens uti voluerit verſione Paſchaſini legati ..., de qua in concilio Chalcedonenſi conſtabat? Enervatur vero Queſnelli argumentum apud eum, qui obſervet Canonem a Paſchaſino legato laudatum eſſe numero ſextum, qui in Codice Queſnelliano decimus eſt. Quid dicet hic Queſnellus, quum videat ſuum a Paſchaſini germano Romanæ eccleſiæ Codice eſſe diverſum? Agnovit Queſnellus hanc difficultatem, quam *gravis momenti non eſſe* aſſeruit; vel quia mendoſa aſſerit Acta concilii Chalcedonenſis, ut loco *Canonis VI.* legatur *Canonis X.* vel quia Paſchaſinus laudavit ſextum Canonem ex quodam Codice eccleſiæ Siciliæ, cui Paſchaſinus adſcriptus fuerat. Leviſſimæ ſane reſponſiones: qui enim ſine alicujus codicis fide, ſine ulla neceſſitate, ut ſuis meri tacti conjecturis indulgeat, vetuſta conciliorum generalium Acta corrupta aſſeverat, neſcio an facile ſit audiendus. Quod autem

ſub-

ſubditur, Paſchaſinum in referenda nota numerali uſum eſſe aliquo Codice ſiculo, mihi ridiculum potius videtur: non enim veriſimile eſſe poteſt verba Canonum ex uno, notas autem Canonum numericas ex altero Codice recenſeri. Num Paſchaſinus duos ſecum Codices attulit, ut quum verba referre deberet, ad Romanum confugeret; quum numeros, ad ſiculum? Si id verum eſſet, Paſchaſinum Codicem etiam ſiculum habuiſſe præ manibus; nonne deprehendit Queſnellus ſe forte ad ſiculorum eccleſiam delaturum Codicem ſuum, ex ea conjectura quod Paſchaſinus Canonem legerit eumdem qui eſt in Codice Queſnelliano, alias autem ſiculum Codicem habuerit?

Stomachum porro movet quod ſubdit, in hoc ſuo Codice plura haberi in gratiam Romanæ eccleſiæ, unde conjecturam capit in Romana eccleſia fuiſſe confectum. Quænam ſunt iſthæc, quibus gratia ſit eccleſiæ Romanæ divinis privilegiis decoratæ? Hæc opinione Queſnelli. Dicitur in epiſtola Innocentii papæ ad Victricium de eccleſia Romana, *cui in omnibus cauſſis debet reverentia cuſtodiri*; quæ verba in aliis epiſtolæ editionibus deſiderantur. Obſervare in primis Queſnellus debebat, num in ſuo Codice quem notæ optimæ eſſe prædicat, adiecta fuerint e margine in textum translata, an vero in aliis codicibus aut oſcitantia aut pravitate amanuenſium omiſſa. Deinde num unuſquiſque in qualibet provincia ſcribens quæ Romanæ eccleſiæ communionem habeat, id ipſum non prædicabit? Sane ſi quiſpiam bene, uti decet, de Romana eccleſia ſcribat, penes Queſnellum Romæ ſcripſiſſe dicetur? Au recto criterio, prorſus ignoro.

X. In eo convenit, urget Queſnellus, Romanus vetuſtus Codex cum hoc de quo agimus, quod in utroque XXVIII. Canon Chalcedonenſis deſideratur. Verum id non ſufficit: probandum adhuc eſt Canonem XXVIII. Chalcedonenſem in omnibus aliis Codicibus deſciptum fuiſſe, uno excepto Romano. Ego invenio alios Codices in quibus deſiderabatur, ut vel in uno Dionyſii Exigui Codice exemplum perſpicuum habemus. Id ipſum dicendum erit, ſi dicatur in utroque Codice Nicænos Canones Sardicenſibus fuiſſe permixtos: non una Romana eccleſia eos permiſcuit, ſed permiſcere potuerunt quotquot Sardicenſe concilium, tamquam appendicem Nicæni concilii receperunt.

Progreditur Queſnellus, & ita argumentatur: Summi pontifices inter quos Innocentius I. Antiochenos Canones rejecerunt: Eccleſia quoque Romana nonniſi ſerius Canones Conſtantinopolitanos recepit. Porro ſive Antiocheni ſive Conſtantinopolitani Canones in hoc Codice habentur prope finem, ut judicetur adjectos poſteriore ætate fuiſſe. Infirmum argumentum penes Queſnellum ipſum, qui faſſus eſt in hoc ſuo Codice nullum omnino ordinem fuiſſe ſervatum, fuiſſeque admodum incompoſitum. Ut quid ergo in præſens ex ordine ſcripturæ argumentum depromere contendit? Immo exinde argumentum prope invictum mihi in contrarium ſuppeditatur. Ait Queſnellus, vel ipſa Gregorii Magni ætate nondum in Romana eccleſia fuiſſe receptos Canones Conſtantinopolitanos. Ita ille in dicta Diſſertatione XII. cap. IV., num. 9. in Codice autem Queſnelliano Canones Conſtantinopolitani relati ſunt ante epiſtolas Leonis Magni, quæ ejus ſententia tempore ejuſdem Leonis inſertæ fuerunt. Ergo hic non poteſt eſſe Romanæ eccleſiæ Codex.

Heic non perſtitit Queſnellus, ſed aliis ita ſe ſe conjecturis involvit, ut modo videatur propoſitum ſuum probare velle, modo etiam recedere: etenim ſubjungit, nonnulla adeſſe Canonum Græcorum fragmenta ad Romanæ eccleſiæ praxim immutata, atque inter cetera Canonem X. ex Ancyranis qui ibidem numero XI. refertur. Is in Græcis Codicibus talem exhibet ſententiam, ut diaconus qui in ordinatione proteſtatus fuerit ſe continere nolle, non abjiceretur a gradu, ſi poſt ordinationem matrimonium contraxiſſet. Aliter habetur in Codice Queſnelliano. Sed nemo ignorat in hac parte non modo Romanæ, ſed & totius occidentalis eccleſiæ diſciplinam diverſam a Græca diſciplina exſtitiſſe. Probat id tantummodo Queſnellianam collectionem in occidente factam fuiſſe: quod ſane ultro libenterque fateor. Id autem novum non fuit Collectoribus extra Romanam provinciam, immo etiam extra Italiam degentibus. Sufficit obſervare collectionem Martini Bracarenſis, qui in parte I. c. XXXIX. eidem Canoni Ancyrano alium ſenſum affinxit, & quidem occidentali diſciplinæ conformem. Ait ad eam rem Antonius Auguſtinus in lib. I. Dialogo X. de emendatione Gratiani: *Cur Martinus ab archetypo diſceſſit? Quum in occidente eſſet, noluit orientis licentiam imitari.* Prævidit hanc reſponſionem Queſnellus, qui propterea totum ſe torquet in aſſerendo occidentales Collectores Ancyrani Canonis lectionem & ſententiam immutaſſe, non ideo quod diſciplinæ ſuarum provinciarum inſervirent, ſed quod hanc immutationem ex Romano Codice deſumſiſſent. Quo eum non perducit amor ſui Codicis, ut eum Romanæ eccleſiæ nomine decoratum evulgaret! Sane Martino Bracarenſi longe diſſito ab urbe Roma non potuit eſſe facile præ manibus peculiaris Codex eccleſiæ Romanæ: atque ſi hujuſmodi Codex etiam apud Hiſpanos vulgatus fuerat, miror ita poſtea excidiſſe, ut vel unum alterumque exemplar unius Queſnelli diligentia poſtremis hiſce ſæculis emerſerit.

Amplius Queſnellus inquit, Africanæ eccleſiæ decreta in Romanæ eccleſiæ Codice adjecta fuiſſe, quæ etiam in memorato quem expendimus Codice habentur. Infirma rurſus argumentatio: neceſſarium quippe foret oſtendere in occidentali univerſa eccleſia fuiſſe ignotos Canones Carthaginienſes, unica excepta Romana; quando tamen liquet Africanæ eccleſiæ geſta maximam in toto occidente primis Eccleſiæ ſæculis auctoritatem habuiſſe, quum in Africa viri erudititiſſimi æque ac ſapientiſſimi, atque etiam optima eccleſiaſticorum virorum exemplaria exſtiterint, ex quibus Tertullianum, Cyprianum, Auguſtinum & Fulgentium jure laudare poſſumus. Cetera non perſequor, utpote quæ vix leviſſimum negotium faceſſere poſſent. Interea arbitror parum recte ſenſiſſe Queſnellum, quum Romanæ eccleſiæ vetuſtum Codicem inveniſſe ſibi perſuaſit, quin tamen hujuſmodi Codici detrahere velim: immo in hac parte ejus ſollertiam facile laudaverim, qui bono publico hoc vetuſtiſſimum monumentum, cujuſcumque auctoris ſit, nobis ediderit.

XI. Sic a Romanæ eccleſiæ Codicibus, quales hodie evulgati ſunt, expeditus quædam adhuc differere debeo de Codice eccleſiæ Africanæ, cujus ſtatuta nuper aiebam fuiſſe in toto ferme occidente venerabilia. Codicem hunc evulgavit Chriſtophorus Juſtellus in tomo I. ſuæ Bibliothecæ juris canonici veteris pag. mihi 321. præmiſſa eruditiſſima præfatione, in qua antiqua omnia Africana concilia complexus eſt. Diſtributus eſt liber in Canones CXXXIII. quibus ſubſcripſiſſe referuntur epiſcopi CCXVII. anno CCCCXIX. in concilio Carthaginienſi, cui & S. Auguſtinus & duo Romani pontificis legati interfuerunt. Poſt dictos Canones addita eſt epiſtola Concilii Africani ad Bonifacium papam, dein reſcriptum Cyrilli Alexandrini epiſcopi ad concilium Africanum, poſt hæc exemplar formulæ fidei in Nicæno concilio conditæ, poſtremo epiſtola concilii Africani ad Cæleſtinum papam. Omnia autem & Græce & Latine hodie habemus, quia Græci veteres tantam habuerunt erga Africanam eccleſiam venerationem, ut ejus Acta ad ſuas eccleſias transferre exoptaſſent. Verum, ſi candide fateri volumus, hic proprie dici non poteſt Codex Canonum eccleſiæ Africanæ, ſed Acta generalis concilii Africani anno CCCCXIX. celebrati, in quo & aliquot Canones præſtituti ſunt, & alii in præcedentibus particularibus conciliis jam dudum editi confirmati fuerunt. Ceterum in Codice Africano negare non poſſumus deſcriptos præterea fuiſſe Canones concilii Nicæni, quos Carthaginem attulerat Cæcilianus a Nicæno concilio in Africam redux, ut dicitur in principio hujus concilii, ibi: *Exemplaria fidei & ſtatuta Nicænæ Synodi, quæ ad noſtrum concilium per beatæ recordationis olim prædeceſſorem tuæ ſanctitatis qui interfuit, Cæcilianum epiſcopum allata ſunt*, &c. Forte etiam aliæ Græcæ ſynodi Africa-

nis epiſcopis receptæ tunc erant, præſertim Sardicenſis & Conſtantinopolitanæ generalis, quæ non videntur omiſſæ a tot graviſſimis antiſtitibus; ne eos ita credamus rerum ſuarum amatores, ut alienarum provinciarum aut ipſius Eccleſiæ generales regulas aſpernarentur. Non eſt cur diutius immorer in hac re, quæ ſtatim liquebit apud eos, quicumque integrum hoc concilium evolverint, quale abs Juſtello deſcribitur.

Illud tantummodo addam, prodiiſſe in Africa duo opuſcula, alterum Ferrandi diaconi eccleſiæ Carthaginienſis, qui diſcipulus fuit ſancti Fulgentii Ruſpenſis epiſcopi prope medium VI. ſæculi; alterum Creſconii epiſcopi Africani prope finem ſæculi VII. ſed iſta ſunt potius Canonum breviaria, quam collectiones: ſiquidem in illis referuntur quidem Africanæ eccleſiæ ſtatuta; verum ita conciſa, ut quaſi per judicem exhibeantur, nec alias quiſpiam illis inniti poſſit, niſi prius cum ſuis autographis conſonare prorſus agnoverit.

OBSERVATIO V.

De ceteris Latinis collectionibus ante-gratianeis privato quorumdam ſtudio elucubratis.

I. Hi omnes quos tamquam eximios Canonum Collectores Latina fama celebrat, facile numerantur: videlicet Dionyſius cognomento Exiguus, Martinus Bracarenſis, Iſidorus Mercator, Regino Prumienſis, Burchardus Wormatienſis & demum Ivo Carnotenſis. In iſtis tantummodo ſiſtere juvabit, ut viam ad collectionem Gratiani omnino paratam habeamus.

Quis & qualis fuerit Dionyſius Exiguus, luculenter exprimit Caſſiodorus coævus auctor cap. XXIII. divinarum lectionum; *Fuit noſtris temporibus Dionyſius monachus, Scytha natione, ſed moribus omnino Romanus, in utraque lingua valde doctiſſimus, reddens in actionibus ſuis, quam in libris Domini legerat, æquitatem; qui ſcripturas tanta curioſitate diſcuſſerat, ut undequaque interrogatus fuiſſet, paratum haberet competens ſine aliqua dilatione reſponſum... Qui petitus a Stephano epiſcopo Salonitano, ex Græcis exemplaribus Canones eccleſiaſticos moribus ſuis, ut erat planus atque diſertus, magna eloquentiæ luce compoſuit; quos hodie uſu celeberrimo eccleſia Romana complectitur.* Paucis tradidit Caſſiodorus, quæ & ad indolem ceteraſque Dionyſii qualitates, & ad ejuſdem collectionem pertinent; ex quibus quædam obſervatu digna occurrunt. Ait in primis: *Fuit noſtris temporibus.* Subobſcurum adhuc eſt hujuſmodi tempus: nam ſcimus Caſſiodorum anno DXIV. conſulatum geſſiſſe; anno autem DLXII. nonagenario majorem obiiſſe. Ex Trithemio ſupplebimus, quod deeſt Caſſiodoro. Trithemius in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis, ubi a Dionyſio tradidit confectum eſſe cyclum paſchalem, ita ſubdidit: *Inchoavit autem cyclum ſuum anno Domini DXXXI. & claruit ſub Juſtiniano Magno anno DXL.* quibus fere conſonat Beda in lib. de ſex mundi ætatibus anno mundi MMMMMLXXX. tradens Dionyſium primum fuiſſe, qui paſchales circulos inciperet ab anno dominicæ incarnationis, qui tunc incidebat in annum DXXXII. Si fides eſt Bellarmino, ipſe in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis refert Dionyſium ſcripſiſſe cyclum paſchalem anno DXXVII. Ex his deducitur, Dionyſium Exiguum forte a tempore Hormiſdæ papæ uſque ad tempora Vigilii floruiſſe. Dixi a temporibus Hormiſdæ, id eſt, poſt annum DXIV. ut verum appareat quod ait Caſſiodorus: *Fuit noſtris temporibus.* Se ſe enim refert Caſſiodorus ad præteritum tempus, ut indicare videatur prope illa tempora circa quæ in conſulari dignitate conſtitutus fuerat, quod contigit anno DXIV. Floruit autem uſque ad tempora Vigilii papæ, quia eum floruiſſe anno DXL. ex Trithemio adnotavimus. His ceteroqui graviſſimis conjecturis non conſentium quamplures, qui tradunt collectionem Canonum a Dionyſio Exiguo compoſitam fuiſſe partim circa annum CCCCXCVI. partim circa annum D. alii addunt completam fuiſſe in epiſtolis Hormiſdæ circa annum DXXIII. Unde vero hæc eruant qui ita aſſerunt, non video; nudis forte conjecturis, ut fieri ſolet in re de qua hiſtorici Dionyſio coævi ſilent. Immo ipſe Dionyſius in præfatione ſecundæ partis ſui Codicis fatetur ſe Gelaſium papam *præſentia corporali non vidiſſe*, quum tamen Gelaſius anno demum CCCCXCVI. obierit. Nemo arbitretur nimis forte curioſam aut etiam inutilem hanc diſquiſitionem meam, in qua ſollertius elaborandum vellem: etenim ex ea forte in cognitionem devenire poſſumus, quiſnam fuerit hic Dionyſius Exiguus, cujus indolis & ingenii, quaque etiam de cauſſa novam collectionem adornare ſtuduerit.

II. Fuit, proſequitur Caſſiodorus, *monachus Scytha natione*. En graviſſimam urgentemque conjecturam, qua fretus opinionem meam jam diu conceptam aperire non dubito. Anno circiter DXVIII. monachi quidam Scythæ, quos inter doctrina & pietate excelluerat quidam Joannes Maxentius, propoſitionem hanc, *Unus e Trinitate crucifixus eſt*, proferre ac totis viribus defendere in oriente cœperunt: quæ propoſitio, licet vera eſſet atque catholicæ fidei minime contraria, univerſo tamen orienti jam diu Neſtorianorum & Eutychianorum reliquiis turbato plurimum attulit incommodum: ex ea enim vulgo a catholicis creditum erat renovari Eutychianorum errorem, ac ſi inde duceretur humanam Chriſti naturam in divinam transformatam aliquid fuiſſe perpeſſam. Delata cauſſa fuit ad legatos pontificios tunc temporis in oriente exſiſtentes, apud quos non deſtiterunt monachi ſe doctrinamque ſuam dato fidei libello purgare. Detrectarunt legati ſe hanc cauſſam diſcutere, rati ex eo nova poſſe in oriente ſchiſmata concitari, ad quæ potius compeſcenda miſſi fuerant: interea vero eoſdem monachos acriter objurgarunt, tamquam novitatis amatores & inopportunis quæſtionibus pertinaces. Monachi Scythæ ægre tulerunt legatorum pontificiorum rationem, ſtatimque aliquot ex ipſis Romam feſtinarunt, penes ipſum ſummum pontificem cauſſam ſuam oraturi. Hos Hormiſdas tunc temporis Romanus pontifex in primis benigniſſime excepit, prudenter vero cauſſam diſcutere diſtulit uſque ad reditum ſuorum legatorum ex oriente, ne forte legatis a quibus appellabatur, inauditis in cauſſa procederet. Hoc ſiſto, conjiciens ex iſtis forte monachis fuiſſe Dionyſium noſtrum, quem alia de cauſſa Romam e cœnobiis adveniſſe prorſus ignoramus. Quænam enim, amabo, præter memoratam potuit eſſe occaſio Dionyſio monacho, cujus propterea inſtitutiones & religioſæ vitæ profeſſio eum ad ſolitudinem vocabant, in urbe Roma omnium frequentiſſima tam diuturno tempore commorandi?

III. Hæc ſi vera ſunt, facile intelligimus quod de eodem Caſſiodorus ait: *Moribus omnino Romanus*; decebat enim eum qui Romam venerat, Romani pontificis animum appellationis cauſſa ſibi conciliaturum, ut Romanis moribus indulgeret, videreturque res Romanas peculiari proſequi voluntate. Facile etiam intelligimus, quomodo *in utraque lingua doctiſſimus* eſſet, qui ſcilicet orientales diſciplinas diutius edidicerat, deinde vero Romæ diutius commorans Latinum etiam idioma addiſcere potuerit. Intelligimus quomodo divinarum ſcripturarum ſacramenta ſcrutatus fuiſſet, qui novis propoſitionibus doctrinam dominicæ incarnationis exhibere una cum ſociis ſuis contenderat. Intelligimus tandem qua ratione permotus fuerit, ut novum Canonum Codicem apud Romanos exornaret, improbans Romani Codicis confuſionem; ut ſcilicet ea ratione Romani pontificis benevolentiam ſibi captaret, coram quo ſua vel ſuorum cauſſa pendebat. Hinc ipſe omnium Collectorum primus Codicem Canonum veluti duplicem fecit: in prima enim parte Acta conciliorum Canoneſve comprehendit: ſecundam ſummorum pontificum decretalibus epiſtolis adornavit. Sic animo & indole Collectoris perſpecta, ad collectionem ipſam veniamus.

In prima parte exorditur a Canonibus apoſtolicis numero L. non ſane quod crederet illos vere Apoſtolis tribuendos fuiſſe; immo in ſua ipſe præfatione admonet illis plurimos ſuum non præbuiſſe conſenſum. Subdit deinde Canones Græcos latinitate do-

Digitized by Google

donatos: videlicet Nicænos XX. Ancyranos XXIV. Neocæſarienſes XIV. Gangrenſes XX. Antiochenos XXV. Laodicenos LIX. Conſtantinopolitanos III. Chalcedonenſes XXVII. in quibus finem eſſe Græcorum Canonum aſſeruit: adjecit poſtea Canones XXI. ex Sardicenſibus, & CXXXVIII. ex Carthaginienſibus. In ſecunda parte recenſet epiſtolas decretales Siricii, Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, Cæleſtini, Leonis Magni, Gelaſii & Anaſtaſii. Forte autem in Anaſtaſio opus ſuum complevit Dionyſius, ut in eo integrum quintum Eccleſiæ ſæculum concluderet: quod facile ex eo ſuſpicari poſſum; quia, uti dictum eſt, primus Dionyſius Exiguus tempora eccleſiaſtica cœpit a dominica nativitate numerare. Fateor editas eſſe tamquam additamentum Dionyſianæ collectionis decretales Hilarii, Simplicii, Felicis, Symmachi, Hormiſdæ & Gregorii junioris: ſed hæc eſſe non poſſe Dionyſii facile ex eo uno evincitur, quod Gregorius junior vixerit longe poſt Dionyſii ætatem.

IV. Num vero tantum Dionyſianæ collectioni debeamus honoris, ut integrum omnino in ea ſacrorum Canonum Codicem habeamus, certo aſſerere non auſim. Etenim quod attinet ad priorem partem quæ potiſſimum in interpretatione Græcorum Canonum conſiſtit, etſi conſenſerim Dionyſium utriuſque linguæ facile fuiſſe peritum, tamen plurimum me movet quod nuper ex Caſſiodoro laudabam, videlicet Dionyſium fuiſſe *planum atque diſertum & magna cum eloquentiæ luce moribus ſuis Canones ex Græcis exemplaribus compoſuiſſe*. Quid indicant aliud hæc verba, quam Dionyſium non ſervaſſe litteralem ordinem in interpretando, ſed eloquentiæ ſuæ, quum diſertus eſſet, plurimum indulſiſſe? Quod ſi verum aſt, non erit cur Dionyſii interpretationem ita ſequamur, ut ad eam quaſi ad tutiſſimum veteris diſciplinæ præſidium confugere debeamus: præſertim etiam, quod Dionyſium ſciverimus ita affectum, ut quantum fieri poſſet cauſſæ ſuorum quam Romæ agebat, patrocinari deberet: præſertim rurſus, quod monachi Scythæ ejus ætatis novis rebus non delectarentur tantum, ſed & imprudenter inhiarent.

Quod pertinet ad alteram collectionis partem, illam profecto magni ſemper feci, non quod publica auctoritate umquam probatam confirmatamve ſciverim, ſed quod Dionyſius, quum Romæ eſſet, Romanorum præſulum epiſtolas authenticas præ manibus habere potuerit quas deſcriberet, & quas nonniſi maxima petulantia corrumpere potuiſſet. Sed interea animadvertendum arbitror, non omnes Romanorum pontificum quæ tunc exſtabant, epiſtolas per Dionyſium in Codicem fuiſſe relatas. Quæ ut diſtinguantur, triplicis generis pontificum veterum epiſtolas perpendere oportebit. Aliæ erant ſynodicæ, quæ ad fidem in conciliis ſtabiliendam pertinebant: conſueverant enim Romani pontifices ſententiam ſuam præmature ſignificare illis qui aut concilium convocare meditabantur, aut ad concilium ipſum perrexerant. Aliæ erant familiares, quales amicus ad amicum ſcribere ſolet: aliæ demum decretales, quibus vel interrogantibus epiſcopis, vel generatim pluribus eccleſiaſticæ diſciplinæ capita tradebantur. Prioribus duobus epiſtolarum generibus omiſſis, retulit Dionyſius ſolas epiſtolas poſtremi generis: proindeque ſollerter curare debebit unuſquiſque in exercenda critica arte ad perpendendam veterum epiſtolarum pontificiarum auctoritatem, ne forte ex uno Dionyſii Exigui ſilentio notam falſitatis inurat antiquiſſimis epiſtolis, quin primum animadvertat de quibuſnam epiſtolis agendum ſibi propoſuerit.

V. Reſtant adhuc adnotanda poſtrema illa verba Caſſiodori: *Quos hodie uſu celeberrimo eccleſia Romana complectitur*. Num ergo Dionyſii Exigui Codex ita probatus erit per Romanam eccleſiam, ut illum quaſi proprium omnino receperit, & tamquam optimum diſciplinæ ſacræ monumentum? Minime quidem dubitaverim hunc Codicem Romanis fuiſſe jucundiſſimum: jam diu enim exoptaverant talem habere Codicem qui Codicibus Græcis conſonus videretur. Re vera in concilio Carthaginienſi anni CCCCXIX. cui Sanctus Auguſtinus interfuit, propoſuerant legati pontificii quædam diſciplinæ capita ab Africanis epiſcopis amplectenda, tamquam a ſynodo Nicæna jam diu conſtituta. Africani vero qui in ſuo Codice illa minime habebant, petierunt ut mitteretur ad Græcos qui germana Nicænæ fidei exemplaria in occidentem adferret; atque hac de re maximum ipſum pontificem rogarunt. Quænam igitur melior occaſio eſſe poterat Romanis, quam in ipſa Urbe uti opera orientalis viri qui novam faceret conciliorum veterum interpretationem Græcæ fidei conſentaneam? Id etiam exiſtimarunt opportunum eſſe unioni inter eccleſiam Latinam & Græcam, quæ variantes Canonum Codices habere jam in Chalcedonenſi concilio viſæ fuerant; quippe Romani quoties hunc Codicem Dionyſianum in Græcorum conſpectum produxiſſent, eodem tempore producere potuiſſent nomen interpretis Græci, cui tamquam ejuſdem nationis viro fides deneganda facile non fuiſſet. Ceterum hunc Codicem publica auctoritate donatum prorſus ignoramus: immo donatum non fuiſſe vel ex eo probari poteſt, quod in ipſo inſerta ſint talia monumenta, quæ ipſius Dionyſii teſtimonio in incerta prorſus fide vagabantur. Hanc collectionem Dionyſii Exigui hodie editam habemus apud Juſtellum in ſua Bibliotheca juris eccleſiaſtici veteris tomo I. pag. mihi 101.

VI. Exemplo Dionyſii Exigui Martinus Dumienſis primum, deinde Bracarenſis epiſcopus novam Canonum collectionem adornavit circa annum DLXX. Fuit ille e Pannonia oriundus de quo ita ſcribit Gregorius Turonenſis lib. V. hiſtoriæ Francorum cap. XXXVI. *Ad viſitanda loca ſancta in orientem properans, in tantum ſe litteris imbuit, ut nulli ſecundus ſuo tempore haberetur. Exinde Galliciam venit, ubi epiſcopus ordinatur*. Quum itaque in orientem perrexiſſet, linguæque orientalis valde peritus audiret, nihil antiquius habuit, quam Latinos vetuſtiſſimorum conciliorum Canones Græcæ fidei reddere & nova latinitate donare, ea motus ratione, quod *Canones qui in partibus orientis ab antiquis patribus conſtituti ſunt, Græco prius ſermone conſcripti ſunt; poſtea autem ſuccedente tempore in Latinam linguam tranſlati ſunt: & quia difficile eſt ut ſimplicius aliquid ex alia lingua transferatur in aliam; ſimulque & illud accidit, ut in tantis temporibus ſcriptores aut non intelligentes aut dormitantes multa prætermittant, & propterea in ipſis Canonibus aliqua ſimplicioribus videantur obſcura*, &c. Ita idem Martinus in præfatione ſui Codicis, profitens ſe ſimplicius & emendatius novam collectionem eſſe facturum; quam poſtea non juxta ordinem temporum digeſſit, ſed bipartitus eſt, ut in prima parte ea referret quæ ad clericos, in altera quæ ad laicos pertinerent. Utinam vero id ipſe perfeciſſet, aut ſaltem perficere potuiſſet! Sed neque perficere potuit, neque eam collectionis rationem iniit qua ipſe perficeret. Non potuit in primis, quia Latinos Codices corruptos ipſe teſtatur, & ex corruptis Codicibus optima collectio ſperanda non erat; Græcis autem Codicibus licet ipſe rerum Græcarum amantiſſimus plurimum detulerit: tamen jam plura menda acceſſerant, præſertim prope finem ſexti ſæculi quo Martinus ſcribebat, ut in Obſervatione III. exhibuimus. Deinde quænam eſt optima ratio qua Martinus ſe uſum fuiſſe profitetur, ut magis ſinceram & ſimplicem collectionem formaret? Non integra Canonum verba ipſe retulit, ſed tantummodo ſententias compendiaria ratione diſpoſitas, de quo propterea ait Antonius Auguſtinus: *Aliquando non ita Latine facta, ut Græce habentur; ſed ex duobus vel tribus capitulis diverſorum conciliorum, uno capitulo conſcripta*. Hujus rei maximum argumentum eſt, quod univerſa Martini collectio LXXXIV. capitibus continetur, quibus complexus eſt Canones univerſos Græcorum conciliorum quos retulit Dionyſius Exiguus: præterea Africanos quoſdam, Toletanos & Bracarenſes Canones adnexuit, quæ omnia longe memoratum numerum excedunt. Si obſervemus vel unicum caput XXXII., illud compoſitum eſt ex Canone III. concilii Nicæni, ex Canone XV. concilii Bracarenſis & ex Canone VI. concilii Toletani I. Hanc Canonum confuſionem recte

obſervavit Juſtellus in editione hujus Codicis in appendice tom. 1. ſuæ Bibliothecæ. Illud addam præterea, Martinum aliquando Græcis Canonibus contrariam ſententiam affinxiſſe, quoties occidentalis eccleſiæ moribus adverſabantur, uti advertit jam Antonius Auguſtinus in lib. 1. Dial. X. de emendatione Gratiani ad Canonem IX. concilii Ancyrani, qui a Martino inverſa omnino ſententia refertur in cap. XXXIX. collectionis. Fidant quicumque velint hujuſmodi interpretibus, & ex iis fulciant diſciplinam ſacram quam tradunt, momumentis. Ego meliores ſimplicioreſve tutius exoptaverim: gloriater quidem Martinum Bracarenſem inſtitutorem rerum ſacrarum habere, non autem utere eo tamquam Canonum collectore, in quo non tam doctrina ſpectanda eſt, quam ſimplicitas & probata fides.

VII. Quid vero non dicam adverſus Iſidorum Mercatorem, in quem hodie tamquam in apertum deceptorem univerſi propemodum eruditorum calami jam diu exacuuntur. Nomen ille Iſidori mutuatus in primis, quo forte eximia Iſidori Hiſpalenſis fama incautis illuderet, tot figmenta in medium produxit ut illis præcipue intermixtis conciliorum Canonibus, novam eo uſque ignotorum decretorum collectionem ſub initium octavi ſæculi efformatam evulgaverit. Prodiit hæc illico glorioſe: ut enim vetuſtiſſimorum ſanctiſſimorumque pontificum nominibus ſubdola collectoris arte decorabatur, non potuit non decipere quamplures etiam graviſſimos viros, a quibus tamquam ſacræ antiquitatis venerabile ſcrinium recepta eſt ſine diſcrimine. Noſtra ætate vix eſt qui Mercatoris fabulas ſequatur, poſtquam communi eruditorum ſuffragio ſunt reprobatæ: inter quos eſt Baronius, Bellarminus, Perronius, Antonius Auguſtinus, Sirmondus, Petavius; & ut innumeros propemodum omittam, Chriſtianus Lupus inter cetera ita ſcribens de epiſtolis decretalibus ab hoc pſeudo-Iſidoro vulgatis: *Quiſquis earum natales jam credit legitimos atque authenticos, cenſetur nugas vendere & fabulas.* Supervacaneum eſt hoc loco falſitatis argumenta expendere, quod hodie tritiſſima ſint. Generatim adnotaſſe ſufficiat decretales Iſidorianas plurimum detraxiſſe poteſtati metropolitanorum & Synodorum provincialium, & illarum cauſſa controverſias quamplures exortas fuiſſe inter epiſcopos atque archiepiſcopos, quarum veſtigium agnoſci poteſt in Can. I. diſt. XIX.

Non omittam tamen poſt proditam hujuſmodi collectionem pluribus religioſum fuiſſe eamdem latius producere ac circumferre, bona fortaſſe fide: arbitrabantur enim rerum ſacrarum theſaurum ſe reperiſſe. Hinc anno DCCLXXXV. Angelramnus Metenſis epiſcopus quædam capitula ex hac Iſidoriana collectione derivata Hadriano ſummo pontifici obtulit, quæ hodie inter vetera eccleſiaſtica monumenta recenſentur, quaſi ab Hadriano ipſo pontifice confirmata. Vidit Stephanus Baluzius antiquiſſimum hujuſmodi codicem in bibliotheca S. Victoris Pariſienſis, ut ipſe teſtatur in præfatione ad Dialogos Antonii Auguſtini, hoc titulo inſcriptum: *Incipiunt capitula collecta ex diverſis conciliis ſive decretis pontificum Romanorum ab Angelramno Metenſi epiſcopo. & Hadriano papæ oblata.* Similem titulum vidiſſe ſe profitetur Natalis Alexander in tom. XV. hiſt. eccleſ. pag. 54. in MS. optimæ fidei & venerandæ antiquitatis monaſterii Lætienſis: ex quibus falſum eſſe deducitor quod quidam ſentiunt, non Angelramnum Hadriano, ſed e converſo Hadrianum Angelramno hanc collectionem obtuliſſe. Summis pontificibus ea ætate aut prorſus incognita erat, aut nondum ſatis probata Mercatoris collectio: cujus rei argumentum ex eo habemus, quod Hadrianus papa Carolo Magno dono dederit Codicem Canonum anno DCCLXXIV. in quo tamen nullum erat decretum ex illis quæ peculiariter apud Iſidorum Mercatorem recenſebantur. Licet tamen poſt hanc Angelramni ſignificationem apud Romanos haberi cœperit plurimi hæc Iſidoriana collectio, ita ut aliqui ex Summis pontificibus fragmenta exinde referre non dubitaverint; nuſpiam tamen collectionem ipſam ita probarunt, ut pro germano Canonum & decretorum archetypo illam haberent.

VIII. Superiores de quibus huc uſque egimus collectiones, ſunt veluti primæ, ad quarum formam poſteriores compoſitæ ſunt; ut propterea in poſterioribus nihil propemodum novi amplius occurrat, ſed præcedentium collectionum capita, alio tamen ordine diſpoſita, modo brevius, modo fuſius exhibeantur, iis exceptis conciliorum Canonibus qui uniuſcujuſque collectoris ætati reſpondent. Hujuſmodi ſunt collectiones Reginonis, Burchardi, & Ivonis: quemadmodum enim Regino ab Iſidoro Mercatore & Dionyſio Exiguo, ita Burchardus a Reginone, a Burchardo Ivo Carnotenſis acceperunt. Nonnulla de ſingulis adnotare juvabit.

Regino in primis minus frequenter Iſidori Mercatoris fragmenta laudat, quaſi de illis dubitaſſe paulliſper videatur: conciliorum autem veterum Canones ex Dionyſii Exigui interpretatione producit. Præterea in ſuam collectionem plura tranſtulit fragmenta Sanctorum Eccleſiæ patrum, Baſilii, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Caſſiani, Benedicti, Fructuoſi, Bedæ & Rhabani: quod mea ſententia in præcedentibus collectionibus Latinis nuſpiam factum fuerat. Plurimum item debemus Reginoni, quod plura fragmenta ſuæ ætatis nobis exhibeat quæ alibi non reperiuntur, præſertim concilii Triburienſis; ut omittam Nannetenſe, Remenſe & Rotomagenſe. Adjecit præterea leges quaſdam Theodoſiani codicis, juncta interpretatione Aniani; leges etiam Francicas plures, quales habentur in Capitularibus & Codice legum Burgundionum & Ripuariorum. Collectionis diviſionem eamdem ſervavit Regino, quam Martinus Bracarenſis, videlicet in duas partes diſtribuens, & in prima de clericis, in ſecunda de laicis agens. Sunt qui putant ad uſum eccleſiæ Trevirenſis juſſu Ratbodi Trevirenſis archiepiſcopi fuiſſe compoſitam, quod multa habeantur de illa eccleſia: ſed res mihi admodum dubia videtur. Forte enim de Trevirenſi eccleſia peculiarius ibidem aliquando agitur, quia Regino in illa diœceſi ſcribebat, dum Prumienſe monaſterium ſancti Benedicti regeret in ea diœceſi conſtitutum labente ſæculo IX.

IX. Burchardus Wormatienſis epiſcopus initio ſæculi XI. novum Canonum Codicem edidit in XX. libellos diſtributum, & quidem methodo non inconcinna, ad uſum eccleſiæ ſuæ Wormatienſis, quem propterea ad Brunichonem ejuſdem eccleſiæ præpoſitum inſcripſit. præcipue vero intendit, ut regulas præfigeret pro pœnitentibus excipiendis. Hinc non tam plurium conciliorum Canones, quam pœnitentialium variorum fragmenta recenſuit. *Id evidem* (ita ipſe in præfatione Codici ſuo præfixa) *vel ea ratione maxime flagitare videbaris, quod Canonum jura atque pœnitentium formæ in noſtra quidem diœceſi adeo confuſa ſunt atque inter ſe diſcrepantia, ut aut ex toto neglecta, aut omni pæne auctoritate deſtituta, vel modice in eccleſiaſtica diſciplina inſtitutis apparere poſſint. Qua de cauſſa ſæpe accidit, ut ad pœnitentiæ remedium confugientibus cum ob Canonum deſcriptionem confuſam, tum ob presbyterorum noſtrorum ignorantiam non facile ſubveniatur,* &c. Verum non ad fontes, uti opus erat, in Canonibus deſcribendis confugit, ſed recentium collectionum auctoritati plurimum deferens, quidquid in illis rei ſuæ appoſitum noſceret, id integrum in ſuum Codicem transferebat. E Reginone præſertim plura depromſit, ſed tali oſcitantia, ut frequentiſſime Canonum inſcriptiones depravaret: quippe Regino frequenter Canonibus præmittit hæc verba: *Unde ſupra*, indicans de eadem materia inferius tractari, de qua ſuperius egerat. Burchardus autem credit commemorari per illa verba, velut auctorem ſequentis fragmenti, illum ipſum qui in præcedente laudabatur; ac propterea ipſe, dum fragmentum idem referret, præcedentis auctoris nomine retulit. His addimus: oportet Burchardum apud Germanos vixiſſe, quo tempore Germani Francis infenſi plurimum erant: propterea Burchardus a capitibus Francicis in collectionem ſuam referendis ſæpius abſtinebat. Quum tamen aliquando ipſi opportuna eſſent certa loca Francorum Capitularium, ea referre non dubitavit; laudans tamen, ex aliis auctoribus propria ſponte deſcripſit: unde tot errata nedum apud ipſum Bur-

char-

chardum, verum etjam in inſcriptionibus ſequentium collectorum profecta ſunt.

X. Demum Ivo Carnotenſis epiſcopus, qui initio XII. ſæculi floruit non longe a Gratiani ætate, auctor fertur duplicis collectionis; quarum alia *Decretum*, alia *Pannormia* appellatur: utrique autem eadem præfatio inſcripta. Pannormia minoris eſt molis; quam vulgo tradunt primo ab Ivone confectam, deinde vero adauctam fuiſſe, & tum *Decreti* nomen ab auctore accepiſſe. Minus celeber eſt Pannormiæ Codex: ſtatim ac enim prodiit Decretum, illud unum viſum fuit Ivonis opus in quod Canonum interpretes potiſſimum incumberent. De Pannormiæ aut Decreti nomine quærant, quibus majus eſt otium: nihil enim aut parum refert in hiſce diſputationibus immorari. Illud ſane obſervandum eſt, in utroque Codice plura eſſe menda; ita ut non defuerit, qui propterea Ivonis Carnotenſis tamquam viri ſapientiſſimi opera fuiſſe denegaverit. Auctor itaque hujus operis, quicumque ille ſit, non ſolum errata Burchardi in ſuos Codices tranſtulit, ſed fragmenta præcedentium collectionum modo breviora reddidit & conciſiora, modo interpretatione & adjecto gloſſemate fuſiora. Quod in Decreto peculiare eſt, referuntur ſæpiſſime juris Juſtinianei loca: quod Latinis collectoribus eo uſque infrequens fuerat. Cœperat quidem Regino Prumienſis, ſed aliquot tantummodo, & ex Theodoſiano Codice fragmenta laudare; plures etiam leges ex Longobardorum conſuetudinibus compoſitas. Primus Ivo aut quivis alius Juſtinianeis Codicibus uſus eſt etiam inter eccleſiaſticas collectiones: ſiquidem Ivonis ætate tum primum reſtaurari cœpit juriſprudentia Juſtinianea, cujus ſtudium eccleſiaſticis viris optimum viſum fuit, etiam rerum eccleſiaſticarum cauſſa; ut propterea poſt eam ætatem apud Latinos adparuerint Nomocanones, qui primum Juſtiniani ætate apud Græcos eſſe cœperant, ut ſuperius jam ſuo loco adnotavimus. Videtur id quidem ſancto Bernardo diſplicuiſſe, in lib. I. de Conſideratione cap. XXX. ita ſcribenti: *Et quidem quotidie in palatio perſtrepunt leges, ſed Juſtiniani, non Domini.* Verum ſancti viri mens hujuſmodi erat, ne quis ita juris Juſtinianei ſententias perſcrutaretur, ut divinas leges obliviſceretur.

SUMMA CAPITUM DISSERTATIONIS

De variis Sacrorum Canonum Collectionibus ante Gratianum.

OBSERVATIO I. *Quales generatim eſſe potuerint eccleſiaſticæ juriſprudentiæ Codices uſque ad Gratiani ætatem.* pag. 269

II. *Quales re vera fuerint peculiares Sacrorum Canonum Collectiones ante Gratianum: & primo de ea quæ vulgo dicitur:* Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ. 270

OBSERVATIO III. *De celebrioribus vetuſtis Græcorum Collectionibus.* 273

IV. *De Collectionibus vetuſtis Latinis quæ peculiaribus eccleſiis adſcribuntur.* 275

V. *De cæteris Latinis Collectionibus ante-gratianeis, privato quorumdam ſtudio elucubratis.* 280

V.

PASCHASII QUESNELLI
DISSERTATIONES III.

CUM BALLERINIANIS ADNOTATIONIBUS.

NIMIRUM

I. De Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ.
II. De variis Fidei libellis in antiquo Romanæ Eccleſiæ Codice contentis.
III. De primo uſu Codicis Canonum Dionyſii Exigui in Gallicanis regionibus.

Cum *Ballerinianis* adnotationibus & obſervationibus criticis in eaſdem *Queſnellianas* diſſertationes.

PASCHASII QUESNELLI
DISSERTATIO I.
DE
CODICE CANONUM
ECCLESIÆ ROMANÆ,

omnium qui huc uſque prodierunt antiquiſſimo, nunc primum in lucem edito.

CAPUT PRIMUM.

Romanam Eccleſiam ſuum olim Codicem habuiſſe ante Dionyſii Exigui Abbatis collectionem: nec eum hucuſque emerſiſſe e tenebris.

Controverſia de antiquo codice Romano.

DE Codice antiquo Canonum Eccleſiæ Romanæ, qui Dionyſianum præceſſit, magna nuper animorum contentione dimicatum eſt a nonnullis ſtudio abreptis, ſeu præconceptæ opinioni vindicandæ paullo intentioribus, ſeu denique hiſtoricæ veritatis & antiquitatis eccleſiaſticæ amore illectis. Quo quiſque ſucceſſu pro ſententia ſua decertarit, facile erit, opinor, judicare, cum hanc noſtram diſſertationem ad ombilicos uſque perduxerimus. Immo vel ex ſola Codicis ipſius Canonum, quem tot ſæculis ſepultum luci nunc primum damus, inſpectione perſpicuum eſt immerito ſibi gratulatos eſſe, quotquot de gennini Codicis inventione gloriati ſunt: priſci, inquam, Codicis, ex quo partim inchoato, partim variis ſubinde incrementis aucto, a Nicæni Concilii ætate uſque ad ſexcenteſimum Chriſti annum Eccleſia Romana, ſeu juris eccleſiaſtici dicendi, ſeu conſtituendæ diſciplinæ Canones haurire conſuevit.

Codicem ſuum ex antiquo habuiſſe Romanam Eccleſiam, non eſt quod in dubium revocetur, cum & hujus frequens occurrat (1) mentio in epiſtolis Romanorum Pontificum, & (2) neceſſe fuerit ut quæ Canonibus & regulis eccleſiaſticis regebatur, eas in aliquo Codice deſcriptas ſervaret. Quod ita fuiſſe, vel ex una Dionyſii Exigui epiſtola ſeu præ- A ſatione ad Stephanum Epiſcopum ſatis intelligitur: (3) ex priſci etenim Codicis confuſione adductum ſe Præſulis illius conſiliis ipſe teſtatur, ut novæ adornandæ collectioni manum admoveret. Sed quis hujus Codicis ordo fuerit, quænam in eo continerentur, quæ Canonum interpretatio in uſu eſſet, hoc demum obſcuriſſimum cum ad hæc uſque tempora fuerit, lucem ex Codice, quem publicamus, & ex iis quæ a nobis hujus occaſione dicenda ſunt, ni fallor, accipiet.

Duplex codex ante Dionyſianum non recte excogitatus.

Ante omnia animadvertendum puto, (4) perperam a nonnullis duplicem Canonum Codicem a Romana Eccleſia diverſis temporibus uſurpatum numerari, antequam Dionyſianum illa in uſum vo- B caſſet: unum, qui Calchedonenſi Concilio anterior fuerit, alterum poſt iſtam Synodum ſolutam, auctoritate S. Leonis confectum; quæ ultima collectio viguerit ſola in Occidente per ſexaginta & amplius annos, donec altera auctore Dionyſio in ejus locum ſucceſſerit ab eadem diverſa.

Priorem collectionem eam eſſe exiſtimant, quæ non ita pridem luce donata eſt ex codice MS. clariſſ. viri Chriſtophori Juſtelli tomo 1. Bibliothecæ Juris Canonici veteris poſt Dionyſianum codicem.

Poſterioris gemmum exemplar manuſcriptum extare affirmabat Petrus de Marca, teſte Stephano Baluzio, in Bibliotheca Monaſterii Rivipullenſis, unde

Lib. 3. Concord. Sac. & Imp. c. 3.

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Canones profecto eorumque cuſtodiam frequenter ingerunt Romaoi Pontifices; numquam vero *Codicem* canonum memorant, immo ne ſubindicant quidem. Solum mentionem identidem faciunt canonum Nicænorum, quo nomine Sardicenſes etiam comprehendunt, uti probavimus in Tractatu de Collectionibus part. 2. c. 1. eoſdemque canones tantum eum olim recepiſſet Romana Eccleſia, ut ibidem oſtenſum eſt; quotieſcumque ſtatuta Patrum, vel canones indefinite laudant, Nicænos vel Sardicenſes intelligunt.

(2) Neceſſe quidem fuit ut Romana Eccleſia, quæ non tam canonibus regebatur, quam apoſtolicis conſtitutis, hæc in Romanis ſcriniis, non autem in aliquo codice, aut corpore canonum deſcripta ſervaret. Quod ſi *Codicem canonum* appellare libeat exemplaria, in quibus Nicæni & Sardicenſes canones ſimul erant deſcripti, nihil morabimur. Conſtitutiones autem Pontificiæ non ex codice aliquo, ſed ex apoſtolicis ſcriniis a Romanis Antiſtitibus olim allegabantur, ut ſuſe probavit P. Couſtantius in præfatione ad tom. I. Epiſtolarum Romanorum Pontif. n. 44. & 45. Id vero adeo inoleviſſe animadvertimus, ut poſtquam iidem Romani Antiſtites uti cœperunt collectione Dionyſii, ex ea quidem diutius allegarint ſolos canones, numquam vero, vel fere numquam conſtitutiones apoſtolicas niſi poſt VII. ſæculum.

(3) Non *priſci codicis*, ſed *priſcæ translationis* mentionem facit Dionyſius, ejuſque *confuſionem* notavit, qua Laurentius offenſus ipſi ſuaſit, ut novam Græcorum canonum interpretationem lucubraret. His autem verbis non Codicem canonum a Queſnello editum Dionyſius indicat, ſed eam *priſcam* (ut in vulgatis inſcribitur) interpretationem, quæ ante ipſum Dionyſium compacta, in Italia præſertim circumferebatur. Hæc enim ita confuſa & implexa eſt, ut lectores offendat: quod de verſione Iſidoriana (ut vocant) licet antiquiori, in Queſnelliano Codice fere recepta dici nequit. Certe porro Dionyſius hanc, quæcumque intelligatur, *priſcam translationem* nec a Romana Eccleſia receptam, nec in publicum ejuſdem Eccleſiæ Codicem relatam ſignificat. Confer dicenda in Obſervationibus cap. 2. num. 1.

(4) Hæc perſtringunt Petrum de Marca, qui prius in *Concordia*, dein in *Opuſculis* hunc duplicem Romanæ Eccleſiæ codicem excogitavit. Primus eſt ille codex MS. ex quo non multo poſt priſcam verſionem canonum Voellus & Juſtellus ediderunt. Alter eſt codex

unde fortaſſis in lucem emittendum ſpondet idem Baluzius: cui & aſſenſum noſtrum ſpondemus, cum certis argumentis hanc Collectionem Leonis tempore & auctoritate concinnatam oſtenderit. Interim noſmet ab aſſenſu ſuſtinere per eum licebit nobis in contrariam ſententiam propenſis propter hanc rationem: quod ſi de nova Collectione cogitaſſet ſanctus Leo, ad hoc adductus eſſet prioris confuſione: atque ita curaſſet imprimis ne in eamdem confuſionem poſterior recideret, ſed eam potius omni ex parte accuratam abſolutamque pro ſua rei canonicæ peritia dediſſet: unde nec novæ poſt ipſum collectionis conficiendæ laborem aſſumere coactus eſſet vel Dionyſius exiguus, vel quiſquam alius *confuſione priſcæ translationis offenſus*. Quod tamen quadrageſimo fere a Leonis obitu anno proficere aggreſſus eſt ille aſſidua & familiari cohortatione virorum eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſorum.

Deinde unicam Abbas iſte translationem commemorat eamque priſcam: quæ (1) priſca profecto ab eo vocanda non eſſet, ſi antiquior non fuiſſet ætate Leonis, quem poſtremos ſaltem vitæ annos viventem videre potuerat.

Denique ex Codicis Romani, quem in publicum nunc primum emittimus, inſpectione (2) manifeſtum eſt, eamdem omnino collectionem antiquo uſu in ea Eccleſia receptam, plurimis quidem acceſſionibus auctiorem diverſis temporibus evaſiſſe, non vero ſpreta una aliam in ejus locum eſſe aſſumptam ab Innocentii Papæ I. tempore ad Gelaſii PP. ætatem.

Quid de priſca Juſtelli translatione & collectione Canonum?

Priorem modo translationem ac collectionem quod attinet, eam eſſe quæ in Eccleſia Romana, & aliis etiam Occidentalibus, uſque ab antiquo ad Dionyſiani codicis tempora uſu celebrata eſt, perſuadent ſibi Bibliothecæ Juris Canonici veteris doctiſſimi conditores Voellus & Juſtellus. Quorum ſententiam pluribus confutat Johannes David libro de Epiſcopis canonice judicandis capite 3. art. 3. Hujus opinioni ſubſcribimus, quatenus Romanum hunc codicem eſſe negat: quamquam pleræque illius probationes leviores ſint, unumque id efficiant ut collectio & translatio ejuſmodi multa confuſione laboraſſe credantur, quod minus Juſtelli conſilio nocet, quam faveat: cum tantam fuiſſe teſtetur Dionyſius, ut pleroſque offenderet, novæque tandem condendæ occaſionem dederit.

Validior eſt (3) probatio, quam ex translationis barbarie arceſſit: talem nempe in primaria Latini Orbis Eccleſia ac civitate vel natam eſſe, vel tot annis receptam ac commendatam nemo cordatus opinetur.

2. Canonis vigeſimi octavi Chalcedonenſis admixtio Romanum procuIdubio Codicem non ſapit, multoque minus Codicem Leones primi tempore uſurpatum aut cora auctum his Canonibus. Quis enim crediderit Canonem illum, cujus occaſione tanta ſimultas Leonem inter & Orientales exarſerat, vel incauto Pontifici obrepſiſſe, vel a prudente ac volente Collectioni ſuæ Eccleſiæ inſertum?

Canones CP. 1. non erant in antique Codice Romano.

Μὴ ἐμφερόμενα δὲ ἐν τοῖς συνοδικοῖς κανόσι. Act. 6. Chalc.

3. Nec Conſtantinopolitanis etiam Canonibus locus fuit in veteri Eccleſiæ Romanæ codice: eos enim ſibi ſuiſque prædeceſſoribus ignotos fuiſſe S. Leo ſæpius teſtatur. Lucentius etiam ejus in Synodo Chalcedonenſi Vicarius in ultima Actione proteſtatur illius CP. Synodi decreta *ſynodicis Canonibus non haberi, quæ dicunt ante octoginta prope annos conſtituta fuiſſe*. Nec tam cito a ſententia ſua deflexiſſe Leo credendus eſt, ut Canones Sedi ſuæ infenſus, tantaque nuper contentione exploſos, pro legitimis agnoſceret modo, ſed & proprios ſibi, approbans codicique inſerens, faceret. Quod enim poſtmodum, ſopita contentione, codici Romano, quem publicæ luci damus, additi ſint Canones illi, hæc poſteriorum cura fuit poſt receptam ubique œcumenicam Synodum ſecondam. Quod autem apud Dionyſium reperiantur, non eadem eſt ratio. Hujus enim conſilium fuit, non antiquum codicem Romanum in melius reſtituere, ſed novum omnino condere, Canones omnes rurſus de *Græco transferens*, ſeu *Regulas Nicænæ Synodi, deinceps omnium Conciliorum, ſive quæ ante eam, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, uſque ad Synodum centum quinquaginta Pontificum, qui apud Conſtantinopolim convenerunt, ſub ordine numerorum, id eſt a primo capite uſque ad centeſimum ſexageſimum quintum* ſicut habetur in Græca auctoritate, *digerens*. Quicquid igitur in Græca Collectione, quam præ manibus habebat, reperit Dionyſius, hoc codici ſuo inſeruit; quem ne tunc cogitabat quidem aliquando publica Eccleſiæ Romanæ auctoritate recipiendum.

Denique vix alia probatione indigemus, ut codex hujuſmodi Romanæ Eccleſiæ abjudicetur, quam quæ ex ipſa ejus inſpectione ſponte exurgit, & quæ cuique lectori paullo attentiori facto facile perſuadebit; hoc Græculi alicujus ad Latinam aſpirantis, ſuumque in ea profectum perielitantis tentamentum, prorſus Eccleſia Romana indignum eſſe.

CAPUT II.

Priſcum illum Codicem eum ipſum eſſe quem jam publici juris facimus. Unde, & a quo acceptus Codex: quibus conſtet partibus: quo ordine digeſtus: quibus per varias ætates incrementis auctus credatur.

JAm vero quod Juſtelliano Codici abjudicamus, an noſtro adjudicandum ſit, decernet Lector eruditus, cum noſtras ſeu conjecturas, ſeu probationes, quas modo promemus, æqua lance ponderaverit.

Unde ceptuu Codex.

Primum omnium ex quo fonte Codicem hauſerimus, dicendum: ut & fraudis ſuſpicio omnis amoveatur, & cujus munere acceperint antiquitatis eccleſiaſticæ ſtudioſi tam venerandæ vetuſtatis κειμήλιον non ignorent. Hujus apographum miſſum eſt ad me Oxonio a clariſſimo viro mihique amiciſſimo (4) Edmundo Bernardo in Academia Oxonienſi doctiſſimo Aſtronomiæ profeſſore Saviliano, quem an ſingularis humanitas cum doctrina conjuncta, an pro-

EDITORUM ADNOTATIONES.

codex geminus Monaſterii Rivipullenſis in Hiſpania. Sed etſi hos codices vidit Petrus de Marca, non tamen accurate expendit: unde nil mirum, ſi de iiſdem inconſulte minus vera tradidit. Nam priſca verſio, quæ in primo codice continetur, ipſo Queſnello probante Romanæ Eccleſiæ tribui nequit. Duo porro codices Rivipullenſis Monaſterii ſunt duo exemplaria collectionis Hiſpanicæ a Perezio aliiſque laudata: quæ ſane collectio nec Leoni, nec ætati Leonis, nec Romanæ Eccleſiæ adſcribi poteſt. Vide quæ de hac Hiſpanica collectione diximus in Tractatu de Collectionibus.

(1) Hanc objectionem refellimus in Tractatu memorato part. 2. c. 2. §. 3. n. 4.

(2) Num id manifeſtum ſit, patebit, ut confidimus, ex noſtris Obſervationibus huic diſſertationi mox ſubjiciendis, ex quibus potius contraria ſententia manifeſta fiet.

(3) Duas alias non leviores confirmationes adjicimus. I. Quia in priſca canonum editione Sardicenſes a Nicænis ſeparantur, propriumque Sardicenſium titulum præferunt; cum apud Romanam Eccleſiam utrique copulati eſſent, ac Nicænorum nomine inſcriberentur. II. Quia Nicænorum interpretatio ab ea diſcrepat, quam Romana Eccleſia recipiebat, ut colligere licet ex iis Romanæ antiquæ verſionis particulis quæ ſuperſunt; de quibus vide Tractatum de Collectionibus part. 2. c. 2. §. 1.

(4) Queſnellus in præfatione generali *Edoardo* ſcripſit: ex hoc autem loco ibidem notavimus legendum *Edmundo*. At Fabricio monente tom. II. Bibliothecæ Græcæ c. 1. n. 20. verum nomen eſſe *Eduardum* intelleximus, maleque hoc loco *Edmundum* a Queſnello appellari: ac propterea tom. I. hujus editionis delenda erit noſtra adnotatio duodecima in ejuſdem Queſnelli præfationem pag. XXXVII.

promovendarum litterarum amor indefeſſus magis commendent, difficile dixeris. Aſſervatur codex in Orielenſi Oxonienſis ejuſdem Academiæ Collegio, cui illum dono dedit ante ducentos annos ejuſdem e Collegii ſociis unus Andreas Mankyſvvellenſis: ita enim vero præ ſe fert prima codicis pagina. *Liber domus Beatæ Mariæ de Oriell. Oxon. ex dono Magiſtri Andreæ Mankyſvvell. ſupradicti Collegii ſocii. Anno Domini MCCCCLIX.* Codex iſte, qui pergamenaceus eſt, grandiorisque formæ, & hoc numero notatus 61. B. continet, præter collectionem hanc Canonum & Decretorum, epiſtolas & ſermones S. Leonis Magni. Epiſtolis insertæ leguntur Conſtitutiones Imperatorum Theodoſii & Valentiniani adverſus Manichæos, & contra Hilarium Arelatenſem. Sermonibus ſubjiciuntur duæ epiſtolæ Epiſcoporum Proterii Alexandrini, & Paſchaſini Lylibætani ad Leonem noſtrum, & alia nonnulla vitam ſancti Pontificis attinentia.

Collectio Canonum & Decretorum ſexaginta capitula continet, & unumquodque capitulum in titulos dividitur, cum ita fieri res patitur: Concilia enim in Canones, & epiſtolæ in capita ſeu decreta ſcinduntur.

Sexcentorum fere annorem eſſe dicitur codex manuſcriptus: cujus apographum ad nos tranſmiſſum eſt: ſed ex codice alio longe antiquiſſimo deſcriptus eſt, uti tum ex aliis, tum ex hac ſcribæ nota intelligitur, quam deſcriptam habes pag. 14. Codicis: *Iſte codex tranſcriptus eſt ex vetuſtiſſimo exemplari, quo circa de veritate ſcriptorum, nec in iſto primo Capitulo Nicænorum Canonum, nec in omnibus ſequentibus, aliquis dubitare debet, licet aliter in novellis exemplaribus inveniatur.*

Alterum Codicis exemplar ea Bibliotheca Thuanea.

Abſoluta erat hæc diſſertatio, jamjamque ipſe Codex prælo ſubjiciendus ex hoc unico apographo Oxonienſi, cum mihi Thuaneam Bibliothecam perluſtranti ecce occurrit ejuſdem codicis exemplar MS. octingentorum circiter, ni fallor, annorum, ac notæ optimæ, quod aſſidua manu verſatum deprehendo doctiſſimorum virorum Sirmondi, Salmaſii, Chifletii, Juſtelli, Voelli &c. Ipſe enim eſt Codex numero 129. notatus, cum quo convenire verſionem Canonum Chalcedonenſium priſcæ editionis Latinæ, annotaverunt Bibliothecæ Juris Canonici collectores Voellus & Juſtellus tom. 1. pag. 296. Ipſe eſt ex quo Jacobus Sirmondus Tractatum Gelaſii Papæ adverſus Græcos, & mutilam ejuſdem epiſtolam ad Orientales primus edidit poſt Appendicem Codicis Theodoſiani. Ex eodem Claudius Salmaſius in ſuo adverſus Sirmondum Euchariſtico de Eccleſiis ſuburbicariis, edidit reſcriptum Imperatorum Honorii & Theodoſii contra Pelagianos, necnon & Sacram Conſtantii Auguſti, cum duobus Voluſiani & Palladii Præfectorum edictis adverſus eoſdem hæreticos, pag. 283. 288. & 291. Eumdem codicem laudat Chifletius in Notis ad Breviationem Canonum Ferrandi pag. 305. *Vidimus certe*, inquit, *ex Bibliotheca clariſſimi viri Jacobi Auguſti Thuani codicem veterem, in quo, ut apud Ferrandum titulus XX. Nicænus Dionyſii, non cenſetur in Canonibus Nicænis; præmiſſa autem fidei formula Nicæna pro primo titulo, reliqui Nicæni Canones XIX. Dionyſiani extenduntur in XXVI. ita ut omnes tituli Nicæni in eo Codice ſint XXVII. excluſo ultimo Dionyſiano.* Hæc qui cum codice noſtro componet, de alio intelligendum non eſſe Chifletium facile animadvertet.

In quo utrumque exemplar differant.

Hoc invento tam egregio monimento novus labor ſubeundus fuit, ac nova cura in luſtrando conferendoque codice ponenda. Quo facto quid inter utrumque diſcriminis deprehenderim, etſi ſuis locis annotaverim, breviter tamen hic ediſſero. Eumdem titulum in capite Indicis codex uterque habet. Index ipſe, ſi pauca excipias, idem eſt in utroque. Eadem Capitulorum ſeries uſque ad quinquageſimum ſextum. Reliqua quinque Oxonienſis MS. capitula diverſo ordine numerantur in Thuaneo: quod & notatum habes in fine Indicis pag. 10. Habet & hoc amplius Thuaneus codex, quod decretalium epiſtolarum ſynopſim exhibet, quod decretalem habet Gelaſii Papæ, & regulam Formatarum. Quod enim attinet epiſtolas ſancti Leonis Papæ, (1) eas non eſſe ex corpore Canonum, ſeu ex codice iſto, indicat clauſula poſt regulam Formatarum ſubfixa, in hunc modum: „ In nomine Domini expliciunt Canones. “ Illud etiam probatur ex diſcrimine & ordinis & numeri epiſtolarum, quæ in utroque codice jacent: pauciores enim in Thuaneo, plures in Oxonienſi: & a recentiori quidem manu ſuperadditæ ſunt. Denique titulus Oxonienſis codicis eaſdem epiſtolas rejicit a collectione Canonum: *Continet codex iſte Canones eccleſiaſticos & conſtituta ſanctæ Sedis Apoſtolicæ ſub Capitulis ſexaginta. Quæ adiecta ſunt ex ſcriptis beati Leonis Papæ, non ſunt ex corpore Canonum.* Ita lego in apographo, quod penes me habeo: cujus tituli ſinceritatem probat Catalogus Librorum Manuſcriptorum Bibliothecæ Collegii Orialenſis Oxoniæ, Londini editus anno 1600. pag. 43. ubi eadem leguntur. Cetera utriuſque codicis diſcrimina ad loci cujuſque marginem notata habes.

Diſtinguendum porro in Codice Canonum a nobis edito inter ea, quibus capitula conſtant, & hiſtoricas quaſdam obſervationes, quæ ſparſim & extra capitulorum ſeriem injectæ leguntur, etſi non frequentes admodum. Illæ enim recentiori ſtylo exaratæ ſunt, nec habentur niſi in ſolo Oxonienſi Codice, & ut opinor, ejus opera, qui in ſuperiori annotatione teſtatur tranſcriptum a ſe Codicem ex vetuſtiſſimo exemplari: quæ quidem cum non ſint pars Codicis alio charactere excudi curavimus. Sed nec Codicis partes omnes (2) ejuſdem eſſe ætatis credendæ ſunt. Aliæ aliis antiquiores, priorum temporum codicem compoſuerunt; aliæ, quæ junioris ævi, ſubinde per ſuccedentia ætatum intervalla annexæ ſunt prioribus capitulis, ita ut aliquando tandem ad ſexagenarium numerum codex pervenerit. Quo vero quæque pars tempore vel codicem conflare, vel codici accedere cœperit, obſcura res eſt, quam utcumque aperire, niſi conjecturis, nemo poſſit: quod & nos periclitabimur inferius.

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Leonis epiſtolas, quæ in Thuaneo codice, aliiſque pluribus & præſtantioribus, ſicut & in noſtra editione, ipſam collectionem claudunt a cap. 67. ad cap. 98. ejuſdem collectionis eſſe portionem, quæ in ſolo MS. Oxonienſi alio conſilio omiſſa fuit, oſtendimus not. 1. in cap. 67. ubi etiam explicavimus adnotationem, quæ videtur contraria, laudati codicis Oxonienſis. Clauſulam vero *In nomine Domini expliciunt canones* alio referendam probavimus not. 8. in ipſius collectionis cap. 63.

(2) Cum Queſnellus ex una parte crederet hunc fuiſſe veterem Romanæ Eccleſiæ Codicem publica auctoritate editum, qui viguerit ſub Innocentio I. aliiſque ipſius ſucceſſoribus ad Gelaſium uſque, poſt cujus Pontificatum Dionyſius Exiguus novum codicem digeſſit; ex alia vero parte perſpiceret, non omnia quæ in eodem Codice continentur, poſſe competere publico Romano Codici ſub Innocentio, Zoſimo, vel Leone; ut omnia cum ſua ſententia, ſeu potius præjudicio aliqua ratione conciliaret, alia documenta Codici diverſis temporibus addita excogitavit, ac ejuſmodi additionum tempora diſtinguens, octo ætates Codicis confinxit, quæ nullo fundamento, ſed ſolo memorato præjudicio innixæ fuſiori confutatione non egent. Si enim hunc Codicem ad Romanam Eccleſiam non pertinuiſſe evidenter demonſtrabimus, uti demonſtraturi ſumus in Obſervationibus poſt hanc Diſſertationem ſubjiciendis; hæ omnes ætates ex uno memorato præjudicio confictæ, cum eodem corruent. Confer præterea, quæ circa hanc ætatum hypotheſim animadvertemus in Obſervationibus cap. 1. n. 4. & 5. nec non cap. 2. n. 8. ubi nonnullæ peculiares incongruentiæ deteguntur. Inſignem etiam Queſnelli contradictionem patefaciemus not. 21. in cap. 4.

Indicem qui toti operi præfigitur, eodem (1) poſteriorem eſſe clarum eſt ex mentione ſexaginta Capitulorum, ac proinde quicquam ſtatui ex eo non poteſt pro earum partium notitia, quæ codicem primo compoſuerint.

Quid de Prologo ſentiendum, & cujus ſit ætatis.

De Prologo idem non eſt apud me judicium: nihil quippe (2) vetat quin circa quinti ſæculi initium editus credatur, præfixuſque ei codici, qui Innocentii Papæ I. temporibus in uſu erat apud Romanam Eccleſiam: liber enim decimus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii a Rufino adjectus, qui laudatur in ea præfatione, pluribus ante Innocentii obitum annis in lucem miſſus erat. Si cui nihilominus placuerit Prologum iſtum ad poſteriora tempora differre, contra ego non contendam. Hoc tamen certum videtur pauca admodum capitula complexum eſſe codicem iſtum, cum ei præfatio annexa eſt: tum quia tota fere eſt de ſolo Nicæno Concilio: tum quod eadem indicet pauca quædam tantum decreta Nicænis eſſe ſuperaddita, vice appendicis, nec ita quaſi propria Synodorum, a quibus condita erant, auctoritate locum ſibi in Codice Romano vindicarent, ſed velut ab Apoſtolica Sede in proprium uſum aſſumta, & Eccleſiæ ſuæ adminiſtrationi profutura: *Nam & nonnullæ*, inquit, (3) *regulæ ſubnexæ ſunt, quas memorata ſuſcipiens confirmavit Eccleſia*. Quibus verbis Carthaginienſis maxime Synodi Canones, qui Nicænis Sardicenſibuſque in unum confuſis ſubjiciuntur, intelligi perſuadent verba capituli de gratia eorum primi quæ Cæleſtino olim, nunc Leoni adſcribuntur. Quæ verba eoſdem illos Carthaginienſis Eccleſiæ Canones tunc, ut olim ante, Codici Romano inſertos fuiſſe teſtantur, ſic de poſterioribus habentia: *Ita ut etiam Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias jungeremus, quas utique ſuas fecerunt Apoſtolici Antiſtites, dum illas comprobarunt.*

Capit. 1. de Grat.

Prima ætas Codicis Romani.

Facile igitur in eam ſententiam inclino: Romanum Codicem a Nicænæ Sardicenſiſque Synodorum temporibus ad uſque Innocentii Zoſimique ætatem, (4) nullos alios Canones regulaſve eccleſiaſticas complexum eſſe præter Nicæni Sardicenſiſque Concilii Canones; neque Sardicenſes in illo locum habuiſſe, niſi quia pro Nicænis habiti ſunt, eorumque nomine veſtiti, ac eis ſine ulla diſtinctione ſubjuncti. Clarum eſt ea de re Innocentii ipſius teſtimonium, cujus verba & aſſerendæ codicis hujus ſinceritati ſuffragantur, & viciſſim a codice lucem maximam recipiunt. *Nos enim*, inquit Innocentius in epiſtola ad Clerum populumque Conſtantinopolitanum, *quantum ad Canonum obſervantiam attinet, illis obſequendum eſſe ſcribimus, qui Nicææ determinati ſunt, quibus ſolis obtemperare, & ſuum ſuffragium addere Eccleſia Catholica debet.* Item in epiſtola 16. ad Theophilum Alexandrinum: *Si conſcientiæ confidis, tu quoque judicio accurre ad Synodum proxime in Chriſto celebrandam, & illic juxta Nicæni Concilii Canones & decreta contende. Alios quippe Canones Romana non admittit Eccleſia.* His, inquam, verbis opinio noſtra confirmatur, qua aſſerimus non alios Canones a Romana Eccleſia Innocentii ætate ſuſceptos, ſuoque habuiſſe inſertos codici, quam qui vel Nicæni revera erant, vel pro Nicænis habebantur, eiſque accenſebantur a Romanis, eo modo quo in noſtro codice repræſentantur. Sed ex eodem viciſſim codice conciliatur Innocentius cum Innocentio, qui multoties Sardicenſes Canones adducit & uſurpat in epiſtolis ſuis: ut in epiſtola ad Victricium Canone III. IV. & VII. de appellationibus ad Romanum Epiſcopum & epiſt. 16. de Clericis abjectis ab alio non recipiendis, & de Synodo ad quam Theophilum invitat, & aliis in locis, quorum meminit Joannes David. Hac etiam via idem David cum Marca in gratiam redit; & aſſerta utriuſque opinione, alter ab altero victus de altero ſimul victor evadit: cum utrumque veriſſimum ſit, & ſolos Nicænos Canones ab Innocentio receptos eſſe, & tamen Sardicenſes ab eodem admiſſos & in cauſſis eccleſiaſticis diſcutiendis uſurpatos: ſiquidem Sardicenſes recipiebat Innocentius, ſed habitos pro Nicænis & eorum nomine decoratos.

Ep. 13. Innocent. Papæ ad Clerum & popul. CP. ex Sozom. l. 8. c. 26. tom. 1. Epiſt. Sum. Pont. ed. Romanæ. Epiſt. 16. Innocentii Papæ ad Theophilum.

Secunda Romani Codicis ætas.

Hæc fuit, opinor, Codicis Romani ætas prima ac velut infantia, in qua primum ſolummodo capitulum codicis quem damus, totum conflabat illius ætatis codicem ſub Innocentio Pontifice Romano: eo ſcilicet tempore, quo Chryſoſtomi cauſſa ventilabatur. At ſub eodem Innocentio (5) poſtmodum adoleviſſe crediderim Canonibus Carthaginienſis Concilii auctiorem factum; cum videlicet aliquot a morte Chryſoſtomi annis oborta Pelagiana hæreſis, majoris Romanam inter & Africanam Eccleſias commercii neceſſitatem fecit, literiſque & legationibus locum dedit inter utriuſque Eccleſiæ præſules amplius ſolito frequentandis: *Tot & tantis*, inquit Auguſtinus lib. 2. ad Bonifac. cap. 3. *inter Apoſtolicam Sedem & Afros Epiſcopos currentibus & recurrentibus ſcriptis eccleſiaſticis.* Hac occaſione magis innotuit Romanæ Eccleſiæ Africana diſciplina; quam ſuis moribus accommodatam judicantes Romani Cleri proceres, ſuam illam facere ac proprii codicis partem eſſe voluerunt: & hac ætate ſecundum Capitulum primo acceſſit.

Tertia Romani Codicis ætas.

Majores adhuc vires ſumpſit ſub Innocentii ſucceſſore Zoſimo: qui cum natione Græcus eſſet, patriarum legum amore captus Græcos Canones Romana civitate donavit, treſque illas Synodos Ancyranam, Neocæſarienſem & Gangrenſem, quæ Carthaginienſem in codice excipiunt, Romanæ collectioni attexuit. Nec temere trium illarum Synodorum Canones præ ceteris Græcis allecti ſunt, quippe qui omnium antiquiſſimi erant, & eam ob rem eodem ordine deſcripti leguntur in antiqua verſione apud Iſidorum. Ancyrana enim Anno Chr. 314. habita eſt, quam Neocæſarienſis ſtatim eſt ſecuta: (6) Gangrenſis vero an. 325. habita creditur:

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Cum index capitulorum operi præfixus ex Thuaneo codice deſignet capitula XCVIII. hujus collectionis; quæ ſane non tam in Thuaneo, quam in ceteris Oxonienſi antiquioribus ac præſtantioribus ejuſdem collectionis exemplaribus inveniuntur; manifeſtum ſit eumdem indicem primævam collectionem indicare, eidemque eſſe coævum; poſteriori autem tempori tribuendam eſſe adnotationem ſolius MS. Oxonienſis, in qua ſit mentio capitulorum ſexaginta. Vide quæ de hac adnotatione diximus not. 1. in cap. 67.

(2) Ne hic Prologus circa quinti ſæculi initium ſcriptus editusque credatur, illud maxime vetat, quod ex Gelaſii decreto de libris apocryphis nonnulla in eum traducta inveniantur. Confer Obſervationes in hanc diſſertationem cap. 2. n. 3, ubi Queſnelli ſententiam refellimus, qua Gelaſium ex hoc Prologo exſcripſiſſe contendit. Num vero hic Prologus coævus ſit noſtræ collectioni, an eidem poſterius acceſſerit (in MS. Vindobonenſi Cæſareo 39. non legitur;) & num præfixus fuerit ſoli primo capiti Nicænam Synodum complectenti (de hac enim Synodo tantum in eodem prologo ſermo eſt,) an ad univerſam collectionem pertineat, quicquid credatur, nihilum repugnabimus.

(3) Solæ Nicænæ regulæ fidei ſymbolo ſubnexæ hoc textu indicantur, uti oſtendemus in Obſervationibus cap. 2. n. 2. indeque conjectationes, quæ heic a Queſnello proferuntur, inanes eſſe quiſque perſpiciet.

(4) Nullos quidem alios canones præter Nicænos & Sardicenſes Romanam Eccleſiam olim recepiſſe non ſolum uſque ad Innocentii & Zoſimi ætatem, ſed diutius etiam poſtea probavimus in Tractatu part. 2. c. 1. At Nicænorum verſio diverſa erat ab ea, quæ in hac collectione a Queſnello edita continetur, ut oſtendemus in Obſervationibus cap. 1. num. 2. ac 3.

(5) De hac, & de ſequentibus Codicis Romani acceſſionibus ſeu ætatibus, quas Queſnellus comminiſcitur, ſatis diximus not. 3. Quædam nihilominus peculiaria in notis ſequentibus obſervabimus.

(6) Gangrenſem Synodum multo poſteriorem eſſe, ac celebratam inter annum 362. & 370. oſtendimus in Tractatu part. 1. c. 4. §. 1.

tur: ideoque Nicænæ Synodi temporibus vel æquales iſtæ erant, vel ſuperiores.

Quarta ætas Codicis.

Virile robur adeptus eſſe mihi videtur poſt Zoſimi mortem. Finita enim ſub ejus Pontificatu Pelagianorum cauſſa, tunc quicquid ea de re vel ſcriptum erat ad Romanum Pontificem ab Africanis Epiſcopis, vel his ab illo reſcriptum, ac præterea Synodos adverſus Pelagianos in Africa celebratas placuit in codice Romano reponi: adjunctis etiam Imperatoris Conſtitutionibus & Præfectoriis Edictis adverſus eodem hæreticos datis: ut ſi forte aliquando pugnam adverſus catholicam doctrinam redintegrarent, vel illis decretis ſubſcribere, vel pœnis illic ſancitis plecti juberentur. Quatuor etiam epiſtolæ decretales Innocentii I. ſubduntur, quibus varia magni momenti diſciplinæ capita, fraterna Coepiſcoporum ſuorum Exuperii, Victricii, Decentii, & aliorum conſultatione pulſatus, ſecundum eccleſiaſticas regulas ac Romanæ imprimis Eccleſiæ normam explicat confirmatque. Hæc omnia ante Leonis noſtri tempora, appoſita eſſe codici docemur primum ex citatis capitulis de gratia, in quibus multa excerpta leguntur ex Africanis Conciliis epiſtoliſque ac Innocentii reſcriptis adverſus Pelagiana dogmata: quæ Concilia, ſua feciſſe dicuntur Apoſtolici Antiſtites, dum illa comprobarunt, ſuoque codici inſcripſerunt, appellanturque in fine Capitulorum ſine ulla diſtinctione tam Africani Canones, quam Pontificum epiſtulæ, *Apoſtolicæ Sedis ſcripta:* ſicut de Carthaginienſi Synodo dixerat, cap. 7. *Illud etiam, quod intra Carthaginienſis Synodi decreta conſtitutum eſt, quaſi proprium Apoſtolicæ Sedis amplectimur*. Probant hoc idem verba ſancti Leonis in epiſtola 3. ad Epiſcopos Campaniæ, Piceni, Tuſciæ &c. data, quos adire vult & obſervare decretalia Innocentii Conſtituta. *Ne quid vero ſit*, inquit, *quod prætermiſſum a nobis forte credatur, omnia decretalia Conſtituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium prædeceſſorum noſtrorum, quæ de eccleſiaſticis ordinibus & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita a veſtra dilectione cuſtodiri debere mandamus; ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari.*

Ep. 3. nunc 4. Leonis cap. 3.

Quæ decreta Innocentii laudet S. Leo Epiſt. 3. nunc 4.

Cum hæc ſcribebat Leo, convertebat mentis oculos in ea Innocentii Decreta, quæ habentur in Epiſtola ad Victricium Rotomagenſem, & altera ad Macedones Epiſcopos, quibus reprobatur Bigamorum ordinatio. At quomodo ejuſmodi decretalia Conſtituta in remotiores Galliarum partes & in Macedoniam miſſa Italis ita nota eſſe potuerunt, ut iis promulgata dicerentur, iiſdemque tenerentur obſequi, (1) niſi publico ac recepto Codici haberentur inſerta? Cur etiam, dum omnes prædeceſſores ſuos generatim commemorat, unius exprimit Innocentii nomen, niſi quia (2) unius Innocentii decreta in Codicem tunc temporis relata erant, ſaltem ante Chalcedonenſem Synodum, quemadmodum ex Codicis ordine dignoſcitur? Soli videlicet Canones Nicæni vel pro Nicænis habiti, ut non ſemel diximus, pro judiciorum ordinationumque eccleſiaſticarum regula habebantur Innocentii ætate in Eccleſia Romana. His poſtmodum adjecta Innocentii decreta, quæ commentarii vice eſſent Canonibus intelligendis. Tum hoc exemplo etiam Siricii Innocentio antiquioris decreta in Codicem conjecta.

Obſervanda S. Leonis verba, unde Codex probatur.

Porro non ſine obſervatione commemoranda ſunt a nobis Leonis verba ſuperius deſcripta: *Decretalia conſtituta . . . . quæ de eccleſiaſticis ordinibus & canonum promulgata ſunt diſciplinis:* quæ quidem a nobis integritati ſuæ ſunt reddita: cum prius legeretur *ordinata* pro *promulgata*. Ac primo vox *Conſtituta*, qua Decreta ſuorum prædeceſſorum indicat Leo noſter, eadem uſurpatur in titulo codicis noſtri: *Conſtituta Sedis Apoſtolicæ*: ut vel hinc ſuſpicari liceat indicatum a Leone eumdem Codicem.

Deinde vox *promulgata* videtur etiam innuere leges eaſdem eccleſiaſticas prius ad ſingulos Epiſcopos longinquarum regionum ſcriptas, poſtmodum in publicum Conſtitutorum Pontificiorum Codicem conjectas eſſe: quo in earum omnium Eccleſiarum noti-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Hanc Queſnelli rationem pro adſtruendo publico Romanæ Eccleſiæ codice refellimus in Tractatu part. 2. c. 1. §. 4.

(2) Vide exactum Leonis interpretem. Leo epiſt. 4. ſcripta ante Concilium Chalcedonenſe anno 443. ſervanda præcipit *OMNIA decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam OMNIUM prædeceſſorum noſtrorum*: ubi *tam Innocentii* idem eſt ac *non tam Innocentii*, ſeu *non unius Innocentii*, ſed *omnia omnium prædeceſſorum*. Explicat nihilominus Queſnellus *unius Innocentii decreta*, & non *omnia* quidem ſed ea tantum, quæ *in Codicem tunc temporis relata erant ante Chalcedonenſem Synodum*, ideſt quatuor tantummodo decretalia conſtituta ejuſdem, *quemadmodum ex ordine Codicis dignoſcitur*: quatuor enim tantum *unius Innocentii* conſtitutiones in Queſnelliano Codice præmittuntur geſtis Chalcedonenſibus, quæ deſcribuntur cap. 25. Si has ſolas unius Innocentii epiſtolas S. Pontifex voluiſſet indicare, quid opus erat, ut *omnia omnium prædeceſſorum* decretalia conſtituta commendaret? Quod ſi ut hæc omnia eſſent *promulgata* Leo exegiſſet Codicem publicum; admittendus eſſet proculdubio ante Concilium Chalcedonenſe aliquis Codex, in quo non quatuor tantum *unius Innocentii*, ſed alia multa tum ipſius, tum prædeceſſorum omnium decreta continerentur. Quod cum nec in Queſnelli Codice, nec in ulla alia antiqua collectione inveniatur; exploratum redditur illius commentum, quo publicum Codicem ad promulgationem requiri ex Leone collegit, & multo magis quo codicem abs ſe vulgatum tamquam Romanæ Eccleſiæ publicum & a Leone indicatum traduxit. Addemus & aliud. Si Queſnello ſit fides, nullæ Pontificum decretales litteræ relatæ erant in Codicem, nullæ promulgatæ ante Chalcedonenſe niſi unius Innocentii. Ante Innocentium ergo nullæ erant decretales relatæ in Codicem, nullæ promulgatæ: ſolique Nicæni canones & Sardicenſes, ut idem contendit, ſub Innocentio pro regula habebantur. Quomodo ergo Siricius in epiſtola ad Himerium, poſtquam eum *ad ſervandos canones & tenenda decretalia conſtituta* hortatus eſt, illam generalem ſententiam pronuntiavit: *Statuta Sedis Apoſtolicæ, vel canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum Domini ignorare ſit liberum?* Ut hæc vim haberent, aliqua promulgatio requirebatur. Ad promulgationem vero in Queſnelli ſiſtemate Codex publicus exigitur, qui ipſo tradente primum poſt Innocentium apoſtolicas conſtitutiones recepit. Quid quod hanc ipſius ſententiam palam reprobant Gallicani Epiſcopi ſedi Arelatenſi adhærentes, cum ad S. Leonem ſcripſerunt epiſt. 65. noſtræ editionis c. 2. *Quare quidem antiquitatem ſequentes prædeceſſores Beatitudinis veſtræ hoc quod erga privilegia Arelatenſis Eccleſiæ inſtitutio vetuſta tradiderat, PROMULGATIS (ſicut & ſcrinia Apoſtolicæ Sedis procul dubio continent) auctoritatibus confirmarunt*. Voce *auctoritatibus* indicantur Zoſimi Epiſtolæ pro privilegiis Eccleſiæ Arelatenſis. Hæ autem a Pontificibus non fuerunt inſertæ Codici publico, ſicut nec in Queſnelliano inveniuntur: unde non *Codicem*, ſed *ſcrinia*, in quibus conſervabantur, iidem Epiſcopi memorant. Cum porro eas nihilominus a Pontificibus *promulgatas* affirment, ex quo miſſæ fuerunt in Gallias; nullam utique publici Romani Codicis editionem promulgationi neceſſariam putarunt. Neque vero quiſpiam reponat Queſnellum loqui de conſtitutionibus, quæ pro Eccleſiis ad Romanam Synodum pertinentibus promulgarentur, Siricium autem & Epiſcopos Galliæ locis laudatis ſermonem facere de conſtitutionibus pro Eccleſiis Hiſpanis & Gallicanis. Num ſi ad promulgationem requiritur publicus Codex pro Eccleſiis ſuburbicariis, pro longinquioribus non exigetur? Vel ſi pro longe diſtantibus ſatis eſt ea promulgatio, qua ſine editione publici Codicis decreta in eas regiones palam mittantur & in omnium notitiam perferantur; quidni idem valebit in Eccleſiis ad Romanam Synodum pertinentibus, ad quas Pontifices ſua conſtituta plerumque e publica Synodo dirigebant? Ex hac Queſnelliani commenti particula totius ſiſtematis commentum eluceſcit.

Digitized by Google

notitiam venirent, quæ legem diſciplinæ ab Eccleſia Romana ſumebant, velut ad ejus Synodum pertinentes. Hujus certe vocis explicationem pluribus proſequitur Hincmarus Remenſis in opuſculo Capitulorum LV. adverſus Hincmarum Laudunenſem, qui ex Pontificum epiſtolis plura delibaverat, quibus probaret neminem iis obedientiam ſine temeritatis nota poſſe detrectare, atque adeo Remenſem Præſulem hujus criminis reum traduceret. Operoſius igitur inquirit iſte in vocis etymon, collatiſque veterum ea de re ſententiis, „ *promulgo*, „ ſcribit ita dici, quaſi *promo vulgo*, ſive *primum* „ *in vulgus edo*. Unde, inquit, Paullus in Gloſſis „ ſuis dicit hoc modo: Promulgari leges dicuntur, „ cum in vulgus eduntur . . . Iſidorusquoque, ut „ ipſe dicit, auctore Tullio expoſuit dicens: *Pro-* „ *mulgatum eſt foras prolatum; ut lex dicitur pro-* „ *mulgata: promulgatum autem ad omnium notitiam* „ *& totius vulgi intimatum*. Differentiam vero „ ſenſus, addit Hincmarus, inter *divulgata* & pro„ vulgata ſeu promulgata, enucleatores verborum „ hanc voluerunt eſſe, ut *divulgata* ſimpliciter tan„ tum dicantur ad notitiam omnium propalata; „ *provulgata* vero vel *promulgata*, ad conſervan„ dum decreta, & in omnium notitiam, ut illa „ ſine refragatione conſervent, deprompta intelli„ gantur. “ Ex his intelligimus & quæ neceſſitas fuit reponendi in Leonis textu vocem *promulgata*, & ea nobis Romanum Codicem canonum & conſtitutorum non obſcure indicari.

Epiſt. 6. nunc 5. ad Aquileienſem Epiſcop.

Eamdem Codicis partem teſtatam etiam facit epiſtola 6. ejuſdem Leonis noſtri tum cap. 1. ubi duas partes, ex quibus coaleſcit, indigitare videtur his verbis: *Quod per auctoritatem canonum decretorumque noſtrorum ne inſontibus quidem conceditur*: tum cap. 2. ubi hæc habet: *Omnia decreta ſynodalia, quæ ad excifionem hujus hæreſeos Apoſtolicæ Sedis confirmavit auctoritas*. Hæc enim ex illis ſunt, de quibus in Præfatione Codicis ita legimus: *Nam & nonnullæ regulæ ſubnexæ ſunt* (1) Nicænis Canonibus, *quas memorata ſuſcipiens confirmavit Eccleſia*, Romana ſcilicet. Hæc etiam ſunt decreta ſynodalia Africana, de quibus ſic præfatio ſententiarum de gratia ſupra. *Ita ut etiam Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias ſubjungeremus, quas utique ſuas fecerunt Apoſtolici Antiſtites dum probarunt* & Capit. 7. *Illud etiam, quod intra Carthaginienſis Synodi decreta conſtitutum eſt, quaſi propriam Apoſtolicæ Sedis amplectimur*. Hæc enim decreta, quæ Apoſtolica Sedes, quemadmodum ex citatis modo teſtimoniis patet, *quaſi propria amplexa eſt, ac regulis ſuis ſubnexuit*, videntur omnino in Codicem Romanum conjecta, qui inſtruendis eccleſiaſticis judiciis, ſacriſque adminiſtrandis inſerviebat.

Scrinii & Codicis Romani diſcrimen.

Duplicem enim ſcriptorum Sedis Apoſtolicæ claſſem, ni fallor, animadverto, duplexque Archivum in quo monumenta eccleſiaſtica apud Sedem Apoſtolicam ſervarentur. Unum de quo ſub *Scriniorum* nomine ſæpe mentionem faciunt ſcriptores antiqui; alterum, quod *Codex canonum & conſtitutorum Sedis Apoſtolicæ* nuncupatum legitur. Utrumque ex Imperio in Eccleſiam tranſlatum; ut & aliæ pene omnes eccleſiaſticæ voces: unde Codex Theodoſianus: & in Notitia Imperii Scrinia epiſtolarum, libellorum, & alia plura, Primiceriique ſcriniorum multiplices. Aliud igitur *ſcrinia Sedis Apoſtolicæ*; aliud, *Codex Romanæ Eccleſiæ*. In illa conjiciebatur quicquid litterarum ex variis Orbis partibus ad Apoſtolicam Sedem confluebat, & quicquid Actorum inſtrumentorumque eccleſiaſticorum ſervandum eſſe æſtimabatur ab Apoſtolica Sede, illinc pro data occaſione depromendum. Ita Leo noſter memorat epiſtolam Sancti Cyrilli ad Neſtorium: *Quam*, inquit, *ab eo miſſam Apoſtolicæ Sedis* ſcrinia *ſuſceperunt*: & in ep. 92. * ad Maximum Antioch. aliam ejuſdem citat epiſtolam, *quam in noſtro*, inquit, ſcrinio *requiſitam nos authenticam noveris reperiſſe*. (2) In Codicem vero referebantur, quæ ad quotidianam Eccleſiarum diſciplinam ſervandam, juſque dicendum in eccleſiaſticis rebus aſſumenda erant, vel ea quæ ad fidei confirmationem ſeu ſcripta ab Epiſcopis, ſeu ſancita erant ab Imperatoribus adverſus hæreticos. Primi generis ſunt in noſtro Codice Canones Conciliorum & Romanorum Pontificum decreta; alterius libelli fidei a Sede Apoſtolica ſuſcepti & probati, Imperatorumque Edicta & Conſtitutiones. Ea ratione Pontificum epiſtolæ ad privatas exteraſque Eccleſias miſſæ, per Eccleſias ad Sedem Apoſtolicam pertinentes robur acquirebant atque obediendi inducebant neceſſitatem, cum e privatis ſcriniis in publicum Codicem eductæ promulgari ac pro decretali Conſtituto haberi cœperant. Cetera ſcripta quamdiu inde non proferebantur, publicatæ legis vim habere illic non poterant. Synodalia porro Africanorum decreta, de quibus nobis ſermo eſt, cum ante Synodi Chalcedonenſis Acta vel decreta locum habeant in Codice, inditium eſt ea jam ante illam Synodum Romana civitate eſſe donata, ac Romanæ Eccleſiæ Juri accenſita.

** nunc 119.*

Quinta ætas Codicis Romani.

Poſt Chalcedonenſe Concilium Leonis cura & ſolicitudine, uti ex ejus epiſtolis non ſemel habemus, collecta hujus Synodi geſta, (3) latine reddita, & in unum corpus redacta ſunt. Quæ cum ſeorſim integra in ſcriniis ſervarentur, placuit tamen præcipua capita ex illis delibata Codici Romano annecti; ut ad manum omnibus eſſent. Et ea ſunt, quæ jacent in noſtro Codice poſt Innocentii PP. epiſtolam ad Victricium, in capit. 25. 26. 27. & 28.

Sexta ætas Codicis Romani.

Chalcedonenſia monumenta ſequuntur epiſtolæ Siricii Papæ cum S. Ambroſii reſcripto, necnon epiſtolæ Zoſimi, Bonifacii & Cæleſtini Pontificum Romanorum, quas eſſe a Leone noſtro inſertas plura mihi perſuadent. Primum enim proxime ſubjiciuntur Chalcedonenſis Geſtis, imperatoriiſque conſtitutionibus ad ea ſpectantibus. 2. Hoc maxime convenit ardenti ſtudio, quo Sedis ſuæ decreta auctoritatemque proſequebatur: quo adductum eum facile exiſtimem, ut prædeceſſorum ſuorum decreta, (4) quæ poſſet, colligeret, atque inter regulas eccleſiaſticas poneret. 3. Hæc Pontificum decreta ita illic diſpoſita inveniuntur, ut pauciſſimis interjectis claudantur illa teſtimoniorum congerie, quæ ex ſanctis Patribus a Leone collecta erant, atque ad finem epiſtolæ * 134. al. 97. ad Leonem Imperatorem ſubjecta ſunt; nec non & Actis damnationis Eutychis in Conſtantinopolitano Flaviani Concilio ab eodem miſſo ad S. Leonem. 4. Cum omnium fere Leonis prædeceſſorum epiſtolæ referantur, ne una quidem quæ ipſius ſit apparet: quod ob aliam cauſſam factum non puto, quam quia illius acceſſionis, quæ Codici tum fiebat, auctor ipſe Leo erat, qui ſcrinia Apoſtolicæ Sedis diligentius excutiens, quæ majoris momenti viſa ſunt, e ſcriniorum iſto-

rum

** nunc 165.*

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Sicut *nonnulla regula* ex præfationis contextu *Nicænos canones* (ut monuimus not. 6.) indicant: ita vox *ſubnexa* refertur ad ſymbolum Nicænum, cui eædem regulæ ſeu canones ſubnexi erant. Male ergo Queſnellus *Nicænis canonibus* inquit. Subſtituatur *Nicæno ſymbolo*, & ſic reliqua argumentatio evaneſcet.

(2) Hoc totum cum ſequentibus merum eſt ingenioſum quidem, ſed non ſatis firmum ſiſtema, quod ex antecedenti not. 21. ſatis extruditur.

(3) Leo quidem a Juliano petiit epiſt. 113., ut omnia geſta Chalcedonenſia *abſolutiſſima interpretatione* redderentur latine. At id non obtinuit, uti conſtituimus tomo II. in Obſervationibus ad notam tertiam Queſnelli in eamdem epiſtolam 113.

(4) Si S. Leo prædeceſſorum ſuorum decreta *quæ poſſet* Codici addidiſſet; itane ſuo tempore, quo Apoſtolicæ Sedis ſcrinia erant florentiſſima, multas & præſtantiſſimas conſtitutiones neglexiſſet, quæ deſunt in noſtra collectione, at in aliis editæ ſunt; nec eorum, qui præceſſerunt Siricio ſaltem, ac Damaſo, unam conſtitutionem publico Codice dignam repeFiſſet ?

rum tenebris in publici Codicis lucem proferri & promulgari voluit. Qua ratione etiam factum puto, ut Zoſimi epiſtolæ, quæ pro Arelatenſis Eccleſiæ privilegiis datæ fuerant, in Codicem Romanum non fuerint relatæ. Qui enim eas Leo inſerendo approbaret, quarum ſententiam meliori poſtmodum judicio correctam dixit; Bonifacii videlicet decreto, quod Codici ab eodem Pontifice inſerebatur. Inde etiam puto natum, quod illæ præteritorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum auctoritates, de gratia & libero arbitrio, quæ Cæleſtini eſſe putatæ ſunt, prætermiſſæ a Leone fuerunt: quia nimirum hujus Collectionis (1) auctor ipſe erat. Denique omnium illorum Pontificum, ſi Siricium forte excipias, ætate vixerat Leo, eorumque decretorum teſtis, nonnullorum etiam condendorum particeps & auctor fuerat: ut mirum non ſit eadem illi præ ceteris in pretio fuiſſe.

Septima ætas Codicis Romani.

Sequitur narratio quædam rerum Eutychianarum, ubi de Dioſcori & Acacii damnatione. Quæ quidem pars eſt Breviculi hiſtoriæ Eutychianiſtarum tempore Gelaſii Papæ concinnati, ut conjiciunt Romani pontificiarum epiſtolarum editores, qui illum Leonis epiſtolis præfixerunt. Hancque narrationem una cum epiſtolis Simplicii, Felicis, & Gelaſii Pontificum Romanorum, ceteriſque incarnationem Domini attinentibus uſque ad Capitulum 56. Gelaſii tempore inſertam eſſe Codici probabile eſt, tum ex frequentibus atque acerbis concertationibus, quæ tum exarſerunt occaſione Eutychianæ hæreſis, tum ex ſerie & ordinatione rerum ipſarum, quæ ad proximos Leonis ſucceſſores pertinent.

Octava ætas Codicis Romani.

Quatuor Conciliorum Græcorum Canones, qui omiſſi fuerant in anterioribus, Epheſini ſcilicet definitio, Antiocheni, Laodiceni, & Conſtantinopolitani decreta cum Thelenſi Synodo, totum (2) claudunt Codicem. An eodem tempore addita, an diverſo? non liquet. Conſtantinopolitani ſaltem Canones poſt S. Gregorium Magnum ſubnexi ſunt, ni fallor, Codici: ejus enim tempore huic eſſe inſertos ut credamus, vetat Pontificis ejuſdem teſtimonium aſſerentis Conſtantinopolitanos Canones ad huc ſuo tempore receptos non eſſe. De Thelenſi Synodo quid judicandum ſit, inferius oſtendemus Diſſert. XV.

CAPUT III.

De ſinceritate Codicis inquiritur, pluribuſque aſſeritur argumentis.

Inſpectin Codicis ſinceritatis ejus argumentum.

PRo Codicis hujus (3) ſinceritate primi argumenti loco ſit præmiſſa hæc ejus deſcriptio, quæ nullum eidem ineſſe fraudis vel *ſhiar* indicium evincit. Vix enim, ac ne vix quidem fieri potuiſſet, quin multa his Capitulis miſcuiſſet impoſtor, quæ conſilium ejus proderent, fraudemque aperirent. Nullus quippe hucuſque ſuppoſititius fetus viſus eſt, qui certas præ ſe non tulerit ſuppoſitionis notas, ex quibus a ſinceris ſcriptis dignoſceretur. Cujus rei duplex modo occurrit ratio. Una, quod plerumque ab imperitis conſarcinatoribus cudi ſolent miſeræ hujuſmodi ſcriptiunculæ, quas ita veritatis coloribus veſtire ac ornare nequeunt, quin certa ſponte erumpant indicia, quæ malam artem mendaciorumque artifices revelant. Altera ratio eſt, quod falſis hujuſmodi ſcriptis quæritur plerumque falſis ſeu juribus privilegiiſque, ſeu dogmatibus patrocinium: quæ cum unico mendacio fidem obtinere admodum difficile ſit, aliorum mendaciorum advocari ſuffragium neceſſe eſt: quæ dum eo conſilio multiplicantur, contrario ſucceſſu evenire ſolet, ut veritati magis patrocinentur, quam mendacio, fraudemque eo amplius aperiant, quo adornant curioſius. Nihil tale deprehendimus in hoc Codice.

Alani Copi & Jacobi Pamelii ſuffragium pro Codicis ſinceritate.

2. Ne ad fraudem faciendam recenter confictus eſſe credatur libellus, facit quod tertium ejuſdem exemplar noſtris prorſus ſimile devenit olim in manus viri eruditi Jacobi Pamelii: qui ex eo ſextum Canonem Nicænum refert in Notis ad Librum ſancti Cypriani de unitate Eccleſiæ. *Nicæni*, inquit, *Concilii Canon vulgo ſextus ita legitur in Codice venerandæ antiquitatis D. Vedaſti Atrebatenſis ſcripto ante annos plus minus octingentos:* „ Eccleſia „ Romana ſemper habuit Primatum. Teneat au„ tem & Ægyptus Lybiæ & Pentapolis; ita ut „ Epiſcopus Alexandriæ harum omnium habeat „ poteſtatem: quoniam & Romano Epiſcopo hæc „ eſt conſuetudo. Similiter autem & qui in An„ tiochia conſtitutus eſt. Itaque & in ceteris Pro„ vinciis privilegia ſalva ſint Eccleſiarum. " *Hactenus ille*, inquit Pamelius, *ita jam olim tranſlatus ex Græco per Dionyſium Abbatem Romanum cognomento Exiguum, ut patet ex ejus epiſtola ad Julianum Presbyterum in calce dicti Codicis; quem claruiſſe dicit Trithemius circa annum Domini* DL. Verſio hujus ſexti Canonis Nicæni eadem omnino eſt quæ noſtra, atque ex ſimili omnino Codice deſumta.

Jacobi Pamelii nota ad lib. S. Cypriani, de unitate Eccleſiæ.

Dialogi ſex ab Alano Copo Londinenſi ed. Antuerpiæ 1573.

Quod longe clarius ac diſtinctius probatum habemus ex Alani Copi Londinenſis Dialogo 1. adverſus Novatores ante centum annos edito: ita enim habet cap. 12. *Canon ille* (Nicæni Concilii) *vulgo ſextus, ſed in hac Dionyſii interpretatione decimus, cui titulus eſt inſcriptus:* de Primatu Romanæ Eccleſiæ: *his verbis exprimitur:* " Eccleſia Ro„ mana ſemper habuit Primatum. Teneat au„ tem & Ægyptus Lybiæ & Pentapolis: ita & „ Epiſcopus Alexandriæ harum omnium habeat po„ teſtatem: quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt „ conſuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia „ conſtitutus eſt. Itaque & in ceteris Provinciis „ privilegia ſalva ſint Eccleſiarum . . . . " *Verum hic fortaſſe quæres, ubi delitat hæc Nicænorum Canonum interpretatio tam antiqua, unde eam ſim nactus. Iſtum ſane Theſaurum e tenebris nuper primus eruit vir præclare doctus, ad inſtaurandam veterum Theologorum Bibliothecam natus, Jacobus Pamelius: quem ut is mecum, qua eſt humanitate, ſponte ſua communicavit, ita ego nunc libentiſſime tecum: ut hinc etiam intelligas alia fuiſſe Nicæni Concilii, quam nunc vulgo circumferuntur exemplaria, eaque ab his tum in ordine, tum in numero Canonum diverſa. Nam in hac Dionyſii interpretatione recenſentur canones quadraginta ſeptem, quorum viginti in Græcis tum exemplaribus defuiſſe teſtantur hæc ibidem verba, quæ canonem viceſimum ſeptimum conſequuntur:* „ Item quæ in Græcis non habentur, ſed in Lati„ nis Codicibus reperiuntur. " *In horum autem ſerie Canones triceſimus & triceſimus quartus inſcribuntur; alter*, de appellationibus ad Epiſcopum Romanum: *alter*, de retractanda Synodo provinciali per Vicarios Epiſcopi Urbis Romæ, ſi fuerit appellatum. Monet adhuc Alanus Copus in extremo quadraginta ſeptem Canonum hanc clauſulam eſſe appoſitam: „ Canones ſive decreta Concilii Nicæ„ ni. " Denique hæc ſubdit: *Codex vero, in quo hæc Nicæni Concilii interpretatio deſcripta eſt, in Bibliotheca D. Vedaſti Atrebatenſis ſervatur, qui eam*

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Queſnellus hoc loco indicat, S. Leonem ex ſua ſententia auctorem eſſe collectionis earum auctoritatum de gratia & libero arbitrio, quæ Cæleſtini epiſtolæ in vulgatis ſubjici ſolent. Hanc autem ejus ſententiam luculenter refellimus tom. II. in Obſervationibus ad diſſertationem ipſius tertiam.

(2) Id falſum patebit ex nota 1. in caput 67. ipſius Codicis, ubi Leonis epiſtolas ad eumdem Codicem pertinere, ipſumque claudere oſtendimus. De Conſtantinopolitanis autem canonibus vide quæ dicentur in Obſervationibus ad hanc Diſſertationem cap. 1. n. 4. & cap. 2. n. 8. Confer etiam not. 21. in cap. 4. hujus Diſſertationis.

(3) Sinceritatem Codicis nemo impugnavit. Solum contendimus hunc non eſſe Codicem Eccleſiæ Romanæ.

eam antiquitatis ſpeciem refert, ut cenſeatur ab illis, qui judicare de eo poſſunt, annis ab hinc plus minus octingentis fuiſſe exaratus. Citatur idem Atrebatenſis Codex a Severino Binio in notis ad Canonem VI. Nicænum & ad Concilium Sardicenſe: quem Codicem Dionyſianum ſimiliter ac illi eſſe putat. Refert (1) ibidem latitare in Bibliotheca Vaticana Codicem MS. in quo deſcripti reperiuntur Canones Nicæni & Sardicenſes ſibi invicem annexi, ſine ulla diſtinctionis nota, quaſi unius Concilii Canones fuerint: ut ſuſpicari liceat Codicem iſtum noſtro eſſe ſimilem.

In his Alani & Pamelii verbis plura quidem ſunt emendanda. Errat ſcilicet uterque, cum hanc canonis Nicæni VI. verſionem Dionyſianam eſſe exiſtimat. Non ita cenſuiſſent, ſi vel poſt excuſum Dionyſii Codicem vixiſſent, vel illum conſuluiſſent, quem Moguntiæ ann. 1525. edidit Joannes Vvendelſtinus, vel meminiſſent Leonis Papæ Legatos eam translationem protuliſſe in Concilio Chalcedonenſi, quinquaginta circiter annis ante conditum Dionyſii codicem canonum. Errat etiam Alanus, cum ex Capitibus XXX. & XXXIV. codicis ſui noſtrique colligit alios Nicæni Concilii canones fuiſſe præter viginti, qui in Græcis exemplaribus habentur. Errat denique dum Sardicenſes Patres canonem ſuum de appellationibus mutuatos eſſe a Nicænis veriſimile putat in conſequentibus verbis. Sed hæc instituto noſtro non nocent, nec impediunt quin fides maxima codici noſtro ex illo Pamelii Alanique codice concilietur. Alter enim alteri ſimillimus eſt. Eadem quippe ſexti canonis illius verſio, idem ordinis numerus, qui in utroque decimus eſt; idem etiam canon triceſimus cum eodem titulo: idem triceſimus quartus, etſi levicula in titulo diverſitas. Totidem canones Nicæni numerantur, nimirum quadraginta ſeptem cum hac ad calcem illorum clauſula: *Hi canones ſunt vel decreta Nicæni Concilii.*

Henricus Gravius teſtis Codicis.

Eumdem codicem Atrebatenſem veniſſe etiam ſuſpicor in manus Henrici Gravii Profeſſoris Lovanienſis, huncque ex illo depromſiſſe Conſtitutionem Honorii Imperatoris ad Palladium PP. adverſus Pelagianos, quam cum Cardinale Baronio olim communicavit. *Reſcriptum illud*, inquit is Annalium conditor ad annum CCCCXVIII. num. XIX. *accepimus e latebris antiquitatis erutum a viro diſertiſſimo piæ memoriæ Henrico Gravio Profeſſore Lovanienſi, dum Romæ ageret ſub Gregorio XIV. Rom. Pontifice, jam ante vocatus a Sixto. Nactus eſt ipſe ex codice Monaſterii S. Vedaſti Atrebatenſis.*

Antiquitatem ac ſinceritatem codicis probant aliquot monumenta, quæ in illo inveniuntur, vel ante hac numquam, vel a paucis annis edita, vel longe excuſis exemplaribus emendatiora. Talia ſunt reſcripta Imperatorum Honorii & Theodoſii, unum ad Palladium PP. alterum ad Aurelium Carthaginienſem Epiſcopum. Item aliud Imperatoris Conſtantii ad Voluſianum Præfectum Urbi, una cum edictis Palladii & Voluſiani, & Aurelii litteris: quæ omnia edita ſunt ab Emin. Card. Baronio ad annos 418. 419. & 420. ex Atrebatenſi codice jam laudato, quæque e noſtris correctiora modo prodeunt. Tale eſt etiam oblongum Gelaſii Papæ fragmentum epiſtolæ ad Orientales Epiſcopos, quod a Sirmondo nuper editum poſt appendicem Codicis Theodoſiani, reperitur in noſtro codice iiſdem partibus truncatum. Denique fidei formulæ nondum editæ codicem, cui inſertæ ſunt, a novitatis, vel ſuppoſitionis nota vindicant. Neſcio enim an hactenus ex ſubdititiis fetibus prodierint genuina antiquitatis monimenta vel ante non excuſa, vel mendis purgata.

Ferrandus Diaconus Codici ſuffragatur.

4. Accedat & aliud argumentum ex (2) Ferrando Eccleſiæ Carthaginienſis Diacono. Hic titulo CCXIV. ſuæ Breviationis ſtatutum refert, *ut diebus Quinquageſimæ genua non flectantur*: ex Concilio Sardicenſi tit. 2. cum tamen ſit iſte canon XX. Nicænæ Synodi. Nec librariorum error eſt, tum quia omnes Ferrandi editiones, Pithœana, Altaferrana, Chiffletiana, Juſtelliana, omneſque Cod. MSS. ab iis conſulti eamdem lectionem exhibeant: tum quis ſecundus Sardicenſis apud Ferrandum reſpondet primo Dionyſiano, tertius ſecundo, quartus tertio & ita deinceps: ut dubium non ſit revera ab auctore ipſo pro Sardicenſi primo habitum eſſe canonem iſtum. Qua ratione, quo fato id contigerit, ignoratur. Ita hoc ego eveniſſe auguror. Venit in manus Ferrandi Diaconi Codex vetus canonum Eccleſiæ Romanæ noſtro ſimilis, in Africam ſcilicet vel per Legatos Zoſimi Papæ deportatus, vel illuc miſſus poſt eorum reditum ad partes tranſmarinas. Legimus certe in Africana illa Synodo, in qua de appellationibus ad Sedem Romanam deferendis actum eſt, dum Alypius de petendis authenticis exemplaribus ab Orientalibus Eccleſiis verba faceret, Fauſtinum Legatum hæc Concilii Patribus ſuggeſſiſſe: *Sed hæc ipſa*, inquit, *ad ſanctum ac beatiſſimum Papam noſtrum ſcribere dignemini, ut & ipſe integros canones inquirens, cum veſtra ſanctitate de omnibus conſtitutis tractare poſſit*. Ex quibus credi poteſt integros canones iſtos, Nicænos ſcilicet, & Sardicenſes, ſub una numerorum ſerie eidem annexos, tranſmiſſos eſſe in Africam; quibus poſtmodum vigeſimum canonem intertextum crediderim ex exemplaribus Teilonis & Thariſtæ ex Oriente miſſis. Cum porro errore confuſionis illius detecto canones Sardicenſes Africanis prius fere ignoti innoteſcere cœperant, eoſque ſuæ collectioni inſerere voluit Diaconus ille Carthaginienſis, eoſdem decerpſit e Codice Romano, & ab illo primo Sardicenſes cenſuit numerandos, in quo Nicænos deſinere ex proprio Eccleſiæ ſuæ codice & uſu noverat: niſi enim certum habuiſſet vigeſimum illum Dionyſianum pro Nicæno apud Afros non haberi, numquam eum a Nicænorum numero ablegaſſet: nec eumdem inter Sardicenſes numerare primum potuit, niſi auctoritate alicujus codicis, qui Sardicenſibus præfixum illum habuerit, quod rurſus contingere vix aliter potuit, quam ex canonum utriuſque Synodi permixtione, vel potius alligatione, quæ pro unius Synodi canonibus utroſque haberi ſine-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Binius quidem in notis ad Concilium Sardicenſe duos codices laudat, alterum bibliothecæ Romanæ, alterum Atrebatenſem, in quibus canones Sardicenſes cum Nicænis ita conjuncti ſunt, quaſi unius Concilii canones fuerint. Certum quidem id eſt de MS. Atrebatenſi, qui ad noſtram collectionem pertinet. At nullum exemplar MS. Vaticanum aut cujuſpiam bibliothecæ Romanæ ſupereſt, in quo ea canonum Nicænorum ac Sardicenſium conjunctio inveniatur, niſi codex Vat. Regiuæ 1997. alterius collectionis, qui tamen multo poſt Binii ætatem in Vaticanam bibliothecam illatus, uti Romanus codex ab eodem Binio laudari non potuit.

(2) Ferrandus Queſnelliano Codici nihil ſuffragatur. Immo ſi ex Romano codice in Africam delato, in quo Nicæni & Sardicenſes canones juncti eſſent, ſubinde facta fuit illa eorumdem canonum diviſio, qua ultimus Nicænus canon de non flectendo genu diebus dominicis & Pentecoſte primus Sardicenſis computatus eſt, ut apud Ferrandum legimus; hujus auctoritas Queſnelliano Codici potius obeſt. Hinc enim evinceretur Codicem Romanum, ex quo ea diviſio facta creditur, exhibuiſſe canonem illum Nicænum, qui erronea diviſione primus Sardicenſis evaſit. Hic autem canon cum deſit in Codice Queſnelliano, illum procaldubio codicem non fuiſſe Romanum ſequeretur. Ferrandum vero eum canonem inter Sardicenſes primo loco allegaſſe, propterea quod Sardicenſium exemplo uſus eſt, in quo dum Sardicenſes a Nicænis ſeparati fuerunt, ac proprio nomine inſcripti, errore aliquo ab ultimo Nicæno canone ſeparatio cœpit, diximus in Tractatu part. 2. cap. 1. Num vero ex Romano, an ex alio codice, in quo cum Nicænis Sardicenſes jungebantur, fuerit facta diviſio, ignotum eſt.

ſineret. Nec ipſi nobis contradicimus, cum modo negamus canonem illum ab Afris pro Nicæno habitum, vel pro canone illis regionibus recepto; quin inferius ultro fatebimur genuflectendi ritum per diem dominicum & Quinquageſimam paſchalem apud Africanos viguiſſe: aliud enim eſt canonem repellere, & diſciplinam eodem canone contentam recipere atque uſurpare, ſive ex antiqua conſuetudine & traditione eccleſiaſtica, ſive ex propriorum canonum præſcripto.

Concentus Codicum MSS.

5. Concentus exemplarium MSS. hujus codicis, quæ in variis bibliothecis, vel nunc adhuc aſſervantur, vel olim aſſervata eſſe narrant ſcriptores, illius aſſerunt ſinceritatem. Quatuor ſunt ejuſmodi: *Thuanum*, quod ipſi vidimus & evolvimus, ac ante nos Sirmondus, Salmaſius, Chiffletius, Juſtellus, & Voellus; *Oxonienſe*, cujus apographum penes me eſt, quodque in Catalago MSS. Oxonienſium numeratur; *Atrebatenſe* a Baronio, Gravio, Pamelio, Binio, & Alano Copo laudatum; (1) *Vaticanum*, quod vidit Sirmondus.

Translatio antiqua.

6. Arceſſitur etiam ex ipſa translatione canonum Orientalium, quæ in hoc codice reperitur, non ſpernendum pro ejus ſinceritate & antiquitate ſuffragium. Verſio quippe illa ipſa eſt, quæ ante Dionyſianam in Eccleſia Romana & per plures forte uſurpabatur Occidentis Eccleſias. Apud Africanas enim Hiſpanaſque Eccleſias in uſu fuiſſe translationem illam canonum, quæ in Iſidoriana collectione habetur, quæque noſtræ, paucis exceptis, ſimilis eſt, eruditorum eſt virorum ſententia. De Gallicanis quod idem opinantur nonnulli, verum non eſſe oſtendemus (2) in Diſſertatione de Codicis Dionyſiani uſu in Galliis: quæ videlicet Rufini verſionem canonum Nicænorum in uſu habuerunt ſaltem uſque ad Caroli Magni tempora. Sufficit porro ut in Africanis Eccleſiis viguerit, quod Ferrandi Carthaginienſis Diaconi Breviatio canonum probat; & in Hiſpanicis, quod ex Martini Bracarenſis collectione ſuadetur: ut ejus antiquitas pretiumque in comperto ſint. Verſionis porro canonum Orientalium ſinceritas integræ Collectioni auctoritatem conciliat, fidemque commendat Collectoris. Et ſi quæ ſunt loca, (ut revera non pauca reperiuntur) quæ, ut diſciplinæ Romanæ accommodarentur, mutationem aliquam paſſa fuerunt, qua ab Iſidoriana diſcrepare probatur, (3) hæc non modo ejus codicis integritatem in dubium non vocant, ſed confirmant magis: hanc enim diverſitatem inducere in codicem antiquum, quæ diſciplinæ pariter antiquæ concineret, tentaſſet numquam aut cogitaſſet impoſtor novitius juxta atque imperitus.

7. Similem codicem, in quo Sardicenſes canones Nicænis mixti annexive haberentur, viſum vel a ſe vel ab aliis indicat Hincmarus, cum *refutandam* ſcribit *falſam opinionem de quorumdam ſcriptis exortam, quod Nicænum Concilium tempore Julii PP. fuerit celebratum*. Hæc quippe falſa opinio nata videtur ex utrorumque canonum permixtione. Cum enim in Sardicenſibus Julii PP. mentio habeatur, ſub quo habita eſt, iidem autem Nicænis annexi pro Nicænis haberentur; hinc errandi occaſio data incautis lectoribus, qui canones illos omnes, Nicænumque adeo Concilium, ſub eodem Julio celebratum eſſe ſibi perſuaſerunt.

CAPUT IV.

Eum codicem proprium fuiſſe Romanæ Eccleſiæ.

ASſerta codicis ſinceritate, reſtat ut eumdem Eccleſiæ Romanæ proprium fuiſſe certis *xpitnpiois* oſtendamus: quod operoſum meo quidem judicio non eſt. Quæcumque enim Codicis Romani ſuperſunt ſive in epiſtolis Pontificum Urbis, ſive in aliis monimentis veſtigia, luſtranti noſtrum codicem ſponte occurrunt.

Dionyſ. Exig. præfat. ad Stephanum Epiſcopum.

Primum enim ipſa (4) codicis confuſio, qua offenſus Laurentius quidam Dionyſium Exiguum ad novum cudendum impulit, Romanum clamat codicem. Quæ quidem confuſio magna eſſe debuit, cui videlicet ſatis non eſſet medicam manum adhibere, ſed quæ opus plane novum poſceret. Vix tamen major eſſe potuit ea, qua codex noſter laborat. 1. Quoad translationem, quæ paraphraſi aliquot in locis ſimilior eſt, quam translationi. 2. Quoad canonum diſtinctionem & integritatem: aliqui enim omittuntur, ut vigeſimus Nicænus, & Gangrenſis quartus; alii ejuſdem Concilii in unum conflantur; quidam etiam nonnullorum Conciliorum miſcentur aliorum canonibus, quidam truncantur, quidam amplificantur. 3. Quantum ad ordinem, cum Conciliorum decreta, Pontificum decretis miſceantur, nec pro ætatis ſuæ ordine collocentur, ſed poſteriora præponantur prioribus, topica œcumenicis. Neque tamen hæc confuſio codicis auctoritati detrahit quicquam: ſua enim ratione hæc confuſio nititur, nec ordine vacat ipſa ordinis perturbatio; inde nimirum orta, quod obſcuriores quandoque Canonum regulæ luce paraphraſis indigerent: quod ante Chalcedonenſem Synodum nullis niſi Nicænis canonibus aſtringi ſe Romani exiſtimaverunt, nec eis alias regulas admittere placuit, niſi quas Eccleſiæ ſuæ conſuetudini ac moribus convenire cenſuerunt. Inde factum, ut eas aliqua immutatione facta ſuis uſibus accommodarint, nec alio ordine digeſtæ reperiantur in Codice, quam ſerie temporis, per quod viſum eſt earum unamquamque in uſum recipere.

Præfatio Romanum Codicem indicat.

2. Codicis (5) præfatio declarat ad uſum Eccleſiæ Romanæ ipſum eſſe concinnatum. Quid enim aliud indicant hæc verba de Nicæna fidei expoſitione? *Quam ſancta*, inquit, *& reverentiſſima Romana complectitur & veneratur Eccleſia*. Quid quod *mediantibus Victore atque Vincentio religioſiſſimis Romanæ Sedis Presbyteris* eſſe prolatam ait? Nonnullas etiam *ſubnexas eſſe regulas, quas memorata ſuſcipiens confirmavit Eccleſia*. Eamdem *nullis ſynodicis decretis, ſed Salvatoris voce eſſe prælatam ac primatum obtinuiſſe*. Denique quicquid ibi de Romanæ Eccleſiæ fundatione ac fundatoribus privilegiiſque ſcribitur, argumento eſt pro illa codicem eſſe exaratum.

Falſa conſulatus nota diſcutitur.

Erit tamen qui vel ex hac præfatione totum codicem exploſum velit. Si quidem & anachroniſmis laborat, quos admiſiſſe Romani codicis auctores, probabile non eſt: & præterea præfatio illa impoſtoris Iſidori fetus eſſe videtur; cum ea ſuæ Canonum Nicænorum editioni præfixerit. Quod enim adverſus Juſtellianum codicem excipit Joannes David, ne pro antiqua collectione Latina habeatur, proculdubio adverſus noſtrum urgere non omittet: ſcilicet in inſcriptione Concilii Nicæni legitur habitam

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Confer not. 2. Alia vero antiquiſſima MSS. exemplaria hujus collectionis, quæ poſtea detecta ſunt, & a nobis in præfatione ad Codicem fuerunt recenſita, ejuſdem ſinceritatem comprobant: ſi modo ex multitudine codicum, qui in variis bibliothecis ſervantur, ſinceritas legitime colligi queat: cum ſuppoſititiorum quoque operum MSS. exempla vetuſtiſſima non numquam reperiantur, ut de Pſeudo-Iſidori collectione notiſſimum eſt. Noſtræ collectionis ſinceritas non ex ſola vetuſtate ac numero codicum, ſed præſertim ex toto complexu eluceſcit.

(2) Id partim verum, partim falſum eſt; uti oſtendemus in Obſervationibus ad Diſſert. 16.

(3) Vide not. 16. in caput ſequens.

(4) Hoc argumentum non ſolum refelletur, verum etiam in Queſnelli ſententiam retorquebitur in Obſervationibus cap. 1. n. 21.

(5) Vide Obſervationes cap. 2. n. 2.

tam eam eſſe *Conſtantino Auguſto & Licinio Cæſare*. At quæ, inquit ille, impoſtoris inſcitia: quiſve eam ferat tribui primæ Latinorum Collectioni? Conſtat enim Licinium ante annum Chriſti cccxxv. eſſe occiſum, ac proinde (1) conſulatum gerere non potuiſſe anno illo xxv. vel xxviii. quorum alter Concilii celebrationi aſſignatur ab omnibus ſcriptoribus ſeu Chronologis.

At vereor ego, ne parum ſcita ſit hæc inſcitiæ accuſatio, quæ & pluribus codicibus MSS. irrogatur, & Euſebium hiſtoriæ Eccleſiaſticæ principem petit. Non ſolus enim codex Juſtellianus eam epocham habet, ſed & alius quem Creſconianum appellat Baronius, & Iſidori Mercatoris codex, quem proculdubio ex antiquioribus tranſcripſit. Iſtud porro dubium non eſt ex Euſebio hauſtum, quo tunc temporis unico fere utebantur Occidentales poſt Hieronymianam Chronici tranſlationem: quod & præfationis hujus, quam expendimus, finis demonſtrat. Porro Euſebius Nicænam Synodum trecenteſimo viceſimo quarto Chriſti anno aſſignat, aut aſſignare videtur, Licinii vero ſenioris obitum anno trecenteſimo viceſimo ſeptimo. Secundum quam epocham, liquet Licinium potuiſſe (2) Imperatorem eo anno appellari, quo Synodus congregata, abſque inſcitiæ nota, qua ſimul non aſpergatur Euſebius.

Sed & Idatii Faſti conſulares occiſum Licinium produnt ſub Paullini & Juliani conſulatu, qui Nicænæ Synodo vulgo aſſignatur & in trecenteſimum viceſimum quintum Chriſti annum incidit. Quo poſito quid vetat eodem anno & congregatam Synodum menſe Junio, Licinio adhuc in vivis agente, & eumdem Licinium poſtea occiſum? Etſi porro nec Euſebii, nec Idatii numerandi ratio probetur, ſufficit tamen ut nota temporalis ex altero eorum in præfationem codicis tranſcripta, nihil hujus fidei & auctoritati detrahere poſſe judicetur: cum facile fuerit tam celebrium ſcriptorum errore abripi præfationis auctorem, hujuſmodi chronologicis apicibus diſcutiendis minime aſſuefactum.

Sed hujuſmodi reſponſis alterum addimus, quo Joannis Davidis objectio, niſi ſpes me fallat, exſuffletur. Quid enim vetat, quo minus de Licinio juniore ſermonem hic eſſe contendamus? Is quippe Licinius cum Criſpo Cæſar jampridem erat appellatus; cumque ex Euſebii Chronico uſque ad annum Chriſti trecenteſimum viceſimum nonum Licinio ſeniori Patri ſuo ſupervixerit, & ipſi Synodo Nicænæ pluribus etiam annis, manifeſtum eſt hanc Conſtantino & Licinio Cæſaribus eſſe celebratam ex Euſebii mente.

Jam ad alterum objectionis caput quod attinet, quamvis Iſidorianæ Synodi Nicænæ editioni præfixa inveniatur iſta præfatio, non eam ob rem ſuppoſitionis argui debet; ſed contra vero ſimillimum eſt Pſeudo-Iſidorum illum tot commentitiis ſcriptis celebrem, præfationem iſtam ſuffuratum eſſe, virumque plagiatui aſſuetum eam ſuo operi quaſi propriam præfixiſſe: quod pluribus (3) argumentis probatum imus.

An præfatio ſit opus Iſidori Mercatoris?

1. Iſidorus eam ſolius Concilii Nicæni præfationem inſcribit: *Præfatio Nicæni Concilii*: quam tamen eo fine ſcriptam liquet, ut integro alicui regularum eccleſiaſticarum codici præfigeretur: ita enim in præfatione: *Nam &* (4) *nonnullæ*, inquit, *regulæ ſubnexæ ſunt, quas memorata ſuſcipiens confirmavit Eccleſia Romana*.

2. Nihil (5) eſt in Iſidoriano codice, quod eum Eccleſiæ Romanæ proprium indicet: nihil e contra in præfatione elucet, quod eam non clamet codici Romano appenſam.

3. Iſidori opus non eſſe manifeſtum eſt ex Gelaſii Papæ decreto de apocryphis Scripturis, quod Hormiſdæ ab aliis tribuitur. Totum enim fere ſcriptum iſtud legitur præfationis vice decreto huic annexum. At ſive Gelaſius, ſive Hormiſdas hujus decreti auctor ſit (quod poſtremum codex noſter, ut & Dionyſianus probabile reddunt, qui cum multa Gelaſii habeant, (6) decretum tamen iſtud tam codici proprium non continent:) uterque, inquam, illorum Pontificum auctore Collectionis Iſidorianæ antiquior eſt, ut is potius ab illis, vel a noſtro codice accepiſſe credendus ſit, quam ex eo alii.

Firma igitur, ni fallor, manet probatio, quam ex præfatione elicimus, ut codicem Romanæ Eccleſiæ probemus fuiſſe proprium.

Tertiam probationem arceſſimus ex citato (7) Gelaſii ſeu Hormiſdæ decreto: ex alieno enim codice pudor vel religio fuiſſet alterutri præfationem integram in ſuum transferre, at ex ſuo non item.

4. Canon (8) ſextus Nicæni Concilii a Paſchaſino Legato Sedis Apoſtolicæ eodem modo lectus eſt Actione XVI. Concilii Chalcedonenſis, quo habetur in noſtro Codice; ut ex eodem omnino deſumtus eſſe intelligatur. At dubium non eſt, quin ex proprio Romanæ Eccleſiæ codice Canonem iſtum decerpſiſſet Paſchaſinus, uti Conſtantinopolitani ex ſuo eumdem protulere. Unum obſtare videtur, quod videlicet ſextus Canone Paſchaſino numeretur, qui decimus eſt in codice: Illud porro non eſt grave momentum. Primum enim facile fuit ſextum pro decimo repoſitum eſſe a ſcriba vel aliquo Synodi emendatore, qui animadvertens in aliis omnibus

Canon VI. Nicænus (hujus Codicis X.) idem qui lectus Chalcedone a Legatis.

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) In præfatione collectionis non notatur quidem conſulatus Conſtantini & Licinii, qui ſignatur in editione Juſtelliana verſionis priſcæ. At idem conſulatus in noſtra collectione inſeritur in alia præfatiuncula ſeu adnotatione Nicænis canonibus præfixa, in quam vide not. 43. ubi hujus erronei conſulatus rationem expiſcari ſtuduimus.

(2) In verbis ea præfatione a Queſnello recitatis Licinius non *Imperator* vocatur, ſed *Cæſar* tantum: ac propterea de Licinio Auguſto hic locus intelligi nequit. De Licinio autem Cæſare ejus filio, qui Nicænæ Synodi tempore vivebat, accipi quidem poteſt. At cur ſolum Licinium Cæſarem potius quam Criſpum, aut alios Cæſares Conſtantini filios præfationis auctor appellarit, congrua ratio afferri non poterit. Illud unum nobis veriſimile eſt, eumdem auctorem, cum duplicem notationem chronicam in diverſis collectionibus, quas adhibuit, reperiſſet, alteram præmiſſam Niceno ſymbolo cum conſulatu Juliani & Paullini, alteram canonibus præfixam cum conſulatu Conſtantini Auguſti & Licinii Cæſaris, utramque in unum copulaſſe retento Paullini & Juliani conſulatu, qui Nicænæ Synodo congruit, ſuppreſſa autem voce conſulatus in Conſtantino Auguſto & Licinio Cæſare, quorum conſulatus incidens in annum 319. ab eodem Synodo plurimum diſtat.

(3) Unum argumentum, quo hæc præfatio ab Iſidoro Mercatore ex noſtra collectione ſumta probatur, illud eſt, quod eadem collectio Pſeudo-Iſidoro eſt antiquior, non autem e contra. Auctor vero noſtræ collectionis eam præfationem partim ex Gelaſio, partim ex Rufino excripſit, ut in notis ad eamdem animadvertimus.

(4) Hæc præfationis particula ſumta eſt ex decreto Gelaſiano de apocryphis, in quo voces *nonnullæ regulæ ſubnexæ ſunt* ad Nicænos canones fidei Symbolo ſubjectos referuntur, ut ex lectione ipſius decreti manifeſtum fiet.

(5) Nihil potius eſt in ea præfatione, quod eam clamet Romano Codici appenſam. Vide Obſervationes ſubjiciendas cap. 2. n. 2.

(6) Cum alia multa præſtantiſſima pontificia decreta deſint tum in noſtro codice, tum in Dionyſiano, quæ utroque codice ſeu collectione antiquiora ſunt; defectus Gelaſiani decreti de apocryphis eaſdem collectiones anteriores non adſtruit. Porro idem decretum Gelaſii opus eſſe probavimus in Tractatu part. 3. c. 11. §. 5.

(7) Confer Obſervationes cap. 2. n. 3. ubi hoc argumentum expunximus.

(8) Vide ibidem n. 4.

bus ſiva Græcis, ſive Latinis, ſive aliarum regionum codicibus Canonem iſtum pro ſexto haberi, atque eo numero notatum fuiſſe a Coſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſecretario, non dubitavit mendoſum eſſe Romanum numerum: atque ita utrobique ſextum eſſe voluit. Deinde facile fuit, ut in Græco exemplari ἕκτος pro δέκατος irrepſerit, demtis ſcilicet ex poſteriori duabus litterulis δ & α, ac deinde ex Græco Latinum male corrigi. Denique Paſchaſinus ipſe, qui non ignorabat Canonem iſtum paſſim pro ſexto, & forte in ſua Siciliæ Eccleſia, haberi, ſextum etiam a ſe nominandum eſſe cenſuit: ne contentione ex illa diverſitate numeri vel codicis exorta, Orientales adverſus Romanum codicem velut corruptum inſurgerent: quod ſapientiſſimi Legati fuit præveniſſe.

5. Nonnulla ſunt etiam in contextu codicis, quæ in gratiam Eccleſiæ Romanæ addita, eum pro ejuſdem uſu confectum eſſe indicant; velut (1) illa eſt parentheſis, quæ in epiſtola Innocentii Papæ I. ad Victricium Rothomagenſem legitur: *Cujus* (Eccleſiæ Romanæ) *in omnibus cauſſis debet reverentia cuſtodiri*. Cum enim hæc deſideretur in codice Dionyſii Abbatis, nec eam in venerandæ antiquitatis codice San Germaniano, quem mille annorum eſſe ajunt, invenerimus, facile quiſque adducetur ut credat a codicis Romani auctoribus additam, jure ſuo ſe uti autumantibus, cum in epiſtola Romani Pontificis aliquid addebant, quod ad ejus illuſtrationem faceret. Nec temere quis exiſtimaverit ex hoc fonte illam parentheſim in plures deinde editiones derivatam. Potuit etiam parentheſis illa in textum irrepſiſſe ex nota marginali ſtudioſi alicujus, qui Oſii meminerat dicentis in Sardicenſi Concilio: *Si placet, ſancti Apoſtoli Petri memoriam honoremus*.

6. Vigeſimus octavus Chalcedonenſis Concilii Canon in eo codice (2) deſideratur: quem revera Romano codici inſertum non fuiſſe certum eſt.

7. Ex pluribus priſcorum Romæ Epiſcoporum epiſtolis, atque ex canonibus in Africam a Zoſimo Papa miſſis ſub Nicænorum Canonum nomine, quamvis Sardicenſes eos fuiſſe jam in confeſſo ſit, certum pene hactenus fuit apud eruditos Romanam Eccleſiam utriuſque Concilii Canones habuiſſe ſibi invicem vel immixtos vel ſubjectos ſine ulla diſtinctionis inter utroſque nota: cumque novatores Zoſimo affectati mendacii ac meditatæ impoſturæ crimen procacibus verbis impingere præſumſerunt, nihil melius noſtri habuere, quo calumniam repellerent, quam ut modeſte faterentur pro Nicænis Canonibus Sardicenſes ab illo habitos, & aſſererent *id eo eo profectum*, ut ſcribit Marca, *quod ea tempeſtate Canones Nicæni & Sardicenſes in eodem volumine deſcripti eſſent nullo diſcrimine adhibito, ſub titulo Canonum Nicænorum. Probabilis quidem*, addit ille, *conjectura, ſi vetuſti codicis auctoritate niteretur, qui nondum emerſit a tenebris*. Immo vero jam ex parte emerſerat (3) opera Alani Copi, in primo Dialogo, ſufficiebatque pars edita, ut hæreticorum pervicacia retunderetur; ſed nunc tandem codex integer prodit in lucem, ejuſque ope probabilis Catholicorum Scriptorum conjectura in certum jam evadit argumentum, quo ſimul & pia Pontificis memoria maledicentibus linguis eripiatur, & codex ipſe Romanus fuiſſe pronuncietur. Quod enim in marginali adnotatione loci ſuperius deſcripti Stephanus Baluzius in codicem Chriſtophori Juſtelli transferre videtur, pace illius dixerim, (4) defendi non poteſt. Nihil quippe eſt in eo codice Juſtelli, quod Zoſimum in errorem potuiſſet inducere. Subjiciuntur quidem Sardicenſes Canones Nicænis: at & ſuis utrique numeris titulisque diſcernuntur, & Nicænorum ſubſcriptiones, quæ horum calci adjiciuntur, utroſque ab invicem dividunt, vetantque ne Sardicenſes pro Nicænis, vel hi pro illis accipiantur.

Marca lib. 7. de Concord. Sac. & Imp. cap. 16. ſ.

8. Conſtat ex Innocentii Papæ epiſtolis duabus (5) Antiochenos Canones ab eo rejectos fuiſſe: quod argumento eſt eoſdem in Romano tunc codice non apparuiſſe. Non abſunt quidem iidem Canones a noſtro: ſed ita extra ordinem poſiti, rejecti ſcilicet ad calcem, ut manifeſtum ſit nonniſi poſt diuturnum ab ætate Innocentii intervallum, immo & poſt Gelaſii ætatem Canones fuiſſe ſuperadditos: quod in ullo alio codice non deprehenditur.

Antiocheni Canones ſero recepti.

9. Ex Conſtantinopolitanis Canonibus argumentum non abſimile elicitur, qui ſcilicet ad finem tantum codicis jacent, etiam Antiochenis inferiores. Et revera perſpicuum eſt ex Leone noſtro, atque etiam ex Gregorii Magni epiſtola 31. libri ſexti, ſero admodum vel innotuiſſe Romanis, vel ab iis auctoritate donatos: *Romana*, inquit, *Eccleſia eoſdem Canones vel Geſta Synodi illius* (Conſtantinopolitanæ I.) *hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem eamdem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum*. Quod ſaltem verum eſt de poſterioribus hujus Concilii Canonibus, quæ nec in Dionyſiana collectione habentur, nec in aliis plurimis antiquioribus. At nec priores tempore Leonis noſtri fuiſſe in ea Eccleſia receptos, & ex hujus litteris patet, & ex Lucentii Legati in Chalcedonenſi Concilio contradictione, qua conſtanter aſſeruit Conſtantinopolitanos Canones, qui ab Aetio lecti ſunt, inter Canones locum non habere.

Acta 16. Concilii Chalcedonenſis.

10. Nonnulli Canones Conciliorum topicorum, ita in codice recepti ſunt, ut prius tamen (6) ad Romanam diſciplinam ſint accommodati. Talis eſt Ancyranus decimus, quem ille undecimum numerat. Cum enim Canon ſecundum alias omnes verſiones decernat, ut Diaconi qui ad nuptias poſt ordinationem tranſierint in miniſterio perſeverare permittantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati eſſent velle ſe conjugio copulari, nec ita ſe poſſe permanere: idem Canon in noſtro codice hujuſmodi Diaconos jubet in Clero tantum manere, & a miniſterio abjici. Hæc etiam ultima verba: *Laicam tantum communionem recipientes*, de ſuo addiderunt Romani codicis auctores. Neque hoc diſcrimen in verſionum diverſitatem refundi poteſt: cum Iſidoriana verſio, quæ, pauciſſimis exceptis, cum noſtra eadem eſt, genuinam Canonis diſciplinam repræſentet: nec in Clero tantum, ſed etiam in miniſterio Diaconos hujuſmodi manere permittat.

Canones ad uſum Romanæ Eccleſiæ accommodati.

Cum omnes verſiones codiceſque ab hujus verſione diſcrepare dicimus, excipiendus eſt Martinus Bracarenſis, qui (7) ex antiqua Canonum translatione ſuam collectionem concinnavit; veteri, inquam, translatione, non ut eſt apud Iſidorum Mercatorem, ſed qualis primitus erat in Romano iſto codice. Cum enim Iſidoriana verſio recedat a noſtra hujus Canonis Ancyrani verſione, non modo quoad verba, ſed & quoad ſenſum ipſum & diſciplinam Canone ſancitam; huic e contra Martiniana concinit, eamdemque cum Romana regulam in ordinatione Diaconi ſervandam indicit: *Diaconus* inquit parte 1. cap. 39. *qui eligitur ſi conteſtatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit non poſſe in caſtitate permanere, hic non ordinetur. Quod ſi in* or-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Lege ibidem n. 5.

(2) Hoc negativum argumentum ibidem rejicitur n. 6.

(3) Codex Alani Copi, in quo Nicæni canones cum Sardicenſibus jungebantur, ad noſtram collectionem pertinebat: nec tamen exinde ſequitur hunc fuiſſe Codicem Romanæ Eccleſiæ, cum aliæ quoque collectiones non Romanæ ſubinde inventæ ſint, in quibus eadem ipſorum canonum conjunctio deprehenditur. Vide Obſerv. c. 2. n. 7.

(4) Hæc plenius explicata fuerunt in præmiſſo Tractatu de Collectionibus part. 2. c. 1. num. 7.

(5) Hoc & ſequens argumentum ex Antiochenis & Conſtantinopolitanis canonibus ductum rejicitur in Obſerv. c. 2. n. 8.

(6) Vide ibidem n. 9.

(7) Id refelletur ibidem n. 10.

A *ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & poſtea matrimonium deſideraverit, alienus ſit a miniſterio, & vacet a clero*. Ubi vides Diaconum illum a caſtitatis propoſito alienum vel nonordinandum, ut Martinus, vel ſi fuerit ordinatus, miniſterio, ut codex noſter habet, abjiciendum pronuntiari, ſi ad nuptias convolarit. De eo vero, qui tacens ordinatus fuerit, ſi contraxerit matrimonium, jubet & a miniſterio amandari, & abſtinere a Clero, quod codex noſter pariter ſtatuit, aliis hujuſmodi Diaconum in Clero reſidere permittentibus. Atque hunc Ancyranum Canonem X. ita olim lectum fuiſſe in codice Romano innuere videtur canon 13. Quini-

B ſextæ Synodi, cum Romani canonis meminit: *Quoniam*, inquit, *in ordine Canonis in Eccleſia Romana traditum novimus, ut promovendi ad Diaconatum vel Presbyteratum profiteantur ſe non amplius ſuis uxoribus conjungendos* &c, videtur enim (1) codicem Canonum Eccleſiæ Romanæ his verbis indicare; ἐν τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐν τάξει κανόνος. Magis autem aliis his verbis, quæ poſt pauca ſubjiciuntur in eodem Canone; *Sed neque ordinationis tempore ab eo poſtuletur ut profiteatur ſe a legitima cum uxore conſuetudine abſtenturum*. Canonem enim X. Ancyranæ Synodi videntur mihi petere iſta ſanctione Quini-ſextæ Synodi Patres. Ut ut ſit de iſto

C canone, majoris proculdubio auctoritatis eſt pro confirmatione codicis noſtri Martini Bracarenſis cum eo conſenſus in mutandis Ancyrani canonis diſciplina atque contextu: quod a Martino factum eſſe ex Orientalis licentiæ odio ſcribit Antonius Auguſtinus de emendatione Gratiani lib. 1. Dial. 10. *C. cur Martinus ab Archetypo diſceſſit?* ait unus e colloquentibus. *A. cum in Occidente eſſet*, reſpondet alter, *noluit Orientis licentiam imitari*. Dicendum potius exiſtimarim, iſtud Martinum ex antiqua verſione Latina hauſiſſe, quæ apud Romanam Eccleſiam in uſu erat. Ut enim errant Garſias Loayſa, Franciſcus Flores & plerique recentiores, cum hunc au-

Martinus Bracarenſis non Græcus fuit, ſed Pannonius.

D ctorem (2) Græcum origine fuiſſe ſcribunt, quem diſerte Pannonium aſſerunt Gregorius Turonenſis lib. 5. Hiſtor. Franc. c. 38. Aimonius Monachus lib. 3. de Geſtis Francorum, cap. 38. & ex ejus Epitaphio Aubertus Miræus in Scholiis ad Iſidorum: ita hallucinantur, qui eum novæ translationis canonum auctorem prædicant. Tria ſolummodo a ſe præſtita aperit ipſe in præfatione ſua ad Nitegeſium. Primum enim, quia multa *immutata* putavit in ea verſione, quæ tum per Hiſpaniarum Eccleſias circumferebatur, ea conatus eſt reſtituere, &, ut ipſe loquitur, emendatius reſtaurare. Deinde cum & *aliqua ſimplicioribus viderentur obſcura*, ea ſimplicius exponenda eſſe cenſuit. Denique omnes canones in

Quid præſtiterit in ſua collectione?

E duas claſſes diſtribuit, quarum una qui ad Clericos, altera qui ad Laicos pertinent, continentur. Id porro totum non ad Græcorum exemplarium, ſed ad veteris ſeu Romanæ translationis fidem perfectum eſt. Videbat enim Martinus verſionem canonum, quæ apud Hiſpanos in uſu erat, quæque ea ipſa fuiſſe videtur, quæ in Iſidoriana collectione modo legitur, in multis ab illa diſcrepare, quæ apud Romanos vigebat: nec dubitandum putavit quin Romana purior eſſet, & priſtinæ ſinceritati concineret magis. Quamobrem ad illius ſenſum revocavit Hiſpanenſem canonum codicem; nonnullis tamen vel de ſuo additis, vel abbreviatis, ut obſcurioribus locis lux affulgeret. Et hæc, ni fallor, origo eſt diſcriminis trium illorum codicum, quilicet eamdem verſionem antiquam uſurpent, tot tamen locis a ſe invicem diſcrepant.

Jam ut ad canonem Ancyranum redeamus, facile eſt ex dictis inveſtigare, *cur Martinus* (quod quærebat Antonius Auguſtinus) *ab Archetypo diſceſſit?* Non quia *cum in Occidente eſſet, noluit Orientis licentiam imitari*: perſuadere enim mihi vix poſſum, id quemquam auctorinate privata tentaſſe, ut in canonis ab univerſa Eccleſia jam recepti verſione ita recederet a ſenſu canonis, ut eum ſubverteret omnino: immo & hoc maxime in canonum translatoribus redarguit Martinus, quod eorum vel oſcitantia, vel ignorantia nonnulla immutata eſſent. Sed cum ipſe Romanæ verſioni uni attenderet, & illius aliarumque Eccleſiarum diſciplinæ, ad quas Hiſpanorum codicem cenſuit emendandum; in ſenſum a canonis mente alienum incautus incidit, multaque inſuper ex proprio ingenio inſeruit, canonum ad ſimpliciorum captum accommodandorum gratia. Nec tamen ea in re culpandus auctor, qui non codicem canonum proferre inſtituit, ſed *Capitula ex Græcorum Synodis collecta*, ut habet epiſtolæ ejus inſcriptio, & probat ipſa methodus operis, in quo multa abbreviata, interpolata, aliave ratione mutata cernuntur, in quo nec unde unumquodque capitulum ſumtum ſit, adſcriptum eſt, & nonnulla etiam capitula ex diverſis diverſarum Synodorum canonibus conflata apparent. De hujus collectionis auctoritate, uſu, & approbatione non eſt hic dicendi locus, unum hoc dico, videri mihi plus ei, quam par ſit, tribui: non liquet enim eam vel ad Concilium Lucenſem miſſam, vel ab illo aliove ſuſceptam ac auctoratam. Altum de eadem apud Hiſpanenſes Synodos ſilentium: ex quibus potius certum videtur antiquæ verſionis & codicis uſum in Hiſpaniarum Eccleſiis perſeveraſſe.

Cur Martinus ab Archetypo receſſit?

11. Ex Capitulis de gratia & libero arbitrio, Cæleſtino Papæ olim adſcriptis, nunc vero Leoni aſſertis, (3) conſtat Africanæ Eccleſiæ decreta adverſus Pelagianos Romano codici inſerta fuiſſe; quæ nec in Juſtelliano, nec in alio quovis, qui Dionyſiano antiquior ſit, reperire eſt; jacent vero in noſtro, non ſola quidem, ut apud Dionyſium, ſed Romanorum Pontificum epiſtolis ea de re in Africam ſcriptis immixta, qualia fuiſſe indicant laudata capitula.

12. Non infirmum aſſertionis noſtræ argumentum eſt, quod non ſolum codex in fronte habet Nicænos canones Sardicenſeſque conſequenter, ſed quod etiam in ea tempora deſinat, quibus novus Dionyſii codex veterem (4) jam ulterius non amplificatum in deſuetudinem abire juſſit: quod poſt ætatem contigit Gelaſii Papæ, qui poſtremus eſt eorum Pontificum, quorum decreta in codice apparent.

13. Ad codicem noſtrum attendere mihi prorſus videtur (5) Gelaſius ipſe, quem modo laudavimus, in priori tractatu, quem cum altero luce donavit Jacobus Sirmondus in Appendice Codicis Theodoſiani pagina 182. ubi ex ordine inter præcipuas Eccleſiæ ſedes conſtituto argumentatur, atque ex Ni-

cæno

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Quini-ſexta, ſeu Trullana Synodus Ancyranum quidem canonem reſpicit. at cum contrariam Romanæ Eccleſiæ traditionem & canonem memorat, pontificias conſtitutiones & antiquam Occidentis praxim indigitat, ut ne ad Queſnellianum Codicem canonum Romanis ipſis ignotum, cujus aliquod exemplum apud illos Græcos Epiſcopos inveniretur, recurrendum ſit.

(2) Etſi Martinus Bracarenſis origine non Græcus, ſed Pannonius fuerit; Græcam tamen linguam, dum in Oriente verſaretur, eum didiciſſe, & in ſua compilatione adornanda Græco codice uſum, ex eodem non pauca latine liberius reddidiſſe oſtendimus in Tractatu part. 4. c. 2.

(3) Confer Obſerv. n. 51.

(4) Vide hominis contradictionem. Scripſit antea cap. 2. in fine *Conſtantinopolitani ſaltem canones poſt S. Gregorium magnum ſubnexi ſunt, ni fallor, codici*. Hic autem codicem canonum poſt Gelaſium *jam ulterius non amplificatum* tradit, adeo ut novo Dionyſii codice in deſuetudinem abierit. Sane ſi inducto Dionyſii codice vetus ille in deſuetudinem abiit, nihil eidem in uſum publicum addendum erat.

(5) Hoc ultimum argumentum confutabimus in Obſerv. c. 2. n. 13.

cæno judicio: *Secundæ*, inquit, *ſedis Antiſtitem nec* A *expellere quiſquam, nec revocare ſine primæ ſedis aſſenſu vel potuit, vel debuit. Niſi forte, confuſo jam ordine rerum atque turbato, nec prima, nec ſecunda, nec tertia ſedes debeat obſervari, vel ſuſcipi ſecundum antiqua ſtatuta majorum . . . Qua enim ratione, vel conſequentia aliis ſedibus defendendum eſt, ſi primæ beatiſſimi Petri ſedi antiqua & vetuſta reverentia non defertur, per quam omnium Sacerdotum dignitas ſemper eſt roborata atque firmata, trecentorumque decem & octo patrum invicto & ſingulari judicio vetuſtiſſimus judicatus eſt honor? utpote qui Domini recordabantur ſententiam:* Tu es Petrus &c. Enimvero quod de ordine ſedium aſſertur B heic a Pontifice, quem ordinem *ſecundum antiqua ſtatuta majorum* eſſe aſſerit, non legitur in ulla Synodo conſtitutum. Ex Nicæno enim ſexto canone hoc elici vix poteſt, niſi indirecte, nec de iſto ordine conſtituendo vel confirmando illic ſancti Patres laboravere, neque auctoritatem tantæ Synodi obtendere omiſiſſet Gelaſius, ſi quid hujuſmodi ab illa noviſſet decretum. Conſtantinopolitanam Synodum, quæ eumdem ordinem innuit, non eſt veroſimile Gelaſio in mentem veniſſe, cum & a Romana Eccleſia tunc recepta non eſſet, & longe tunc abeſſet ut Gelaſius hujus Concilii auctoritati deferre vellet, quæ ſecundas Conſtantinopolitano C Antiſtiti dederat. Vel igitur huic ob oculos verſabatur quod ex antiqua traditione ac vetuſtiſſima conſuetudine refertur in præfatione codicis noſtri de ordine primarum ſedium: quam conſuetudinem pariter commemorat ſextus Canon Nicænus cum adminiſtrationis illarum limites ponit, & ſeptimus cum de Jeroſolymitanæ ſedis prærogativa decretum ſancit; vel ſi ſextum Canonem Nicænum innuere voluit, certe non ex alia verſione, quam quæ in noſtro codice legitur: ubi diſertis verbis Eccleſia Romana ſemper primatum habuiſſe, vel ſemper habere debere dicitur.

Hæc eadem verſionis noſtræ verba codicemque D noſtrum attendit proculdubio, cum ſcribit continuo, quod *trecentorum decem & octo Patrum invicto & ſingulari judicio vetuſtiſſimus judicatus eſt honor* ſedis Romanæ, quodque deferri debeat *primæ beatiſſimi Petri ſedi antiqua & vetuſta reverentia, per quam omnium Sacerdotum dignitas ſemper eſt roborata atque firmata*. Ubinam ſcilicet gentium vetuſtiſſimus primatus honor Romanæ ſedis judicatus eſt, niſi ubi decretum, quod *Eccleſia Romana ſemper primatum habeat* vel *habuit*? Quis vero codex præter noſtrum unum verba hæc umquam exhibuit? Ad quem etiam Canonem referas antiquam illam reverentiam, vetuſtiſſimumque honorem, quo omnium Sacerdotum dignitas firmata, niſi ad Sardi- E cenſem III. qui Epiſcopis in Synodo damnatis conceſſit, ut cauſſam ſuam in alio judicio denuo ventilari poſtulare poſſent, ſimulque decrevit ut ſecundi hujus judicii decernendi cura ac ſolicitudo deferretur Romano Pontifici, quo in eo Petri memoria honoraretur? *Quod ſi aliquis*, inquit, *adjudicatus fuerit Epiſcopus in aliqua cauſſa, & putat ſe bonam habere cauſſam, ut iterum Concilium renovetur; ſi vobis placet, ſancti Apoſtoli Petri memoriam honoremus, ut ſcribatur Romano Epiſcopo* &c. Porro hoc Nicænæ Synodo tribui a Gelaſio non potuit, niſi ex codicis auctoritate, qui noſtro ſimilis eſſet, Nicænoſque ac Sardicenſes Canones haberet ſibi invicem ſi- F ne diſcrimine ac ſub una ſerie annexos.

CAPUT V.

Objectiones adverſus codicis ſinceritatem expenduntur; ac primum, quæ ex vigeſimi Canonis Nicæni omiſſione repeti poteſt.

PRobata ſatis, ut opinor, codicis noſtri ſinceritate, aſſertoque ejuſdem uſu in Eccleſia Romana, reſtat ut quicquid contra utramque hanc inſtituti noſtri partem poteſt objici, in medium afferamus. Unum quidem & alterum jam excuſſimus, quod ex nomine Licinii inſcriptioni Synodi Nicænæ inſerto, & ex codicis præfatione repetebatur. Sed aliud jam occurrit dubium ex ipſorum Canonum Nicænorum numero & integritate enaſcens. Deeſt quippe in codice noſtro (1) Canon ultimus illius Synodi, quem rejectum fuiſſe ab Eccleſia Romana non uſquequaque probabile videtur.

Omiſſio non ſcribis imputanda.

Erit qui reſpondeat hoc in ſcribarum oſcitantiam rejiciendum eſſe, qui Canonem illum aliud cogitantes omiſerunt. Verum hæc reſponſio mihi non arridet. Si enim ſcribarum error eſſet, vix accidere potuiſſet ut plures codices eodem errore infecti eſſent, vel ut tria exemplaria, quæ ſola in notitiam noſtram venere, Gallicum unum, alterum Anglicanum, tertium Gallobelgicum ex eodem corrupto fonte fluxiſſent. Etſi vero integrum Atrebatenſe exemplar non viderim ego, conjicio tamen in eo Canonem ultimum Nicæni Concilii deſideratum eſſe: nam Canones, qui trigeſimus & trigeſimus quartus illic numerantur, iidem ſunt in noſtro codice: cum ex vigeſimi illius Canonis additione deberent eſſe trigeſimus primus & trigeſimus quintus.

Dubium igitur non eſt quin ex conſilio omiſſus ſit Canon iſte; nec aliam ob cauſſam, opinor, quam quia receptus ab Eccleſia Romana non fuerat, nec forſan in Occidentalium partibus. Hæc ſunt Canonis verba ex Dionyſiana verſione.

Canon XX. Nicænus. *Quoniam ſunt quidam in die dominico genuflectentes, & in diebus Pentecoſtes; ut omnia in univerſis locis conſonanter obſerventur, placuit ſancto Concilio ſtantes Domino vota perſolvere.*

An Canon aliquis Oecumenici Concilii alicubi poſſit non recipi in uſum?

Durus forſan videbitur iſte ſermo, & qui non poſſit audiri: Canonem ſcilicet Oecumenici Concilii, illiuſque præſertim, quod ſumma totius Orbis veneratione conſecratum eſt, ab aliquibus Eccleſiis uſu receptum non fuiſſe. Sed durius non eſt, Canonem a Synodo ſancitum alicubi uſu non recipi, quam eumdem poſtea in deſuetudinem, quod plerumque fit, abire. Deinde ſi ad celebrem ſancti Auguſtini de variis Eccleſiarum conſuetudinibus regulam attentiores efficiamur, omnis ceſſabit ſiniſtræ hac in re ſuſpicionis occaſio. *Ad hæc*, inquit ille, *ita reſpondeo: ut quid horum ſit faciendum, ſi divinæ Scripturæ præſcribit auctoritas, non ſit dubitandum quin ita facere debeamus ut legimus: ut jam non quomodo faciendum; ſed quomodo ſacramentum intelligendum ſit, diſputemus. Similiter etiam, ſi quid horum tota per Orbem frequentat Eccleſia. Nam hoc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Sed neque hoc, neque illud ineſt in eo quod tu quæris. Reſtat igitur, ut de illo tertio genere ſit, quod per loca regioneſque variatur. Faciat ergo quiſque quod in ea Eccleſia, in quam venit, invenerit. Non enim quicquam eorum contra fidem fit, aut contra mores hinc inde meliores. His enim cauſſis, id eſt aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel inſtitui quod non fiebat.*

Nemo certe dixerit morem illum per diem dominicum & quinquageſimam paſchalem ſtandi inter precandum, vel fidem attinere, vel bonos mores; ut neceſſe fuerit Romanam vel aliam quam-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Hoc argumentum pro abjudicando a Romana Eccleſia Queſnelliano codice late proponemus in Obſervationibus cap. 2. n. 7. & ſeqq. ibique Queſnelli reſponſa excutiemus.

vis Eccleſiam poſt Nicænam Synodum a ſua conſuetudine ad aliam tranſire, & ſpreto genufleĉtendi more ſtationis per illos dies morem amplecti, ſi de genibus orare conſueviſſet jam a temporibus Apoſtolorum: quandoquidem vel fidei, vel morum tantummodo cauſſa *emendari oporteat quod fiebat, vel inſtitui quod non fiebat. Ipſa quippe mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non eſt; perturbatione infructuoſa conſequenter noxia eſt*: quemadmodum eodem loco ſcribit ſanctus Auguſtinus.

Nec ea mens fuit ſanctiſſimæ Synodi, ut decreto ſuo omnes univerſi Orbis Eccleſias ad eum morem obſervandum compelleret: ſciebat enim, ut ſummum piaculum eſt unam per omnes Eccleſias fidem non vigere, non eaſdem morum regulas; ita liberrimum ſemper fuiſſe ceremonias diſciplinamque ipſam per loca terrarum regioneſque variari. *Totum hoc genus rerum*, inquit idem Auguſtinus, *liberas habet obſervationes. Nec diſciplina una eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam ad quam cumque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos vivitur ſocietate ſervandum eſt*.

Porro ſi de Sabbati jejunio, de quotidiana communione corporis & ſanguinis Domini, de ſacrificii euchariſtici oblatione, & aliis longe majoris momenti conſuetudinibus iſtud intelligit Auguſtinus, quam potiori jure hoc idem exiſtimaſſet de more Deum ſtando precandi per diem dominicum & paſchalem quinquageſimam, qui cum fide & morum regulis commune nihil habet, & ita in ſeipſo eſt ἀδιάφορος, ut contraria conſuetudo genuflectendi pro aliorum locorum & temporum uſu longe potior videatur?

Hoc igitur obſervandum de Nicænis canonibus ſeu definitionibus, eorum ſi quæ fidem ſpectant, aut bonos mores, vel generalem Eccleſiæ ac ſuperioris ordinis diſciplinam, per univerſalem Eccleſiam ita auctoritatem habere, ut qui ſecus, quam Synodus illa decrevit, attentarit, anathematis mucrone confodiendus ſit. Talia ſunt ſacratiſſimum fidei Symbolum, & decreta de ordinandorum delectu, de Metropolitanorum auctoritate de Clericorum cum mulieribus cohabitatione, de hæreticorum baptiſmo, ordinatione, receptione, de uſuris & ceteris ejuſmodi. Alia vero ſunt, quæ ceremoniarum ac minutioris diſciplinæ finibus continentur: & hæc, quia ex cognitione corruptelæ, quæ in Orientales quaſdam Eccleſias irrepſerat, profluxerunt, ad earumdem præcipue Orientalium Eccleſiarum uſum ſunt condita a Synodi Patribus, quos inter vix pauci erant Occidentalium partium Epiſcopi. Et vero cuique antiquos pœnitentialis diſciplinæ canones, vel ordinationum ritus ac regulas curioſius perluſtranti liquido apparebit, non in diſſitis modo a ſe invicem regionibus diverſos uſus, diverſamque diſciplinam viguiſſe, ſed & in diverſis ejuſdem regionis Eccleſiis multipliciter variaſſe, ut ex notatis a nobis in epiſtolam a. (*nunc* 167.) ad Ruſticum Narbonenſem poteſt intelligi: quod aliter contingere non potuit, quam ut a Nicænorum canonum diſciplina earum aliquæ recederent.

Jam vero ſi canon, de quo quæſtio eſt, attentius conſideretur, evidens fiet de Orientalibus Eccleſiis in eo tractatum eſſe, nec de Occidentalibus vel Patres cogitaſſe. *Quoniam*, inquit, *ſunt quidam in die dominica genuflectentes &c.* non ait: ſunt quædam Eccleſiæ vel regiones, quod utique dixiſſet, ſi de aliis ageret, quam de Orientalibus: nec enim Concilium œcumenicum in Orientali Imperio celebratum eo curam ſuam ac ſollicitudinem demiſiſſet, ut de quibuſdam hominibus in Occidentali parte a communi regula & uſu diſcedentibus ſententiam ferret, & canonem conderet: quod tamen eos feciſſe circa ſuarum provinciarum incolas, non eſt a ratione alienum. Adde his rationem canonis non fore uſquequaque veram ac probabilem, ſi de aliis quam de Orientalibus Provinciis intelligatur. Tanta enim erat conſuetudinum inter Occidentis & Orientis Eccleſias diverſitas, tanta diſparitas diſciplinæ, omnibus conſentientibus & approbantibus; ut numquam Synodus voluiſſe credenda ſit omnes univerſi Orbis Eccleſias iiſdem uti moribus, & omnia in univerſis locis conſonanter obſervari. Quam vero parum rationi conſentaneum eſt, ut poſthabitis innumeris maximi momenti conſuetudinibus ac ceremoniis, in quibus Occidentales ab Orientalibus diſcrepabant, hanc unam ſelegiſſe ceremoniam Patres credantur, in qua vellent Occidentales cum Orientalibus convenire.

Temeraria igitur non eſt hæc perſuaſio, nec auctoritati œcumenicarum Synodorum injurioſa, aliquot diſciplinæ capita harum decretis ſancita, recepta non eſſe ab aliquibus Eccleſiis, præſertimque (1) a Romana: quæ cum multa accepiſſet a ſuis conditoribus Apoſtolis Petro & Paullo diſciplinæ inſtituta, non poterat iis non tenaciſſime adhærere, vel his poſtabitis mores alienos inducere.

Tale aliquid contigiſſe reor circa conſuetudinem canone illo confirmatam, quam apud Romanam, aliaſque nonnullas Eccleſias non viguiſſe facile exiſtimaverim. Hoc probatum habes ex noſtro codice, qui ex Nicænorum decretorum numero (2) ultimum hunc non rejeciſſet, niſi alia fuiſſet Romanorum conſuetudo: quam ex Apoſtolis deſcendiſſe probabile eſt; (3) cum videamus Act. c. 20. v. 36. & c. 21. v. 5. Paullum Apoſtolum per illos dies flexis genibus oraſſe. Nihil enim vetat conſuetudinem non genuflectendi (4) Orientalibus relictam ab Apoſtolis

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Romanam Eccleſiam omnium maxime Nicænos canones totius urbis reverentia conſecratos adeo obſervaſſe, ut nefas duxerit ab illis vel tantillum deſciſcere, aliquot teſtimoniis probavimus loco laudato notationis præcedentis. Hunc ergo ultimum canonem eam non recepiſſe quis temere ſuſpicetur?

(2) Hunc ultimum canonem non idcirco omiſit codex Queſnellianus, quia in ea regione, in qua condita fuit ejuſmodi collectio, alia vigeret conſuetudo. Ipſam enim collectionem digeſtam fuiſſe in Galliis probabilius oſtendemus in Obſervationibus cap. 1. n. 13. cum tamen in Galliis ritus & diſciplina canonis ſervaretur teſtibus Irenæo Lugdunenſi in libro de Paſchate, quem Juſtinus Martyr laudat quæſt. 115. ac Hilario Pictavienſi in prologo in librum Pſalmorum n. 12. Cum porro idem canon deſit non ſolum in noſtra collectione, verum etiam in alia verſione, quam edidimus ex MS. Vat. Reginæ 1997. nec non in abbreviatione Rufini; vera ratio eſſe videtur, quia in aliquot Græcis exemplaribus Synodi Nicænæ, ex quibus hæc verſio, & abbreviatio Rufini prodierunt, librarii cujuſpiam incuria omiſſus fuit. Illud quidem mirum videbitur deſiderari in noſtra collectione, tametſi verſionem Iſidorianam, quæ hoc canone non caret, in Nicænis fere contineat. At cum collector in Nicænorum canonum partitione, numero, ac titulis (ut alibi monuimus) ſibi propoſuerit codicem aliquem ſimilem laudato Vaticano Reginæ, in quo idem canon deſideratur; idcirco ipſum prætereundum credidit, licet in Iſidoriana verſione legeretur.

(3) Hæc exempla ad Orientales plagas pertinent. Præterea orationem præferunt habitam itineris cauſa, vel etiam in littore, antequam Paullus navem conſcenderet. Qui autem diebus dominicis & Pentecoſtes ſtandi ritum commemorant, de iis potiſſimum orationibus loquuntur, quæ in Eccleſiis inter eccleſiaſtica officia peragebantur. Hujus autem ritus conſuetudinem ab Apoſtolorum temporibus reperit antiquiſſimus Lugdunenſis Occidentalis Eccleſiæ Epiſcopus S. Irenæus in libro de Paſchate, uti tradit S. Juſtinus quæſt. 115.

(4) Occidentalibus etiam communem fuiſſe hunc ritum patet ex teſtimoniis Occidentalium Patrum, quos poſtea ipſe Queſnellus laudat. Si autem, ut ipſe

ſis fuiſſe, & ab aliis Apoſtolis traditam fuiſſe Romanis conſuetudinem contrariam non abſtinendi, ſcilicet per eoſdem illos dies, a genuflexione inter orandum. Et inter diverſos hujuſmodi mores, quod de jejunantibus & non jejunantibus Sabbato Auguſtinus dicit, hoc & nos dicimus de genu flectentibus & non flectentibus. *Inter ſe concorditer vivebant* genuflectentes, *quos plantavit Petrus*, & non genuflectentes, *quos plantaverunt condiſcipuli ejus*, ep. 86. ad Caſulanum.

2. Probatur ex Rufino Aquilejenſi, lib. 1. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. 6. Cum enim ille recenſet ac numerat Nicænus canones, hunc ultimum de ſtatione inter orandum per dominicam diem & paſchalem quinquagesimam omnino (1) omittit. Quod vir Romæ diutiſſime commoratus ex Romano more vel codice hauſit, vel ex Aquilejenſi: hos enim Hiſtoriæ eccleſiaſticæ libros hortatu Chromatii Aquilejenſis Epiſcopi ſcripſit, & ut ipſe ait, *Patris religioſis præceptis & in hoc parens*. Quamobrem nec ab illa Eccleſia receptum fuiſſe canonem illum Nicænum, facile adducor ut credam.

3. S. Auguſtinus in epiſtola jam laudata ad Januarium videtur canonem hunc ignoraſſe, cum hanc conſuetudinem aſſerere non audeat ubique Eccleſiarum eſſe uſurpatam. (2) *Ut autem*, inquit, *ſtantes in illis diebus* (Paſchæ & Pentecoſtes) *& omnibus Dominicis oremus, utrum ubique ſervetur, ignoro; tamen quid in eo ſequatur Eccleſia, dixi ut potui, & arbitror eſſe manifeſtum*. Ubi duorum unum ex his conſectaneum eſt, ſcilicet Auguſtinum vel canonis illius notitiam non habuiſſe, vel exiſtimaſſe nihil eſſe piaculi, ſi a Nicæno canone recipiendo aliquæ abſtinerent Eccleſiæ. Aliquid obſcuri ſubeſt in poſtremis Auguſtini verbis: *Tamen quid in eo ſequatur Eccleſia, dixi ut potui, & arbitror eſſe manifeſtum*: Si enim de conſuetudine ſtandi inter orandum intelligatur, ut ſeries ſermonis innuere videtur, vix Auguſtinum cum Auguſtino conciliare poſſis: de Eccleſia enim univerſali loquitur. Qui porro dicere potuit univerſalem Eccleſiam morem illum ſequi, quem profeſſus eſt prius ſe ignorare an ubique ſervaretur; multo minus autem id eſſe manifeſtum aſſerere potuit. Satius eſt igitur hæc ultima verba ad ea referre, quæ in ſuperioribus dixerat de Paſchate & Pentecoſte, quæque tribus aut quatuor ante lineis hac clauſula terminantur: *Hæc de Scripturis firmiſſime tenentur, id eſt Paſcha & Pentecoſte:* deque aliis, quæ ſtatim poſtea Eccleſiæ conſuetudine roborari fidenter pronuntiat.

4. Superiorem hanc ex Auguſtino conjecturam confirmat Ferrandi Carthaginienſis Eccleſiæ Diaconi Breviatio canonum, in qua canon iſte Nicæni Concilii ultimus, Sardicenſis primus dicitur, ut jam ſuperius monuimus. Unde certum manere videtur

A canonem iſtum (3) in Carthaginienſi Eccleſia pro Nicæno non fuiſſe habitum; cum a Ferrando ignorari neutiquam potuerit, quæ de Nicænis canonibus in ea Eccleſia opinio eſſet, quæque & quot hujus Synodi ſanctiones numerarentur.

5. Nullum ſupereſt apud auctores, qui Romæ vel de Romanis conſuetudinibus ſcripſerunt, (4) veſtigium omiſſæ genuflexionis paſchalibus & dominicis diebus, etſi de aliis hujus Eccleſiæ moribus non ſileant. Habes *de Græcis* id atteſtantem Baſilium Magnum, libro de Spiritu ſancto, cap. 27. & auctorem quæſtionum apud Juſtinum Martyrem, quæſt. 115. Epiphanium in Expoſ. fidei; quibus Photium, B Zonaram, & alios recentiores potes addere. *De Afris* Tertullianum de corona militis cap. 3. & Auguſtinum citatum. *De Gallis Ciſalpinis*, S. Ambroſium Serm. 61. vel potius Maximum Taurinenſem, Serm. de Pentecoſte. *De Hiſpanis* Iſidorum Hiſpalenſem Eccleſ. Offic. lib. 1. cap. 31. *De aliis pleriſque* Hieronymum adverſus Luciferianos. *De Romanis* nullum teſtem habemus, nec ex illorum omnium conſuetudine fas eſt de hujus Eccleſiæ uſu arguere: cum conſtet etiam Mediolanenſem, quæ omnium proxima erat, multos habuiſſe ritus a Romanis diverſos: qualis erat mos Sabbato non jejunandi.

C 6. Inde conjectura noſtra probabilior redditur, quod aliquot aliæ Eccleſiæ videntur eumdem canonem non recepiſſe. (5) In illa enim Arabica Nicænorum canonum collectione, quæ circumfertur, canon iſte non apparet; nec de paſchali illo privilegio quicquam ibidem commendatum habetur. Nihil etiam vel in canonibus apoſtolicis, vel in Conſtitutionibus S. Clementis de eodem ritu legitur, tametſi ex profeſſo in utriſque agatur de paſchali feſto, de die dominica, de quinquagesima poſt Paſcha, deque jejunio per illos dies omittendo decernant non ſemel: ut Conſtitutionum lib. 5. cap. 17. 18. & 19. & lib. 7. cap. 30. Ita porro in aliquibus Eccleſiis D ritus ille uſu auctoratus erat, ut exceptiones aliquas pateretur, nec illo privilegio uti ſinerent pœnitentes. Planum eſt ea de re (6) Concilii Carthaginienſis IV. decretum 82. *Pœnitentes*, inquit, *etiam diebus remiſſionis genua flectant*. Porro cum in cujuslibet poteſtate fuiſſe videatur pœnitentium more uti, eorumque ſe ordini inſerere, hinc videtur etiam permiſſa fuiſſe genuflexio diebus dominicis & paſchalibus; ſaltem in Africanis regionibus.

7. Non inepte forſan Hieronymum ſuperius citatum huc adderemus tanquam ejuſdem ſententiæ ſuffragatorem. Etſi enim loco Dialogi adverſus E Luciferianos laudato, *die dominico & per omnem pentecoſten non de geniculis adorare*, inter ea numeret, *quæ, etſi ſcripta non ſint, rationabilis ſibi obſervatio vindicarit*; notandum tamen quod (7) nulla heic

EDITORUM ADNOTATIONES.

pſe fatetur, Afri, Galli, Hiſpani, (adde & *Itali*, ad quos S. Maximus pertinet) diebus dominicis atque paſchalibus ſtantes orabant, quis credat has omnes Occidentales Eccleſias tanto conſenſu & quaſi conſpiratione in tam ſolemni ritu diſceſſiſſe a Romana Eccleſia, a qua omnes propagatæ fuerunt; & non potius omnes hunc ritum ideo cuſtodiſſe, quia ipſum in inſtitutione & origine ſibi a Romana Eccleſia traditum & commendatum acceperant?

(1) Veriorem rationem hujus omiſſionis attulimus not. 3.

(2) Quantum nobis potius faveat hoc Auguſtini teſtimonium, videſis in Obſervationibus cap. 5 num. 8.

(3) In Carthaginienſi Eccleſia vulgata fuit ea Nicænorum canonum verſio, quam Atticus Conſtantinopolitanus ad ipſos Afros tranſmiſerat. In hac autem, quæ in Iſidori collectione inſerta eſt Concilio Carthaginienſi VI., canon de omittenda genuflexione diebus dominicis atque paſchalibus inter Nicænos legitur. Cur autem Ferrandus eumdem canonem Sardicenſibus primo loco accenſuerit, intelliges ex not. 3. in c. 2.

(4) Vide Obſervationes noſtras in hanc Diſſertationem cap. 1. n. 8.

(5) Duæ editiones collectionis Arabicæ canonum Nicænorum circumferuntur, una Franciſci Turriani, Abrahami Ecchellenſis altera; & in utraque hic canon legitur, in priori quidem c. 29. in ſecunda vero c. 31. Porro ſilentium de hoc ritu ſive in canonibus apoſtolicis, ſive in Conſtitutionibus, uti appellantur, S. Clementis, ſi quid probaret, probaret præſertim hunc ritum non fuiſſe receptum in Orientalibus præſertim Eccleſiis, in quibus illi canones & conſtitutiones græce ſcripti & editi ſunt.

(6) Concilium, quod quartum Carthaginienſe inſcribitur, non eſt Concilium vere Africanum, ſed collectio quædam, ſeu abbreviatio antiqua canonum, de qua pluribus diſſeruimus in Tractatu part. 2. c. 3. §. 4. Cum autem pœnitentibus *proſtratis* Sacerdotes omnes manus imponerent; neceſſe erat proculdubio ut ipſi diebus quoque remiſſionis genua flecterent, ſiquidem his pariter diebus ipſis proſtratis manus imponendæ eſſent. Quod autem eſt peculiare pœnitentium, qui non aliter quam *proſtrati* adeſſe debebant certo tantum tempore ſacris officiis, nihil generali cæterorum fidelium ritui præjudicat.

(7) Res Hieronymo erat cum Luciferiano, qui ſacræ Scripturæ teſtimonium poſtulabat. Reponit autem S. Doctor multa obſervari in Eccleſiis, tametſi in divinis libris ſcripta non ſint, & aliquot exempla meri ritus proferens, inter hæc refert ritum omiſſæ genu-

Digitized by Google

heic Nicæni decreti, vel alterius legis mentio habeatur; ſed totum a conſuetudine Eccleſiæ arceſſat Hieronymus: quod ſuſpicionem augere poteſt de ignorato Nicæno canone 20. per eas Eccleſias, quas frequentabat ſanctus ille Doctor, ac præſertim Romanam.

Sed expreſſiſſimis, inquies, verbis canone illo ſancitur ut in omni Eccleſia die dominica & per quinquageſimam paſchalem a ſtantibus preces fundantur: ἐν πάσῃ παροικίᾳ. (1) Primum ipſa hæc vox Græca ſtrictiorem habere mihi videtur ſignificatum, quam quæ uſurpari debuerat a Patribus Nicænis, ſi omnes omnino Eccleſiæ univerſalis diœceſes eo canone moneri ac teneri voluiſſet. Cum enim Epiſcopi territorium ſignificet hoc loco, omnes diœceſeon Orientalium potius, quam totius Orbis Chriſtiani Eccleſias ſonare mihi videtur. Deinde nemo neſcit vocem hanc univerſitatis cujuſdam indicem, ſuos limites habere ſolitam eſſe apud quoſcumque auctores pro ſubjecta materia, & pro eorum, de quibus vel ad quos ſermo habetur, numero & qualitate. Nullus fere ſcriptor eſt, apud quem non exſtent plura hujus rei exempla. Sed ne extra canonicam materiem vagemur, quis credat Chalcedonenſem, exempli gratia, Synodum de Occidentalibus regionibus & Eccleſiis cogitaſſe, cum canones illos viginti & octo condidit, qui imprimis ad reſecandos abuſus in Oriente natos ſanciti ſunt! Quis putet de Gallicanis, Hiſpanicis, Britannicis, Italiciſque Eccleſiis ſermonem eſſe, cum canone 17. decernitur: *Quod ſi quiſquam a ſuo Metropolitano læditur, apud Primatem diœceſeos, aut apud ſanctam Conſtantinopolitanam ſedem judicetur*? ubi certum eſt per Primates diœceſeos Alexandrinum Antiochenumque intelligi: ac proinde ſolos Orientales Epiſcopos eo canone conveniri. Cum item decernit can. 26. *Omnem Eccleſiam habentem Epiſcopum habere Oeconomum de Clero proprio, qui diſpenſet res eccleſiaſticas* &c. quis exiſtimet Occidentales Eccleſias ſpectare hunc canonem, apud quas ignotum Oeconomi nomen & munus, quale apud Orientales? Nihil igitur obeſt illa univerſalitatis nota quin ad certas regiones Eccleſiaſque reſtringi canon poſſit.

CAPUT VI.

Satisfit aliis argumentis, quibus vel Codicis ſinceritas, vel ejuſdem uſus apud Eccleſiam Romanam peti poteſt.

Lib. de Epiſcopis canonice judicandis.

POterit 2. contra codicis noſtri αὐθεντίαν, vel ejus apud Romanam Eccleſiam uſum objici, quod adverſus Juſtellianum objicit Joannes David: antiquum ſcilicet codicem titulis caruiſſe, canoneſque alios ab aliis aliter non fuiſſe diſtinctos, quam numeris ſuis, qui titulorum vicem impleverint: hoc porro codici noſtro non convenire, in quo non ſolum Canones a Canonibus titulis propriis diſcernuntur, ſed & unus Canon in plures diſpertitus tot habet titulos, quot partes.

Tenuem hujuſmodi argumentationem vix puto alterius mentem pulſare poſſe. Quid enim, ſi negaverim antiquum Eccleſiæ Romanæ codicem titulis & argumentis caruiſſe? Probabis ex citatis Canonibus in Concilio Chalcedonenſi, ubi altum de titulis ſilentium? Quaſi vero is paſſim citandi mos fuerit, ut tituli ſimul allegentur, cum potius omitti ſoleant tum brevitatis gratia, tum quia canonibus adjectitii ſunt & ſine auctoritate compoſiti. Deinde quid Græco Codici cum Romano, quæve neceſſitas, ut quia forte titulis caruere canones a Græcis editi, titulis etiam careant iidem Romana lingua Romanoque uſu donati: nec potuerit in mentem venire auctori veteris illius verſionis, quod Dionyſius Exiguus faciendum cenſuit, cum adornavit ſuam?

Immo, inquit idem ſcriptor, Dionyſius ipſe innuit (2) primum ſe titulorum auctorem fuiſſe. In epiſtola ſcilicet ad Julianum Pontificiarum Epiſtolarum Codici præfixa: *In quemdam*, inquit, *redigens ordinem titulis diſtinxi compoſitis ... eo modo, quo dudum de Græco ſermone Patrum transferens canones ordinaram*. Hæc Dionyſii verba ſunt, ſed truncata: quæ integra ſi repræſentaſſet Joannes David, ſinceritatis magis quam cauſſæ ſuæ conſuluiſſet. Trium igitur punctorum illorum loco, quæ verbis Dionyſii ſubſtituit, hæc leguntur: *Ita dumtaxat, ut ſingulorum Pontificum quotquot a me præcepta reperta ſunt, ſub una numerorum ſerie terminarem, omneſque titulos huic præfationi ſubnecterem, eo modo, quo dudum de Græco ſermone Patrum transferens canones ordinaram: quod vobis nimium placuiſſe cognoveram*. Quis jam non videat Dionyſii verba in alienum ſenſum a Davide eſſe detorta? Quis non intelligat hæc verba, *Eo modo quo dudum canones ordinaram*, ad titulorum compoſitionem referri non poſſe, utpote remotiorem: nec in alio comparationem inſtitui, quam in ordinatione titulorum, quos ſimul collectos præfationi utriuſque operis ſubnexuerat Dionyſius? Si enim cum iis omnibus, quæ antecedunt, comparatio fiat, jam claudicabit, & ipſum Davidem in apertam contradictionem abripiet. Ut enim verum eſt epiſtolas a Dionyſio titulis diſtinctas eſſe compoſitis, non ita eſt de canonibus, qui ſeipſis diſtincti erant; & inſuper, ut fatetur David, numeris ſuis, titulorum vice, diſcernebantur: ut dicendi ſint potius illuſtrati & adornati argumentorum acceſſione, quam diſtincti. Unde & ipſe Abbas de induſtria non eadem in utroque verba uſurpat: diſtinctas enim a ſe epiſtolas ait, quas in plures revera ſecuerat partes; ordinatos vero aſſerit canones, ſeu potius canonum titulos poſt præfationem: illic compoſitos a ſe titulos commemorat; de his heic tacet. Deinde ſi ad illa, *titulis diſtinxi compoſitis*, referenda ſint poſtrema periodi illius verba, *eo modo quo canones ordinaram*, erunt & ad intermedia pari ac potiori etiam jure referenda: tuncque cum dicat Dionyſius epiſtolas a ſe fuiſſe ſub una numerorum ſerie ordinatas, idem de canonibus erit dicendum, atque Abbas ille primus diſtinctionis hujus auctor cenſendus; quod tamen ipſe David aperte negat, negationiſque argumenta ſunt canones in Chalcedonenſi Synodo citati, & ſeptuageſimus nonus a Dionyſio Abbate in epiſtola paſchali relatus: ut taceam de Codice cui Juſtellus univerſæ Eccleſiæ nomen indidit.

Unum adhuc eſt, de quo jam monitus a me, iterum monendus eſt idem ſcriptor: quoniam eodem errore ut certiſſimo principio ſæpius abuſus eſt ad alios errores confirmandos. Exiſtimat ſiquidem Dionyſianam canonum verſionem ad illud autographum exemplar Græcum eſſe elaboratam, ad quod priſca verſio Latina facta fuerat: & conſequenter eadem una verſione contineri, quæ alia, eodemque ordine: nec inter antiquam recentioremque tranſlationem aliud intercedere diſcriminis, quam quod illa obſcurior confuſiorque erat, hæc accuratior niti-

Ad quem Codicem ſuum concinnarit Dionyſius.

EDITORUM ADNOTATIONES.

genuflexionis diebus dominicis atque paſchalibus. Conſuetudinem autem Eccleſiæ tantummodo ingerit, utpote communem aliis exemplis ab eo indicatis, quæ in Nicænis canonibus non præſcribantur. Hinc porro contra Queſnellum ſequitur, conſuetudinem omittendæ genuflexionis memoratis temporibus obtinuiſſe *per eas Eccleſias, quas frequentabat S. Doctor, ac præſertim Romanam*, uti larius probaturi ſumus in Obſerv. c. 2. n. 7.

(1) Quam violenta ſit hæc Nicænæ legis reſtrictio, ut in ea non credantur comprehenſæ Occidentales Eccleſiæ, quas hujus ritus obſervantiſſimas Occidentales Patres ab ipſo Queſnello allegari tradiderunt, quiſque cognoſcet. Vide not. 5.

(2) Non deſunt collectiones antiquiores Dionyſio, quæ canones cum titulis exhibent, uti collectio Vat. Reginæ 1997. Lucenſis 88. priſca canonum editio, & aliæ. E contra vero quidam vetuſtiſſimi codices titulis carent, ut Veron. 58. qui canonum Græcorum Iſidorianam, ut vocari ſolet, verſionem ſine titulis exhibet.

tidiorque. At graviter hallucinatur quiſquis ita ſentit. Utriuſque enim Codicis longe diſpar fuit origo. (1) Codicem enim Græcum, totus quantus erat, exſcripſit latinitateque donavit Dionyſius, auxitque Chalcedonenſium, Sardicenſium, & Africanorum canonum additione. Latinus Codex, præſertimque Romanus, vix primum alios admittebat canones præter Nicænos, quibus deinceps ſubjuncti ſunt alii nonnulli pro arbitrio Epiſcoporum Eccleſiarumque ſuum ſibi Codicem conficientium, nullumque alium ſervantium ordinem, quam temporis quo recipiendorum alicujus Synodi canonum occaſio nata erat: nec Græcis ſolummodo canonibus ii contenti fuerant; ſed & Africanos, & Sardicenſes, & epiſtolas pontificias, aliaque etiam monumenta eccleſiaſtica iis ſparſim ac ſine ordine injecerant: unde & nata confuſio, qua offenſi illi, quos memorat Dionyſius, de novo codice condendo cogitarunt. Fruſtra igitur ex unius ordine de ordine alterius decernitur; fruſtraque titulos, argumenta, diviſionemque unius ad eadem in altero inveſtiganda juvare poſſe credideris.

Objectio ex Bonifacii Epiſtola.

Ne quid eorum, quæ noſtro codici poſſunt opponi, diſſimulem: locus eſt in epiſtola Bonifacii Papæ ad Hilarium Narbonenſem Epiſcopum, ex quo quis contendere poſſit (2) aliam tunc temporis Nicænorum canonum verſionem in uſu fuiſſe apud Romanam Eccleſiam, quam quæ in codice noſtro profertur. Hæc ſunt Bonifacii verba: *Nulli etenim videtur incognita Synodi conſtitutio Nicænæ quæ ita præcipit (ut eadem proprie verba ponamus) per unamquamque Provinciam jus Metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas debere eſſe ſubjectas.* Hæc ad unum aliquem Nicænorum canonum referre difficile putant plurimi; impoſſibile pronuntiat Joannes David: nec enim vel quoad verba, vel quoad ſenſum in ullo viginti canonum contineri; neque ad ſextum, qui omnium maxime accedit ad Bonifacii verba, etiam contortis, ut ita dicam, verbis trahi ullatenus poſſe. Ipſe vero indicatos mavult a Bonifacio Papa primos canones duos Conſtantinopolitani Concilii: ex quo ulterius arguit in uſu poſitum in Eccleſia Romana, Nicænos canones appellare eos omnes, quos probaret ac reciperet. Hoc certe mirum eſt, Bonifacium Pontificem Romanum Conſtantinopolitanos canones admiſiſſe, ac Nicænorum iiſdem nomen indidiſſe, quos Eccleſia Romana nec tunc probabat, necdum Gregorii Magni temporibus in auctoritatem recipiebat. Utrumque tamen intra paucas paginas aſſerit ſcriptor ille. Sed lapſus memoriæ eſt, quem æquum eſt condonare. Unum porro me angit; ad quos videlicet canones verba Bonifacii referet, qui ad ſolos Conſtantinopolitanos confugere coactus erat: quandoquidem nec Sardicenſes, nec Nicænum ſextum ad rem facere exiſtimat. Nec ego (3) hunc notaſſi puto, licet ad marginem omnium pene excuſorum codicum adſcribatur: de majoribus enim diœceſeon Primatibus magis agit, quam de Metropolitanis ſingularum provinciarum Epiſcopis: at de his ordinariis Metropolitanis provinciarum Epiſcopis ſermo eſt in canone 4. qui eſt de ordinationibus Epiſcoporum, quique Metropolitani cujuſque poteſtatem intra ſuam provinciam, clariſſimis verbis ſtatuit aſſeritque: hæc canonis clauſula apud Dionyſium: *Firmitas autem eorum, quæ geruntur, per unamquamque provinciam Metropolitano tribuatur Epiſcopo.* Sed Codex noſter, qui in plures partes dividit canones Nicænos, propriiſque partes ſingulas argumentis diſtinguit, hoc modo partem extremam canonis 4. velut diſtinctum canonem exhibet.

David pag. 50.

J. David cap. 1. pag. 50. & c. 2. pag. 80.

τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. Can. 4. Nic.

VII. *De poteſtate Metropolitani.*

Poteſtas ſane vel confirmatio pertinebit per ſingulas provincias ad Metropolitanum.

Quis non intelligat ad hunc canonem reſpexiſſe Bonifacium in ea epiſtola? quæ tota eſt (quemadmodum præfixus Dionyſii titulus habet) *ut in unaquaque provincia nemo, contemto Metropolitano, Epiſcopus ordinetur*: quæ & ipſa canonis Nicæni materia eſt. Hoc ipſum eſt, inquam, quod Bonifacius ſcribebat a Nicæno canone præceptum, *per unamquamque provinciam jus Metropolitanos ſingulos habere*: quod enim ulterius adjicit: *Nec cuiquam duas debere eſſe ſubjectas*, conſequentia eſt, quam ex canone Bonifacius elicit: ſi enim *poteſtas pertinet per ſingulas provincias ad Metropolitanum*, conſequens eſt ut duæ uni Metropolitano ſubjici non debeant provinciæ. Sed ſive ſextum, ſive quartum attendas, ipſa canonis verba, quæ referre velle viſus eſt Bonifacius, in codice noſtro nequaquam occurrunt, ſed nec in ulla alia tranſlatione, ipſo etiam Davide confitente.

Tentata Epiſtolæ Bonifacii correctio.

Difficile eſt ſane fateri hæc propria eſſe canonis verba, quæ a Bonifacio poſita ſunt: nec Græca enim iis poſſunt accommodari, nec aliæ verſiones ſimile quid, præter ſenſum, habent, nec ad canonum formam compoſita videntur. Conjecerim ego contrarium omnino ſcriptum eſſe a Bonifacio in illa parentheſi, eumque cum nec codicem ad manum haberet, nec propria verba canonis memoria teneret, ſenſum ſolummodo exhibere voluiſſe, lectoremque admonere ſe verba non *proprie eadem*, ut legitur, ſed *prope eadem*, ut corrigendum putaverim, poſuiſſe. Sed conjectura eſt, quam, donec codicis alicujus auctoritate confirmetur, non auſim fidentius aſſerere; etſi neceſſaria videatur correctio. Inde tamen confirmatur, quod nemo umquam dixerit, *proprie eadem verba ponere*, pro *propria verba ponere*: ut merito ſuſpicari liceat, vel reponendum eſſe *prope*, ut jam diximus, vel vocem illam *proprie* aliquo tunc ſenſu uſurpatam, qui nobis modo ignotus ſit. Certe occurrit aliquoties apud illius ævi ſcriptores vox illa non eo ſignificatu, quem modo habet, vel olim habuit antequam lingua in ſenium declinaret: ut verbi gratia, cum Leo noſter ad Marcianum Auguſtum ſcribens epiſt. 78. (*nunc* 104.) cap. 1. ait ipſum *fideliter proprieque proſpexiſſe ut Orientalibus Eccleſiis diabolicæ inſidiæ non nocerent*. Serm. 3. (*nunc* 4.) cap. 2. *Omnes proprie regit Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus*. Et c. 3. *Pro fide Petri proprie ſupplicatur*. Lib. 2. de Vocat. Gent. c. 4. *Deus Patriarcharum filiis proprie præſidebat*. Et canone 20. Antiocheni Concilii, ubi vetatur, ne quis Epiſcopus Synodum præter Metropolitani conſcientiam per ſe habeat; καθ' ἑαυτοὺς ποιεῖσθαι: alii *per ſe*, alii *proprie apud ſemetipſum* vertunt, ut Gentianus Hervetus: ubi *proprie* poni videtur pro ſeparatim, vel alia ejuſdem poteſtatis voce.

Denique ex obſcuro hujuſmodi loco nihil contra Codicem noſtrum ſtrui poteſt; cum nullius canonis propria verba exſcripſiſſe videatur Bonifacius: & potius noſtrum in mente habuiſſe credendus ſit, in quo

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Aliquid diſcriminis in Græcis canonum exemplaribus extitiſſe colligere licet ex noſtro Tractatu de Collectionibus part. 1. c. 2. & 6. Certe exemplar Græcum, quod Dionyſius adhibuit, ab eo diſcrepabat, quo priſcæ verſionis auctor eſt uſus: hoc enim inter alia diverſitatis indicia caruit Laodicenis canonibus, quos Dionyſius in ſuo Græco codice reperit.

(2) Hoc argumentum ex Bonifacii epiſtola ſumtum, ut adſtruatur Romana verſio diverſa a verſione noſtræ collectionis, nihili faciendum credidimus, quia reipſa Bonifacii verba nullius Nicæni canonis propriam interpretationem referunt, uti animadvertimus tomo II. in Obſervationibus ad Diſſert. V. Queſnelli part. 1. c. 6. n. 5. & 6.

(3) Licet non negemus Bonifacii verba referri ad canonem quartum; nihil tamen obeſt quin reſpicere poſſint eam ſexti canonis partem, qua irrita eſſe præcipitur ordinatio habita *præter voluntatem Metropolitani Epiſcopi*.

quo videlicet titulus VII. Nicænus, *De poteſtate Metropolitani* inſcribitur: & XI. *Ne ſine voluntate Metropolitani quis ordinetur Epiſcopus*: quæ res tunc vertebatur. Quod enim Joannes David ad aliquem canonem, qui ex hominum perierit memoria, recurrere videtur, hominis eſt ſomniantis potiusquam rem ſerio agentis.

Objectio 4. ex Innocentii Epiſtola ad Macedones. *Canon 8. Nicæni Concilii.*

Occurrit quarto loco Innocentius Papa qui epiſtola 27. ad Rufum & ceteros Macedoniæ Epiſcopos ſcribens de Bonoſiacis, canonem Nicæni Concilii in hæc verba refert: *De his, qui nominant ſeipſos Catharos, id eſt mundos, & aliquando veniunt ad catholicam Eccleſiam, placuit ſanctæ & magnæ Synodo, ut accepta manus impoſitione, ſic maneant in Clero*: a qua verſione codicis interpretatio diſcrepat, præſertimque quoad ultima verba, quorum loco hæc ſupponit: *ut ordinentur, & ſic maneant in Clero*: eum illic habeatur: *ut accepta manus impoſitione ſic maneant in Clero*.

At ratio tota diſcriminis eſt, (1) quod cum Innocentius Papa Macedonum Epiſcoporum objectioni reſponderet, voluerit canonem, qui objectus fuerat, verbum e verbo vel ſcribere vel vertere ex illorum litteris. Nec ratio erat, cur ſua potius uteretur verſione Innocentius, quia difficultas non erat poſita in hac canonis voce χειροθετουμένους, quæ manus impoſitionem ſignificat, vel quid hoc loco per manus impoſitionem intelligeretur? ultro enim fatebantur Macedones ordinationem illic ſignificatam eſſe. Nec quæſtio erat, an Bonoſiaci iterum ordinari deberent, ut in eo Cleri ordine permanerent, quem apud Bonoſum obtinuerant, ſed utrum etiam iterata ordinatione in Clero manere permittendi eſſent? Hoc aſſerebant Macedones, negabat Innocentius, ſolaque laica communione donandos eſſe volebat; de illo utrique conveniebant: quamobrem alterutra verſio æque Innocentii cauſſæ patrocinabatur: & ſi Romana illi faviſſet magis, facile erat Macedonibus ejus auctoritatem declinare, & ad canonis fontem provocare.

Ceterum verſioni noſtri codicis, ubi χειροθετουμένους per ordinandi vocem interpretantur, (2) ſuffragatur illa canonum Nicænorum tranſlatio per Teilonem & Thariſtum facta, atque Concilii Carthaginienſis, ut vocant, ſexti auctoritate edita: ſuffragantur & auctoritates aliæ adductæ a doctiſſimo Morino, de ſacris ordinationibus parte 3. Exercit. 5. cap. 12. Nam antiquam verſionem alteram, quam laudat, & Gratianus exhibet 1. q. 7. cap. *Si qui*, recenſere omitto: quoniam alia non eſt quam Iſidoriana, noſtræ in omnibus fere concinens.

Objectio 5. ex Epiſtola Siricii, Innocentii decretis poſtpoſita.

Suggerit adhuc vir doctiſſimus adverſus ſententiam noſtram momentum unum. Si proprius, inquit, fuiſſet Romanæ Eccleſiæ codex iſte, in quem partes quælibet, quibus conſtat, eo tempore, eo ordine conjectæ eſſent, quo in auctoritatem ab illa receptæ; quis credat Siricii epiſtolas Innocentii decretis poſtponendas fuiſſe, & non potius priori loco in codice collocandas? An Romanis ignotæ ante Innocentii tempora, an contemtui habitæ, an minime receptæ per eam tempeſtatem? hoc quis velit aſſerere? Iſtud certe nec ego velim: (3) ſed non una ſuppetit nobis hujus diſſolvendæ objectionis ratio, cui etiam abunde ſatisfecimus, cum codicis ordinem expoſuimus. Revocandum enim eſt in memoriam caſu potius ita compactum codicem emerſiſſe, quam initio conſilio ac data opera conditum. Uſque enim ad Innocentii PP. I. ætatem ex ſolis Nicænis ſanctionibus Occidentales adminiſtrabantur Eccleſiæ, ipſaque præſertim Romana, ut idem Pontifex teſtis eſt, Eccleſia, quæ Sardicenſes A Nicænis accenſitos habebat. Hæ ſolæ regulæ pro codice erant Sedi Apoſtolicæ. His poſtmodum ſubnexi ſunt Carthaginienſes, triumque Orientis Synodorum canones, qui Orientales Nicænis tempore vel antiquiores, vel æquales erant. Pluribus non conſtitiſſe codicem eum primum codicis formam induit, ac præfatione ornatus eſt, ipſa præfationis verba indicant. Sola namque decreta Nicæna laudat, tamquam totum fere codicem conſtantia: Quibus *nonnullæ*, inquit, *regulæ ſubnexæ ſunt, quas memorata ſuſcipiens confirmavit Eccleſia*. Exorta poſt hæc damnataque Pelagianorum hæreſi, omnia adverſus eam decreta ſive ab Africanis, ſive a Romanis Pontificibus condita viſum eſt codici ſubjun- B gere, atque ex occaſione reſcriptorum Innocentii ad Africanas Synodus, cetera quoque ejus, quæ ad manum erant, decreta annexa ſunt: Siricii vero epiſtolam, quæ cum aliis forſan anteriorum Pontificum decretis in ſcrinio Sedis Apoſtolicæ aſſervabatur, non retulerunt in codicem, tum quia de illa tunc non cogitabant, tum quod nihil fere contineret, quæ in decretis Innocentii ſancita non legerentur. Leonis vero temporibus, cum occaſione hæreſis Eutychianæ, vel etiam ambitioſi illius Anatolii pro ſedis ſuæ prærogativa conatus, diligentius excuſſa ſunt Sedis Apoſtolicæ ſcrinia, multa inde prolata ſunt, atque e ſcriniorum tenebris in luce codicis poſita, prædeceſſorum ejus decretalia C conſtituta, quæ illic ante delituerant.

Epiſt. 3. nunc 4. S. Leonis cap. 5.

Certe Leonis tempore non fuiſſe in Romano codice conſtitutiones Pontificum Innocentio Papa antiquiores, ejuſdem Leonis epiſtolæ ad Epiſcopos per Campaniam, Picenum, Tuſciam &c. caput ultimum declarat. Cum enim plura diſciplinæ eccleſiaſticæ capita pertractaſſet, ne ex aliorum ſilentio errandi occaſionem ſumerent Epiſcopi, omnia innovat & confirmat prædeceſſorum ſuorum conſtituta, nec tamen vel Siricium, vel quemquam Innocentio antiquiorem nominat, ita ut ab Innocentii conſtitutionibus indicet ſumendum eſſe initium earum, quæ codice tunc continebantur: *Ne quid vero ſit*, inquit, *quod prætermiſſum a nobis forte credatur*, D *omnia decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium prædeceſſorum noſtrorum ... veſtram dilectionem cuſtodire debere mandamus*.

Præterea non magis nocet codici noſtro, quod Innocentii Papæ epiſtolæ, poſthabita tunc Siriciana, illi inſertæ ſunt, quam (4) codici Dionyſiano, quod hic in ſinu licet Eccleſiæ Romanæ, & ex ejus forte ſcriniis conditus, careat tamen ſtatutis Sedis Apoſtolicæ Siricio antiquioribus, ab eodem non uno loco commemoratis, & ut ſcribit cap. 5. ſuæ epiſtolæ, *miſſa ad provincias a venerandæ memoriæ prædeceſſore meo Liberio generalia decreta*. Nemini enim hucuſque venit in mentem ut eam ob rem Dionyſii collectionem in dubium vocaret; nec eamdem ob cauſſam quemquam puto minus E æquum noſtro eſſe futurum.

Denique jam monuimus confuſionem partium codicis, non modo ſententiæ noſtræ non repugnare, ſed favere potius: cum hoc nobis certiſſimum veteris codicis dignoſcendi κριτήριον ſuggerat Dionyſii præfatio, ſi modo aliud nihil ejus ſinceritati obſtiterit.

AD-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Hanc Queſnelli reſponſionem rejiciemus in Obſervationibus cap. 2. n. 2.

(2) Verſio Teilonis & Thariſti, ſeu potius philonis & Evariſti; licet vocem Græcam χειροθετουμένους de ordinatione explicet, non tamen ſuffragatur interpretationi codicis Queſnelliani, ſeu Iſidorianæ, quæ in eodem codice recepta fuit: illa enim ordinationem jam peractam, hæc vero ordinationem iterandam ſignificat. Confer quæ in hanc rem pluribus diſſeruimus not. 13. in Obſerv. Queſnelli ad epiſt. 167. tomo II.

(3) Sequentibus conjectationibus ſatis reſpondimus in notis ad cap. 2.

(4) Id refelletur in Obſervationibus cap. 2. num. 20.

ADDITIO
AD
DISSERTATIONEM

De Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ: qua Hipponenſis Concilii (1) *Breviarium ejuſque ſinceritas aſſeruntur adverſus Emmanuelem Schelſtratium.*

ADverſus partem codicis, non certe ignobilem nec modicæ utilitatis, inſurrexit anno 1679. Emmanuel n Schelſtrate, vir dum viveret, eccleſiaſticarum rerum non parum ſtudioſus. Eo enim anno emiſit in lucem Librum cui titulus: *Eccleſia Africana ſub Primate Carthaginienſi* in cujus Diſſertatione III. Cap. VI. dicitur Concilium Hipponenſe anno 393. celebrntum, collatoque exemplari Breviatioois Canonum illius, quæ jampridem inſerta eſt voluminibus Conciliorum, cum eo quod codicis noſtri capitulum ſecundum conſtituit; illam breviationem genuinam germanamque cenſet, noſtram vero ſpuriam ſuppoſititiamque pronuntiat. Ut ita ſentiret adductus eſt nonnullis argumentis, quæ valida ac decretoria illi viſa ſunt; mihi vero admodum infirma ae nullius fere momenti.

Ac primum quidem invadit Schelſtratius Synodicam Carthaginienſis Synodi, in qua relecta, emendata, aucta dicuntur ſtatuta Hipponenſia: & tametſi fateatur ab omnibus Conciliorum Collectoribus aut eccleſiaſticis Scriptoribus habitam illam fuiſſe pro Synodica Carthaginienſis Synodi, hanc tamen illi abjudicare non veretur, & Byzaceno Concilio cuidam adjudicnre. Ejus rationes paucis excutio. 1. *Habet*, inquit, *hæc Synodica quædam de Creſconio Villarenſi Epiſcopo, quæ Canone 38. Concilii Carthaginienſis III. longe aliter concepta ſunt.*

Fefellit eum memoria. De Creſconio Villarenſi ne verbum quidem in Synodica, ſed ſolummodo in ſtatutis Concilii Hipponenſis breviatis, quæ Synodicæ ſubjiciuntur. Quod porro eo loco habetur de Creſconio Villarenſi, non modo non pugnat cum canone illo 38. Concilii Carthaginienſis, quod (2) falſo tertium abſolute dicitur, ſed illum illuſtrat, nb eoque viciſſim (3) illuſtratur. Canon enim ille 38. tria nos docet de Creſconio: primum, adverſos eum pronuntiarum eſſe Synodi judicium: deinde idem fuiſſe confirmatum: ac tertio in eo petitur, ut liceat contra Creſconium adire Rectorem Provinciæ, quia contemtis Epiſcoporum decretis Eccleſiam Tubunienſem relinquere detrectarat. Porro decretum illud alıud non eſt, quam quod in codice noſtro legimus, in Hipponenſi quidem conditum, in Carthaginienſi vero confirmatum, quo *Creſconius Villarenſis Epiſcopus, qui Tubunienſis Eccleſiæ cathedram tenuiſſe dicebatur, plebe ſua, hoc eſt Villarenſis Eccleſiæ juſſus eſt eſſe contentus.*

Pergit Emmanuel: *Habet inſuper in Breviario Hipponenſis Concilii complura capitula quæ mutila ſunt vel interpelata. Unum ſufficiat ordine 36. de Scripturis Canonicis, in quo omittuntur libri Machabæorum, & Epiſtolæ Canonicæ Petri Apoſtoli duæ, Joannis tres, Judæ Apoſtoli una, & Jacobi una.*

Unum Schelſtratio ſufficit mutılorum canonum exemplum de Scripturis Canonicis, quia plura non habuit quæ opponeret. At tria ſufficimus reſponſa. 1. Omnes libros illos qui omiſſi ſunt (ſi primam Petri & primam Joannis excipias) non fuiſſe olim ab omnibus Eccleſiis receptos. Deinde canonem illum adhuc incertum fuiſſe Africanis Eccleſiis, de quo nimirum ſtatuerunt transmarinas Eccleſias eſſe conſulendas, antequam confirmaretur. Denique (4) facile fuit ut properanti ſcribæ vel incauto exciderint libri illi quorum mentio hoc loco deſideratur.

Capitula vero quæ interpolata vocat, melius cum Patribus Carthaginienſibus appellaſſet *diligentius conſtituta*, ut in Synodica; vel *diligentius pertractata*, ut in titulo ſtatutorum breviatorum.

Sed ab hac ipſa vocula præcipuum argumentum ſumit ſcriptor adverſus ſinceritatem Hipponenſis iſtius compendii. Nam, *quod caput eſt*, inquit, *referuntur in iſta editione omnes integri canones, cum titulus præ ſe ferat: Statuta Concilii Ipponienſis breviata: unde ſi aliqua ex duabus editionibus amplectenda foret, non illa quæ integros canones retulit, ſed editio potius vulgata amplectenda foret, quæ ſolum canonum Hipponenſium Breviarium continet.* Sed neutra tamen illi arridet. Decernit enim contra Eminentiſſimos Baronium & Perronium: *Synodicam illam cum Breviario ſubjuncto, ſi non ſuppoſititiam, ſaltem interpolatam eſſe; quod iis rationum momentis probandum iri*, inquit, *confidimus, quæ nemo prudens contemſerit.*

Mira enim vero fiducia, quam nullo negotio repreſſum imus. Nam ut id quod *caput eſſe* aſſerit, retundamus, non uno modo breviantur Conciliorum ſtatuta. Sic enim in compendium mitti poſſunt, ut ſenſus & materia cujuſque canonis aliquot verbis indicentur: qua ratione Dionyſius Exiguus utriuſque ſui Codicis canones & decreta breviavit, illorumque ſummaria breviſſima & ſigillatim unicuique præfixit & collectim in utriuſque Codicis capite appendit. Eadem methodo uſus eſt Ferrandus Diaconus, ac demum (5) quiſquis eam Hipponenſium canonum ſynopſim concinnavit, quæ in vulgata editione conſpicitur: quamquam ita brevia ac jejuna ſit, ut in pluribus canonis materiam vix delibet, ejuſque vel rudem notitiam ſatis elare ingerat legentis animo.

Alia eſt ratio ſynodalium compendiorum, quam plerique codieum canonicorum ac ſummarum Conciliorum conditores ſequuti ſunt, quæ in eo conſiſtit, ut reſectis quæ vel ad hiſtoriam, vel ad particulares controverſias pertinent, & aliis a fidei vel diſciplinæ communis materia alienis, ſoli canones deſcribantur, ut qui ad illos vitam moreſque ſuos componere tenentur, facilius eos ſubjectos oculis habeant. Ea methodo breviata ſunt a Carthaginienſis Synodi Patribus ſtatuta Hipponenſis Concilii: quos ſubinde imitati ſunt Orientalium Canonum collectores, & poſtea Dionyſius, Creſconius, Martinus Bracharenſis, ae demum poſtremis hisſæculis Caranza, Coriolanus & alii.

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Noſtras vindicias pro germanitate hujos Breviarii videſis in Admonitione, qoam capiti ſecundo præcedentis collectionis præfiximos.

(2) *Tertium* non falſo, ſed recte dicitur relate ad numerum eorum Conciliorum, quæ deſcribuntur in collectione Iſidoriana: duo enim alia Concilia eidem in ipſa collectione præmittuntor. Adde quod in Synodo Carthaginienſi celebrata ſub Bonifacio an. 525. alio reſpectu appellatur *Concilium tertium ſub Aurelio*, cum aliquot caoones ex ipſo recitantur.

(3) Confer quæ in hanc rem diximus in Tractatu de Collectionibus part. 2. c. 3. §. 3. num. 5.

(4) Hæc eſt vera reſponſio. Equidem excidiſſe amanuenſibus libros illos quorum mentin deſideratur, oſtendimus not. 98. in cap. 2. noſtræ collectionis; eoſdemque libros e noſtro optimo codice Vindebonenſi ejuſdem collectionis, ac ex aliis tribus MSS. collectionibus optimæ ootæ ſupplere oon dubitavimus.

(5) Tria diſtinguenda ſunt. I. Integri canones Hipponenſes anni 393., quorum duo tantum ſuperſunt recitati in Synodo Bonifacii Carthaginienſis an. 525. iique ampliorem reliquorum formam ſatis deſignant. II. Abbreviationes eorundem canonum in Synodo Carthaginienſi a Byzacenis conditæ Idibus Auguſti an. 397. eæque ſunt verum Breviarium Hippoοenſe, quod ſubinde lectum & confirmatum fuit in plenaria Synodo Carthaginienſi ejuſdem anni 397. habita V. Kal. Septembris. III. Summaria, ſeu tituli harum abbreviationum a Crabbo editi, qui ab auctore collectionis lucubrati fuere. Hæc ſi diſtinguas, omnia recte ac facile intelliges.

A Verum omnium collectionum vel compendiorum ſive auctoritatem, ſive diligentiam ſuperat ſtatutorum Hipponenſium collectio, quæ primum per Byzacenæ provinciæ Epiſcopos, ſeu Concilium, confecta eſt; deinde emendatores, approbatores, amplificatoreſque habuit Concilii Carthaginienſis numeroſiſſimi Epiſcopos, ac demum pluribus magni momenti canonibus auctior facta, habita eſt pro integro fere Codice Eccleſiæ totius Africanæ; ita *ut quæ poſtea in Africa celebratæ ſunt Synodi, ex Hipponenſi, tamquam ex archetypo quodam complura fuerint mutuatæ*, ut refert Schelſtratius ex Baronio. Quamobrem cum præſtantiſſimæ hujus Synodi integra acta exciderint, B magno apud omnes in pretio debet eſſe hæc canonum illius collectio, eamque ob cauſſam illius authentiam ac ſinceritatem majori ſtudio ac diligentia vindicatum imus a falſis Schelſtratii ſuſpicionibus, quibus leviores ac infeliciores conjecturæ vix ullæ eſſe poſſint.

Prima quam objicit hæc eſt, quod (1) „ epiſto-
„ la Synodica inſeribitur *Epiſcopis Numidiæ, Mau-*
„ *ritaniæ utriuſque, Tripolis, & Provinciæ Procon-*
„ *ſularis*, omiſſa provincia Byzacena: cujus, in-
„ quit, alia ratio afferri non poteſt, quam quod
„ hæc Synodica ab Epiſcopis Byzacenis ſcripta ſit
„ ad aliarum provinciarum Epiſcopos, etiam Pro-
„ C conſularis, cujus Metropolitanus tunc temporis
„ erat Aurelius, qui .... teſtatus eſt in Concilio
„ Carthaginienſi III. litteras Fratrum Byzacenorum
„ & Mizonii ad ſe tranſmiſſas, ut ibidem legeren-
„ tur. Unde ſequuntur duo: Aurelium in primis
„ inſcriptioni Synodicæ contra Actorum fidem ha-
„ beri inſertum: Synodicam inſuper falſo præ ſe
„ ferre titulum Carthaginienſis Concilii, cum ſit
„ Byzaceni, ut recte animadvertit in Notis ad Co-
„ dicem Africanæ Eccleſiæ Chriſtophorus Juſtellus. “

Juſtellum multa paſſim erudite ſeribentem poterat ſequi Schelſtratius; ſed parum feliciter hoc loco illius preſſit veſtigia, & cum errante erravit. D Uterque enim (2) duas epiſtolas prorſus diverſas miſcet ac confundit: unam, quam ſcripſerat Mizonius, Byzacenæ Primas, cum ſuis collegis ex provinciali ſua Synodo, in qua ſelecti ſunt Legati qui ad Carthaginienſem Synodum generalem omnium comprovincialium nomine ſe conferrent: alteram, quam ex generali iſta Synodo cum Aurelio ceteriſque Patribus ſcripſit idem Mizonius ad illam delegatus poſt abſolutam Synodum.

Primam ſcripſit ad Aurelium Primatem, unaque miſit Breviarium Hipponenſium Canonum a Byza- E cenis quidem concinnatum, ſed nondum *in melius reformatum*, immo eo conſilio miſſum, ut ſi quid in eo deprehenderetur animadverſione dignum, melius conſtitueretur, ut reapſe factum eſt. Clara ſunt hanc in rem Aurelii verba in illa Carthaginienſi Synodo anni 397. *Et ideo, fratres, ſi veſtræ caritati videtur, litteræ fratrum noſtrorum Byzacenorum, ſed & Breviarium quod eidem epiſtolæ adjunxerunt, ad hunc cætum corrogatum legantur, ut ſi qua forte illic movere caritatis veſtræ animum poſſunt in eodem Breviario, quæ diligentius fuerint animadverſa, in melius reformentur. Hoc enim frater & coepiſcopus noſter primæ ſedis, vir perſpectus merito ſuæ gravitatis atque prudentiæ, Mizonius ſcribens ad meam parvitatem poſtulavit*. En primæ epiſtolæ argumentum.

Secundæ epiſtolæ, cui idem Mizonius cum aliis totius generalis Synodi Carthaginienſis Patribus ſubſcripſit, non unum a prima diſcrimen, & diverſa prorſus materies. Non ad Aurelium, ſed ab Aurelio, Mizonio, ceteriſque Epiſcopis ſcripta fuit ad quinque ſeu omnes Africæ provincias, ſola Byzacena excepta: in eaque epiſtola non amplius poſtulatur ut Breviarium illud reformetur, ſed *Brevem ſtatutorum*, ut ibi legitur, (*in quo omnia videntur eſſe complexa, & quædam diligentius conſtituta*) *huic*, inquiunt, *epiſtolæ ſubdi fecimus, ut compendio, quæ decreta ſunt recenſentes, ſollicitius obſervare curemus*.

Si vero Belga Diſſertator impoſſibile putaverit, ut unam Mizonius ſcripſerit ad Aurelium e Bizacena provincia, & alteri cum Aurelio ſubſcripſerit Carthagine, nodum in ſcirpo quærit. Nihil enim facilius quam alterum alteri conciliare. Hoc enim vero ſæpe ſæpius uſu venit, ut Metropolitanus qui provinciali Coepiſcoporum ſuorum congregationi præfuit, ſubſcripſitque libello quo deputati ad generalia Comitia delegantur, epiſtoliſque ſeu inſtructionibus aut commonitoriis ad illa directis, idem poſtea Comitiis generalibus interſit ſtatutiſque & ſynodicis ſubſcribat.

Non arbitror tamen eadem prorſus ratione rem, de qua quæſtio movetur, contigiſſe, ſed iſto potius modo. Poſtquam Hipponenſes ſanctiones conditæ fuiſſent, & in provincias miſſæ, quia abuſus bene multi per illas reſcindebantur, non niſi ægre a plurimis receptæ ſunt, immo effreuata temeritate a quibuſdam minime cuſtoditæ, ut narrat Synodica. Ad hujuſmodi excuſandos exceſſus ab aliquibus prætendebatur quod ea quæ jam dudum legibus ſtatuta erant, ignorantes prætermiſerant. Hoc ipſum autem in Byzacenis præſertim locum habuiſſe, & ignorantiæ prætextu excuſationem ab eiſdem fuiſſe adumbratam, non obſcure innuunt ipſa Synodicæ verba, & alia ex Carthaginienſi Concilio ſuperius deſeripta; ex quibus patet, & a Byzacenis Epiſcopis Breviarium Hypponenſium Canonum miſſum fuiſſe ad Aurelium, ut rurſus examinaretur, ac ſi opus eſſet in melius reformaretur, & illud idem ad Byzacenam poſtmodum provinciam remiſſum fuiſſe, ſed emendatum ac pluribus Canonibus auctum.

Recepta epiſtola Byzacenſium, non ad Synodum, ſed ad Aurelium ſeripta, ut ipſe diſertis verbis aſſerit, rem iſtam majoris eſſe momenti cenſuit, quam ut ipſe ſolus de ea quicquam decerneret, nec Synodi generalis ſtatuta aliter quam in alia ge-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Hanc objectionem ſolvimus in Admonitione ad cap. 2. noſtri Codicis n. 6.

(2) Multa falſa veris permiata in hac perturbata reſponſione continentur. Duæ epiſtolæ notæ ſunt ex interlocutione Aurelii Carthaginienſis Epiſcopi præmiſſa cap 34. Codicis Africani, quæ conſtituit proœmium, ſeu primum titulum Synodi plenariæ anni 397. celebratæ Carthagine quinto Kalendas Septembris. Prima eſt Byzacenorum epiſtola; cui Breviarium adjunxere *ad hunc*, ut Aurelius in memorata interlocutione teſtatur, *cœtum corrogatum*, ideſt directum ad Epiſcopos laudatæ Synodi plenariæ habitæ V. Kal. Septembris. Alia eſt epiſtola privata Mizonii Primatis Byzaceni ad ipſum Aurelium, qua petiit ut Breviarium in plenaria Synodo legeretur, & ſi quæ ibidem moverent Patres, in melius reformarentur. Cum Queſnellus priorem epiſtolam ſcriptam prodidit in Synodo Carthaginienſi anni 397. VI. Kal. Julias; non animadvertit proculdubio diem *Iduum Auguſti*, quam cum & ipſius codices, & omnes noſtri deſignent, Synodum hujus diei palam adſtruunt, non vero Synodum celebratam VI. Kal. Julias. Hæc autem Synodus Carthagine coram Aurelio coacta a Byzacenis, qui diem plenariæ Synodo præſtitutam prævenerant, non erat Synodus ex aliis Epiſcopis congregata: & in hac tractatu habito cum ipſo Aurelio Breviarium conditum fuit, non tam a Byzacenis, quam ab Aurelio præſente ſubſcriptum; atque cum Byzacenorum litteris directum ad Epiſcopos Synodi plenariæ, quæ non multo poſt congreganda erat, ut ejuſdem Synodi examini ſubjiceretur, ac ubi opus eſſet reformaretur: quod aliis privatis litteris ad Aurelium Mizonius petierat. Dies Synodo plenariæ præſtituta in Concilio Hipponenſi erat X. Kalendas Septembris, eoque die lectum fuit Breviarium cum litteris Byzacenorum. Sed cum nondum advenìſſent Legati provinciæ Numidiæ, prorogata fuit Synodus ad diem V. Kal. Septembris: & in hac iterum Breviarium & memoratæ litteræ recitatæ fuerunt, ac geſtis inſertæ. Hæc fuſius conſtituimus in Admonitione ad cap. 2. noſtræ collectionis; ac ex his quot falſa in ſequentibus Queſnellus intexuerit, facile intelliges.

Digitized by Google

generali Synodo retractari, aut emendari poſſe exiſtimavit. Sive autem jam indicta eſſet Synodus, ſive ea occaſione aliorumque negotiorum tractandorum cauſſa illam Aurelius *corrogarit*, quo verbo ſcite ipſe utitur, jam ex parte congregata illa fuiſſe videtur ſexto Kalendas Julias ejuſdem anni 397. ita ut fuerit velut præludium generalis Synodi, quæ longe majori numero coaluit V. Kalendas Septembris ejuſdem anni. Ad hujus enim calcem hæc habentur in Codice Africano: *Cæſario & Attico VV. CC. Conſſ. ſexto Kal. Julias Carthagine, placuit, ut nullus Epiſcoporum naviget ſine formata Primatis. Geſta in authenticis, qui quæret inveniet.* Quæ verba ſi conferantur cum his quæ V. Kalend. Septembris ejuſdem anni præfatus eſt Aurelius in ipſo Concilii generalis exordio, conſtabit, ni fallor, non de alio Concilio eſſe intelligenda, quam quod ſexto Kal. Julias inchoatum fuerat. *Poſt diem*, inquit, *præſtitutam Concilii conſedimus, ut recordamini, fratres beatiſſimi, & arbitrabamur omnium Provinciarum per Africam legationes conveniſſe ad diem, ut dixi, præſtitutam noſtri tractatus.* Porro non opus habuiſſet Aurelius apud Conſacerdotes ſuos memoriam prioris illius conſeſſus refricare, niſi jam duo ſaltem menſes a primis ejuſdem conſeſſibus fuiſſent elapſi; totidem porro, non plures, revera effluxerant ab illa Synodo cum VI. Kal. Julias congregata eſt. Non igitur alia fuit Synodus, ſed magnæ illius Synodi anticipati conſeſſus, in quibus qui ad præſtitutam Concilii diem convenerant, aut eam etiam prævenerant, de variis capitibus tractatum inter ſe ſe inierunt. In primis lecta tunc fuit epiſtola Byzacenorum, cum Breviario miſſa, deque eodem per Mizonii epiſtolam poſtulatis actum eſt una cum iis Epiſcopis qui ex Byzacena provincia advenerant.

Enim vero, quod maxime obſervandum velim, licet iidem ad Aurelium ſcripſiſſent e ſua Synodo ante menſes forte non paucos, non propterea neglexerunt ſe Synodo generali præſentes ſiſtere. Immo vero cum ipſorum res illic agitari deberent, in primiſque Breviarium illud ſuum in melius reformandum peroptarent, omnium primi Carthaginem ſe contulerunt, & quidem maximo numero, quod facile ex relatis Aurelii verbis deprehendimus, & ex his aliis quæ proxime ſequuntur: *Sed cum Conſacerdotum noſtrorum epiſtola Byzacenorum fuiſſet recitata, vel quid mecum iidem, qui tempus & diem Concilii prævenerant, tractaſſent, veſtræ caritati legeretur, lecta eſt etiam a fratribus Honorato & Urbano, qui nobiſcum hodie Concilio participantur, legatio Sitifenſis Provinciæ deſtinata* &c. Verum cum de illo Breviario coram Synodo nondum numeroſa nec plena actum fuiſſet, (expectabantur enim Numidiæ Epiſcopi, aut ſaltem eorum Legati) iterum coram Synodo jam frequentiori effecta lecta eſt Byzacenorum epiſtola una cum Breviario, omniumque Patrum judicio ſubjecta ſunt quæ de utroque in prioribus conſeſſibus fuerant in melius reformata, ut ſuperius retulimus, deſcriptis Aurelii de illa epiſtola & Breviario verbis.

Byzacenos Concilio interfuiſſe, ita ut ceteros etiam præveniſſent, etſi ſatis indicant illa Aurelii verba: *Quid mecum iidem, qui tempus & diem Concilii prævenerant, tractaſſent*; illud 2. probatur ex oppoſitis Breviario jam in melius reformato ſubſcriptionibus. Nam poſt Mizonium primæ ſedis in Byzacena Epiſcopum ſubſcribunt *Victorianus Maſcilianenſis, Lupianus plebis Tambitanæ, Ninus Jubaltianenſis, Philologius Adrumetinæ, & Ferox Macrianenſis*: qui omnes Byzacenæ provinciæ Epiſcopi erant. Quod enim in vulgatis legitur *Lupianus Ta-*
A *mugadenſis, Ninus Tubaltanenſis, & Ferox Macrienſis*, ſcribarum oſcitantiæ adſcribendum: Tamugada quippe in Numidia erat, e qua ne Legati quidem ad Synodum venerunt, ut conqueritur Aurelius: & veriſimile eſt ſolum Reginum Vegeſilitanum in ea provincia Epiſcopum, qui forte apud Carthaginem propriorum negotiorum cauſſa tunc verſabatur, interfuiſſe Synodo, in qua litteras Creſcentiani primæ Sedis Epiſcopi recitavit. Tubaltanenſis civitas an aliquando fuerit, ignoro, ignoraſſeque pariter videntur quotquot Africanarum provinciarum notitiam recenſere aut commentari aggreſſi
B ſunt. Macri denique & Macrenſes ſeu Macrienſes Epiſcopi ad proconſularem provinciam pertinebant, e qua unicum inter Byzacenos ſubſcripſiſſe parum credibile eſt. Cur autem præ aliis ſubſcripſerint Byzaceni, obvia ex dictis eſt ratio. In Byzacena ortæ erant difficultates circa Hipponenſia ſtatuta; a Byzacenis ea de re conſultus fuerat Aurelius; hæc ipſa ante omnia ad Synodum delata fuerant. Byzacenis præſertim inſtantibus in melius reformata ſtatuta fuerant: *& communi conſilio per univerſam Byzacenam in notitiam cunctis deducenda cenſuimus*, inquiunt, *ut ab hinc quiſquis temerator extiterit, ſciat ſe ſtatus ſui operatum eſſe jacturam*. Merito igitur
C Byzacenorum Epiſcoporum eorumque Primatis nomine & auctoritate munitum eſt Breviarium, ut qui per provinciam illam ignorantiæ velum protervitæ ſuæ & inobedientiæ olim obtenderant, aut quid ſimile, ſuorum Epiſcoporum auctoritate facilius ad meliorem frugem reducerentur. Porro cum plurimi ſaltem Byzacenæ provinciæ Epiſcopi cum ſuo Primate adeſſent Synodo, eique ſubſcripſiſſent, inde eſt quod Synodicæ titulo eorum provincia inſcripta non legatur. Ipſi enim ad ſua redeuntes delaturi erant Breviarium illud ſuum, ut e totius ſuæ Byzacenæ provinciæ Synodo, poſt reditum congreganda, illud mitterent per univerſam Byzace-
D nam provinciam, ut mittendum Patres cenſuerant.

Ex dictis de gemina epiſtola, & ex aliis adnotatis patet in auras abire ſecundum Schelſtratii argumentum, ab iis verbis petitum, *dum in Carthaginienſi urbe conveniremus*: cum enim conſtare inquit, Synodum hanc habitam fuiſſe in Byzacio, duas Synodos, Byzacenam unam, Carthaginienſem alteram, in unam, ut diximus, conflat ac confundit.

Tertium (1) ex Symbolo petitum, valeat per me licet adverſus vulgatam Indiculi Hipponenſis editionem, ubi integrum habetur, ſed mendis deturpatum: at nihil hoc ad noſtram editionem, in qua Symbolum indicatur, non refertur.

E Quartum evaneſcit per diſtinctionem quam ſtatuimus inter Breviarium miſſum a Byzacenis ad Aurelium, *ut quæ diligentius fuerint animadverſa in melius reformentur*, ut loquitur ipſe Aurelius; & idem Breviarium remiſſum per univerſam provinciam Byzacenam, jam recenſitum, in quo *quædam diligentius conſtituta*, ut habet Synodica Carthaginienſis. Quare hanc vulgato ſtatutorum Breviculo præfixam epigraphen, quam objicit Diſſertator, *Concilii Hipponenſis Abbreviationes* (a) *factæ in Concilio Carthaginenſi III.* hanc, inquam, epigraphen tueatur qui
F voluerit Breviculum vulgatum defendere; hæc certe cura non me attinet, qui in meo Codice hunc titulum, non alium, Breviario præfixum lego: *Incipit Brevis ſtatutorum.*

Quintum argumentum ſic proponit Breviarii adverſarius. *Quod nullus*, inquit, *eorum qui Concilii Hipponenſis meminerunt, vel unum ex omnibus titulis (primo de Paſchate excepto) agnoverit pro titulis Canonum Hypponenſium; quin cuncti potius alios retulerint qui in Breviario illo non reperiuntur.*

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Auguſtinus lib. 1. Retract. c. 17. teſtatur, ſe jam Presbyterum coram Patribus Hipponenſis Concilii diſputaſſe de apoſtolico ſymbolo. Honoratus & Urbanus Epiſcopi in Synodo plenaria anni 397. c. 47. Codicis Africani loquentes de Breviario canonum Hipponenſium, quod fuerat recitatum, profitentur ſe in ejus lectione *fidem Nicænam audiſſe*.

(a) Hæc adnotatio, qua Abbreviationes canonum Hipponenſium in Concilio Carthaginienſi III. *facta* traduntur, Crabbum habet auctorem, nec in ullo MS. codice reperietur: ac propterea nihil hinc objici poteſt.

Bicorne iſtud argumentum, quod negativum eſt, vel eo nomine infirmum eſt ac debile; ſed fruſtraneum eſt omnino ac evanidum aliis præterea nominibus.

Primo quia cum in pluribus Synodis condita ſint pleraque ſtatuta quæ Breviario includuntur, primum quidem in Hipponenſi, deinde in Carthaginienſi, mirum non eſt, ſi modo uni, modo alteri tribuantur. Eoque facilius hæc varietas contingere potuit, quod in hoc ipſo Breviario, ut in Romano Codice jacet, utrique illi Concilio tribuantur Canones queis de controvertimus: ſic enim primo in limine habetur: *Canones Concilii Carthaginienſis habiti ſub die Iduum Auguſtarum, Attico & Cæſario Conſulibus*. Deinde poſt Synodicam: *Statuta Concilii Ipponienſis breviata, & quædam eorum in Concilio Carthaginienſi cum Byzacenis Epiſcopis collata, & diligentius pertractata, hæc ſunt*. Demum poſt quinque aut ſex capita abbreviata, quæ (1) non fuerant inſerta a Byzacenis, illorum Breviarium in melius reformatum, hoc titulo inſignitur: *Incipit Brevis ſtatutorum*. Quid mirum igitur, ſi dum eorum aliqua laudantur, modo Hipponenſi, modo Carthaginienſi tribuantur?

Secundo vel ipſa Brevis aut Breviarii appellatio ſatis indicat non omnia ſtatuta illi inſerta fuiſſe, ſed nonnulla prætermiſſa, ut quæ particularia potius negotia, quam communem Eccleſiæ diſciplinam ſpectabant, aut Primatum tantummodo curæ ac ſollicitudini reſervata erant. Hujuſmodi ſunt quinque illa capita a Carthaginienſibus addita, quæque a Byzacenis ob illam forte rationem omiſſa fuerant. Primum enim ſpectat indictionem diei Paſchatis. 2. particularem cauſſam Creſconii Villarenſis Epiſcopi; ſed cujus occaſione cenſuerunt Carthaginienſes communi Canone tertium iſtud ſanciendum: *Ex hoc placuit ut a nullo uſurpentur plebes alienæ*. Quartum ad Primatem Sitifenſis provinciæ unice pertinet; ſed conſequenter de ceteris Primatibus nonnihil adjectum eſt. Eamdem abbreviandi rationem reddunt Codicis Africani (2) auctores ad Concilium anni 405. *Hujus*, inquiunt, *Concilii geſta ideo non ex integro deſcripſi, quoniam magis ea quæ in tempore neceſſaria fuerunt, quam aliqua generalia conſtituta ſunt; ſed ad inſtructionem ſtudioſorum ejuſdem Concilii Brevem digeſſi*. Non eſt igitur cur miretur noſter Diſſertator pro Hipponenſibus Canonibus habitos eſſe aliquos quos Breviario inſertos non legimus: hoc enim ipſa Breviarii ratio poſtulat, ut non omnia complectatur.

Quod autem inſuper aſſerit, nulla e ſtatutis hoc Breviario contentis ab ullo referri ac laudari pro Canonibus Hypponenſibus, confidenter magis id dictum, quam vere ac perite, nullo negotio probaturi ſumus.

Primum enim Auguſtinus in epiſtola nunc 64. ad Quintianum Presbyterum ſic eum affatur: *Miror Prudentiam tuam, quod me admonueris, ut jubeam non recipi eos, qui ad nos a vobis ad monaſterium veniunt, ut quod ſtatutum eſt a nobis in Concilio permaneret; & tu non memineris in Concilio inſtitutum quæ ſint ſcripturæ Canonicæ, quæ in populo Dei legi debeant. Recenſe ergo Concilium, & omnia quæ ibi legeris commenda memoriæ, & ibi etiam invenies de ſolis Clericis fuiſſe ſtatutum, non etiam de laicis, ut undecumque venientes non recipiantur in monaſterium. Non quia monaſterii facta mentio eſt, ſed quia ſic inſtitutum eſt, ut Clericum alienum nemo ſuſcipiat*. Ecce (3) duos Canones ab Auguſtino laudati, unus de Scripturarum Canone, alter de alieno Clerico non ſuſcipiendo. Prior exſtat quidem in illo Concilio Carthaginienſi an. 397. quod refertur in Codice Africano, & inter acta Concilii quod vulgo Carthaginienſe III. dicitur; ſed neutrum indicatum eſſe hoc loco ab Auguſtino certum mihi videtur. Nam ex duabus illis collectionibus alterutram fictitiam eſſe oportet, utpote quæ & eodem anno & menſi aſſignentur, & iiſdem fere Canonibus conſtent: at nemo eſt qui auctoritatis ac authentiæ primas Codici Africano ultro non concedat, ac conſequenter alterius acta prorſus commentitia non pronuntiet, ut aliquando forte fuſius probabitur. Si ergo Carthaginienſem Synodum deſignare voluiſſet Auguſtinus, non aliam deſignare potuiſſet quam quæ Codici Africano ad annum 397. inſerta habetur. At ex Concilio illo duos Canones a ſe laudatos hauſiſſe mihi non videtur Auguſtinus. Agitur enim de Concilio, cui ipſe interfuerat: *Quod ſtatutum eſt a nobis in Concilio*. Porro Concilio an. 397. non interfuerat ſanctus Doctor, ut ex actorum initio clarum eſt, ubi Aurelius commemorat litteras Creſcentiani Numidiarum Primatis ad ſe ſcriptas, in quibus promittebat pro ſuæ provinciæ Epiſcopis, *quod aut ipſi dignarentur venire, aut ad hoc Concilium fuiſſent ex more deſtinaturi legatos; ſed hoc*, inquit, *minime factum videtur* &c. Reſtat igitur ut ex Concilio Hipponenſi geminum Canonem hauſerit, cui Concilio ipſe teſtatur ſe nondum adhuc Epiſcopum interfuiſſe. Deinde quod ſimpliciter *Concilium* appellet Epiſcopus provinciæ Numidiæ & ipſius Hipponæ Epiſcopus Hipponenſe Concilium indicare mihi videtur, velut teſtem ſibi domeſticum, quod Concilium celeberrimum fuerat, primum ſub Aurelio Primate, eo imprimis conſilio congregatum ut collapſa Eccleſiæ Africanæ diſciplina rurſus inſtauraretur, ad quod denique velut ad archetypum quoddam animos adverterunt Africani Epiſcopi, quoties de aliquibus diſciplinæ capitibus reſtituendis in Synodis inquiſitum eſt. Denique cum vel Hipponenſe indicaverit Auguſtinus, vel Carthaginienſe an. 397. celebratum, primum potius quam ſecundum fuiſſe illi ob oculos inde conficio, quod proprie poſtremum iſtud de Clericis alienis non ſuſcipiendis nihil ſancivit, *ſed in multis* (Cod. Afric. c. 54.) *Conciliis hoc ſtatutum eſſe* in memoriam revocat Epigonius Synodi Patribus, & *nunc hoc confirmandum eſſe* ab illorum prudentia ſuggerit, *ut Clericum alienum nullus præripiat Epiſcopus præter ejus arbitrium cujus Clericus fuerit*. Poſtulavit etiam *Victor promotione antiquiſſimus petitionem Epigonii generalem omnibus effici*; ſed obſtante Primate Aurelio nihil concluſum. Inſuper dicitur Julianus *contra ſtatuta Concilii faciens*, ſi Clericum ſurreptum non reſtituerit. Jam ante igitur conditum fuerat ejuſmodi ſtatutum in aliquo Concilio, nec alio quam Hipponenſi: de hoc igitur locutus eſt Auguſtinus, quod Concilium pariter hoc loco ſimpliciter Concilium nuncupatus, ut ab Auguſtino factum legimus.

Se-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Prima quinque aut ſex capita ad Breviarium maxime pertinere, quod a Byzacenis Carthagine conditum vidimus, patet ex iis, quæ attulimus in Tractatu part. 2. c. 3. §. 3. n. 2. & ſeq. In Barberino quidem cod. 2888. primum Breviarii capitulum incipit a ſymbolo Nicæno: ac propterea omittitur titulus *Incipit Brevis ſtatutorum*, qui in collectione hoc tomo edita poſt illa priora capita inſeritur. Vide not. 30. in cap. 2. laudatæ collectionis.

(2) Codicis, ut in vulgatis Conciliorum appellatur, Africani auctor eſt Dionyſius Exiguus, ex cujus collectione Africani canones fuere excerpti, & in Græcam linguam traducti. Lege Tractatum de collectionibus huic tomo inſertum part. 2. c. 3. §. 9. n. 6.

(3) Duo laudati canones fuerunt quidem conditi in Concilio Hipponenſi; at dein abbreviati lecti fuerunt confirmati, & inſerti Synodo plenariæ Carthaginienſi anni 397. in qua Auguſtinum jam Epiſcopum interfuiſſe oſtendimus in citato Tractatu part. 2. c. 3. §. 3. paullo ante finem, ubi de ejuſdem Synodi ſubſcriptionibus egimus. Cum porro de canone alienum Clericum reſpiciente idem Auguſtinus ſcribat: *Quod ſtatutum eſt a nobis in Concilio*: palam eſt ſignificare Concilium, in quo ipſe jam Epiſcopus ſedit ac ſtatuit. Igitur non ex Hipponenſi, in quo erat tantummodo Presbyter, ſed ex Carthaginienſi anni 397. eos canones allegavit. Videſis reſtitutionem canonum hujus Synodi loco citato, ac exinde intelliges, eamdem Synodum nec apud Iſidorum, nec in Codice Africano omnino perfectam exhiberi.

Secundum teſtem pro Hipponenſi Breviario adduco (1) collectorem Africanum Conciliorum omnium temporibus Aurelii Primatis congregatorum. Habetur illa collectio in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ, qui duabus conſtat partibus, cujus prima continet Canones ſub triginta & tribus titulis eoſque corrogatos ex tribus fere Conciliis, quorum primum habitum eſt ſub Grato Carthaginienſi Primate an. 348. ſecundum ſub Genethlio item Primate an. 390. tertium vero eſt Hipponenſe noſtrum ſub Aurelio primum & celebratum anno 393. Quam ob cauſſam, ſecundam Codicis partem, quæ eſt Conciliorum ſub Aurelio congregatorum, ab Hipponenſi auſpicatur Collector; ſed quia iſtius Synodi Canones jam collecti fuerant in prima Codicis parte, B ad eam relegat lectorem: *Geſta*, inquit, *hujus Concilii ideo deſcripta non ſunt, quia ea quæ ibi ſtatuta ſunt, in ſuperioribus probantur inſerta*. Quærendi ſunt igitur in prima illa Codicis parte Hipponenſes Canones, inter triginta & tria illa ſtatuta: & revera omnes fere conſtitutiones in Breviario noſtro recenſitæ, illic inveniuntur quales erant antequam inſertis aliis quatuordecim auctiores fierent & in aliis quibuſdam partibus in melius reformarentur.

Tertii teſtis loco erit Concilium Carthaginienſe univerſale ſub Bonifacio Primate celebratum an. 525. poſt reſtitutam Africanis Eccleſiis & Epiſcopis libertatem a VVandalorum tyrannide. In illo recitata C ſunt plurima ex gemina illa parte Codicis Africani. Ex ſecunda longe plura ac præſertim ex Concilio anni 397. quod *tertium* ſine addito appellat, nimirum tertium ſub Aurelio, ſed ad calcem primæ diei duas inſignes particulas non ex Breviario Hipponenſi, ſed ex integris hujus Concilii Actis quæ tunc adhuc ſupererant.

Primum excerptum eam exhibet geſtorum partem, in qua, quemadmodum compendioſa refertur in prima (2) additione ad noſtrum Breviarium, *Placuit etiam propter controverſiam, quæ ſæpe ſolet oboriri, ut omnes Africanæ Provinciæ obſervationem diei paſchalis ab Eccleſia Carthaginienſi curent accipere*.

D Alterum excerptum continet eam Auctorum partem in qua ſtatutum hoc conditum fuit: *Primatem proprium Mauritania Sitifenſis, cum id poſtularet, habere permiſſa eſt in longinquioribus Mauris*, ut habet codex noſter in additione prima Breviario facta a Carthaginienſibus Patribus. Item altera pars ejuſdem ſtatuti, quod abbreviatum pariter habetur poſt verba mox relata: *Ceteri primæ ſedis Epiſcopi ex Concilio Epiſcopi Carthaginienſis Eccleſiæ Primates provinciarum ſuarum conſtituendos eſſe profeſſi ſunt, ſi aliqua altercatio fuerit*. Non poteſt, opinor, luculentius refutari argumentum Schelſtratii, deſum- E tum a ſcriptorum omnium, aut monumentorum antiquorum, ut putabat, ſilentio, quam gemina illa interlocutione, quæ Codici noſtro & Hipponenſi præſertim Breviario lucem affert maximam, certumque ſinceritatis characterem.

Abunde igitur videor mihi ſatisfeciſſe primæ parti argumenti quinti, quo aſſeritur, *quod nullus eorum, qui Concilii Hipponenſis meminerunt, volunum en omnibus titulis (primo de Paſchate excepto) agnoverit pro titulis Canonum Hipponenſium*. Immo meminit Auguſtinus, meminit auctor partis 2. Codicis Africani, & omnes fere illius Canones in priori recenſitos digito monſtrat: meminere Carthaginienſis Concilii plenarii Patres anno 525. congrega- A ti, & duas integrorum Actorum particulas inſignes, duaſque ſanctiones Hipponenſes ob oculos ponunt: meminit denique Ferrandus, cujus teſtimonium potiſſimum objicit & urget Diſſertator adverſus Breviarii ſinceritatem, quod clare patebit ex iis ad quæ pergimus.

Altera pars quinti argumenti hæc eſt: *quod cuncti (qui Hipponenſis Concilii meminerunt) alios retulerunt (Canones) qui in Breviario illo non reperiuntur*. Ad generalem hanc objectionem, generalem ſupra reſponſionem repoſuimus: ſingulis exemplis jam reſponſum imus. Hoc (3) primum ſubjicitur. *Quatuordecim annis tantum poſt Concilium Hipponenſe celebratum fuit Carthaginienſe Concilium* B *ſub Aurelio, qui refert in Hipponenſi Concilio ſtatutum fuiſſe de Concilio plenario ſingulis annis per diverſas Africæ provincias habendo, quod nullibi reperitur in Breviario*. Pondus ego libens addo objectioni. Nimirum non in illo ſolum Concilio anni 407. ſed in Concilio generali anni 397. bis fit mentio ſtatuti illius Hippone conditi, ut videre eſt Cod. Afric. c. 51. & 52. Sed quid tum? ſi omnia in Breviario continerentur, non eſſet Breviarium. Deinde prima pars ſtatuti tota quanta eſt, jacet capite 5. Breviarii noſtri: & revera legitur etiam inter Hipponenſes Canones in prima parte Codicis Africani recenſitos. Altera vero pars non videtur omnibus placuiſſe, & eam ob cauſſam non excerpta. C Nam in Concilio anni 397. in quo repetiti ac confirmati ſunt Canones Hipponenſes, hæc c. 51. Codicis dicit Aurelius: *Nos ſpopondiſſe jamdudum meminimus, ut ſingulis quibuſque annis ad tractandum conveniamus*. Hac occaſione Honoratus & Urbanus Legati provinciæ Sitifenſis alteram partem commemorant, *Quia conſtitutum eſt in Concilio Hipponenſi ſingulas provincias tempore Concilii viſitandas eſſe*; & exinde urgent ut ſecundum ordinem Mauritania provincia viſitaretur, id eſt ut in ea provincia Concilium generale per vices congregaretur. Quo audito ſermonem arripuit Aurelius, effecitque ut nihil Legatis promitteretur: & tamen *hoc obſervatum eſt*, inquit Aurelius in Concilio an. 407. *ut indiceremus aliquando in Numidia, aliquando in Byzacio*; *at*, ut D idem ſtatim ſubjicit, *hoc laborioſum omnibus fratribus viſum eſt*. Quamobrem in capite ſubſequenti (n. 95.) placuit Synodo univerſæ 1. *Ut non ſit ultra fatigandis fratribus anniverſaria neceſſitas*. 2. *Quoties exegerit cauſa communis... congregandam eſſe Synodum in ea provincia ubi opportunitas perſuaſerit*. 3. *Ut cauſæ quæ non ſunt communes, in ſuis provinciis judicentur*. Hæc opinor cauſſa fuit cur ſtatutum, quod aliarum provinciarum Epiſcopi condi curaverant apud Hipponem, Aurelio tunc temporis adhuc recente in Primatu & in aliena provincia Synodo Præſidente, idem in ſua anni 397. Sy- E nodo abſentibus Numidiæ Epiſcopis excerpi ac confirmari vetuerit, ac poſt aliquot annos etiam abrogari curaverit.

Idem fere dicendum de Canone Hipponenſi, quo ſtatutum dicitur, ut x. Kal. Septembris annuus Provinciarum Conventus haberetur. Videtur enim Primas Carthaginienſis cum ſuis Coepiſcopis ægre tuliſſe ut ejus arbitrio non dimitteretur cura deligendi & tempus & locum Concilii: unde in Codice Africano, ut unica Synodus extra Carthaginem coaluiſſe conſpicitur, poſt Hipponenſem; ita unica x. Kal. Septembris, etſi paucæ aliæ ad iſtum temporis articulum accedunt. Quare non curavit Aurelius Hipponenſem illum Canonem retineri in Bre-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Dionyſius Exiguus, non autem quiſpiam Africanus, auctor eſt vulgati Codicis Africani: neque ille in hoc Codice collegit omnia Concilia ſub Aurelio celebrata, ſed exhibuit unam Synodum Carthaginienſem anni 419. in qua antecedentia Concilia ſub eodem Aurelio lecta & inſerta fuerunt. Confer quæ diximus in Tractatu part. 2. c. 3. §. 9. ubi etiam de prioribus XXXIII. canonibus ejuſdem Codicis quid ſentiendum ſit, explicatum invenies.

(2) Quæ a Queſnello vocatur *prima additio ad noſtrum Breviarium*, & quæ paullo poſt ſimiliter dicitur *additio prima Breviarii* facta a Patribus plenariæ Synodi Carthaginienſis, pars eſt ipſius Breviarii Hipponenſis, quod a Byzacenis Epiſcopis & Aurelio Carthaginienſi conditum fuit. Conſule not. 10.

(3) De hoc primo ac de ſecundo exemplo vide not. 42. in cap. 2. noſtræ collectionis.

Breviario. Si hæc non ſatisfaciunt, addo hoc ſtatutum non pertinere ad communem Clericorum diſciplinam, & eam ob rem Breviario non contineri. Producat Diſſertator originalia & integra Concilii Acta, & illic omnes ad unum Canones oſtenſurum me ſpondeo.

Eadem reſponſione eliduntur objecta Ferrandi capitula, quæ (1) ex integris Actis excerpta ab illo fuere, ſicut factum eſt a Patribus Concilii Carthaginienſis anni 525. ſub Bonifacio Primate.

Sextum argumentum repetit Diſſertator ex Carthaginienſi Concilio, quod vulgo tertium dicitur, & in quo Canones illi Hipponenſi Concilio attributi, ſtatuti ſunt. Sed hæc Canonum collectio quæ ſub nomine Concilii tertii Carthaginienſis circumfertur, extra Codicem Africanæ Eccleſiæ, (2) certiſſime ſpuria eſt ac ſuppoſititia, ut jam ſuperius evici, Genuina Synodi iſtius Acta ſola illa ſunt quæ in Africano Canonum Codice habentur ad annum 397. Cæſario & Attico Coſſ. At vero qui iſtius Codicis partem, quam Diſſertator objicit, paullo accuratius inſpexerit, ſtatim animadvertet quam vana ſit ejus objectio, quam his verbis proponit, adducta prius Epigonii Epiſcopi ſententia: *Epigonius Epiſcopus dixit: In hoc Breviario, quod decerptum eſt de Concilio Hipponenſi, nihil arbitramur eſſe emendandum, vel aſſuendum, niſi ut dies ſanctæ Paſchæ tempore Concilii innoteſcat.* Quo ex Canone habemus, inquit Schelſtratius, nihil de ſtatutis Hipponenſibus relatum fuiſſe inter Canones Concilii Carthaginienſis III. quam illud quod de Paſchate tractat.

Quis non miretur animadverſum a Diſſertatore non fuiſſe, verba illa Epigonii, *Nihil arbitramur emendandum, vel aſſuendum, niſi ut* &c. extendi (3) non ad ſolum Canonem de Paſchatis die Concilii tempore indicanda, ſed ad alios etiam tredecim Canones illi ſubjectos, qui omnes ſunt inſerti Breviario Hipponenſi? ut facile intelligitur ex his verbis Canoni decimoquarto appenſis: Quibus inſertis *Honoratus & Urbanus Epiſcopi &c. dixerunt.* Non unicus igitur Canon aſſutus eſt Hipponenſi Breviario, ſed toti quatuordecim.

Et ne quis objiciat, parum credibile eſſe, Epigonium ſtatim nulla habita deliberatione, tot Canones protuliſſe Breviario inſerendos, meminiſſe opus eſt, additionem hujuſmodi jamdiu ante fuiſſe ſtatutam ab Aurelio ceteriſque Epiſcopis, *qui diem & tempus Concilii prævenerant*, ut loquitur Aurelius in eo tractatu quem cum Byzacenis idem tunc habuit, in eo forſan conventu qui iiſdem Coſſ. ſexto Kalendas Julias habitus Carthagine legitur in Codice Africano ad calcem Concilii de quo agimus. Et revera eadem illa ſunt quæ in Codice noſtro poſt Synodicam dicuntur *in Concilio Carthaginienſi cum Byzacenis Epiſcopis collata & diligentius tractata.*

Quamobrem antequam Epigonius loqueretur, hæc Aurelius dixerat: *Si ergo placet, quæ tractata ſunt legantur, & ſingula a veſtra caritate conſiderentur.* Poſt quæ Epigonius non privatum, ſed commune conventus illius ſuffragium prolaturus, non ait *arbitror*, ſed *arbitramur*, & inſertis quatuordecim Canonibus, ad alia tractanda perrexerunt Patres.

Tantum abeſt igitur, ut objectus Codicis locus Breviarii ſinceritatem minuat, ut potius illam confirmet, cum omnes illi Canones revera inſerti habeantur Breviario. Econtrario autem infirmat auctoritatem collectionis illius Canonum Concilii Carthaginienſis tertii, quæ extra Codicem habetur in voluminibus Conciliorum. Conſtat enim quatuordecim illos inſertos Canones ante x. Kalendas Septembris editos non fuiſſe. Conſtat etiam poſt illam Synodum aliam congregatam non fuiſſe eodem anno apud Carthaginem: ac proinde fictitiam eſſe neceſſe eſt vulgarem illius Canonum farraginem. Illa autem quæ in Codice habetur * x. Sept. anno 397. collecta, eſt vere Carthaginienſis. Eſt enim earum quæ ſub Aurelio coacta ſunt tertia; ſed prima Hippone, duæ aliæ apud Carthaginem celebratæ ſunt.

* leg. V. *Kal. ſep.*

Septimum argumentum, ex ſubſcriptione Aurelii petitum, reſponſione non indiget, explicata ſuperius Synodorum Carthaginienſis & Byzacenæ differentia, ceteriſque quæ initio hujus Diſſertationis diſcuſſa ſunt. Plura ſuperſunt quæ emendatione indigent in illa Schelſtratii Diſſertatione; ſed modo non vacat illis diſcutiendis operam collocare. Mihi ſatis eſt exſufflaſſe cuncta quæ a viro non indocto adducta fuerant, ut Breviario illi Hipponenſi auctoritatem detraheret, ac per illius latus Romanum Canonum codicem confoderet. Fallor, niſi omnes quorum palato ſacra ſapit Antiquitas, mihi jam ultro non conceſſerint, ſuam modo conſtare Breviario illi Hipponenſi ſinceritatem & auctoritatem, egregiumque iſtud rei canonicæ monumentum ab omnibus ſuppoſitionis ſuſpicionibus plane liberum jam eſſe debere: ac demum ex illius authentia non parum auctoritatis ac ponderis accedere integro, cui inſertum eſt, (4) Canonum Eccleſiæ Romanæ Codici, cujus antiquitati ac ſinceritati tot alia momenta ſuffragantur.

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Capitula Synodi Hipponenſis anni 393. non ex integris hujus Synodi geſtis allegavit Ferrandus, ſed ex actis plenarii Concilii Carthaginienſis anni 397. quibus Breviarium erat inſertum. Quæ autem capitula ille recenſet ex *Concilio Hipponoregienſi*, non ſpectant ad Concilium Hipponenſe anni 393. ſed ad aliud anni 427. Vide Tractatum part. 2. c. 3. § 3. & 9. nec non part. 4. ubi de Ferrandi Breviatione ſermonem fecimus.

(2) Immo apud Iſidorum plenius exhibentur canones Concilii Carthaginienſis III. anni 397. quam apud Dionyſium in Codice Africano, in quo non omnes canones ejuſdem Concilii ſuo loco deſcripti fuere. Solum apud illum ordo canonum non ſervatur, quidam etiam canones recitantur cum lectione alicubi mutata in Synodo anni 419. unuſque canon ex alia Synodo perperam aſſutus fuit. quæ omnia explicavimus pluribus in Tractatu part. 2. cap. 3. §. 3.

(3) Epigonii verba non ad ſolum quidem Hipponenſem canonem de die paſchatis, qui Dionyſii inconſideratione omiſſus fuit, nec ad ſolos canones tredecim Breviarii Hipponenſis ſuo loco inſertos, ſed ad totum Breviarium, quod ante Epigonii interlocutionem lectum fuerat, extendenda ſunt. Confer Tractatum part. 2. c. 3. §. 3. n. 52. Solos tredecim Breviarii canones Dionyſius ſuo loco inſeruit, quia alios in Synodo anni 419. repetitos antea recitaverat. Tota Queſnelli confuſio in hac Appendice ex eo pendet, quod valde confuſa haberetur Conciliorum & canonum Africanorum notitia, nec reſtitutum eſſet Concilium plenarium Carthaginienſe anni 397. Cum vero nos in præmiſſo Tractatu part. 2. c. 3. pluribus laboraverimus, ut ſingulos canones ſuæ cuique Synodo aſſereremus, eo lectores remittimus.

(4) Immo ex hoc Breviario, uti noſtræ collectioni inſertum eſt, non modicum confirmatur, eamdem collectionem non poſſe reputari antiquam *Codicem canonum Eccleſiæ Romanæ*. Cum enim in ea duo ultimi canones ad Breviarium non pertineant; ſi Eccleſia Romana hoc Breviarium olim recepiſſet, his additamentis idem careret in publico ipſius Eccleſiæ Codice, ſicut caret in MS. Veronenſi, licet publicus Codex non fuerit.

E D I T O R U M

O B S E R V A T I O N E S

IN DISSERTATIONEM I.

PASCHASII QUESNELLI

DE CODICE CANONUM ECCLESIASTICORUM

ET

CONSTITUTORUM SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ,

quem ille perperam Romanæ Eccleſiæ attribuit.

I. CUM Queſnellus in MS. Oxonienſi collectionem canonum, & conſtitutorum Sedis Apoſtolicæ conjunctam deprehendiſſet cum epiſtolis & ſermonibus S. Leonis Romani Pontificis; ſtatim eam opinionem induxit io animum, hanc collectionem ad Romanam Eccleſiam pertiouiſſe, fuiſſeque publicum ejuſdem Eccleſiæ codicem, qui quidem in uſu fuerit ſub Innocentio I. Zoſimo, & Leone Pontificibus. Licet autem huic ſententiæ nec titulus ipſius collectionis, nec præfatio, oec ulla alia adnotatio ſuffragaretur; magno tamen conjectatori facile fuit plura congerere, ut eamdem ſententiam aliqua veriſimilitudine indueret: Abſoluta in hanc rem Diſſertatione, Thuaneum codicem ejuſdem collectionis multo vetuſtiorem, quem antea ob ſolas Leoninas litteras contulerat, diligentius evolvens, pervidit eamdem in eo caoonum & conſtitutorum collectionem reperiri, ſed ſine ſermonibus S. Leonis, & cum paucioribus ejuſdem epiſtolis, quam in MS. Oxonienſi; ac præterea has in illo invenit ipſi collectioni adnexas, cum io exemplo Oxonienſi aliis pluribus epiſtolis ipſius Pontificis additæ, diſtinctom veluti corpus conficerent. Si antiquiori ac præſtantiori codici majorem fidem præbuiſſet, & ſi hoc inter utromque codicem diſcrimine monitus, exquiſiſſet alia ejuſdem collectionis MSS. exemplaria, quorum plura in Gallicanis bibliothecis conſervantur; facile cognoviſſet, eam collectionem in hoc uno Oxonienſi exemplo, ac in alio antiquiori, ex quo Oxonienſe exſcriptum fuit, conjunctam fuiſſe cum Leonis operibus, meroque antiqui librarii arbitrio ab ea diſectas foiſſe duas & triginta ipſius Pontificis epiſtolas, ut inter ejus opera cum ceteris ejoſdem epiſtolis deſcriberentur. Hinc autem intelligens eas epiſtolas XXXII. hujus collectionis eſſe Portionem ceteris omnibus vetuſtioribus exemplaribus probatam, ipſamque collectionem, ut Romana credatur, nihil præſidii habere ex Leonis operibus, quæ in Oxonienſi adnectuntur, ſententiam primo receptam fortaſſis deſeruiſſet. At cum hæc ipſi multum placeret, novo labore lucubratam Diſſertationem recognoſcere, & in ipſa fuſius eamdem opinionem fulciri ortus eſt. Ut autem quæ huic opinioni adverſabaotur componeret, octo ætates ejuſdem Codicis diſtinxit, ac ſi hæc collectio oon uno tempore condita, ſed pluribus ſubinde acceſſionibus aucta fuerit: quod tamen nullo codice, auctoritate nulla probare potuit, ſed ex eo ſolo præjudicio ſtatuendum fuit, quod hic Codex Romanæ Eccleſiæ eſſet, nec aliter objectis difficultatibus reſpondere liceret.

II. Totus itaque hic ejus labor mera eſt inanium conjecturarum congeries, quam diſjicere non difficile fuerit. P. Couſtantius in præfatione ad tomum primum Epiſtolarum Romanorum Pontificum part. 2. §. 3. ſcite quidem & naviter non pauca produxit, ex quibus illius niſus ſatis eliditur. Juverit tamen & ſtudiom noſtrum, quo dom ex ejus obſervationibus proficicotes alias atque alias adjiciemus, præmiſſæ Diſſertatioois falſitas evidentius elucеſcet. In id autem eæ ratione præmittentur, ex quibus hunc Codicem ad Romanam Eccleſiam non pertinuiſſe conſtabit. Tum vero Queſnelli argumenta, ſeu potius conjecturas ad calculos revocabimus.

C A P U T I.

Probatur Codicem a Queſnello editum non fuiſſe Romanæ Eccleſiæ. Fuit collectio privato ſtudio condita in Galliis.

I. TRia ſunt potiſſima capita, quæ collectionem a Queſnello vulgatam non fuiſſe Codicem canonum Romanæ Eccleſiæ auctoritate editum uſuque receptum probant. I. Quia multa continet, quæ Romanæ Eccleſiæ non congruunt. II. Quia non paucis caret, quæ in publico ejuſdem Eccleſiæ Codice non fuiſſent omiſſa. III. Quia nimia confuſione inficitur, quæ Codice Romano ſub ſapientiſſimis Pontificibus edito indigna ſunt. Primum caput plura demonſtrant.

Verſio Nicæni in Codice recepta diſcrepat a Romana.

II. Verſio canonum Nicænorum, quæ in Queſnelliana collectione exhibetur, aliena eſt ab interpretatione, quæ in Romana Eccleſia obtinebat. Duæ Nicæni Concilii particulæ ſuppetunt ex ea verſione, quam eadem Romana Eccleſia recepit, nimirum ſymbolum, quod S. Leo inſeruit epiſtolæ 165. ad Leonem Auguſtum cap. 3. & canon de Catharis recitatus ab Innocentio I. in epiſtola ad Rufum Theſſalonicenſem alioſque Epiſcopos Macedones, quæ in noſtra collectione deſcribitur cap. 22. Confer utrumque cum interpretatione noſtri Codicis, & verſionis diſcrimen in oculos ſtatim incurret. In canone autem de Catharis diſſimilitudo utriuſque interpretationis eo major patebit, quod non tam in verbis ſita eſt, quam io ſenſu, & in eo quidem ſenſu, qui in Codicis Queſnelliani verſione diſciplinam omnino erroneam, & ab Eccleſiæ præſertim Romanæ diſciplina ac doctrina maxime abhorrentem præfert. De Catharorum enim Clericis ad Eccleſiæ unitatem redeuntibus, qui ex Innocentii interpretatione recipiendi erant ſola manuum impoſitione, in verſione ejuſdem Codicis traditur: *Placuit ſancto Concilio ut ordinentur, & ſic permaneant in Clero.* Quandonam Romana Eccleſia Clericos in hæreſi vel ſchiſmate rite ordinatos, dum in gradu ſuo reciperentur, iterum ordinare conſuevit? Num ejuſmodi verſio, in quam interpretis inconſideratione error irrepſit, a Romana Sede recepta, & publico Codici inſerta credi poteſt? Etſi vero in verſione quoque ab Innocentio propoſita aliquid difficultatis inſit, ut pluribus explicavimus tomo II. not. 13. in Obſervationes Queſnelli ad epiſt. 167. nulli tamen errori dogmatico favet. Neque probabilis eſt ejuſdem

dem Queſnelli reſponſio allata cap. 6. Innocentium ſcilicet, dum Macedonibus reſcripſit, *volaiſſe canonem, qui obiectus fuerat, verbum e verbo vel ſcribere, vel vertere ex eorum litteris:* perinde ac ſi vel illi Græci latine ſcripſerint ad Innocentium, vel Innocentius ex Græco textu latine reddidetit canonem nova verſione, quæ erroneam diſciplinam ingereret, ea neglecta, quæ in ſua Eccleſia recepta erat: cum nihil hæc nova verſio ad cauſſam pertineret, ut ipſe Queſnellus eodem loco fatetur. *Alterutra verſio*, inquit, *æque Innocentii cauſſæ patrocinabatur*. Et ſi quidem ex Romana verſione metuendum ipſi erat, ne forte *Macedones* (ut ille ait) *ejus auctoritatem declinarent, & ad canonis fontem* (utique Græcum) *provocarent*; æque timendum erat de nova verſione, quam ipſe Pontifex confeciſſet. Quæſtio cum Macedonibus non circa ordinationem verſabatur, num rata eſſet, an irrita; ſed in eo erat, num a Bonoſo ordinati recipiendi eſſent in Clero. Macedones hoc afferebant Nicæni canonis auctoritate, in quo ut Cathari, ſeu Novatiani in ſuo gradu reciperentur conceſſum fuit. Innocentius vero id negans, canonem eo tantum conſilio recitavit, ut oſtenderet, indulgentiam erga Novatianos adhibitam peculiari de cauſſa, ad alios hæreticos & ad Bonoſianos non eſſe extendendam: quam in rem nulla nova verſione opus fuit. Igitur Innocentii verſio Romana negari non poteſt; ac propterea quæ in noſtra collectione tam eſt diverſa, aliena agnoſcitur ab eo Codice, qui in Romana Eccleſia receptus credatur.

III. Alium quoque Nicænum canonem XI. obſervare libet. Felix III. in epiſt. 7. ad Epiſcopos per diverſas provincias conſtitutos hæc ſcripſit: *De Clericis autem & Monachis, aut puellis Dei, aut ſæcularibus ſervari præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna Synodus circa eos qui lapſi ſunt vel fuerunt ſervandum eſſe conſtituit, ut ſcilicet qui nulla neceſſitate, nullius rei timore, atque periculo ſe, ut rebaptizarentur, hæreticis impii dediderunt, ſi tamen eos ex corde pœnitcat, tribus annis inter audientes ſint, ſeptem vero annis ſubjaceant inter pœnitentes manibus ſacerdotum, duobus etiam oblationes modis omnibus non ſinantur afferre, ſed tantummodo ſæcularibus* (al. *popularibus*) *in oratione ſocientur*. Nihil dubitandum videtur, quin heic verba Romanæ verſionis canonis XI. a S. Pontifice exſcripta fuerint, a quibus nimium multum abſunt verba interpretationis in Queſnelliana collectione inſertæ, ubi idem canon ſic effertur c. 17. *De his qui prævaricati ſunt ſine ulla neceſſitate, ſine ablatione patrimonii, vel ſine aliquo periculo &c. Si qui ergo ex animo pœnitent, tribus annis inter auditores conſtituantur, ſi fideles ſint, & ſeptem annis inter pœnitentes: duobus vero annis extra communionem in oratione ſola participes ſiant populo*. Par fere diſſimilitudo deprehenditur etiam in duobus aliis Nicænis canonibus 13. & 14. ab eodem Pontifice in laudata epiſtola memoratis, qui in Queſnelliano codice recenſentur can. 19. & 20. Quis ergo Romanum Codicem credat, in quo tantum eſt verſionis Nicænorum canonum diſcrimen?

Canones recipit Codex a Romana Eccleſia non receptos.

IV. Multo autem magis alieni ſunt a Romano Codice, qui in uſu fuerit Innocentio I. Zoſimo, ac Leone Pontificibus (ſic enim ab ipſo Queſnello inſcribitur) canones aliarum Synodorum noſtræ collectioni inſerti, cum ſolos canones Nicænos & Sardicenſes ſimul junctos & Nicænorum nomine inſcriptos Romana Eccleſia ad Leonem uſque receperit. Id latius probavimus in præmiſſo Tractatu part. 2. c. 1. ubi inter cetera eorum opinionem rejecimus, qui Græcos canones antiquiorum Conciliorum Ancyrani, Neocæſareenſis, atque Gangrenſis Nicænorum nomine a veteribus Romanis Pontificibus deſignatos contendunt. Clariora porro ſunt, quæ Conſtantinopolitanos canones in Romana Eccleſia diutius, ſeu uſque ad S. Gregorii tempora, non receptos evincunt. Fruſtra vero hanc objectionem elidere Queſnellus nititur cap. 2. ubi varias ſui Codicis ætates comminiſcens, eoſdem canones poſt S. Gregorium Codici additos ingerit. Cum id nulla ratione fulciatur, merum inventum agnoſcitur, ut invicti argumenti vis declinetur. Ejuſmodi etiam ſunt alia multa in iiſdem ætatibus diſtinguendis, quæ nulla alia de cauſſa afferuntur, niſi ut aliis difficultatibus occurratur. Quis vero meris arbitrariis inventis fidat, publicumque Romanæ Eccleſiæ Codicem adſtruat, qui evidentiſſimis argumentis refutatur? Ipſe Queſnellus Diſſert. XI. num. 6. *Numquam*, inquit, *a Romanis Pontificibus Leoni vel æqualibus, vel anterioribus alios canones citatos legimus præter Nicænos vel Sardicenſes pro Nicænis habitos. Innocentius I. expreſſis verbis ait, alios recipiendos non eſſe*. Quis ergo eum Romanæ Eccleſiæ Codicem venditet, in quo præter Nicænos & Sardicenſes aliarum quoque Synodorum canones *recepti inveniuntur*? At ſubdit: *Nec particularium Synodorum decreta, etſi aliquæ illarum Synodorum in Codicem Romanum jam eſſent relata, ante Chalcedonenſem Synodum apud pleraſque Occidentalium partium Eccleſias in auctoritatem recepta ſunt*: ideſt, relata erant in Codicem publicum, ſed in auctoritatem non erant recepta, nec idcirco ab ullo Romano Pontifice umquam citata fuere. Quis id intelligere poteſt? Cum Codex publica auctoritate editur, ut publico uſui inſerviat; canones in eo inſerti publicam auctoritatem acquirunt. Si nulli alii canones præter Nicænos & Sardicenſes auctoritatem habebant in Romana Eccleſia, non ergo fuerant publico Codici inſerti, nec publica auctoritate vulgati. Quomodo igitur Codex Queſnellianus ille eſſe in ipſo titulo traditur, qui *in uſu erat in Romana Eccleſia ſub Innocentio I. Zoſimo, & Leone*, ſi canones in eo deſcripti non erant in auctoritatem recepti? Num quod erat *in uſu* in *Romana Eccleſia*, in auctoritate non erat? Nonne Queſnellus in Diſſertatione XI. cap. 2. circa medium contendit, decreta *promulgata haberi*, ita ut homines *iiſdem teneantur obnoxii, cum publice ac recepto Codici habentur inſerta*? Pro publico autem ac recepto Codice ſuam collectionem venditat. Dum ergo deſcriptis antea verbis particulares Synodos in eadem collectione propoſitas in auctoritate non fuiſſe prodit, ipſe ſibimet manifeſtiſſime contradicit. Quanto igitur melius dicemus, eam collectionem, in qua Synodorum canones a Romana Eccleſia non recepti deſcribuntur, pro Romano publico Codice haberi non poſſe?

Alia Romano Codici minus congrua notantur.

V. Alia ejuſmodi Codici minus congrua paucis indicabimus. Quis credat Romanos Pontifices in ſuo Codice publico Breviarium Synodi Hipponenſis conditum in Concilio Carthaginienſi anni 397. Idibus Auguſti, cum tribus alienis canonibus recepiſſe? Si Queſnello credendum eſſet, idem Breviarium ſecundo Codicis capitulo inſertum fuit, cum *oborta Pelagiana hæreſis majoris Romanam inter & Africanam Eccleſiam commercii neceſſitatem fecit*. Si autem, ut ipſe ait, *hac occaſione magis innotuit Romanæ Eccleſiæ Africana diſciplina, quam ſuis moribus accommodatam judicantes Romani Cleri proceres, ſuam illam facere ac proprii codicis partem eſſe voluerunt*; ea utique innotuit ex Aurelio & Auguſtino Epiſcopis Africanis, qui præcipue eadem occaſione ad Romanos Pontifices litteras dedere. Breviarium ergo hac occaſione acceptum ab iis, qui ipſum vel condiderunt, vel confirmarunt, tres illos canones addititios habere non poterat. Hæc autem animadverſio ſicut improbabilem oſtendit Queſnelli conjectationem de tempore, quo hoc Breviarium Codici acceſſiſſe exiſtimat; ita etiam incredibile evincit, Romanos Pontifices, ſi idem Breviarium aliquando accepiſſent, non ſincerum, ſed extraneis additamentis auctum accepiſſe, & publica auctoritate edidiſſe.

diſſert. 11. c. 2. ætat. 2. Codicis.

VI. Multo autem incredibilius eſt, eoſdem Codici publico bis inſeruiſſe definitionem Concilii Chalcedoneoſis, primum capite 25. ex una verſione, dein cap. 54. ex alia, quam a Queſnello omiſſam ex omnibus hujus collectionis exemplaribus in noſtra editione produximus. Quid dicemus de errore manifeſto, qui elucet in epigraphe præfixa reſcripto Honorii capite decimo quarto? Hoc reſcriptum ſignatum pridie Kalendas Maji an. 418. in epigraphe datum præfertur *acceptis Synodi ſupraſcriptæ geſtis*, quæ capite præcedenti decimo tertio dicuntur condita ſequenti die Kalendarum Maji anni ejuſ-

Digitized by Google

juſdem : Num vetus Romana Eccleſia tantum errorem in publico Codice inſeruiſſet? Vide quæ hac de re plenius dicentur in Obſervationibus ad Queſnelli Diſſertationem XIII. num. 2. Adde libellum fidei, qui Auguſtino attribuitur cap. 40. Hunc nihil aliud eſſe niſi regulam fidei multo poſt Auguſtinum conditam in Concilio Hiſpanico, quod Leonis juſſu habitum fuit, oſtendimus in notis ad Queſnelli Obſervationes in epiſt. 15. ad Turribium tomo II. Hunc autem libellum cum aliis tribus a S. Leone Codici additum Queſnellus opinatur Diſſert. XIV. §. 8. n. 3. Num hic Pontifex libelli memorati auctorem ignoraſſe credendus eſt, vel Auguſtini nomen voluiſſe imponere? Idem eſſet, ſi alius antiquus Pontifex Codicis auctor crederetur. Quid porro inter plures fidei libellos, qui in apoſtolicis ſcriniis ſervabantur, quatuor tantum in Codicem relati, ac inter hos ille Fauſtini, quem ſchiſmaticum fuiſſe certum eſt? Quid dicemus de nonnullis legibus ex Codice Theodoſiano excerptis? Quid de Regula formatarum, aliiſque ſimilibus documentis, quæ publico Codici in Romanæ Eccleſiæ uſum edito non videntur congruere?

Omiſſio canonis Nicæni 20. a Romano codice aliena.

VII. Nec minus movere debent, quæ in eodem Codice omiſſa fuere. In Nicænis canonibus non legitur ultimus de omiſſione genuflexionis diebus dominicis atque paſchalibus. Id in eam cauſſam Queſnellus rejicit, quod contraria eſſet Romanæ Eccleſiæ diſciplinæ. At idipſum improbabiliſſimum eſt. Quanta enim fuerit omnium & ſingulorum canonum Nicænæ Synodi apud Romanos Pontifices obſervantia, ex pluribus, Leonis præſertim, teſtimoniis liquet, quibus adverſus Anatolii Conſtantinopolitani niſum uni Nicæno canoni contrarium reſiſtens, proteſtatus eſt, ſe non poſſe permittere ut quidpiam ex iiſdem canonibus violetur. Hinc in epiſt. 105. ad Pulcheriam Auguſtam cap. 2. *Quoniam*, inquit, *contra ſtatuta paternorum canonum, quæ ante longiſſimæ ætatis annos in urbe Nicæna ſpiritualibus ſunt fundata decretis, nihil cuique audere conceditur; ita ut ſi quis diverſum aliquid decernere velit, ſe potius minuat, quam illa corrumpat*. Confer etiam epiſt. 106. ad ipſum Anatolium cap. 4. ubi Nicænas leges *manſuras uſque in finem* tradit; ac de Nicænis Patribus ait: *Apud nos, & in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus vivent; & ſi quid uſquam aliter quam illi ſtatuere præſumitur, ſine cunctatione caſſamus, ut quæ ad perpetuam utilitatem generaliter ſtatuta ſunt, nulla commutatione varientur*. Et epiſt. 107. ad Julianum Coenſem: *cum frequentibus experimentis probaverit dilectio tua, quam CONSTANTI FIRMOQUE PROPOSITO SANCTORUM NICÆNORUM CANONUM STATUTA CUSTODIAM, diſſolvi omnes eccleſiaſticas regulas æſtimamus, ſi QUICQUAM ex illa ſacroſancta Patrum conſtitutione violetur*. Similia leguntur in epiſt. 119. ad Maximum Antiochenum cap. 4. *Si quid a quoquam contra Nicænorum canonum in quacumque Synodo vel tentatum eſt, vel ad tempus videtur extortum, nihil præjudicii poteſt inviolabilibus inferre decretis; & facilius erit quarumlibet conſenſionum pacta diſſolvi, quam prædictorum canonum regulas EX ULLA PARTE corrumpi*. Et cap. 5. *Nam quod ab illorum regulis & conſtitutione diſcordat, Apoſtolicæ Sedis numquam poterit obtinere conſenſum*. Alia ejuſdem generis brevitatis gratia prætermittimus. Hinc ergo nihil dubitandum eſt, omnes & ſingulos Nicænos canones, & illum quoque de omittenda genuflexione diebus dominicis atque paſchalibus conſtanter ab Apoſtolica Sede fuiſſe ſervatos: alias ſi hunc unum diſciplinæ canonem Romana Eccleſia reſpuiſſet, nihil potioris rationis fuiſſet Leoni Pontifici, ob quam tantopere reprehenderet Chalcedonenſes Patres, qui in frequentiſſima Synodo alium diſciplinæ canonem reformaſſent, nec potuiſſet ſuam & ſuæ Eccleſiæ obſervantiam tam generalibus & ſolemnibus formulis profiteri.

Quanta eſſet obſervantia canonum Nicænorum in Eccleſia Romana.

De omiſſa genuflexione diebus dominicis atque paſchalibus.

VIII. Hanc quidem diſciplinam non tam in Oriente, quam in Occidente viguiſſe, teſtes a Queſnello producti in Diſſertatione cap. 5. n. 5. ſatis evincunt. Alia itidem ex aliis Patribus afferri poſſent, quorum nonnulla ita generalia ſunt, ut eamdem diſciplinam in tota Eccleſia cuſtoditam declarent. S. Hilarius prolog. in librum Pſalm. num. 12. *Hæc quidem*, ait, *ſabbata ſabbatorum ea ab Apoſtolis religione celebrata ſunt, ut his quinquageſimæ diebus NULLUS neque in terram ſtrato corpore adoret*. Cum in hoc, aliiſque ſimilibus teſtimoniis *NULLUS* excipiatur; Romana utique Eccleſia excludi non poteſt. Unum ſatis exploratum addemus ex S. Auguſtino, qui cum aliquandiu Romæ verſatus ſit, ibidemque nonnullos libros ſcripſerit, ut liquet ex lib. 2. Retractationum c. 7. & 10. Romanorum quidem rituum, quorum nonnullos indentidem memorat epiſt. 36. ad Caſulanum, notitiam acquiſivit. Is autem epiſt. 55. ad Januarium, poſtquam num. 28. de diebus paſchalibus generatim prodidit, *ſtantes oramus*; addidit num. 32. *Ut autem ſtantes in illis diebus, & omnibus dominicis oremus, utrum ubique ſervetur, ignoro*. Cum ex dictis ignorare nequiverit quid in eo ſervaret Romana Eccleſia, in qua aliquot ſaltem dominicis diebus perſtitit; certum efficitur, eum memoratam diſciplinam in hac Eccleſia inveniſſe. Nec minorem vim habet teſtimonium S. Hieronymi in libro adverſus Luciferianos num. 8. *Etiamſi*, inquit, *Scripturæ auctoritas non ſubeſſet; TOTIUS ORBIS in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem IN ECCLESIIS obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare, deinde egreſſos lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ ſignificationem, die dominico & omni pentecoſte nec de geniculis adorare, & jejunium ſolvere, multaque alia ſcripta non ſunt* (in divinis libris) *quæ rationabilis ſibi obſervatio vindicavit*. Hic quoque S. Doctor antequam hæc ſcriberet, Romæ verſatus, ſtudiis fuerat eruditus, & diebus dominicis ſepulcra Apoſtolorum & Martyrum frequentans, ſtandi, vel genuflectendi diſciplinam eadem in urbe ſervatam ignorare non potuit. Si autem deprehendiſſet in hac principe totius orbis Eccleſia genua flecti diebus laudatis, non potuiſſet inter exempla eorum, quæ *in Eccleſiis totius orbis conſenſu* obſervantur, hoc recenſere, quod *die dominico & omni pentecoſte nec de geniculis adoraretur*. Eſto autem hoc generale Hieronymi teſtimonium poſſit non comprehendere aliquam ipſi ignotam Eccleſiam, Romanam certe eidem perſpectam præcipue complectitur. Confer not. 12. in cap. 5. præmiſſæ Diſſertationis, ubi ipſa Queſnelli verba in hanc rem adhibuimus. Quod ſi de hac ejuſdem Eccleſiæ veteri diſciplina nullus peculiaris & expreſſus teſtis ſuppetit; id ea de cauſſa accidit, quia nullus, qui hoc de ritu apud Romanos ſcripſerit, ad nos pervenit. Satis eſt autem nullum teſtari contrarium, ut ea Eccleſia in generalibus teſtimoniis comprehenſa credatur. Neque enim niſi apertiſſimis argumentis perſuaderi poterit, ipſam, quæ tantam erga Nicænos canones obſervantiam profeſſa eſt, hac in re ab omnium aliarum Eccleſiarum conſuetudine, & a Nicæna conſtitutione deſciviſſe, ac e ſuis Nicænæ Synodi exemplaribus canonem de genuflexione expunxiſſe. Confer not. 5. in cap. 5. Diſſertationis Queſnellianæ, in qua aliam obſervationem hoc loco opportunam propoſuimus.

Etiam in Romana Eccleſia.

Objectio Queſnelli refellitur.

IX. Urget Queſnellus defectum canonis de omittenda genuflexione non tam in ſua collectione, quam in abbreviatione Rufini. Cum vero idem canon deſit etiam in alia vetuſtiſſima interpretatione, quam ex MS. Vat. Reginæ 1997. hoc tomo edidimus; manifeſtum fit, hunc defectum non proficiſci ex verſione Romana, ſed ex aliquibus defectuoſis Græcis exemplis, ex quibus tum Rufinus abbreviationem compegit, tum laudata interpretatio derivata fuit: quam quidem auctor collectionis Queſnellianæ in nonnullis ſecutus eſt, ac præſertim in omiſſione hujus canonis, ut in notis ad caput 1. ipſius collectionis animadvertimus. Idem vero defectus præſumi nequit in eo Græco originali, quod ad Romanam Eccleſiam ex ipſa Nicæna Synodo tranſmiſſum fuit, & ex quo verſio ſtatim lucubrata, ab eadem Eccleſia recepta eſt, ac diligenter cuſtodita: ac propterea defectus potius ejuſdem canonis in Queſnelli collectione, hunc non fuiſſe ipſius Ec-

Confer not. 3. in c. 5. præmiſſæ Diſſert.

Eccleſiæ Codicem magis magiſque confirmat.

Defectus præſtantiorum conſtitutionum in Romano Codice publico incredibilis.

X. Quid porro dicendum erit de omiſſis in eadem collectione præſtantioribus conſtitutionibus Romanorum Antiſtitum, quæ vel maxime inſerendæ fuerant, ſi ipſi Pontifices ex Romanis archivis, in quibus omnes accuratiſſime ſervabantur, publicum Codicem edidiſſent? Hac autem in re ne pluribus exemplis lectores diſtineamus, conſiderare libet ſolas apoſtolicas litteras in cauſſa Pelagianorum, quas potiſſimum collectionis auctor exhibuit. Inter conſtitutiones autem hac in cauſſa editas omnium celeberrima profecto eſt Tractoria Zoſimi, qua Pelagiana hæreſis toto orbe truncata eſt. Hanc quidem potiſſimum dediſſent Romani Pontifices, ſi monumenta hujus generis collecta in Codicem publicum retuliſſent. Deeſt autem in laudata collectione, ut aliæ plures inſignes conſtitutiones deſunt, quæ vel ab aliis collectoribus inventæ & inſertæ fuerunt, vel a nonnullis antiquis indicatæ, injuria temporum periere: nec periiſſent profecto, ſi publicus Romanus Codex ejus temporis conditus ad nos perveniſſet. Quot præſtantiſſima Romanæ Eccleſiæ documenta nobis conſervavit Avellana collectio Romæ olim compacta ex apoſtolicis ſcriniis, licet ejus auctor nec publica auctoritate potiretur, nec Codicem uſui publico edendum ſumſiſſet? Quanto plura dediſſet Codex publica auctoritate in uſum publicum promulgatus? Neque ſatisfacit Queſnelli reſponſio ex codice Dionyſii, qui ſtatutis Sedis Apoſtolicæ Siricio antiquioribus, aliiſque etiam poſterioribus non paucis caret. Dionyſius enim non publica, ſed privata auctoritate ſuam collectionem edidit, nec apoſtolica ſcrinia exacte conſulere potuit. Qui autem publica auctoritate, & in publicum uſum Codicem vulgaſſet, is apoſtolicum archivum evolvens, præſtantiores conſtitutiones uſui maxime utiles, quæ tunc ſane non deerant, haudquaquam prætermiſiſſet.

Confuſio Codicis publico Romano libro incongrua.

XI. Omnium autem maxime publicum Romanum Codicem ſæculo V. editum dedecet mira confuſio, quæ in noſtra collectione deprehenditur. Nullus ſcilicet in hac ordo neque rerum, neque ætatis ſervatur: quippe *Conciliorum decreta*, uti ipſe Queſnellus notavit cap. 4. num. 1. *Pontificum decretis miſcentur, nec pro ætatis ſuæ ordine collocantur, ſed poſteriora præponuntur prioribus, topica œcumenicis*. Si quis alios publicos, qui ſuperſunt, Romanæ Eccleſiæ libros, Sacramentarios, Antiphonarios &c. conſideret, æquum in omnibus ordinem inveniet. Cum ſæculo V. quo hic Codex digeſtus & editus creditur, ſapientiſſimi Pontifices, aliique ſtudioſi homines Romæ floruerint; ſi hi publico uſui collectionem canonum & conſtitutionum concinnaſſent, nihil dubii eſt, quin documentis recto ordine diſpoſitis Codicem omnium optimum nobis dediſſent. Mirum igitur eſt, Queſnellum ex ea confuſione, quæ a Romana ejus præſertim temporis Eccleſia maxime abhorret, intuliſſe Codicem eſſe Romanum. *Ipſa confuſio*, ait c. 4. n. 1. *qua offenſus Laurentius quidam Dionyſium Exiguum ad novum cudendum impulit, Romanum clamat Codicem.*

Dionyſius Exiguus Queſnello non favet.

Neque huic ſententiæ quicquam ſuffragatur teſtimonium, quod his verbis reſpicit, Dionyſii in epiſtola ad Stephanum. Dionyſius enim non de publico Romanæ Eccleſiæ Codice loquitur, nec de documentorum in eo confuſione, ſed loquitur de translatione priſca canonum Græcorum, quæ circumferebatur in codicibus præſertim Italicis, cujus confuſione Laurentius Presbyter Romanus offenſus, eumdem Dionyſium ad novam eorumdem canonum interpretationem lucubrandam impulerat. Hæc nimirum ſunt Dionyſii verba: *Quamvis cariſſimus frater Laurentius aſſidua & familiari cohortatione parvitatem noſtram regulas eccleſiaſticas TRANSFERRE pepulerit, CONFUSIONE credo PRISCÆ TRANSLATIONIS offenſus* &c. Hæc *priſca translatio*, uti conjecimus in Tractatu de collectionibus part. 2. c. 2. §. 3. illa eſſe videtur, quam poſt Juſtellum hoc tomo edidimus: quæ etſi fortaſſis fuerit in aliquot Romanis codicibus frequentior, non tamen hi dicuntur fuiſſe Codices canonum publici, ſeu Romanæ Eccleſiæ auctoritate editi, uſuque publico recepti; nec ſi fuiſſent hujuſmodi, idem habendi eſſent ac noſtra collectio, in qua ex verſione priſca præter Chalcedonenſes nulli alii Græcarum Synodorum canones inſerti leguntur. Quod porro eodem loco Queſnellus ad confuſionem Codicis aliqua ratione vindicandam ſubdit: *Sua ratione hæc confuſio nititur, nec ordine vacat ipſa ordinis perturbatio*, ei hypotheſi incumbit, qua hunc Codicem non uno tempore conditum, ſed diverſis ætatibus auctum cap. 2. ſtatuit. Quæ tamen hypotheſis, ut paullo ante animadvertimus, merum eſt inventum, ſeu potius commentum ad plures difficultates declinandas excogitatum, quod nulla ratione fultum nemini probari poterit.

XII. Sed ut ad confuſionem noſtræ collectionis revertamur, hanc, ſi quis diligenter ſingula expendat unoque obtutu omnia complectatur, tantam eſſe deprehendet, ut nedum Romanæ, ſed nulli alii Eccleſiæ publicum Codicem edituræ, at privato tantum homini congruat, qui primis curis ac privato ſtudio ex arbitrio collegit quæ invenit, nunc hæc, nunc illa, nullo ordine, delectu nullo. Hunc quoque non dedecent alii defectus antea notati, quemadmodum defectus ſimiles in aliis privatis collectionibus antiquis paſſim occurrunt. Hinc ſicut nullæ ejuſmodi collectiones ſunt Codices publica auctoritate editi, ita nec noſtra collectio.

Codex nec Romæ, nec in Italia conditus, ſed in Galliis.

XIII. Addemus tandem aliam animadverſionem, qua cum probabiliſſimum fiet hanc collectionem non Romæ, immo nec in Italia, ſed in Galliis fuiſſe digeſtam, tum vero eam Codicem Romanæ Eccleſiæ haberi non poſſe non modicum confirmabitur. Licet plurimum diligentiæ adhibuerimus in exquirendis hujus collectionis MSS. exemplaribus, ne unum tamen invenire licuit vel Romæ, vel in tota Italia, cum plura in Galliis paſſim occurrant. Gallias veteri ſignificatione accipimus, quatenus Narbonenſem, Aquitanicam, Lugdunenſem, & Belgicam comprehendebant. Crabbus unum codicem Gandavenſem primus adhibuit. Alanus Copus, Pamelius, & Henricus Gravius Attrebatenſi uſi ſunt. Thuaneus, Trecopithæanus, Bellovacenſis, Hubertinus S. Vedaſti, & alii ejuſmodi in Gallicanis bibliothecis inveniuntur. Idem cenſendum de duobus codicibus bibliothecæ Cæſareæ Vindebonenſis, in quam aliquot exemplaria MSS. e Belgio allata fuerunt. Tanta manuſcriptorum copia hoc quoque tempore conſervata in ſolis Galliis, nonne Gallicanam hujus collectionis originem adſtruit? Adde quod nonnulla documenta hujus collectionis nuſpiam in Italicis, ſed in ſolis Gallicanis collectionibus reperire licuit. Ita ex. gr. Synodus Telenſis, ſeu verius Zellenſis, in Gallicanis tantum codicibus inventa eſt, uti monuimus not. 2. in cap. 62. noſtræ collectionis. Ancyranos quoque canones ad Occidentalium diſciplinam emendatos præter noſtram collectionem præfefert etiam codex Corbejenſis, qui aliam Gallicanam vetuſtiſſimam collectionem a P. Couſtantio laudatam continet. Italicæ autem antiquiſſimæ collectiones Vat. Reginæ 1997. Lucenſis 88. & Barb. 2888. quæ profecto eaſdem emendationes recepiſſent, ſi in publico Romanæ Eccleſiæ Codice fuiſſent promulgatæ, eoſdem canones ſine ulla correctione exhibent. Vide ergo num Romana haberi queat noſtra collectio, quæ hiſce characteribus Gallicana oſtenditur. Hinc quidem ſolis Gallicanis auctoribus iſthæc collectio uſui fuiſſe deprehenditur. Pſeudo-Iſidorus, quem in Galliis ſuam collectionem digeſſiſſe oſtendimus, ex eadem collectione plura decerpſit. Vide Tractatum de Collectionibus part. 3. Eneas Pariſienſis in libro adverſus Græcos tom. 1. Spicil. Acher. ubi nihil Iſidorianum ſuboleſcit, aliquot teſtimonia ex noſtro codice exſcripſit. Non ſolum enim c. 187. recitat longum fragmentum præfationis Nicæno Concilio præfixæ, verum etiam c. 195. & ſeqq. plura refert ex documentis Acacianis iiſdem lectionibus & eodem ordine, quo in eodem codice deſcribuntur. Neminem extra Gallias ejuſdem codicis vel leve indicium præbuiſſe invenimus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Refelluntur argumenta pro aſſerendo Romano Codice a Queſnello allata capite quarto.

NUnc expendenda ſunt argumenta, quibus Queſnellus ſuam ſententiam ſtatuere nititur; ipſaque eorumdem imbecillitas noſtram ſententiam magis magiſque confirmabit.

De teſtimonio Dionyſii Exigui.

I. Primum argumentum ſumptum ex Dionyſio Exiguo ſatis elidimus capite præcedenti num. 11. neque enim de antecedenti Codice canonum & conſtitutorum Sedis Apoſtolicæ, qui Romæ eſſet publicus uſuque receptus, ſed de Græcorum canonum *priſca translatione* loquitur, quæ a noſtra collectione maxime diſcrepat. Confuſio autem hujus collectionis, quam diffiteri non potuit, ipſum monere debebat, ne hanc Romano publico libro adſcriberet, ut ibidem animadvertimus. Ceterum ſi ex Dionyſio argumentari liceat, duo cum P. Couſtantio adverſus Queſnellum breviter indicabimus. Primo ſi noſter codex publica, ut ille opinatur, auctoritate Romanorum Pontificum editus uſuque fuiſſet receptus; non tam facile Dionyſius Romæ privatis petitionibus indulgens, de eo mutando, ac de alio Codice in ejus locum ſubſtituendo cogitaſſet: nec ſi id ſtudioſorum hominum commodo ſibi ſumpſit, illud commiſiſſet umquam, ut quæ in publico Romano Codice erant recepta, his locum in ſuo non relinqueret. Abſunt tamen ab ejus Codice Synodorum Carthaginienſis & Milevitanæ, nec non quinque Africanorum Epiſcoporum ad Innocentium epiſtolæ, ipſius Innocentii ad eaſdem Synodos, & Epiſcopos Africanos reſponſa, Simplicii, Felicis, & aliorum ſcripta, quæ in noſtra collectione invenies. Dein tametſi Dionyſius ſuum Codicem privata auctoritate concinnavit; ipſius tamen interpretatio mox a pluribus recepta fuit, adeo ut illam teſte Caſſiodorio de divin. lect. c. 23. Romana Eccleſia *uſu celeberrimo* complecteretur. Qui autem fieri potuiſſet, ut tam facile in deſuetudinem abiiſſet publicus regularum Codex apoſtolica auctoritate vulgatus confirmatuſque, & ſua quodammodo antiquitate conſecratus? Nonne id potius indicium eſt manifeſtum, nullum publicum Codicem Romæ vulgatum atque receptum?

Præfatio Queſnellum non juvat.

II. Secundum Queſnelli argumentum, quo contendit Codicis *præfationem declarare ad uſum Eccleſiæ Romanæ ipſum eſſe concinnatum*, plane mirificum eſt. In verbis enim, quæ ex ipſa præfatione recitat, nihil de Romano Codice indicatur. Sola autem mentio Romanæ Eccleſiæ, quæ Nicænam fidem *complectitur & veneratur*, Nicænaſque regulas fidei, ſeu Nicæno Symbolo ſubnexas *ſuſcipiens confirmavit*, & alia ejuſdem generis, nonne etiam a non Romano collectore eoque privato ſcribi potuerunt, ut ne exinde publicus Codex Romanus colligi queat? Quid quod ea verba cum legantur in Gelaſii decreto de ſcriptis apocryphis, nihil aliud innuunt, niſi collectorem in condenda præfatione, Gelaſii verba exſcripſiſſe, ſicut in reliquo ejuſdem præfationis textu longum fragmentum non dubitavit excerpere ex hiſtoria Rufini? Num Romanæ dignitatis fuit publici Codicis præfationem aliorum verbis compingere? Cum vero ea præfatio de Nicæna Synodo tantum loquatur, & ad Nicænam fidem ac regulas referantur verba a Queſnello deſcripta, quemadmodum & apud Gelaſium, unde ſumpta fuerunt, eodem referuntur; ſi a collectore ea præfatio huic codici præmiſſa fuit, cum Nicænos canones in Codicem retulit; ipſi Nicæni canones hujus collectionis primi poſt decretum Gelaſii in codicem relati dicendi eſſent, ut ne prima hujus ætas, quam Queſnellus comminiſcitur, ſolos Nicænos canones cum Sardicenſibus præferens ad Innocentium I. pertineat.

Neque decretum Gelaſii.

III. Tertia probatio ex citato Gelaſii decreto acceſita paucis expungitur. Nulla enim ratione Queſnellus præſumit, quod nondum probavit, Gelaſium ex præfatione codicis integras periodos exſcripſiſſe, & non potius præfationis & collectionis auctorem exſcripſiſſe ex decreto Gelaſii. Hic quidem Pontifex tot celebrium & luculentiſſimarum conſtitutionum auctor non ita erat in ſcribendo difficilis, ut alienis verbis ſententiiſque indigeret, eaque ſolemni tractatui inſerta proprio nomine edere non vereretur. Præfationis autem ignoto ſcriptori ſicut pudori non fuit ex Rufino plura totidem verbis tranſcribere; ita nec ipſum puduit alia quædam excerpere ex Gelaſiano decreto.

Neque canon a Paſchaſino recitatus in Chalcedonenſi.

IV. Quartum argumentum ſumtum ex ſexto Nicæno canone, qui a Paſchaſino Apoſtolicæ Sedis Legato eadem lectione recitatus eſt in Concilio Chalcedonenſi actione XVI. qua deſcribitur in noſtra collectione, pluribus capitibus nutat. Primo enim ſi idem canon eadem lectione inſertus inveniatur in aliis collectionibus Latinis, quæ proculdubio Romanæ Eccleſiæ codices non fuere, non ne tota hæc argumentatio corruet? At hujus generis ſunt collectiones, quæ continentur in MS. Foſſatenſi, in alio Claudii Hardy, in Pithœano, in Vaticano Reginæ 1997. & in aliis codicibus, qui etſi ad Romanam Eccleſiam non pertinuerint, eumdem tamen canonem cum Paſchaſini lectione præferunt. Secundo canonis numerus, qui a Paſchaſino ſextus dicitur, ſumi non potuit ex noſtro codice, in quo decimus cenſetur. Potius ab eo recitatus dicendus eſſet ex MS. Hardyenſi vel Foſſatenſi, in quibus non tam verba, quam numerus cum Paſchaſino conſentit: & ſiquidem hi codices non idcirco Romanæ Eccleſiæ dici queunt, multo minus Romanus credi poteſt noſter codex, qui etſi in ejus canonis verbis cum Paſchaſino concordat, in numero tamen diſcrepat. Conjecturæ, quas affert Queſnellus ut hanc rationem eludat, meræ divinationes ſunt, quæ locum habere nequeunt, niſi antea certe conſtitutum ſit, Paſchaſinum e noſtro codice canonem recitaſſe. Tertio neque certum eſt, Paſchaſinum e Romano exemplo eum canonem legiſſe, nec certum item eſt exemplaria Romana Nicæni Concilii eamdem lectionem ac verſionem exhibuiſſe, quam Paſchaſinus adhibuit, uti obſervavimus in Tractatu de Collectionibus part. 2. c. 2. §. 1. n. 5. Tandem rebus pluribus manifeſtum feciſſe videmur, auctorem noſtri codicis præ oculis habuiſſe eam Nicænorum canonum verſionem, quæ in MS. Vat. Reginæ 1997. continetur; ac ex ea canonem, de quo agimus, totidem verbis & eodem numero deſcripſiſſe. Vide notas in cap. 1. noſtræ collectionis. Porro codex Vat. Reginæ certe Romanus non fuit, nec Romanam Nicæni Concilii interpretationem continet, ut in Tractatu loco allegato oſtenſum eſt. Quis ergo ex canone, qui ex verſione non Romana ſumtus eſt, noſtrum Codicem Romanum fuiſſe colligere poterit?

Neque parentheſis inſerta epiſtolæ Innocentii I.

V. Neque fortior eſt quinta Queſnelli probatio ex parentheſi Innocentii epiſtolæ ad Victricium in Romanæ Sedis gratiam, ut putat, inſerta: *Cujus* (Eccleſiæ Romanæ) *in omnibus cauſſis debet reverentia cuſtodiri*. Cum enim hæc parentheſis abſit a codice Dionyſii, & a Sangermanenſi antiquiſſimo exemplo; *facile*, inquit, *quiſque adducetur, ut credat a Codicis Romani auctoribus, additam, jure ſuo ſe uti autumantibus, cum in epiſtola Romani Pontificis aliquid addebant, quod ad ejus illuſtrationem faceret*. Hujus autem conjecturæ, qua Romanos in liberiorum additionum ſuſpicionem vocat, imbecillitas patet ex duobus: tum quia falſum eſt eam parentheſim inveniri in ſinceris noſtræ collectionis exemplaribus, adeo ut ea in uno recentiori & minus exacto codice Oxonienſi poſteriori manu fuerit inſerta; unde ipſam uti alienam ab hac collectione idem Queſnellus in ſua editione expunxit: tum quia eadem legitur in ſex aliis vetuſtis collectionibus, quæ Romanæ non ſunt. Vide not. 18. in cap. 24. noſtræ collectionis, in quo ipſa epiſtola producitur. Adeo igitur hæc parentheſis inepta eſt ad codicem Romanæ Eccleſiæ aſſerendum, ut aliis etiam in codicibus & collectionibus non Romanis reperiatur. Quod ſi hæc parentheſis in exemplaribus vere Romanis exſtitit, uti invenitur in antiquis collectionibus præſertim Italicis, quas in memorata adnotatione indicavimus; cum ſincera noſtræ collectionis exempla illam ignorent, hæc collectio Romanum codicem non continere ex hoc ipſo defectu pernoſcitur.

Neque omiſſio canonis 28. Chalcedonenſis.

VI. Canon vigeſimus octavus Chalcedonenſis Concilii, quo de Sedis Conſtantinopolitanæ prærogativa ſtatutum fuit, deeſt non minus in noſtra collectione, quam in Dionyſiana, Priſca, Iſidoriana, & aliis, ſicut etiam in Græco ipſorum canonum textu non invenitur. Ad aliam enim actionem pertinet, ex qua quidam poſteriores Græci illum excerpentes, ceteris canonibus diverſa actione editis eumdem addiderunt; ſicut duo alii canones ex aliis ejuſdem Concilii actionibus ab iiſdem Græcis excerpti, canonibus adjecti fuere. Quis ergo hinc noſtram collectionem Romanum codicem inferat, cum id tot aliis collectionibus non Romanis commune ſit?

Neque unio canonum Nicænorum & Sardicenſium.

VII. Etſi Eccleſia Romana Nicænos & Sardicenſes canones ſimul junctos, ac Nicænorum nomine inſcriptos haberet; non tamen ſoli ejus codices hanc conjunctionem & formam præferebant. Vide in hanc rem Tractatum de Collectionibus part. 2. c. 1. ubi alios quamplures aliarum collectionum codices recenſuimus; ac exinde tota ſeptimi argumenti vis pro aſſerendo Romano codice a Queſnello fuſius propoſita plane evaneſcet.

Neque ſitus canonum Synodorum Antiochenæ & Conſtantinopolitanæ.

VIII. Ex Antiochenis & Conſtantinopolitanis canonibus, quos Queſnellus fatetur a Romanæ Eccleſia uſque ad S. Gregorii pontificatum fuiſſe rejectos, mirificum plane argumentum elicuit pro adſtruendo codice ejuſdem Eccleſiæ eo nomine, quia cum illi ad calcem, ut opinatur, codicis jaceant, poſt diuturnum tempus ſuperadditi fuerint: *quod*, inquit, *in ullo alio codice non deprehenditur*. In aliis ſcilicet collectionibus ſuo loco inſerti, non autem in calce ſuperadditi inveniuntur. Verum hoc quoque argumentum ea gratuita hypotheſi innititur, de qua capite antecedenti ſatis dictum eſt, nimirum hunc codicem non totum ſimul compactum, ſed per partes aliquot ſubinde additamenta recepiſſe. Deinde falſum eſt Antiochenos & Conſtantinopolitanos canones in fine codicis eſſe deſcriptos, cum referantur cap. 59. & 61. codex autem procedat uſque ad caput 98. Num omnes etiam S. Leonis epiſtolæ ab quinto poſt Conſtantinopolitanos canones deſcriptæ, quas ad noſtram collectionem ſpectare ex pluribus ac præſtantioribus exemplaribus vidimus, a Romano codice excluſæ, & poſt Gregorium Magnum adjectæ dici queunt? Vera hujus ordinis, ſeu potius hujus confuſionis ratio in auctorem collectionis referenda eſt, qui nunc hæc, nunc illa, prout libuit, vel in manus ejus venerunt, codici inſeruit. Ceterum ſicut iidem canones licet a Romana Eccleſia non recepti, erant in collectione Dionyſii, ac in aliis antiquis, ita potuerunt referri etiam in noſtra, dummodo nec illa Dionyſii, nec aliæ antiquus & publicus Romanæ Eccleſiæ codex judicentur. S. Gregorii teſtimonia, quæ in Tractatu retulimus, probant Conſtantinopolitanos canones fuiſſe in codicibus canonum. Cum autem negat eos a Romana Eccleſia receptos, eoſdem codices non fuiſſe publica auctoritate probatos ſignificat.

Confer tom. 1. in cap. 67. noſtræ collectionis.

Neque emendatio canonis 10. Ancyrani.

IX. Quod porro num. 10. reponit Queſnellus de nonnullis Conciliorum topicorum canonibus ad Romanam, ſeu Occidentalem diſciplinam accommodatis, Ancyranum canonem X. in noſtra autem collectione XI. reſpicit, in quo cum Diaconis, qui in ordinatione proteſtati ſunt ſe non poſſe continere, & nihilominus fuerunt ordinati, ſi poſtea uxores duxerint, concedatur ut maneant in miniſterio; in noſtra collectione emendatum fuit *maneant in Clero tantum, & a miniſterio abjiciantur*. Ne quid vero ex hac emendatione arguatur pro conſtituendo publico Eccleſiæ Romanæ codice, illud potiſſimum evincit, quod idem canon æque emendatus invenitur in celebri collectione Corbejenſi laudata a P. Couſtantio; cum tamen hæc nec Romanæ Eccleſiæ fuerit, nec publicus codex. Sic enim ibidem legitur teſte eodem Couſtantio in præfatione ad tom. I. Epiſt. Rom. Pontif. num 67. *Diaconi quicumque ordinantur, ſi in ipſa* (ordinatione) *proteſtati ſunt dicentes, ſe* (velle) *habere uxores, neque poſſe ſe continere, hi poſtea ſi ad nuptias convenerint, maneant in Clero tantum:* quibus verbis in noſtra collectione additur, majoris utique explicationis gratia, *& abjiciantur a miniſterio*. Idem Queſnellus in notis ad canones Gangrenſes canonem hujus Synodi quartum ingerit, in quo decretum fuit: *Si quis diſcernit Presbyterum conjugatum, tanquam occaſione nuptiarum quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo ſe abſtinet anathema ſit*. Hunc autem canonem in noſtra collectione idcirco omiſſum pronuntiat, quia Romana Eccleſia non recepit, ne forte idem canon de Presbytero non tam conjugato, quam conjugii juribus utente intellectus incautos deciperet. At hac eadem ratione delenda etiam fuerant in Synodica ejuſdem Concilii illa verba, quibus damnantur contendentes, *Presbyteros, qui matrimonia contraxerunt, ſperni debere, nec ſacramenta, quæ ab eis conficiuntur, attingi*. Si autem hæc verba, ad quæ canon quartus refertur, expuncta non fuere; idem canon non memorata de cauſſa, ſed collectoris incuria ac ſaltu omiſſus agnoſcitur. Porro ab Eccleſiæ Romanæ conſuetudine alienum fuit canonum verba mutare, vel omittere: unde in collectione Dionyſiana, quam poſtea Hadrianus Papa I. Carolo Magno dedit, nihil neque in Ancyranis canonibus, neque in Gangrenſibus emendatum, vel omiſſum fuit: quod feciſſet profecto, ſi in veteri Romanæ Eccleſiæ codice unum canonem in Ancyranis correctum, alium in Gangrenſibus expunctum reperiſſet.

Neque Martinus Bracarenſis.

X. Neque minus arbitraria ſunt quæ Queſnellus ſubdit de Martino Bracarenſi, ac ſi in Ancyrano canone ad Occidentalem diſciplinam revocando codicem canonum Romanæ Eccleſiæ ſequutus fuerit. Neque enim ipſe, qui licet Pannonius, in Oriente tamen aliquamdiu verſatus Græcam linguam didicerat, in ſua compilatione adornanda Græcorum canonum latinos, ſed Græcos codices conſuluit. Id ſatis colligitur ex ipſius epiſtola ad Epiſcopum & Concilium Lucenſe. Etenim poſt memoratum Græcum originale eorumdem canonum, abſque ipſius diligenti collatione præſtare non potuiſſet, quod ſubjicit, nimirum ut *ea, quæ per tranſlatores obſcurius dicta ſunt, & ea quæ per ſcriptores ſunt immutata, ſimplicius & emendatius reſtaurarem*. Hinc ejus verba in Græcis, quos exhibuit, canonibus cum nulla verſione conveniunt, neccum Iſidoriana, quæ maxime in Hiſpania vigebat. Solum cum non integram eorumdem canonum interpretationem ſibi propoſuiſſet, ſed ut ſelecta quædam capita, quæ magis expedire credidit, novo ordine brevius ac facilius proferret in uſum Eccleſiarum Hiſpaniæ, Ancyranum canonem earumdem Eccleſiarum diſciplinæ accommodandum putavit. In quo etiamſi fortaſſis aliquod noſtræ collectionis exemplum habuiſſet ante oculos; non tamen exinde ſequeretur hunc fuiſſe codicem Romanæ Eccleſiæ: aliquod enim hujus Gallicanæ, ut vidimus, collectionis exemplar ex Galliis, ubi ejuſmodi codices adhuc abundant, in Hiſpanias transferri, ac in Martini Bracarenſis manus potuit pervenire.

Capitula de gratia Queſnello potius adverſantur.

XI. In Capitulis de gratia & libero arbitrio, quos Queſnellus Leoni noſtro perperam attribuiſſe probavimus tomo II. in Obſervationibus ad Diſſertationem ejus tertiam, non ſolum laudantur tria decreta Synodi Africanæ anni 418. verum etiam auctoritates ex epiſtolis Romanorum Pontificum contra Pelagianos. Hæc porro cum Queſnellus ab auctore eorumdem Capitulorum excerpta putet ex codice canonum Romanæ Eccleſiæ, in quo tum memorata decreta Africana, tum indicatæ Romanorum epiſtolæ continerentur; animadvertens ejuſmodi documenta nec in Juſtelliano, nec in ullo alio codice canonum inveniri, ſicut in noſtro, hunc Romanæ Eccleſiæ codicem fuiſſe exinde demonſtrari arbitratur. Hæc, ni fallimur, vis eſt ejus argumenti, quod a Queſnello non ita clare proponitur num. 11. Cum vero ea documenta ob celebritatem cauſſæ Pelagianæ vulgatiſſima eſſent; nihil cogit, ut teſtimonia, quæ auctor Capitulorum adhibuit, e codice publico, & non potius e vulgatis exemplaribus excerpta credantur. Dein ſi etiam ex canonum codice ſumpta dicenda eſſent, cum in noſtro non legantur duæ epiſtolæ, altera Zoſimi generalis ad totius orbis Epiſcopos, altera Africanorum ad eumdem Pontificem, ex quibus aliquot auctoritates iiſdem Capitulis fuerunt inſertæ; alius potius a noſtro fuiſſet illi codex canonum, ex quo auctor Capitulorum profecit. Præterea dum hic

au-

auctor Carthaginienſis Synodi canones recitat, tertium, quartum, & quintum capitulum vocat, quæ in noſtro codice ſunt canon quartus, quintus, & ſextus. Hæc ergo diverſa numerorum adnotatio codicem a noſtro diverſum eidem auctori uſui fuiſſe confirmat.

XII. Duodecimum argumentum, in quo Queſnelli contradictionem deteximus not. 21. ad caput 4. adeo infirmum eſt, ut confutatione non egeat. Aliæ collectiones Dionyſio antiquiores deſinunt in Gelaſio: nec propterea codices Romanæ Eccleſiæ habentur.

Gelaſii locus explicatur.

XIII. Quod tandem affertur ex tractatu ipſius Gelaſii, ubi ſedium ordo *ſecundum antiqua ſtatuta majorum* eſſe traditur, *primæ* autem *beatiſſimæ Petri Sedi trecentorum decem & octo Patrum invicto & ſingulari judicio vetuſtiſſimus judicatus eſt honor*, pro noſtro codice nihil concludit. Ordo enim præcipuarum ſedium ſatis conſtitutus fuit in Nicæna Synodo, cum earum prærogativæ ex veteri conſuetudine confirmatæ fuerunt can. 6. unde hunc canonem laudavit S. Leo, cum Chalcedonenſem conſtitutionem, qua Conſtantinopolitano Epiſcopo ſecundus locus tribuebatur, idcirco noluit approbare, quia Nicæno decreto adverſabatur. Quid ergo præfatio noſtri codicis a Queſnello obtruditur, ac ſi Gelaſius laudatis verbis reſpexerit eum ordinem ſedium, qui in ipſa præfertur? cum præſertim hæc præfationis particula ex alio Gelaſii documento exſcripta fuerit, uti vidimus num. 3. Quod porro de primæ Sedis honore a Nicænis Patribus conſtitutum dicitur; etſi forte referatur ad eam verſionem, quæ a noſtræ collectionis auctore recepta fuit, ubi eidem Sedi primatus expreſſe aſſeritur; non tamen ſequitur eamdem collectionem adhibitam fuiſſe a Gelaſio, cum eadem verſio in aliis collectionibus & codicibus contineatur. Vide cap. 1. n. 4. Quid ſi eamdem ſententiam potuit Gelaſius colligere ex alia verſione canonum Nicænorum, ex. gr. ex priſca, in qua Romanæ Sedis primatus canone ſexto palam adſtruitur his verbis: *Antiqui moris eſt ut urbis Romæ Epiſcopus habeat principatum*? Illa tandem ejuſdem Tractatus Gelaſiani, in quibus Romanæ Sedi ea *antiqua & vetuſta reverentia* tribuitur, *per quam omnium Sacerdotum dignitas ſemper eſt roborata atque firmata*, Sardicenſem utique canonem videntur reſpicere, in quo ſtatutum fuit ut in Epiſcoporum cauſſis ſecundi judicii decernendi cura Romano Epiſcopo ob S. Petri reverentiam deferretur. At Sardicenſes canones etiam cum Nicænis conjuncti, ac Nicænorum titulo inſcripti non in ſola Queſnelliana collectione, ſed in aliis multis reperiebantur, ut nihil exinde pro ea collectione convinci queat. Cetera, quæ in præmiſſa Diſſertatione aliquam animadverſionem huc pertinentem merentur, in ſubjectis adnotationibus expenſa reperies. Cum ergo nihil probent quæcumque pro aſſerendo Romano Codice Queſnellus congeſſit; e contra vero multum convincant, quæ nos pro eodem abjudicando ſuperiori capite attulimus; ad revincendam, ac extrudendam prorſus ejus ſententiam nihil amplius deſiderabitur.

SUM.

SUMMA CAPITUM DISSERTATIONIS I.

PASCHASII QUESNELLI

CUM BALLERINIANIS ADNOTATIONIBUS ET OBSERVATIONIBUS CRITICIS IN EANDEM.

QUESNELLI *Diſſertatio I. de Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ, omnium, qui hucuſque prodierunt, antiquiſſimo, nunc primum in lucem edito.* 287

CAP. I. *Romanam Eccleſiam ſuum olim Codicem habuiſſe ante Dionyſii Exigui Abbatis collectionem: nec eum hucuſque emerſiſſe e tenebris.* ibid.

CAP. II. *Priſcum illum Codicem eum ipſum eſſe quem jam publici juris facimus. Unde, & a quo acceperimus Codex: quibus conſtet partibus: quo ordine auctus: quibus per varias ætates incrementis auctus credatur.* 288

CAP. III. *De ſinceritate Codicis inquiritur, pluribuſque aſſeritur argumentis.* 293

CAP. IV. *Eum codicem proprium fuiſſe Romanæ Eccleſiæ.* 295

CAP. V. *Objectiones adverſus codicis ſinceritatem expenduntur: ac primum, quæ ex vigeſimi canonis Nicæni omiſſione repeti poteſt.* 299

CAP. VI. *Satisfit aliis argumentis, quibus vel Codicis ſinceritas, vel ejuſdem uſus apud Eccleſiam Romanam peti poteſt.* 302

Additio ad Diſſertationem I. de Codice Eccleſiæ Romanæ: qua Hipponenſis Concilii Breviarium, ejuſque ſinceritas aſſeruntur adverſus Emmanuelem Schelſtratium. 305

EDITORUM *Obſervationes in Diſſertationem I. Queſnelli de Codice Canonum Eccleſiaſticorum, & Conſtitutorum S. Sedis Apoſtolicæ, quam ille perperam Romanæ Eccleſiæ attribuit.* 311

CAP. I. *Probatur Codicem a Queſnello editum non fuiſſe Romanæ Eccleſiæ. Fuit collectio privato ſtudio condita in Galliis.* ibid.

CAP. II. *Refelluntur argumenta pro aſſerendo Romano Codice a Queſnello allata capite quarto.* 315

Digitized by Google

VI.

PASCHASII QUESNELLI

DISSERTATIO II.

DE VARIIS FIDEI LIBELLIS IN ANTIQUO ROMANÆ ECCLESIÆ CODICE CONTENTIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PASCHASII QUESNELLI
DISSERTATIO I.
DE VARIIS FIDEI LIBELLIS IN ANTIQUO ROMANÆ ECCLESIÆ CODICE CONTENTIS.

Ubi ex occaſione de auctore libelli fidei, qui vulgo dicitur Symbolum ſancti Athanaſii, conjectura in medium adducuntur.

MUlta ſunt, quæ antiqui Codicis Romani editionem catholicæ Eccleſiæ utilem commodamque reddant: nec hujus utilitatis pars hæc minima eſt, quod plures habeat libellos fidei vel ante numquam in lucem editos, vel editis longe emendatiores. Sed iſtud gloriæ in primis Eccleſiæ Romanæ cedit, quod in hujus codicem libelli plures olim conjecti, contra Apoſtolicæ Sedis æmulos adverſarioſque perſpicue docent, ad primariam illam Cathedram velut ad totius communionis catholicæ centrum ſemper confluxiſſe catholicos omnes; & ſi quid uſpiam concertationis in Eccleſia naſceretur de aliquibus fidei capitibus, Romanum Pontificem jure merito ab iis rationem ſuæ fidei popoſciſſe, qui in publicam erroris admiſſi ſuſpicionem venerant; ſi modo communionis apoſtolicæ participes eſſe vellent.

I. Symbolum Apoſtolorum.

S. Ambroſ. Ep. ad Siricium PP.

Rufinus Comment. in Symbolum.

Ac primum quidem mirabitur aliquis nullum in eo Romanæ Eccleſiæ Codice locum eſſe datum *Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat:* nec ullam ejuſdem in illo memoriam haberi, niſi in iſtis ſancti Ambroſii verbis, quæ in ejus epiſtola ad Siricium Papam leguntur in capitulo 31. Codicis. Cauſſam puto eam eſſe, quam Rufinus idem Symbolum explicans ſuggerit, ſcribens: *Idcirco non ſcribi chartulis atque membranis, ſed retineri cordibus, tradiderunt: ut certum eſſet neminem hæc ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad infideles ſolet, ſed ex Apoſtolorum traditione didiciſſe.* Eadem ferme Petrus Chryſologus ſerm. 62. Symbolum expendens: *Symbolum fidei*, inquit, *ſola fide firmatur: non litteræ, ſed ſpiritui creditur; & mandatur cordi, non chartæ: quia divinum creditum humana non indiget cautione.*

Ne tamen intactum prætermittamus apoſtolicum iſtud Symbolum, quæ variis de eodem locis ſparſa habentur apud Leonem, huc ſub uno conſpectu collecta conjiciemus.

Obſervo igitur primo loco, ſepties ad minus de eo mentionem factam a ſancto Leone, tomi primi pag. 81. 176. 238. 273. 803. 857. 858. 1137. 1242.

2. Vocari ab eo *Regulam Catholici & Apoſtolici Symboli:* Serm. 23. (nunc 24.) ſeu de Nativit. Dom. 4. cap. 6.

3. Appellatur abſolute *Symbolum* Serm. 45. (nunc 46.) ſeu 8. de Quadrag. cap. 3. *Hoc ſiuam habete in animo, quod dicitis in Symbolo.*

4. Regula fidei dicitur per auctoritatem apoſtolicæ inſtitutionis accepta: Serm. 60. (nunc 62.) ſeu de paſſione 11. cap. 2. *Hac*, inquit, *fidei regula, quam in ipſo exordio Symboli per auctoritatem apoſtolicæ inſtitutionis accepimus.*

5. Expreſſius aſſerit idem Symbolum a ſanctis Apoſtolis eſſe inſtitutum Serm. 93. (nunc 96.) ſeu Tractatu contra Eutychen in Baſilica Anaſtaſiæ, cap. 1. *Dominicæ*, inquit, *Incarnationis negatores, & inſtituto a ſanctis Apoſtolis Symbolo repugnantes.*

6. Brevem & perfectam confeſſionem, duodecim Apoſtolorum totidem ſignatam ſententiis, ita ep. 27. (nunc 31.) ad Pulcheriam cap. 4. *Siquidem*, inquit, *ipſa catholici Symboli brevis & perfecta confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis, tam inſtructa ſit munitione cæleſti, ut omnes hæreticorum opiniones ſolo ipſius poſſint gladio detruncari. Cujus Symboli plenitudinem, ſi Eutyches puro & ſimplici voluiſſet corde concipere &c.*

7. Vocatur Symbolum ſalutare & confeſſio, in epiſtola 97. (nunc. 124.) ad Monachos Palæſtinus, cap. 8. *Obliti*, inquit, *ſalutaris Symboli & confeſſionis, quam pronuntiantes coram multis teſtibus ſacramentum baptiſmi ſuſcepiſtis.*

8. Eutychi exprobrat in ep. 24. (nunc 28.) ad Flavianum, cap. 1. quod ne *ipſius quidem Symboli initia comprehendit: & quod per totum mundum omnium regenerandorum voce depromitur, iſtius adhuc ſenis corde non capitur.* Et cap. 2. *Illam ſaltem communem & indiſcretam confeſſionem ſollicite recepiſſet auditu: qua fidelium univerſitas profitetur, credere ſe in Deum Patrem omnipotentem, & in JESUM CHRISTUM filium ejus unicum, Dominum noſtrum, qui natus eſt de Spiritu ſancto & Maria Virgine. Quibus tribus ſententiis omnium fere hæreticorum machinæ deſtruuntur.*

9. Ex deſcriptis S. Leonis verbis ad Monachos Palæſtinos, ad Flavianum Conſtantinopolitanum, ad Pulcheriam Auguſtam, & ad Ægyptios in Serm. 93. (nunc 96.) manifeſtum eſt in ea fuiſſe Pontificem ſententia, omnes quotquot erant per orbem univerſum Eccleſias eodem, quo utebatur Romana, Symbolo Apoſtolico pariter uſas eſſe in traditione Symboli ante baptiſmum: de quo vide doctiſſimum Voſſium in Diſſert. 1. de tribus Symbolis, Theſi 30. qui contrariam amplexus eſt opinionem: nec enim de his plura dicere animus eſt. Ad libellos igitur fidei, quos habet Codex, tranſimus.

II. Nicænum Symbolum.

Primus eſt, *Expoſitio fidei Nicænæ*, quæ (1) in primo capitulo habetur. Eſt ea eadem omnino ver-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Non ſolum in primo, ſed etiam in ſecundo capitulo exhibetur hæc expoſitio fidei Breviario canonum Hipponenſium inſerta, quam a Queſnello hoc ſecundo capite omiſſam, ex MSS. exemplaribus hujus collectionis reſtituimus. Quæ autem legitur capite primo, non eſt omnino eadem, ac in priſca verſione, ut conferenti patebit. Quæ vero in Breviario profertur, & apud Dionyſium in Synodo Cartha-

verſione, ac ea quæ legitur in priſca illa Juſtelli canonum editione Latina, quam Dionyſianæ attexuit: diverſa eſt autem ab altera, quæ a S. Leone inſerta eſt ſuæ ad Leonem Auguſtum Epiſtolæ 134. (nunc 165.) cap. 3. & huic Leoninæ concinit *Profeſſio fidei Niceni Concilii*, quæ habetur in Codice Canonum Africano Græco-Latino, quem Juſtellus edidit.

III. Conſtant. Symbolum.

Secundum locum habet Conſtantinopolitanum Symbolum quod deſcribitur in capitulo 25. inter Acta Concilii Chalcedonenſis: cui ſubjungitur expoſitio dominicæ incarnationis, ex verſione magnam partem nondum ante edita, quam Chalcedonenſes Patres condiderunt. De illo Conſtantinopolitano Symbolo abunde Joannes Voſſius in Diſſertatione tertia de Symbolis.

IV. Libellus contra Pelagianos.

(1) Libellum fidei non temere appellaveris ſcriptum illud, quod habetur capitulo 18. Codicis, continetque duodecim capitula, quæ damnare compulſus eſt Pelagius, & oppoſitos totidem catholicæ doctrinæ articulos, quos amplecti ſe profeſſus eſt, ut ſuum imminenti anathemati caput ſubtraheret. Antonius Auguſtinus in Epitome juris veteris lib. 55. tit. 40. cap. 27. ut Pelagii dogma deſcriberet, iiſdem capitulis in compendium miſſis utitur, eaque refert tamquam ex Concilio Carthaginienſi aliquo, quod poſt Epiſtolam S. Leonis 72. in veteri editione (Merliniana ſcilicet Iſidori) excuſum fuiſſe teſtatur: an ex conjectura tantum excerptum illud tribuat Carthaginienſi Synodo, an vero ita inſcriptum alibi repererit, non apparet. Sed aliquid iſtiuſmodi jam pridem auguratus ſum, cum ea capitula legere mihi contigit in MSS. Germanico, Victorino, Ciſtercienſi, & in utraque editione Merliniana Conciliorum Iſidori Mercatoris anni 1525. & 1535. una cum epiſtola Aurelii Carthaginienſis Epiſcopi ad Epiſcopos Bizacenæ & Arzugitanæ Provinciarum. Cum enim hæc epiſtola dictis capitulis juncta illic reperiatur, proculdubio ad idem negotium pertinere neceſſe pene eſt exiſtimare. (2) Porro epiſtola illa Aurelii hac occaſione ſcripta eſt. Poſtquam ſententia Zoſimi adverſus Pelagianos Romæ lata fuiſſet, & illinc ad Africanos Epiſcopos tranſmiſſa a Romano Pontifice ope-

A ra Leonis noſtri tunc Acolythi, plurimi etiam epiſcopali honore fulgentes tam decretis Sedis Apoſtolicæ, quam Concilio Carthaginienſi adhuc reluctari, damnatumque dogma ſecretis diſputationibus aſſerere non veriti ſunt. Qua de re monitus Honorius Imperator ſtatim ad Aurelium reſcriptum miſit notatum Monaxii & Plintæ Conſulatu, hoc eſt an. 419. quo quidem omnes Epiſcopi ad ſubſcribendum damnationi Pelagianorum cogerentur, niſi Epiſcopatu dejici, expelli civitatibus, & communione privari vellent. Quo accepto Aurelius ſcripſit Epiſcopis Provinciarum Bizacenæ & Arzugitanæ, miſitque pariter Imperatoris edictum, cujus lectione intelligerent, quemadmodum unuſquiſque eorum ſubſcribere deberet hæreticorum

B damnationi, ſive quorum ſynodalibus geſtis Carthag. Concilii anni præcedentis ſubſcriptio jam tenebatur, ſive qui non potuerant eidem plenario totius Africæ intereſſe Concilio. Unde conjicimus hanc ſubſcribendam formulam propoſitam ab Aurelio fuiſſe, quæ olim oblata fuerat Pelagio in Concilio Dioſpolitano, & duodecim articulis continetur huic epiſtolæ ſubjectis. Quod Auguſtino auctore factum fuiſſe facile credet, qui meminerit hanc ſubſcriptionem quaſi appendicem fuiſſe ac ſupplementum Carthaginienſis *Concilii, cui dux* Aurelius, *ingeniumque* Auguſtinus *erat*, ut de eo loquitur Proſper: totamque illius negotii molem Auguſtino incubuiſſe: qua de cauſſa imperatorium illud edictum, non ad ſolum Aurelium deſtinatum fuit, ſed etiam ad Auguſtinum. Atque ut credam aſſumtam fuiſſe hanc formulam, ſuadet præterea neceſſitas ſubſcribendi, quæ iis etiam Epiſcopis impoſita eſt, qui Concilio poſteriori Carthaginienſi interfuerant. Iterata enim ſubſcriptio otioſa videretur, ſi iiſdem capitulis, quibus jam eorum plerique in Synodo ſubſcripſerant, iterum ſubſcribere cogerentur. Ex his colliges quam ob cauſſam in illis codicibus S. Leonis, quos vidit Antonius Auguſtinus, capitula illa Carthaginienſi Concilio tribuuntur: quia ſcilicet ſubſcribenda propoſita ſunt ad corrigendam pervicaciam eorum præſertim Epiſcoporum, qui illi Synodo reſtiterant: quia miſſa ad eoſdem Epiſcopos, qui Synodum conflarant, &

EDITORUM ADNOTATIONES.

thaginienſi anni 419., eſt antiqua verſio jam inde a Cæciliani tempore ab Africanis recepta; cum qua cur etiam concinat interpretatio ejuſdem ſymboli recepta a Romanis, uti legitur apud Leonem epiſt. 165., vide in Tractatu de Collectionibus part. 2. c. 2. §. 1. n. 3.

(1) Capitula Pelagio objecta in Synodo Dioſpolitana cum totidem oppoſitis doctrinæ catholicæ capitibus, quæ capite 18. noſtri Codicis exhibentur, non eſſe libellum fidei oſtendimus not. 32. in Diſſertationem præcedentem. Pelagius quidem ipſa capitula ſibi objecta in laudata Synodo anathematizare compulſus eſt, ut in epigraphe laudati capitis traditur. At *oppoſitos totidem catholicæ doctrinæ articulos amplecti ſe profeſſus* dici nequit. Eos enim articulos Pelagii capitulis Auguſtinus poſt Dioſpolitanam Synodum ſubjecit, cum ad Paulinum litteras dedit; ac ex Auguſtino tum ea capitula, tum articuli catholicæ doctrinæ excerpti fuere, quales in noſtra collectione inveniuntur. Hinc Antonii Auguſtini conjectura, qua ea capitula ac oppoſitos articulos retuliſſe traditur *tamquam ex Concilio Carthaginienſi aliquo*, evaneſcit. Certe nullum codicem cum inſcriptione Concilii Carthaginienſis invenit. Solam enim editionem Merlinianam allegat, in qua eadem capitula Aurelii epiſtolæ ad Byzacenos & Arzugitanos ſubjecta, poſt epiſtolam 72. S. Leonis excuſa leguntur. Merum diverſorum collectorum arbitrium fuit hæc capitula & Aurelii epiſtolam ſimul jungere, quia ad eamdem Pelagianorum cauſſam pertinebant.

(2) Tota ſubſequens narratio ſomnio ſimillima eſt. Ea enim profert, quæ non ſolum nullo fundamento, nulla a[illegible] ace nituntur; verum etiam validis rarie[illegible] refutantur. Plurimos Africanos Epiſcopos Zo[illegible] definitioni & Concilio Carthaginienſi reluctatos fuiſſe nullum indicium eſt. Immo omnium Epiſcoporum Africanorum zelum atque conſtantiam adverſus Pelagianos ſatis teſtantur frequentiſſimæ Synodi, quæ per idem tempus contra illos acerrime dimicarunt. Honorii autem legem non Afrorum, ſed Italorum quorumdam Epiſcoporum cauſſa potiſſimum editam, in quibus decem & octo Juliano præeunte litteris Zoſimi repugnabant, eamque non ad unum Aurelium, ſed eodem exemplo ad alios præcipuarum ſedium Antiſtites, ac præſertim ad Bonifacium Romanum Pontificem directam oſtendimus in Obſervationibus ad Diſſert. præc. §. X. n. 48. Subſcriptio, quam eadem lex, & Aurelius ex mandato ejuſdem legis exegit, non memoratis capitulis, ſed Tractoriæ Zoſimi, quam refractarii Epiſcopi nolebant ſubſignare, adjicienda erat. Etenim tum Imperator in lege, tum Aurelius in epiſtola ad Byzacenos & Arzugitanos exigunt, ut præter errores ipſi hæretici condemnentur. Horum autem hæreticorum, qui expreſſe damnabantur, in Tractoria, nulla eſt neque in memoratis capitulis, neque in oppoſitis articulis mentio. Quod ſi eos quoque Epiſcopos, qui in plenaria Synodo Tractoriam Zoſimi ſubſcripſerant, cum ceteris ſubſcribere juſſit Aurelius; non idcirco otioſa credenda eſt hæc iterata ſubſcriptio. Aurelius enim Imperatori reſponſurus, ut edicti executionem probaret, pervidit omnium ſubſcriptiones ad eumdem tranſmitti oportere, tum eorum qui in Concilio ſederant, tum eorum qui abfuerant. Leonem porro, qui ante medium annum 418. in Africam a Zoſimo directus fuerat, ut Tractoriam efferret, ibidem immoratum ſuſpicari etiam poſt Zoſimi mortem uſque ad Kalendas Auguſti anni ſequentis, cum Aurelius poſt acceptam Honorii legem ad Epiſcopos Africanos ſcripſit, tam eſt incredibile quam quod maxime.

Digitized by Google

& ejuſdem, ut diximus, portio quædam ac complementum fuere. Inventa ſunt autem tam epiſtola Aurelii, quam articoli eidem ſubjecti inter S. Leonis ſerinia; unde factum eſt ut ejuſdem operibus insererentur: quia eum in Africa, quo anno ſuperiori jam mediam partem elapſo profectus erat damnationem Pelagianorum perlaturus, forte adhuc tunc temporis moraretur, quando ad Aurelium pervenit Imperatoris edictum, & Aurelii ad Epiſcopos Africanos ſcripta directa ſunt, cum capitulis ſubſcribendis, eorumdem exemplar ſecum Romam detulit, de totius negotii illius tam operoſi fine ac ſucceſſu ex ipſorum Auctorum inſpectione certiorem facturus ſummum Pontificem. Quibus capitulis & ipſe, ſummus poſtmodum Pontifex factus, uti potuit ad extinguendos compeſcendoſque Pelagianorum motus per ea tempora reviviſcentes.

Venit enim in mentem propoſitam fuiſſe a ſancto Leone (1) hanc fidei formulam, cui ſubſcriberent Pelagiani communionem Eccleſiæ recepturi, ſive ea occaſione, de qua epiſt. 6. (nunc 1.) ad Aquilejenſem Epiſc. ſive alia, aſſumptamque eo conſilio fuiſſe ab illo partem epiſtolæ 106. S. Auguſtini ad Paullinum. Hæc a S. Leone fuiſſe propoſita, ut ſuſpicer facit, quod illa inter epiſtolas ſancti hujus Pontificis edita habentur in collectione Merliniana Conciliorum ſeu Iſidori Mercatoris Pariſiis an. 1524. & 1535. typis excuſa, & in MSS. codd. epiſtolarum ejuſdem, Victorino, Ciſtercienſi, & noſtro Grimanico, qui poſtremus cum ſatis accurate ſervet ordinem temporis, quo unaquæque epiſtola ſcripta eſt, hoc lemma deſcriptum habet ſtatim poſt epiſtolam ad Dioſcorum vel hoc ipſo anno 444. vel ſequenti ſcriptam, quæque prima eſt in hoc MS. cod. Et licet compendioſior videatur iſte libellus, quam ut callidiſſimorum hæreticorum confeſſioni ſufficeret propter poſteriores Pelagii & Juliani errores recentioribus libris expreſſos; potuit tamen S. Leo exiſtimare magis illum aſſumendum eſſe, quam novum condendum 1. propter S. Auguſtini auctoritatem, a quo excerptus erat. 2. Quia Pelagianorum anteſignano propoſitus olim fuerat a Patribus Dioſpolitanis, quos minime omnium inſenſos habuerat Pelagius: & poſtea Epiſcopis Africanis ab Aurelio juſſu Imperatoris miſſa, ut mox dicemus. 3. Quia Romano Canonum Codici inſertus habebatur inter cetera monumenta, quæ ſibi propria fecerat Sedes Apoſtolica. Eſt enim in capitulo 18. eum eodem titulo, ſequiturque epiſtolam Aurelii Carthaginienſis ad Africanos Epiſcopos Provinciarum Bizacenæ & Arzugitanæ; qua ad certam formulam adverſus Pelagianos ſubſcribendam eos compellat ſuo, Imperatoriſque nomine. 4. Præcipua catholici dogmatis capita libello continentur: quibus ſi ſemel acquieſcerent Pelagiani, aliis capitibus, quæ ex illis fluebant, non ægre erant aſſenſuri. Quod & Auguſtinus ipſe indicat in lib. de Hæreſibus ad Quodvultdeum cap. 88. Pelagianorum hæreſim iiſdem fere capitibus damnatis a Pelagio coram Synodo Dioſpolitana, circumſcribit; hæc ſtatim ſubdens: *Objiciuntur eis*, inquit, *& alia nonnulla; ſed iſta ſunt maxime, ex quibus intelliguntur etiam illa vel cuncta vel fere cuncta pendere*.

Hæc capitula excuſa reperies primum quidem apud S. Auguſtinum epiſt. 106. ad Paullinum: tum a Margarino de la Bigne in utraque editione Conciliorum Iſidori poſt epiſtolam Aurelii, quæ inter Leoninas 72. ibi numeratur. Hæc etiam Gabriel Vaſquez ſub Synodi Palæſtinæ nomine & pro genuinis iſtius Concilii Actis edidit ad calcem tomi 2. in 2. 2. S. Thomæ, ex MS. cod. Antonii Aquinatis. Eadem ſuis Annalibus inſeruit Em. Card. Baronius ad annum 417. num. 21. ex MS. cod. collectionis Creſconianæ. Jacobus Sirmondus S. J. eadem quaſi novum opuſculum ex MSS. codd. edi curavit inter alia veterum auctorum opuſcula anno 1630. Denique in Codice noſtro Romano jacet poſt eamdem Aurelii epiſtolam cap. 18.

V. Libellus fidei contra Arrianos.

Quartum libellum habes in capitulo 37. ita inſcribitur: *Expoſitio fidei catholicæ contra hæreſim Arrianam*. Quis porro hujus Confeſſionis auctor ſit, prorſus ignoro. Suſpicor eſſe alicujus Luciferiani, tum quia hujus communionis homines hæreſim Arrianam pugnaciſſime ſemper inſectati ſunt: tum quod, dum plurali numero effertur libellus: *Nos confitemur* &c. indicare videtur editum illum eſſe ab hominibus aliquo peculiaris communionis nexu conjunctis, nec tamen a catholica fide extorribus: quales erant tunc temporis Luciferiani. Tertio videntur in ea Confeſſione notari illi e catholicis, qui tres hypoſtaſes dicebant: *Tres Deos dicit*, inquit, *qui Divinitatem ſeparat Trinitatis*: quod pariter urget Fauſtinus in ſua (quæ ſequitur) Confeſſione, adverſus trium Hypoſtaſeon aſſertores: *Conſequens eſt enim*, inquit, *ut tres Deos confiteantur, qui tres ſubſtantias confitentur*. Denique ſuſpicionem auget, quod iſtam fidei expoſitionem aliæ duæ excipiant, quarum prima, quæ capitulo 38. habetur, Fauſtino Presbytero inſcribitur, haud dubium quin Luciferiano; altera vero huic proxime ſubjecta creditur a viris eruditis eſſe Gregorii Bætici eodem Luciferi ſchiſmate infecti. Hunc igitur libellum non ægre darem Marcellino Presbytero, qui una cum Fauſtino preces illas obtulit Theodoſio Imperatori, quæ Jacobi Sirmondi opera in lucem ſunt editæ. Ita a tribus viris omnium Luciferianorum celeberrimis, facile eſt fidei ſuæ libellos ſeu ad Imperatorem, ſeu ad Sedem Apoſtolicam eſſe miſſos, quos deinde (2) in ſuum Codicem Romani conjecerint, inde pro naſcitura olim occaſione depromendos. Eumdem hunc libellum fidei contra Arrianos inveni in MSS. codice Thuaneo 199. cum hoc titulo: *Fides ſancti Ambroſii Epiſcopi*.

VI. Fauſtini libellus fidei.

Sequitur igitur quinto loco ſeu capitulo 38. *Fauſtini Presbyteri fides miſſa Theodoſio Imperatori*. Ac primum quidem Fauſtinus alius non occurrit, qui fuerit auctor hujus libelli, præter Fauſtinum illum Luciferianum Presbyterum; qui cum ad Flaccillam Theodoſii Imperatoris uxorem libros ſeptem ſcripſerit adverſus Arrianos & Macedonianos, & libellum precum cum Marcellino Presbytero, Theodoſio ipſi obtulerit, facile potuit ad eumdem Imperatorem libellum mittere fidei ſuæ teſtem.

De tempore, quo miſſus libellus, hoc unum certum eſt, non ante annum 379. cui aſſignantur Imperii Theodoſiani exordia, miſſum eſſe. Circa

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Cum in capitulis Pelagio objectis, ac totidem oppoſitis Eccleſiæ dogmatibus nulli damnentur hæretici; eadem profecto haberi nequeunt pro illa formula ſeu profeſſione fidei, quam S. Leo ſubſcribendam propoſuit Pelagianis in communionem recipiendis, quos *apertis profeſſionibus* Pelagianæ hæreſis *auctores* condemnare juſſit. Quod porro ea capitula legantur in aliquot Leoninis collectionibus, merum fuit collectarum arbitrium, cujus ratio reddi non poteſt. Duo exemplaria, Victorinum & Ciſtercienſe, quæ allegantur, ſpectant ad collectionem poſterioris ævi XXIV., eaque capitula poſt Leonis epiſtolas una cum Aurelii litteris addititia eſſe ex noſtris ejuſdem collectionis manuſcriptis perſpeximus. Apud Merlinum deſcribuntur poſt epiſtolam ad Turribium, quæ in MSS. laudatæ collectionis XXIV. ultima recenſetur. In codice autem Grimanico leguntur poſt epiſtolam ad Dioſcorum. Cauſſam inquirere, quæ Leonem attingat, ſupervacaneum eſt. In aliis certe & pluribus & antiquioribus Leonis collectionibus nuſpiam apparent.

(2) Codicem noſtrum, cui hi libelli fuerunt inſerti, non Romanum, ſed in Galliis privato ſtudio digeſtum probavimus in Obſervationibus ad Diſſert. XII. c. 1. Hic vero libellus invenitur etiam in codd. Italicæ collectionis Colbertinæ & Lucenſis. Hinc ſubſequens conjectura de hoc & ſequentibus libellis ad Sedem Apoſtolicam miſſis nullo fundamento innititur.

quæ tempora Eleutheropoli verſabatur Fauſtinus, ut ipſe innuit pag. 87. Libelli precum: ubi & a Turbone civitatis hujus Epiſcopo exagitatum ſe queritur. Ex quo nata fortaſſe occaſio condendæ confeſſionis fidei, ejuſque mittendæ ad Theodoſium, cujus nomine & auctoritate uſum eſſe adverſus ſchiſmaticos Epiſcopum, pronum eſt exiſtimare. Liquet enim ex libello fidei tunc a Fauſtino ſcriptam eam eſſe & miſſam, cum tamquam errorum Sabellii & Apollinaris ſequaces, Fauſtinus aliique ejuſdem cum ipſo communionis homines, invidiam patiebantur a Catholicis. Non videtur etiam diu poſt annum illum 379. ſcriptus eſſe libellus iſte: tum quia altum de Macedonio ſilentium, ac de Concilio Conſtantinopolitano primo, a quo damnatus eſt an. 381. tum quod alio modo de errore contra Spiritum ſanctum non loquatur, quam quo adverſus illum hæreticum ſcripſerant Alexandrini Concilii Patres in epiſtola jamjam laudanda. Quamobrem intra biennium illud miſſa mihi videtur fidei profeſſio ad Theodoſium, qui ſub Imperii ſui exordiis pulſatus forte adverſus ſchiſmaticos, potuit rationem ab eis fidei ſuæ poſcere, (1) ſuggerente forſan Papa Damaſo: ad quem propterea illam fidei profeſſionem miſerit, ſcriniis Sedis Apoſtolicæ poſtmodum inſerendam: unde in Codicem Romanum tranſlata fuit. Confirmatur ex iſta libelli inſcriptione, quam habet Cod. Thuan. *Item Fauſtini Presbyteri Confeſſio veræ fidei, quam præfatis* (forte *a præfatis*) *ſcribi & traſmitti juſſit Theodoſius Imperator.*

Sic porro concepta eſt Fauſtini fides, ut concinat omnino ſtatutis celeberrimi illius Alexandrini Concilii, quod celebratum eſt a ſanctis Athanaſio, Aſterio, aliiſque ab exilio revocatis poſt Conſtantii Imperatoris obitum, quem ad annum 362. vulgo referunt. In eo Concilii Patres ſtudium omne primamque operam poſuerunt, ut Epiſcopos qui ſe ſe hæretica communione infecerant, Eccleſiæ ſedibuſque reſtituerent, ſi modo delicti pœnitentes Eccleſiæ miſericordiam implorarent. Omnes fere in ſententiam Concilii totis ſtudiis convolarunt: unus Lucifer Calaritanus Epiſcopus neminem illorum, qui cum Arrianis communicaverant, communioni catholicæ ſacerdotalibuſque muniis reddendum acriter contendit, reprobavitque Concilii Alexandrini decreta, quibus tamen per Diaconum ſuum ſubſcripſerat. Inde & ipſe cum ſuis pernicioſum ſchiſma conflavit, communionis nexum diſſolvens cum iis, qui lapſis veniam dabant: & conſequenter controverſia de Hypoſtaſibus, quæ Alexandrinæ Synodi prudentia ſopita erat, infauſte recruduit. Fauſtinus igitur inter Luciferi ſequaces inſignis, cum eam ob cauſſam exagitaretur, Sabelliique & Apollinaris ſectator apud Catholicos paſſim audiret, quia Concilii Alexandrini decreta, quibus illi damnati erant, reſpuebat, hanc, opinor, confeſſionem fidei ſuæ edidit, in qua ſi excipias conceſſam lapſis indulgentiam de qua omnino ſilet, & trium Hypoſtaſum uſum, quem aperte damnat, omnia Concilii Alexandrini capita attingit aſſeritque.

Epiſtola quæ tom. 2. operum ſancti Athanaſii Ed. Pariſ. an. 1627. inſcribitur ad Antiochenſes p. 576.

Ac primo quidem, quia in illa ſynodica ſancti Athanaſii epiſtola, in qua decreta continentur, ſancti Patres probantes conſilium Synodi Sardicenſis ſtatuerunt, *ne quid ultra Nicænum Symbolum de fide ſcriberetur, & ſe ſe contentos eſſe Nicæna fide declaraverant, ut cui nihil deeſſet, & in qua integra & ſolida pietas contineretur: neque edendam eſſe aliam profeſſionem fidei; ne illa, quæ Nicææ ſcripta eſt, ſuos numeros non habere videretur; neve illis, quibus libido eſt ſemper nova ſtatuere, occaſio hujuſmodi ſuppeditaretur, ut iterum atque iterum de fide definiant.* Eam, inquam, ob rationem libellum ſuum ab excuſatione orditur, illiuſque ſcribendi neceſſitatem in adverſariorum malevolentiam rejicit. *Sufficiebat*, inquit, *fides conſcripta apud Nicæam adverſus hæreſim Arrianam: ſed quia pravo ingenio, quidam ſub illius fidei Confeſſione impia verba miſcent, nobis invidiam facientes, quod velut hæreſim Sabellii tueamur; paucis* &c.

2. Decernunt Patres Synodi, ut *anathemate inuratur Sabellii* &c. *ſtoliditas: quod ſi ita fiat*, inquiunt, *omnis apud omnes ſuſpicio mala delebitur.* Fauſtinus pariter Sabellium damnat nominatim, diſtinctionemque profitetur perſonarum ſanctæ Trinitatis. *Ead. pagina.*

3. Synodus petit, ut qui in communionem catholicam recipiendi erant, *execrentur eos qui dicunt Spiritum ſanctum eſſe creaturam & diviſum a ſubſtantia Chriſti.* Et poſt multa: *Spiritum ſanctum non creaturam, neque alienum, ſed proprium & indiſgregatum ab eſſentia Patris & Filii.* Non eodem ſolummodo ſenſu, ſed & iiſdem pene verbis conſubſtantialitatem Spiritus ſancti aſſerit Fauſtinus in ſua confeſſione: *Spiritus ſanctus*, inquit, *non creatura exiſtens, ſed Spiritus Dei, non eſt alienus a ſubſtantia Patris & Filii; ſed eſt ejuſdem & ipſe ſubſtantiæ cum Patre & Filio, ſicut ejuſdem Deitatis.*

4. Actum eſt etiam de fide dominicæ incarnationis in Synodo, aſſertaque veritas carnis in Chriſto, carnis utique animatæ menteque ac ſpiritus præditæ. Similiter & Fauſtinus: *Nam qui nos putant*, inquit, *eſſe Apollinariſtas, ſciant quod non minus Apollinaris hæreſim execramur, quam Arrianam.* Hæc omnia indicant, ni fallor, Fauſtinum objectam oculis habuiſſe epiſtolam ſynodicam, tunc cum ſuam condebat fidem: nec alio, ut videtur, conſilio, quam ut eamdem ſe cum Athanaſio fidem tenere, ac contra Arrianos & Apollinariſtas defendere comprobaret: tametſi & trium hypoſtaſeon profeſſores damnaret, & lapſorum refugeret communionem.

Sextus fidei libellus, [t] quem continet capitulum xxxix. Codicis, nomen auctoris præfixum non habet: & quis ille fuerit incertum omnino. Duodecim primæ ejus lineæ leguntur in tomo 1. Conciliorum Crabbianæ editionis ad calcem Actorum Chalcedonenſium, cum hoc titulo: *Fides Romanorum*: ex mutilo, ut conjicere eſt, codice accepta; ac forte (2) ob eam rationem donatus eſt hoc titulo libellus, quod ex aliquo Codicis noſtri Romani exemplari deſcriptus ſit. Quam ſuſpicionem confirmat unus & alter pannus, qui ex eodem Codice aſſumtus videtur, eodem Crabbianæ illius editionis loco deſcriptus. Huic enim Romanorum fidei præmittitur Narratio de Dioſcoro Alexandrino, quam habet Codex noſter capit. 43. Eamdemque fidem ſequitur Regula illa Formatarum, quæ Codicem Romanum claudit in Thuaneo exemplari MS. unde non omnino temere conjicias ex ſimili deſcriptas eſſe tres illas partes. VII. Anonymi ſeu forte Gregorii Bœtici fidei libellus.

Eſt & apud ſanctum Hieronymum Symbolum quoddam Damaſi dictum, quod magnam partem ex iſto libello concinnatum eſt: concinunt enim utriuſque exordium & finis. Alterutrum genuinum non eſſe, ſibi quiſque facile perſuadebit: nec minus facile eſt decernere Damaſianum illud fictitium eſſe, quod vel ex his verbis: *De Patre Filioque procedentem*, manifeſtum eſt: hæc enim juniorem æta-

Symbolum Damaſi PP. Tom. 9. Operum S. Hieronymi edit. Marti Vall.

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Id Queſnellus conjicit ex hypotheſi, quod Codex noſter ſit collectio Eccleſiæ Romanæ. Confer notationem præcedentem. MS. Vindebonenſe eum titulum præfert, quo libellus ad Imperatorem miſſus ſignificatur.

(2) Cum titulus hujus aſſinis inveniatur in duabus aliis Italicis & privatis collectionibus recenſitis not. 1. in cap. 39. noſtri Codicis, quæ Romanæ Eccleſiæ Codices non ſunt; ex his, aut alia ſimili collectione eumdem titulum in MS. Crabbi deſcriptum fuiſſe multo eſt probabilius, quam ex noſtro Codice certe non Romano, cujus titulus nihil affine habet cum illo MS. Crabbiani *Fides Romanorum.*

ætatem arguant: & præterea, quod malecompactum eſt opuſculum illud, videturque ex variis pannis conſutum. (1) Cur Damaſi fuerit dictum, mihi non eſt perſpectum: hoc conjicio, a Damaſi ætate alienum non eſſe libellum in Codice deſcriptum, in quem plura conjecta ſunt adverſus trium hypoſtaſeōn defenſores, contra Sabellianos & contra Apollinariſtas.

Hieronymo tribuitur Libellus iſte Damaſianus in MS. Codice Thuan. 599. ſub hoc titulo: *Fides dicta a ſancto Hieronymo Presbytero*. In quo Codice hoc differt Libellus MS. ab Edito, quod de Spiritu ſancto habet tantum: *De Patre procedentem*; non vero: *De Patre Filioque:* quod antiquitatis nonnullum indicium eſt. Sed & idem Libellus qualis eſt in noſtro Codice Romano, habetur in eodem Thuan. Cod. 599. poſt illum Hieronymi nomine donatum, & (quæ hunc ſequitur) Gregorii Neocæſarienſis ſeu Thaumaturgi profeſſionem fidei. Eſt autem hic Libello titulus. *Exemplar fidei catholicæ*.

Reperitur etiam inter opera ſancti Athanaſii editionis Græco-Latinæ Pariſienſis an. 1627. tom. 2. opus de Trinitatu inſcriptum, diviſumque in libros duodecim; in cujus undecimi capite legitur libellus iſte noſter. Hoc opus ſub ſancti Athanaſii nomine ante octingentos annos laudarunt Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus, Æneas Pariſienſis, & Hincmarus Remenſis: Athanaſii tamen non eſſe, & jam pridem augurati ſunt viri eruditi, & nuper luculenter demonſtravit Petrus Franciſcus Chifflетius in vindiciis ſuis Vigilianis Opuſc. 2. ubi (2) Vigilio Tapſenſi in Africa Epiſcopo illud aſſerit ex ipſius etiam Vigilii teſtimonio. Confeſſio hæc, quæ libri undecimi exordium eſt inter opera ſancti Athanaſii, librum nonum integrum facit in Chifletiana librorum iſtorum editione. Eamdem appellari *libellum fidei* in codicibus MSS. Cluniacenſi & Pontiniacenſi, teſtis eſt Chifletius in ſuo Opuſculo 2. quibus codicibus ſuffragatur auctor ſæculi noni Ratramnus Corbejenſis Monachus lib. 3. contra Græcos, ubi poſt plura ex iis de Trinitate libris ſub nomine ſancti Athanaſii decerpta, quædam ex noſtro fidei libello refert in hunc modum: *Item in libello fidei ſic ait: Pater verus genuit Filium verum* &c.

Ratramni contra Græc. oppoſita libri 4. Tom. 2. Spicilegii Dacheriani, pag. 99.

An Libellus ille ſit Vigilii Tapſenſis?

Ex dictis quæſtio naſcitur: an ſcilicet illa fidei conteſſio, de qua diſſerimus, auctorem habeat Vigilium Tapſenſem: cum totum opus illud de Trinitate, cujus partem facit, Vigilio aſſeratur. Verum extra dubium eſt Vigilii non eſſe, tum propter alias rationes, quæ ex inferius dicendis elucebunt, tum maxime quia ex illo libello aliqua deſcripſit ſanctus Auguſtinus Vigilii ætate longe ſuperior, loco a nobis jam jam referendo. Illam itaque excerpſiſſe Vigilium e Codice Romano facile mihi perſuadeo: quod probabilius eſt, quod per id tempus, quo ſcribendis de Trinitate libris incumbebat Vigilius, *in Neapoli urbe Campaniæ*, ut ipſemet loquitur, *conſtitutus* erat: ubi Romanum codicem fuiſſe in omnium manibus, nemo admirabitur.

Vigilius Tapſen. in Præfat. libri contra Marivadum.

An ſit S. Gregorii Nazianzeni?

Editus eſt etiam inter Gregorii Nazianzeni opera libellus hic noſter latine tantummodo, eſtque velut Oratio ejus quinquageſima hac epigraphe decorata: *D. Gregorii cognomento Theologi Epiſcopi Nazianzeni de fide Nicæna Rufino Presbytero interprete Tractatus*. Gregorio tamen Nazianzeno, immo & cuilibet ſcriptori Græco opuſculum iſtud
A abjudicant viri eruditi, Latinique eſſe lucubrationem autumant. Ad Gregorium quod attinet, interpretemque laudatum, Jacobus Uſſerius ad calcem Opuſculi de Symbolis, ubi noſtrum hunc libellum excudi curavit, adnotat ſe collectiones MSS. operum ſancti Gregorii Nazianzeni a Rufino converſorum manibus verſaſſe, (3) nec uſpiam apparere iſtud opuſculum: unde concludit non auctorem magis Gregorium, quam Rufinum illius interpretem cenſendum eſſe.

An auctor libelli ſit Gregorius Bœticus?

Quid de hac ego ſentiam, paucis accipe. Eſt inter ejuſdem Gregorii Nazianzeni Orationes Tractatus alter, *De fide* inſcriptus, Rufino item interprete, ut fert titulus, eſtque pro 49. Oratione;
B cui Libellus noſter proxime ſubjicitur vice Orationis L. Prior ille Tractatus editus eſt primum Argentorati anno 1508. deinde Lipſiæ an. 1522. demum ceteris Gregorii Opuſculis accenſitus eſt. Favetque ſanctus Auguſtinus, qui epiſt. 3. nunc 148. ſeu commonitorio ad Fortunatianum Epiſcopum Siccenſem ex eodem Opuſculo refert nonnulla, Gregorioque Orientali Epiſcopo tribuit: *Gregorius etiam ſanctus*, inquit, *Epiſcopus Orientalis apertiſſime dicit, Deum natura inviſibilem, quando Patribus viſus eſt, ſicut Moſi, cum quo facie ad faciem loquebatur, alicujus conſpicabilis materiæ diſpoſitione aſſumta, ſalva ſua inviſibilitate, videri potuiſſe*.
C Gregorii hujus opus eſſe negant Federicus Morellus, aliique poſt ipſum viri eruditi, (4) Latinoque auctori adſcribunt, tum aliis rationibus adducti, tum ea maxime, quod auctor Scripturam allegans utatur verſione illa, quæ Vetus Itala dicitur. Opuſculum Græcis ablatum ſancto Ambroſio nuncupant operum ejus editores, in quorum tomo 4. habetur ſub hoc titulo: *De Filii Divinitate & conſubſtantialitate contra Arrianos*. Sed & Ambroſii non eſſe contendit Chifletius, ſuoque illud Vigilio Tapſenſi vindicat pagin. 55. Vindiciarum Vigilianarum. Vir quidam doctiſſimus inter Theologos Pariſienſes, rejectis ſuperiorum Scriptorum
D conjecturis & aſſertionibus conjicit, ut audio, opus eſſe (5) Gregorii Bœtici Illiberitani Epiſcopi, qui ex invicto Nicænæ fidei defenſore Luciferiani ſchiſmatis ſectator factus eſt. Quibus id conjecturis ſuſpicetur vir eruditus, neſcio: his ego adductus in eamdem ſententiam venio. Primum enim auctorem eſſe (6) Latinum, præter ſuperiorem Morelli conjecturam, & ſtilus evincit, & hæc ſcriptoris verba produnt manifeſtiſſime: *Ratio quædam*, inquit, *quæ apud Græcos nuncupatur λόγος*, &c. Et longe poſt medium hæc alia leguntur: *Et hoc eſt quod Græci homouſion appellant, id eſt, alium ipſum, ut audientia nominum perſonæ fierent, non ut ſubſtantiam vocabula ſepararent*. Viden ut lati-
E ne primum ſcriptus libellus? 2. De Gregorio Bœtico teſtatur Hieronymus eidem æqualis ſcripſiſſe eum, (7) *de fide elegantem libellum*, neque hic noſter libellus illo elogio indignus. 3. Jam olim Gregorii alicujus nomen præfixum fuiſſe opuſculo locus ſancti Auguſtini laudatus arguit: ut mirum ſit vel Ambroſio aſſertum eſſe, cujus ut magiſtri ſui curioſiſſime opera indagarat Auguſtinus, vel Vigilio Tapſenſi adſcriptum eo loci, ubi ipſe Auguſtini locum integrum exſcribebat. At ut Gregorio non tribuit opuſculum Auguſtinus, niſi ex codicum auctoritate, ita facile ei fuit unum Gregorium pro altero laudare, homini, inquam, dogmaticis rebus, quam criticis, intentiori, & qui unum Gregorium Nazianzenum noſſe videtur, quem

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Rationem probabiliorem exhibuimus not. 1. in cap. 39. noſtræ collectionis.

(2) Confer Obſerv. §. III. n. 5. ubi opus de Trinitate a Vigilio Tapſenſi abjudicabitur.

(3) Etſi codices a Voſſio inſpecti, aliique verſionis Rufinianæ ſermonum S. Gregorii Nazianzeni hac lucubratione careant; codex tamen, ex quo prodiit editio Argentoratenſis anni 1508., eamdem lucubratiunculam cum novem illis ſermonibus ipſi S. Doctori inſcriptis & a Rufino latine redditis cum ejuſdem Rufini prologo præferebat: de quo plura videſis in Obſerv. §. I. n. 2.

(4) Vide eaſdem Obſerv. §. I. n. 3.

(5) Hanc ſententiam refellemus in Obſerv. §. I. n. 4.

(6) Confer Obſerv. §. I. n. 3.

(7) Hoc argumentum aliis pluribus auctoribus antiquis, qui fidei libellos, ſeu tractatus de fide ſcripſiſſe traduntur, commune eſt: unde nihil pro Gregorio Bœtico concludit.

quem nimirum effuſis ubique laudibus commendat. Unde ſicut in illa Epiſtola 3. eum eum Illiberitano confundit; ita lib. 1. contra Julianum cap. 5. eumdem Nazianzenum a Nyſſeno non diſcernit, tametſi ſubdubitans. Ita enim poſt relata Gregorii Nazianzeni & Baſilii Magni teſtimonia: *Vide jam*, inquit, *utrum ſufficiant tibi ex Orientis partibus duo iſti tam inſignes viri, & tam clara prædit fauſtitate, & (1) ſicut fertur etiam carne germani*. Hæc potius dicenda de Auguſtino crediderim, quam ſcribarum diligentiam accuſare, qui pro *Eliberitani* ſuppoſuerint *Orientalis*: ſine auctoritate enim ullius codicis tale aliquid proferre in medium, temerarium eſt, & hominis gratuita magis effugia ſectantis, quam rationes. 4. Cum Gregorii Bœtici (2) ætate convenit libelli materies, & controverſia de tribus ſubſtantiis, quæ per illam ætatem agitabatur in Eccleſia. Convenit eum Arrianorum, quibuſcum res erat Gregorio, moribus & conſuetudine, qua catholicos velut Sabellii ſectatores paſſim infamabant. Convenit cum iis quæ de Epiſcopo illo Eliberitano recitantur: conſtat enim maxime ex Marcellini & Fauſtini libello adverſus Gregorium concitatum eſſe Imperatorum animum, quod & de ſe teſtatur libelli auctor his verbis: *Cum idem*, inquit, *ipſe ſit … qui etiam nunc me ambitione & potentia Regum exagites ac turbes omnia* &c. 5. Hoc erat Luciferianorum, e quibus erat Gregorius, proprium, ut trium hypoſtaſeon defenſoribus infenſi eſſent. At talem ſe auctor libelli prodit, cum aſſerit *non tres Deos Patrem & Filium & Spiritum ſanctum*: nam, ut ex Fauſtini libello fidei habemus, *conſequens* putabant Luciferiani, aliique unius hypoſtaſis aſſertores, *ut tres Deos confiteantur, qui tres ſubſtantias confitentur*.

His ex conjectura ſtatutis de priori illo tractatu, qui apud Nazianzenum Orationis 49. locum obtinuit, de poſteriori ſeu de Oratione 50. quæ in Codice noſtro libelli nomine jacet, idem dicendum. Et maximus quidem utriuſque nexus, quem videre mihi videor, haud ſcio an alicujus menti hactenus occurrerit. Priorem enim ſeu xlix. (3) poſterioris explicationem & apologeticum eſſe exiſtimo; & inverſum utriuſque ordinem.

Uterque in ſtili ſimilitudine convenit. Uterque Rufino interprete gloriatur. Uterque Nicæni Symboli fidem explicat, ſed compendioſe unus & paraphraſtice; alter fuſiori & dogmatica ac polemica tractatione. Sed, quod attendi velim, unus alterius explicatio eſt & apologeticus; prior poſterioris.

Enimvero jam a prioris initio profitetur auctor, quod *amore catholicæ fidei ductus jampridem adverſus Arrianos libellum ediderat. Sed*, inquit, *non defuit qui pro ſtudio doctrinæ, vel pro caritatis officio, ea quæ a nobis dicta ſunt ſcrupuloſius retractaret, & quædam ille vel ambigua diceret, quæ aliter poſſint a quibuſdam, quam a me dicta ſunt, accipi. Proinde rurſus ea ipſa planiori ſermone in hoc libello digeſſi, ut & ſimplicitatem ſenſus mei aſtenderem, & ſcrupulum legentibus amputarem.* En libellum ab eodem auctore prius editum, & quidem libellum fidei, ut expreſſis verbis in conſequentibus ſcribit. *Nam & profeſſio*, inquit, *fidei manifeſta eſt* &c. quod & ex integro libello clarum eſt.

Libellum autem hunc, quem defendit, eumdem eſſe ac noſtrum, qui cap. 39. Codicis occurrit, plura evincunt. Primum enim quod auctori (4) objiciebatur, ipſe refert in hunc modum: **A** *Nam hoc eſt quod aiunt poſſe reprehendi; quod ubi Verbum Dei ex perſona Filii* (legendum, ni fallor *pro perſona Filii*) *poſuimus, tale hoc verbum intelligere putemur, quale Grammatici tradunt* &c. Et poſtea: *Mirare me fateor, hoc ita ſentiri potuiſſe, quaſi nos perſonam propriam Verbi, quod eſt Filius, negaremus, quem tot locis verum Filium de vero Patre natum ingeſſimus*. Arguebant igitur 1. quod jejunam admodum & inexplicatam Verbi mentionem feciſſet auctor in ſua fidei profeſſione: unde ſuſpicio naſci poterat non Verbum ab eo increatum & coæternum Patri intelligi, ſed creatum aliquid & quale Grammatici tradunt. Deinde **B** carpebant quod perſonæ voce non uſus eſſet: unde ſuſpicabantur veram ab eo perſonarum diſtinctionem non agnoſci. Hæc duo fidei libello congruunt, ubi ſemel tantum *Verbi* nomen apparet ſine explicatione; perſonæ vero nomen nuſpiam.

Legimus etiam in poſteriori libello, quod ſcriptum a ſe dicit auctor in priori *tot locis verum Filium de vero Patre natum*. *Confitemur*, inquit poſterior, *Patrem verum, qui genuit Filium verum, ut eſt Deus de Deo, lumen de lumine, vita ex vita, perfectum de perfecto, totum a toto, plenum a pleno*: & præterea octies Filium & a Patre natum vel genitum commemorat, ut merito dixerit: *Tot locis verum Filium de vero Patre natum* a ſe in- **C** geſtum eſſe.

4. Ipſa etiam verba repetit: *Totum de toto, integrum de integro, perfectum de perfecto*: quod poſteriori libello ſic exprimit, paucis mutatis, non tamen quoad ſenſum: *Perfectum de perfecto, totum a toto, plenum a pleno*.

5. Teſtatur dictum a ſe Filium *genitum* de Patre, *non factum*. Ita etiam libellus noſter: *Non creatum, ſed genitum; non ex nihilo, ſed ex Patre*.

6. Arguebatur auctor Sabellianiſmi, eo quod unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum dixiſſet: *Sed quia*, inquit, *unius Dei vocabulum diximus, perſonas negaſſe putamur*. Ita revera pro- **D** feſſio fidei: *Non tres Deos Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, ſed unum Deum eſſe confitemur*. Cui accuſationi ita ſatisfacit, ut alia omittam: *Quomodo potui ipſum Patrem, ipſum ſibi Filium ponere, & hoc modo unam perſonam duobus nominibus appellare: quippe cum & hanc ſectam, id eſt, Sabellianam, in eodem libello damnaverim?* Verum eſt, libellus enim hæc habet: *Non ſic unum Deum quaſi ſolitarium, nec eumdem qui ipſe ſibi Pater ſit, ipſe & Filius; ſed Patrem verum, qui genuit Filium verum*.

7. Hæc etiam de libello fidei refert auctor: *Proinde totum Patri adſcribimus, quod eſt Filii,* **E** *& totum Filio, quod Patris eſt* &c. Quis non videat locum libelli deſignari? ubi ſic legimus: *Veneramur tamen unum Deum, quia ex uno Patre totum quod Patris eſt, natus eſt Filius Deus, & in Patre totum quod ineſt, totum genuit Filium*.

Sit igitur certum fixumque unius auctoris eſſe geminum hunc de fide Nicænæ Tractatum, nulluſque ſeparet, quod non materiæ ſolum affinitate conjunctum eſt, ſed & ſcriptoris ipſius conſilio, & ſcripti natura. Quæ quidem poſtulat, ut quod poſteriori loco poſitum eſt hactenus ſuperiorem deinceps obtineat: cum & prius ſcriptum ſit, & alterius ſit ſcripti materies, & demum prius legi debeat, ut alter melius intelligatur.

VIII. Auguſtini libellus.

Poſt Anonymum fidei libellum, quem modo di-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Facile fuit Auguſtino ea vulgari errore, (*ut fertur*, inquit) Gregorium Nazianzenum cum alio ejuſdem nominis Epiſcopo Nyſſeno Baſilii fratre confundere; non tamen Gregorium Bœticum Illiberitanæ Occidentalis Eccleſiæ Epiſcopum, quem non agnovit, pro Gregorio Orientali abſolute traducere: ſed Orientalem Gregorium appellavit ex Rufiniana verſione, & ex codice, qui Nazianzeni Epiſcopi nomen præferebant.

(2) Non magis cum Gregorii Bœtici, quam cum Nazianzeni ætate illa, & ſequentia conveniunt.

(3) Orationem 50. poſteriorem oratione quadrageſima nona oſtendemus in Obſerv. §. I. num. 5.

(4) Vide quæ in hanc objectionem animadvertemus eodem n. 5. in fine.

diſcuſſimus, ſequitur in Codice cap. 40. *Libellus Auguſtini de Fide Catholica contra omnes hæreſes:* ita enim inſcribitur tam in codicibus Thuaneo & Oxonienſi, quam in tertio, quem mecum communicavit vir antiquitatis litterariæ cultor eximius Dom. Vion. d'Herouval. (1) In quo quidem codice cum ſimul occurrant antiquæ verſiones epiſtolæ ſancti Athanaſii ad Epictetum, & alterius ſancti Cyrilli ad Joannem Antiochenum, quales habentur in noſtro Romanæ Eccleſiæ Codice, ſuſpicor ex eodem fonte manaſſe profeſſionem iſtam. Magna pars enim codicis MS. Herovalliani eſt collectio Iſidori, cui notum fuiſſe Codicem noſtrum Romanum ideo ſuſpicor, quia ex eo hauſiſſe videtur antiquam, qua utitur, Canonum Orientalium verſionem.

Eadem fidei confeſſio laudatur a Magiſtro Sententiarum lib. 3. diſtinct. 21. ſub finem: *Secundum quam rationem*, inquit, *dicit Auguſtinus: Si quis dixerit, atque crediderit Filium Dei Deum paſſum; anathema ſit*. Locus Auguſtini ad marginem notatus recentiori, ut puto, manu eſt: *Sermo de Fide qui eſt 3. in Feria 5. in Cœna Domini*. Revera tomo 10. Operum ejus, extat Sermo 129. de Tempore, *De fide recta* inſcriptus, quem in Appendicem non rejecerunt Doctores Lovanienſes, ac proinde Auguſtinianam fetum eſſe cenſuerunt. Verum hæc Confeſſio apud ſanctum Auguſtinum longe prolixior eſt & pluribus locis interpolata. In tribus codicibus MSS. duodecim tantum habet anathematiſmos. Inter ſancti Auguſtini opera auctior aliis quatuordecim anathematiſmis legitur. Sed & inſigne inter utramque diſcrimen obſervo (levioribus prætermiſſis) ſcilicet in Codicibus MSS. ſuperius laudatis de Spiritu ſancto dicitur ſolummodo, quod *a Patre procedat*; & iterum: *a Patre procedens*: at vero apud Auguſtinum uterque locus habet, *a patre Filioque procedat*: & *a Patre Filioque procedens*: quod proculdubio recentioris ætatis indicium eſt, quam Auguſtinianæ.

Libellum hunc eumdem inſertum legimus Actis Concilii I. Toletani circa annum 400. celebrati; ſed eidem (2) novem anathematiſmi, quos noſter non habet, adjecti ſunt; detracti vero ſextus, ſeptimus & octavus, qui jacent in Codice.

In tanta exemplarium iſtius libelli diverſitate, quid certi ſtatuendum ſeu de illius ſinceritate, ſeu de auctore, facile non eſt decernere. Quid ego ſentiam, paucis aperio.

Libellus, qualis eſt in Codice, videtur Auguſtini eſſe.

Ac primam quidem (3) exiſtimo Confeſſionem hanc fidei talem ab auctore conditam eſſe, qualem eam exhibent tres MSS. codices laudati, atque adeo antiquus Romanæ Eccleſiæ Codex: quæ enim & inter S. Auguſtini ſermones & inter Acta Synodi Toletanæ I. habentur auctiores, vel ex ſolis additionibus & ex mentione proceſſionis Spiritus ſancti *ex Patre Filioque*, recentiorem primo illius auctore manum prodant.

2. Manifeſtum eſt ex libelli ipſius inſpectione, concinnatum eum fuiſſe contra ſolam Priſcillianiſtarum ſectam; tametſi *contra omnes hæreſes* ſcriptum eſſe ſcribat tituli auctor in tribus MSS. codicibus. Plures quidem illic errores proſcribantur, qui auctores habuerunt partim Sabellium, partim Origenem, partim Manichæum, & alios; nullos tamen, quos non profiterentur Priſcillianiſtæ; vix ullos, quos iiſdem non affigant ſanctus Auguſtinus, ſanctus Leo I. & alii. Quæ enim contra Sabellium prima pars libelli & quatuor primi anathematiſmi continent, hæc ſibi propria feciſſe Priſcillianiſtas teſtis eſt ſanctus Auguſtinus lib. de Hereſibus c. 70. & lib. contra Priſcillianiſtas ad Oroſium, necnon & Leo noſter epiſt. 15. ad Turibium cap. 1. In eodem etiam lib. contra Priſcillianiſtas aſſerit Auguſtinus iſtos hæreticos plura a Manichæis & ab Origeniſtis eſſe mutuatos. Unde qui Origenis errores in libello anathematizantur, ipſos in Priſcillianiſtis eo loco damnari evidens puto. Eorumdem hæreticorum ſocietatem affinitatemque cum Patripaſſianis Sabellii diſcipulis, cum Arrianis, cum Marcione, Cerdone, Paulo Samoſateno, Photino &c. obſervat Leo noſter in eadem ad Turibium epiſtola: eorumque de Incarnatione Domini dogma his verbis exponit: *Qui*, inquit, *ſacrilego ſenſu ita ſe Chriſtum ſimulant confiteri, ut incarnationis, & mortis, & reſurrectionis auferant veritatem*. Quamobrem ad alios, quam ad Priſcillianiſtas, neceſſe non eſt referre, quæ de Incarnatione in eodem libello habentur.

3. Etſi potuerit libellus iſte alium Auguſtinum ab Hipponenſi pro auctore habere, velut illum Auguſtinum Aquilejenſem Epiſcopum, qui Hipponenſi æqualis erat, & ſedit poſt Chromatium, ut habet Henricus Palladius de rebus Aquilejenſium ſcribens; nihil tamen vetat quin ab Hipponenſi Antiſtite Auguſtino conſcriptus fuerit: hujus enim ætate conditus videtur; (4) nec ſtilus diſcrepat ab Auguſtiniano, nihilque continet, quod non facile in ejus ſcriptis reperiatur; præſertim vero in libro de hæreſibus, & in altero contra Priſcillianiſtas ad Oroſium.

4. Conſtat ex ipſo Auguſtino tam in hoc ultimo Tractatu, quam in lib. 2. Retractationum c. 4. conſultationem ad eum miſſam ex Hiſpania ab Oroſio de errore Priſcillianiſtarum & Origeniſtarum; quæ conſultatio extat Auguſtiniano reſponſo præfixa, tom. 6. ejus Operum. Non ægre igitur putaverim ſimul cum hoc opuſculo miſſum eſſe ab Auguſtino libellum fidei, quem hæreticis catholicam fidem profiteri, & Priſcillianam dogma ejurare cupientibus Epiſcopi Hiſpani, ſi hanc approbarent, poſſent ſubſcribendam proponere. Nec unus Oroſius ex Hiſpaniis de hujuſmodi erroribus conſuluit Auguſtinum: ſiquidem ex initio conſultationis illius docemur Eutropium & Paullum Epiſcopos Hiſpanos commonitorium ad Auguſtinum tranſmiſiſſe adverſus invaleſcentes in Hiſpaniarum regionibus errores. Hac igitur occaſione potuit libellus iſte & poſtulari ab Hiſpaniæ Epiſcopis & ſcribi ab Auguſtino.

5. Pro-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Codex Herouvallianus, quem eumdem eſſe ac Remenſem Antonii Favre Queſnellus in catalogo codicum prodidit, pertinet ad collectionem Additionum Iſidori. Hanc autem, ſicut & ipſam collectionem Iſidori, in Galliis conditam probavimus in Tractatu part. 3. c. 7. & 8. Utriuſque autem auctores ex collectione hoc tomo edita, quæ item eſt Gallicana, nonnulla ſumſerunt; non vero ex Romano Codice, cui perperam Queſnellus editam collectionem adſcripſit. Iſidorum autem ex hac collectione hauſiſſe antiquam Canonum Orientalium verſionem, falſum eſt. Ille enim Hiſpanicam collectionem quoad canones Conciliorum in ſuam tranſtulit. Enimvero nec Nicæni & Sardicenſes, nec Chalcedonenſes ita apud Iſidorum leguntur, ut in noſtro canonum Codice. Quod ſi in aliis Græcis Synodis Iſidoriana & noſtra collectio plerumque conveniunt id ex eo ortum eſt, quia in iiſdem uterque antiquam verſionem recepit, Iſidorus ex Hiſpanica, auctor vero noſtræ collectionis ex alio fonte veraſtiori.

(2) In Regula fidei Toletanæ I. Synodi ſubjecti ſex ſoli anathematiſmi adjecti: quintus vero, ſextus, ſeptimus, & duodecimus non detracti, ſed clarius expreſſi ſunt, ut ex Obſerv. §. II. parebit.

(3) Noſtram ſententiam in iiſdem Obſervationibus §. II. explicabimus.

(4) Immo ſtilum palam diſcrepare Benedictini editores, qui in expendendis ac vulgandis Auguſtini operibus maximam ſtili ejus peritiam conſequuti ſunt, haud dubie teſtantur. Ipſorum teſtum in Obſervationibus recitabimus §. II. n. 2. ibique alterius Benedictini maximæ auctoritatis conſentiens judicium adjiciemus.

5. Probabile admodum eſt libellos fidei, quos hac Diſſertatione diſcutimus, (1) in Codicem Romanum conjectos eſſe a ſancto Leone noſtro, ut in Diſſertatione XII. diximus: eoſque e ſcriniis Apoſtolicæ Sedis extractos eſſe, ubi ante ſervabantur. Quis porro putet hanc fidei Confeſſionem temere Auguſtino inſcriptam eſſe, atque ut talem aſſervatam in ſcrinio Romano, & inſertam Codici, niſi ex indubitato id certum habuiſſent indicio Romani? An vero facile Auguſtini res potuit ignorare ſanctus Leo, Auguſtini, inquam, cui æqualis erat, & cujus ſcripta de fide ſummo ſemper in pretio habita ſunt apud Sedem Apoſtolicam? Sed qua occaſione Libellus Romam delatus? Hoc licet ignorare. Dicam tamen vel illum ex Africa aſportatum, a Leone, cum illuc adhuc Acolythus Zoſimi decretum adverſus Pelagianos detulit: vel Legatos ab Epiſcopis Hiſpanis ad Auguſtinum miſſos, juſſos eſſe eadem via Sedem Apoſtolicam adire ex Africa redeuntes, quo Sedis hujus auctoritatem opemque implorarent, ut S. Leone Pontifice factum eſt, adverſus Priſcillianos per Eccleſias Hiſpaniarum graſſantes: eoſtemque libellum ab Auguſtino acceptum com Eccleſiæ Romanæ Pontifice vel proceribus communicaſſe.

De libello, ut eſt in Actis Concilii Toletani auctior.

Jam quod ad Concilium Toletanum I. ſpectat, cui annexum legimus libellum hunc, jampridem monuit doctiſſimus Cardinalis Baronius ad an. 447. num. 16. ad illud Concilium an. 400. celebratum non pertinere (2) Regulam Fidei ejus Actis inſertam; ſed potius ad poſterius, quod Leonis noſtri tempore & admonitione coactum eſt anno 447. vel ſequenti, ſive Toleti, ſive in alia Hiſpaniarum civitate. Conjecturam eruditi Cardinalis confirmat epigraphe ſeu annotatio Libello fidei poſt Synodi illius Canones præfixa, quam non ex antiquiori mendoſaque editione Concilii, ſed ex emendatiori Garſiæ Loayſæ deſcribo. Poſt Canones Toletanæ I. Synodi hæc legimus: *Explicit Conſtitutio Toletani Concilii*. Vides hic expreſſe illius Concilii Acta a ſequentibus diſcerni: ſequitur enim continuo.

Incipit Regula fidei catholicæ contra omnes hæreſes, & quammaxime contra Priſcillianos, quam Epiſcopi Tarraconenſes, Carthaginienſes, Luſitani, & Bætici fecerant, & cum præcepto Papæ urbis Romæ Leonis ad Balconium Epiſcopum Galliciæ tranſmiſerunt. Ipſi etiam & ſuprascripta viginti Canonum capitula ſtatuerunt in Concilio Toletano.

Primam partem hujus annotationis qui conferet cum epiſtola ſancti Leonis ad Toribium, facile animadvertet (quod vel ſola Leonis mentio indicat) hanc Fidei Regulam non ad illud antiquius Concilium pertinere, ſed ad aliud quadraginta & amplius annis poſterius. Suffragator Concilium Bracarenſe, ſeu I. ſeu II. ſub Joanne PP. III. habitum A. C. 563. ubi Lucretius Epiſcopus in hæc verba Synodum alloquitur: *Credo autem veſtræ beatitudinis fraternitatem noſſe, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandiſſima Priſcillianæ ſectæ venena ſerpebant, beatiſſimus Papa urbis Romæ Leo... ad Synodum Galliciæ ſcripta ſua direxit. Cujus etiam præcepto Tarraconenſes & Carthaginienſes Epiſcopi, Luſitani quoque, & Bætici facto inter ſe Concilio Regulam fidei contra Priſcillianam hæreſim cum aliquibus capitulis conſcribentes, ad Balconium tunc hujus Bracarenſis Eccleſiæ Præſulem direxerunt.* Verba hæc commentario non egent; ſed clare docent illam fidei Regulam, quæ Toletanæ Synodo I. annexa eſt, non in ea conditam, ſed in alia tempore Leonis celebrata, relectamque poſt centum annos in Bracarenſi, atque illi poſteriori Synodo vindicatam.

Hanc autem fidei confeſſionem Hiſpani Epiſcopi vel a Leone tunc acceperunt e Codice Romano decerptam, & cum aliqua epiſtolarum, quas tunc temporis ad eos ſcripſit Pontifex, tranſmiſſam: vel eam e propriis ſcriniis eduxerunt, quibus olim concredita fuerat, cum ab Auguſtino accepta eſt, ut ſuperius conjecimus. Sic tamen eam confeſſionem uſurparunt Synodi Patres, ut præſenti Eccleſiarum ſuarum neceſſitati accommodarint, (3) demtis tribus anathematiſmis, ſcilicet 5. 6. & 7. ex Auguſtiniano libello, tribuſque aliis in eorum locum ſubſtitutis: ob eam proculdubio cauſſam, quod graſſantibus tunc per Hiſpanias erroribus iſti magis, illi minus congruebant: ſed & alios ſex poſt Auguſtinianos adjecerunt, quibus proſcribuntur errores Priſcillianorum a S. Leone notati in ſua ad Turibium adverſus eoſdem hæreticos epiſtola: ita ut facile in mentem cujuſque venerit, ab ipſo Leone in hunc modum auctos concinnatoſque anathematiſmos fuiſſe & in Hiſpaniam miſſos.

Poſteriorem hanc partem annotationis, fidei libello præfixæ poſt Canones Toletani I. Concilii: (4) *Ipſi etiam & ſupra ſcripta Canonum capitula ſtatuerunt in Concilio Toletano*: putat Card. Baronius ad Epiſcopos Concilii I. Toletani referendam eſſe, maleque huc tranſlatam ab imperito ſcriba. Sed quid vetat ea intelligi de Epiſcopis Leonis tempore congregatis, qui ſtatuta olim a Synodo priori decreta, de novo ſtatuerint, ad id corruptela in mores & diſciplinam illius temporis invecta adducti? Certe nec MSS. Codicum conſenſus ea ſubreptitia credi ſinit, neque iſta verba: *Ipſi etiam & ſupradicta* &c. ad alios referri Epiſcopos, quam qui in eadem epigraphe nominantur, & Leonis tempore convenerant. Quæ ſi vera ſunt, jam de loco hujus Synodi dubium non reſtat: cum aperte Toletum congregatos eſſe poſtrema verba teſteutor. De qua Synodo plura alibi in Notis ad laudatam Leonis epiſtolam 15. ad Turibium.

Libellus apud Auguſtinum interpolatus, & Damaſi anathematiſmis auctior.

Supereſt ut de libello, quomodo jacet inter Sermones S. Auguſtini, aliquid dicamus. Ejus interpolationem ſuperius notavi: hoc nunc obſervo, viginti ſex anathematiſmos in eo legi, quorum duodecim priores iidem ſunt, qui & in noſtro Codice jacent, quoſque vere Auguſtinianos puto; alios quatuordecim nec in Codice Romano haberi, nec in Concilio Toletano. Deſcripti ſunt vero, & huic libello aſſuti ex Confeſſione fidei catholicæ, quam Damaſus Papa miſit ad Paullinum Antiochenum Epiſcopum, quamque habes in Codice noſtro Romano pag. 214. An alicujus Synodi auctoritate ita in unum compacti ſint duo libelli, an proprio ſtudioſi alicujus ingenio; prorſus ignoro: illud non omnino improbabile. Ceterum hoc moneo, iſtos Damaſi PP. anathematiſmos nonnullis interpolationibus laborare apud Auguſtinum, inter quas unicam obſervo: ubi videlicet in noſtro Codice & apud Theodoritum hæc legimus de Perſonis divinis: *Omnia ſalvantes*: habetor in illo Auguſtiniano ſermone: *Omnia quæ ſalvanda ſunt, ſalvantes*.

Sed quomodo, quæret aliquis, Libellus iſte inter eos S. Auguſtini ſermones, qui feriæ v. in Cœna Domini aſſignantur, locum habuit: cum in eo ne apex quidem appareat, qui hujus diei ſolemnitati conveniat, vel accommodari poſſit? Nec hoc minus obſcurum, quam cetera. Dicam quod venit in mentem. Poſt prolatum anathematiſmum ſeu capitulum 16. Concilii Bracarenſis ſecundi an. 563.

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Hanc Romani Codicis hypotheſim jam rejecimus in Obſerv. ad Diſſert. XII. Queſnelli, & ex ibidem diſputatis tota hæc conjectatio corruet.

(2) De hac Regula plura diſſeruimus tom 2. not. 5. in Obſervationes Queſnelli ad epiſt. 15. S. Leonis. Confer etiam Obſervationes huic Diſſertationi ſubjiciendas §. II.

(3) Non demti, ſed aliis verbis expreſſi clarius fuere anathematiſmi 5. 6. 7. & 12. ut not. 20. animadvertimus.

(4) Vide quæ de his verbis diximus tom. 2. n. 5. in Obſervationes Queſnelli ad epiſt. 15. S. Leonis, & quæ adjicientur in ſequentibus Obſerv. §. II. n. 3.

563. *Si quis*, inquit, *quinta feria paſchali, quæ vocatur Cœna Domini, hora legitima poſt nonam jejunus in Eccleſia Miſſas non tenet; ſed ſecundum ſectam Priſcilliani feſtivitatem ipſius diei ab hora tertia per Miſſas defunctorum ſoluto jejunio colit, anathema ſit*. Ex hoc capitulo intelligimus feriam quintam in Cœna Domini a Priſcillianiſtis per ſacrilegas ſuas ceremonias eſſe pollutam. Quod ſi dicamus, eam ob cauſſam & propter myſteriorum ſolemnitatem Epiſcopos Hiſpanos eamdem feriam delegiſſe, in qua profeſſio fidei adverſus Priſcillianos publice in fidelium cœtu legeretur: vel eam ipſam diem, in qua (ut adhuc hodie obſervatur) ſolebant pœnitentes publici Eccleſiæ reconciliari, eorum etiam reconciliationi deſtinatam eſſe, qui Priſcillianorum hæreſim ejurare & catholicam fidem profiteri volebant, quibus ea fidei profeſſio præſcripta fuerit publice edenda: quæ cum in Ritualibus Hiſpanicarum Eccleſiarum libris inventa fuerit inter ſolemnes feriæ v. in Cœna Domini ritus ac preces; & eodem loco, vel alibi, ut vidimus, nomen Auguſtini præferret: inde fortaſſe occaſio nata eſt locum huic Libello dandi inter Sermones hujus ſancti Doctoris illi feriæ v. aſſignatos. Hanc conjecturam in medium adduco, quoniam quid melius dicam modo, animo non occurrit. Plura & doctiſſimo viro digna expectamus de hoc Libello a R. P. Domno Franciſco Delfau, Aſceta Benedictino, in ea, quam cum ſuis San-Germanenſis Cœnobii collegis adornat, operum S. Auguſtini editione.

IX. Formula libelli fidei.

Poſt epiſtolam S. Athanaſii ad Epictetum & alteram S. Cyrilli Alexandrini ad Joannem Antiochenum, quæ cap. 52. & 53. habentur, ſub eodem hoc capitulo 53. ad calcem legitur: *Formula Libelli fidei*: (1) quam a Romana Sede miſſam puto ad Orientales, præſertimque ad Conſtantinopolitanos. Iſtud ex his libelli verbis conjicio: *Epiſtola ad ſanctæ memoriæ Flavium Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopum noſtrum*. Illud probat mentio confirmationis definitioni Chalcedonenſi datæ a S. Leone, & ejuſdem ad Flavianum epiſtolæ. Tota hæc formula confecta eſt ex parte definitionis Chalcedonenſis, quæ ab aliis pro altera definitione habetur, ab aliis pro poſteriori ejuſdem & unicæ parte, ab aliis denique Tractatus Concilii Chalcedonenſis dicitur, cujus prima hæc ſunt verba: *Suffecerat quidem* &c. Ex verſione illa ſumta videtur, quæ Ruſtico Diacono tribui ſolet; etſi in nonnullis aliquantiſper diſcrepet. Cur vero illigata ſit hæc formula epiſtolis S. Cyrilli ad Joannem Antiochenum & ſancti Athanaſii ad Epictetum; inde ſuſpicor natam, quod ſimul illæ ſubſcribendæ revertentibus ad catholicam Eutychianis vel Neſtorianis propoſitæ ſint ſeu Conſtantinopoli ſeu Alexandriæ. Nec hoc ſine exemplo: ſiquidem renitentibus aliquando Orientalibus, ne S. Leonis epiſtolæ ſubſcriberent, (2) optio ab ipſo Leone data eſt, ut vel ſuæ vel Cyrilli epiſtolæ conſenſum adhiberent. Epiſtola 54. nunc 70. ad Pulcheriam de Anatolio hæc habet: *Simplex eſt*, inquit, *abſolutumque quod poſco: ut remoto longarum diſputationum labore ſanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini Epiſcopi epiſtolæ, quam ipſe ad Neſtorium miſerat, acquieſcat; vel epiſtolæ meæ, quæ ad ſanctæ recordationis Flavianum Epiſcopum eſt directa, conſentiat*. Et epiſt. 88. (*nunc* 117.) ad Julianam, ubi de rebelli Monachorum Palæ-

ep. 54. nunc 70. ad Pulcheriam.

ep. 88. nunc 117. ad Julian. c. 3.

A ſtinorum imperitia: *Quæ ſi de noſtra*, inquit S. Leo, *putat ambigendum eſſe doctrina, ſaltem beatæ memoriæ Athanaſii, Theophili & Cyrilli Alexandriæ Sacerdotum ſcripta non renuat: cum quibus ita fidei noſtræ forma concordat, ut in nullo a nobis diſcrepet, qui ſe illi conſentire profitetur*.

Quod ad tempus conditæ formulæ attinet: (3) per ea proculdubio tempora ſcripta eſt, quibus Acephalorum ſecta per Orientem graſſabatur. Qui hæretici cum Chalcedonenſe Concilium & Leonis tomum abjicerent, his ſemper conditionibus ad Eccleſiæ communionem invitati ſunt, ut utrumque amplecti ſe profiterentur: quod omnia pene probant Eccleſiæ monumenta, quæ ſuperſunt, B Simplicii, Felicis, & Gelaſii Pontificum Romanorum temporibus ſcripta. Ad hujus poſtremi ætatem Formulam refero, quoniam hæc poſt illius epiſtolas inſerta Codici legitur.

X. Confeſſio fidei Damaſi PP. ad Paullinum Antioch.

Sub capitulo 55. habetur Damaſi Papæ epiſtola ad Paullinum Antiochenum Epiſcopum cum formula fidei illi annexa. Cujus titulus, qui Paullinum Antiochenum Epiſcopum expreſſis verbis habet in utroque noſtro Codice MS. dubium omne removet, quod ex antiquioribus tum Conciliorum editionibus, tum Theodoriti verſionibus naſci videbatur: ubi Paullinus Theſſalonicenſis Epiſcopus legebatur.

C Formulam autem fidei una cum epiſtola ſimul miſſam eſſe a Damaſo non dubito, ac proinde alteram ab altera non eſſe, ut hactenus factum eſt, ſeparandam. Hoc primum perſuadet Codicis utriuſque noſtri auctoritas, qui non modo unam alteri proxime ſubdit, ſed & utramque ſub uno eodemque capitulo repræſentat: ita ut formula fidei, etſi ab epiſtola diſtincta ſit, illi tamen veluti pars quædam alligari debere videatur. 2. Certum eſt ex ipſius epiſtolæ initio una cum epiſtola miſſam eſſe formulam fidei, quæ hæreticis ad catholicam revertentibus ſubſcribenda proponeretur: *Fidem*, inquit, *miſimus, non tam tibi, qui ejus fidei* D *communioni ſociaris, quam his qui in ea ſubſcribentes tibi, id eſt nobis per te, voluerint ſociari*: quod proculdubio de profeſſione fidei diſtincta ab epiſtola intelligendum venit. Quod enim inferius poſt nonnulla de fide Incarnationis interpoſita, de epiſtolæ ipſius ſubſcriptione mentionem habeat, hoc ob eam cauſſam ſcriptum puto, quod cum epiſtolæ ſubjecta eſſet fidei formula, qui huic ſubſcribebat, illi pariter ſubſcribere cenſeretur; eo ferme modo, quo quis formulæ ex annexo Epiſcopi mandato propoſitæ ſubſcribens, tam mandato epiſcopali, quam formulæ ipſi ſubſcribit. 3. Quia hoc in more erat poſitum, ut ab hæreticis E ad communionem catholicam aſpirantibus, non breviſſimæ, qualis eſt hæc, epiſtolæ, in qua non prolixe ſatis fides explicatur, ſed diſtinctæ ac lectis verbis conceptæ formulæ ſubſcriptio exigeretur. 4. Titulus formulæ ut eſt in Thuaneo, hoc ipſum prodit clariſſime. Verum dum hæc ſcribo opportune occurrit collectio Romana Lucæ Holſtenii, quæ Romæ edita eſt anno 1662. in eaque invenio formulam fidei ſeu anathematiſmos ipſi inſertos epiſtolæ, eo loco qui litterula a nobis notatur. Ut jam aſſertio noſtra non ſolis nitatur conjecturis, ſed Codicis auctoritate, quo docemur ſaltem profeſſionem hanc fidei ab epiſtola ſejungendam non eſſe, & utramque eodem eſſe tempore editam.

T t In-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Hanc formulam ex Leonis mente ſcriptam vel Roma Conſtantinopolim fuiſſe miſſam, vel Conſtantinopoli ad Leonem directam atque ab eodem approbatam & latine redditam in aliquot Latinas collectiones tranſiſſe putamus. Vide not. 9. in epiſt. 167. S. Leonis tomo I., ac adnotationes in ipſam formulam hoc tomo editam cap. 53. noſtri Codicis. Hæc autem formula non eſt confundenda cum definitione Concilii Chalcedonenſis, quam a Queſnello omiſſam ſequenti c. 54. ejuſdem Codicis ex hujus collectionis MSS. exemplaribus produximus, quæque ab interpretatione Ruſtici maxime diſcrepat.

(2) Vide not. 8. in epiſt. 70. S. Leonis tomo I., ubi hanc Queſnelli optionem refellentes, oſtendimus in epiſtola 54. nunc 70. ad Pulcheriam, particulam *vel* pro *&* a Leone fuiſſe acceptam: quod plenius confirmavimus not. 5. in epiſt. 51. nunc 67. eodem tomo I. col. 1001.

(3) Si hæc formula, ut indicavimus not. 27. Leonis tempore ſcripta fuit; anterior proculdubio Acephalorum hæreſi dicenda eſt.

Theodor. l. 5. cap. 10. Inde ſequitur ſynodicam eſſe Damaſi epiſtolam. Siquidem teſtis eſt Theodoritus illos anathematiſmos, quos ſequenti capite refert, ab Epiſcopis in magna Roma congregatis ſancitos eſſe; eoſque Concilio III. Romano ſub Damaſo vulgo aſſignant. Illud etiam innuere mihi Damaſus ipſa videtur; qui de familiari epiſtola, quam per Vitalem miſerat ſuo ſolum nomine, ipſo initio hujus ſermonem habens, ſingularem numerum uſurpat, *reſcripta direxeram: tuo judicio derelinquens: indicaveram .... me commotum*: poſtmodum vero alteram hanc epiſtolam commemorans a pluribus vel plurium nomine ſcriptam eam indicat, cum ait: *Miſimus: nobis ſociari, ſcribimus, conſenſus noſter*. Et revera nihil hujuſmodi rerum ſine Synodo agere conſueverant Pontifices Romani: quam conſuetudinem multum intererat hac in occaſione non violari, in tanti, inquam, momenti negotio, quod fidem communemque fidei profeſſionem attinebat: in quo merito timendum erat, (1) ne Orientales Occidentalibus paulo iniquiores fidei formulam repellerent, quam non cognoviſſent numeroſo Occidentalium Concilio roboratam.

Ad quem porro annum utraque referenda ſit, non extra dubium eſt. Si ordinem, quo anathematiſmi deſcripti ſunt a Theodorito, annorum ordini reſpondere conſtaret, certum eſſet pariter formulam hanc fidei poſt annum CCCLXXXI. editam eſſe; cum ab eo poſt Synodum ſecundam œcumenicam referantur; immo & poſt alterum Epiſcoporum in Regia urbe conventum, poſtque reſcriptas ad eorum epiſtolam Damaſi litteras. Idem tempus innuere videtur, cum, recenſitis cap. 11. anathematiſmis, hæc de tempore ſubjicit: *Et hæc quidem geſta ſunt ſuperſtite Gratiano*: quæ vitæ hujus Imperatoris finem indicare videntur, quem tamen toto decennio antevertit communis epocha Concilii III. Romani, a quo fluxiſſe creduntur anathematiſmi. Baronium, qui epiſtolam ad ann. Ch. 373. refert, merito arguit H. Valeſius, a quo (2) ſcripta dicitur ann. 382. paullo poſt Synodum: ſed fuſius hæc pertractare non eſt animus. Vide Notas ejuſdem Valeſii in Theodoritum pag. 45.

Inſtitutum magis noſtrum attinet (3) inſignis interpolatio, qua auctior legitur profeſſio fidei in vulgatis editionibus & in codice Thuaneo, quam in Oxon. codice. Nimirum poſt ſextum anathematiſmum hæc tam in illis, quam apud Theodoritum habentur: *Eos autem, qui ab Eccleſiis ad Eccleſias migraverint, tamdiu a noſtra communione alienos habemus, donec ad eas redierint civitates, in quibus ſunt primitus conſtituti. Quod ſi quis alius, alio tranſmigrante, in locum viventis ordinatus eſt, tamdiu vacet Sacerdotii dignitate, qui ſuam deſeruit civitatem, donec ſucceſſor ejus quieſcat in Domino*. Hæc porro ſuperaddita eſſe vix dubitare

A licet. Primum auctoritate Oxonienſis exemplaris MS. noſtri Codicis in ipſa urbe Roma, ubi ſcribebat Damaſus, ab Eccleſiæ Romanæ proceribus & ope ſcriniorum Apoſtolicæ Sedis conditi: cui hoc nomine major longe fides habenda, quam vel Theodorito, vel parum accuratis aliis editionibus, quæ ex Græco derivatæ mihi videntur. 2. Favet codex alter, qui clariſſimi Juſtelli eſt, laudatorque in Labbeana Conciliorum editione. 3. Ipſa id perſuadet loci inſpectio; longe enim ab anathematiſmorum materia abhorrent verba hæc, ad diſciplinam, non ad fidem ſpectantia, quæque & orationis filum, & fidei formulæ ſeriem importune
B abrumpunt. Qua igitur, inquies, ratione interpolata eſt, ita ut jam a tempore Theodoriti ea parte auctior circumferretur? Hoc ego Paullini ipſius Antiocheni arte & ſtudio factum eſſe crediderim: qui cum magnum *Meletium* in Epiſcopatu Antiocheno ſocium haberet, hac induſtria uſus eſt ut notum fieret illum a Sedis Apoſtolicæ communione eſſe alienum. Neque hoc ſolum publicari voluit in ipſa fidei formula, ſed & quotquot ad catholicam revertentes huic ſubſcriberent, eos omnes profiteri voluit Meletii communioni numquam ſe immiſcendos, ad idque proprio teneri chirographo. Quem enim hoc Canone melius de-
C ſignari dixerimus, quam Meletium, qui cum Sebaſtenus in Armenia Epiſcopus conſtitutus olim fuiſſet, *ſubditorum offenſus inobedientia*, ut ſcribit Theodoritus, *alio ſe contulerat, ibi in otio vitam acturus*, cum ad Antiochenam ſedem ab omnibus poſtulatus eſt & evectus. Hunc igitur prima decreti pars notat. Et ut deterior fieret adhuc Meletii conditio, ſancitur parte altera, eum, qui in illius Sebaſten deſerentis locum ſuffectus fuerat, tamdiu Sacerdotii dignitate fruiturum, donec ſibi vita ſupereſſet.

Alia etiam adduntur apud Theodoritum unum, quæ non levis momenti ſunt. In ultimo enim
D anathematiſmo: *Quod ſi quis partiatur* &c. poſt hæc verba, *propter unam Divinitatem, quam credimus eſſe & ſcimus Patris & Filii & Spiritus ſancti*; hæc continuo ſubduntur: Θεὸν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν: *Deum unum in tribus hypoſtaſibus*. Hæc a Damaſo ſcripta eſſe nemo crediderit, tum quia in nullo codice Latino ſeu excuſo, ſeu manuſcripto leguntur: tum quod a trium hypoſtaſeon aſſertione Latini abhorrebant. Illa addita eſſe a Theodorito non putem: cum enim Epiphanius Scholaſticus omnium Theodoritanæ hiſtoriæ interpretum antiquiſſimus verba illa non repræſentet, ut ex Tripartita Caſſiodori hiſtoria manifeſtum eſt, inde conjicio in recentioribus Theodoriti exemplaribus fuiſſe addita, ab iis forte, qui hanc Damaſi profeſſionem fidei græce redditam relegentes ad exemplaria Paullini arte & ſtudio interpola-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Licet Romani Pontifices res magni momenti in Romana Synodo diſcuterent atque deciderent, epiſtolas tamen ſolo Pontificis nomine ſolebant inſcribere, quod Apoſtolicæ Sedis auctoritas potiſſimum ſpectaretur; eamque non ſolum Occidentales, ſed Orientales etiam *propter principalitatem*, ut Irenæus loquitur, præſertim in fidei cauſſis maximi faciendam perpetua Eccleſiæ traditione didiciſſent. Hinc ipſa epiſtola, de qua nunc ſermo eſt, non Romanæ Synodi, ſed ſolius Damaſi nomine prænotatur, & ſoli Damaſo tribuitur in allocutione Synodi Chalcedonenſis ad Marcianum Auguſtum tom. 4. Concil. Ven. editionis col. 1766.

(2) Scripta fuit, cum ſpes erat de Vitali tunc Presbytero, antequam apertum ſchiſma conficiens, ab Apollinariſtis ad Epiſcopatum Antiochenum promoveretur. Porro is ſe ſe gerebat Epiſcopum Meletio vivente: unde Hieronymus in epiſt. ad Damaſum de tribus hypoſtaſibus tres Epiſcopos Antiochenam Eccleſiam ſimul occupantes memorat: *Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paullinum*. Meletius autem obiit anno 381., dum Conſtantinopolitana Synodus agebatur. Igitur ante hanc Synodum Vitalis Epiſcopus erat; ac propterea non paullo poſt, ſed ante aliquanto eodem Vitale jam Presbytero hæc epiſtola a Damaſo ſcripta fuit. Tillemontius eam affigit anno 375. Couſtantius vero anno circiter 378. Plura de hac re diſſerere non vacat.

(3) Cum non ſolus codex Thuaneus, ſed ceteri etiam noſtræ collectionis (uno recentiori MS. Oxonienſi excepto) ac præterea alii omnes aliarum collectionum Latinarum, quæ hanc Damaſi epiſtolam continent, in textu conſtanter exhibeant decretum, *eos autem, qui ab Eccleſiis* &c. fruſtra Queſnellus auctoritate unius recentioris codicis, quam in aliis nonnullis mancum vidimus, idem decretum ſuppoſititium venditare ſe poſſe credidit. Nec vero illi favet alius codex Juſtelli. Hic enim Iſidorianus eſt. Iſidorus autem hanc expoſitionem fidei in tres partes diviſit, & a prima parte ſubmovit idem decretum. Dein aliis interjectis poſtremam partem ejuſdem expoſitionis dedit: ac tandem aliis inſertis laudatum decretum ſeparatim exhibuit. Sicuti vero diviſio primæ partis a poſtrema Iſidori Mercatoris arbitrio tribuenda eſt; ita etiam ejus decreti ſeparatio atque diſtinctio. Vide notam 18. in cap. 35. noſtri Codicis.

lata, tres illas voces velut a ſcribis per incoriam omiſſas libello reſtituendas putarunt. Porro jam olim inſertas eſſe textui Damaſiano ab Orientalibus Meletii partes ſectantibus, ſuggerit Theodoriti ejuſdem narratio lib. 5. c. 3. ubi hæc Flaviani ad Paullinum Antiochenum verba refert: *Si Damaſi communionem amplecteris, a amice, doctrinæ nobis manifeſtam ſimilitudinem oſtende. Nam ille quidem unam eamdemque Trinitatis ſubſtantiam confitens, tres hypoſtaſes diſerte prædicat: tu contra Trinitatem tollis hypoſtaſum.* Hæc ſi dixit, vix dubito quin ex interpolata verſione epiſtolæ Damaſi, ſi tunc ſcripta erat: ſin minus, ex aſſertione trium perſonarum, trium hypoſtaſum aſſertionem Damaſu tribuit. Illud vero clare aſſeritur in fragmento decreti Damaſiani in collectione Romana Lucæ Holſtenii pag. 170.

XI. Alis fidei Formula.

Damaſianæ fidei formulæ proxime ſubjicitur ſub eodem capitulo brevis alia formula, quæ alia non eſt ab ea, quam habet ſuperius capitulum 53. ad Calcem Cyrillianæ ad Joannem Antiochenum epiſtolæ. Eadem, inquam, eſt formula, ſed in compendium miſſa, atque ex Tractatu ſeu definitione Chalcedonenſi decerpta. (1) Utramque Acacianis temporibus propoſitam eſſe puto: ſiquidem tunc reſpuebant hæretici tam Chalcedonenſe decretum, quam ſancti Leonis epiſtolam, quibus ſubſcribere coguntur in iis libellis, qui ab hæreſi revertebantur.

XII. De ſymbolo Athanaſiano conjecturæ.

Poſt tot recenſitos fidei libellos, quos ſtudioſe ſervabat Eccleſia Romana in ſuo canonum decretorumque Codice, mirabitur aliquis inter eos deſiderari præclaram illam fidei confeſſionem, quæ *Symbolum S. Athanaſii* dicitur, & cujus laus in Officio Eccleſiaſtico per omnes Occidentalis ſaltem Orbis Eccleſias: quod certe Symbolum numquam prætermiſſum eſſet a Romanis alias longe minoris momenti formulas in illum ſuum Codicem conjicientibus, ſi illud tunc temporis eiſdem innotuiſſet; præſertim vero ſi, quod contendit Eminentiſſimus Cardinalis Baronius, eam fidei ſuæ confeſſionem Romæ S. Athanaſius edidiſſet Latino ſermone, recitaſſetque coram Pontifice eique aſſidentibus Epiſcopis. Augebit admirationem, quod in illo teſtimoniorum delectu, quem ſanctus Leo cum epiſtola ſua 134. (*nunc* 165.) ad Leonem Auguſtum miſit, quique ab eodem vel ab alio inſertus Codici Romano ſub capitulo 41. quod, inquam, Symbolum illud Athanaſianum locum non habeat in illo delectu, ubi aliqua e ſancti Athanaſii ſcriptis excerpta leguntur, quibus illa confeſſio & familiarior eſſe debuiſſet ſancto Leoni, & clarius potentiuſque Eutychis errorem profligaſſet, & Eccleſiæ Romanæ privilegiis addidiſſet roboris plurimum.

Hæc mirabuntur aliqui: ego vero miror magis vel ex hoc unius ſancti Leonis ſilentio nondum viris aliquot eruditis fuiſſe perſuaſum, non Athanaſii eſſe opuſculum iſtud, ſed alterius auctoris, qui vel Leoni ejuſque prædeceſſoribus ignotus fuit, vel ætate inferior. Utrumque igitur hoc argumentum ex ſancti Leonis ſilentio & Codicis omiſſione petitum ceteris accedat, quibus iſtud ſcriptum olim Athanaſio abjudicarunt ſcriptores doctiſſimi. Non eſt hujus loci vel otii de illius auctore fuſius operoſiuſque inquirere: abunde enim jam id præſtitum eſt & erudite a doctiſſimo viro Gerardo Joanne Voſſio de tribus Symbolis differente. Paucula ſolummodo vice appendicis addere heic viſum eſt, occaſione libellorum fidei, quos diſcuſſimus, & teſtimoniorum a Leone collectorum contra Eutychen, ut ſi qua lux ex nova conjectura rei hactenus obſcuræ affulgere poteſt, ea Lectorem non fruſtremus.

Joann. Voſſii de tribus Symbolis Diſſert. 2.

Certa in primis ab incertis ſecernenda ſunt; tum ſuſpiciones conjecturæque noſtræ in medium adducendæ.

Primo itaque jam omnium fere eruditorum conſenſu conſtat opuſculum iſtud, (a) ſancti Athanaſii Alexandrini fetum non eſſe: quod maxime arguit ſtilus ipſe ſermoniſque contextus, qui nullatenus Græci hominis eſt, ſed Latini: confirmaturque tum ex eo quod Athanaſius ipſe teſtatur in epiſtola ad Antiochenſes & alibi, procul ſe fuiſſe a condenda nova fidei formula, & præterea Nicænæ Synodi Symbolum ſuis omnibus numeris abſolutiſſimum eſſe ſemper contenderit: tum ex alto ſilentio quo uſque ad ſextum ſaltem ſæculum ſepultum fuit hoc Symbolum. Cum enim neque ſanctus Cyrillus Alexandrinus Athanaſii ſucceſſorum unus, neque ſanctus Leo, neque alii Scriptores Eccleſiaſtici, vel Antiſtites, qui in Epheſino Chalcedonenſique Conciliis fidem catholicam adverſus Neſtorium & Eutychen propugnaverunt, numquam ex illo quicquam protulerint, numquam illius fecerint mentionem; quis ſibi perſuadeat inter Athanaſii opera recenſitum tunc fuiſſe iſtud Symbolum? His plura qui legere voluerit, adeat laudatum Voſſium alioſque, qui hac de re prolixiores commentarios ediderunt.

2. Ex hac ultima ratione evincitur pariter, quiſquis tandem Symboli iſtius auctor fuerit, eum poſt exortam damnatamque non ſolum Neſtorii, ſed etiam Eutychis hæreſim floruiſſe; immo poſt Leonis Magni tempora. Detur enim per indiligentiam nonnullam omiſſum fuiſſe Athanaſianum hoc Symbolum in Concilio Epheſino & Chalcedonenſi: certe numquam poſteriorem ſancti Leonis diligentiam fugiſſet, qui ſæpe ſæpius poſt quartam Synodum ſcribens ad Orientales Epiſcopos, & propriam Orientalium Eccleſiarum traditionem appellans, numquam tamen Athanaſii Symbolum commemorat, in quo tam expreſſe, tam diſtincte utraque illa hæreſis confoditur. Sed neque anno Chriſti 458. notum erat, cum illam teſtimoniorum congeriem ad Leonem Auguſtum mitteret, quæ poſt denuo excuſſa Apoſtolica Sedis ſcrinia auctior prodiit altera, quam ad Synodum Chalcedonenſem dudum direxerat. Quin & eorum Pontificum, qui adverſus Acephalos Eutychianoſque decertarunt, ſilentium de iſto Symbolo, teſtatur illud adhuc tum ignotum fuiſſe.

3. Conſtat hujus Symboli auctorem poſteriorem non eſſe anno Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo: (3) hoc quippe anno habita eſt Auguſtodunenſis in Gallia Synodus ſub ſancto Leodegario Epiſcopo, cujus hic Canon legitur: *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus Symbolum, quod ſancto inſpirante Spiritu Apoſtoli tradiderunt, & Fidem ſancti Athanaſii præſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit, ab Epiſcopo condemnetur.* Immo & jam ab anno 633. aliqua ex iſto Symbolo deſcripta mihi videntur in ea Confeſſione fidei, quæ edita eſt a Concilio Toletano IV. habeturque capit. 1. ejuſdem.

4. Dubium non eſt quin multis ante Synodum illam Auguſtodunenſem annis compoſitum eſſet, & jam olim per totam Eccleſiam celebre evaſiſſet: numquam enim ſapientiſſimi Antiſtites id commiſiſſent, ut iſtam fidei formulam omnium ordinum Clericis amplectendam & *irreprehenſibiliter*, ut ajunt, *recenſendam* ſynodali edicto ſub

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Cum hæc formula contractior quidem, ſed ſenſu eadem ſit, ac illa ſubjecta Cyrilli epiſtolæ cap. 53. noſtræ collectionis, & utraque eodem tempore ſcripta fuerit; ſicut illa, ita etiam hæc S. Leonis temporibus adſignanda eſt. Vide præcedentes notas 27. & 29.

(a) De hac ſententia lege Obſervationes ſequentes §. III. n. 2.

(3) Non anno 670., ſed anno 676. vel 677. hanc Synodum habitam oſtendit Bohierius in epiſt. ad Mabillonium. Vide tom. 7. Concil. Ven. edit. col. 549. not. 5.

condemnationis pœna præcipereot, immo & illam e regione cum Symbolo Apoſtolico ponerent, niſi jam longo uſu recepta, approbata, & inter germanas magni Athanaſii lucubrationes numerata fuiſſet; quod niſi poſt plurimorum annorum ſeriem fieri vix potuit.

XIII. Quo tempore ſcriptum videtur Symbolum Athanaſianum?

5. Hinc ſequitur ejus auctorem non extra centum fere annorum illorum ſpatium requirendum eſſe, qui ab Hilari Papæ Leonis ſucceſſoris Pontificatu uſque ad finem ſexti ſæculi vel ſeptimi ioitium elapſi ſunt. Ut ſexaginta vel ſeptuaginta aute Synodum Auguſtodunenſem anni evulgando Symbolo dentur, ejuſque auctoritati per omnes Eccleſias ſtabiliendæ: præſertim cum bujuſmodi *Canones, Auguſtodunenſes ſancti Leodegarii Epiſcopi* dicti, quibus & ille, qui de Symbolo agit, annumeratur, a ſolo Leodegario in Diœceſana Synodo pro Eccleſia ſua conditi eſſe videantur, ut vel ille titulus indicat. Exiſtimandum enim non eſt unicum Epiſcopum hoc ſibi arrogaturum fuiſſe, ut novum Symbolum, nec ab univerſa Eccleſia vel uſu receptum, vel a multis approbatum, Clero ſuo velut fidei teſſeram memoria tenendam, corde credendam, ore confiteodam gravi intentata pœna præciperet. Quamquam, ne quid diſſimulem, vix aliquid certi ex unico illo Canone Auguſtodunenſi ſtatuere auderem, niſi me doctiſſimorum virorum compelleret auctoritas, Jacobi, inquam, Sirmondi, Petri de la Lande, & Godeſridi Hermantii, qui laudatum Canonem ad annum 670. referre non dubitarunt, cum tamen nec MSS. collectiones, ex quibus editus eſt, nec ulli auctores quicquam de illius ætate vel leviter attingant; nec potior videatur eſſe ratio illum ſancto Leodegario ejuſque Synodo tribuendi, quam poſteriori alicui Auguſtodunenſi Epiſcopo vel Coocilio. Eorum tamen ſenteutiæ libenter accedimus, donec lucis amplius aliquid affulgeat. Hujus ergo auctoris, quem inquirimus, ætatem intra annum circiter 480. & ſexcenteſimum ſtatuendam eſſe putamus, vel etiam intra brevius ſpatium.

6. Certum videtur neque caſu, neque Librariorum incuria, nomen Athanaſii in hujus ſcripti titulum irrepſiſſe; ſed potius ex certo conſilio (1) ab ipſo auctore fuiſſe ſancto Athanaſio adſcriptum: quotquot enim illius exemplaria ſeu manu exarata, ſeu excuſa, hactenus viſa ſunt, præ ſe ferunt Athanaſii nomen.

XIV. Non eſt impoſtoris ſcriptum.

7. Tantum abeſt ut impoſturæ arguendus ſit, quiſquis talem fidei profeſſionem ſub alieno nobis nomine ingeſſit, quin potius Spiritu Dei iſtud conſilii ab eo ceptum fuiſſe evincit ipſius Symboli contextus, in quo mire elucet & fidei docta ſimplicitas, & divina Spiritus unctio, quibus ita ſanctis Eccleſiæ Patribus Athanaſiana fide dignum apparuit, ut illud ſingulis dominicis omnium Clericorum ore celebrari & inter Officii eccleſiaſtici partes cenſeri voluerint. Enimvero latiſſimum diſcrimen eſt inter ipſum, & impoſtorem illum, qui nobis tot commentitias epiſtolas ſub Pontificum Romanorum nominibus peſſima arte menteque confictas protulit: in hujuſmodi enim epiſtolis nihil pene eſt, quod non aliis turpi furto ſubreptum fuerit, vel quod iis Pontificibus quibus tribuuntur, indignum non ſit, ut pote & illorum temporum diſciplinæ adverſum, & ex conſutis pannis male compactum. In hoc vero Athanaſiano Symbolo omnia Athanaſio digna ſunt, omnia fidei ſinceritati, quæ exponitur, apprime conveuientia. Immo nec titulus ipſe mendacii poteſt omni ex parte argui: non enim, ut in hodiernis codicibus legitur, *Symboli* nomen præ ſe tulit, ſed *Fidei*. Ita in Auguſtodunenſi Canone ſupra deſcripto, in Breviario MS. Monaſterii Caſinenſis ſexcentorum fere annorum, de quo inferius dicturi ſumus, & alibi. Genuinumque eſſe ſcripti hujus titulum probant verſiones Græcæ, in quibus appellatur *ἔκθεσις*, vel *ὁμολογία τῆς καθολικῆς πίστεως*, vel *περὶ πίστεως καὶ συμφωνίας*; hoc poſtremum habet Symbolum Athanaſianum a Græcis interpolatum, a Jacobo Uſſerio editum: auctores pariter Latini illud expoſitionem fidei, vel ſermonem de fide, inſcribunt: inter quos Hincmarus Archiep. Rhemenſis. Hanc autem eſſe Athanaſii fidem, quæ hoc Symbolo continetur, nemo inficias ierit, qui quidem Athanaſium crediderit a catholica fide non receſſiſſe.

XV. Cur ſub alieno nomine evulgatum?

Sed cur, inquies, auctor catholicus alieno nomine, noo ſuo, opus ſuum inſcripſit? Dum enim Athanaſii nominatur Symbolum, quod tamen ſancti Athanaſii uon eſſe convincitur, metuendum eſt ne inter ſpuria & apocrypha oumeretur: quod Salonius Epiſcopus Gallus timebat ne Salviani libro eveniret, quem ſub Timothei nomine ad Eccleſiam catholicam ſcripſerat. Verum quod Salvianus reſpondet in epiſtola ad eumdem Salonium, reſpondeo ſimiliter: *Sufficere ad excludendam penitus apocryphi ſtili ſuſpicionem etiam hoc ſolum poſſe, quod ſatis perſpicuum eſt libros neoterica diſputationis eſſe, & a poſterioris temporis homine divinarum rerum ſtudio atque amore conſcriptos. Carent enim apocryphi ſuſpicione, qui agnoſcuntur*, nec Athanaſii, uec hominis Athanaſio coævi, nec Græci eſſe auctoris. Quod autem proprium nomen ſubticere voluerit, id metu hæreticorum & adverſariorum fidei, cum quibus auctor vivebat, dum ſcriberet, accidiſſe putandum eſt: de quo & amplus aliquid inferius dicemus.

Ex his porro, quæ ſupra ſtatuimus, quæque vix in dubium revocari poſſunt, hoc elicimus, quod ad inveniendum auctorem hujus Symboli viam aperit: auctorem ſcilicet illum in primis catholicum intra centum fere illos annos vixiſſe & floruiſſe, qui Leonis vel Hilari Romanorum Pontificum mortem proxime ſequuti ſunt: eumdem metu perſecutionis nomen proprium ſuppreſſiſſe, ac proinde eum io ea regione ſedem habuiſſe, in qua fidei catholicæ hoſtes Arrianique præſertim rerum potiebantur; & eo tempore, quo Arrii, Neſtorii & Eutychis errores longe lateque ſpargebantur: tres enim iſtas potiſſimum hæreſes hoc Symbolum confodit.

XVI. Vigilium Epiſcopum Africanum videri auctorem eſſe Symboli Athanaſiani.

Omiſſa porro eorum ſententia, qui illud homini Gallo tribuunt, in quibus eſt P. Pithœus lib. de Proceſſ. Spiritus ſancti, quam in ſententiam propendere ſe profitetur Voſſius in Appendice ſuæ in hanc rem Diſſertationis: videntur hæc omnia quæ præmiſimus, maxime convenire (2) Vigilio Tapſitano ſeu Tapſenſi in Africa Epiſcopo, nec cuiquam potius hoc opuſculum tribui poſſe arbitror, quam acerrimo huic catholicæ fidei defenſori. Floruit enim Vigilius iſte ſub finem quinti ſæculi, & ut veriſimile eſt ad ſextum uſque pervenit, quippe qui anno 484. Bizacenorum omnium Epiſcoporum ultimus erat, ut ex notitia Africanorum Antiſtitum Regis Hunnerici juſſu pro reddenda fidei ratione convocatorum feliciter conjicit Petr. Franc. Chiffletius in notis ad eumdem hunc Vigilium. Præterea vivebat Vigilius & ſedem epiſcopalem tenebat in Africana regione, in qua Vvandali Arriana peſte infecti catholicos omnes dira perſecutione vexabant; ita ut de catholica fide vel verbum proferre crimini verteretur. Eo etiam vivebat tempore, quo Neſtoriana & Eutychiana hæreſes maximos in dies progreſſus agebant, præſertim per Orientales Eccleſias, ad quas fugere compulſus eſt Vigilius ab impio Rege extorris factus. Denique, quod magnopere penſandum eſt hac io diſquiſitione, admodum familiare fuit Vigilio, ut ſi quæ ſcriberet opuſcula ſævien-

te

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) S. Athanaſii nomen ab ipſo auctore præfixum ſymbolo ex vetuſtioribus MSS. exemplaribus falſum oſtendemus in Obſerv. §. III. n. 2. & 3.

(2) Hanc Queſnelli ſententiam refellemus in iiſdem Obſerv. §. III. n. 5. & 6.

te perſecutione, (1) ea non ſuo, ſed ſub antiquorum Patrum vel Auctorum perſona in publicum emitteret. Sic librum contra Marivadum ſcripſit ſub nomine Idacii clari: alterum compoſuit in perſona S. Auguſtini contra Felicianum Arrianum: tertium contra Palladium Ambroſio vel Gregorio Nazianzeno inſcriptum. Sed & ſub nomine ſancti Athanaſii plures, quam ſub aliorum perſona evulgavit: duodecim enim de Trinitate libros habemus inter opera ſancti Athanaſii, latine tantum editos, quos Vigilii eſſe clamant eruditi; * ſicut & Dialogorum libros inter Athanaſium, Arrium, & Probum Judicem. Sed etſi non indubitata fide eſſent Vigilii memorata hæc Opuſcula; ſaltem Dialogus adverſus Arrianos, Sabellianos, & Photinianos, vel ipſo Vigilio fatente, ab ipſo ſub nomine Athanaſii contra Arrium, Sabellium, & Photinum coram judice Probo diſputantis, compoſitus eſt; ex quo certe maximum pondus accedit conjecturis noſtris. Ipſe, inquam, Vigilius in præfatione hujus dialogi hoc profitetur: *Utile hoc*, ſcribit ille, *& valde commodum apparuit, ut uniuſcujuſque hæretici perſonam cum ſui dogmatis profeſſionibus, quaſi præſentes cum præſentibus agerent, introducerem. ..... Sabellium ergo, Photinum, Arrium, atque ad noſtras partes Athanaſium introduxi: ut veritas ſummo confligentium certamine eliquata ad omnium notitiam perveniret.*

* *Jac. Sirmondus in Not. ad Theodulphum de Spiritu Sancto, Phil. Labbeus de Script. Eccleſiaſt. Chiffletius in Opuſc. c. vindiciarum operum Vigilii Tapſenſis*

Inde etiam confirmatur 1. hæc noſtra opinio, quod quos adverſarios fidei præcipue impugnat Symbolum, Arrianos ſcilicet & Eutychianos, eoſdem ſemper ſcriptis ſuis perſequutus eſt Vigilius. Pleraque enim Opuſcula ſua contra Arrianos, qui Africanas vaſtabant Eccleſias, conſcripſit, & inſigne opus adverſus Eutychianos emiſit, quo & ſancti Leonis epiſtolam & Chalcedonenſe decretum ab hæreticorum impugnationibus ſtrenue vindicat.

2. Alias fidei profeſſiones etiam ſub nomine Athanaſii edidit Vigilius, quæ eum hujuſmodi Opuſculis conſcribendis aſſuetum produnt. Velut ſunt (2) illæ quæ libris de Trinitate inſertæ leguntur. Hanc autem, quæ Symboli nomen obtinet, tunc ab eo conditam eſſe exiſtimamus, cum Conſtantinopoli exularet: quo tempore jam multa ediderat Opuſcula contra hæreticos Arrianos, cum adhuc in Africa moraretur. Audiens autem, cum eſſet in Oriente, quantas ſtrages ageret in Africanis Eccleſiis Arriana hæreſis, & quo in diſcrimine verſaretur popularium ſuorum fides; paſtoralis officii partes eſſe exiſtimavit periclitanti populo ſuo ſuppetias ferre, ſimplicioribuſque Chriſtianis eam fidei profeſſionem ob oculos ponere, quæ remotis omnibus ſubtilioris & implicatioris Theologiæ ambagibus, catholicam doctrinam pure, nitide, breviterque exponeret. Qua expoſitione Eccleſiam ſuam aliaſque Africanas non ſolum adverſus Arrianæ ſectæ perfidiam muniendas eſſe exiſtimavit; ſed etiam adverſus Neſtorianam & Eutychianam; quæ cum apud Orientales, inter quos agebat, longe lateque graſſaretur, eam ad Africanas regiones vel jam eſſe invectam, vel invehi facile poſſe videbat. (3) Athanaſii nomine ornandam eſſe exiſtimavit hujuſmodi profeſſionem: quia & tanti viri auctoritate, eos qui ſola auctoritate ducuntur, retinendos fore putabat; & probe noverat illius ævi eruditos non poſſe in hunc errorem induci, ut Athanaſio illam expoſitionem tribuerent, reclamante novellarum hæreſum, quam diſtincte habet, mentione. Sed & hoc neceſſarium omnino videbatur, ne quiſquam Africanorum, qui tunc vivebant, Epiſcoporum de condita hujus fidei formu-
A la in ſuſpicionem apud hæreticos deveniret, ac propterea in certiſſimum vitæ diſcrimen, quæ Arrianorum erat ſævities, adduceretur: quod merito timendum fuiſſe intelliget quiſquis Victoris Vitenſis de Perſecutione Africana narrationem perlegerit.

3. Etſi in tam brevi & in hujus generis ſeptiuncula, qualis eſt hæc fidei profeſſio, vix locus ſit conferendo ſtilo cum ceteris Vigilii lucubrationibus (aliam enim dicendi rationem breves & exegeticæ fidei formulæ, aliam ſcripta prolixiora & polemica exigunt;) non levem tamen inter Symbolum & alia Vigilii opera (4) ſtili affinitatem ſcribendique rationem deprehendere mihi videor. Eamdem enim methodum ſectatur in Opere contra Marivadum ſcripto, & præſertim libro
B 3. quam & in Symbolo conficiendo tenuit: ita ut prior pars Symboli, quæ Trinitatis unitatem contra Arrianos defendit, compendioſa videatur eſſe recapitulatio eorum, quæ centum capitulis exponuntur in tribus illis contra Marivadum libris: iſti enim toti ſunt in exponenda probandaque unitate Trinitatis, & Trinitate unitatis, quæ eſt prioris partis Symboli propria materies. Sed & hoc diſtinctius apparet in lib. 3. tria enim hujus priora capitula, totidem has propoſitiones complectuntur cum ſuis probationibus: *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus. Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus. Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus ſanctus*: quæ totidem &
C iiſdem verbis habentur in Symbolo. In quo plures aliæ ejuſdem formæ propoſitiones leguntur: ſicut & in dicto libro 3. longe plurimæ; videlicet ad centenarium uſque numerum, Scripturæ teſtimoniis probatæ reperiuntur, eumdemque, ni fallor, ſpirant auctorem. Alia quoque non minus ſibi invicem convenientia fortaſſe deprehendet qui attentius & majori otio ceteras Vigilii lucubrationes evolvere voluerit: nobis hæc modo ſufficiant ex occaſione ſcripta.

Abſoluta Diſſertationum noſtrarum editione, inveni Codicem Thuaneum, in quo Dialogus Vigilii Tapſenſis adverſus Arrianos, Sabellianos, & Photinianos legitur ſub hoc titulo: *Incipit Al-*
D *tercatio Athanaſii cum hæreſibus.* Poſt hunc Tractatum habentur Symbolum Nicænum & formula fidei Ariminenſis Concilii, quam proxime ſequitur Symbolum Athanaſ. cum hac epigraphe: *Fides dicta a ſancto Athanaſio Epiſcopo.* Porro conjecturæ noſtræ de Auctore hujus Symboli, Vigilio, non parum ſuffragatur quod in antiquiſſimo Codice (5) illigatum reperiatur Opuſculo, cui nomen Athanaſii pariter præfixum legatur; ſed quod Vigilii Tapſenſis eſſe indubitatum habetur ipſius Vigilii teſtimonio: ſiquidem lib. 5. adverſus Eutychen num. 2. hæc ſcribit: *De Conciliorum*, in-
E quit, *diverſis ſanctionibus, & nominum religioſe additis novitatibus pleniſſime in iis libris, quos adverſus Sabellium, Photinum & Arrium ſub nomine Athanaſii, tamquam ſi præſentes cum præſentibus agerent (ubi etiam Cognitoris perſona videtur inducta) conſcripſimus, a nobis fuit expreſſum* &c. Nec omittam obſervare locum ex ejuſdem libri 5. Vigilii Tapſenſis num. 6. ubi unitas Chriſti ex Deo & homine conſtantis confertur cum unitate hominis ex anima rationali & carne ſubſiſtentis: *Sicut credimus unum eſſe hominem, animam rationabilem & carnem; ita credamus unum eſſe Chriſtum Deum & hominem*: quæ omnino ſimilia ſunt his Symboli Athanaſiani verbis: *Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo; ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.*

EDI-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Non omnia Athanaſii, aut aliorum Patrum nomine edita opera, quæ Vigilio Tapſenſi tribuuntur, ipſius eſſe liquebit ex dicendis in Obſerv. §. III. n. 5.

(2) Has formulas Vigilio Tapſenſi perperam adſcribi in Obſerv. loco citato probaturi ſumus.

(3) Heic præſumitur Athanaſii nomen ab ipſo auctore initio inſcriptum fuiſſe, quod tamen falſum oſtendemus in Obſervationibus, ut ſuperius monuimus.

(4) Hoc argumentum a ſtili ſententiarumque affinitate petitum in re præſenti quam leve ſit, ex Obſervationibus palam fiet §. III.

(5) Reſponſionem invenies loco citato n. 6.

EDITORUM

OBSERVATIONES

IN DISSERTATIONEM II.

PASCHASII QUESNELLI

DE LIBELLIS IN CODICE INSERTIS &c.

INter ea fidei monumenta, de quibus in præcedenti Diſſertatione agitur, duo tantum libelli fidei noſtro Codici canonum inſerti cap. 39. & 40., ac ſymbolum *Quicumque* S. Athanaſio vulgo inſcriptum fuſiores obſervationes requirunt.

ſ. I.

Libellus fidei, qui in collectione hoc tomo edita exhibetur cap. 39. S. Gregorio Nazianzeno probabilius vindicandus creditur. Impugnatur ſententia, qua Auctori Latino adiudicatur, & Gregorio Orientali cum Queſnello ſubſtituitur Occidentalis, Gregorius Bœticus, vel cum noviſſimo auctore Phœbadius.

De vulgatis ſerm. 49. & 50. S. Gregorii Nazianzeni.

I. UNum certum præmittendum eſt, hunc libellum, qui inter S. Gregorii Nazianaeni opera eſt ſermo 50., ita concinere cum ſermone 49., ut utriuſque unum eumdemque auctorem eſſe Queſnellus ſ. VII. jure probaverit. In eo ſolum alter ab altero diſcrepat, quod ſermo 49. Nicænam fidem fuſiori & dogmatico tractatu ſtatuat; ſermo autem 50. ſeu libellus fidei eaſdem præcedentis ſermonis ſententias compendio exhibeat. Igitur ſi S. Gregorius Nazianzenus auctor ſit ſermonis 49., eidem quoque attribuenduserit ſermo 50., ſeu memoratus libellus fidei. Pro aſſerendo autem ejus ſermonis 49.

Sermo 49. eidem Sancto aſſeritur.

auctore S. Gregorio Nazianzeno duo expreſſa teſtimonia ſuppetunt, unum S. Auguſtini, alterum ejus codicis, qui Argentoratenſi editioni operum ejuſdem S. Doctoris uſui fuit. Solemne eſt S. Auguſtino Gregorii Nazianzeni auctoritate uti, & ex Rufini verſione, quæ ob auctoritatis & interpretis celebritatem longe lateque propagata erat. Hinc in lib. I. adverſus Julianum c. 5. ejuſdem Gregorii teſtimonia producturus, præmonuit: *Sed tibi non deerit magni nominis & fama celeberrima illuſtris Epiſcopus etiam de partibus Orientis, cujus eloquia ingentis merito gratia etiam in LATINAM LINGUAM TRANSLATA uſquequaque claruerunt.* Subdit ſtatim quatuor loca ejuſdem Doctoris ex verſione Rufini. Porro ſermonem 49. eidem S. Gregorio Orientali Epiſcupo explorate vindicat in epiſt. 148. ſcribens num. 10. *Gregorius etiam ſanctus Epiſcopus Orientalis apertiſſime dicit, Deum natura inviſibilem, quando Patribus viſus eſt, ſicut Moyſi, cum quo facie ad faciem loquebatur, alicujus CONSPICABILIS MATERIÆ diſpoſitione aſſumpta, ſalva ſua inviſibilitate, videri potuiſſe.* Nec quiſpiam cum recenti auctore reponat, hanc Gregorii ſententiam inveniri in oratione 37., quæ certus ejuſdem Gregorii fetus eſt. Legenti enim utramque orationem 37. & 49., non tam ſententiam, quam quædam etiam verba caractere majuſculo indicata congruere ſoli orationi 49. quiſque perſpiciet: ac præterea cum Auguſtinus non Græcum textum, ſed vulgatam Rufini interpretationem adhibuerit, ut ex aliis locis, in quibus alia Gregorii Nazianzeni teſtimonia recitat, perſpicere licet; oratio autem 37. non ita fuerit a Rufino latinitate donata, uti oratio 49. (de cujus verſione mox dicemus,) hanc Auguſtinum allegaſſe in epiſt. 148. dubitare non licet.

II. Alterum teſtimonium eſt codex, ex quo prodiit editio Argentoratenſis anno 1508. Hic enim codex decem orationes ejuſdem S. Gregorii nomine inſcriptas, & a Rufino latine redditas exhibuit cum ipſo Rufini interpretis prologo: in quibus eſt oratio vulgata 49. & oratio vulgata 50. ſeu noſter libellus fidei. Quare Juſtus Fontaninus lib. 2. Vitæ Rufini c. 8. has omnes ſicut Rufino interpreti, ita Gregorio Nazianzeno auctori aſſerere non dubitavit. Neque refert in aliis codicibus, qui Gregorii ſermones a Rufino latinitate donatos continent, eas orationes 49. & 50. deſiderari. Nam in pleriſque MSS. duo, vel tres, vel quatuor tantum ejuſdem Gregorii ſermones, quos idem Rufinus latine reddidit, leguntur, ut laudatus Fontaninus notavit: nec tamen idcirco octo ſaltem ipſius Gregorii ſermones ab eodem Rufino traductos quiſpiam ambigit. Idem porro Rufinus in libro II. hiſtoriæ eccl. cap. 9. de ſcriptis Sanctorum Gregorii Nazianzeni atque Baſilii teſtatur: *Nos denas ferme ſingulorum oratiunculas tranſtulimus in latinum.* Baſilii orationes a Rufino Latinis donatæ non inveniuntur niſi octo, aut, ut credimus, novem. Vide noſtram præfationem in Appendicem Tractatuum S. Zenonis Epiſcopi Veronenſis num. 2. pag. 294. Decem autem Gregorii Nazianzeni ſuppeditavit codex ſæpe laudatus, quas idcirco ipſo Rufino teſte eidem Sancto adjudicandas agnoſcimus.

Rufini verſio.

III. Qui Gregorium Nazianzenum excludendum putarunt, ea hypotheſi nituntur, quod iidem ſermones 49. & 50. Latino auctori, non autem Græco attribuendi credantur. Rationes autem, quibus hanc hypotheſim tuentur, nihil evincunt. Quæ maxima omnium profertur ex Scripturarum Itala veterique interpretatione inſerta orationi 49., nihilum valet: cum Latinus interpres in reddendis latine Scripturarum teſtimoniis eadem verſione ſuo ævo uſitata, quæ cum Græco textu interpretum LXX. a Græcis Patribus adhibito congruebat, uti potuerit. Fortior videri ſolet ea loquendi ratio a Græco ſcriptore aliena, *quod Græci ὁμοούσιον appellant*, & illa: *ratio quædam, quæ apud Græcos nuncupatur λόγος.* Verum nonne ex Græco redditum fuit latine ſymbolum Nicænum antiquiſſima verſione, in qua nihilominus non abſimiliter legimus apud Leonem epiſt. 165. c. 2., apud S. Hilarium, & alios: *unius ſubſtantiæ cum Patre, quod Græci dicunt ὁμοούσιον*? Cum porro Rufinus fuerit ejus orationis interpres; pro ea libertate, qua ille in interpretandis Græcis operibus utebatur, ſimiles formulas adhibere potuit. Idem eſt de ſtilo, quo Rufinus liberior interpres in aliis quoque verſionibus uti conſuevit. Similis quidem ſtilus elucet in ceteris octo orationibus, quas ipſum ex Gregorio reddidiſſe nemo ambigit.

Objecta ſolvuntur.

Sermo 49. non probatur fuiſſe auctoris Latini.

IV. Cum ergo nihil cogat pro aſſerendo auctore La-

Latino ; duo autem teſtimonia Auguſtini, & codicis in editione Argentoratenſi impreſſi teſtimonia pro S. Gregorio Nazianzeno ſatis aperta ſint ; nulla ex aliorum ſeutentiis, quæ Latinum auctorem ingerunt, præferenda videri poterit. Illa certe Queſnelli, qua pro Gregorio Nazianzeno Gregorium Bœticum ſupponit, ac ſi Auguſtinus in deſignando Gregorio Orientali pro Occidentali hallucinatus ſit, minus probabilis eſt. Nam præterquam quod Auguſtinus Gregorium Nazianzenum allegare conſuevit, numquam vero Gregorium Bœticum ; errorem & hallucinationem in eo notare, niſi quid certum & convincens pro Gregorio Bœtico afferatur, præſumptuoſum videtur. Nihil autem convincens Queſnellus protulit, ſed meras conjecturas, vel inanes prorſus, vel certe ejuſmodi, quæ æque aliis auctoribus accommodari queunt, ut in adnotationibus indicavimus. Neque magis placere poteſt noviſſima opinio, qua in opere inſcripto *Hiſtoire litteraire de la France* tom. 1. part. 2. edit. Pariſ. anni 1733. pag. 273. Phœbadius eorum ſermonum auctor prætenditur. Hæc enim cum eidem hypotheſi Latini auctoris incumbit, quam inanem oſtendimus ; tum vero pares conjecturas congerit, quæ corruente hypotheſi nutant, aliiſque pariter Latinis aptari ſcriptoribus poſſunt.

V. Unum ex hoc auctore veriſſimum credimus, cum Queſnellum rejicit opinantem, libellum fidei, ſeu ſermonem 50. priorem fuiſſe ſermone 49. ac ſi ille libellus in hoc ſermone 49. indicetur iis verbis: *Jampridem adverſus Arrianos libellum edideram*. Hanc autem ſententiam ille duplici ratione impugnat. Primum ex contextu orationis 49., in qua verba *jampridem adverſus Arrianos libellum edideram*, indicant non brevem fidei formulam, ſed Tractatum polemicum, quo Arrianorum error ex propoſito perſtringebatur. Id autem aliis quidem Gregorii Nazianzeni fuſioribus tractatibus Arrianos impetentibus optime congruit, non vero laudato libello fidei, in quo etſi doctrina inſerta eſt Arrianæ hæreſi contraria ; non tamen libellus dici poteſt, qui contra Arrianos editus, eoſdem impugnet. Secundo quia in libello adverſus Arrianos Sabellii errorem nominatim confutatum auctor ſermonis 49. diſerte pronuntiat. Nihil vero ejuſmodi expreſſum legitur in libello breviori, ſeu in ſermone 50. Addit etiam idem Gallicanus Scriptor animadverſionem non levem ex ipſa objectione, qua libellus antea editus ab Arrianis impetebatur. *Nam hoc eſt, quod ajunt poſſe reprehendi* (ſunt verba ſermonis 49.) *quod ubi Verbum Dei ex perſona Filii poſuimus, tale hoc Verbum intelligere putemur, quale grammatici tradunt* &c. Et poſtea. *Mirari me fateor hoc ita ſentiri potuiſſe, quaſi nos perſonam propriam Verbi, quod eſt Filius, negaremus, quem tot locis verum Filium de vero Patre natum ingeſſimus*. Si primi libelli auctor in eodem ſe ſe ita explicaſſet circa perſonarum diſtinctionem, ut ſe, paucis licet verbis, explicat in libello fidei, ſeu in ſermone 50., in quo præciſe & accurate loquitur ; numquam ipſi opponi potuiſſent, quæ prioris libelli cauſſa eidem objecta traduntur. Quid quod voces *tot locis* longiorem tractatum confirmant, quæ breviori libello nequaquam conveniunt ? Hic ergo ſermo 50. pro illo primo libello adverſus Arrianos edito haberi nequit ; ſed alius anterior, & prolixior Nazianzeni tractatus in Arrianos & Sabellianos indicatur, cujus Apologiam idem auctor contexuit ſermone 49. Libellus vero fidei noſtræ collectioni inſertus poſterior eſt eodem ſermone 49. adeo ut ipſius compendium videatur, quod tamen in fine articulum præfert de reſurrectione corporum, quo ſermo 49. caret.

ſ. II.

De altero fidei libello, qui in noſtra collectione exhibetur cap. 40. Abjudicatur ab Auguſtino, cui illum Queſnellus tribuit ; & Concilio Toletano I. aſſeritur.

I. DE hoc libello egit Queſnellus ſ. VIII. ubi ipſum, qualis eſt in Codice canonum cap. 40. S. Auguſtino adjudicandum exiſtimat. Cumque idem ferme repetatur in Regula fidei ſubjecta Concilio Toletano I., quæ ab alia Synodo Hiſpanica ſub S. Leone condita fuit ; hujus Synodi Patres ex ipſo Auguſtini libello eamdem Regulam hauſiſſe opinatur. Ut autem brevius, quoad fieri poſſit, noſtram ſententiam aperiamus, præmittendum eſt, hoc documentum inter Auguſtini opera olim editum, levioribus variantibus exceptis, idem omnino eſſe ac illud noſtræ collectioni inſertum : quod tamen in editione Auguſtini poſteriori manu additamentum recepit decem & quatuor anathematiſmatum, quæ ex epiſtola Damaſi ad Paullinum excerpta fuere. At documentum ſub titulo *Regula fidei* ſubjectum Toletanæ Synodo I., etſi quoad ſubſtantiam ſit idem cum illo noſtræ collectionis ; non ſolum tamen ſex anathematum additionem in fine exhibet, quæ ejuſdem *Regulæ* propria ſunt ; verum etiam quædam additamenta, & clariores aliquot explicationes præfert tum in ipſo corpore, tum etiam in anathematiſmis, præſertim ſ. 6. 7. & 12. ut conferenti notationes noſtras in cap. 40. Codicis palam fiet. Nihil porro ambigendum videtur, quin hoc documentum, ut in MSS. noſtri Codicis exſtat, primus ſit vetuſtioris auctoris fetus, quem Patres Concilii Hiſpanici ſub S. Leone in condenda Regula fidei ſuſceperint, & aliquot additamentis, atque aliis explicatioribus verbis nonnullis in locis efferentes, ſuum fecerint. Neque enim veroſimile eſt poſteriorem auctorem, qui explicatius documentum præ oculis habuit, ea omiſiſſe, quæ ad perſpicuitatem conferunt ; ſed potius e contra accidit, ut quæ prius brevius & minus clare ſcripta fuerunt, poſterior auctor auctiora & explicatoria efficiat. Exemplum itaque noſtræ collectionis primævum fetum eſſe, & Leonis ætate antiquius eum Queſnello arbitramur.

II. Num vero S. Auguſtino tribuendum ſit, ut ille exiſtimat, aſſentiri non poſſumus. Idem in fine paragraphi VIII. ſe ſe expectare dixit Patrum Benedictinorum judicium in ea, quæ tum parabatur, operum S. Auguſtini editione. Illi vero documentum, quod antea inter Auguſtini ſermones relictum fuerat, nihil moti Queſnelli obſervationibus, non dubitarunt exinde excludere, & referre in Appendicem tomi V. ſerm. 233. *Quippe*, inquiunt, *in MSS. hunc libellum inter Auguſtini ſermones & opuſcula uuſquam exſtare vidimus*. Rationem etiam addunt ex ſtilo. *Auguſtinum certe nobis minus ſapiunt hi loquendi modi num.* 1., hanc unam eſſe divini nominis Trinitatem. *Ibidem*, non imaginarium corpus, aut forma ſola compoſitum. *Ibid.* & omnia corporis exercitia, *ſive ut Romanus Codex* (Queſnellianum intelligunt) exitia ſenſiſſe. *Et num.* 2. mundum hunc factum non fuiſſe, atque ejus omnia inſtrumenta. *Tandem vox* Paracletus *paſſim poſita pro* Spiritus Sanctus. Argumentum itaque ſtili, quod Queſnellus extulit, Auguſtinum maxime expungit. Hinc jure Verlinus & Vindingus huic ſermoni inter Auguſtinianos recenſito ſuppoſitionis notam affixere. Adde etiam judicium P. Couſtantii in Admonitione ad epiſt. 5. Damaſi ad Paullinum pag 505. n. 8., ubi in hoc ſermone *nihil eſſe Auguſtini* profitetur. Auguſtini autem nomen in vetuſtiſſimo MS. Vindebonenſi noſtræ collectionis ita in fine tituli additur, ut addititium credi poſſit. Ex aliquo autem ejuſdem collectionis, ut alibi vidimus, Gallicanæ exemplo in collectionem item Gallicanam Additionum Iſidori hoc documentum tranſiiſſe, & ex alterutro hoc fonte ob inſcriptum titulo Auguſtini nomen inter hujus ſermones tandem fuiſſe receptum & editum arbitramur. Opinio igitur, quæ Auguſtinum hujus libelli auctorem præfert, ex ſolis codicibus noſtræ collectionis proficiſcitur, in quibus illius nomen addititium ex noſtro MS. Vindebonenſi conjicere licet.

III. Cum porro hoc documentum a Patribus Synodi Hiſpanicæ ſub S. Leone repetitum & auctum cum titulo *Regula fidei*, in MSS. collectionum Hiſp. & Iſid. ſubjiciatur Concilio I. Toletano, de quo plura diximus tom. II, not. 5. ad Queſnelli Obſervationes in epiſt. 15. S. Leonis ad Turribium ; valde probabile videri poteſt, primævum hoc documen-

cumentum ipſi Synodo Toletanæ I. tribuendum eſſe, quæ eum damnaverit hæreſim Priſcillianiſtarum, hunc libellum fidei adverſus eam aliaſque hæreſes cum duodecim anathematiſmis edidit. Hic libellus contineri poterat in uberioribus ejuſdem Synodi geſtis, quorum in proœmio ipſius Synodi fit mentio. Hoc autem documentum Patres poſterioris Synodi Hiſpanæ ſub Leone repetentes, ut illud præſenti ſuarum Eccleſiarum neceſſitati accommodarent, aliqua clarius explicanda, alia addenda cenſuere. Huc referendum videtur additamentum *Filioque*, quod illi in *Regula fidei* inſeruere Leonem ſequuti, qui in epiſt. 15. ad Turribium cap. 1. de Spiritu Sancto ſcripſit, *de utroque proceſſit*. Auctor collectionis Hiſpanicæ primævum documentum, B quale in noſtra collectione legitur, in geſtis Toletanæ I. Synodi nactus, cum illud explicatius & auctius inveniſſet in poſteriori Synodo ſub Leone, hoc illi ſubſtituendum, ac eidem Toletanæ I. Synodo ſubnectendum putavit, ea admonitione præmiſſa, qua alteri Concilio ſub Leone ipſum perſpicue adſeruit his verbis *Incipit Regula fidei catholicæ contra omnes hæreſes, & quammaxime contra Priſcillianos, quam Epiſcopi Tarraconenſes, Carthaginienſes, Luſitani, & Bætici fecerunt, & cum præcepto Papæ Urbis Leonis ad Balconium Epiſcopum Galliciæ tranſmiſerunt*. Solum offendere poſſunt quæ ſequuntur: *Ipſi etiam & ſupraſcripta viginti canonum capitula ſtatuerunt in Concilio Toletano:* quæ ad Patres Concilii ſub Leo- C ne referri nequeunt, cum canones in Toletana I. Synodo conditi fuerint, ut laudata not. 5. fuſius probavimus. Duas in hæc poſtrema verba conjecturas ibidem indicavimus. Nunc aliam, quæ probabilior fortaſſis videbitur, proponemus. Hæc nimirum verba forte ab auctore collectionis Hiſpanicæ inventa in titulo libelli fidei ejuſdem Synodi Toletanæ I. cui congruebat; hoc loco, ubi ob ſubſtitutam Regulam fidei alterius Concilii ſub Leone, minus congruit, incaute retenta fuere.

§. III.

De auctore ſymboli Quicumque, *quod S. Athanaſii nomine inſcribitur.*

Symbolum *Quicumque* quando Athanaſio tributum.

I. ANtiquius teſtimonium, quo ſymbolum *Quicumque* S. Athanaſio tribuitur, eſſent duæ epiſtolæ inter S. Iſidori Hiſpalenſis opera editæ, una ad Claudium Ducem, altera ad Eugenium Epiſcopum Toletanum, ſi vere eumdem S. Iſidorum haberent auctorem. At cum hæ ſcriptæ cum jam ſæculo IX. & XI. exortæ eſſent Græcorum adverſus Latinos controverſiæ, S. Iſidoro Hiſpalenſi perperam inſcribantur; primum teſtimonium peti poteſt ex quodam canone Synodi Auguſtodunenſis ſub S. Leodegario Epiſcopo, quæ celebrata fuit, non anno (ut cum editis Queſnellus ſcripſit) 670. ſed E anno 676. vel 677. quemadmodum V. C. Bouhierius in epiſtola ad Mabillonium conſtituit. Cum vero canon, qui laudatum ſymbolum *fidem S. Athanaſii* appellat, a Sirmondo erutus fuerit e MS. collectione Divionenſi, quæ non integras Synodos, ſed canones hinc inde excerptos, ac in titulos diſtributos continet; incertum quibuſdam videtur, num ſpectet ad Concilium Auguſtodunenſe ſub S. Leodegario habitum, an vero ad aliud ejuſdem loci, quod poſterius celebratum fuerit: ac propterea nihil hinc certi ad antiquitatem ſymboli Athanaſio inſcripti conſtituendam elici poſſe contendunt. Nos vero eumdem canonem invenimus in collectione F Herouvalliana edita a Jacobo Petit cap. 1. Licet autem ibidem canon Auguſtodunenſis allegetur ſine Leodegarii nomine; tamen collectionis auctorem non aliam Synodum Auguſtodunenſem præ oculis habuiſſe, niſi quæ S. Leodegario Epiſcopo celebrata fuit, patet ex tabula canonum eidem collectioni præmiſſa, & a Petit exhibita pag. 264. in cujus fine de Auguſtodunenſibus canonibus in eadem collectione allegatis hæc ſolum traduntur: *Canones Auguſtodunenſium S. Leodegarii Epiſcopi*. Concordat etiam caput 70. ipſius collectionis, in quo dum exhibentur Epiſcopi, qui canones ipſius collectionis confirmarunt, hæc ad Auguſtodunenſes canones re- A feruntur n. 19. *Conſenſio & confirmatio Leodegarii Epiſcopi Auguſtodunenſis*. Negari igitur nequit, cum antiquior codex, quo Herouvallianæ collectionis auctor uſus eſt, canonem laudatum retulerit inter eos, qui in Synodo Auguſtodunenſi ſub S. Leodegario ſanciti fuerunt: ac proinde poſt medium ſæculum VII. ſymbolum *Quicumque* S. Athanaſio adſcriptum dubitare non licet. Neque enim probabilis credi poteſt Papebrochii opinio in *Reſponſ. ad exhibit. error.* part. 2. art. 13. n. 36. ubi tradit verbis ejuſdem canonis *Fidem S. Athanaſii* non Athanaſianum, ſed Nicænum ſymbolum deſignari, in quo lucubrando Athanaſium plurimum laboraſſe ſatis credibile eſt. Nicænum enim ſymbolum pro- B prio Nicæni nomine in Eccleſia appellari ſolebat, numquam vero Athanaſii. Cum porro Athanaſii quidem nomine & in MSS. & ab aliis VIII. & IX. ſæculi auctoribus inſcriptum inveniamus ſymbolum *Quicumque*; nihil dubitandum videtur, quin aliquanto ante in Synodo Auguſtodunenſi S. Leodegarii, verbis *Fidem S. Athanaſii* idem ſymbolum vocatum fuerit. Idipſum confirmari poteſt etiam e collectione MS. Vat. Palat. 574. cujus additamenta ejuſdem circiter ævi idem ſymbolum hoc titulo præferunt: *Incipit fides catholica S. Athanaſii.*

Ejus ſymboli antiquitas.

II. Majorem vero ejuſdem ſymboli antiquitatem, omiſſo tamen Athanaſii nomine, alia vetu- C ſtiora documenta demonſtrant. Sunt qui ingerunt Concilium Toletanum IV. habitum 633. in quo nonnullas formulas ex eodem ſymbolo excerptas credunt. At ſimiles formulæ atque ſententiæ in definitis & vulgatis Eccleſiæ dogmatibus ita communes erant catholicis, ut Toletani Patres communibus formulis uſi dici poſſint, nec ex noſtro ſymbolo eas derivaſſe. Similes quidem phraſes invenire licet in aliis ſcriptoribus, quos ex Athanaſiano ſymbolo eaſdem ſumſiſſe nemo dixerit. Si iidem Toletani Patres in condenda profeſſione fidei Athanaſianum ſymbolum præ oculis habuiſſent; alias atque alias ſententias ex eodem derivaſſent: quæ tamen in ea profeſſione non inveniuntur. An- D tiquitatem vero ejuſdem ſymboli ipſa Toletana IV. Synodo anteriorem aptius adſtruit manuſcripta collectio, quæ continetur in pervetuſtis codicibus Parb. 2888. & Vat. 1342. In hac enim exhibetur *epiſtola canonica*, quam ſub initium VI. ſæculi celebrem, inter documenta Juris canonici veteris edidimus n. 4. ac in eadem ſic canon primus exprimitur. *Primum omnium FIDEM CATHOLICAM omnes Presbyteri, & Diacont, ſeu Subdiaconi memoriter teneant; & ſi quid* (leg. *ſi quis*) *hoc faciendum prætermittat, quadraginta dierum* (leg. *diebus*) *a vino abſtineant* (leg. *abſtineat*) &c. *Fidei catholicæ* nomine indicari ſymbolum *Quicumque*, certum ſit ex antiquiſſimis ejuſdem ſymboli codicibus, qui idem E ſymbolum (ut mox videbimus) *fidem catholicam* inſcribunt. Ea enim reſpiciuntur ipſius ſymboli verba: *Ut teneat CATHOLICAM FIDEM. FIDES autem CATHOLICA hæc eſt*. Et in fine: *Hæc eſt FIDES CATHOLICA* &c. Adde Venantium Fortunatum, cujus expoſitio in ſymbolum *Quicumque* a Muratorio edita tom. 2. Anecdot. Latin. pag. 212. inſcribitur: *Expoſitio Fidei catholicæ Fortunati*; ſic enim hanc inſcriptionem intelligendam putamus, ut Fortunatus auctor ſit, non *fidei catholicæ*, ſeu ſymboli *Quicumque*, ſed *expoſitionis* in eumdem ſymbolum, quemadmodum alias *expoſitiones* edidit in ſymbolum Apoſtolorum & in orationem dominicam. Hæc ſunt duo teſtimonia ſæculi VI. Si F autem hoc tempore non ſolum Fortunatus hanc *Fidem catholicam* explicavit, verum etiam canone præceptum fuit ut omnes Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi ipſam memoriter diſcerent: illam jamdiu ante ſcriptam uſuque Plurimorum receptam fateri neceſſe eſt.

Vetuſtiora exemplaria Athanaſii nomine carent.

III. Vetuſtiora porro ejuſdem ſymboli exemplaria vel titulo carent, vel ſine auctoris nomine inſcribunt tantum *Fides catholica*. Primi generis ſunt MS. Ambroſianum, olim Bobienſe, ante annos mille & amplius exaratum, in quo noſtrum ſymbolum ſine ulla inſcriptione legitur, teſte Muratorio loco allegato pag. 224. & codex Colbertinus

784. ævo circiter Pipini ſcriptus, in quo ejuſdem ſymboli pars legitur; quia librarius ita mutilum ſe Treveris in vetuſtiore utique codice reperiſſe teſtatur, nullo auctoris nomine, aut titulo deſignato. Tres alii codices referuntur a Benedictinis editoribus operum S. Athanaſii §. 2. Diatribæ in ſymbolum *Quicumque* pag. 721. unus Regius 4908. alter Colbertinus 3133. ac tertius laudatus a Felckmanno, in quibus hoc ſymbolum omni titulo, & auctoris nomine caret. Inter ſecundi autem generis exemplaria præter illa ſæculi VI. quæ uſui fuerunt Fortunato, & auctori *epiſtolæ canonicæ*, de quibus diximus numero præcedenti, omnium, quæ hactenus inventa ſunt, antiquiſſimum eſt illud quod ab Uſſerio laudatur, ubi nullo auctoris nomine hæc inſcriptio præfigitur: *Fides catholica*. Idem legitur in duobus MSS. Vat. 81. & Vat. Reginæ 12. eumdemque titulum exſtitiſſe in codice, quem adhibuit Theodulfus Epiſcopus Aurelianenſis, liquet ex Capitulari ejus ſecundo paullo poſt initium. Athanaſii itaque nomen non ab auctore initio adſcriptum, ſed poſteriori tempore inductum fuit: unde poſteriora tantum exemplaria & ſcriptores ſeptimi, octavi, & noni ſæculi illud præferunt.

IV. Hæc, quæ ex codicibus & antiquioribus teſtibus produximus, deberent ſufficere, ut hocce ſymbolum S. Athanaſio poſteriori tantum ætate ſuppoſitum dignoſcatur. Ipſi quidem non poſſe illud adſcribi alia plura argumenta convincunt, tum quæ in præcedenti Diſſertatione Queſnellus digeſſit §. XI. tum quæ poſtea addiderunt PP. Benedictini editores operum S. Athanaſii in peculiari Diatriba de eodem ſymbolo §. 3. Ludovicus Muratorius tom. 2. Anecdot. Latin. in diſquiſitione de eodem argumento, & noviſſime P. Dominicus Maria Speronius diſſert. 1. *de ſymbolo vulgo S. Athanaſii* Patav. 1750. ubi præterea hujus ſymboli auctorem, non Græcum, ſed Latinum eſſe evidenter oſtendunt. Tota autem quæſtio nunc in eo verſatur, cuinam Latino ſcriptori hocce ſymbolum tribuendum ſit. Queſnellus Vigilium Tapſenſem opinatur. At ejus ſententiam primum impugnavit Joſephus Antelmius in *nova de ſymbolo Athanaſiano diſquiſitione* Pariſiis edita an. 1693. cui hac in re auctores paullo ante memorati calculos addidere.

Auctor ſymboli ejuſdem Latinus. Non eſt Vigilius Tapſenſis.

V. Certe quod ait Queſnellus, eumdem Vigilium nonnulla ejuſdem generis opera Athanaſii aut aliorum Scriptorum nomine edidiſſe, non ſatis probavit. Sola *Altercatio Sancti Athanaſii Epiſcopi contra Arrium, Sabellium, atque Photinum hæreticos* in dialogi formam ſcripta, Vigilii quidem eſt, cum ab ipſo Vigilio laudetur lib. 5. contra Eutychem cap. 2. at non idcirco Athanaſii nomine edita dici debet, cum in præfatione moneat ſe Athanaſium loquentem inducere, ut alii ſcriptores inducere ſolent alios, quos tamen nemo idcirco dialogi auctores putat. Librum contra Marivadum, ſeu Varimadum Idacii Clari nomine vulgatum Vigilio quidem adjudicavit Chiffletius, propterea quod ipſe Vigilius in laudata Altercatione lib. 2. n. 45. librum adverſus eumdem ſe edidiſſe profitetur. Cum vero in eadem Altercatione Vigilius prolixum locum recitet ex ſuo opere contra Marivadum, qui in tribus Idacii libris contra Varimadum non legitur; hinc ſatis tute colligitur, librum Vigilii contra Marivadum, diverſum eſſe ab Idacii libris contra Varimadum, nec ad nos perveniſſe. Quare hi poſtremi contra Varimadum libri Vigilio tribui nequeunt, ac ſi ementitum Idacii nomen eiſdem præfixerit. Vide plura apud Antelmium loco laudato, & admonitionem præmiſſam libris de Sancta Trinitate in editione noviſſima operum S. Athanaſii tom. 3. pag. 602. Similia reponi queunt ceteris opuſculis, qui aliorum Patrum, aut Athanaſii nomine inſcripti eidem Vigilio a nonnullis addicuntur. Libri duodecim de Trinitate inter Athanaſii opera eo præcipue nomine Vigilio tribuuntur a Chiffletio, quia laudantur in præfatione librorum Idacii Clari contra Varimadum, quos a Vigilio Idacii ementito nomine editos præſumſit: quam hypotheſim jam refellimus. Sicut autem libri contra Varimadum non Vigilii, ſed Idacii ſunt; ita etiam libri de Trinitate, quos Idacius in laudata præfatione ſe lucubraſſe affirmat, ejuſdem Idacii, non Vigilii eſſe dicendi ſunt. Neque vero quicquam movere poteſt Chiffletii niſus, qui ut eoſdem libros de Trinitate Vigilio aſſerat, longum illud teſtimonium ab eodem Vigilio recitatum in Altercatione memorata, & excerptum ex ſuo libro contra Marivadum, in ipſis de Trinitate libris invenire ſtuduit. Neque enim hoc efficere potuit, niſi aliquot ſententiis & Paullinis locis hinc inde collectis. Præterea hi libri nuſpiam inſcribuntur contra Marivadum; Vigilius autem illud teſtimonium ex libro contra Marivadum ſe eruere tradidit. Vides ergo, quam imbecille hoc argumentum ſit, quod ex præſumto, ſed non probato Vigilii niſu ducitur. Cum porro libri de Trinitate non ſint Vigilii, ſed Idacii; formulæ fidei eiſdem inſertæ, & inſcriptæ Athanaſii nomine, ſi quid probarent, non pro Vigilio, ſed pro Idacio probarent. Adde quod iidem libri in quibuſdam codicibus concluduntur libro octavo; illæ autem fidei formulæ ad poſteriores libros pertinent, qui alii auctori tribuendi videntur. Confer admonitionem PP. Benedictinorum in eoſdem libros tom. 3. pag. 601. In aliis autem manuſcriptis ita & ordine, & numero & inſcriptionibus diſcrepant, ut nihil certum de primævo fetu conſtitui queat. Vide Joſephum Blanchinium in Enarratione pſeudo-Athanaſiana in ſymbolum Apoſtolorum pag. 69.

VI. Opponitur, ſymbolum *Quicumque* in quibuſdam codicibus illigatum, ſeu potius ſubjectum reperiri Altercationi contra Arrium, Sabellium, atque Photinum, quæ certe Vigilium habet auctorem. Quid inde? Num hinc recte infertur utrumque opus eſſe ejuſdem auctoris? Minime gentium. Librarii enim ſæpe plura diverſorum ſcriptorum opuſcula in eodem codice ſcribere ſolebant. Stili ac ſententiarum ſimilitudo cum operibus Vigilii, etiamſi probaretur, in hiſce fidei documentis leviſſima ratio eſt. Quis enim ignorat, eam eſſe catholicorum conſuetudinem, ut in ſcribendis fidei profeſſionibus, ac in proponendis fidei dogmatibus formulæ & loquutiones in Eccleſia receptæ adhibeantur, novæ autem vitentur? Hinc formulas non diſſimiles in diverſis licet ſcriptoribus, qui eadem dogmata tradidere, invenire licebit, ut ne tamen ex hac loquutionum ſimilitudine eumdem eſſe diverſorum opuſculorum auctorem colligi queat. Hac de cauſſa jure P. le Quien in diſſert. 1. Damaſcenica n. 16. pag. 9. inefficacem demonſtrat parallelum ſententiarum ſymboli *Quicumque* cum aliis ſimilibus Vigilii ſententiis, quippe & S. Auguſtinus ſimiles formulas ac ſententias exhibet.

VII. Hæc, quæ Queſnelli ſententiam reſpuunt, æque valent contra Antelmium, qui Vincentio Lirinenſi idem ſymbolum vindicare contendit. In cujus argumentis ſingillatim refellendis ſi quis plura deſideret, adeat PP. Benedictinos & Muratorium locis laudatis, nec non P. Dominicum Mariam Speronium diſſert. 2. de ſymbolo cap. 4. & 5. ubi omnia ab Antelmio producta non magis Vincentio, quam aliis ejuſdem circiter ætatis ſcriptoribus aptari poſſe oſtendit. Unam ipſius Antelmii conjectationem præterire non poſſumus, qua primas ſymboli lacinias Treveris inventas, ac idcirco a Trevirenſi ſcriptore, qualem Vincentium credit, ſymbolum lucubratum arbitratur. Id autem colligit ex cod. Colb. 784. in quo poſt definitionem Chalcedonenſem, & ante Nicænum ſymbolum interjecta legitur ea vulgati Athanaſiani ſymboli pars, in qua catholica de Chriſti incarnatione doctrina continetur, hac præmiſſa adnotatione. *Hoc inveni Treveris in uno libro ſcriptum ſic incipiente: Domini noſtri Jeſu Chriſti & reliqua. Domini noſtri Jeſu Chriſti fideliter credat. Eſt ergo fides recta* &c. uſque ad finem. Hæc quidem oſtendunt ſymbolum *Quicumque* ſine auctoris nomine a codicis Colbertini amanuenſi inventum fuiſſe in vetuſtiori codice Trevirenſi, quod antiquitatem ſymboli plurimum confirmat. At auctorem ejuſdem ſymboli Trevirenſem pariter fuiſſe nequaquam probant.

Neque auctor eſt Vincentius Lirinenſis.

VIII. Cum vero nullus codex, nullus antiquus ſcriptor Vigilio Tapſenſi, aut Vincentio Lirinenſi hoc ſymbolum tribuerit; antiquiores autem codices auctoris nomi-

Concluditur auctorem eſſe ignotum.

Digitized by Google

mine careant, ſatius erit ignotum auctorem fateri, quam hujuſmodi conjectationibus, quæ variis ſcriptoribus accommodari queunt, hunc vel illum ſymboli auctorem traducere. Quaintre concludemus cum Tillemontio not. 34. in S. Athanaſium tom. 8. pag. 671. *Il vaut donc mieux nous tenir dans les tenebres de noſtre ignorance: & je ne ſçais s'il ne faut point encore ajouter qu'il vaudroit mieux ne point perdre le temps à former tant de conjectures* A *ſur des choſes de ce genre là. Il peut eſtre de quelque utilité de ſavoir le veritable auteur d'une piece. Mais quand on n'en peut ſavoir rien de certain, à quois ſert-il de ſavoir que c'eſt peut eſtre un tel, ou un tel? Cela eſt plus propre à former des conteſtations qui à établir en éclaircir aucune verité. Contentons nous donc d'eſtre aſſurez que ce ſymbole n'eſt point de S. Athanaſe, mais qui il eſt ancien & du VI. Siecle au plus-tard.*

S U M M A

EORUM QUÆ CONTINENTUR IN HAC II. DISSERTATIONE

P A S C H A S I I Q U E S N E L L I

CUM BALLERINIANIS ADNOTATIONIBUS ET OBSERVATIONIBUS IN EANDEM:

QUESNELLI *Diſſertatio II. de variis fidei libellis in antiquo Romanæ Eccleſiæ Codice contentis. Ubi ex occaſione de auctore libelli fidei, qui vulgo dicitur* Symbolum S. Athanaſii, *conjecturæ in medium adducuntur.* 321

EDITORUM *Obſervationes in Diſſertationem II. Queſnelli de libellis in Codice inſertis &c.* 334

§. I. *Libellus fidei, qui in collectione hoc tomo edita exhibetur cap. 39. S. Gregorio Nazianzeno probabilius vindicandus creditur. Impugnatur ſententia, qua Auctori Latino adjudicatur, & Gregorio Orientali cum Queſnello ſubſtituitur Occidentalis, Gregorius Bæticus, vel cum noviſſimo auctore Phœbadius.* Ibid.

§. II. *De altero fidei libello, qui in noſtra collectione exhibetur cap. 40. Abjudicatur ab Auguſtino, cui illum Queſnellus tribuit; & Concilio Toletano I. aſſeritur.* 335

§. III. *De auctore Symboli* Quicumque, *quod S. Athanaſii nomine inſcribitur.* 336

VII.

PASCHASII QUESNELLI

DISSERTATIO III.

DE PRIMO USU CODICIS CANONUM

DIONYSII EXIGUI

IN GALLICANIS REGIONIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PASCHASII QUESNELLI
DISSERTATIO III.
DE PRIMO USU CODICIS CANONUM
DIONYSII EXIGUI
IN GALLICANIS REGIONIBUS.

Ubi quod ante Adriani Papæ I. & Caroli Magni Imperatoris tempora receptus non fuerit, oſtenditur: & quæ apud Gallias Latina Canonum Orientalium verſio ante hæc tempora viguerit, inquiritur.

I. Cur hæc tentata Diſſertatio.

DE collectionis Dionyſianæ uſu in Galliis diſſerere aggredimur: utrum videlicet ſtatim atque in Romana Eccleſia uſurpari illa cœpit, vel non multo poſt, a Gallicanis quoque Eccleſiis ſuſcepta fuerit, & in cauſſarum eccleſiaſticarum diſceptatione uſu probata; an vero ad tempora uſque Caroli Magni Imperatoris Francorumque Regis illius Codicis receptio in Galliis differenda ſit. In quo quidem proprias metas nonnullis proculdubio tranſilire videbimur, & ab inſtituto noſtro longius recedere. Ab hoc tamen non recedimus: quandoquidem quo in loco fuerit epiſtolarum Leonis per Galliam auctoritas, an ante Dionyſii ætatem illic receptæ, an Codicis tantum illius ope Gallicanis regionibus innotuerint, ex hac diſcuſſione manifeſtum fiet. Deinde memini me non ſemel aſſerere in ſuperioribus Diſſertationibus, Codicem Dionyſianum nullam in Galliis (1) auctoritatem ante Imperatoris illius tempora eſſe adeptum: quod nequis temere a me dictum putet, aſſertionis meæ rationem Lectori me debere profiteor. Præterea cum illuſtriſſimus Petrus de Marca hanc verſans quæſtionem validiſſimum habere ſe pro ſua ſententia teſtimonium crediderit ex epiſtola ſancti Leonis diu ante Adrianum Papam laudata in Gallicana Synodo; nobis hujus difficultatis illuſtrandæ pro ſuſcepto labore onus incumbit. Denique cum (2) ex Codicis antiqui Eccleſiæ Romanæ, quem in publicum emittimus, cum Gallicana diſciplina collatione perſpicuum ſit, Gallicanos noſtros Antiſtites non Romano uſque ad Dionyſium Exiguum Codice uſos eſſe, ſed proprio; non ſupervacaneum erit, nec viris eruditis ingratum nobiſcum diſcutere, utrum poſt conditum Dionyſii Codicem, aliquid in judiciorum eccleſiaſticorum forma innovatum fuerit in Galliis: cui diſquiſitioni maxime proderit noſſe, quonam Codice Canonum, an Romano, an proprio uterentur Gallicani Epiſcopi, uſque fuerint uſque ad Caroli Magni ætatem.

Receptum ſtatim in Galliis Dionyſii Codicem, affirmat Marca.

Petrus de Marca, de Concordia Sacerdotii & Imperii libro 3. capite 4. ſibi perſuaſum aſſerit, *uſum Collectionis Dionyſianæ ſtatim atque edita fuit, priore interpretatione ſpreta, per Gallias invaluiſſe: tum quia apud Sedem Apoſtolicam vigebat, tum etiam quod nitore ſuo commendabatur, præ ſquallore veteris interpretationis: etſi hanc omnino Galli non deſeruerint*. Ad hujus auctoris opinionem accedit ſcriptor novellus de canonicis Epiſcoporum Judiciis, cap. 4. ubi contrariam ſugillat, variiſque conjecturis convellere conatur.

Negant Juſtellus, Sirmondus, & Florens.

Contrariam ſententiam tuentur viri tres, maximi apud antiquitatis canonicæ ſtudioſos nominis, Chriſtophorus Juſtellus in præfatione Codicis univerſæ Eccleſiæ, Jacobus Sirmondus in præfatione ad antiqua Concilia Galliæ, & Franciſcus Florentius Anteceſſor Aurelianenſis in Diſſertatione de origine, arte & auctoritate Juris Canonici, parte 3. quam ſententiam ut altera longe probabiliorem hac diſſertatiuncula vindicamus. Cui priuſquam manum admoveamus, unum & alterum monebo. Primum eſt, duo eſſe ab invicem diſcernenda, quæ vel confundunt aliqui, vel ita conjuncta volunt, ut unum ex altero neceſſario conſequi exiſtiment. Nimirum decretales, ut vocant, Pontificum Romanorum epiſtolas nonnumquam in uſum vocatas eſſe in priſcis Galliarum Synodis: alterum, Dionyſianam earum decretalium collectionem jam tum, cum lucem videre cœpit, a Gallicanis Epiſcopis eſſe receptam auctoratamque ante Caroli Magni tempora. Prius illud negare, cum manifeſtum ſit, ſummæ fuerit dementiæ; ſed poſterius inde deducere, & rationi & omnium Synodorum Gallicanorum conſuetudini adverſum eſſe conſtabit ex his, quæ modo dicturi ſumus.

Alterum, quod in anteceſſum Lectori ſuggero, hoc eſt, (3) ita probationibus argumentiſque validis deſtitui contrariam opinionem, ut quotquot in ejus patrocinium adducuntur ab illius defenſoribus, eidem omnino adverſa eſſe luce ipſa clarius ſimus oſtenſuri.

II. I. Argumentum quintuplex ex cauſſa Contumelioſi. Anno 534.

Primum nobis argumentum ſuppeditat Contumelioſi Rejenſis in Gallia Epiſcopi negotium: de quo cum ſanctus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus ſcripſiſſet ad Joannem Papam II. reſcriptum ab eo accepit, quo ſignificat Pontifex rigorem canonum adverſus eum, qui lapſus erat, ſervandum eſſe: *Quæ vero*, addit ille, *de his Canones præcipiunt, ſubter adhæcimus, ut quæ facienda ſunt poſſitis agnoſcere*. Quæ porro ſubjiciuntur huic epiſtolæ (4) decreta Apoſto-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Tota Queſnelli ſententia ei hypotheſi innititur qua canonum Codicem, qui uſu receptus eſſet, non niſi publicum, & publica auctoritate donatum, ſeu, ut alibi appellat, *auctoratum* præſumit. Hæc autem hypotheſis quam falſa ſit, videbimus in Obſervationibus huic Diſſertationi ſubjiciendis cap. 1. num. 1. & 2.

(2) Hunc antiquum non fuiſſe publicum Codicem Romanæ Eccleſiæ, ſed collectionem privatam in Galliis conditam, probavimus in Obſervationibus ad Diſſert. XII. cap. 1.

(3) Quicumque legat Obſervationes cap. 1. num. id verum, an falſum ſit, ſtatim intelliget.

(4) Ordo eorum, quæ Joannes ſuæ epiſtolæ ſubjecit, hic eſt. Primo fragmentum epiſtolæ Siricii: dein duo canones apoſtolici: tum (ut diſcimus ex noſtro codice Vat. Palat. 574.) unus canon Neocæſarienſis, qui in vulgatis deſideratur: tandem duo canones Antiocheni. Licet autem hæc omnia a Joanne ſumpta ex collectione Dionyſii probent, hanc apud Ro-

ſtolica, Antiochena, & Siricii Papæ, ex collectione Dionyſii ſumta ſunt. Quis vero ſibi perſuadeat Joannem ita de mittendis ex Codice Dionyſiano decretis fore ſollicitum, niſi apud eum conſtitiſſet eumdem in Galliis uſu nondum fuiſſe receptum; alioqui conſulentem Cæſarium, quænam eſſet ea de re Apoſtolicæ Sedis diſciplina, ſuffeciſſet ad Codicem prædictum remittere: quod tamen ille non præſtitit.

2. Nec opus habuiſſet Cæſarius de Romanæ Eccleſiæ conſuetudine ac legibus ſciſcitari a Pontifice, ſi unus & idem (1) Canonum Codex utrique Eccleſiæ communis fuiſſet in cauſſis eccleſiaſticis diſceptandis: nec ita negligentes fuiſſe Epiſcopi credendi ſunt, ut quicquid canonicorum codicum erat in Galliis non evolviſſent, antequam aliena pulſarent ſcrinia: quod revera factum ab illis fuiſſe teſtatur geminum excerptum Canonibus a Joanne miſſis ſubjunctum. Quid ergo in hoc negotio agendum eſſet, jam notum erat ex quatuor Gallicanarum Synodorum Canonibus, qui excerpti leguntur a Gallicarum Epiſcopis: conſtabat etiam ex Nicæno Canone 9. quem alterum excerptum continet. Verum cum plurimos haberet Contumelioſus patronos, *quibus pro nimia pietate ſanctorum Patrum ſeveritas non placebat*, ut habet ſcriptum Cæſario ipſi a Sirmondo attributum, quique *per falſam potius pietatem, ita totis viribus elaborabant*, ut *aut nec mitteretur Contumelioſus in Monaſterium, aut certe poſt non longum tempus, importunitate nimia & diſciplina eccleſiaſticæ inimica extorquere conabantur ut rediret ad honorem*; Cæſarius diſciplinæ tenax Sedem Apoſtolicam, cujus vices gerebat, conſulendam cenſuit, ut & ſuam Gallicanis Præſulibus auctoritatem jungeret, & quid obſervaretur in Eccleſia Romana ex Conciliorum & Pontificum Romanorum decretis certiores eos faceret. Cæſario reſcripſit duo Joannes PP. *rigorem* ſcilicet *Canonum ſervare neceſſe eſſe*, & (2) ſecundum decreta Sedis Apoſtolicæ Contumelioſum ab Epiſcopatu ſuſpendi debere: *Atque ideo prædictum*, inquit, *ab Epiſcopatus ordine noſtra ſuſpendit auctoritas*.

Joannis Papæ II. Ep. 6. ad Cæſar. Arel.

3. Ex Gallicanis excerptis manifeſtum evadit (3) Gallicanum Codicem a Romano, ſeu Dionyſiano plurimum diſcrepaſſe. Accurate enim ſuum verſantibus Gallis alius Canon non apparuit præter Nicænum IX. & quatuor Gallicanos. Ex quo neceſſe eſt affirmare nec Siricii Papæ decretalem ad Himerium, nec apoſtolicos canones in eo Codice fuiſſe repertos, quos proculdubio non omiſiſſent. At, inquies, nec Antiochenos excerpſerunt, quamvis Codici Gallicano inſertos tunc temporis fuiſſe probabile ſit, vel etiam certum ex pluribus MSS. Gallicanarum collectionum codicibus appareat. Quod Antiochenos non commemoraverint, non ob eam

A caussam factum eſt, quod ſuis non ineſſent codicibus; ſed quod ad cauſſam, quæ agitabatur, non faciebant. Quæſtio enim erat an Epiſcopus de crimine capitali convictus, eſſet deponendus; nec ei umquam ad ſedem ſuam redeundi ſpes ulla ſupereſſet. Hoc Antiochenis canonibus a Joanne miſſis non continetur: hi enim damnatum jam Epiſcopum ſupponunt, talemque aſſerunt non licere aliquid de miniſterio ſacro contingere, nec in alia Synodo reſtitutionis ſpem aut locum habere ſatisfactionis. Quamobrem ab illis excerpendis abſtinuerunt Gallicani, ſola Nicæni Concilii ſanctione contenti, quæ etſi de criminibus Epiſcoporum ante

B ordinationem perpetratis decernat, potiori ratione ad crimina ab ordinatis commiſſa extenditur: ut factum eſt a Gelaſio Papa I. epiſtola 9. ad Epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos.

4. Diſcrimen verſionis Nicæni Canonis noni, quam Gallicanum excerptum exhibet, a Dionyſiana verſione, diverſum ab utraque Eccleſia codicem fuiſſe uſurpatum, perſpicue declarat.

5. Tractatus ille excerptis adjectus, qui incipit: *Ecce manifeſtiſſime conſtat* &c. tres conſtanter diſtinguit auctoritatum ordines ſeu claſſes, quibus Contumelioſi depoſitionem aſſerit decernendam. Unus eſt ex Codice Eccleſiæ univerſalis, alter ex Codice Gallicano, tertius ex Codice Romanæ Eccleſiæ: ſeu potius duo primi ex uno Gallicano co-

C dice, qui bipertitus erat, prima parte continens Nicænos alioſque Græcos canones receptos, altera Gallicanos; unde diverſitas Codicum clara eſt. Nihil etiam aliud in decretis a Joanne Papa miſſis præter Apoſtolicæ Sedis auctoritatem & ſuffragium intuetur Cæſarius: quam unam laudat, cum de illo excerpto mentionem facit.

Secundum argumentum habemus ex Concilio Aurelianenſi III. ex quo Petrus de Marca ſuæ opinioni auctoritatem ineluctabilem conciliaru ſibi viſus eſt. *Conjecturis*, inquit, *addenda eſt probatio deſumta e Canone 3. Aurelianenſis Concilii habiti anno 538. ubi decreta Leonis Papæ de Metropolitanorum electione proferuntur: quæ petita cum ſint ex epiſtola data ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſco-*

III. 2. Argumentum ex Concil. Aurelianenſi III. An. 538.

D *pum, apud Gallos decretorum nomine valere non poterant, niſi ex eo quod Collectioni Dionyſii ſub decretorum appellatione inſerta eſſent, cujus auctoritatem Gallicani Epiſcopi amplexi fuerant.*

Antequam diſcutiamus quid ex hoc Canone roboris accedat adverſariorum opinioni, quid noſtræ; operæ pretium eſt eumdem heic integrum legentium oculis ſubjicere.

Con-

EDITORUM ADNOTATIONES.

Romanæ hoc tempore uſu fuiſſe receptam; non tamen probant eam ad Gallos nondum perveniſſe, etſi num eo pervenerit, Joannes Pontifex fortaſſe ignoraret.

(1) Etſi Dionyſii Codex, ex quo Joannes II. canones excerpſit, tum Romæ eſſet in uſu, non tamen idcirco credendus eſt fuiſſe codex publicus Romanæ Eccleſiæ. Vide Tractatum de Collectionibus part. 3. c. 2. Similiter etiamſi hoc tempore idem codex ad Gallos tranſiſſet, non propterea fuiſſet Codex Gallicanæ Eccleſiæ publicus, ſed privatus, qui alios codices canonum item privatos non excludebat. Queſnellus ſolum codicem publicum ex ſuo præjudicio uſu receptum præſumit, cum tamen nullus nec Romæ, nec in Galliis publicus eſſet. Vide Obſervationes in hanc Diſſertationem cap. 5. Plures autem privatæ collectiones in Galliis vigebant. Num inter has apud Gallos extiterit etiam Dionyſiana Cæſarii tempore, ideſt paullo poſt editum Dionyſii Codicem, nec affirmari, nec negari poteſt. Ad Queſnelli autem ſententiam refellendam ſufficit, ſi ante Carolum Magnum Dionyſianam Codicem in Galliis fuiſſe, uſuque nonnumquam receptum probemus, de quo in Obſervationibus plura.

(2) Verba *ſecundum decreta Sedis Apoſtolicæ* Contumelioſum ſuſpendendum indicant ex anteriorum Pontificum decretis; cum tamen textus mox recitatus *noſtra ſuſpendit auctoritas*, exprimat ipſius Joannis auctoritatem, quæ potiſſimum a Cæſario interpellata fuerat.

(3) Excerpta ad Joannem miſſa a Cæſario id unum manifeſtant, eum Codicem, ex quo Cæſarius canones excerpſerat, fuiſſe eam collectionem, in qua Nicæni canones ex Rufini abbreviatione, & quatuor Gallicanæ Synodi inter ceteras continebantur. Hic non erat codex publicus totius Eccleſiæ Gallicanæ: nam in aliis MSS. Gallicanis canones Nicæni integri continebantur. Collectio vero, quæ Rufini abbreviationes pro integris Nicænis canonibus exhibebat, fuit codex peculiaris, qualem reperimus in cod. Vat. Palat. 574., de quo vide Tract. de Collect. part. 3. c. 9. In hac quidem collectione præter abbreviationes Rufinianas exſtant etiam quatuor illa Concilia, quorum canones Cæſarius exſcripſit. At inſerta invenitur etiam epiſtula Siricii ad Himerium, non autem Antiocheni, ſicut nec alii Synodorum Græcarum canones: ex quibus palam fit, quam inanes ſint conjecturæ quas Queſnellus in ſequentibus ſubjicit.

Digitized by Google

Concilii Aurelianenſis III. Anno Chriſti DXXXVIII. Canon tertius.

De Metropolitanorum Provincialiumque Epiſcoporum electione & ordinatione.

De Metropolitanorum vero ordinationibus, id placuit, ut Metropolitani a Metropolitanis, omnibus, ſi fieri poteſt, præſentibus comprovincialibus, ordinentur: ita ut ipſi Metropolitano ordinandi privilegium maneat, quem ordinationis conſuetudo requirit. Ipſe tamen Metropolitanus a comprovincialibus Epiſcopis, ſicut decreta Sedis Apoſtolicæ contineat, cum conſenſu Cleri vel civium eligatur: quia æquum eſt, ſicut ipſa Sedes Apoſtolica dixit, ut qui præponendus eſt omnibus, ab omnibus eligatur. De comprovincialibus vero ordinandis, cum conſenſu Metropolitani, Cleri & civium, juxta priorum Canonum ſtatuta electio & voluntas requiratur.

His igitur verbis, *ſicut decreta Sedis Apoſtolicæ contineat*, Leonis decreta de Metropolitanorum electione proferri ex epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, exiſtimat auctor ille; quod tamen perſuadere mihi vix ac ne vix quidem poſſum: non enim alium epiſtolæ hujus locum præ oculis habere potuiſſent Aurelianenſes Patres, quam caput 6. quod numero 36. notatur apud Dionyſium Exiguum. Plura ſunt autem ex quibus hoc caput ab illis notatum eſſe non crediderim.

1. Quia diverſum prorſus mihi videtur Leonis conſilium a Synodi illius mente. Hoc enim unum intendit ſanctus Pontifex, ut diſſidium inter Vicarium Illyrici & Metropolitanum Epiri ortum, hujuſque Metropolitani jura cum Theſſalonicenſis Epiſcopi privilegiis ita componat, ut illibata utriuſque maneat auctoritas. Ex ipſius capitis inſpectione id unicuique perſpicuum erit. Sed & ex titulis eidem præfixis tam a Dionyſio, quam ab aliarum editionum procuratoribus. Talis eſt in vulgatis codicibus excuſis: *Ut Metropolitanus Epiſcopus de electo, quem eſt ordinaturus Epiſcopum, ad Theſſalonicenſem Pontificem referat, & de Metropolitano electo ſimiliter provinciales Epiſcopi faciant.* Item eſt titulus apud Dionyſium, tam qui inter titulos toti decretorum Collectioni præfixos legitur, quam qui ipſi capiti affigitur: niſi quod initio habet: *Ut Metropolitanus Epiri* &c. ex quo amplius adhuc Pontificis conſilium aperitur in hoc decreto, quod eo maxime collimat, ut jus relationis Theſſalonicenſi Epiſcopo afferat in ordinationibus tam Metropolitanorum, quam provincialium Epiſcoporum, qui intra Vicariatus Theſſalonicenſis limites conſtituti erant. Longe aliud conſilium eſſe Synodi Aurelianenſis, legenti obſcurum non erit: hoc enim loco, ubi auctoritatem Sedis Apoſtolicæ adducit, de provincialium Epiſcoporum jure in Metropolitani & comprovincialium electionibus, deque Cleri & plebis conſenſu ac ſuffragio ſolummodo agitur.

2. Quod maxime Canon præcipit illis verbis, quæ ex Sedis Apoſtolicæ ſententia proferuntur, illud eſt, ut conſenſus Cleri & plebis non prætermittatur in electione Metropolitanorum comprovincialiumque Epiſcoporum; utque id magis perſuadeant Concilii Patres, non auctoritatem ſolummodo Sedis Apoſtolicæ, ſed & rationem ab ea allatam referunt: *Sicut decreta*, inquiunt, *Sedis Apoſtolicæ contineat*. Et poſtea: *Quia æquum eſt, ſicut ipſa Sedes Apoſtolica dixit, ut qui præponendus eſt omnibus, ab omnibus eligatur*. Veriſimile autem eſt ex eodem loco & auctoritatem & rationem eſſe deſumtam. Non certe ex epiſtola ad Anaſtaſium, in qua ratio illa non legitur; ſed potius ex epiſtola ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis, quæ utramque diſertis verbis continet. *Per pacem*, inquit, *&*

Epiſt. 10. ad Viennenſes c. 5.

A *quietem Sacerdotes, qui præfuturi ſunt, poſtulentur. Teneatur ſubſcriptio Clericorum, honoratorum teſtimonium, Ordinis conſenſus & plebis. Qui præfuturus eſt omnibus, ab omnibus eligatur.* Quis enimvero credat Synodum illam ex uno codice auctoritatem priorem, ex altero poſteriorem accepiſſe? quod tamen neceſſe eſt ut fecerit, ſi verum eſt primum locum ex Dionyſiano Codice eſſe excerptum: alter enim locus ipſis Leonis verbis exhibitus ex ea epiſtola eſt, quæ numquam fuit, nec modo eſt in Dionyſiano Codice. Porro ſi ex uno codice uterque deſumtus, codex ille Dionyſianus non fuit, ſed alter (1) ad uſum Gallicanum compactus, qui epiſtolam ad Viennenſes Epiſcopos habuerit, cujuſmodi

B vidimus codices plures MSS. ex Thuanea & Trecopithœana Bibliothecis. Et certe ſi ad epiſtolam ad Anaſtaſium reſpexiſſent Aurelianenſes Præſules, cum decreta Sedis Apoſtolicæ commemoraverunt: ſi rationem auctoritati vellent ſubjungere, illam neceſſe non fuiſſet extra eamdem epiſtolam quærere, ſi quidem cap. 5. quod præcedit, hanc Leo luculentam affert, quæ & explicatior eſt & validior: *Ne*, inquit, *civitas Epiſcopum non optatum aut contemnat, aut oderit; & fiat minus religioſa, quam convenit, cui non licuerit habere quem voluit.*

Conſtat igitur non ex epiſtola ad Anaſtaſium,

C ſed ex epiſtola ad Viennenſes decretis ſuis auctoritatem conciliare voluiſſe Patres Synodi. Et merito quidem ea epiſtola utebantur, quæ ad Gallicanarum provinciarum diſciplinam reformandam a Sede Apoſtolica miſſa fuerat, potius quam epiſtola ad Theſſalonicenſem ſcripta, quæ ſpeciali illarum provinciarum diſciplinæ ad Vicariatus privilegia accommodandæ allaborabat.

3. Etſi ultro detur epiſtolam ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem a Gallicanis Synodis eſſe laudatam, quo tamen pacto ex hoc probet Marca receptam auctoratamque tum in Galliis Dionyſianam Collectionem, plane non capio. Prius enim demonſtrandum

D erat epiſtolam aliter in Gallias invehi non potuiſſe, quam per illum Codicem; nec licuiſſe Gallis Apoſtolicæ Sedis decreta in promiſcuis codicibus deſcripta habere, vel aliarum Eccleſiarum ſanctiones in ſuarum ſuffragium & confirmationem laudare, niſi proprios illarum omnium codices, ſuos feciſſent: nec denique potuiſſe Gallos epiſtolam Apoſtolicæ Sedis decreti nomine decorare, niſi Gallicano Codici inſertam, vel acceptam a Dionyſiano. At quam hæc omnia a ratione uſuque Eccleſiarum omnium ac præſertim Gallicanæ aliena ſint, quis non videat, ſi modo Synodos nonnullas aliquando perluſtraverit, vel rationem ipſam conſulendam cenſuerit? (2) Quot enim codices antiquarum collectio-

IV. Etſi uſi ſint ep. ad Anaſtaſium, nihil inde concluditur.

E num vel ad privatorum hominum, vel ad aliquarum Eccleſiarum uſum manu olim exarati plurimas Pontificum Romanorum epiſtolas ad Orientales alioſque ſcriptas continent! Inter quos ex Trecopithœana Oratorii Bibliotheca unum penes nos habuimus, alios ex Thuanea, ſed egregium imprimis, quemque Gelaſio ſi non æqualem, ſaltem ſupparem exiſtimant, ex San-Germaniana Aſcetarum Benedictinorum Bibliotheca. Ad hæc: familiare fuit Epiſcopis Gallicanis aliarum diœceſeon canones & decreta commemorare, ac etiam exſcribere, vel antequam de ſua collectione condenda cogitaſſet Dionyſius, aut ullus Codex Romanus eſ-

F ſet in Galliis receptus; quemadmodum & Hiſpanis ſæpe contigit Gallicanarum Synodorum verba ſuis decretis inſerere, vel ſubjicere, atque ex iis de cauſſis eccleſiaſticis judicare, ut patet ex Ilerdenſi, Valentino, Hiſpalenſi I. & Toletano XII. quamvis inde nemo putaverit Gallicanum codicem Hiſpanis proprium fuiſſe. Denique Gallorum ſingulari erga diſciplinam eccleſiaſticam ac Apoſtolicam Sedem ſtudio injurioſum videtur, ſi collectionem Dionyſianam

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Heic quoque ſolum Codicem publicum, & *auctoratum* indicat; quod præjudicium etiam in ſequentibus ſæpe ingeſtum in Obſervationibus refellemus.

(2) Heic plures vetuſtiſſimas collectiones privatas agnoſcit.

Digitized by Google

nam expectaſſe credantur, ut aliquam decretorum Apoſtolicæ Sedis notitiam, vel exemplaria ſibi compararent, qui & particularia Græcorum Concilia & Africana toties uſurparunt in ſuis Conciliis.

Jam vero iſtud argumentum Petro Marcæ ereptum, noſtræ ſententiæ militare neceſſe eſt. Siquidem clarum eſt alium a Dionyſiano Codicem tunc uſurpatum per Gallias, ex quo epiſtolam ad Epiſcopos Viennenſis provinciæ depromſerint. Qui Codex Dionyſii, ſi vel tunc temporis Gallis innotuiſſet, plura iis obtuliſſet Sedis Apoſtolicæ decreta, de quibus ſiluerunt, quæque facile prætuliſſent epiſtolæ ad Viennenſes, quæ nec in codice auctorato eſſet reperta; nec Gallicanis Epiſcopis olim (1) niſi ægre accepta fuerat, cum primum tranſmiſſa in Gallias: omnibus Viennenſis provinciæ Antiſtitibus antiquum Eccleſiarum ſuarum jus, moremque contra aſſerentibus in gratiam Hilarii Arelatenſis, quem ſuis ſemper dum vixit privilegiis uti voluere.

V. 3. Argument. ex Concilio II. Turonenſi. Anno 567.

Turonenſe Concilium II. non anno Ch. 570. ut Davidi viſum eſt, ſed triennio ante habitum, adducit auctor ille pro aſſerenda ſua Epocha. Capite ſiquidem vigeſimo primo, inquit, epiſtola Innocentii Papæ ad Victricium Rotomagenſem & canones Milevitani citantur a Concilii Patribus. Jam ſuperius objectioni hujuſmodi abunde ſatisfactum eſt, eamque rurſus attingemus inferius, cum de laudata a Concilio Agathenſi ejuſdem Innocentii epiſtola ad Exſuperium agemus. Sed non modo non officit, ſed etiam favet ea Synodus: tum quia epiſtolam illam non laudat quaſi ex codice recepto decerptam: unde (2) non decretum appellat, quod ſolet fieri, cum ex decretorum codice hujuſmodi ſcripta aſſumuntur: tum etiam quia clarum eſt epiſtolam illam inter canones locum non habuiſſe, quandoquidem eam ſignificant (3) tunc primum illis a ſe inſeri, ac inde ſtatuti vim ac robur deinceps habituram: *Quia*, loquiunt, *in ſententia Papæ Innocentii ad Victricium Epiſcopum Rotomagenſem lata legitur ſcriptum* &c. *Nos ergo hoc ſequentes, quod vel Paullus Apoſtolus, vel Papa Innocentius ſtatuit in Canonibus noſtris inſerentes ſtatuamus obſervandum* &c.

VI. 4. Argument. Ex cauſſa Prætextati. *Apud Gregorium Turonenſ. lib. 5. c. 19.*

Ex his quæ Gregorius Turonenſis de libro Canonum refert, quem Rex Chilpericus ad Epiſcopos tranſmiſit, cum damnationem Prætextati Rotomagenſis Epiſcopi urgeret, inferre videtur Marca Dionyſianum Codicem in Gallia tunc eſſe receptum (tametſi quid ibi velit, ſit obſcurum;) quod qua ratione probetur, prorſus me fugit. Hæc ſunt Gregorii verba: *Ipſe vero*, ſcilicet Rex, *ad metatum diſceſſit tranſmittens librum Canonum; in quo erat quaternio novus adnexus, habens Canones quaſi apoſtolicos continentes hæc*: „ Epiſcopus in homicidio, „ adulterio, & perjurio deprehenſus, a Sacerdotio „ divellatur. “

Ex quibus intelligimus primo librum Canonum a Rege oblatum alium non fuiſſe quam Codicem antiquum, cui novus quaternio annexus fuerat: ac proinde non fuiſſe Dionyſianum, cui neceſſe non fuiſſet apoſtolicos Canones adnectere, ſiquidem in prima parte Codicis continebantur.

2. Manifeſtum eſt nondum antea viguiſſe per eam ætatem in Galliis Dionyſii Codicem, cum de Apoſtolicis Canonibus, qui in capite erant, tamquam de novellis nec uſu receptis Canonibus loquatur Gregorius.

3. Si in uſu fuiſſet Codex Dionyſii, non mittendus fuiſſet a Rege liber Canonum interpolatus; ſed ſatis fuiſſet monere Synodum, ut judicaret ſecundum Canones, quos coram ſe habuiſſe non eſt dubium: præſertim ſi, ut contendit Marca, jam probatus olim fuiſſet Codex auctoritate Aurelianenſis Concilii, a quo citatam putat Leonis epiſtolam ex eo Codice acceptam.

VII. Canones apoſtolici ante Dionyſii ætatem in Galliis noti.

At hoc ſaltem, inquies, ex Gregorii verbis haberi poteſt tunc temporis apud Gallias fuiſſe Codicem iſtum: cum ex iis apoſtolicos Canones decerpiſſet Rex, quos veteri Canonum Codici adnecteret. Quod ſi fuerit apud Gallos, probabile eſt admodum *uſum ejus priore interpretatione ſpreta invaluiſſe: tum quia apud Sedem Apoſtolicam vigebat, tum etiam quod nitore ſuo commendabatur præ ſqualore veteris.*

Ut prius illud ſequeretur ex prolato apoſtolico Canone, ſupponendum eſſet Canones apoſtolicos ante collectionem a Dionyſio conditam in Eccleſia ſeu Gallicana ſeu univerſali non comparuiſſe: quod falſum eſſe norunt eruditi, qui paſſim eos ab antiquis Patribus (4) & Pontificibus citatos inveniunt ſub Regularum eccleſiaſticarum nomine, quo etiam ornantur a Dionyſio. Et certe numquam auſus eſſet Abbas iſte eoſdem collectioni ſuæ præfigere, nec ab Eccleſia Romana una cum Codice in uſum fuiſſent vocati, niſi jam eorum auctoritas apud Eccleſias longo uſu eſſet confirmata. Si porro apud Romanos, profecto & apud Gallos pariter noti eſſe potuerunt: Gallos inquam, quos diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtudium ſingulare ſemper commendavit, & continuum commercium cum Eccleſia Romana eorum omnium participes fecit, quæ per illam Eccleſiam circumferebantur de canonica diſciplina.

Sed Canones apoſtolicos in Gallias (5) ante Dionyſii

a

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Quæ hic Queſnellus breviter indicat, fuſius propoſuit in Diſſert. V. part. 3. At eadem nos refuturi vimus in Obſerv. ad eamdem Diſſert. V. tom. II. col. 1057. & ſeqq.

(2) In præcedenti paragrapho eam ſententiam rejecerat tamquam *a ratione uſuque Eccleſiarum, præſertim Gallicanæ, alienam*, qua quis contenderet, *non potuiſſe Gallos epiſtolam Apoſtolicæ Sedis decreti nomine decorare niſi Gallicano Codici inſertam*. Vult autem a Synodo Aurelianenſi III. hoc *decreti* nomine allegatam fuiſſe epiſtolam Leonis ad Epiſcopos Viennenſes, *quæ nec in Codice auctorato eſſet recepta*. Falſum eſt igitur, Turonenſe Concilium II. idcirco *non decretum appellaſſe* epiſtolam Innocentii ad Victricium, quia Gallicani hoc nomine uti ſolerent ſolum, *cum ex decretorum Codice ejuſmodi ſcripta aſſumerent*.

(3) Vide mirificum interpretem! Patres hujus Synodi Innocentii decretum cum Paulli Apoſtoli ſanctione ita conjungunt, ut de utroque eadem formula ſcribant: *Nos ergo hoc ſequentes, quod vel Paullus Apoſtolus, vel Papa Innocentius ſtatuit, in canonibus noſtris inſerentes* &c. Num & Paulli epiſtolæ apud Gallos ante hoc Concilium auctoritatem non habebant; & iis verbis ſignificant, unam ac ipſis ſanctionem *tunc primum* inter canones a ſe inſeri, *ac inde ſtatuti vim ac robur deinceps habituram*? Obvius verborum ſenſus nihil aliud exprimit, niſi eos Patres conſtituiſſe, quod & Paullus Apoſtolus, & Innocentius Pontifex antea decreverant.

(4) Vide quæ in hanc rem diſſeruimus in Tractatu de Collect. part. 1. c. 1.

(5) Cum nulla verſio canonum Apoſtolorum neque anterior, neque poſterior Dionyſio cognita ſit; canonem, quem in cauſſa Prætextati Chilpericus protulit, ex Dionyſiana verſione ſumtum credimus. Quod ſi a Dionyſii interpretatione verba aliquantulum diſcrepant, adeo differunt etiam a Græco textu, ut nulla alia verſione ſic reddi potuerint. Hinc additamentum vocis *homicidio*, quæ nec in Dionyſio, nec in Græco legitur, ex alia interpretatione derivari nequit; ſed vel ex eo inſertum, ut ipſe canon aptaretur Prætextato, qui ſe deſignati homicidii reum ſpe veniæ profeſſus fuerat, vel ex aliqua collectione, in qua iidem canones ex Dionyſiana verſione ſumti, liberius expoſiti fuerint, ut in Herovvalliana collectione obſervavimus Tract. de collect. part. 4. c. 7. Hanc quidem vocem *homicidio* retinent etiam Exceptiones ex Ecberto Eboracenſi n. 33. Halitgarius lib. 5. c. 4. Regino lib. 1. c. 86. & Burchardus lib. 2. c. 189. qui ſane cum Dionyſianam interpretationem ad verbum referant, laudatum canonem ex aliquo vetuſtiori interpolato Dionyſii exemplo derivarunt: cui ſimile fuiſſe videtur illud a Chilperico adhibitum, quod ſimilem interpolationem receperat. Adeo verum eſt,

nyſii collectionem advectos eſſe, neque ex illo Codice ſumtum eſſe Canonem illum a Chilperico oblatum, ipſa ejus evincit verſio, quæ a Dionyſiana plurimum diſcrepat. Canon enim iſte vigeſimus quintus eſt, etiam Petro de Marca confitente, quem in hunc modum protulit Chilpericus: *Epiſcopus in homicidio, adulterio, & perjurio deprehenſus a Sacerdotio divellatur*. Eumdem autem ſic apud Dionyſium habemus: *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus eſt, deponatur*. At corruptus eſt Canon ad premendum Prætextatum, inquiunt. Hoc ſi ita eſſet, de eo conquerentem haberemus Gregorium; qui cum invicto animo Prætextatum defenderet, totamque mentis aciem omnibus cauſſæ circumſtantiis intenderet, nunquam omiſiſſet de Canonis corruptela Coepiſcopos monere, fraudemque inclamare: numquam ex corrupto Canone depoſitionem Epiſcopi decerni tacitus tuliſſet, nec ejus conſenſiſſet depoſitioni. Sententiæ enim ſubſcriptum eſſe ab eo inde perſpicuum eſt, quod ejus ſolummodo conditionibus conſenſum abnuit, quia contrariæ erant Canonibus. Rogabat enim Rex, *ut judicium contra eum* (Prætextatum) *ſcriberetur, ne in perpetuum communicaret .... Quibus conditionibus ego reſtiti*, inquit Gregorius, *juxta promiſſum Regis, ut nihil contra Canones gereretur*. Nimirum apoſtolici Canonis hæc poſtrema pars erat, quam diſſimulaſſe videtur Chilpericus: *Non tamen communione privetur: dicit enim Scriptura: Non vindicabit Dominus bis in idipſum*. Non ergo corruptus Canon, ſed unius tantum voculæ additione auctus, nimirum vocis *homicidio*, quæ vel ſubintelligitur ex Canone 28. quo depoſitionis pœna adverſus percuſſorem Epiſcopum decernitur, vel etiam tunc legebatur in ea Canonis verſione, quæ per Gallias circumferebatur. Porro etſi ea parte corruptum Canonem concederemus ex opprimendi Epiſcopi conſilio, nulla ſimilis neceſſitas erat alia fere omnia verba mutandi; nec diſcrimen aliunde poteſt venire, quam ex diverſitate verſionum. Quod enim Gregorio ipſi tribuitur, quaſi ipſa Canonis verba referre non curaverit, gratis hoc dicitur, refelliturque non una ratione. Primum enim tantam negligentiam in re tanti momenti affingere Gregorio, non eſt multum a calumnia alienum. 2. Tota ſermonis illius ſeries hominem indicat ipſa Canonis verba referentem: *Habens Canones quaſi apoſtolicos continentes hæc:* Epiſcopus &c. 3. Quia Canon ille a Gregorio relatus conſuetam habet aliorum Canonum formam. 4. Ita lectum fuiſſe coram Epiſcopis aſſerit auctor: *His*, inquit, *ita lectis, cum Prætextatus ſtaret* &c. 5. In priori accuſatione a Chilperico adverſus Prætextatum inſtituta coram conventu epiſcopali, ita Canon a Rege citatus eſt, ut eadem fere retulerit: *Mane Rex aſſuit, dixitque: Epiſcopus enim in furtis deprehenſus ab epiſcopali officio ut avellatur*. Ubi hæc vides & a Dionyſiana verſione diſcrepare, & cum aliis Canonis verbis a Gregorio relatis convenire; ut plane certum appareat, nihil prorſus ex Dionyſii codice ſumtum eſſe a Chilperico.

VIII. 5. Argument. ex judicio Chrodeberti Turonenſis Epiſc. Circa an. D. 670.

Poteſt & nonnulla probatio erui ex Judicio Chrodeberti Epiſcopi Turonenſis de muliere adultera, quod e MS. codice Thuaneo nunc primum editum habes in Notis noſtris in epiſtolam 83. (*nunc* 108.) ad Theodorum Forojulienſem. Conſultus enim de ejuſmodi adulterio Chrodebertus reſpondet: nihil ſe inveniſſe in Conciliis Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, & Chalcedonenſi: *Quas quatuor*, inquit, *Synodos tantum terra noſtra venerabiliter recipit & concredit. Attamen in Aurelianenſi Synodo de hac re invenimus præfinitum judicium, quod tibi deſtinavimus*. Ex his pronuntiare facile eſt, Codicem Canonum, quem præ manibus habebat, quemque adire ſolebat Chrodebertus de cauſſis eccleſiaſticis judicium initurus, alium a Dionyſiano fuiſſe: quandoquidem Epheſinam Synodum iſte non habet, nec niſi tres Conſtantinopolitani Concilii Canones. 2. Si Codex Dionyſianus receptus tunc temporis fuiſſet in Gallicana Eccleſia, receptæ quoque fuiſſent Africanæ Synodi, Sardicenſis, & aliæ Orientales, quas habet Codex ille, & Romana jam tunc Eccleſia amplectebatur. Cum vero de his ſileat Chrodebertus, argumentum eſt (1) pleraſque illarum Codici ſuo inſertas eum non reperiſſe, ac proinde non fuiſſe Dionyſianum. 3. Plures inveniſſet in eadem collectione Siricii, Innocentii, & Leonis epiſtolas, quæ ſacrarum Deo mulierum adulteria condemnant, & eiſdem agendæ pœnitentiæ legem decernunt. Cur autem ex Gallicanis Synodis unicam Aurelianenſis Concilii V. ſanctionem decimamnonam protulerit Chrodebertus, non eſt mihi notum. Poſteriores enim Synodorum Pariſienſis, Matiſconenſis & Turonenſis II. Canones adducere potuiſſet. Sed ſufficere credidit unum Canonem mulieri, non probationum congeriem, ſed ſalubre remedium quærenti: ſuberatque fortaſſe hujus canonis, potiuſquam alterius allegandi aliqua cauſſa, vel ex habitatione mulieris, vel aliunde deſcendens.

IX. 6. Argumentum ex Zacharia PP. A. D. 747.

Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo Gallicani Epiſcopi Cleruſque univerſus Zachariam Papam conſuluerunt, annitente Pippino Palatii Majore, de viginti ſeptem diſciplinæ eccleſiaſticæ capitibus. Totidem articulis conſulationi reſpondit Pontifex, quos omnes canonibus & decretis Pontificum ex Dionyſiana collectione ad verbum tranſcriptis confirmavit. (2) Quis porro credat Epiſcopos Galliæ de hujuſmodi diſciplinæ regulis a Pontifice accipiendis fore ſollicitos, ſi eas penes ſe in Codice Canonum & decretorum in judiciis eccleſiaſticis uſurpari ſolito habuiſſent? Legandi certe non erant

EDITORUM ADNOTATIONES.

eſt, Dionyſianam verſionem, quæ ſola in his canonibus cognita erat, ex hac voce inſerta excludi non poſſe. Ceterum peculiaris ratio Gregorii Turonenſis in allegando hoc canone neminem movere debet: cum lib. 9. Hiſt. cap. 33. decretum Gangrenſe ſub Nicæni nomine ita recitet, ut nec cum Græco, nec cum ulla interpretatione conſentiat. Duorum ſcilicet canonum Gangrenſium primi & decimi quarti ſententiæ potius, quam verba in unum copulatæ videntur: quod pariter in aliis hujus circiter ævi collectionibus canonum præſertim pœnitentialium nonnumquam invenimus.

(1) Num uno codice canonum Chrodebertus uſus ſit, *ut ſententiam canonum perquireret*, incertum eſt. Quatuor Synodorum Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ, & Chalcedonenſis mentio indicare videtur collectionem Hiſpanicam, quæ in Gallias jam pervenerit. Hæc enim ſola tunc temporis, quod ſciamus, præter Nicænos, Conſtantinopolitanos, & Chalcedonenſes canones, Sancti Cyrilli epiſtolam cum anathematiſmis contra Neſtorium Epheſini Concilii nomine continebat. Ceterum Sardicenſes canones non ſolum in hac collectione, verum etiam in aliquot antiquiſſimis Gallicanis Codicibus fuiſſe deſcriptos, & fere cum Nicænis junctos alibi oſtendimus. Africani canones jam allegati fuerant in Concilio Turonenſi anni 570. Romanorum quoque Pontificum conſtitutiones in iiſdem Gallicanis collectionibus inſertas, & a Gallicanis allegatas vidimus. Cur porro inter plures canones, qui laudari poterant, Chrodebertus unam Synodum Aurelianenſem retulerit, ipſe Queſnellus ita interpretandum agnovit, ut ne idcirco aliæ Synodi, præſertim Gallicanæ, in ſuo codice deeſſent. Nullum ergo hinc argumentum elici poteſt, ex quo has, vel alias Synodos, quæ in collectionibus Gallicanis frequenter occurrunt, in eodem Codice defuiſſe affirmari queat.

(2) Pipinus Epiſcoporum conſilio flagitavit a Romano Pontifice, *ut de omnibus* (propoſitis) *capitulis reſponſum daret*. Is vero reſponſionem ex canonibus & conſtitutionibus, quæ leguntur in Dionyſii codice, fere extraxit. Num autem hic codex eſſet in Galliis nec ne, nihil intererat. Quoties enim vel hoc tempore quæſtiones ſolvuntur ex vulgatis canonum libris, qui omnium manibus teruntur?

Romam, qui eas inde adveherent; ſed aperiendi Codices, quibus contineri notum fuiſſet ſaltem aliquibus e clero Gallicano: parcendum etiam labori Zachariæ, qui facile Epiſcopos Gallicanos ad Codicem Dionyſianum remiſiſſet, qui & Romanæ Eccleſiæ & Gallicanæ, ut volunt, uſu fuiſſet auctoratus. Nec de hujuſmodi capitulis ita ſcripſiſſet, quaſi antea ignotis. *Itaque*, inquit ille, *ut flagitavit a nobis cum veſtro conſultu ſuperius affatus noſter Pippinus, ut de omnibus capitulis, de quibus innotuit, reſponſum demus, in quantum Domino dante valemus de unoquoque capitulo inferius conſcriptum juxta quod a ſanctis Patribus traditum habemus.* Et poſtea: *Hæc itaque ... inter cetera capita deflorantes ... ad veſtri præſulatus notitiam & prædicationem, atque populo vobis a Deo crediti ædificationem mandavimus miniſtranda atque perficienda.* Denique ſic Gallis ignotam putabat hanc Canonum collectionem, ut illos & antea excuſatione aliqua dignos fuiſſe, & poſt accepta hæc capitula omnino inexcuſabiles fore pronuntiet. *Ceterum*, inquit, *hæc amatiſſimi nobis, dedimus vobis in mandatis, ut nec nos coram Deo de taciturnitate judicemur, nec vos de neglecta coram eo cogamini reddere rationem, ſicut ſcriptum eſt in dominico præcepto:* Si non veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. *Itaque nihil excuſationis habentes omnium rationabilium animarum ſalutem procuretis.*

Zacharia PP. Ep. 9. ad Pippinum Majorem Domus & ad Clerum Gallicanum.

X. 7. Argumentum ex Stephano PP. II. An. D. 754.

Septimo ab hac conſulatione anno Stephanus Papa II. in Cariſiaco Galliarum villa ad Saram fluvium tunc temporis agens, reſponſa novemdecim Britannico Monaſterio dedit ad varia conſulta, de quibus erat interrogatus. Porro cum plurima tum Conciliorum, tum Pontificum Romanorum decreta referat, (1) ea non ex Dionyſiano Codice accepiſſe manifeſtum eſt ex diverſitate numerorum, quibus notantur, ac etiam textus ipſius decretorum. Quod inde contigiſſe probabile eſt, quod cum Romæ Codicem non aſportaſſet, uti coactus eſt in Gallis Gallicano, qui a Dionyſiano diverſus erat. Enimvero citat & refert epiſtolæ S. Leonis ad Ruſticum Narbonenſem caput quintum, quod apud Dionyſium 19. numeratur: epiſtolæ Innocentii PP. ad Victricium Rotomagenſem caput 15. quod Dionyſio 20. Concilii Antiocheni 15. quod Dionyſius 93. numerat; Neocæſarienſis 9. quod eſt in collectione 53. Ac præterea non modicum diſcrimen reperitur inter textum decretorum quorumdam a

A Stephano relatorum, & Dionyſianum, ut videre eſt in excerptis epiſtolarum S. Innocentii PP. ad Exſuperium & ad Victricium, Siricii ad Himerium, & Canonum Conciliorum Chalcedonenſis, Neocæſarienſis, & Carthaginienſis. Ex quibus patet Dionyſianam collectionem per id temporis non modo a Gallis uſu non fuiſſe receptam, ſed nec iis valde notam: ea enim proculdubio uſus fuiſſet Pontifex, ſi ad manum eam habuiſſet: tum ut conciliaret eidem uſu ipſo auctoritatem, tum ut Romanum morem inveheret Gallicanis regionibus.

XI. 8. Argumentum ex Concilio Vernenſi. An. D. 755.

Concilium Vernenſe anni 755. Canonem Carthaginienſis Concilii refert, quem (2) nonum caput appellat, cum apud Dionyſium ſit decimusquintus B Canon: cujus varia eſt in utroque lectio, maximumque diſcrimen: ut aliunde hauſtum appareat, quam ex Romano Dionyſii Codice: qui proinde in uſu tunc non erat in Gallicana Eccleſia.

Ita ſe ſe res habebant etiam Caroli Magni temporibus, qui Imperium adeptus eſt non multis poſt annis. Porro cum ab Adriano Pontifice dono accepiſſet Romanam Dionyſii Abbatis collectionem, cœpit hæc uſu recipi in Galliis, non ſpreto tamen veteri Codice Gallicanis Epiſcopis familiari: hujus enim interpretationem ſæpius uſurpavit etiam Carolus Magnus in ſuis Capitularibus. Ut enim ſcite obſervavit Sirmondus ad Capitulare primum anni 789. quotquot ex Synodis Græcis heic Canones proferuntur, C diſcrepant a vulgata verſione Dionyſii, & cum alia interpretatione conſentiunt, cujus exemplaria * Pathini in Bibliothecis ſervantur, nec alia, opinor, quam antiqua illa quæ in antiquo noſtro Codice Romano jacet & ab Iſidoro accepta, (3) licet pluribus in locis vel corrupta, vel mutata.

* f. Pariſiis.

XII. Petri Marcæ objectio.

Jam vix ullus reſtare mihi videtur alicujus momenti ſcrupulus, qui ab hac ſententia deterrere, vel in adverſam inclinare quemquam debeat. Quod enim Apoſtolicæ Sedis auctoritatem hoc loco prædicat Marca, ac interpretationis Dionyſianæ nitorem, collectionisque ordinem: optime id quidem, ſed nullius in præſenti roboris. (4) Nemo enim ignorat, quam ſemper fuerit omnibus Eccleſiis ac præſertim Gallicanis liberum ſuis uti legibus ac canonibus in iis, quæ univerſalis Synodi ſanctione non erant definita, quod vel ex ſolo diſciplinæ Gallicanæ a Romana diſcrimine intelligitur. Notum etiam eſt, quam (5) antiqui moris tenaces fuerint Gallicani Antiſtites, qui laceram ac impolitam anti-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Immo ex Dionyſiano codice accepit. Nam cap. 7. recitat canonem 16. Chalcedonenſis Concilii ex verſione Dionyſii, cap. 15. canonem decimum quintum Antiochenum, cap. 17. Neocæſarienſem canonem nonum ejuſdem verſionis. Adde quod cap. 16. laudat Carthaginienſem canonem vigeſimum, qui in ſolo Dionyſio eodem numero & iiſdem verbis effertur; dum apud Iſidorum, ſeu in collectione Hiſpanica legitur canone octavo ſub titulo Carthaginienſis III. Quod ſi numeri canonum Græcorum non conveniunt cum ſerie numerorum, quæ in Juſtelli editione profertur, nihil repugnat: ipſa enim verſio, quæ ſoli Dionyſio congruit, potiorem probationem affert. Accedit, quod Joannes II. & Zacharias, quos Dionyſii codice uſos Queſnellus agnoſcit, continuam numerorum ſeriem non ſemper ſequuti ſunt. Ille enim duos Antiochenos canones iis numeris deſignavit, qui proprii ſunt ipſius Concilii; iſte vero nullum canonem cum ea ſerie numerorum, ſed cum propriis cujuſque Concilii numeris omnes Græcos canones allegavit. Quoad epiſtolas vero Romanorum Pontificum, ſicut auctor collectionis Hiſpanicæ eas ex Dionyſio cum ipſis titulis ſumpſit, & nihilominus continuam numerorum ſeriem non tenuit; ita etiam Stephanus II. potuit eamdem numerorum ſeriem prætermittere, licet ex Dionyſiano codice ipſorum Pontificum decreta allegarit. Hinc porro pro Dionyſiano codice ante Carolum Magnum in Gallias allato validum argumentum elici poteſt. Vel enim Stephanus II. uſus eſt Dionyſii codice, quem Roma attulit ſecum in Gallias; vel ſi non attulit, cum quo uteretur, in Gallis utique invenit.

(2) Hoc teſtimonium probat, codicem, ex quo hujus Synodi Patres Carthaginienſem canonem nonum retulerunt, non fuiſſe Dionyſii; at codicem Dionyſii per hæc tempora nullibi fuiſſe in Gallis nequaquam probat.

(3) Iſidorus in Græcarum Synodorum verſione nihil corrupit, mutavit nihil; ſed Hiſpanicam collectionem originis Gallicanæ exſcripſit, in qua quædam mendoſa loca puræ Hiſpanicæ ex arbitrio emendata fuere, uti obſervavimus in præfatione ad Leonis epiſtolas §. 10. num. 20. tom. I. pag. 523. Eadem porro verſio liberius aliquot in locis correcta invenitur in MSS. collectionis hoc tomo editæ, quam in Gallus conditam oſtendimus.

(4) At ſimul exploratum eſt, quantum Gallicani apoſtolicis conſtitutionibus detulerint, quas in ſuis canonum codicibus *auctoritatis* nomine inſerverant, quibuſque ut pareretur, præceperunt ipſæ Gallicanæ Synodi. Vide inter cetera Concilium Agathenſe anni 506. c. 9. Aurelianenſe III. anni 538. c. 3. & Turonenſe II. anni 567. c. 20.

(5) Notum potius eſt, quam in hac materia antiqui moris non fuerint tenaces Epiſcopi Gallicani. Cum ante Rufinum non ignorarent canones Nicæni Concilii, quos allegatos videmus in Synodo Valentina anni 374, integra eorumdem antiqua verſione utebantur. Poſt Rufinum vero quædam ſaltem Gallicanæ Eccleſiæ ejus abbreviationes eorumdem canonum pro integra verſione receperunt, ut liquet ex Tractatu part. 2. cap. 10. Dein ipſa Dionyſii eorumdem interpretatio inſerta fuit paullo poſt ipſius editionem in collectione Corbejenſi, & in alias Adria-nu

tiquitatem novello nitori tandim prætulerunt, quandiu per Imperatorem ſuum eis licuit: hoc ſancti Auguſtini effatum animo retinentes, uſuqoe probantes: *Ipſa quippe mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.*

XIII. Joannis Davidis dilemma diſcutitur.

Quæ Marcæ argumentis conjecturæ adduntur a Davide, extremam probationum penuriam produnt. Concilium enim Agathenſe & Turonenſe II. commemorat (quorum poſtremo jam ſatisfecimus, alterum vero jamjam ſum diſcuſſurus) tum quaſi teſtium nubem argumentorumque ſeriem bene longam adduxiſſet, *Ex his* inquit, *omnibus concludo, vel Dionyſium primum omnium non eſſe, qui in unum corpus collegerit antiquorum Romæ Epiſcoporum epiſtolas, a Siricio initium ducens, eaſque collectioni Canonum attexuerit, quod tamen & a clariſſimo Juſtello aſſeritur, & ab ipſo Dionyſio ſuggeritur in epiſtola ad Julianum collectioni præfixa: vel concludo egregie hallucinari quotquot ſibi perſuadent Collectionem Dionyſianam in Galliis ante Caroli Magni ætatem non eſſe receptam: quandoquidem aliquot ante hunc Imperatorem ſæculis videmus epiſtolae Pontificum, (1) Africanaſque Synodos a Gallicanis Conciliis citatas eſſe, quaſi Codici, qui tunc in uſu erat, inſertas: hæc enim omnia Dionyſii Codicem indigitant.* Vereor ego ne David ipſe egregie hallucinetur: nihil enim hoc ejus dilemmate ineptius, quod & ruinoſis fundamentis nititur, & totum vitioſum eſt.

Nota Pontificum Romanorum decreta in Galliis ante Dionyſium Exiguum.

Primum enim hoc demus citatas eſſe tum Pontificum epiſtolas, tum Africanas Synodos, quaſi ex approbato Codice Canonum aſſumtas: quis præter Davidem inde concludat Dionyſianum Codicem a Gallis tunc receptum? quaſi Apoſtolicæ Sedis auctoritatem ita omnes orbis chriſtiani Eccleſiæ totis quingentis annis ſpreverint (quæ eſt Joannis Davidis erga Pontificem Romanum reverentia) ut ante Dionyſium de colligendis illius decretis non cogitaverint. At meliora nos ac magis religioſa de Gallicanis aliiſque Eccleſiis erga caput ac primatem ſuum exiſtimamus: ad idque impellimur pluribus Gallicanis Canonum & pontificiorum decretorum collectionibus, quas & ante nos eruditi viderunt, & ipſe David adire poterit, ſi forte velit. Eſt imprimis in Bibliotheca ſancti Germani a Pratis inſignis collectio ad uſum Gallicanæ Eccleſiæ concinnata, quæ Gelaſii temporibus coæva credita eſt a viris doctis, & triginta fere Romanorum Pontificum epiſtolas habet inſertas, quarum plurimæ etiam apud Dionyſium deſiderantur. Hic enim ſeptem tantum habet a Leone ſcriptas, codex vero San-Germanianus ſexdecim. Ad hunc codicem alii duo exſcripti videntur, unus Thuaneus qui num. 193. notatur, alter Trecopithœanus: eaſdem enim Pontificum epiſtolas habent eodem ordine deſcriptas, niſi quod San-Germanianus, qui Corbejenſis olim fuit, duabus auctior eſt. Leguntur etiam Africana aliquot decreta & Concilia, ex quibus liquet earum omnium notitiam in Galliis a Dionyſiano Codice non eſſe acceptam, & infelicem omnino eſſe Davidis ex illarum citatione argumentationem ad exſtruendam Codicis Romani apud Gallos auctoritatem.

Dionyſius non primus collegit Pontificum epiſtolas.

2. Quod Dionyſius non primus collegerit decreta Summorum Pontificum, ſequitur ex his, quæ jam diximus, & invicte etiam probat antiquus noſter Eccleſiæ Romanæ codex, qui plura continet a Dionyſio prætermiſſa: ut nihil dicam de aliis Eccleſiis, quæ ſuas hujuſmodi pontificiarum epiſtolarum collectiones ante Dionyſii tempora habuerunt. Eſto, primus in unum eas corpus redegerit Dionyſius, ſub una diſpoſuerit numerorum ſerie, titulis diſtinxerit, eo quo jam modo Patrum Canones ordinaverat, atque iiſdem ſubnectere curaverit, per me licet, nec amplius aliquid aſſertum eſt, vel a clariſſimo (2) Juſtello, vel ab ipſo Dionyſio, licet aliter ſcribatur a Davide: at talem ordinem quis neceſſarium putaverit, ut hujuſmodi decreta a Gallicanis Epiſcopis laudarentur referrenturque?

XIV. De Concilio Agathenſi, ex quo argumentatur Joannes David.

3. Ut ipſum ſcriptoris hujus fundamentum petam disjiciamque, Agathenſe Concilium anni 506. (de Turonenſi jam diximus quid ſentiendum ſit) Agathenſe, inquam, anterius eſt, niſi me fallant conjecturæ, Dionyſiana pontificiorum decretorum collectione.

Primum enim certum eſt Dionyſium Romæ egiſſe Abbatem cum Latinis lucubrationibus operam dedit, inter quas duæ ſunt epiſtolæ paſchales, quæ ſcriptæ ſunt annis Chriſti 525. & 526. circa quæ tempora floruit maxime uſque ad ann. Chriſti 540. ut habet Labbeus in Diſſertatione hiſtorica de Script. Eccleſ.

2. Dionyſium collectioni epiſtolarum ſerius manum admoviſſe, nec niſi *dudum* poſt Canonum Codicem elaboratum, teſtis eſt ipſe in epiſtola ad Julianum Presbyterum, quæ collectioni præfixa eſt: *Ita ut omnes*, inquit, *titulos huic præfationi ſubnecterem, eo modo, quo dudum de Græco ſermone Patrum transferens Canones ordinaram.*

3. Cum non niſi *præteritorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum conſtituta*, ut ipſe ſcribit Dionyſius, hoc eſt eorum, qui jam vivere deſierant, collegerit, & tamen Anaſtaſii Papæ epiſtolam referat, conſequens eſt, ut non ante 16. diem Novembris anni quadringenteſimi nonageſimi octavi, quo obiit Anaſtaſius, opus iſtud ſit adorſus, ſcilicet ſub Pontificatu Symmachi, qui annis octo Agathenſi Concilio ſuperſuit.

4. Certum eſt Dionyſium nondum veniſſe Romam anno quadringenteſimo nonageſimo ſexto, quo Gelaſius Papa ultimum diem obiit, cum hunc Pontificem numquam ſe vidiſſe teſtetur in præfatione ad Julianum: *Quantique ſit apud Deum meriti Beatus Papa Gelaſius, & nos, qui eum præſentia corporali non vidimus, per vos alumnos ejus facilius æſtimamus,*

EDITORUM ADNOTATIONES.

no I. & Carolo Magno anterioribus, de quibus in Obſervationibus ſubjiciendis dicetur. Falſum eſt igitur, quidquid hoc loco Queſnellus pronunciat, antiqui moris tenaces Galliarum Antiſtites laceram ac impolitam antiquitatem veteris verſionis novello nitori interpretationis Dionyſianæ tamdiu prætuliſſe, quamdiu per Imperatorem ſuum eis licuit. Quod ſi illud S. Auguſtini effatum animo retinebant. *Ipſa quidem mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*: multo magis debebant recolere eam ejuſdem Auguſtini & aliorum Epiſcoporum Africæ erga Apoſtolicæ Sedis decreta obſervantiam, qua in cauſſa Donatiſtarum ad unitatem Eccleſiæ redeuntium ſuſpenderunt quamdam vetuſtam conſuetudinem jam ab exordio ipſius cauſſæ vigentem, eo quod contrarium præceptum ab eadem Sede emanaverat, quoad legatione Romam miſſa, ac neceſſitate utilitateque Eccleſiarum indicata, interdictum illud tolleretur. Vide Tract. part. 2. c. 3. §. 3. num. 47.

(1) Concilium Turonenſe II. anni 567. c. 26. *antiquum Milevitanum canonem* vigeſimum recitat. Apud Dionyſium idem canon legitur c. 126. non tamen tribuitur Milevitanæ Synodo, ſed verius Carthaginienſi anni 418. Milevitanæ autem Synodi nomine præfertur in peculiari collectione Conciliorum Africæ, in Hiſpanicam ac Iſidorianam poſterius traducta, quam proinde ante has duas collectiones compactam apud Gallos exſtitiſſe cognoſcimus.

(2) Guillelmus Voelus, & Henricus Juſtellus in præfatione ad Bibliothecam juris canonici adeo abſolute *primum* epiſtolarum pontificiarum collectorem dixerunt Dionyſium, ut hanc rationem adjecerint: *Antiquiores enim collectores decretales Pontificum epiſtolas omiſerunt, Synodorum contenti regulis.* Idipſum quoque videtur affirmaſſe Chriſtophorus Juſtellus in præfatione ad Codicem Eccleſiæ univerſæ pag. 19. ubi de Dionyſii codice ait: *Atque hæc eſt prima & antiquiſſima decretalium Pontificum collectio.* Si de collectione decretalium ſeparata a collectione canonum hæc intelligantur, vera fortaſſis ſunt: non vero ſi decretales primum a Dionyſio in collectionibus canonum fuiſſe inſertæ credantur.

Ex his ita arguo: a morte Gelaſii Papæ, quem Dionyſius non vidit, uſque ad Concilium Agathenſe, decem tantummodo anni ſunt, intra quos neceſſe eſt ut Dionyſius natione Scytha Romam venerit, ibi ſaltem aliquot annis vixerit, ut ejus doctrina ac meritum innoteſcerent, & tantam ſui exiſtimationem ſpargeret, quanta opus erat, ut in ipſa urbe Roma peregrinus & hoſpes in Abbatem poſceretur. Tum canones omnes Græcos in Latinum transferre & in unum Codicem compingere debuit atque vulgare; adjunctis apoſtolicis, Sardicenſibus, & Africanis canonibus. Deinde *dudum* poſt editum hunc Codicem decretis Summorum Pontificum maxima cura conquirendis, colligendis, ordinandis, diſtinguendis manum admovere. Quibus omnibus tam arctum decennii ſpatium haud ſcio an cuiquam ſufficere videbitur. Sed non hæc ſolummodo. Nam antequam vel Codicem Canonum de novo conderet *aſſidua & familiari cohortatione Laurentii* cujuſdam *compellendus fuit*, Stephanique Epiſcopi, ut ajunt, Salonitani mandato. Poſtmodum vero Decreta Pontificum non collegit niſi *piis exitatus ſtudiis* Juliani Presbyteri tituli ſanctæ Anaſtaſiæ. Quis credat porro opus Presbyteri unius impulſu a Monacho extero conditum, ſtatim auctoritate pontificia in uſum Romanæ Eccleſiæ aſſumtum eſſe, ſpreta antiquiori collectione tot annorum uſu conſecrata? Aut quis potius non exſtimet antea non eſſe receptum, quam plurimorum annorum experientia docuiſſet, an non illa *mutatio*
Epiſt. 118. *conſuetudinis*, quod timebat Auguſtinus, *etiam quæ juvabat utilitate, novitate perturbaret*? Facile igitur perſuadeor, non niſi poſt annos plures receptum Codicem Dionyſii a Romana Eccleſia: & revera Caſſiodorus, qui anno 514. Conſulatum gerebat, & adhuc erat in vivis anno 562. ita de illo Codice loquitur cap. 23. divinarum lectionum, quaſi noviſſime tum ab Eccleſia Romana in uſum vocatus eſſet: *Quos* inquit, Dionyſii Canones, HODIE *uſu celeberrimo Eccleſia Romana complectitur*. Hi porro Romæ recepti, tranſalpinas Eccleſias tam cito pervadere non potuerunt: nec affine eſt Gallicanis moribus, ut ſtatim atque innotuere, eos avide arripuerint, probaverint, ſuoſque fecerint. Quod etſi daremus a Gallicanis Eccleſiis factum eſſe, numquam tamen id ante Agathenſe Concilium permatere potuerunt temporis anguſtiæ.

XV. Objectio ex appellationibus petita.

Reliquum eſt, ut quod de appellationibus objiciunt adverſarii diſſolvamus: nec operoſum eſt, meo quidem judicio, id agere. Receptum, inquiunt, Codicem conſtat ex receptis Sardicenſibus Canonibus: iſtos autem per Gallias invaluiſſe etiam ſub prima Regum noſtrorum dynaſtia manifeſtum eſt ex appellationibus ad Sedem Apoſtolicam, quæ paſſim delatæ ſunt e Galliis non contradicentibus Epiſcopis Gallicanis. Unde porro jus iſtud Apoſtolicæ Sedi aſſertum noverunt, niſi ex Sardicenſibus Canonibus, cum nulla omnino Gallicanarum Synodorum id illi vindicaſſe intelligatur? Sardicenſes autem Canones non hauſerant niſi ex Codice Dionyſiano, cui

A inſerti ab eo fuerant. Quibus adde Pontifices Romanos hoc ipſum jus numquam ſibi non vindicaſſe in Gallicanas Eccleſias, ſub prima Regum noſtrorum dynaſtia: unde conſequens eſt ut noverint receptas eſſe per id temporis Sardicenſis Concilii ſanctiones in Eccleſia Gallicana.

Mirum profecto jus, quod ex factis contumacium aliquot Epiſcoporum acquiritur, miraque argumentatio, quæ ex iſtis illud inferre ſatagit. Quaſi vero non æquum magis fuerit de factis (1) ex ipſo jure judicium ferre, quam de jure ex factis aliquibus non probatis decernere.

2. Antequam editus eſſet in lucem Codex Dionyſianus, quæro an jus appellandi ad Romanum
B Pontificem vigeret in Galliis, an non? & an revera ex hoc jure appellationes aliquæ delatæ ſint? Si ita fuit, cur idem jus non viguiſſe, neque ex eodem jure delatæ credentur appellationes poſt conditum Dionyſii Codicem? cur & ex illis appellationibus quæritur argumentum pro aſſerendo hujus Codicis uſu in Galliis per eadem illa tempora? Si non viguit jus illud ante Dionyſii Codicem, cur iſtud aſſerit David, pluribuſque exemplis probare conatur: & qua tandem ratione nova iſta diſciplina Gallicanis invecta credetur regionibus, poſt contrariam quingentorum annorum conſuetudinem? Si ex ipſis Sardicenſibus Canonibus ante Dionyſium jus iſtud creatum dixerit, aliunde igitur illorum notitiam
C habuere Gallicanæ Eccleſiæ, quam ex Dionyſiano Codice: atque ita ruit tota Davidicæ argumentationis moles.

3. In Diſſertatione Apologetica pro ſancto Hilario Arelatenſi oſtendimus, (2) quam ægre tulerint Epiſcopi Gallicani cauſſas ſuas ad Romanum judicium deferri, reſtiterintque aliquandiu; licet Romanorum Pontificum voluntati obſecundarent Imperatores, edictumque Valentinianus miſiſſet in Gallias, quo imperabat ut pro lege haberetur quicquid ſanxiſſet Pontifex Romanus: *Ita ut quiſquis Epiſcoporum ad judicium Romani Antiſtitis evocatus venire neglexerit, per moderatorem provinciæ adeſſe cogatur*. Ceſſere quidem aliquando Epiſcopi, ne repu-
D gnando nihil niſi Principis odium ſibi quærerent: at quam immerito reclamaſſent Epiſcopi noſtri contra jus appellationum hujuſmodi, ſi receptus tunc fuiſſet in Gallicanis Eccleſiis Codex Dionyſii, qui eos canones continebat, Sardicenſes ſcilicet, quibus recipiendi appellationes facultas attribuebatur Pontifici Romano, ut docet Gelaſius Papa?

4. Jus illud appellationis cum deferre cœperunt Gallicani (3) non ad Sardicenſes canones reſpexerunt, ſed ad primatus pontificii dignitatem, & ad Romanæ Sedis antiquitatem, ac potentiorem, ut Irenæus loquitur, principalitatem: cui ſuæ fidei originem & primordia debebant pleræque Gallicanarum provinciarum Eccleſiæ: ad quas Trophimus, aliique ejus ſocii ab Apoſtolica Sede tranſmiſſi fuerant.

5. Ut ad exempla notata reſpondeam, dico (4) ſubobſcuram eſſe Contumelioſi hiſtoriam: Salonium au-

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Appellationum jus ex primatu pontificio originem ducere paullo poſt fatetur Queſnellus num. 4. noſque latius ſtatuimus tomo II. in Obſerv. ad Diſſert. V. ejuſdem Queſnelli part 1. c. 7. Ex factis etiam non male colligitur, quemadmodum ibidem oſtendimus c. 5. Sardicenſes autem canones, qui idem jus ex primatu Romanæ Sedi aſſerunt, apud Gallos ante Dionyſium viguiſſe, ex antiquiſſimis Gallicanis collectionibus, quæ a Dionyſio non proficiſcuntur, ibidem demonſtravimus c. 6. n. 17. Idipſum confirmatur in Synodo Arelatenſi anni 524., in qua can. 2. legitur: *Et licet de laicis prolixiora tempora antiqui Patres ordinaverint obſervanda, tamen quia creſcente Eccleſiarum numero, neceſſe eſt nobis plures Clericos ordinare; hoc inter nos ſine præjudicio dumtaxat canonum convenit antiquorum, ut* &c. Verba *antiqui Patres*, & *ſine præjudicio canonum antiquorum* reſpiciunt canonem 13. Sardicenſem, qui longiorem probationem in laicis requirit, antequam ad ſacros Ordines promoveantur. Hi ergo canones erant in codicibus Gallicanis, uti ſane in vetuſtiſſima collectione Morbacenſi & Vat. Palat. 574. ille canon de laicis Nicæni Concilii appellatione deſcribitur. Vide Tract. part. 3. c. 9.

(2) Iſtud Queſnelli præjudicium refellimus tomo II. in Obſerv. ad Diſſert. V. ejuſdem part. 3. c. 2.

(3) Cum Sardicenſes canones Gallicanis uſui eſſent, ut monuimus not. 24.; non tam ad primatus pontificii dignitatem, quam ad eoſdem canones reſpicere potuerunt Epiſcopi Galli, quando appellationes ad Apoſtolicam Sedem detulerunt.

(4) Licet non omnino explorata ſit tota Contumelioſi hiſtoria; certum tamen eſt, eum depoſitum a Cæſario Arelatenſi appellaſſe ad Agapetum Romanum Pontificem, qui novum examen ſe ſe delegaturum ad eumdem Cæſarium ſcripſit epiſt. 7. Salonius vero & Sagittarius cum Guntramni Regis juſſu congregata Synodo, ab Epiſcopatu fuiſſent dejecti,

autem & Sagittarium non niſi ex ſingulari Regis conceſſione Romam appellaſſe. Quod illis aliiſque, cum factum eſt, ideo negatum non eſt, ut improbis hominibus querelarum prætextus omnis auferretur: ac demum ex dictis judicandum eſt de hujuſmodi appellationibus.

Denique quod Romani Pontifices canones Sardicenſes allegarunt, ut jus ſuum tuerentur etiam apud Gallias, ad rem nequaquam facit, cum id etiam longe ante Dionyſium natum fecerint. Adde quod eum eoſdem canones pro ſedis ſuæ privilegiis adduxerunt, (1) ſub nomine Nicænorum canonum protulerunt: ex quo deſcendit ut majore fiducia eos per omnes Eccleſias grandiore tuba perſonarent. At inde receptionem Sardicenſium canonum vel Dionyſiani Codicis arguere, hominis eſt alìud agentis, aut deploratæ cauſſæ taliacumque quærentis patrocinia.

XVI. Quæ Canonum verſio uſurpata fit in Galliis ante Dionyſianam receptam?

Hoc jam extra dubium poſito, antiquam collectionem & verſionem, quæ ante Dionyſium uſu recepta erat in Galliis, etiam apud eaſdem Eccleſias viguiſſe poſt conditum Dionyſii Codicem uſque ad Caroli Magni tempora; quæret lector, (2) quænam eſſet antiqua illa verſio? An illa, quam Romana uſurpabat Eccleſia? An aliqua Gallis propria? An quæ Iſidorianæ collectioni inſerta legitur? An demum priſca illa tranſlatio, quæ ex Chriſtophori Juſtelli Codice MS. luce non ita pridem donata eſt in I. Tomo Bibliothecæ juris Canonici veteris.

Viri duo ſummæ eruditione conſpicui Jacobus Sirmondus in præfatione ad editionem antiquorum Galliæ Conciliorum, & Chriſtophorus Juſtellus jam laudatus in præfatione Codicis veteris Eccleſiæ univerſæ, in ea ſunt ſententia, veterem tranſlationem apud Gallus tunc receptam, eam eſſe, quæ apud Iſidorum Mercatorem reperitur: ſuamque opinionem aſſerunt ex Canonibus Conciliorum Valentini, Rhegienſis, Arelatenſis II. Agathenſis, & Epaonenſis, in quibus Nicænos, Ancyranos, & Laodicenſes ex Iſidoriana tranſlatione citatos putant.

De integro Galliarum Codice quicquam certi ſtatuere difficile eſt admodum, nec video quemnam Orientalium Canonum, qui in priſcis Galliarum Synodis citatus fuerit, ex una verſione, potius quam ex altera aſſumtum fidenter pronuntiare poſſint ſcriptores laudati. Nicænos excipio, quorum ut memoria frequentior eſt in antiquis illis Eccleſiarum noſtrarum monimentis, ita ex qua verſione aſſumti ſint, non ita operoſum eſt decernere. Quamquam a vero proculdubio aberrarunt Sirmondus, Juſtellus, & ſi qui alii Iſidorianam Nicænorum Canonum tranſlationem in uſu fuiſſe arbitrati ſunt apud Galliarum Eccleſias antequam in illas inveheretur Dionyſiana.

Verſio Rufini Canonum Nicænorum in Galliis uſitata.

Mihi enim iſtud curioſius inveſtiganti certum omnino viſum eſt Canones Nicænos (3) Gallias noſtras mutuatas eſſe a Rufino Aquilejenſi, ex libro x. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quem Euſebianis ſubjunxit: ubi Canones Nicænos recenſet abbreviatos, quos & in viginti duos partitus eſt. Nec in eam opinionem conjecturis modo adducor, ſed certis argumentis, quæ in aliorum oculos miror non incurriſſe. Ea ex gemino præſertim fonte haurimus, ſcilicet ex Concilio Arelatenſi II. & ex illis Canonum excerptis, quæ in cauſſa Contumelioſi Rhegienſis a Cæſario Arelatenſi collecta putantur. Tale eſt excerptum ex Nicæna Synodo, quod Gallicanis canonibus ibi præmittitur.

„ Ad locum de Synodo Nicæna, id eſt cccxviii.
„ Epiſcoporum: *Si qui forte indiſcrete ad Sacerde-*
„ *tium provecti, poſtmodum vel ipſi aliquid de ſe*
„ *criminoſum profeſſi ſunt, vel ab aliis revicti, abji-*
„ *ciantur.*" Qui canon verbum e verbo tranſcriptus eſt ex Rufino, a quo undecimus numeratur, tametſi nonus eſt in aliis editionibus Concilii.

Arelatenſis Synodus II. multiplex etiam hujus aſſertionis argumentum continet. Canone enim primo vetat Neophytum *ordinari ad Diaconatus ac Sacerdotii officium:* in quo Nicænæ Synodi veſtigia premere videtur, ſed ut eſt apud Rufinum. Solius enim Presbyteratus exortem hujuſmodi fieri jubet Canon 2. prout eſt in aliis editionibus: Rufini interpretatio ſola Clericum fieri prohibet.

Canone decimo: *De his*, inquit, *qui in perſecutione prævaricati ſunt, ſi voluntarie fidem negaverint, hoc de eis Nicæna Synodus ſtatuit, ut quinque annos inter catechumenos exigant, & duos inter communicantes.* Nicænum proculdubio canonem xi. reſpicit Synodus hæc Gallica: diverſa tamen utriuſque diſciplina. Ille enim duodecim annorum pœnitentiam lapſis hujuſmodi injungit, ſecundum Iſidorianam verſionem & priſcam illam Juſtelli, quæ Græcis concinunt: ſecundum vero Dionyſianam, undecim. Septenarium igitur illud pœnitentiæ ſtadium, quod Gallicano canone ſancitur, ab alia verſione derivari non potuit, quam ab ea quam profert Rufinus, cujus hæc ſunt verba canone xii. *Si qui abſque tormentis in perſecutionibus lapſi ſunt; & ex corde agunt pœnitentiam, quinque annos inter catechumenos faciant, & duobus annis poſt hoc fidelibus tantum in oratione jungantur; & ita poſtmodum ſuſcipiantur.* Quæ ſequuntur in eodem Arelatenſi canone: *In poteſtate tamen vel arbitrio ſit Epiſcopi, ut ſi eos ex animo errorem deflere & agere pœnitentiam viderit, ad communionem pro eccleſiaſtica humanitate ſuſcipiat:* ſumtum videtur ex his canonis 13. verbis Rufini: *Eſſe tamen in poteſtate Epiſcopi moderandi facultatem &c.*

Canon Arelatenſis ſeptimus; *Hos, qui ſe carnali vitio repugnare neſcientes abſcidunt, ad Clerum pervenire non poſſe:* ex Rufiniana etiam Nicæni primi interpretatione aſſumtum eſt. Nulla enim alia verſio impotentiam vel impatientiam libidinis commemorat in eo Canone, quem ſic Rufinus abbreviat: *Statuunt præterea obſervandum eſſe in Eccleſiis, ne quis ex his, qui ſemetipſos impatientia libidinis exciderunt, veniret ad Clerum.*

Canon Arelatenſis decimus quintus: *In Secretario Diaconis inter Presbyteros ſedere non liceat, vel Corpus Chriſti præſente Presbytero tradere non præſumant. Quod ſi fecerint, ab officio Diaconatus abſcedant.* Ex Canone 13. Nicænæ Synodi depromtum canonem iſtum perſpicuum eſt: ſed non ex alia verſione, quam Rufini, cui vigeſimus iſte eſt; *Et ne Diaconi*, inquit, *Presbyteris præferantur, neve ſedeant in conſeſſu Presbyterorum, aut illis præſentibus Euchariſtiam dividant, ſed illis agentibus ſolum miniſtrent. Si vero miniſter nullus ſit in præſenti, tunc demum etiam ipſis licet dividere. Ali-*
ter

EDITORUM ADNOTATIONES.

cti, cumque *adhuc propitium ſibi Regem noſſent, ad eum accedunt*, inquit Gregorius Turonenſis lib. 5. Hiſt. c. 21., *deplorantes ſe injuſte remotos, ſibique tradi licentiam ut ad Papam urbis Romanæ accedere debeant. Rex vero annuens petitionibus eorum, eos abire permiſit. Qui accedentes coram Papa Joanne, exponunt ſe nullis rationis exiſtentibus cauſſis dimotos. Ille vero epiſtolas ad Regem dirigit, in quibus locis ſuis eoſdem reſtitui. Quod Rex ſine mora, caſtigatis prius illis verbis multis, implevit.*

(1) Cum Sardicenſes canones ſub nomine Nicænorum Romani Pontifices allegarunt, uſum ſequuti ſunt olim in Occidente ac præſertim apud Gallicanos frequentem, quippe in vetuſtiſſimis iſtorum codicibus utriuſque Synodi canones copulati Nicænorum inſcriptionem præferunt, uti oſtendimus in Tractatu part. 2. c. 1. §. 3. & cap. 10. §. 2.

(2) Hac de controverſia vide Obſerv. ſequentes §. 2.

(3) Concilium Arelatenſe II., & excerpta canonum in cauſſa Contumelioſi, Rufini abbreviationes in provincia Arelatenſi receptas adſtruunt. Codices Murbacenſis & Vat. Palat. 574., nec non collectio Herovvalliana, in quibus eædem abbreviationes leguntur, earum uſum alicubi in Galliis inductum probant. Alicubi vero in iiſdem Galliis integram Nicænorum interpretationem adhibitam alia Gallicana documenta evincunt; ut ex § 2. Obſervationum patebit.

Digitized by Google

ter vero agentes abjici debeat. Duo iſti canones in eo conveniunt inter ſe, & ab aliis verſionibus diſcrepant 1. Quod neuter prohibet Euchariſtiam Presbyteris a Diaconibus porrigi. 2. Quod uterque a Diacono dividi Euchariſtiam præſente Presbytero, vetat. 3. Quod multa prætermittunt de poteſtate conſecrandi Corpus Chriſti, a qua ſanctionis ſuæ rationem ſumunt ſancti Patres. 4. Nihil habent de Diaconis ante Epiſcopos ſacra myſteria attingentibus. 5. Nihil uterque de regula & conſuetudine, quam contumaces illi Diaconi infringere præſumebant. Quamobrem dubium non eſt, quin Rufini canones in ſuo Codice tum haberent Arelatenſes Patres, cum ſanctionem ſuam condebant.

Canon decimus ſextus: *Photinianos ſive Paullianiſtas ſecundum Patrum ſtatuta baptizari oportere*: juxta hunc Nicænum viceſimum primum verſionis Rufinianæ conſcriptus eſt: *Et ut Paullianiſtæ, qui ſunt Photiniani, rebaptizentur*. Photinianos enim, qui a Photino Sirmienſi Epiſcopo dicti ſunt, a Nicænis Patribus in cauſſam vocari nemo dixerit, cum nondum exorti eſſent: nec eos revera commemorat vel Græca editio, vel ulla verſio Latina, excepta Rufiniana, a qua Canon Arelatenſis derivatus eſt, & Photinianis accommodatus.

XVI. An ſola Rufiniana verſio uſu tunc recepta in Galliis.

Hæc de Nicænis Canonibus a Synodis Galliarum olim citatis vel relatis. Ex quibus indubitatum reliquitur Rufinianam verſionem apud eas fuiſſe ſæpe ſæpius uſurpatam. An ſola fuerit, Rhegenſis Concilii an. Chriſti 439. canon tertius ſubdubitandi dat locum. Cum enim Armentarium in Ebredunenſi Eccleſia male ordinatum ad Chorepiſcopi munus relegaret, ſequi ſe profitetur Nicænum ſtatutum: *Liceat ei*, inquit, *unam Parochiarum ſuarum Eccleſiam cedere, in qua aut Chorepiſcopi nomine, ut idem Canon loquitur, aut peregrina, ut ajunt, communione foveatur*. Sola Iſidoriana verſio & Parochiæ & Chorepiſcopi nomina ſimul in hoc canone uſurpat: neutrum habet Rufinus: ut illam potius quam iſtius verſionem ob oculos tunc habuiſſe Patres Synodi videantur. (1) Mendum ego putaverim Rufini textui inſſ., nec ita legendum: *Ut quærat ei Epiſcopi locum vacantem, hoc ſit in ipſius poteſtate*; ſed potius: *Ut quærat ei Chorepiſcopi locum* &c. In Epiſcopi enim cujuslibet poteſtate erat vacantem aliquam Parochiarum ſuarum Eccleſiam alteri commendare ſub nomine Chorepiſcopi: at Epiſcopi locum vacantem quærere alteri, non item. Cum id in poteſtate comprovincialium Epiſcoporum Clerique & plebis ſuffragiis, quæ vel redimere, vel emendicare ſummum nefas. Ut ut ſit, levis videtur hujus Canonis difficultas, nec quæ tot Canonum auctoritatem poſſit elevare, in quibus perſpicuus eſt & indubitatus Rufinianæ verſionis uſus quoad Nicænos Canones apud Gallicanas Eccleſias.

Quod vero aliarum Orientis Synodorum uſum attinet, Ancyranæ citatum Canonem habemus in Epaonenſi Synodo an. 517. Canone enim 31. de pœnitentia homicidarum obſervari jubet quod Ancyritani, ut ajunt, canones decreverunt: ſed ex qua verſione, non patet. Canones 65. 66. 67. & 68. Agathenſi Concilio ſubjuncti ex verſione Laodiceni Concilii, quæ Iſidoriana vocitatur, tranſcripti ſunt; ſed quo tempore, cujus auctoritate, an ab aliqua Synodo Gallicana, an potius a famoſo illo interpolatore Iſidoro, ad hæc uſque tempora ignoratum eſt. Hoc apud eruditos ex antiquiſſimis plurimiſque codicibus MSS. conſtat, Agathenſis Concilii canones iſtos non eſſe, ſed eis fuiſſe poſteriori ævo annexos. Quamobrem ex eis ſtatuere non licet de verſione, quæ a Gallis uſurpata eſt uſque ad ſextum Chriſti ſæculum jam completum.

Ceterum, ut obſcura admodum videtur fuiſſe notitia Canonum Nicænorum in Galliis ante Rufini tempora, ita poſtmodum avide hauſta, quæ ab eo data eſt, illorum Canonum verſio in ſuo Euſebianæ Hiſtoriæ ſupplemento. Quod ne quis miretur, revocet in memoriam maximo ſemper in pretio fuiſſe Rufinum apud Gallos & omnes Occidentales (ſi Hieronymum excipias;) atque imprimis acceptam fuiſſe ejus Hiſtoriam, qua primum Latinis innotuerant tot rerum eccleſiaſticarum præclariſſima monumenta.

Plura de his alieno quadamtenus loco ſcribere nec convenit, nec vacat. Ad diligentiorem hujus materiæ inquiſitionem viros eruditos hac diſſertatiuncula invitaſſe ſufficiat.

EDITORUM ADNOTATIONES.

(1) Confer Obſerv. §. 2. n. 9.

EDITORUM

OBSERVATIONES

IN DISSERTATIONEM III.

PASCHASII QUESNELLI

DE PRIMO COLLECTIONIS DIONYSIANÆ USU

IN GALLIIS.

§. I.

Dionyſii Collectio in Galliis nota, & uſu etiam aliquando recepta oſtenditur ante Caroli Magni tempora.

Duæ quæſtiones diſtinguendæ.

I. DE Codicis Dionyſiani uſu in Galliis ante Caroli Magni ætatem cum quæritur, ne æquivocatio fiat, duplex quæſtio diſtinguenda eſt. Prima, num ille fuerit codex publicus, ſeu publica auctoritate editus, vel approbatus, omnium Eccleſiarum Gallicanarum uſu receptus. Secunda, num fuerit codex privatos, qui ante Carolum Magnum in Gallias pervenerit, &, ſi non omnium, aliquarum tamen Eccleſiarum, vel Scriptorum uſu aliquando ſaltem adhibitus ſit. Primum cogitare, vel ſuſpicari inaniſſimum eſt. Nam neque Romæ, ubi citius celebris exſtitit, publicus, ſeu publica auctoritate probatus, ſed privatus codex canonum diutius fuit; nec publicam auctoritatem obtinuit, niſi cum Hadrianus I. ſummus Pontifex ipſum Carolo Magno uſui Galliarum tradidit. Vide Tract. de Collectionibus part. 3. c. 1. Cum porro ante huc tempus nullus alius codex canonum publicus eſſet in Galliis, ſed omnes eſſent collectiones privatæ, quarum uſus deficiente codice publico liber erat, uti probavimus part. 2. cap. 10., ſola ſupereſt ſecunda quæſtio, num Codex Dionyſii inter privatas collectiones eſſet in Galliis ante ætatem Caroli Magni, ita ut eo æque ac aliis privatis collectionibus uti liceret; & num eodem ante illud tempus Gallicani aliquando uſi ſint.

Dionyſii collectio non fuit codex publicus.

II. Queſnellus de publico codice, qui olim in Galliis *auctoritatem* haberet, initio præmiſſæ Diſſertationis loqoitur; nullibi vero aliquem hujuſmodi codicem publica auctoritate editum aut confirmatum ibidem exſtitiſſe probavit. Solum afferri poſſunt priſcæ Galliarum Synodi ac Epiſcopi Gallicani, qui canones Conciliorum, aut conſtitutiones Pontificum allegarunt. Licet vero hi canones, vel conſtitutiones ſumti eſſent ex aliqua collectione; non tamen continuo ſequitur, fuiſſe codices publicos: cum iidem canones & conſtitutiones ſatis auctoritatis haberent ex ipſis Conciliis & Pontificibus, a quibus editi fuerant, nec publico codice indigerent. Hinc ſane idem Queſnellus in antecedenti Diſſertatione §. 4. tria affirmat, quæ Gallicanæ Eccleſiæ praxim publico codice non indiguiſſe confirmant. Primo fatetur codices privatarum collectionum in Galliis plures fuiſſe. *Quot enim codices*, inquit, *antiquarum collectionum ad PRIVATORUM HOMINUM, vel ad aliquarum Eccleſiarum USUM manu olim exarati plurimas Pontificum Romanorum epiſtolas... continent?* Et aliquot etiam vetuſtiſſimos ejuſmodi codices exempli gratia recenſet. Secundo loquens de Synodo III. Aurelianenſi, quæ Leonis epiſtolam 10. allegavit can. 3. codicem memorat *tunc uſurpatum per Gallias, ex quo epiſtolam ad Epiſcopos Vienenſis provinciæ depromſerit*: & licet paullo ante hunc codicem affirmaverit *ad uſum Gallicanum compactum*; non tamen publicum agnoſcit, hæc ſcribens: *Quæ* (Leonis epiſtola) *nec in codice auctorato erat recepta*. Codex *auctoratus* idem eſt apud Queſnellum ac *publicus*, ſeu publica auctoritate approbatus. Tertio inter ſententias, quas *a ratione uſuque Eccleſiarum omnium, ac præſertim Gallicanæ alienas* reprobat, hanc refert, qua quis contenderet, *nec potuiſſe Gallos epiſtolam Apoſtolicæ Sedis decreti nomine decorare, niſi Gallicano Codici* (id eſt publico) *inſertam*. Si autem plures olim erant codices privati, quorum quidam adhuc ſuperſunt; ſi pontificiæ conſtitutiones, & ſimiliter canones Conciliorum exinde allegari poterant, atque ſolebant; quid ergo toties ingerit codicem publicum *auctoratum*, ac *in auctoritate* receptum, qui præter privatas collectiones ante Carolum Magnum in Galliis fuiſſe nullo teſtimonio, indicio nullo probatur? Id quidem cohæret cum ea ipſius theſi, qua alibi ad promulgationem exigit codicem publicum. Hanc vero theſim fuſius expunximus not. 11. ad Diſſert. XII., ac propterea nihil jam diſputandum ſupereſt de codica publico, qui ante Dionyſio Hadrianeum nullo fundamento fuſfultus, inter mera commenta eſt computandus. Cum vero plures privatæ collectiones ipſo Queſnello fatente in uſu fuerint apud Gallos; ſatis in rem noſtram erit, ſi inter has ante Carolum Magnum locum habuiſſe ſaltem aliquando Codicem Dionyſii probare poſſimus.

III. Etſi Queſnellus affirmantem ſententiam impugnans, in Diſſertatione optime probaſſet ea teſtimonia, quæ pro Dionyſii Codice in Galliis recepto producta fuerant, nihil favere huic ſententiæ; ad excludendum tamen ab iiſdem Galliis hunc codicem nihil eviciſſet. Cum enim nullus apud Gallos eſſet codex publicus, ſolæ collectiones privatæ uſui eſſe poterant: cumque hæ plures eſſent, hac vel alia collectione uti cujuſque arbitrio permittebatur. Teſtimonia, quæ Queſnellus ad calculos revocavit, eorum ſunt, qui non Dionyſianam, ſed aliam collectionem adhibuere. Eſto. Numquid ſequitur, nullum Dionyſii exemplum ante Caroli Magni ævum exſtitiſſe in Galliis, & neminem Gallicanum eo uſum fuiſſe? Alia quidem teſtimonia, vel documenta nobis ſunt explorata, quibus Dionyſianam collectionem ea vetuſtiori ætate in Gallias tranſiſſe certiſſime credimus. Queſnellus in præmiſſa Diſſertatione §. 52., ut probet Gallicanos ante Caroli Magni ævum recepiſſe apoſtolicas conſtitutiones, vetuſtiores collectiones Gallicanas, etſi privato ſtudio digeſtas, recenſet, in quibus eædem conſtitutiones deſcribuntur. Earumdem ergo collectionum argumento nos quoque utemur pro Dionyſii Codice. Eædem nimirum collectiones Gallicanæ Carolo Magno anteriores, cum non ſemper ex antiqua verſione, ſed quandoque ex Dionyſiana Græcarum Synodo-

Fuit in Galliis ante Carolum Magnum.

tum

rum canones receperint ; hanc ante Caroli Magni imperium in Gallias invectam teſtantur. Nos, qui ex antiquioribus Gallicanis collectionibus unum codicem Vat. Palat. 574. inſpeximus, inſertam in eo vidimus ea Dionyſio ipſius epiſtolam ad Stephanum, nec non canones Apoſtolorum, & actionem XV. Concilii Chalcedonenſis. At P. Sirmondus, qui in editionem Conciliorum Galliæ quamplurimas Gallicanas MSS. collectiones expendit, idipſum in aliis atque aliis vetuſtis exemplaribus ſe deprehendiſſe In præfatione ad eamdem editionem his verbia diſerte pronuntiat. *Quin & Dionyſianam canonum translationem ignotam Gallis non fuiſſe, priuſquam ejus exemplaria a Sede Apoſtolica ſub Carolo Magno acciperent, atque hac interdum uſos eſſe, deprehendimus ex antiquiſſima collectione canonum e bibliotheca S. Benigni Divionenſi, atque ex aliis ejuſmodi Caroli ævo longe anterioribus, in quibus canones Græci promiſcue nunc ex Dionyſiana, nunc ex veteri illa priſca* (quam ſcilicet Iſidorus poſtea recepit) *proferantur*. Hoc collectionum Gallicanarum teſtimonium, quod exploratiſſimum eſt, vel ſolum ſufficere debet: miramurque vehementer, Queſnellum excuſſis ceteris hoc a Sirmondo productum vel non animadvertiſſe, vel prætermiſiſſe: quin ex hac ipſa præfatione, quæ Dionyſiani codicis uſum in Galliis ante Caroli Magni imperium tam diſerte adſtruit, auſum fuiſſe recenſere Sirmondum inter eos, qui contrariam ſententiam defendunt.

IV. Divionenſem collectionem, quam laudavit Sirmondus, inſpicere non licuit. At duas alias collectiones Gallicanas, ævo Hadrianeo anteriores, typis poſtea editas expendere potuimus, in quibus nonnulla ex Dionyſio ſumta deprehendimus. Una eſt Herovvalliana, quam Jacobus Petit poſt Theodori Pœnitentiale magna ex parte vulgavit, de qua vide quæ in rem præſentem diſſeruimus in Tractatu part. 4. c. 7. Altera eſt *Collectio antiqua canonum pœnitentialium* e MS. Floriacenſi nongentorum annorum edita a P. Edmundo Martene in Theſauro Anecdot. tom. 4. col. 31. & ſeqq. Hinc in Galliis lucubratam non ſolum ipſe Gallicanus codex, verum etiam Synodi, quæ in ea allegantur, oſtendunt, nec non titulus *Statuta Eccleſiæ antiqua*, quem in ſolis Galliarum collectionibus invenimus. Anteriorem porro eſſe Hadriano, ex eo patet, quia digeſta fuit vivente Gregorio juniore, ut manifeſte oſtendunt hæc verba col. 37. *Item ex decreto Papæ Gregorii minoris, qui* NUNC *Romanam catholicam gerit matrem Eccleſiam*. Canonem recitat Synodi Romanæ ſub eodem Pontifice celebratæ anno 721. Licet autem auctor hujus collectionis in quibuſdam Græcorum Conciliorum canonibus eam verſionem adhibuerit, quæ dein in Iſidori Codicem tranſiit; tamen Dionyſii quoque interpretationem explorate exhibet in canone Neocæſarienſi ſecundo, qui his verbis exprimitur col. 35. *Canon Neocæſarienſis. Mulier ſi duobus fratribus nupſerit, abjiciatur uſque ad mortem. Verumtamen in exitu propter miſericordiam, ſi promiſerit, quod facta incolumis hujus conjunctionis vinculo diſſolvat, fructum pœnitentiæ conſequatur. Quod ſi defecerit vir, aut mulier in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanente*. Ejuſdem Dionyſianæ verſionis eſt etiam canon 25. Apoſtolicus, qui profertur col. 40. Præterea col. 32. legitur: *In Concilio Hippone regio. De pœnitentibus. Secundum differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio* &c. ut apud Dionyſium can. 43. Eſt canon Concilii Carthaginienſis anni 397. Hipponiregienſi autem Synodo ita adjudicatur, ſicut in collectione Herovvalliana eidem Synodo adſcribitur idem canon cum aliis, qui apud Dionyſium leguntur poſt adnotationem Concilii Hipponenſis. Vide Tractatum loco paullo ante allegato. Titulus quoque *de pœnitentibus* Dionyſianum titulum ei canoni præfixum exhibet. Hæc tria Dionyſianum Codicem ab hujus collectionis auctore uſurpatum evincunt.

V. Quid quod celebri Gallicanæ collectioni Corbejenſi, quæ ſub medium ſextum ſæculum ſcripta fuit, Nicænos canones ex Dionyſii verſione inſertos indicat P. Couſtantius in admonitione ad epiſt. 57. Innocentii num. 4.? ubi canonem octavum ejuſdem verſionis recitat: idipſumque vidiſſet etiam Queſnellus, ſi conſuluiſſet eumdem codicem, quem in bibliotheca S. Germani conſervatum laudat §. 52. & collectionem vocat *ad uſum Gallicanæ Eccleſiæ concinnatam*. Alii, quibus facultas erit legendi alios codices & collectiones alias Gallicanas ſexti, vel ſeptimi ſæculi, idipſum invenient.

VI. Addere poſſumus codicem Vat. Palat. 577. qui ipſam Dionyſii collectionem canonum, ſeu primum ejus fetum continet. Hic codex ad Gallias pertinuit; ſcriptus autem fuit ſub medium ſæculum VIII. Carlomano & Pipino regnantibus, ut probavimus part. 3. c. 1. §. 3. Habes ergo exemplum Dionyſiani codicis in Galliis ante Carolum Magnum, qui ſane cum ab Hadrianeis exemplaribus diſcrepet, antiquiorem originem præfert. Alii fortaſſe in bibliothecis Gallicanis aliqua æque antiqua Dionyſiana exemplaria invenient, quæ ab Hadrianeo Codice non prodeunt. Antiquiſſimum exemplum puri Dionyſii, quod in bibliotheca Regia cuſtoditur, a multis laudatur. Num ad aliquam Gallicanam Eccleſiam olim pertinuerit, ignoramus. Poſtquam traditus fuit Carolo Magno Codex Dionyſii cum iis lectionibus & additamentis, quæ Hadrianeam collectionem a pure Dionyſiana diſtinguunt, multiplicatis Hadrianeis exemplis, puri Dionyſii codices ſenſim defecere. Hinc iſtorum raritas orta eſt, non vero ex eo quod nulla ejuſmodi exemplaria olim exſtiterint apud Gallos, qui Dionyſianam canonum verſionem in memoratas collectiones Hadriano anteriores nonniſi ex codicibus pure Dionyſianis derivare potuerunt. Certe aliquod purum Dionyſii exemplum apud Gallos olim fuiſſe liquet ex vetuſtiſſimo Gallicano codice Attrebatenſi, qui Gallicanam collectionem hoc tomo editam continet. Hic enim codex in calce deſcriptam habet Dionyſii epiſtolam ad Julianum Presbyterum, uti teſtatur Pamelius in notis ad S. Cypriani librum de unitate Eccleſiæ. Hæc autem epiſtola exſtat in ſolis MSS. codicibus puri Dionyſii, nec in ullo Hadrianeo invenitur. Codicem ergo pure Dionyſianum in Galliis reperit & adhibuit librarius, qui eam epiſtolam in laudato Gallicano exemplo deſcripſit: idemque codex ſatis agnoſcitur anterior Hadriano, poſt quem manuſcriptos libros pure Dionyſianos obſoleviſſe exploratum eſt.

Codex Dionyſii in Hiſpania, Africa, Anglia, & Hibernia.

VII. Dionyſii quidem exemplaria multo ante Hadrianeum tempus in Hiſpaniam, Africam, Angliam, & Hiberniam propagata fuiſſe certum eſt. Hiſpanica collectio ſeptimo ſæculo ineunte lucubrata, conſtitutiones pontificias, quæ in Dionyſio leguntur, cum iiſdem titulis & diviſione recepit. Circa idem tempus Creſconius in Africa ex Dionyſio ſuam collectionem compegit. Ecbertus in Anglia ante Carolum Magnum uſus eſt Codice Dionyſii, ex cujus verſione aliquot canones Synodorum Græcarum ſuæ collectioni inſeruit, ut monuimus in Tractatu part. 4. c. 6. Ibidem etiam deſcripſimus perantiquam collectionem Hibernenſem, in qua ex puro Dionyſii Codice nonnulla excerpta probavimus. Adde quod idem codex in Græciam etiam pervenit. Hinc canones Eccleſiæ Africanæ ex Dionyſio græce redditi fuerunt: & hæc Græca verſio in Concilio Trullano laudata anno 692. Quis ergo dubitare queat, quin collectio in longinquioribus etiam regionibus ante Caroli Magni regnum pervulgata, viciniores Galliarum provincias penetraverit? Si autem ea quoque vetuſtiori ætate puri Dionyſii exempla fuerunt in Galliis, hæc cujuſque arbitrio uſui fuiſſe negari non poteſt. Quod ſi in nulla antiquiori Synodo, & præter Gregorium Turonenſem, de quo diximus not. 14. in Diſſertationem præcedentem, apud nullum Gallicanum ſcriptorem aliquid ex ipſis allegatum invenitur, inopiæ documentorum tribuendum eſt. Collectiones autem vetuſtiſſimæ Gallicanæ, quæ ex Dionyſiano Codice aliquid receperunt, uſum ejus liberum probant, & cujuslibet Scriptoris loco teſtimonium ſatis idoneum ſuppeditant.

Et in Græcia.

§. II.

§. II.

Quibus verſionibus uſi ſint Gallicani ante, vel poſt editum ac receptum Codicem Dionyſii.

Præter abbreviationes Rufini integra Nicænorum verſio in Galliis.

VIII. IN ea quæſtione, quam §. XV. proponit Queſnellus, quænam canonum Græcorum verſio uſurpata eſſet in Galliis, antequam Dionyſiana reciperetur, certum quidem eſt, quoad Nicænos canones alicubi obtinuiſſe abbreviationes Rufini, ut idem Queſnellus eodem loco ſtatuit, & B nos confirmavimus in Tractatu part. 2. c. 10. §. 2. Num vero hæ ſolæ abbreviationes quoad eoſdem canones in uſu fuerint, licet ille in dubium vocet §. XVI. integram tamen eorumdem canonum verſionem in Galliis uſitatam fuiſſe certum nobis eſt ex Concilio Valentino anni 374. In hoc enim can. 3. habetur. *Circa eorum vero perſonas, qui ſe poſt unum & ſanctum lavacrum vel profanis ſacrificiis dæmonum, vel infeſta lavatione polluerint, eam cenſuræ formam duximus eſſe ſervandam, ut his juxta SYNODUM NICÆNAM ſatisfactionis quidem aditus non negetur* &c. ubi indicatur Nicænus canon undecimus. Hunc ſane canonem non in Rufini abbreviatione, quæ nondum prodierat, ſed in integra C aliqua antiquiori verſione ejus Synodi Patres invenerunt. Quid? quod in iiſdem Nicænis canonibus non ſolum abbreviationes Rufinianas, verum & aliam integram ipſorum interpretationem præ oculis fuiſſe auctori ejus collectionis Gallicanæ, quæ Arelatenſis II. Concilii nomine inſcribitur, monuimus part. 2. c. 10. §. 2. n. 19.

Quænam eſſet hæc integra verſio apud Gallos.

IX. Quænam porro eſſet hæc integra verſio, qua Gallicani uſi ſunt; cum S. Hilarius in libro de Synodis n. 84. & in Fragmento II. col. 643. editionis Veronenſis Nicænum Symbolum recitet ex ea antiquiſſima verſione, quæ ſtatim poſt Concilium D Romam allata, Romanæ Eccleſiæ uſui fuit; dubitari poteſt, num hæc etiam in canonibus apud ipſos veteres Gallos obtinuerit, antequam Rufini abbreviationes ederentur. In Concilio Valentino cum Nicæni canonis ſententia, non autem verba promantur; nihil exinde pro hac vel alia interpretatione elici poteſt. Solum ex Gallicanis documentis Rufino poſterioribus certum fit, apud Gallos eam antiquam verſionem aliquando fuiſſe receptam, quæ poſtea in Hiſpanicam, ac ex Hiſpanica in Iſidorianam collectionem traducta, & Iſidori nomine vulgata, Iſidoriana vocari ſolet. In Concilio enim Regenſi anni 439. can. 3. Nicænum octavum decretum, ut Queſnellus fatetur §. XVI. iis verbis indicatur, quæ in ea ſola verſione leguntur. E Mendum vero, quod ille putavit Rufini textui ineſſe, ſolo ejus arbitrio ingeritur, ut idem decretum ad Rufinianas abbreviationes per vim revocetur. Id palam fit ex ipſa emendatione, quam ille nullo MS. codice allegato ex ingenio ſubſtituit. Cum enim duæ voces *parochiarum* & *Chorepiſcopi* in Regenſi canone receptæ antiquam illam verſionem referentes, Rufini abbreviationibus non congruant; unius tantum vocis *Chorepiſcopi* emendatio nequa-

De verſione Iſidoriana.

A quam ſufficit, ut idem decretum iiſdem abbreviationibus aptetur, cum præſertim ſola interpretatio Iſidoriana præter *parochiæ* nomen etiam *Chorepiſcopi* vocem exhibeat. Adde quod ejus antiquæ verſionis uſum comprobat etiam Concilium Epaonenſe anni 517. in quo can. 31. de pœnitentia homicidarum illud obſervari præcipitur, *quod Ancyritani canones decreverunt*. Nomen *Ancyritani* ſolius antiquæ interpretationis proprium eſt: nam in verſione, quæ dicitur Priſca, iidem canones *Ancyrenſes*, apud Dionyſium vero *Ancyrani* vocantur. Adde vetuſtiſſimam collectionem Corbejenſem ab ipſo Queſnello laudatam, in qua Græcarum Synodorum canones, B Nicænis exceptis, eamdem antiquam interpretationem referunt. Idipſum deprehenditur in collectione hoc tomo edita, quam in Galliis digeſtam probavimus. Alias perantiquas collectiones Gallicanas Foſſatenſem, Anicienſem, atque Remenſem cum eadem verſione Sirmondus memorat. Hinc in poſterioribus Synodis, ſeu Capitularibus eadem verſio frequenter occurrit, ut notavit laudatus Sirmondus ad Capitulare I. anni 789. idemque Queſnellus confeſſus eſt in præmiſſa Diſſertatione §. X.

Vide P. Couſtant Præfat in tom. I. ep. Rom. Pont. n. 62.

X. Cum vero nullus eſſet apud Gallos certus codex publicus canonum; nulla quoque certa verſio eiſdem præſcripta fuit. Hinc alii abbreviationibus C Rufini in Nicænis canonibus utebantur, alii antiqua verſione Iſidoriana, quam cum frequentius Gallicani codices præferant, frequentiorem quoque fuiſſe ejus uſum negari non poteſt. Priſcam nihilominus verſionem a Juſtello editam, & a nobis hoc tomo recuſam in Gallias perveniſſe, eamque Gallicanos aliquando, ſed rarius adhibuiſſe, demonſtrat Gallicana collectio hoc tomo edita. In hac enim canones Chalcedonenſes ex priſca inteprætatione exhibentur. Dionyſianam quoque translationem ante Carolum Magnum allatam in Gallias, ibidemque aliquoties uſurpatam antecedenti paragrapho vidimus. Cum vero neque per Hadrianum I. qui Dio- D nyſianum Codicem cum aliquot additamentis Carolo tradidit, neque per hunc Imperatorem vetitum fuerit ne quis alio Codice uteretur; antiqua illa verſio etiam poſt hoc tempus aliquoties adhibita invenitur. Solum multiplicatis ſubinde & propagatis Hadrianeis exemplaribus Imperatoris ejus cura, qui Romanæ Eccleſiæ ac diſciplinæ amantiſſimus, ſicut liturgicos ejus libros, ita & canonum Codicem ab eadem Eccleſia quærere, & in Gallicanarum uſum diffundere ſtuduit; ſenſim frequentior eſſe cœpit cum eodem Codice Dionyſiana interpretatio, ut notavit Sirmondus, cujus teſtimonio has obſervationes concludere libet. *Certum eſt illos* E (Gallos) *priſcam illam* (Iſidorianam) *libentius ſemper uſurpaſſe, ejuſque uſum ad eadem uſque Caroli Magni tempora frequentaſſe: idque declarat inter cetera Capitulare Aquiſgranenſe Caroli ejuſdem, quod totum Græcis antiquæ verſionis auctoritatibus refertum eſt, præter quam in canonibus apoſtolicis, qui neceſſario ex Dionyſiana citantur, quia alia tunc illorum verſio nulla erat. Poſt hæc vero ſenſim ab ea deflexere, codicemque canonum Dionyſianæ collectionis per Hadrianum Papam Carolo Regi commendatum amplexi ſunt.*

De priſca verſione.

De Dionyſiana.

Liber cujuſque verſionis uſus.

S U M M A

EORUM QUÆ CONTINENTUR IN HAC III. DISSERTATIONE

P A S C H A S I I   Q U E S N E L L I

CUM BALLERINIANIS ADNOTATIONIBUS ET OBSERVATIONIBUS IN EANDEM.

QUESNELLI *Diſſertatio III. de primo uſu Codicis canonum Dionyſii Exigui in Gallicanis regionibus: ubi quod ante Hadriani Papæ I. & Caroli Magni Imperatoris tempora receptus non fuerit, oſtenditur: & quæ apud Gallias Latina canonum Orientalium verſio ante hæc tempora viguerit, inquiritur.* 341

EDITORUM *Obſervationes in Diſſertationem III. Queſnelli de primo Collectionis Dionyſianæ uſu in Galliis.* 352

§. I. *Dionyſii Collectio in Galliis nota, & uſu etiam aliquando recepta oſtenditur ante Caroli Magni tempora.* Ibid.

§. II. *Quibus verſionibus uſi ſint Gallicani ante, vel poſt editum ac receptum Codicem Dionyſii.* 353

Digitized by Google

VIII.

DE

COLLECTIONE

CANONUM ISIDORI MERCATORIS

COMMENTARIUS.

In quo de Collectionis origine & fortuna diſſeritur, deque perſona ac præcipuo Collectoris propoſito inquiritur: fraudes item Impoſtoris deteguntur, ex eoque ortam occaſionem fingendæ fabulæ de Joanna Papiſſa ſolidis indiciis ſuadetur; unde verum ejuſdem Impoſtoris nomen etiam pateſcit.

ADNECTITUR

DIATRIBA de Capitulis ad Angelramnum Hadriano I. Papa tributis.

AUCTORE

CAROLO BLASCO.

Yy 2

Digitized by Google

DE
COLLECTIONE CANONUM
ISIDORI MERCATORIS.
COMMENTARIUS.

SCribenti mihi Hiſtoriam juris Canonici, & maltas variaſque Canonum Collectiones, tam græcas, tum latinas recenſenti, cum longe copioſius & abandantius de illa, quæ Iſidori Mercatoris dicitur, quam de aliis diſſeruiſſe viderer, ita ut hæc una operis pars ceteras omnes æquaret atque etiam ſaperaret: cumque de hac deformitate avertenda diu multomque cogitaſſem, nihil ſane in mentem venit, quod aliqua ratione ſatisfaceret. Quæ enim redundare videbantur, ea tamquam ſi nimia & ſuperflua forent, reſecare diſplicebat quidem; nec talia viſa, quæ vel in ſubjectas notas contrahere, vel in pecoliares Diatribas rejicere commode poſſem: alias rurſus lucubrationis partes præter rem majores efficere, & ita ad æquabilem rationem reducere ſrigidom qund fuiſſet ac ſane putidum. Hinc cum quid agerem, non haberem; tandem mutato conſilio, quæ de Mercatoris Collectione animadverteram, in peculiarem librum conjicere, eademque ampliare ac notis illuſtrare animum induai; eoque libentius, qaod hujuſmodi Collectio ipſa per ſe ſingularem tractationem requirere videbatur. Continet enim inter alia maximam fraudem, qua nalla major in Eccleſia omquam exſtitit, & quæ illi detrimentum attulit non minimum. Quare hujuſmodi fraudis ortum, progreſſum cauſſaſque inquirere, oeque ioutile neque injucundum patabam: quin etiam ut hæc omnia tandem in quoddam veluti ſyſtema coaleſcerent, neceſſarii laboris eſſe arbitrabar. Excitavit me quoque quam maxime obſervantia ac pietas erga Petri Cathedram, eadem de cauſſa hæreticorum, ac quorumdam degenerantium catholicorum calamniis vexatam: nimirum ut eam ab illis ſincera rerum geſtarum narratione pro viribus vindicarem. Dilato igitur priori opere, hoc alteram maturare placuit: in quo aliqua antiquiorum collectionum ſpecimina, quæ veluti fontes aperiunt unde ea tractatio arceſſenda ſit, præcipere operæ pretium exiſtimavi.

CAPUT I.

Synopſis Collectionum, quæ Mercatorem præceſſerunt.

PRima itaque Canonum Collectio, vel potius altera ab illa (1) Canonom qai Apoſtoloram dicuntur, prodiit in Oriente; eaque ſynodus Chalcedonenſis celebrata anno 451. uſa fuit. (2) In ipſa primo loco ſcripti erant XX. Canones Nicæni; tum XXIV. ſive XXV. Ancyrani, & XIV. Neocæſarienſes, licet utrique illis antiqaiores: deinde XX. Gangrenſes, LIX. Laodiceni, XXV. Antiocheni, & III. ſive IV. (3) concilii Conſtantinopolitani I. Hujuſmodi Canonum Collectione latine reddita ſubinde Eccleſiam (4) occidentalem uſam fuiſſe, cum alia argumento ſunt, tum illud, quod Dionyſius Exiguus ſub principium ſæculi VI. Romæ commorans ait, ſe rogatu Stephani Salonitani epiſcopi, atque etiam Laurentii monachi (5) *confuſione priſcæ translationis offenſi*, novam Græcorum Canonum verſionem adornaſſe. Paſchaſius vero Queſnellus multis probare conatur, Romanam Eccleſiam ſuum habuiſſe Regularum Codicem, eumque eſſe, quem ipſe Appendicis loco appoſuit operibus S. Leonis Magni. In eo cum primo loco poſt ſuppoſitam Nicæno concilio præfationem, ſub uno illius nomine Canones, ejuſdem Symbolo comprehenſos, ſcripti ſint, & Sardicenſes, (concilii ſcilicet Sardicæ habiti anno 347. quod tamquam Nicæni Appendix habebatur) his ſolis conſtituiſſe Canonibus eum Codicem tempore Innocentii I. ea eodem Pontifice argumentatur. (6) Et cum deinde nullo ordine admixti ſequantur alii Canones conciliorom, Litteræ tam Decretales, tum familiares Rom. Pontificum, Epiſtolæ item aliorum Epiſcoporum, Conſtitutiones etiam Imperiales, aliaque monumenta; Dionyſium de hac confuſione non ſecus, ac de perturbata ibidem verſione græcorum Canonum loquutum fuiſſe dicit. Sed Queſnellianam conjecturam multis variiſque non levibus rationibus refellit Pater Conſtantius *Præfat. ad Epiſtolas Rom. Pontificum* a ſe collectas, editaſque; atque eam Collectionem; neque

(1) Hæc namque licet ad S. Clementem, cujus nomen præſefert, non pertinear, nec ipſi Canones Apoſtolorum ſint: eſt tamen antiquiſſima, & ante ſæculum IV. prodiiſſe videtur, ſed poſt annam 250.

(2) Et hoc dictum voluit Pelagius I. a Gratiano relatus *Can.: Non vos* 42. 23. *quæſt.* 5. inquiens: *Sed quid de talibus inſertus Chalcedonenſi Synodo Canon ſtatuat, gloria veſtra conſideret*: & deinde eſcribit verba Canonis v. Concilii Antiocheni ex verſione, tam ipſius Concilii Chalcedonenſis, tum Dionyſii, de quo inferius ſermo erit: unde perperam ad aram poſita eſt nota in eum Pelagii locum 2. *q.* 3. *Si quis Presbyter*. Hic nempe Canon eſt octavus Concilii Carthag. 2. quod nulla modo ad Chalcedonenſe pertinet: & præterea non continet, neque verba, neque eamdem omnino ſententiam Canonis a Pelagio exſcripti.

(3) Tertius enim cum ſecundo a quibuſdam conjungitur, uti conjunctus cernitur apud Dionyſium: Idem dicendum de IV. & V. Ancyrano.

(4) Privatim ſcilicet, non publice.

(5) Laurentium fuiſſe Monachum colligo ex ipſius Dionyſii verbis, qui *Præfatione* eum vocat *Fratrem noſtrum*: qui mos vocandi Fratres, licet in ipſo Eccleſiæ exordio communis fuiſſet omnibus Chriſtianis, peculiari tamen ratione ad Monachos pertinuit. Unde S. Jo: Chryſoſtomus *hom.* 25. in *cap.* II. *Epiſt. ad Hebræos* a Gratiano relatus *Can.* 24. 21. *quæſt.* 3. ait: *Si enim quis Frater nominatur inter vos, fratrem in hoc loco omnem fidelem ſimpliciter intellige, non monachum tantum*. Eumdem Laurentium S. Romanæ Eccleſiæ Natalis Alexander, & Antonius Pagius Preſbyterum, & Jo: Doviat Diaconum faciunt, ſed nalla auctoritate freti.

(6) Innocentius enim *Epiſt. VII. n.* 3. ait: *Quod autem ad Canonum obſervationem attinet, ſolis illis parendum eſſe dicimus, qui Nicæa definiti ſunt, quos ſolos tenere & agnoſcere debet Eccleſia Catholica.*

que ad Eccleſiam Romanam pertinuiſſe, neque ea ætate factam luiſſe probat, ſed ſub principium ſæculi ſexti, eodem fere tempore, quo Dionyſius ſuem inſtruxit.

Dionyſius itaque Exiguus (1) natione Scythes, ſed domicilio, moribuſque Romanus, qui omiſſa profana annorum numeratione per Olympiades, vel Conſules, primus ab Incarnatione Domini tempore notare cœpit, & Cyclum Paſchalem edidit anno Chriſti 525. Dionyſius, inquam, græcos Canones e ſe latinitate donatos eo digeſſit ordine, ut primo locaverit L. priores ex LXXXV. Canonibus qui dicuntur Apoſtolorum, tum Nicænos cum reliquis, qui in græca ſupra memorete Collectione erant: tum *ſubdidit* (2) Canones viginti ſeptem concilii Chalcedonenſis. Hujuſmodi verſioni adjecit Regulas ex latinis, Sardicenſes XXI. & Africanas CXXXVIII. priores ſcilicet XXXIII. ſtatutas a concilio Carthaginienſi VI. in quo interfuerunt Legati Sedis Apoſtolicæ, & Magnus Auguſtinus; alias centum excerptas ex multis ſuperiorum conciliorum Africæ in eadem ſynodo ſexta probatis; & reliquas quinque, quæ quatuor Epiſtolas, & Symbolum Nicænum continent. Idem Dionyſius rogetu Juliani Presbyteri tituli S. Anaſtaſiæ Litteras Romanorum Pontificum ad Eccleſiæ inſtitutionem pertinentes, quas reperire potuit, etiem adjunxit, e Siricio ſcilicet (qui anno 384. pontificatum iniit) uſque ad Anaſtaſium II. (qui anno 498. mortem obivit) ac in articulos CLXXXV. diſtribuit. Per hujuſmodi quidem Litteras pro ea, quam omnium Eccleſiarum habent ſolicitudinem, Romani Pontifices, cum crebro conſulerentur; vel alia data occaſione, eas informabant præceptis inſti-

A tiſque: unde ipſæ *Litteræ Decretales* dictæ fuerunt, (3) & *Decreta Sedis Apoſtolicæ*, majoris diſtinctionis gratia a *Canonibus conciliorum* diſcreta; ceterum *Canonum* nomine quoque venerunt. Cum igitur tales *Litteræ maximi momenti* eſſent, etque ed univerſam Eccleſiam ſpectarent, eas ignorare, Epiſcopis præſertim, non minimæ culpæ vertebatur, ut ait laudatus Siricius *Epiſt.* ad Himerium Terraconenſem: *Sedis Apoſtolicæ ſtatuta, vel Canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum ignorare ſit liberum.* Nec mirum videri debet, tum primum illas
B in Canonum Codicem fuiſſe collatas. Hujuſmodi enim collectiones fere ſemper, ac ne (4) fere quidem, ſtudiis privetorum fiebant; unde nulla certa ratione erant digeſtæ, ac eliquando etiam neglectæ fuerant. Argumento equidem eſſe poteſt, quod Sirmondus *Præfat. ad Concilia Galliæ* de iiſdem advertit. (5)

Hanc Dionyſii Collectionem, licet ſtudio priveto peractam, *uſui celeberrimo* fuiſſe Romenæ Eccleſiæ, teſtis eſt Caſſiodorus: quod ite tamen intelligendum eſt, ut primum Canonibus quos antea probaverat, uſa fuerit; mox paullatim aliis
C eſſueſceret, non tamen omnibus: aliquos enim, vel numquam, vel multa poſt ſæcula egnovit. Jam vero Dionyſiana Collectione Eccleſiam Gallicanam exinde uſam fuiſſe contendit Petrus de Marca *lib. III. de Concor. cap.* IV. *n.* 2. & Natalis Alexander *Appendice diſſert.* XXI. *ad Sæculum I. n.* 4. At alii rem diſtrahunt uſque ad octavum ſæculum, quo eam Hadrianus I. Papa (in II. Parte præſertim, quæ Decreta Apoſtolicæ Sedis continet) auctiorem dedit Carolo Magno. Eodem ſæculo VI. S. Martinus e Pannonia oriundus, ſed

epi-

(1) Vulgo creditur a doctis etiam viris, & ab ipſo Fleuryo *Exiguus* dictus a parvitate corporis, ſed nullo rationis momento: cum neque Caſſiodorus ejus amicus, qui *de Divinis lectionibus cap.* 23. de eo ſatis ſuperque agit, neque antiquorum alii, veluti Beda, qui ejuſdem meminit, id aſſerat. Quin eum ipſe Dionyſius principio utriuſque *Præfationis* tam ad Canones, quam ad Litteras decretales, & alibi etiam ſe *exiguum* appellet: omnino veriſimile non eſt, ita fuiſſe dictum a parvitate corporis, alioquin injurioſo ſemetipſum nomine appellaſſet. Cum igitur Caſſiodorus tali cognomento ipſum non donet, ſed ille Monachi potius, crediderim modeſtiæ cauſſa, qua eum fuiſſe præditum idem Caſſiodorus eodem loco teſtis eſt, ſe *exiguum* vocare conſueviſſe; uti & alii ſolebant, in primiſque Monachi. Sic Leporius Monachus & Presbyter in *Libello emendationis*, hanc inſcriptionem poſuit: *Dominis beatiſſimis, & venerabiliſſimis Dei Sacerdotibus Proculo, & Quillonio Leporius exiguus*. Sic Anaſtaſius Bibliothecarius *exiguum* ſe appellat *Apologia* pro Honorio ad Jo: Diaconum, cujus hæc eſt epigraphe: *Cariſſimo Fratri Jo: digno Chriſti Levitæ Anaſtaſius exiguus in Chriſto ſalutem*: & ad Theodoſium Presbyterum: *Anaſtaſius exiguus miſericordia Dei Presbyter, & Monachus ſervus ſervorum Dei*. S. Bonifacius quoque Moguntinus ſolemne habuit ſe *exiguum* appellare. Videſis ejus Epiſtolas, ubi bene multa tum ipſius, tum aliorum exempla reperies, qui ſe *exiguos* nuncuparunt. Neque hac in re deſunt piarum etiam mulierum exempla. Sic Cæſaria Arelatenſis Abbatiſſa epiſt. apud Martenium *tom.* 1. *Theſauri novi Anecdot. Dominabus ſanctis Richildæ, & Radegundi Cæſaria exigua*. Sunt etiam, ut idem Fleuryus *Lib.* XXXII. n. 38. qui ſine alicujus antiqui ſcriptoris teſtimonio Dionyſium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum faciunt. Id ſolum conſtat ex Caſſiodoro, eum fuiſſe Monachum, & ex Beda etiam Abbatem.

(2) Conſulto hoc verbum ipſius Dionyſii tranſcripſi ad denotandum, Canones Chalcedonenſes tunc temporis in codicem Græcorum non adhuc fuiſſe relatos; contra quod videtur ſentire Doviat. *Lib. III. Prænot. Canonicarum cap. IV. num.* 6. Illudque accedit, quod non alia probabilis ratio reddi poteſt, cur Dionyſius tertium Canonem Conſtantinopolitanum retulerit, non autem 28. Chalcedonenſem, cum in utroque, Conſtantinopolitanæ Patriarchæ ſumma poſt Romanum Pontificem, ceteris Patriarchis, & ipſo Romano Pontifice reclamantibus, dignitas decernetetur, non alia, inquam, ratio reddi poteſt, niſi quod primum fideliter ex græco Codice tranſtulit; alterum vero in Codicem non relatum omiſit, uti & alii Latini ſcriptores in ſuis Canonum collectionibus omiſerunt.

(3) Hinc manca eſt definitio hujuſmodi Litterarum decretalium, quam dat Abbas Fleuryus ſuis Inſtitutionibus Canonicis, inquiens: *On appelloit Lettres decretales celles, que les Papes avoient ecrites ſur les conſultations des Eveques pour decider des points de diſcipline*. Melius Cardinalis Baronius: *Decretales vero dicebantur Rom. Pontificum Epiſtolæ, quibus vel ad diverſorum conſultationes reſpondere ſolebant, vel cum quid ſervandum, vitandumque eſſet, edicerent*.

(4) Elpenius *Tract. Hiſtor. Can. part.* 1. *cap.* 15. §. 3. dicit: *Codicem Canonum formabant Eccleſiarum Præfecti, ut unicuique innoteſceret, quas regulas diſciplinæ ſequi oporteret*. Sed nullum indicat Codicem publica auctoritate factum, forſan reſpexit ad *illum* Queſnelli ſui. Hic enim Codicem ſupra memoratum, & a ſe editum ſub *denominatione Eccleſiæ Romanæ*, Rom. Pontificum auctoritate factum eſſe contendit. Sed idem P. Couſtantius, qui, ut ſupra diximus, *Præfat. ad Litt. Rom. Pontif.* multis probare aggreditur, talem Codicem nulli uſui fuiſſe Eccleſiæ Romanæ, eadem *Præfat. n.* 43. & ſequentibus, eum publica auctoritate fieri non potuiſſe, evidentiſſime demonſtrat. Ex detectione hujus falſi principii Queſnelli, falſum etiam detegitur ejus ſyſtema. *Pontificum Epiſtolæ ad privatas, externaſque Eccleſias miſſæ, per Eccleſias ad Sedem Apoſtolicam pertinentes robur acquirebant, atque obediendi inducebant neceſſitatem, cum a privatis Scriniis in publicum Codicem eductæ promulgari, ac pro inſtituta decretali haberi cœperunt. Cetera ſcripta quamdiu inde non proferebantur, publicæ legis vim habere illic non poterant*. Non fuit ſane hæc, a Queſnello excogitata, ratio publicandarum Decretalium, ſed alia, quæ eruitur ex ipſis Litteris decretalibus, ex quibus habetur, curaſſe Romanos Pontifices ut hæ ad omnium notitiam pervenirent, vel per ſynodum, ſi fieri poſſet, vel per earumdem recitationem. Alterutro in aliis Litteris præſcripto, utrumque complectitur *Ep.* 24. Innocent. I. ad Alexandrum Antiochenum: *Gravitas itaque tua hæc ad notitiam cœpiſceperum vel per ſynodum ſi fieri poteſt, vel per harum recitationem faciat pervenire, ut omnium conſenſu, ſtudioque firmentur*. Rem idem Couſtantius loco *laud. n.* 47. & ſeq. multis illuſtrat.

(5) Ait enim: *Nullam olim certam, & receptam ſynodorum noſtrarum Collectionem, nullum Gallicanorum Canonum Corpus fuiſſe*.

epiſcopus Bracarenſis in Hiſpaniis ſuam etiam edidit Canonum Collectionem ex græcis Canonibus primæ Collectionis, a ſe in latinum translatis, & ex quibuſdam latinis Regulis concilii præſertim Tolerani I. & Bracarenſis I. Ipſe porro ſenſas potius quam verba perſequi ſtudens, utraque aliquando deſeruiſſe videtur: ea enim conſormare fortaſſe voluit ad diſciplinam, quæ ſua ætate vigebat. Neglecto autem temporis ordine, ordinem tenuit materiarum, adeo ut ex octoginta quatuor capitibus, qaibus totum opus conſtat, ſexaginta octo ad Epiſcopos & Clericos pertineant, cetera vero ad laicos. (1)

S. Iſidorus deinde Hiſpalenſis, ſive potius alius ſcriptor Hiſpanus, ſub principium ſæculi VII. Dionyſium Exiguum imitatus, eam concinnaſſe creditur Eccleſiaſticarum Regularum Collectionem, quam Card. de Aguirre *Tom. I. Conciliorum Hiſpaniæ pag.* 45. aliique viri eruditi manu exaratam in variis Hiſpaniarum Bibliothecis exſtare teſtantur. In ipſa primo loco ſcripti ſunt Canones Nicæni, ceterique primæ græcæ Collectionis ex antiqua verſione, ſed ita ut additum ſit Nicænis Symbolum, & Fides Gregorii Majoris, inter alios autem poſiti Sardicenſes, adjectæque ex ſynodo Epheſina duæ Epiſtolæ S. Cyrilli Alexandrini, & ex ſynodo Chalcedonenſi præter Canones alia quædam. Tum deinceps conſequuntur Canones conciliorum octo Eccleſiæ Africanæ, decem & ſeptem habitorum in Galliis, & quindecim in Hiſpaniis; inter quæ Capitula Martini Bracarenſis. Tandem exſcribuntur Decreta Romm. Pontificum, eadem quæ Dionyſius congeſſerat: quibus adjiciuntur in principio duæ Epiſtolæ Damaſi, una ad Paullinum Antiochenum, altera ad Orientales: mox aliis interjectis, habentur in fine una Vigilii ad Profuturum, & Gregorii Magni quatuor, quarum tres ad Leandrum Hiſpalenſem, ultima vero ad Recaredum regem eſt directa. Quæ quidem collectio aucta deinde fuit Canonibus conciliorum Toletanorum, quæ poſtea habita fuere, uſque ad XIII. celebratum anno 683. tum aliorum poſteriorum uſque ad XVII. habitum anno 695. ac Emeritenſis an. 666. (2) prout ex teſtimonio multorum ſcriptorum in aliis codicibus mss. conſtat.

CAPUT II.

Aſpectas Collectionis Mercatoris.

HAnc igitur Iſidori Hiſpalenſis primo auctam Collectionem uſque ad concilium Toletanum XIII. Iſidorus alter Mercator, ſeu Peccator dictus (3), mirabiliter adauxit. Nam (præmiſſis ſua præfatione, Epiſtola Aurelii Carthaginienſis ad Damaſum Papam cum Epiſtola, qua is reſcripſiſſe fingitur, & *Ordine* celebrandi concilium deſumto ex Toletano IV.) Collectionem comulavit ex monumentis Collectionis, quam Hadrianus Papa obtulit Carolo M., & illius, quam publicavit Queſnellus, ac etiam quibaſdam S. Gregorii M. ex ejus Epiſtolarum regeſto, aliiſque nonnullis; præterea eam oneravit multis, variiſque ſuppoſititiis monumentis, (4) quorum pleraque omnia ipſe finxit; quæ ita recenſebimus, ut quod ſuæ fictionis non eſt, vel non ex toto, vel de quo dubitatur, ultimo loco ponamus, atque adnotemus. Hujuſmodi in primis creduntur eſſe Epiſtolæ XCVI. Romm. Pontificibus attributæ, quæ omnes, paucis exceptis, ſunt Decretales, nimirum LXI. a S. Clemente uſque ad S. Silveſtrum, quas inter L. Canones Apoſtolorum, & Nicænum conciliam collocat: & reliquæ XXXV. una cum aliis correſpondentibus Epiſtolis a Silveſtro uſqae ad Gregorium M. quas poſt concilia, & infra recenſendum Epilogum Silveſtrini *Conſtitum* collocat, & cum veris Decretalibus ſubinde ſuccedentibus admiſcet.

Primi generis ſunt, præter duas priores Clementis ad Jacobum Fratrem Domini, de quibus infra ſermo erit, poſteriores tres eidem tributæ, tertia ſcilicet ad omnes Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos &c. quarta ad Julium, & Julianum ſuos diſcipulos, & quinta ad Fratres, & condiſcipulos Hieroſolymis cum Jacobo habitantes: tres Anacleti, una ad omnes Epiſcopos, altera ad Epiſcopos Italiæ, tertia ad omnes Epiſcopos: duæ Evariſti, prior ad Epiſcopos Africanos, altera ad Epiſcopos Ægypti: tres Alexandri, una ad omnes Orthodoxos, & reliquæ duæ ad omnes Epiſcopos: duæ Xyſti I. prior ad omnes Chriſtianos, poſterior ad omnes Epiſcopos: una Teleſphori ad omnes Chriſtianos: Hygini duæ, prior ad omnes Chriſtianos, altera ad Athenienſes: duæ Pii, prior ad omnes Chriſtianos, altera ad Italos: Aniceti una ad Galliæ Epiſcopos: Soteri duæ, prior ad Campaniæ Epiſcopos, altera ad Epiſcopos Italiæ: una Eleutherii ad Galliæ provincias: duæ Victoris, prior ad Theophilum Alexandrinum, altera ad Epiſcopos Africanos: duæ Zephyrini, prior ad Siciliæ Epiſcopos, poſterior ad Epiſcopos Ægypti: duæ Calliſti, prior ad Benedictum Epiſcopum, altera ad Epiſcopos Galliæ: una Urbani ad omnes Chriſtianos: duæ Pontiani, prior ad Felicem Succribonum, altera ad omnes Chriſtianos: una Anteri ad Epiſcopos provinciarum Bæticæ atque Toletanæ: tres Fabiani, prima ad omnes Epiſcopos, altera ad Epiſcopos Orientales, tertia ad Hilarium Epiſcopum: duæ Cornelii, prior ad omnes Epiſcopos, altera ad Ruſticum Epiſcopum: una Lucii ad Galliæ & Hiſpaniæ Epiſcopos: duæ Stephani, prior ad Hilarium Epiſcopum, altera ad omnes Epiſcopos: duæ Xyſti II. prior ad Gratam Epiſcopum, altera ad Epiſcopos Hiſpaniæ: duæ Dionyſii, prior ad Urbanum Præfectum, altera ad Severum Epiſcopum: tres Felicis I. prima ad Paternum Epiſcopum, altera ad Epiſcopos Galliæ, tertia ad Benignum Epiſcopum: duæ Eutychiani, prior ad Epiſcopos Bæticæ, poſterior ad Epiſcopos Siciliæ: una Caii ad Felicem Epiſcopum: duæ Marcellini, prior ad Salomonem Epiſcopum, altera ad Epiſcopos Orientales: duæ Marcelli, prior ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ, altera ad Maxentium Tyrannum: tres Euſebii, prima ad Epiſcopos Galliæ, altera ad Ægyptios, tertia ad Epiſcopos Tuſciæ & Campaniæ: una Melchiadis ad Hiſpaniæ Epiſcopos. Hanc ſequitur *Sermo de primitiva Eccleſia, & munificentia Conſtantini*, qui a multis tamquam altera Epiſtola eidem Melchiadi tributa creditur.

Alterius generis Epiſtolæ ſunt, una Marci, qua reſcripſit Athanaſio, & aliis Epiſcopis Ægyptiis, quorum etiam ſapponitur ſuperior Epiſtola: duæ Julii ad Orientales Epiſcopos cum ea, qua hi reſcripſerunt ad primam: duæ Liberii, prior ad omnes Epiſcopos, altera, qua ipſe reſcripſiſſe videtur ad ſecundam fictam quoque Athanaſii, & aliorum Ægyptioram: duæ Felicis II. una continens reſcriptam

(1) Gratianus poſt Reginonem, Burchardum, & Ivonem, laudare ſolet hujuſmodi capitula tanquam ex concilio Martini Papæ; & ſic confundit eum illis, hujus Pontificis decreta edita in concilio Lateranenſi.

(2) Hæc ita aucta Canonum Collectio videtur eſſe corpus Canonum, ut recte advertit Antonius Auguſtinus, de quo loquitur Innocentius III. ad Petrum Compoſtellanum *Lib. II. epiſt.* 157. inquiens: *Emeritenſe concilium, authenticum eſſe multis rationibus aſſtruebas, tum quia cum aliis conciliis continetur in libro qui corpus Canonum appellatur, quem Alexander PP. per interlocutionem authenticum approbavit*,

(3) Utrum uno, vel altero agnomine ſit donandus, infra videbimus.

(4) Ex his additamentis Canoniſtæ Galli auſpicantur novum jus Canonicum: Quod quidem recte factum dixeris, ſi mutationes, quæ in Eccleſiaſtica diſciplina obvenerunt, attenderis. Ceterum cum aliæ mutationes deinde acceſſerint, & ipſa juris novi Iſidorianis monumentis obductio non ſtatim facta fuerit, ſed pedetentim; ſi univerſam juriſprudentiam Canonicam ad certas ætates revocare volumus, illud jus medium dicendum erit, quod Gratiani Decretum concludit, novum vero, comprehenſum in Collectionibus Decretalium exinde factis dicimus; & noviſſimum ex Conc. Tridentino auſpicamur.

ptum ad tertiam ſuppoſitam Athanaſii, & Ægyptiorum in Alexandrina ſynodo, & altera ad omnes Epiſcopos: præter primam Damaſi ſupra memoratam ad Aurelium Carthaginienſem cum hujus ſuperiori Epiſtola, quatuor aliæ eidem Damaſo tributæ ſunt, altera familiaris ad Hieronymum cum huius reſponſo, tertia ad Stephanum Archiepiſcopum & tria concilia Africæ cum horum ſuperiori Epiſtola, quarta ad omnes Epiſcopos, quinta ad Epiſcopos Italiæ: duæ Anaſtaſii I. prior ad Germaniæ & Burgundiæ Epiſcopos, altera familiaris ad Netianum: una Xyſti III. ad Orientales Epiſcopos: una Leonis ad Epiſcopos Germanos, & Gallos: duæ Joannis I. prior ad Zachariam Archiepiſcopum, altera ad Epiſcopos Italiæ: duæ Felicis IV. prior ad omnes Epiſcopos, altera familiaris ad Sabinum: una Bonifacii II. ad Eulalium Alexandrinum: una Joannis II. ad Valerium Epiſcopum: una Agapeti ad Anthimum Conſtantinopolitanum: duæ Silverii, prior ad Vigilium Pſ-Papam, poſterior ad Amatorem Epiſcopum cum hujus ſuperiori Epiſtola: una Pelagii I. ad Vigilium Epiſcopum: una Joannis III. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ: una Benedicti ad David Epiſcopum: quatuor Pelagii II. prima ad Benignum Archiepiſcopum, altera ad Epiſcopos Italiæ, tertia ad Joannem Conſtantinopolitanum, & quarta ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ: quibus addendæ una Vigilii, & duæ Gregorii, quas infra recenſebimus. Sed ex iis aliquas

A (1) aliena manu Iſidorianæ Collectioni aſſutas potius crediderim.

Ad Mercatorem quoque pertinent multi canones Nicæni, alii a XX. genuinis: quorum XXIV. refert *Epiſt.* 1. nomine Julii, & ceteros (2) *Epiſt.* 1. nomine Felicis II. item ſynodus, quæ a 116. Epiſcopis ſub eodem Julio Romæ habita fuiſſe dicitur: nec non ſynodi V. & VI. ſub Symmacho ibidem, ſynodis I. III. & IV. ex Collectione Hadriani hauſtis additæ; quibus præmiſit Apologeticon Ennodii pro quarta, tamquam a V. probatum, ac ejus duas Epiſtolas eidem Papæ tribuit. Concilium vero Romanum II. ſub Silveſtro, *Conſtitutum*

B (3) dictum, cuius Epitomen Iſidorus dat, jam diu confictum fuerat, ac una cum falſis geſtis Marcellini, Liberii, Xyſti III. Romm. Pontificum, & Polychronii Hieroſolymitani Epiſcopi, erat in Collectione, quam Pater Couſtantius vocat Longobardicam, & in illa, quæ ex hac, & Queſnelliana medio ſæculo VII. ut idem conjicit, contecta fuit: unde videtur, hujuſmodi Collectiones Iſidoro fuiſſe ignotas; ſecus modo enuntiatas ejuſdem furfuris merces in ſuum emporium aſportaſſet. Hinc concimus, & fortaſſe non immerito, Silveſtrinorum Canonum Epilogum non eſſe Mercatoris opus, ſed jam (4) confectum illum aliunde ſibi comparaſſe.

His non contentus Iſidorus, monumenta quæ ex aliis hauſit, interpolavit, auxitque, uſque eo ut duas primas Epiſtolas ad Jacobum Fratrem Domini

(1) Veluti eſt illa Jo. III. ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ de Chorepiſcopis, & forſitan aliæ eadem de re agentes, ut infra videbimus: taliſque videtur Epiſtola Pelagii II. quæ etiam ſcripta eſt ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ, & eſt *ad novem Miſſæ Præfationibus*: ea enim præterquamquod breviſſima eſt, & præter modum Iſidorianum, ad Iſidori propoſitum quod infra aperiemus, nullo modo pertinet; nec in ſpeciem veritatis videtur ſcripta, cum id quod continet, veriſimilitudinem nullam habeat. Suſpicor igitur eamdem fictam a Joanne Scoto Erigena in perfidiæ ſuæ præſidium. Ipſe enim inter errores & hæreſes quas profeſſus fuit, prævivit Berengario in negatione præſentiæ realis Chriſti Domini in Eucharistia; & cum tali blaſphemiæ contrariam haberet Præfationem Dominicæ V. poſt Epiphaniam, quæ habetur in Libro Sacramentorum S. Gregorii, & in Miſſali Ambroſiano, ac etiam laudatur a Guitmundo Epiſcopo Averſano, qui vixit medio ſæculo XI. & ab Algero, qui floruit ſub principium circiter ſæculi XII. & ſic habet: *Æterne Deus: & tibi hanc immolationis hoſtiam offero, quæ eſt ſalutiſera, & ineffabile divinæ gratiæ Sacramentum, quæ offertur a plurimis, & unum Corpus Chriſti ſancti Spiritus infuſione perficitur. Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis. Propterea ipſi, qui ſumimus communionem hujus ſancti panis & calicis, unum Chriſti Corpus efficimur*: Cum, inquam, Scotus horrendæ blaſphemiæ contrariam haberet eam Præfationem, ipſam expungere hac fraude ſtuduit. Quod autem potius Scoto, quam Berengario talis fraus adſcribenda ſit, manifeſtum indicium præbent Luitprandus, & Burchardus, qui ante Berengarium floruerunt, & eam epiſtolam commemorant, ille in Pelagio II. & hic *Lib.* III. *cap.* 69. ſui *Decreti*.

(2) Quot Canones Mercator ſub nomine Felicis II. Nicænos ſuppoſuerit, definiri nequit; ait enim laudata *Epiſt.* 1. *Capitula quadam a SS. Patribus tam in Nicæna Synodo, quam & in hac ſede conſtituta penamus*. Et deinde indiſcretos refert canones XXI.

(3) Hujus *Conſtituti*, ut & Actorum Marcellini, Liberii, Xyſti, & Polychronii unum eumdemque barbarum eſſe artificem recte obſervat P. Couſtantius *laud. Præf.* §. III. *n.* 79. qui id, ut idem putat, ibi propoſuit, ut ſynodum Palmarem, qua Symmachus adulterii accuſatus dimiſſus fuit divino judicio abſolutuſque, multis multorum conviciis vexatam defenderet. Sed magis eſt, impoſtorem voluiſſe omnium Clericorum Ordinibus a calumniis præcavere, ut patet vel ex *Can. III.* ejuſdem *Conſtituti*: *Poſtea autem fecit gradus in gremio ſynodi, ut non Presbyter adverſus Epiſcopum, non Diaconus adverſus Presbyterum, non Subdiaconus adverſus Diaconum, non Acolythus adverſus Subdiaconum, non Exorciſta adverſus Acolythum, non Lector adverſus Exorciſtam, non Oſtiarius adverſus Lectorem det accuſationem aliquam: & non damnabitur Præſul niſi in LXXII. neque Præſul ſummus a quoquam judicabitur; quoniam ſcriptum eſt: Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Presbyter autem niſi in XLIV. teſtimonia non damnabitur. Diaconus autem cardine conſtitutus Urbis Romæ, niſi in XXXVI. non condemnabitur. Subdiaconus, Acolythus, Exorciſta, Lector, niſi (ſicut ſcriptum eſt) in ſeptem teſtimonia filios, & uxores habentes, & omnino Chriſtum prædicantes. Sic datur myſtica veritas.* Et quod ſpeciale habet de Diacono Urbis, ſuſpicionem ingerit, auctorem fuiſſe aliquem ſtudioſum Cardinalium Diaconorum. Ut ut hæc ſe habeant, certum eſt Romanam Eccleſiam talibus monumentis minime uſam uſque ad medium ſæculum IX. videlicet per tria integra ſæcula cum dimidio, ut infra videbimus. Interim nota, quod dicitur, primam ſedem a nemine judicari poſſe, non fuiſſe quid novum & inauditum, ſed id expreſſe haberi in ſynodo IV. genuina ſub Symmacho, in qua Epiſcopi Liguriæ, Æmiliæ, & Venetiarum dixerunt: *Ejus ſedi primum Petri Apoſtoli meritum, deinde ſecuta juſſione Domini conciliorum venerandorum auctoritas ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem, nec antediſtæ ſedis Antiſtitem minorum ſubjacere judicio.* Id etiam habetur in ſynodo Romana in qua ſe Leo III. purgavit, ubi Epiſcopi, & Abbates dixerunt: *Nos ſedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus; nam ab ipſa nos omnes, & Vicario ſuo judicamur; ipſa autem a nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit: ſed ſicut ipſe ſummus Pontifex cenſuerit, jubeat, canonice obedimus.* Neque hæc in utraque Symmachi & Leonis cauſſa, ſola Italorum Antiſtitum ſententia fuit, ſed etiam Gallorum, ut recte oſtendit Petrus de Marca *Lib.* I. *de C. ncor. cap.* XI. ubi etiam docet, hanc eamdem fuiſſe Gallicanæ Eccleſiæ doctrinam contra exauctorationem Eugenii IV. Papæ a Conc. Baſileenſi tentatam. Eum vide tali de re erudite diſputantem. Hinc non eſt, quod Hæretici debacchentur contra *Canonem VI. diſt.* 40. Bonifacio Martyri tributum, ubi de Papa habetur, quod *a nemine eſt judicandus; niſi deprehendatur a fide devius*. Elpenius *Com.* ad hunc canonem putat, ejus auctorem reſpexiſſe ad acta ſynodi Sinveſſanæ. Sed falli videtur, vel ex eo, quod in canonu additur exceptio dicta, quæ ſpeciei ſynodi Sinveſſanæ non aptatur.

(4) Id quod confirmatur ex *lib. II. Legum* Longobardorum *tit. LI. cap.* 12. quod in *Capitulis* Ludovici Pii ex eiſdem Legibus *excerptis* etiam habetur. Hoc enim caput videtur deſumtum ex noſtro Epilogo, quod & Baluzius ad ea Capitula adnotat.

ni jam inde ab antiquis temporibus Clementi falſo tributas longis additamentis amplificaverit, priorem præſertim; quemadmodum amplificavit Epiſtolam Vigilii ad Profuturum, ſive Ætherium: & ipſe idem a multis creditur, Epiſtolam S. Gregorii ad Secundinum longius produxiſſe: quod tamen additamentum ab aliis prius factum ſuadet, tum quod Paullus Diaconus, qui vix, ac ne vix quidem Iſidori Collectionem noſcere poterat, exemplum hujus Epiſtolæ ita auctæ miſit ad Adhelardum Abbatem Corbejenſem; tum quod Rabanus Maurus, qui Iſidori Collectione non fuit uſus, (1) illud in medium adduxerit. (2) Epiſtolam vero, ſeu Epiſtolæ fragmentum ſub nomine ejuſdem Gregorii ad Felicem Meſſanenſem jam antea confictum (3) Iſidorus certe noſter auxit, (4) ac antecedentem Felicis ad Gregorium etiam ſuppoſuit. De Edicto donationis Conſtantini, quod poſt Sermonem de illius munificentia cernitur, non una eſt virorum eruditorum ſententia. Quidam enim illud jam prius ſuppoſitum, a Mercatore ſolum venditatum volunt; alii ab ipſo confictum etiam ſuſpicantur; alii demum, quod magis puto, (5) longo poſt tempore ejus Collectioni aſſutum autumant. De Regula autem ſcribendæ *Formatæ*, quam Mercator poſt concilium Chalcedonenſe refert, num ejus ipſe ſit auctor, an alius antiquior, dubitari poſſe videtur. (6)

Iſidoro noſtro etiam, ſed oſcitanter Maſtricht *de Ortu, & progreſſu Juris Canonici* tribuit aliqua, quæ neque in ejus Collectione ſunt, neque ad ipſum aliquo modo pertinent, veluti Epiſtolam nomine concilii Nicæni ad S. Silveſtrum, & hujus reſcriptum, ac Epiſtolam quartam S. Siricii ad Afros. Hæc namque genuina eſt, ut contra Blondellum & Queſnellum demonſtrat Balutius *diſſert. de Synodo Teleptenſi*, & jam a principio ſæculi VI. relata fuerat a Ferrando Diacono: illæ vero ex loquendi modo videntur eſſe ejuſdem artificis, qui ſynodum ſecundam Romanam ſub eodem ſancto Silveſtro, aliaque monumenta finxit. Et non modo idem Maſtricht *De Suſceptoribus*, ſed alii etiam

Z 2 a Plac-

---

(1) Ut etiam obſervat Antonius Auguſtinus. Quin non modo non fuit uſus, ſed etiam, ut infra notabimus, contra mentem & auctoritatem falſarum decretalium ſuſcepit patrocinium Chorepiſcoporum. Hinc etiam conjicimus epiſtolam S. Hieronymi ad S. Damaſum, hujuſque reſcriptum, quæ ex teſtimonio Cll. Balleriniorum fratrum *Appendice ad opera S. Leonis* part. III. cap. VI. §. V. n. 18. habentur ante Canones Apoſtolorum in aliquibus codicibus collectionis Mercatoris, ejus non eſſe fetus: nam ad illas reſpexiſſe videtur Rabanus Maurus *Opuſc. de Chorepiſc.*

(2) Illud etiam accedit, quod, ut obſervat Mabillonius *Præfat. in Sæculum II. Bened.* n. 47. ejus additamenti *ſtilus* eſt *utique æqualis* ſtilo S. Gregorii. Quam quidem purcelliſſimam imitandi artem Mercator minime calluiſſe videtur.

(3) Illud enim proſtabat in *Excerptionibus Canonum* Egberti Eboracenſis *cap.* 31. *&* 138. Dici *conſicium*: quia de ipſim plura falſitatis arguunt; primo inſcriptio ad Felicem Meſſanenſem, qui jam diu obierat; ſecundo, quod tempore S. Gregorii Magni conſanguinitatis impedimentum uſque ad ſeptimam generationem, quod ponitur tali Epiſtola ad Felicem, in Romana Eccleſia adhuc non agnoſcebatur. Sed primus ea Eccleſiæ Hiſpanicæ diſciplina induxiſſe videtur Gregorius II. quod deinde expreſſius ſtabilivit ejus immediatus ſucceſſor Gregorius III. Denique falſitatis ſuſpicionem confirmant verba, quæ mutuata videntur ea utriſque modo dictis Gregoriis, II. ſcil. *Epiſtola* XIII. *cap.* 1. *Quam diu ſe agnoſcunt affinitate propinquos, ad hujus copula non accedere ſocietatem; &* III. *Epiſtola* 1. *cap.* 5. *Progeniem ſuam unumquemque uſque ad ſeptimam ſervare decrevimus generationem*. Unde apparet etiam, noſtrum fragmentum fuiſſe fictum poſt annum 732. quo Gregorius III. Pontifex fuit renuntiatus. Occaſio autem illud fingendi fuit, quod de impedimento cognationis tres Gregorii Romani Pontifices diverſe reſcripſerint. Gregorius enim Magnus *Epiſt.* XXX. *Lib.* XII. *reſponſ.* 12. ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum ait: *Neceſſe eſt, ut etiam tertia, & quarta generatio fidelium licenter ſibi jungi debeat: nam a ſecunda, quam prædiximus, ſe omnino debent abſtinere*. Gregorius vero II. memorato loco ad Bonifacium Moguntinum hæc habet: *Dicimus, quod oportuerat quidem, quam diu ſe agnoſcunt affinitate propinquos, ad hujus copula non accedere ſocietatem. Sed quia temperantia magis, & præſertim in tam barbara gente, plus placet, quam diſtrictio cenſura, concedendum eſt, ut poſt quartam generationem jungantur*. Et Gregorius denique III. ad eumdem Bonifacium reſpondit per ſupra exſcripta verba: *Progeniem &c.* Hinc igitur data occaſio alicui otioſo, ad conciliandas inter ſe hujuſmodi reſponſiones, fingendi, quod S. Gregorius M. Epiſtola ad Felicem poſuerit cognationis impedimentum uſque ad ſeptimum gradum; & quod conceſſerit Anglis, ut poſſent ſe conjungere in tertia & quarta generatione *ad tempus, non formam danda, ſed conſideratione, ne Chriſtianitatis bonum quod ceperant, imperfectum dimitterent*.

(4) Suis nempe conſuetis cantilenis de accuſationibus &c. de quibus ſuo loco agemus.

(5) Iſidorum non eſſe figulum talis Conſtitutionis, ſuadet non modo ſtili diverſitas ab aliis illius monumentis, ſed etiam ſententiarum. Talis namque Conſtitutio a Sermone de Munificentia Conſtantini, qui certe ad Mercatorem pertinet, cum in multis diſconvenit, tum præſertim in eo, quod heic dicitur, S. Silveſtro a Conſtantino urbem Romanam conceſſam *profuturam*; ibi vero non modo Romam, & Italiam, ſed omnes occidentales provincias donari. Illud præterea indicio eſt, eam Conſtitutionem in Collectione Iſidori a principio non fuiſſe, ſed poſt multa tempora aſſutam, quod nemo illam laudaverit ante S. Leonem IX. qui medio ſæculo XI. floruit. Non eſt enim veriſimile, tam ſpecioſum monumentum tam diu extitiſſe occultum.

Hinc dupliciter fallitur Espenius *brevi Com. ad Canonem* 7. *diſt.* 96. & quum putat, verba Nicolai ex *Epiſt.* ad Michaelem Imperatorem ibi relata referri ad Conſtantini Edictum; & quum præterea poſt Franciſcum Hotmannum putat, per ea Nicolaum quamdam divinitatem ſibi tribuere. Nicolai tempore, qui non multo poſt Pſeudo Iſidorum floruit, Conſtantini Edictum nondum exſtabat. Verba vero Nicolai referuntur ad allocutionem Conſtantini, quam ex teſtimonio Ruſin., & aliorum Hiſtoricorum habuit ad Epiſcopos Nicææ congregatos. Quod ut manifeſtius fiat, verba utriuſque heic exſcribere operæ pretium eſt. Nicolaus ait: *Satis evidenter oſtenditur a ſæculari poteſtate nec ligari prorſus, nec ſolvi poſſe Pontificem, quem conſtat a pio Principe Conſtantino, quod longe ſuperius memoravimus, Deum appellatum, cum nec poſſe Deum ab hominibus judicari, manifeſtum ſit*. Conſtantinus vero dixit: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicans: Vos nobis a Deo dati eſtis dii, & indecorum eſt, ut homo judicet deos*. Patet igitur Nicolai verba ad hanc allocutionem, non ad Edictum referri; eoque magis quod illis non ſuam, ſcilicet Romani Pontificis de quo loquitur Edictum, ſed S. Ignatii Conſtantinopolitani Patriarchæ cauſſam agit: ait enim: *His itaque manifeſte repertis apparet, commiaiſtrum noſtrum Ignatium per imperialem tantummodo ſententiam nullo modo potuiſſe prorſus expelli*.

(6) Alium antiquiorem habuiſſe parentem ſuadet, quod ipſa reperiatur in antiquioribus Collectionibus, veluti in *Queſnelliana* dicta, in Hiſpana, in illa inſcripta: *Collectio Canonum Pœnitentialium*, quam publicavit Acherius, & in aliis pluribus. Sed contra noſtrum Iſidorum habuiſſe parentem ſuadet, quod is hoc monumento, ſi id jam erat, uſus fuiſſet in *Præfatione*, cum probare aggreditur, canones Nicænos fuiſſe longe majores viginti; ipſum enim ex Nicæni decreto proceſſiſſe præfefert. Uſus præterea Litterarum formatarum ſecundum regulam de qua agitur, Pſ-Iſidori ætate non eſt antiquior. Ex omnibus enim exemplis, quæ referunt Sirmondus *tomo II. Conciliorum Galliæ*, Labbeus *tomo VIII. Conciliorum*, Ferrarius *de antiquo Epiſtolarum Eccleſ. genere*, Priorius *Diſſert. de Litteris Canonicis*, Baluzius *notis ad Capitularia*, aliique, nullum antiquius eſt illo relato a Martenio *tom. I. Anecdotorum pag.* 57. Riculfi Moguntini: qui noſtram Collectionem, ut infra videbimus, primus publicavit.

Digitized by Google

n Placcio *De Pſeudonymis in S. Iſidoro* relati Mercatori tribuunt Epiſtolam ſub ejuſdem S. Iſidori nomine ad Maſſanum ſeu Maſonem *De reparatione ſacerdotis lapſi*. Sed ea videtur ejuſdem auctoris, qui additamentum ad Epiſtolam S. Gregorii ad Secundinum fecit; cum utrumque monimentum eodem tendat, & utroque primus omnium uſus fuerit Rabanus Maurus.

Quod vero ad monumenta attinet, ex quibus Iſidorus ſua formavit, hæc ſunt decreta genuina ipſorum Romanorum Pontificum, Canones conciliorum omnium nationum, ſententiæ Patrum, aliorumque ſcriptorum eccleſiaſticorum, leges civiles ex Codice Theodoſiano præſertim, & ex interpretationibus quæ Aniano tribuuntur, ac etiam aliorum monumentorum fragmenta, quæ omnia Blondellus recenſet. At Capitulis (1) Hadriano I. Papæ tributis Iſidorum etiam uſum, contra Blondellum alioſque omnino negamus: ac ea ad Hadrianum aliquo modo minime pertinere pro certo habemus. Sed excerptis Canonibus ab Egberto Eboracenſi quos Blondellus ignoravit, non parum fuiſſe uſum ex infra dicendis minime ambigimus.

CAPUT III.

Mercatoris Collectio quomodo emerſerit, ejuſque progreſſus.

Hujuſmodi Collectionem tamquam ex Hiſpania in Galliam delatam, publicatam fuiſſe a Riculfo, qui ab anno 786. uſque ad annum 814. Archiepiſcopatum Moguntinum tenuit, teſtis eſt Hincmarus Remenſis *Opuſculo 33. cap. 24. De libro collectarum Epiſtolarum quem de Hiſpania allatum Riculfus Epiſcopus Moguntinus, in hujuſmodi, ſicut & in Capitulis regiis ſtudioſus, obtinuit, & iſtas regiones ex illo repleri fecit.* Ejuſdemque Riculfi ætate, juſſu nempe Caroli Magni ſui coævi ex Pſ. decretalibus excerptos fuiſſe Canones a Remedio, ſeu Remigio Curienſi, indicat eorum a Goldaſto (2) publicatorum inſcriptio. Cum igitur Mercatoris Collectio nomen præſert Iſidori, qui ex eodem Hincmaro *Opuſculo 48. cap. 21.* (3) Hiſpalenſis credebatur, in illis regionibus primum agnita, deinde a ceteris Occidentalibus, & ex parte etiam ab Orientalibus (4) recepta fuit. Sed ita obrepſit, ut non niſi ſenſim & pedetentim uſum & auctoritatem obtinuerit; adeo ut qui primi fal-

A ſarum decretalium ſententias uſurparunt, vel earum auctorum nomina reticerent, ut videre eſt in tribus poſterioribus libris *Capitularium* regum Francorum, vel ſubobſcure indicarent, ut patet ex concilio Aquiſgranenſi habito anno 836. ubi ſtatuitur de renovando oleo infirmorum ſingulis annis in Cœna Domini, *juxta ſtatuta Decretalium*, nempe Fabiani epiſtolæ Decretalis. Itaque ipſe Hincmarus videtur primus, qui tum Operibus ab anno 850. circiter ſuo nomine editis, tum etiam epiſtola in concilio Cariſiaco nomine Caroli Calvi regis data anno 857. earumdem Decretalium uſus fuerit ſententiis, expreſſis etiam nominibus Pontificum B quibus tribuebantur, (5) nempe Anacleti, Evariſti, Alexandri, Pii, Calliſti, Urbani, Fabiani, Lucii & Melchiadis.

Sed licet Remenſis novas Decretales pro genuinis habuiſſet, iis tamen plenam auctoritatem derogavit: nam ipſas, cum ſibi adverſas cerneret in cauſſa Rotbadi Epiſcopi Sueſſionenſis, & mox in cauſſa Hincmari Laudunenſis, ex eo quidem reſpuit, quod ut in Codice Canonum non congeſtæ, vim legis non haberent; & ob id jure ac merito reprehenſus (6) fuit a Nicolao I. Papa: Qui, ut obſervat Fleuryus *par. 1. Inſtit. juris Eccleſiaſtici cap. 1. n. 8. de Orig. juris Eccleſiaſtici*, bene mo-C nuit auctoritatem earum non e corpore Canonum, ſed a ſcriptoribus qui Pontifices fuiſſe credebantur, eſſe derivandam; idcoque alii Epiſcopi Galli contra Hincmarum ſtetiſſe videntur. (7) Et quod ad canones Nicænos attinet, quos Pſ. Julius & Pſ. Felix II. referunt, & quos etiam ſibi contrarios Hincmarus habebat, cum contra eos memoratam exceptionem opponere non poſſet, oppoſuit hanc alteram, ipſos nempe re vera repertos in Scrinio Romanæ Eccleſiæ ab ipſis Romm. Pontificibus qui eos retuliſſe credebantur, ſed ab Oſio Cordubenſi contra quem debacchatur, fuiſſe antea ſuppoſitos. Sed Hincmari exceptiones tanti non fuerunt, ut D Pſ. decretales ubique gentium in Occidente, in Gallia præſertim & Germania, tamquam leges Eccleſiæ non reciperentur: quod liquet primo ex epiſt. ſynodica Concilii Tricaſſini anni 867. quæ cum deſtinata fuiſſet Nicolao primo Papæ, reddita fuit Hadriano II. ejus ſucceſſori, & quæ ſubſcripta erat a ſex Metropolitanis, quorum caput erat ipſe Hincmarus, & quatuordecim Epiſcopis; in ea nempe obſervantia antiquarum Decretalium apertiſſime, & inſtantiſſime petitur: (8) quam petitionem Ca-

(1) Peculiari igitur Diatriba in fine hujus Operis collocanda demonſtrabimus potius ex Pſeudo-decretalibus, quod & alii notarunt; quin quod nemo umquam putavit, & ex *Capitularibus* a Benedicto Levita collectis talia Capitula fuiſſe deprompta, & Hadriano ſuppoſita ad fidem iiſdem litteris decretalibus conciliandam. Interim nota malam fidem Blondelli, qui dum adhibet omnem critices artem ad detegendam decretalium de quibus agitur, falſitatem, ejuſdem artis oblitus, & veluti omnino expers noſtra *Capitula* Hadriano ſupine tribuit, ſeu verius, doloſe ac malitioſe, ut earum litterarum impuritatem a Romanis Pontificibus aliquo modo emanaſſe vendicaret. Ac nota etiam Eſpenii confidentiam, qui *part. 2. jur. Eccl. de Collectionibus Can. cap. 2. §. 1.* hæc ſcribere non erubuit: *quin hæc collectio licet Angilramnum auctorem habuiſſet: Hadriano non tantum fuerit oblata, ſed etiam benigne ac gratioſe ab eo recepta: ut nec mirum ſit, ſi ſucceſſu temporis Hadriani nomine fuerit propagata.* Si ab Hadriano fuerunt benigne & gratioſe recepta, cur ea nec ipſe, nec alius ex ejus ſucceſſoribus per tria pæne ſæcula laudavit? Primus enim Romm. Pp. qui talia *Capitula* laudaſſe videtur, fuit S. Leo IX. qui medio ſæculo XI. floruit, nimirum poſtquam Burchardus ea in ſuum Decretum collocaverat ſub nomine Hadriani.

(2) *Tom. 2. Antiquitatum Alamannicarum part. 2.* quæ ſic habet: *Alamannica Eccleſia veteres Canones ex Pontificum epiſtolis excerpti a Remedio Curienſi Epiſcopo juſſu Caroli Magni regis Francorum, & Alamannorum.*

(3) *Scriptum namque eſt in quodam ſermone ſine excerptoris nomine de geſtis S. Silveſtri excerpto, quem Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis collegit cum Epiſtolis Romanæ ſedis Pontificum a ſancto Clemente uſque ad Beatum Gregorium.*

(4) Nicephorus enim Hiſt. Eccl. *lib. 4. c. 39.* meminit litterarum Anteri, & Calliſti licet per errorem pro Calliſto dicat Cæleſtinum. Strauchius Amœnitatum juris Canonici *Ecloga 4. cap. 8.* loquens de Epiſtola Anteri a Nicephoro laudata ait: *Quæ tamen non eſt quam Gratianus exhibet*, & ſubdit: *Hanc enim ſuppoſititiam eſſe plus ſatis certum eſt.* O nobiliſſimam obſervationem! quænam eſt genuina Anteri Epiſtola quam Nicephorus laudat?

(5) Fallitur igitur Baronius, quum ad an. 865. dicit primum, qui hujuſmodi litteris ſic uſus fuerit, fuiſſe Hincmarum Laudunenſem ejuſdem Hincmari Remenſis ſororis filium.

(6) Alibi notatum eſt contra Queſnellum & Eſpenium litteras decretales Romanorum Pontificum per earumdem promulgationem vim legum habuiſſe, minime vero per relationem in Codicem, cum hujuſmodi Codices ſtudiis privatorum fierent. Et reapſe Codex de quo loquebatur Hincmarus, erat Dionyſianus, quem paucis auctum Hadrianus I. dederat Carolo M. Hinc nota etiam Pſ. decretales occaſionem, ſeu potius cauſſam dediſſe tali Hincmari exceptioni, quæ Libertatis Gallicanæ origo, & fundamentum eſſe videtur.

(7) Wenilo enim Archiepiſcopus Senonenſis cum Epiſcopis ſuæ provinciæ epiſtola ad Nicolaum Papam cum ageret de obſervantia Epiſtolæ Melchiadis nomine ſcriptæ, id tantum quærendum duxit, num ea in Archivo Romanæ Eccleſiæ reperiretur.

(8) *Summiſſima devotionis obſequio veſtri Apoſtolatus exoramus magnificam beatitudinem, ut ſapientiſſima indagine conſideratis utriuſque partis relatis vere beatiſſimo-*

Carolus Calvus Francorum rex ſua etiam Epiſtola ad eumdem Nicolaum humillimis (1) precibus non obſcure corroborat.

Patet præterea ex *quarta Additione* (2) ſacta juſſu (ut putat Blondellus) ejuſdem Caroli Calvi *Capitularibus* Regum Francorom per Erchembaldum, ubi expreſſis etiam nominibus, quibus tribuebantur, laudantur *Cap.* v. ſententia S. Stephani, *Cap.* VIII. ſententia Anacleti, qui mendoſe legitur Anaſtaſius, *Cap.* XXI. ſententia S. Sixti & *Cap.* XXIV. ſententia S. Julii: nominibus vero non expreſſis laudantur multæ aliæ ex ejuſdem Pſ- decretalibus. Ubi quoque obſervandum, omnia, quæ a Levita in ſua Collectione congeſta erant, inter quæ item multa; ut ſupra notatum eſt, ex Iſidori mercibus, ibi expreſſe approbari, & confirmari ex iis præſertim, quæ habentur in principio poſt *lemmata capitum*. (3) Patet ulterius ex Synodo apud S. Macram habita anno 881. ubi *Cap.* v. laudantur (4) ſententiæ SS. Anacleti, Urbani & Lucii; ex ſynodo Colonienſi habita anno 887. ubi laudatur *Cap.* III. (5) Epiſtola S. Anacleti; ex concilio Metenſi habito anno 888. ubi *Cap.* VIII. in medium afferuntur auctoritates SS. Damaſi & Leonis; ex concilio Moguntino ejuſdem anni, ubi *Cap.* II. laudatur Epiſt. S. Urbani; ex ſynodo Triburienſi an. 895. in qua habentur ſententiæ *Can.* VII. S. Anacleti *Can.* IX. & XIX. S. Alexandri, *Can.* XVIII. S. Zephyrini & Urbani, & *Can.* XXII. S. Evariſti; ex ſynodo Troslejana an. 909. in qua adhibentur auctoritates *Cap.* nempe IV. SS. Anacleti & Urbani, & *Cap.* v. SS. Clementis, Anacleti, Evariſti, Alexandri, Teleſphori & Pontiani. Ac denique patet ex concilio Remenſi ann. 991. ubi, ut obſervat Petrus de Marca *lib.* VI. *De concor. cap.* 6. *n.* 2. in cauſſa Arnulfi teſtimonia ex hujuſmodi Epiſtolis eruta ita in medium allata fuerunt, & expenſa, ac ſi in Codicem Canonum relata fuiſſent. Et reapſe Regino Abbas Prumienſis Canonum collectioni, quam publicavit ann. 906. nonnulla ex iiſdem Epiſtolis interſeruit: quod longe copioſius fecit Barchardos Epiſcopus Wormatienſis XI. ſæculo ineunte in ſua collectione dicta *Decreta*, & deinde alii, quos inter eminuit Ivo Carnotenſis eodem ſæculo XI. exeunte: ſed Gratianus præſertim medio ſæculo XII. in ſuo *Decreto*; unde jus tandem novum magna ex parte proceſſit. Nec Hugo Victorinus, & Petrus Lombardus, qui eodem ſæculo XII. floruerunt, Pſ- decretalium fragmenta inter ſententias a ſe collectas collocare omiſerunt; unde latior etiam redditus Scholaſticorum fundus.

Hinc habemus Iſidorianæ Collectionis monumenta ex Gallia, & Germania in ceteras occidentis partes veluti per rivos defluxiſſe, & quidem longa poſt tempora, vel non niſi minutatim & pedetentim. Hiſpaniam an. ſaltem 876. eam adhuc non cognoviſſe argumento eſt, quod Garzias Loaiſa *præfatione Concil. Hiſpaniæ* refert tunc temporis a Vigila Monacho adornatam collectionem Canonum, in qua habentur decretales CV. a Damaſo ad Gregorium. Et quod ad noſtram Italiam attinet, eam diu illam, vel pæne ignoraſſe, vel ſpreviſſe multa argumento ſunt. Primo earum litterarum infrequens uſus ad medium uſque ſæculum XI. vel certe XII. Præterea quæ Nicolaus I. (qui floruit anno 860. & deinceps) ſcribit ad Arduicum Vaſionenſem, apud Acheryum *Spicil. tom.* [illegible]. (6) & ad Epiſcopos Germaniæ. (apud Martenium *veterum Script. ac monum. Collectione tom.* 1.) quorum poſtrema Gratianus attingit *Can.* 60. *diſt.* 50. (7) & quæ Joannes VIII. (qui vixit ad annum uſque 882.) ab eodem Gratiano relatus *Can.* IV. *diſt.* 50. ſcribit (8) ad Cenomaticum Muticenſem. Non poterant hi ſane ita ſcribere, ſi præ oculis habuiſſent, quæ docet Pſeudo-Calliſtus *Epiſt.* 2. (9) & ad-

ſimorum Predeceſſorum veſtrorum, quæ de ſtatu ſacri Pontificalis Ordinis, ab eis ſtatuta ex imprævaricabili auctoritate formata, de cetero maneant, mucrone Apoſtolico quorumcumque Metropolitanorum temeraria præſumptione ſuppreſſa, quin etiam reliquorum Epiſcoporum quorumcumque, ſeu quantorumcumque, audacia, contumeliis penitus ſubmota, privilegia & decreta ſervari inacerna conſtitutione decernitis: ita ut nec veſtris nec futuris temporibus præter conſultum Romani Pontificis de gradu ſuo quilibet Epiſcoporum dejiciatur, ſicut eorumdem ſanctorum Anteceſſorum veſtrorum multiplicibus decretis, & numeroſis privilegiis ſtabilitum modis mirificis exſtat: videlicet ne aliqua varietate, & vilitate ſummus Ordo diaboli adminiſtratione nutare aut irregulariter labefactari ſinatur, Domine beatiſſime.

(1) Quam demiſſe Carolus Calvus ſcripſerit ad Nicolaum Papam, vel ex his verbis clarum redditur: *His ita geſtis, neceſſarium duximus nos humillime ac devotiſſime ante conſpectum majeſtatis veſtræ noſtris oneribus excuſabiles reddere, eo quod ante reverſionem Egilis Reverendi Archiepiſcopi, vel reſcriptionem veſtri Præſulatus, præfato Vulfado ſedem Bituricenſis Archiepiſcopatus commendavimus, cum Epiſcopi nulla temeritate, ſed magna incumbente neceſſitate fiſi de magnitudine miſericordiæ veſtræ ad honorem Epiſcopatus provexerunt. Ideo enim eum in illas Aquitaniæ partes ad Filium, & Æquivocum noſtrum direximus, & Eccleſiam illam ei commendavimus, quoniam eum in educatione alterius filii noſtri, Carlomanni ſcilicet ſervi veſtri, quem veſtræ Beatitudini ſpecialiter commendavimus & aliis utilitatibus noſtris experti ſumus, & ingenio ſtrenuum & moribus probum, & nobis in omnibus fideliſſimum; in qua acceleratione ſi quid veſtræ ſanctæ Serenitatis animo diſplicuit, a veſtra ſancta Paternitate nobis donari depoſcimus.*

(2) Cujus eſt ejuſdem Caroli Calvi Præfatio: *Sequentia quædam capitula ex ſanctorum Patrum decretis, & Imperatorum edictis colligere curavimus, atque inter noſtra capitula lege firmiſſima tenenda generali conſultu Erchembaldo Cancellario noſtro inſerere juſſimus.*

(3) *Heic deſunt quædam capitula, quæ in aliis libris inveniuntur. Quæ ideo prætermiſimus, quia in fine ſeptimi libri ſuperius habentur inſerta.*

(4) *Audiant raptores, & prædones rerum Eccleſiaſticarum quid S. Anacletus Papa ab ipſo B. Petro Apoſtolo Presbyter ordinatus cum totius mundi Sacerdotibus judicavit. Dicit namque „ Qui abſtulerit aliquid patri, vel Matri &c.“ Et S. Urbanus Papa & Martyr „ Res, inquit, & facultates, &c. „ & Sanctus Lucius „ Rerum Eccleſiaſticarum &c.“*

(5) *Hæc ita ſtatuimus, quoniam acceſſe eſt non tranſgredi terminos patrum, ſed magis aſſenſum præbere definitioni eorum. In decretis namque Anacleti Papæ cap.* 2. *legimus „ quod omnis oppreſſus liberum Sacerdotum, ſi voluerit appellet judicium, & a nullo prohibeatur, ſed ab his fulciatur & liberetur“.*

(6) *Cap.* VI. *Porro de Presbytero, qui non poſſit reſtaurationem poſt lapſum recipere, ut multa prætereamus, B. Papa declarat Gregorius ad Epiſcopum. Presbyterum vero, inquiens, de quo nos Fraternitas tua latoris præſentium relatione conſulit, nulla ratione in ſacro Ordine poſt lapſum, aut permanere, aut revocare poſſe cognoſce.* Quæ verba deſumta ſunt ex *lib.* 7. *epiſt.* 25. ad Sabinianum Epiſcopum; eaque refert etiam Gratianus *can.* 3. *diſt.* 50.

(7) *Sacerdotes vero ſi in fornicationis ceciderint laqueum, & criminis manifeſtus, ſive oſtenſus fuerit actus, Sacerdotii non poſſunt habere honorem ſecundum Canonicæ inſtitutionis auctoritatem. Sacerdotes illi, qui in crimine fornicationis fuerint accuſati, & crimen illis non fuerit comprobatum, aut ipſi non manifeſtaverint; quid aliud agendum, niſi quod in Neocæſarienſis ſancti concilii cap. legitur, ut demonſtretur. Tametſi ipſi juramento ſe voluerint pacificare, licentiam habeant ſimiliter, & Diaconi ſi fuerint accuſati peragant.*

(8) *Miror minus doctum ſcientiam tuam Sacerdotem putare poſt perpetratum homicidium poſſe in Sacerdotio miniſtrare: immo, quod eſt ineptius, nobis ſuadere velle, ut ipſi tali præſumtioni præbeamus aſſenſum. Quis enim tam demens, tamque perverſi ſenſus tale quid exiſtimaret, vel poſt quantamcunque pœnitentiam concedendum, cum omnino Canonicæ diſciplinæ ſit contrarium?*

(9) *Sanctus David mortiferis criminibus pœnitentiam egit, & tamen in honore permanſit. Errant itaque qui putant, Sacerdotes poſt lapſum, ſi condignam egerint pœnitentiam, Domino non poſſe miniſtrare, & ſuis honoribus frui, ſi bonam deinceps vitam duxerint, & ſuum Sacerdotium digne cuſtodierint.*

additamentum ſactum Epiſtolæ Gregorii M. ad Secundinum. [1] Quin nec S. Gregorio VII. (qui prope finem ſæculi XI. vixit) modo laudatam Epiſtolam Calliſti notam fuiſſe ſuadet, quod ipſe habet [2] ad Lincolnienſem Epiſc. *epiſt.* 34 *lib.* 7. Præterea quod Stephanus V. (qui ad ann. 891. pervenit) relatus *Can.* 13. [3] *diſt.* 16. reſpondet Luitperto Moguntino (male apud Gratianum *Luitbobie*) de numero Nicænorum canonum ſatis demonſtrat ſibi integram Iſidori collectionem non fuiſſe notam, com non laudet neque Epiſt. Marci, neque Julii, neque Felicis II. quas etiam laudare oportebat. Joannem ulterius Rom. Diaconum qui vitam S. Gregorii M. ſcripſit, dicavitque Joanni VIII. Iſidoriana monumenta neſcivifſe, vel ex eo evincitur, quod cum *lib.* 4. *cap.* 5. & *cap.* 6. tractet de accuſationibus, & judiciis eccleſiaſticis ex S. Gregorii moribus & doctrina, nihil omnino habet de iis, quæ hujuſmodi de rebus habentur in Epiſtola ejuſdem S. Gregorii nomine ſcripta ad Felicem Meſſanenſem. Cum vero *lib.* 2. *cap.* 10. aſſerat, quæ in eadem Epiſtola ſcripta ſunt de gradibus, & impedimentis cognationis, ea non ex Iſidoro, ſed ex Egberto, vel alio depromſiſſe clarum eſt. Denique aliis omiſſis ventilata Formoſi famoſiſſima cauſſa poſt mortem depoſiti, vel ex eo, quod e Portuenſi Sede ad Apoſtolicam fuiſſet tranſlatus, Auxilius Presbyter, Francus, ut creditur, ſed in Italia florens ſub principium ſæculi X. ſcripſit in ejus favorem copioſe; & tamen ex noſtris Litteris, cum quatuor laudare potuiſſet, ſcilicet ſecundam Evariſti, ſecundam Calliſti, unicam Anteri, & primam præſertim Pelagii II. ad Benignum, ſolam illam Anteri in medium adducit; ergo ceteras non noverat, ut ut alias falſas Decretales laudaverit. Neque argumento eſt, ſæculo X. integram Mercatoris collectionem in Italia notam fuiſſe, quod Luitprandus Cremonenſis, qui eo ſæculo floruit, in *Vitis Paparum* Pſeudo-decretales pleraſque omnes retulerit. Nam inter viros eruditos conſtat, tales Vitas ad Luitprandum non pertinere, ſed ad ignotum Germanum ſcriptorem.

Quod igitur Nicolaus I. Papa noſtrarum Decretalium meminiſſe videatur, ex eo non ſequitur, quod integram collectionem habuerit. Habuit potius quædam ad poteſtatem Romani Pontificis, in cauſſis Epiſcoporum præſertim, pertinentia, tamquam excerpta ex variis voluminibus, ut indicare ipſe videtur *Epiſtola* 42. ad univerſos Epiſcopos Galliæ in cauſſa Rothadi, cum ait: *His itaque divina favente gratia prælibatis, oſtendimus, nullam differentiam eſſe inter decreta, quæ in Codicem Canonum habentur Sedis Apoſtolicæ Præſulum, & ea, quæ præ multitudine vix per ſingula voluminum corpora reperiuntur.* Quæ quidem Excerpta una cum genuinis documentis forſitan ea ſunt, quæ Paſchaſius Radbertus monachus monaſterii Corbejenſis *in Vita* Walæ Abbatis *Lib.* 2. ſcribit data fuiſſe Gregorio IV. eum in Alſatia degeret reconciliaturus Imperatorem cum filiis. Inquit enim Paſchaſius: *Terrebatur* Pontifex, *ab Auguſto, & ab omnibus ſuis, etiam ab Epiſcopis, qui ſibi pridie quam veniſſemus, dexteras dederant, quod unanimes eſſent ad reſiſtendum his, qui ex adverſo erant, Regibus, filiis, Principibus, & Populo: Inſuper conſiliabantur firmantes, proh dolor! quod eumdem Apoſtolicum, quia non vocatus venerat, deponere deberent. Quibus auditis, Pontifex plurimum morabatur, & verebatur. Unde ei dedimus nonnulla SS. Patrum auctoritate firmata, prædeceſſorumque ſuorum conſcripta, quibus nullus contradicere poſſit, quod ejus ſit poteſtas, immo Dei, & beati Petri Apoſtoli, ire, mittere ad omnes gentes pro fide Chriſti & pace Eccleſiarum, pro prædicatione Evangelii & aſſertione veritatis, & in eo eſſet omnis auctoritas B. Petri excellens, & poteſtas viva; a qua oporteret univerſos judicari, ita ut ipſe a nemine judicandus eſſet. Quibus profecto ſcriptis, gratanter accepit, & valde confortatus eſt.* Quæ verba licet nihil habeant, quod veris legitimiſque documentis ad Romani Pontificis primatum pertinentibus non conveniat; tamen valde veriſimile eſt, cum illis nonnulla ex falſis Decretalibus admixta fuiſſe. Et reapſe ipſe Gregorius IV. phraſes Pſeudo-decretalium uſurpaſſe videtur *Epiſt. ad univerſos Epiſcopos*, quam ſcripſit in cauſſa S. Aldrici Epiſcopi Cenomanenſis, ut cum inter alia (quorum pars eſt a Gratiano relata *Can. Decreto* 11. 7. *quæſt.* 6.) dicit: *Cum auctoritate Canonum, & prædeceſſorum noſtrorum decretis ſancitum ſit, ut Epiſcopus accuſatus, ſi voluerit, appellet R. Pontificem, & ad eum ſi libuerit, confugiat.* [4] Sic Leo IV. qui Sergium II. proximum Gregorii ſucceſſorem excepit, ſimile quid habet *Epiſtola* ad Epiſcopos Aremoricæ ſeu minoris Britanniæ inquiens: *Et ſi inter eos quos damnandos eſſe dixerint homines, fuerit Epiſcopus, qui ſuam cauſſam in præſentia Romanæ Sedis Epiſcopi petierit audiri, nullus ſuper eum finitivam præſumat dare ſententiam*, *Can. ult.* 1. *quæſt.* 4. Et memoratus Sergius II. *Epiſt.* ad Epiſcopos Tranſalpinos *De Prælatione Drogonis* item uſurpat phraſin Pſeudo-decretalium, cum dicit: [5] *Salvo in omnibus hujus Univerſalis Romanæ Sedis primatu, noſtri Præſulatus*

(1) *Quia ſanctitas tua hoc a nobis requiſivit, ut ſibi de Sacerdotali officio poſt lapſum reſurgendi auctoritatem ſcriberemus: Poſt dignam igitur ſatisfactionem credimus poſſe rediri ad honorem.*

(2) De Presbytero homicida. *Nulla ſanctorum PP. auctoritas concedit ulterius ſacris altaribus miniſtrare, nec nos decet conſtitutioni illius, quod abſit, aſſenſum præbendo Canonum ſtatuta conterere.*

(3) *Viginti tantum capitula Nicæna ſynodi in S. Romana Eccleſia habeantur: ſed quo negligentia alia defecerunt, ambiguum eſt. Plurimi arbitrantur ea Antiochene concilio eſſe inſerta.* Apud Ivonem vero *p.* 4. *cap.* 232. (ut notant Correctores Romani) habetur magis integrum hoc caput: *Capitula Nicæni concilii teſtimonio Athanaſii ſeptuaginta in figura ſeptuaginta Diſcipulorum ſcripta non dubitamus, e quibus viginti tantum in ſancta Eccleſia Romana*, & quæ ſequuntur.

Eſpen *tractatu Hiſtorico-Canonico p.* 2. §. 6. poſtquam ex ſenſu virorum eruditorum tamquam ſpuriam rejeciſſet epiſtolam ſub Athanaſii nomine ad Marcum Papam de numero 70. Canonum Nicænorum ſubdit: *fragmentum quoque Epiſtola Stephani Papæ ex Ivone Gratiani decreto inſertum Can.* 13. *ead. diſt. in quo dicitur viginti tantum capitula . . . ejuſdem cum prædicta Epiſtola Athanaſii fidei fore, omnibus hodie perſuaſum eſt.* Melius dixiſſet: „ & quæ habentur in „ fragmento Stephani relate ad Epiſtolam Athanaſii, „ eum ipſa ejuſdem fidei eſſe “. Hæc enim ſpuria ſunt, non ipſum fragmentum.

(4) Hic enim loquendi mos eſt pſ. decretalium nec in genuinis Canonibus, & Decretalibus habebatur: neque in his de appellationibus accuſatorum Epiſcoporum expreſſa mentio fiebat, ſed jam dejectorum, vel damnatorum; licet & illorum provocatio ex juris communis interpretatione, ſi cauſſa præſertim ſuberat, locum quoque, ut infra videbimus, habere potuiſſet. Cointius in Annalibus Eccleſiaſticis Franc. ad annum 879. n. 26. & ſeqq. Epiſtolam de qua loquimur, ſuppoſititiam arbitratur. Sed, ut uterque Pagius recte obſervat; *nihil in medium adducit, quod id evincat.*

(5) Innocentius I. *Epiſt.* ad Victricium in re ſimili dixerat, & ex eo Pſeudo-Marcellus: *Sine præjudicio tamen Romanæ Eccleſiæ, cui in omnibus cauſſis debet reverentia cuſtodiri.* Quæ ultima verba *cum in omnibus* licet deſint in aliquibus mſs. & in *Litteris* 40. & 42. Nicolai I. habentur tamen in multis aliis antiquis monumentis: vide Patrem Couſtantium in ea *Epiſt.* Innocentii. Baluzius *adnotation. ad Capitularia pag.* 1334. putat Sergium II. ſupra memorata verba exſcripſiſſe ex *Capitulis* Papæ Hadriano tributis, ubi *cap.* 8. habetur: *Salvo Romanæ Eccleſiæ in omnibus primatu*. Sed ex alibi notatis, & ex iis quæ infra peculiari Diatriba de hujuſmodi Capitulis plenius diſſeremus, magis eſt, ut credamus, eorum auctorem ea verba ex Sergio mutuatum: & Sergium, & Benedictum hauſiſſe ex fragmentis Pſeudo-decretalium, ubi hujuſmodi loquendi modus paſſim adhibetur, veluti ſub nomine Hygini *Epiſt.* 1. *cap.* 8. & ſub nomine Nicæni Conc. *Can.* 14. apud Pſeudo-Julium: *Salvo in omnibus Romanæ Eccleſiæ privilegio*; ſub

Digitized by Google

tus honore; tum Benedictus III. *Epiſt.* ad Hincmarum: *Salvo in omnibus jure Apoſtolicæ Sedis*; & deinde Nicolaus I. earum Litterarum non obſcure meminit, (1) ac apertius ejus proximus ſucceſſor Hadrianus II. ut infra videbimus.

CAPUT IV.

Romani Pontifices ſine fraude, atque adeo ſine culpa, & quidem moderate Mercatoris monumentis uſi.

SED antequam ad alia quæ ſuperſunt, tranſeamus, ne ex iis quæ modo dicta ſunt, quis anſam ſumat calumniandi Ss. illos Pontifices eorumque Primatum; obſervandum, Gregorium IV. *gratanter* accepiſſe monumenta oblata: quod in eo rerum diſcrimine, quo Epiſcopi factionis Ludovici Imperatoris auſu temerario, immo inſaniſſimo ei minati fuiſſent excommunicationem & depoſitionem, ſe videret agnitum, defenſumque ab aliis; non quod tum primum agnoſceret ſuum Primatum. De hoc teſtimonium dant vel ipſa verba initialia *Epiſtolæ* ipſius Gregorii, (2) quibus novum inſolentemque ſcribendi modum illis exprobravit licena: *Romano Pontifici ſcribentes contrariis cum in præfatione nominibus appellaſtis, Fratrem videlicet, & Papam: dum congruentius eſſet, ſolam ei paternam reverentiam exhibere.* (3) Obſervandum præterea receptione potius ſelectorum Capitum cum

ſub nomine Fabiani *Epiſt. III. cap.* 2. & ſub nomine Sixti III. *Epiſt.* ad Orientales *cap.* 3. *Salva in omnibus Apoſtolica auctoritate.* Ceterum hanc phraſin *Salvo &c.* quæ & latina eſt, & frequentata in jure civili, aliis in rebus uſurpaverant Romani Pontifices & concilia in ſuis genuinis decretis, e quibus Mercator illam fuit mutuatus. Sic S. Hormiſdas *Epiſt.* 26. ad Salluſtium Hiſpalenſem *Salvis privilegiis quæ Metropolitanis decrevit antiquitas*; & S. Innocentius *Epiſt.* ad Rufum de Metropolitanis etiam loquens: *Salvo eorum primatu.*

(1) Memorata nempe *Epiſt.* 42. in qua, præter ſupra exſcripta verba, habentur alia, quæ *cap.* ſeq. referemus; ac præterea habentur hæc: *Abſit, ut ſcripta eorum quoquo modo parvi pendenda dicamus, quorum videmus, Deo auctore, ſanctam Eccleſiam aut roſeo cruore floridam, aut veriſſimis ſudoribus ſalutaribus eloquiis adornatam.* Non me fugit, eſſe aliquos, qui contendunt, Nicolaum hiſce locis indicatas voluiſſe non quidem Pſ-decretales Mercatoris, ſed eas tantum Romanorum Pontificum Epiſtolas, quæ genuinæ erant. Sed, ſi verum amamus, non video, quomodo hoc defendi poſſit. Quænam erant controverſa ſcripta Romanorum Pontificum, qui *roſeo cruore Eccleſiam floridam* reddiderunt, niſi falſæ Decretales, eorum antiquiſſimis Martyribus ſcilicet tributæ? De his enim agebatur.

(2) Hanc Epiſtolam, quæ inter Agobardinas reperitur, & quæ hanc habet inſcriptionem. *Epiſcopis regni Francorum*, ſcripſiſſe videtur Gregorius, quum in Alſatia degeret Ludovicum Imperatorem conventurus.

(3) Injuria heic Gregorius queri forte videri poſſet, cum exempla non deſint ſanctiſſimorum, ac doctiſſimorum Epiſcoporum, qui Romanum Pontificem ſimul *Papam*, & *Fratrem* appellarunt. Sic Patres concilii Carthag. II. *Epiſt. ſynodali: Domino Reverendiſſimo & honoratiſſimo Fratri Innocentio Papæ Aurelius Numidius, Ruſticianus*, & alii multi. Sic quinque Epiſcopi Africæ *Epiſt. familiari: Domino beatiſſimo meritoque honorando, ſicut Fratri, Innocentio Papæ, Aurelius, Alypius, Auguſtinus, Evodius, Poſſidius in Domino ſalutem.* Quin aliquando *Fratrem*, ſine addito *Papa*, eum vocarunt. Sic concilium vulgo dictum Africanum *Epiſt.* ad Bonifacium: *Domino Reverendiſſimo, & honorabili Fratri Bonifacio Aurelius Valentinus primæ ſedis provinciæ Numidiæ, & ceteri, qui, præſentes adfuimus num. 217. ex omni concilio Africæ*, & *Epiſt.* ad Cæleſtinum: *Domino dilectiſſimo & honorabili fratri Cæleſtino Aurelius, Valentinus, Antonius, Tutus &c.* Sed hæ erant reliquiæ ſimplicitatis ſæculi Apoſtolici, cum omnes Chriſtiani indiſcriminatim *Fratres* ſe appellarent. Unde S. Cyprianus qui SS. Cornelium, Stephanum, Lucium, Romanos Pontifices vocavit *fratres*, hoc eodem nomine etiam vocavit omnes Fideles. Moribus vero receptum, ut Epiſcopi dicerentur *Patres* ab inferioribus, & *Papæ*, quod idem ſonat, etiam ab æqualibus: ſenſim etiam receptum fuit, ut Romanus Epiſcopus, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum, vocaretur *Pater* ab ipſis Epiſcopis, & *Papa* per antonomaſiam. Sic an. 349. Urſacius & Valens Epiſcopi, qui S. Athanaſio Patriarchæ Alexandrino ſcripſerant: *Domino fratri Athanaſio*, Julio Romano Epiſcopo ſcripſerunt: *Domino beatiſſimo Papæ Julio.* Et paſſim a medio ſæculo V. præſertim Epiſcopi Romano Pontifici ſcribentes eum appellabant *Patrem*, vel abſolute *Papam*; uſque eo, ut ipſe S. Flavianus Conſtantinopolitanus Patriarcha binis Litteris ad S. Leonem Papam, eum *Patrem* vocet; primæ enim hæc eſt inſcriptio: *Sanctiſſimo, & beatiſſimo Patri, & comminiſtro Leoni Flavianus in Domino ſalutem*; & ſecundæ hæc altera: *Beatiſſimo, & Deo amabiliſſimo Patri Leoni Flavianus &c.* Anatolius vero qui Flavianum excepit, ad eumdem Leonem hanc inſcriptionem poſuit: *Sanctiſſimo, & beatiſſimo Coepiſcopo Papæ Leoni Anatolius in Domino ſalutem.* Et deinde Acacius etiam Conſtantinopolitanus Patriarcha ita ſcripſit Simplicio papæ. *Domino beatiſſimo ac S. Patri, Archiepiſcopo Simplicio.* Hinc Romanus Pontifex vocatus etiam *Pater patrum*: Sic ſub finem ejuſdem ſæculi V. Epiſcopi Dardaniæ ſcripſerunt. *Domino ſancto Apoſtolico, & beatiſſimo Patri Patrum Gelaſio Papæ Urbis Romæ humiles Epiſcopi Dardaniæ.* Sic Concilium Conſtantinopolitanum an. 520. *Domino noſtro ſancto, ac beatiſſimo Patri Patrum Archiepiſcopo, & Patriarchæ Hormiſdæ Theophilus, Baſiliſcus, Iſaias, Anaſtaſius, Paternus, Martinus, & cetera ſancta ſynodus, quæ in Conſtantinopolitana eſt civitate congregata.* *Patrem Patrum* vocarunt etiam eumdem Hormiſdam ſuis Epiſtolis ſynodus veteris Epiri, Andreas Epiſcopus Prævalitanus, & Anaſtaſia Auguſta. Sic Epiſcopi trium conciliorum Africæ *Epiſt.* quæ exſtat in *ſynodo Lateranenſi* ſub Martino I. *act.* 2. ſcripſerunt: *Domino beatiſſimo Apoſtolico culmine ſublimato ſancto Patri Patrum Theodoro Papæ, & ſummo etiam Præſulum Pontifici Columbus primæ ſedis Epiſcopus concilii Numidiæ, & Stephanus primæ ſedis Epiſcopus concilii Byzaceni, & Reparatus Epiſcopus primæ ſedis concilii Mauritaniæ, & univerſi Epiſcopi de tribus Conciliis antedictis Africanæ Provinciæ.* Eumdem Theodorum Sergius Cypri Epiſcopus *Epiſt.*, quæ extat in eadem *ſynodo Lateranenſi*, *Patrem* quoque *Patrum* appellavit. Quibus, aliiſque exemplis ſollemne habuit Hincmarus Remenſis, quem Galli habent pro acerrimo vindice ſuarum libertatum, Nicolaum I. *Patrem Patrum* vocare. Itaque cum uſus invaluiſſet, ut Romanus Epiſcopus *Pater* à cunctis vocaretur, vix aliqua exempla Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ſupererant, qui eum antiquo more, quamdam æqualitatem affectantes, *fratrem* vocabant; ut cum Taraſius Patriarcha ſub finem ſæc. VIII. binis Litteris ad Hadrianum hanc inſcriptionem poſuit: *Per cuncta ſanctiſſimo, & reverendiſſimo fratri, & comminiſtro Domino Hadriano Papæ ſenioris Romæ Taraſius miſericordia Dei Epiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ in Domino ſalutem.* Sed heic etiam duæ potiſſimum notandæ differentiæ inter Papam, & reliquos Patriarchas in conſcribendis Epiſtolis; quod quum hi eum *Dominum*, & *Patrem* vocant, ille vero nemini eorum unum, vel alterum titulum tribuit: ſed Hadrianus ita Taraſio ſcribebat: *Dilecto fratri Taraſio Patriarchæ Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.* Cum igitur omnes Epiſcopi, & Archiepiſcopi etiam Orientalibus Patriarchis ſubjecti Romanum Pontificem vocarent *Patrem*, & etiam *Patrem Patrum*; quid arrogantius, & inſolentius Epiſcopis Gallis illis, qui Gregorium IV. *fratrem* appellarunt, eoque magis, quod illi jure etiam Patriarchatus erant ſubjecti; ac præterea mos inter eos obtinebat, ut ſimplices Epiſcopi Metropolitas quoque *Patres* appellarent? Jure igitur ac merito Gregorius queſtus fuit de inſolentia Epiſcoporum Gallorum. Vide Mabillonium *lib.* II. *de Re Diplom. cap.* II. *num.* XI.

Hinc nota malignitatem Ludovici Ellies Dupin in ſua Bibliotheca in Agobardo, ubi hæc habet: Eſt ſuivi d'une lettre, ou plutot du fragment d'une lettre de Gregoire IV. aux Eveques de France, qui ne vouloient pas le recevoir. Elle ſert de reponſe a la lettre, qu'ils lui avoient ecrite. Il trouve d'abord mauvais, que dans la preface de leur lettre ils l'euſſent appellé Frere, & Pape. Il eut voulu, qu'ils lui

cum veris admixtorum, quam totius Collectionis, multo facilius decipi potuiſſe Romanos Pontifices; ita enim non apparuerunt ſermonis & ſententiarum incongruentiæ, nec uni Iſidoro fides adhibita. Nam ea Capita habita fuerunt tamquam excerpta ex antiquis monimentis, quæ habebantur pro genuinis in ea regione: eoque magis, quod excerpta erant ex Litteris præſertim, quæ dicebantur ſcriptæ ad Epiſcopos Ultramontanos, unde veri ſpeciem præſeferebant, quod ibi fuiſſent conſervatæ. His acceſſit qualitas donantium, walæ ſcilicet, & Radberti illuſtrium & virtute præſtantium Monachorum Corbeiæ, ac forſitan etiam Epiſcoporum factionis Lotharianæ, inter quos eminebant Agobardus Lugdunenſis, doctrinæ ac ſanctitatis fama nobilis, Ebbo Remenſis, qui ſua prædicatione multos Danos ad Chriſti fidem converterat, & Autgarius in primis Moguntinus aulicæ artis peritiſſimus, (1) de quorum fide Gregorius non dubitabat. Et certior redditus Nicolaus I. de ſinceritate novarum Decretalium, ex quo viderat, Galliarum Epiſcopos iis, non ſecus, ac aliis uſos; quemadmodum illis *Epiſt.* 42. ſupra laudata exprobravit hiſce verbis: *Quamquam quidam veſtrum ſcripſerint, haud illa Decretalia priſcorum Pontificum in toto Codicis Canonum corpore contineri deſcripta, cum ipſi ſuæ intentioni hæc ſuffragari conſpiciunt, illis indifferenter utuntur*, *Can.* 1. *diſt.* 19. Et longe certior redditus, quum vidit hujuſmodi Decretales impugnari, non alio quidem nomine, quam quod non eſſent in Codice, ita ut, dum earum auctoritas in dubium revocabatur, magis ſinceritas ſtabiliri videretur. At denique certus omnino factus fuit ejus ſucceſſor Hadrianus, ex quo Metropolitæ & Epiſcopi regni Caroli Calvi memorata *Epiſtola ſynodica concilii Trecaſſini* earumdem Decretalium obſervantiam a Sede Apoſtolica etiam atque etiam petierunt.

Præterea quam maxime obſervanda cautio ac moderatio Romanorum Pontificum, quod etſi oblata *Capita* pro genuinis haberent, iis uſi aperte non fuerint, nec occulte quidem, niſi quatenus concordare videbantur cum documentis claris & indubiis, ex quorum interpretatione, ut infra videbimus, jus novarum Decretalium depromebant, vel novis juſtiſque ex cauſis de integro ſtatuebant; ita ut illas non curarint, nec quidem nominarent, uſque eo, ut Leo IV. Sergii II. ſucceſſor eadem ſupra memorata *Epiſt.* ita ſcripſerit Epiſcopis Britanniæ: *De libellis & commentariis aliorum non convenit aliquos judicare, & ſanctorum conciliorum canones relinquere, vel decretalium regulas quæ habentur apud nos ſimul cum Canonibus, quibus in omnibus Eccleſiaſticis utimur judiciis, id eſt Apoſtolorum, Nicænorum, Ancyritanorum, Neocæſarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodicenſium, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Carthaginenſium, Africanorum, & cum illis regulæ Præſulum Romanorum Silveſtri, Siricii, Innocentii, Zoſimi, Cæleſtini, Leonis, Gelaſii, Hilarii, Symmachi, Simplicii. Iſti omnes ſunt, per quos judicant Epiſcopi ſimul & Clerici judicantur*, *can.* 1. *diſt.* 20. Idemque dixit Nicolaus I. *Epiſt. V.* in appendice ad Hincmarum Remenſem per hæc verba: *Sed ita ut Nicænorum & ceterorum conciliorum canonicis definitionibus eſt promulgatum, & BB. Siricii, Innocentii, Zoſimi, Cæleſtini, Bonifacii, Leonis, Hilarii, Gelaſii, Gregorii & ceterorum Romanæ Sedis Pontificum conſtitutionibus eſt decretum.* Quin, ut Blondellus *Prolegom. cap.* 19. obſervat, adeo Nicolaus fuit alienus a laudandis falſis Litteris decretalibus, ut cum multoties ad id ei occaſio data fuiſſet, non modo ab hoc ſe abſtinuerit, ſed earum ſententias veris auctoribus ex quibus Mercator defloraverat, adſcripſerit. (2) Joannis VIII. cautionem in non allegandis Iſidori figmentis, idem quoque ibidem obſervat. Quod autem Leo IV. dicto *Can. De libellis*, *Conſtitutum* S. Silveſtri laudaverit, idemque fecerit Nicolaus I. *Epiſt.* ad Michaelem Imperatorem; id non ſolum ex Iſidoriana collectione proceſſit, ſed quod illud prius etiam erat cognitum, & probatum cum Legibus Longobardorum, tum Capitulari Aquiſgranenſi Caroli Magni, ac etiam ipſius aliqua a nonnullis in ipſo Canonum codices relata. Præterea ſynodus VII. generalis laudaverat acta S. Silveſtri, & ita ejus *Conſtituto* major fides adhibita; unde forſitan factum, ut ipſum Codici Canonum Romanæ Eccleſiæ fuerit adjunctum.

Hadrianus II. igitur S. Nicolai I. proximus ſucceſſor primus fuiſſe videtur, qui aliquid ex Pſeudo-litteris decretalibus Anteri Papæ laudavit *Epiſtola* ad ſynodum Duziacenſem, & forſitan ad ſuggeſtionem Actardi Turonenſis, de cujus cauſſa agebatur, ſicuti deinde Stephanus *V. Can.* ſupra memorato ad ſuggeſtionem Luitperti laudaſſe videtur Epiſtolam Athanaſii ad Marcum Papam: adeo ut, cum *epiſtola* ad Baſilium Imper. memoratam Epiſtolam Anteri, aliaque ejus furturis monimenta in medium afferre opportune potuiſſet; id minime fecerit. Igitur infrequens, ne dicam nullus, fuit Litterarum Iſidorianarum in Italia uſus uſque ad medium ſæculum XII. vel certe recentium XI. Ex hactenus dictis conſtat, quam confidenter & ſycophantioſe Dupinus *de antiqua Eccleſiæ diſciplina diſſer. II. cap.* 5. §. 4. ſcripſerit: *Has ſtatim Epiſtolas ſummi Pontifices* .... *avide arripuerunt, & ubique promulgare conati ſunt, in primis vero Nicolaus I.* Ac etiam conſtat, minus recte eſſe dictum, quod præ aliis Eſpenius *Tr. Hiſt. Can. par.* 4. *cap.* 1. §. 3. habet hiſce verbis: *Hæc aliaque quæ in dictis Epiſtolis pro aſſerendis Sedis Apoſtolicæ privilegiis in judicandis Epiſcoporum cauſſis occurrunt, mirum quantopere excitarint Romanos Pontifices, ac ſingulariter Nicolaum I. ut earum auctoritatem propugnarent & extollerent.* Sed nihil mirum, quod hi hæc ſcripſerint, cum ipſi, ut infra videbimus, eas Litteras in gratiam amplianda eorumdem Romanorum Pontificum poteſtatis præcipue fuiſſe confictas, etiam ſomniaverint. Itaque caſtigatius ſimul, & verius doctiſſimus Antonius Auguſtinus *Lib. II. de emendatione Grat. dialogo* 13. dixit: Nicolaum *relatas Epiſtolas a Mercatore non improbare, dubium non eſt.* Quod tamen ex iis quæ ſupra notata ſunt, de *Capitibus* quæ Pontifici innotuerant, intelligendum eſt.

Nec quis Romanos Pontifices vel negligentiæ accuſet, quod Archiva more majorum non conſuluerint. Attendenda namque eſt conditio illorum temporum, cum ob barbarorum incurſiones & populorum ignorantiam Archiva confuſa eſſent, ac etiam non integra. Et quod ad Litteras Anteſiricianas attinet, eas jam inde ab antiquis temporibus ita Romæ oblivio deleverat, ut vana prorſus fuerit Dionyſii Exigui diligentia ipſas reperiendi.

Hinc

lui euſſent toujours donnè le nom de Pere, comme ſi les Eveques n'etoient pas les freres du Pape: & s'ils n'avoient pas pris cette qualitè en une infinitè d'occaſions, & dans les lettres memes, qu'ils leur adreſſent.

(1) Autgarii aulicum morem, & ingenium infra videbimus. Ejus igitur, cujus, ut etiam infra videbimus, intererat, Iſidori merces eſſe in pretio, opera forſitan factum fuit, ut ex iis excerpta Capita una cum genuinis monumentis admixta Gregorio ab innocuis monachis Corbejenſibus bona fide darentur.

(2) Hinc canonem 2. 15. *quæſt.* 6. qui præfefert nomen Nicolai ad Epiſcopos Galliæ male a Cochlæo tribui Nicolao I. cum ex aliis, tum ex eo etiam patet, quod ibi expreſſe laudatur Alexandri Epiſtola.

Hinc pejus Eſpenius heic ex hoc ipſo argumentatur, cum canonem poſſe eſſe Nicolai I. licet an re vera ſit, in incertis collocet cum aliis viris eruditis. Epiſtola, a qua ductum eſt fragmentum a Gratiano relatum, pertinere videtur ad Nicolaum II. ejus enim tempore Eberardus Archiepiſcopus Trevirenſis paſſus fuit a Cunrado Comite Luxemburgenſi ea incommoda, quæ in illo indicantur patrata in perſonam Archiepiſcopi Trevirenſis. In hujus rei confirmationem adducimus *Canonem De conſanguinitate* 17. 35. *quæſt.* 2. & 3. ſub nomine Nicolai a Gratiano relatum, & a Cochlæo Nicolao primo tributum, quem tamen, ut obſervarunt Correctores Romani, conſtat pertinere ad Nicolaum II.

Digitized by Google

Hinc injuria queri videtur Pater Couſtantius *Præf. ad Litteras Decretales a ſe collectas §. X. num.* 557. cum ait : *Neque deerat expedita fraudis retegendæ via. Tantum Eccleſiarum, ac præſertim Sedis Apoſtolicæ Scrinia conſulerentur. Hoc enim pridem uſu habebant Romani veteres illi, ut ſi cujus vel epiſtolæ, vel decreti fides in dubium veniret, ſtatim ad Scrinia, tamquam ad idoneum veritatis teſtem appellarent; quæ in illis extarent ſcripta, hæc haberent pro veris, ſecus autem pro falſis, aut fallaciæ certe ſuſpectis, niſi aliunde certa conſtaret eorum auctoritas. Atque id ſatis oſtendunt, & quæ jam in priori præfationis hujus parte protulimus, Hieronymi, Leonis, Romanæ ſynodi ſub Bonifacio II. Gregoriique teſtimonia.* Injuria, inquam, queri videtur P. Couſtantius. Primo enim hæc teſtimonia nihil probant contra Epiſtolas Anteſiricianas : ea namque ſunt de iis monumentis, quæ ſolita erant, in Scrinio Romanæ Eccleſiæ aſſervari. Anteſiricianæ vero Epiſtolæ tempore Dionyſii Exigui non modo in illo non erant, ſed numquam ibi fuiſſe conſervatas argumento eſt, quod habet Anaſtaſius, ſeu auctor libri Pontificalis in Siricio, eum ſcilicet primum ſtatuiſſe, ut Litteræ Romanorum Pontificum in Scrinio aſſervarentur. De reliquis vero Iſidorianis monumentis advertere poterat Vir clariſs. quod poſt Baronium obſervaverat ſuus ſodalis Pater Mabillonius *Præfat. in ſæculum II. Benedictinum numero* 54. (1) quam diverſa fuerint facie res litA
terariæ in Occidente poſt Gregorii tempora, & quænam librorum penuria, ita ut Taio Hiſpano Epiſcopo poſtrema *pars Moralium* S. Gregorii, fruſtra Romæ eam quærenti, non niſi divina revelatione occurrerit anno circiter 649. (2) Confecuto vero ſæculo VIII. celebris Epiſtola S. Gregorii Magni reſponſa ad interrogationes S. Auguſtini Anglorum Epiſcopi continens *in ſcrinio Romanæ Eccleſiæ, ut affirmant Scriniarii, cum ceteris exemplaribus ſupradicti Pontificis quæſita non inveniebatur*, inquit S. Bonifacius Moguntinus *Epiſt.* 15. ad Nothelmum Cantoarienſem, eumque rogat, ut exemplar illius Epiſtolæ ad ſe mittendum curet. (3)
B
Et S. Zacharias in *concilio Rom* anno 743. *Can.* 15. (4) quamquam ſuſpectum quodammodo videtur habere indultum S. Gregorii Papæ a Germanis allegatum, quod in Archivo Rom. Eccleſiæ non reperiretur; non uſque eo tamen, ut illud reſpuerit; ſed potius rem in meliorem partem interpretatur : & reapſe verum erat indultum conceſſum Germanis, ut poſt quartam generationem ſe poſſent conjungere. (5)

Qua litterarum veluti clade ſæculo VII. & VIII. factum, ut ex monumentis, quæ noſtro & ſuperiori ſæculo e ſitu & tenebris ſuſcitarunt quamplures Viri eruditi, rara ſint ſæculo IX. antiquiora; ac rara eſſe, quæ adhuc in Archivis lateant, obſervat idem Mabillonius. (6) Illud etiam accedebat, quod non ſtatim ex defectu relationis Apoſtolicorum

(1) *Quam inclinata fuerint in Occidente per ſæculum VII. ſtudia litterarum docet Agatho Pontifex Romanus in Epiſt. ad Conſtantinum Auguſtum, dum legatorum, quos Conſtantinopolim ad concilium dirigebat, imperitiam excuſat, his verbis* „ *Apud homines in medio gentium poſitos, & de labore corporis cotidianum victum cum ſumma exercitatione conquirentes, quomodo ad plenum poterit inveniri Scripturarum ſcientia, niſi quæ regulariter a ſanctis atque Apoſtolicis prædeceſſoribus, & venerabilibus quinque conciliis definita ſunt, cum ſimplicitate cordis, & ſine ambiguitate a Patribus tra ita ſervamus.*" *Et in alia Epiſtola tam ſuo, quam Patrum ſynodi Romanæ miſſa nomine* „ *Non æſtimamus quemquam temporibus noſtris reperiri poſſe, qui de ſummitate ſcientiæ glorietur : Quandoquidem in noſtris regionibus diverſarum gentium ſeditio æſtuat furor, nunc confligendo, nunc diſcurrendo, nunc rapiendo. Unde tota vita noſtra ſollicitudinibus plena eſt, quos gentium manus circumdat, & quibus de labore corporis victus eſt, eo quod priſtina Eccleſiarum ſubſtantia paullatim per diverſas calamitates deficiendo ſuccumbit. Et ſola eſt noſtra ſubſtantia Fides noſtra, cum qua nobis vivere ſumma eſt gloria* ". *Aurea ſane ferrei ſæculi verba! Ex illa ſtudiorum inclinatione natum eſt & aliud malum, negligentia ſcilicet, & incuria librorum : adeo ut Tajus Cæſarauguſtanus Epiſcopus, qui poſtremam partem Moralium Gregorii Magni apud Hiſpanos fruſtra perquiſierat, Romam ea de cauſſa Chindaſuindi regis juſſu profectus eam non aliter, quam divina revelatione, recuperare potuerit. Cujus rei exſtat monumentum in Appendice ad Conc. Tolet. VII. & apud Baronium ad an.* 649. *Idem Tajus in Epiſt. nuncupatoria ad Quiricum Toletanum Epiſcopum, cui libros quinque de rebus divinis ex Gregorii magni operibus collectos dedicavit, ſui temporis calamitates deflet in hunc modum &c.*

(2) Atque ex hoc forte magis confirmari poteſt, quod Maurini Patres in vita S. Gregorii M. ſub finem *capitis* 1. obſervarunt de inanibus, & fabuloſis narrationibus Joannis Sariſberienſis, cum II. *de nugis Curialium* 26. ait : *Doctor ſanctiſſimus Gregorius non modo matheſin juſſit ab aula, ſed, ut traditur a majoribus, incendio tradidit probata lectionis*

Scripta Palatinus quæcumque tenebat Apollo.

Et deinde verſ. 19. ſubdit : *Fertur B. Gregorius bibliothecam combuſſiſſe gentilem, quo divinæ paginæ gratior eſſet locus, & major auctoritas, & diligentia ſtudioſior.* Veriſimile namque non videtur, quod tam exquiſitæ curæ, ac diligentiæ, qua bibliotheca Palatina in multis variiſque Urbis vaſtationibus fuerat conſervata, & quam S. Gregorius ſacris voluminibus *ſtudioſiſſime* adhibendam curavit, ante medium ſæculum tam ſupina incuria, & negligentia ſucceſſerit. Et tamen mirum, quot præſertim apud heterodoxos eoſdemque criticos, & naſutiores hæc fabella combuſtionis bibliothecæ *Palatinæ* patronos invenerit : nimirum, ut ex eo ſanctiſſimum Pontificem, & Doctorem ruſticitatis, & immoderationis arguerent. Sed erubeſcere debebant, fidem adhibere narrationibus, quæ non modo multis nominibus ſunt improbabiles, ſed quæ omnibus ſcriptoribus, & monimentis ſilentibus poſt. V. ſacculentiſſima ſæcula cum dimidio ea inani rumore primum emerſit.

(3) Non me fugit, hanc Epiſtolam ab aliquibus Criticis intemperantioribus inter monimenta ſuppoſititia recenſeri. Sed inter longe ſanioris judicii viros eruditos convenit, illam eſſe S. Gregorii genuinum partum, tum ex multis, tum ex hoc, quod Paterius, qui illi fuerat a ſecretis, *Lib. Teſtimoniorum* duo loca ex eadem afferat.

(4) Zachariæ verba hæc ſunt : *Sed neque hoc ſilendum eſt, quod in Germaniæ partibus ita diu vulgatum eſt, quod quidem in Archivo noſtro ſanctæ Eccleſiæ ſcriptum minime reperimus : ipſis tamen aſſerentibus hominibus de Germaniæ partibus didicimus, quod beatæ recordationis S. Gregorius Papa, dum eos ad religionem Chriſtianitatis divina gratia illuſtraret, licentiam illis dediſſet in quarta ſe copulare generatione : ſed dum rudes erant, & invitandi ad fidem, quamquam minime ſcriptum, ut dictum eſt, reperimus, credere non ambigimus.*

(5) Nempe illud erat Gregorii II. cujus verba ex *Epiſtola* 13. ad Bonifacium, hæc ſunt : *Dicimus quod oportuerat quidem, quam diu ſe agnoſcunt affinitate propinquos, ad hujus copulæ non accedere ſocietatem. Sed quia temperantia magis, & præſertim in tam barbara gente plus placet, quam diſtrictio cenſuræ, concedendum eſt, ut poſt quartam generationem jungantur.*

Falluntur igitur, Dupinus, Natalis Alexander, aliique, qui eum allegant ſupra exſcriptum Canonem S. Zachariæ ad probandam Epiſtolam S. Gregorii M. ad Auguſtinum eo loci fuiſſe memoratam; ibi enim fit tantummodo mentio de Germanis, nec attinguntur Angli, de quibus loquitur S. Gregorius M. modo dicta Epiſtola ad Auguſtinum.

(6) Supplemento Librorum *de re Diplomatica cap.* 2. *Verum quantalibet cura fuerit in tuendis Eccleſiarum & Monaſteriorum Archivis, pauca integra reſtant in antiquioribus locis, ſive ea bellorum turba diſſipaverit, ſive igne, aliove caſu, ſive demum Cuſtodum indiligentia perierint, non eamdem ubique in iis conſervandis diligentiam fuiſſe fatendum eſt, & plurimis quæ perluſtravi Archivis, rara admodum inveni, in quibus authentica diplomata aliave primaria inſtrumenta ſæculo VIII. ſuperiora reſtent : ſed longe plura, quæ ſæculo IX., & ſubſequentibus condita ſunt. In Ravennenſi tamen Eccleſia ſuperſunt monumenta non pauca phylira exarata principum Juſtiniani : & Lucenſi iisdem multa diplomata membranea regum Longobardorum : uti & Ambroſiana, ut ſequenti capite videbimus &c.*

Et Cap. 3. At vero in Gallia plurima operias Caroliui

rum monumentorum in Rom. Scrinia, illa tamquam ſuppoſititia haberi deberent; cum non omnia in hæc relata fuiſſe colligi fortaſſe poſſit ex Nicolao I. *Epiſt.* 27. ibi: *Hanc autem Epiſtolam ideo more ſolito ſcribi non fecimus, quia & Legatus veſter ſuſtinere non poterat, & ob feſta Paſchalis Scriniarios noſtros, eo quod debitis vacabant occupationibus, habere, ut debuimus, non valuimus.*

Neque heic ſilentio prætereunda aſtuta cautio Mercatoris, qui ut magis probabilem ſuam fraudem faceret, ea documenta finxit, quæ deſiderari vel conſtabat, vel pro certo credebatur; uſque eo, ut cum videret, forſitan non omnibus perſuaſum eſſe, Nicænos Canones quos augere voluit, fuiſſe plures XX. qui proſtabant in anterioribus Collectionibus, id multis probare aggrediatur in *Præfatione*. Et maxime notanda ejuſdem Iſidori aſtutia fingendarum etiam duarum ſynodorum V. & VI. ſcilicet ſub Symmacho, per quas egregie ceteris ſuppoſititiis monumentis fides & auctoritas conciliabatur: (1) quod tali arte fecit, ut eæ ipſis *ὑποχριτικωτάτοις* ſive hæreticis, (2) ſive catholicis (3) qui ante ipſum Patrem Couſtantium ſcripſerunt, & Pſ-litteras Decretales exagitarunt, minime fuerint ſuſpectæ; quemadmodum alia etiam Iſidoriana monumenta ipſis etiam naſutioribus pro genuinis habita ſunt. (4)

Et ne cui contra Anteſiricianas Decretales ſcrupulum injiceret Dionyſius, quod eas Romæ invenire non potuerit, hoc etiam providit Iſidorus, finxitque Damaſum quem Siricius excepit, hujuſmodi Sedis Apoſtolicæ inſtituta memorantem, ac mittentem ad Aurelium Carthaginienſem: Ut ſic nimirum oſtenderet, id, quod Romæ fuerat deperditum, alibi fuiſſe conſervatum. Atque ut hoc maxime ſuaderet, in ipſo Operis veſtibulo, ut *capite* 1. notavimus, utramque Epiſtolam Aurelii ad Damaſum, & hujus ad illum collocavit. Hinc non mirum ſi Iſidoriana monumenta fuerint ubique gentium tamquam genuina recepta, & ab ipſis Romanis Pontificibus, eoque magis, *Cum*, ut ait Petrus de Marca *lib. III. de Concord. cap.* 6. *ſ.* 2. de Pſ-decretalibus loquens, *e ſententiis & verbis legum, Canonum antiquiorum, & SS. Patrum qui IV. ſeculo floruerunt, ſi pauca demas, concinnatæ ſint.* Et quod caput eſt, nihil ut inferius videbimus, reſipiunt orthodoxæ fidei, vel bonis moribus adverſum. Porro illi catholici, qui pro Pſ-decretalibus decertaverunt, utiliorem ſane operam impendiſſent, ſi hoc unum pro viribus curaſſent, ut doctrinam catholicam, cujus perpetuitatem Chriſtus Dominus promiſit, ab injuriis & calumniis tantummodo vindicarent. Ac etiam idcirco pro ſinceritate Pſ-decretalium decertare non debebant, quod, Eccleſia Catholica, etſi illis uſa fuerit, nullo tamen umquam Decreto interpoſito, nullaque declaratione adjecta, eaſdem pro genuinis, authenticis & indubiis agnoverit: quin uſu ipſo, quæ duriuſcula de diſciplina videbantur, fuerit moderata. Atque adeo verum eſt, Eccleſiam Catholicam nullo decreto, vel declaratione interjecta habuiſſe pro authentica Iſidori collectionem, ut id ipſi hæretici fateri coacti ſint, ut patet ex iis quæ habet Chriſtophorus Juſtellus *Præfatione* ad Codicem Canonum, quem inſcripſit *Eccleſiæ Univerſæ*. (5) Sed ad detectionem inveteratæ fraudis deveniamus.

CAPUT V.

De Detectione falſitatis Mercatoris monumentorum.

PRimus, qui eas Litteras Decretales in dubium revocare cœpit, videtur aliquibus Joannes Wicleffus ſæculo XIV. cum ait: *Decretales Epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt a Chriſti fide, & clerici ſunt ſtulti qui eis ſtudent.* Sed Wicleffus cum Litteras Decretales apocryphas vocat, non intendit eas eſſe ſuppoſititias, ſed erroneas, quemadmodum Gelaſius Papa in ſuo celebri Decreto *Apocrypha* vocat, non modo Opera ſuppoſititia, ſed etiam vera errorem tamen continentia; ut quum dicit: *Hiſtoria Euſebii Pamphili apocrypha: Opuſcula Tertulliani ſive Africani apocrypha: Opuſcula alterius Clementis Alexandrini apocrypha: Opuſcula Caſſiani Presbyteri Galliarum apocrypha:* eoque magis Wicleffus in eo ſenſu accipiendus eſt, quod de omnibus indiſtincte Romanorum Pontificum Litteris Decretalibus loquatur, cum falſas Litteras genuinis unius Alexandri III. vel Innocentii III. Litteris Decretalibus longe minores eſſe conſtet. Vel, quod etiam eſt valde probabile, quum hæreſiarcha dixit, Decretales Epiſtolas eſſe apocryphas, id denotatum voluit, eis nullam eſſe vim & auctoritatem obligandi Fideles ad obſervantiam, ac ſi ſuppoſititiæ forent & nullius momenti. (6) Sic concordat ſuprad. articulus Wicleffi a concilio Conſtantienſi damnatus cum eis, quos illi tribuit Henricus Knygton Canonicus Leyceſtrenſis *De Eventibus Angliæ lib. V. Papam non poſſe condere Canones decretales, ſeu conſtitutiones; & ſi quas condiderit, nullus tenetur eas obſervare;* &, *Ubi leges humanæ non fundantur in ſcriptura ſacra, ſubditi non tenentur obedire:* ac concordat cum effatis, quas Walſingamus in Eduardo III. & in Hiſtoria Wicleffiſtarum eidem adſcribit: *Papam Romanum non habere majorem auctoritatem, quam quilibet alius ſacerdos;* &, *Evangelium ſufficere ad dirigendum quemlibet Chriſtianum.* Et quod Wicleffus de ſuppoſitione Littera-

---

lius ævi antiquitatis inſtrumenta, ſed non ita multa Merovingini, præterquam in Archivo Dionyſiano, ubi major eorum copia quam alibi uſpiam hactenus aſſervatur.

(1) Præſertim ex eo quod V. ſynodo, ubi de iis quæ habentur in Pſ-decretalibus dicitur: *Eſt enim a multis anteceſſoribus noſtris ſynodaliter decretum atque firmatum.* Et deinde afferuntur verba Epiſtolæ a. S. Euſebio tributæ, a quibus abſimilia non ſunt illa Epiſtolarum SS. Zephirino, Stephano, & Joanni I. tributarum. In ſexta vero ſynodo afferuntur verba Epiſtolæ 1. S. Calliſto adſcriptæ.

(2) Magdeburgenſibus ſcilicet, & ipſi Blondello.

(3) Dupino, Fleuryo, aliiſque.

(4) Sic iidem Magdeburgenſes, & Blondellus non odorarunt falſitatem ſynodi 116. Epiſcoporum ſub Julio, & pro genuina habuerunt additionem factam Epiſtolæ Vigilii. Petrus de Marca, Dupinus aliique non modo eamdem additionem, ſed etiam Epiſtolam Pelagii II. ad Jo: Jejunatorem habuere pro ſinceris. Natalis Alexander, Antonius Pagius, & PP. Maurini editores operum S. Gregorii M. pro genuina habuerunt ejuſdem Epiſtolam ad Felicem Meſſanenſem & Queſnellus credidit Epiſtolam S. Leoni adſcriptam de *Chorepiſcopis* potuiſſe eſſe veram Leonis III. quia Dionyſius Petavius, ac laudatus de Marca eam ipſi S. Leoni tribuunt.

(5) Ait enim: *Hæc vero Iſidori* (Mercatoris) *collectio privata tantum fuit uſque ad Alexandrum II. R. P. a quo approbata fuiſſe videtur, ut Innocentius* III. *teſtatur Epiſtola ad Petrum Compoſtellanum illius verba referens* „ Emeritenſe (*inquit*) concilium authenticum eſſe, multis rationibus adſtruebas, tum quia „ cum aliis conciliis continetur in libro, qui Corpus Canonum appellatur, quem Alexander R. P. „ per interlocutionem authenticum approbavit.“ *Nec enim dubium eſt, hoc loco, Corporis Canonum nomine, collectionem Iſidori ſignificari, quæ aucta multorum Canonum acceſſione in nomen illud tranſiit, ut etiam liber, ſeu corpus Canonum diceretur. Sic enim habet illius inſcriptio in meo Codice MS.* „ Incipit liber, qui appellatur Corpus Canonum.“ Sed deinde ſe corrigens ſubdit: *Niſi quis malit, his verbis apud Innocentium, Codicem Canonum Eccleſiæ Hiſpaniæ ſignificari: cum Emeritenſe illud concilium in vulgatis, & mſſ. collectionis Iſidori codicibus nuſquam reperiatur.* Et reapſe reperiri in ſecundo aucta collectione Hiſpanica, quam Mercator non attigit, & de hac loquutum fuiſſe Innocentium III. jam ſupra notavimus *Cap. primo* in fine.

(6) Et ita Wicleffi mentem interpretari videtur magnus ille controverſiſta Alphonſus de Caſtro *adverſus Hæreſes lib. VI. verbo* Eccleſia, inquiens: *Tertia hæreſis eſt, quod Eccleſiæ poteſtatem minuit. Et hujus erroris auctores fuerunt VValdenſes, ſive Pauperes de Lugduno: quos ſequutus eſt poſtea Joannes VVicleffus dicens, decretales epiſtolas eſſe apocryphas, & nullius momenti, & ſtultos &c.*

terarum non fuit loquutus, confirmatur ex eo, quod erat artis critices omnino expers; ſuum enim erat hoc alterum effatum: *Silveſter Papa, & Conſtantinus erraverunt Eccleſiam dotando*. Si fuiſſet homo criticus, citius pro ſuppoſititia habuiſſet donationem Conſtantini, quam eam improbaſſet. Nec ea tempeſtate alii extabant, qui talem artem profiterentur, vel ſcirent. Vix aliquid vel minimum a naſutioribus in dubium revocari tum cœptum erat. Hinc etſi velimus wicleffum ita interpretari, quod *apocrypharum* nomine ſuppoſititias denotatas voluerit, id non arti, vel acri & intelligenti judicio tribuendum eſt, quod falſas Decretales a veris diſcreverit, ſed potius furori & inſaniæ, quod earum omnium fidem & ſinceritatem negaverit; cum, ut ſupra notatum eſt, ejus effatum ſit indefinitum & generale, & non magis de unis, quam de alteris intelligi debeat. Et reapſe Theologi a concilio Conſtantienſi deſtinati ad qualificandos, ut dicitur, articulos wicleffi, quos *in globo*, ſeu confuſim damnaverat, hæc habent: *Non ergo niſi inſanus hæreticus diceret, quod indefinite & indifferenter Decretales Epiſtolæ ſint apocryphæ; id eſt nullius auctoritatis, & non authenticæ &c. ut dicitur in articulo*. Et hoc idem videntur habere alii Theologi Conſtantienſes auctores brevioris cenſuræ. Quæ cum ita ſint, miror Emmanuelem Schelſtratium hæc ſcripſiſſe: *Quaſnam Decretales Epiſtolas intellexerit Wicleffus, licet non exprimat concilium Conſtantienſe, veriſimile tamen eſt, intellexiſſe priſcorum Pontificum, quas e contra tam omnis Eccleſia recipiebat, ut authenticas. Patet id ex ſcripturis Cancellarii Pariſienſis Jo. Gerſonis, qui huic Conſtantienſi concilio interfuit; & ex Thoma Waldenſi, qui ex profeſſo contra Wicleffiſtas de mandato Martini V. circa hæc tempora ſcripſit, cujus libri abundant Decretalium illarum teſtimoniis*. Et magis miror eruditiſſimum Antonium Pagium ad an. 100. n. v. id ipſum ſentire.

Potius igitur ex noſtris Catholicis, vel ipſo Blondello teſte, ortum & progreſſum habuit detectio falſitatis Decretalium, de quibus agitur. Jam inde a ſæc. XII. Comeſtor in *Hiſt. ſcholaſtica in Act. Apoſtolorum* ſubdubitaverat de Litteris Clementis ad Jacobum Fratrem Domini. (1) Comeſtorem ſequuti fuerunt ſæc. XIV. Marſilius Patavinus in *Defenſ. pacis cap.* 23. (quem Blondellus inter Pontificios numerat,) & ſub principium conſecuti ſæc. XV. Gobelinus Perſona in *Coſmodromio Æt. vi. cap.* 7. aliique. Eodem ſæculo XV. Card. Cuſanus, (2) & Henricus Kalteiſen (3) Litteras Clementi, & Anacleto tributas ita transfixerunt, ut ceteras Anteſiricianas ſuſpectas redderent. Et ſæculo deinde XV. complures viri Catholici poſt Eraſmum, quem excepit Georgius Caſſander, (4) Iſidorianam falſitatem agnoverunt, faſſique ſunt, & aliqui etiam expreſſe impugnaverunt, in primis duo Antonii Cointius, & Auguſtinus; ille quidem, ut notat Doujat, in *Præfatione*, quam cum ſuis notis in corpus juris Canonici præfigendam compoſuerat: ſed eam a Cenſoribus Belgii in ejuſdem juris editione Plantiniana, quæ per quadriennium diſtracta anno 1579. tandem prodiit, omiſſam, poſtea conqueſtus fuit. Ejus nihilo ſecius mentio fit in ipſius annotatione poſt Canonem *Septuaginta diſt.* 16. adjecta his verbis: *Multas autem ſupra in præfatione rationes adduxi, quibus omnes Pontificum qui Silveſtrum præceſſerunt, Decretales falſas eſſe oſtendi*. Auguſtinus vero, ut obſervat Petrus de Marca *lib. III. de Concordia cap.* 5. *primus adnotavit ipſa legum imperatoriarum verba, & quæ ſub Aniani nomine exſtant ad Codicem Theodoſianum ſcholia in illis Epiſtolis uſurpata fuiſſe: quamvis Pontifices quibus Epiſtolæ tribuuntur, duobus aut tribus ſæculis Codicis Theodoſiani editionem præceſſerint*. Hinc non eſt, quod hæretici gloriari poſſint hujuſmodi Decretalium falſitatem a Centuriatoribus Magdeburgenſibus, Caſſandro, Cointio, & Auguſtino, coævis, primum, vel in primis fuiſſe detectam. Et cum ſubinde Cardinales Baronius, Bellarminus & Perronius, aliique doctiſſimi catholici Pſ-decretalium auctoritatem non curaverint ad catholica dogmata ſtabilienda; non erat, quod David Blondellus magni nominis Calviniſta omni ſtudio, conatu, improboque labore contra Franciſcum Turrianum eas expenderet, & ad earumdem falſitatem oſtendendam fontes, unde ipſarum laciniæ deſumtæ fuerant, inquireret; unde bene ajebat eruditiſſimus Sirmondus a Blondello oſtium jam apertum fuiſſe confractum. Neque Blondellus ipſe, quamquam ſuo operi titulum arrogantem, &, ut dicam, pædagogicum præfixerit: *Pſeudo-Iſidorus*,

(1) Quin ante Comeſtorem alii etiam ſubdubitaverant, ut clare habetur ex epiſt. nuncupatoria Card. Deusdedit ad Victorem III. papam, quam cum aliquibus aliis monumentis Collectionis ejus cardinalis, publici juris fecerunt Ballerini fratres in *Appendice* ad opera S. Leonis part. IV. cap. XIV. Ibi enim legitur: *Epiſtolas autem Clementis ad Fratrem Domini, contra quas garrire aliqui videntur, authenticas oſtendunt ſucceſſores ejus*, &c. Ex eadem epiſtola nuncupatoria quæ vergente ſæculo XI. ſcripta fuit, diſcimus etiam tum ſuperſtitem fuiſſe morem apud aliquos ſanctæ humilitatis cauſſa ſe *Exiguos* appellare. Ibi enim hæc inſcriptio legitur: *Beatiſſimo Victori III. & omni clero S. R. Eccleſiæ Deusdedit exiguus presbyter tituli Apoſtolorum in Eudoxia*, quod confer cum iis quæ notavimus *pag.* 4. *adnot.* 2.

(2) *De Concordia Catholica lib. III. cap.* 5. „ Sunt „ meo judicio illa de Conſtantino apocrypha, ſicut „ etiam fortaſſis quædam alia longa, & magna ſcri„ pta SS. Clementi, & Anacleto Papæ attributa, in „ quibus volentes Romanam ſedem, plus quam Ec„ cleſiæ expedit, & decet, exaltare, ſe penitus, aut „ quaſi fundant. Si quis omnes illas ſcripturas illis „ ſanctis attributas diligenter perlegeret, & eorum „ tempora ad illa ſcripta applicaret, ac denique in „ Opuſculis omnium SS. Patrum, qui uſque ad Au„ guſtinum, Hieronymum, & Ambroſium fuere, ac „ etiam de geſtis conciliorum, ubi authentica ſcripta „ allegantur, uſum, & memoriam haberet, hoc in„ venerit verum, quia nec in illis omnibus Scriptu„ ris de illis præfatis Epiſtolis mentio habetur, & „ etiam ipſæ Epiſtolæ applicatæ ad tempus eorum „ ſanctorum ſe ipſas produnt.

(3) *Tract. an. Imperium ſit umquam a Romanis ad Græcos translatum* laudato a Magdeburgenſibus, & ex his a Blondello *cap.* 18. *Prolegomen.* „ Nunc meo ju„ dicio illa de Conſtantini donatione apocrypha ſunt; „ ſed fortaſſis quædam alia longa, & magna ſcripta „ S. Clementi, & S. Anacleto attributa ſummis Pon„ tificibus, in quibus volentes Romanam ſedem omni „ laude digniſſimam, plus quam expedit, exaltare, „ ſe penitus fundant; cum tamen non omnino videan„ tur illorum Sanctorum Epiſtolæ conſideratis con„ tentis in iis &c. „

Cum vero Cuſanus, & Kalteiſen eadem verba uſurpent, unum ex altero exſcripſiſſe dicendum: & ſi re vera Kalteiſeni memoratum opus exſiſtit, magis puto, Cuſanum ex Kalteiſen fuiſſe mutuatum, quam hunc ex illo. Kalteiſen enim erat natu major: nam, ut habemus in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum PP. Querif, & Echard, ſub annum 1484. jam erat laureatus Magiſter, & generalis S. Fidei Inquiſitor per Germaniam inſtitutus; & tunc Nicolaus de Cuſa vix ætatis ſuæ annum vigeſimum tertium agebat.

(4) In *Defenſione libelli de officio viri pii: De reliquis, quæ Clementis, Anacleti, Evariſti, Alexandri, Teleſphori &c. nomine circumferantur, quas credi poſſit, ut ea homo veritatis, & ſinceritatis amantiſſimus ſantepere probet, cum pleraque eorum, & olim ab ipſis Pontificibus inter apocrypha ſint rejecta, & poſtremis hiſce ſæculis, noſtraque etiam ætate a viris prudentiſſimis, & doctiſſimis, adjectis graviſſimis, & firmiſſimis rationibus, in dubium ſint vocata; in quibus eſt Nicolaus Cuſanus vir rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimus, acerrimique judicii, cujus hac de re verba ex lib.* 3. *de Concordia Catholica adſcribemus*. „ Sunt *inquit*, meo judicio illa de Con„ ſtantino apocrypha, ſicut etiam .... „ *Hæc quidem* „ *ille. Eraſmi vero noſtri de his ſcriptis judicium omnibus notum eſt: quare illud adducere nihil attinet*. Hujuſmodi Eraſmi judicium in ejus Operibus reperire non potui; vel igitur meam diligentiam effugit, vel, quod magis puto, in illis deſideratur, cum nec Blondellus illud afferat.

& Turrianus, vapulantes: neqne, inquam, Blondellus ipſe in detegeuda Iſidori falſiate tulit omne punctum. Aliqua enim Iſidorianorum momumentorum, quin illa ipſa quæ ſunt veluti fundamentum totius Operis, pro genuinis habet. Pro genuinis enim habet V. & VI. ſynodum ſub Symmacho, quæ, ut ſupra notatum eſt, ſtare non poſſunt ſine eo, quod pro genuinis agnoſcantur antiquiores Decretales, quæ in illis laudantur. Ac præterea pro genuinis habet ſynodum ſub Julio; additionem factam Epiſtolæ Vigilii, quæ totius Iſidoriani opificii non minimum fulcimentum eſt; & additionem factam Epiſtolæ S. Gregorii ad Secundinum, quæ licet Iſidorum auctorem non habeat, illi tamen magno uſui fuit. Unde de Blondello dici poteſt, quod dum Iſidorum verberavit, ab eo etiam deluſus receſſit.

Neque multum Blondellus gloriari poteſt de verberato Turriano. Hic enim licet præſtanti ingenio ac multiplici eruditione fuerit, naribus tamen caruit ad diſceruunda vera a falſis monumenta; adeo ut non modo ea de quibus agitur, ſed & complura alia ſuppoſititia defenderit; eoque nomine hujuſmodi in rebus apud noſtros catholicos nullo loco numeratur. Ac præterea licet Blondellus in cauſſa falſitatis monumentorum Turrianum convincat; nihil tamen habet, quo illum recte redarguat, quod falſas Decretales ab erroribus contra fidem vel mores ſimul vindicavit. Et reapſe Pſ-decretales nihil uni vel alteris adverſum continere, concors eſt inter catholicos virorum eruditorum ſententia, uſque eo ut doctiſſimus, & piiſſimus Card. Bona earum confectionem *piam fraudem* vocare non dubitaverit. Quin in hoc Turrianus laudandus, quod ita falſas Decretales defendit, ut non ex illis catholicam doctrinam eruat, ſed ex hujus inconcuſſis, & irrefragabilibus fundamentis eaſdem vindicare cunetur, unde *Præfatione lib.* 4. recte monuit: *Nos enim licet has Epiſtolas non haberemus, incommodi quidem parum, infirmitatis vero prorſus nihil Eccleſiæ noſtræ dogmata acciperent: ſiquidem ipſa traditio Apoſtolicæ doctrinæ, quæ in Eccleſia tamquam depoſitum cuſloditur, & quæ ſanctarum Scripturarum obſignatio eſt, ſatis doctrinam harum Epiſtolarum fideliter cuſlodit*. Quod Turrianus generatim de catholicæ Eccleſiæ dogmatis obſervaverat, Card. Baronius ad ann. 865. n. 9. ſpeciatim de Rom. Eccleſiæ juribus & privilegiis animadvertit, inquiens: *At vero ex multis eas reddi ſuſpectas Epiſtolas per ea quæ dicta ſunt ſecundo Annalium tomo, dum de illis ſingulis mentio facta eſt, ſatis eſt demonſtratum; ſimulque oſtenſum illis non indigere Sanctam Romanam Eccleſiam, ut (ſi falſitatis arguantur) ſuis ipſa deſtituatur juribus & privilegiis: eam etſi illis careat, ex legitimis germaniſque aliorum Romanorum Pontificum Epiſtolis Decretalibus ſatis ſuperque corroborata conſiſtat*. Baronio concinit Labbæus *Tomo I. collectionis Conciliorum* in principio, ubi de Pſ-decretalibus ait:

A *Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis indiget, aut umquam indiguit Romana Eccleſia in veritatis Apoſtolicæ petra ſolidata*. Sed detecta falſitate Decretalium noſtrarum, quis earum fuerit auctor, & quo conſilio id egerit, inquirendum.

CAPUT VI.

Cujus fuerit Iſidorus Mercator, & quo tempore locoque floruerit.

B ET primo quidem jam omnibus perſuaſum eſt, illum non fuiſſe S. Iſidorum, etſi multi id crediderint, ut ſupra notatum eſt: ſed magis quæritur de Iſidoro Setubenſi Epiſcopo qui interfuit conciliis Toletanis XII. XV. XVI. & quem Chronicum Luitprando tributum ad annum DCLXXXI. vult noſtrum eſſe Mercatorem. (1) Cum hoc Chronico convenire videtur Chronicon alterum ſub Juliani Toletani nomine editum, in quo refertur Iſidorum Epiſcopum Setubenſem ope cujuſdam monachi Benedictini Canonum collectioni operam dediſſe; (2) & quum ibi dicit eum anno 808. mortem obiiſſe, hoc mendum dici poteſt, cum potius ſcribi debuiſſet anno 708. vel ex eo etiam C quod nullibi eſt reperire hujuſmodi Iſidorum Setubenſem ſub finem ſæculi VIII. Quæ utriuſque Chronici auctoritas confirmari creditur a nonnullis ex iis, quæ ex eodem Iſidoro habentur: ipſe enim in *Præfatione* non obſcure ſe Hiſpanum dicit: (3) vixiſſe vero ſub finem ſæculi VII. ex eo infertur, quod ex conciliis Toletanis nullum afferat poſterius XIII. habito anno 683. Et denique, quod fuerit Epiſcopus, prodere videtur ipſa *inſcriptio*, qua ſe *Peccatorem* appellat: & licet vulgo legatur *Mercator*, id amanuenſium errori [illegible] eſt, cum potius ſcribere debuiſſent *Peccatorem*, ut habetur in pleriſque codicibus melioris notæ. Mos enim fuit inter antiquos Epiſcopos pleroſque in ſubſcri-D ptionibus ſe *Peccatores* (4) appellare, quemadmodum Græci ſe vocabant ἁμαρτωλούς. Sed ſicuti nullum fundamentum poni poteſt [illegible] monumentis ſuppoſititiis Chronicis, quæ Juliano Toletano & Luitprando tribuuntur; ita nulla probat [illegible] ex iis, quæ de ſe ipſo Iſidorus dicere videtur. Hæc enim magis probant perſonam quam Impoſtor induere voluit, quam ſuam propriam: præterquam quod cum ſe vocat *Peccatorem*, maluit Monachus videri, quam Epiſcopus; cum hæc denominatio in inſcriptionibus potius Monachorum eſſet, quam Epiſcoporum. (5) Etſi enim Epiſcopi more Monachorum *Peccatores* ſe nuncupare conſueverint in ſubſcriptionibus; raro tamen id fecerunt in inſcriptioni-E bus, & fere numquam ſine addito *Epiſcopi*, vel *Præſulis*. (6) Quod adeo verum eſt, ut nec ipſi Chorepiſcopi ſe inſcriberent *Peccatores* ſine addito ſuæ dignitatis. (7) Monachus magis ergo, quam Epiſcopus, Iſidorus etiam dicendus, tum quod Diony-

(1) „ Iſidorus Setubitanus, qui interfuit concilio „ XVI. Toletano, compoſuit Ordinem Concilii, & „ Collectionem Conciliorum, quæ dicitur Iſidori „ Peccatoris, vel Mercatoris in Chronico, quo co- „ gnomine vocatus eſt Iſidorus ſuper Iſidori nomen. „

(2) „ Florebat Iſidorus Mercator, venitque ad „ annum DCCCVIII. fuitque Epiſcopus Setubitanus. „ Scripſit amico ſuo fideli Monacho Benedictino, qui „ fuit collector ejuſdem Iſidori. Vixit pluſquam „ CXVII. annos, ſcilicet, ut dixi ad ann. DCCCVIII. „ die 20. Maii “ Pater Couſtant. *Præfatione* §. *IX. num.* 150. legit Monacho Benedicto; unde ſuſpicatur a Pſ-Juliano indicari Benedictum Levitam, de quo inferius ſermo erit.

(3) *Præfatione* loquens de Ordine celebrandi concilium, quem ex conc. Toletano IV. depromſit, hæc habet. *In principio vero voluminis hujus qualiter concilium apud nos celebratur, poſuimus, ut qui noſtrum Ordinem ſequi voluerint, ſciant qualiter hoc agere debeant*.

(4) Ut videri poteſt in conciliis Carpentoractenſi anno 527. Valenti III. anno 529. Pariſienſi III. an. 557. Turonenſi II. an. 581. & ex variis monumentis Eccleſiæ Cenomanenſis apud Mabillonium in veteribus Analectis.

(5) Monachorum namque propria erat eiuſmodi denominatio; cum eorum vita pœnitens eſſe debeat, & pœnitentia peccatum ſupponat: non ita Epiſcoporum, quorum vita debet eſſe innocens.

(6) Sic Hadoindus Epiſcopus Cenomanenſis, apud eumdem Mabillonium eodem loco inſcribit: *Ego Hadoindus, ac ſi indignus*, [illegible], *Epiſcopus S. Dei Eccleſiæ*. Sic Paullinus Patriarcha Aquilejenſis in *libello Epiſcoporum Italiæ* contra Elipandum inſcribit: *Ego Paullinus licet indignus peccator, omnium ſervorum Domini ultimus ſervus, Aquilejenſis ſedis nomine non merito Præſul*.

(7) Sic Theganus Chorepiſcopus Trevirenſis *Epiſt.* ad Hactonem apud Martenium in *Miſcellaneis tom. primo*: *Domino Venerabili, & in Chriſto patri Hactoni nobiliſſimo Duci ac Conſuli Theganus peccator licet Antiſtes in Domino Jeſu Chriſto dicit ſalutem*.

Hinc miror, quod idem ſuperius memoratus doctiſſimus Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Chriſti 785. dicat, longe familiariorem fuiſſe vocem *Peccator* in ore Epiſcoporum, quam Monachorum; eoque etiam nomine infectam vocat opinionem Cointii exiſtimantis noſtrum Iſidorum fuiſſe Monachum, ex eo quia ſe *Peccatorem* vocat. Ceterum vir ſummus, ſi viveret, mihi iraſci non poſſet, quod di-

nyſium Monachum imitatur, tum quod eadem *Præfatione* ſubdit: *Nobis autem quidam e conſortio fratrum noſtrorum Orientales teſtati ſunt, ſe vidiſſe concilium Nicænum*. Hic enim loquendi modus Monachis potius, quam Epiſcopis, convenit, cum nomen *fratrum* in frequentiori aſu inter illos ſemper fuerit: & ipſi quoque, plus quam Epiſcopi, terrarum orbem percurrere conſueverint. Cum vero Iſidorus etiam ſe *ſervum Chriſti* appellat, non tantum Monachum, ſed & Presbyterum ſe facere videtur: licet enim hæc denominatio omnibus Monachis competeret, ande Monachæ *ancillæ Chriſti* dictæ; Iſidorus tamen ea Sacerdotes tantum comprehendit, ut patet ex eadem ſua *Præfatione*, in qua poſtquam dixit: *Compellor a multis Epiſcopis, & reliquis ſervis Chriſti*; deinde ſubdit: *Vos autem octoginta Epiſcopi, & reliqui Dei Sacerdotes*. Eoque magis Hieromonachus videri voluiſſe videtur, quod ſuam inſcriptionem *Peccator ſervus Chriſti* mutuatas fuerit ex Heſychio Presbytero Hieroſolymitano *Præfatione* in Leviticum, qui hanc inſcriptionem poſuit: *Venerabili Diacono Eutychiano peccator Chriſti ſervus Heſychius Presbyter in Chriſto ſalutem*. Integer itaque titulus eſt: *Iſidorus peccator ſervus Chriſti conſervo ſuo & parenti fidei ſalutem*. (1)

David vero Blondellus ratus, noſtram Collectionem minime ex Hiſpania fuiſſe allatam, ſed potius fabricatam in ipſa Gallia Belgica, ubi primom apparuit; hæc, inquam, ratus putat ejus auctorem fuiſſe Gallo-Germanum, vel Germano-Francum, ac floruiſſe medio fæculo IX. circiter, ea potiſſimum de cauſſa, quod in *Epiſtola* Urbani, & *Epiſt.* Jo. III. inſertæ ſunt ſententiæ concilii Pariſienſis VI. habiti anno 828. Unde ſuſpicatur illum fuiſſe Benedictum Levitam Moguntinum; illam ipſum, qui cum juſſu Autgarii ſui Archiepiſcopi quatuor libris Capitularium Regum Francorum tres alios adjecerit, Epiſtolas haſce in fruſtala ſectas iis inſeruit: & ſic atrumque Capitularium, & Decretalium Opus veluti geminos natos e cerebro Levitæ prodiiſſe comminiſcitur per hæc verba: *Capitularium poſtremos libros tres inter annum 847. & 850. vel certe 855. prodiiſſe oportet: qua tempore, vel ab ipſo Benedicto confictæ, vel ab eodem ſub incudem revocatæ, ac tandem in unum corpus redactæ videntur Decretales Epiſtolæ. Proleg. cap.* 5. Et neſcio quid commentatur de Iſidoro fratre Eulogii Cordubenſis, profeſſione mercatore Moguntiæ degente, cujus nomine Benedictus Levita, eo volente vel inſcio, abuti potuit, ut Iſidori Mercatoris collectio diceretar. Cum Blondello in eo quod putat Mercatoris Collectionem non quidem ax Hiſpaniis Moguntiam deportatam, ſed heic ortam, facile convenimus ex his præſertim: (2) quod veriſimile non ſit, Hiſpanos ſub Saracenorum jugo gementes hujuſmodi rei operam navaſſe: & quod diſciplina his monamentis expreſſa Eccleſiæ Gallicanæ & Germanicæ maxime conveniret. Et reapſe earum ſtatum ad vivum exprimit, ac multa habet, quæ ad alias Eccleſias pertinera non poterant, ut ex inſerius dicendis manifeſte apparebit. His addimus, quod ſupra notavimus, nimirum eam Collectionem ſab ann. 876. Hiſpanis fuiſſe ignotam: nec innotuiſſe conſtat anta ſæculam XII.

Sed in aliis ſais conjecturis Blondellus immane quantum errat: Primo enim non eſt, quod a dicto locupletiſſimi teſtis diſcedamus, Hincmari ſcilicet Remenſis teſtantis a Riculfo qui anno 814. vel ſequenti mortem obiit; Iſidorianam collectionem per Galliam publicatam fuiſſe. Duo dicit Hincmarus, eam illum habuiſſe ab Hiſpaniis, & ſimul publicaſſe. Quod ad primum attinet res occulta erat, & facile in ea Hincmarus decipi potuit: ſed de altero illud erat notoriam ſecutum etiam in loco, ubi Hincmarus degebat, ut ex verbis ſupra exſcriptis: *Has regiones repleri fecit*, nec ab illius ætate diſſitum. Hincmaros enim anno 845. creatus fuit Archiepiſcopus Remenſis, antea tuerat Abbas S. Germani, & floruerat in aula Ludovici Imperatoris, & ſic Riculfi ævum, qui ut ſupra diximus anno 814. obiit, potuerat attingere: ergo teſtatur de re, vel ſuo tempore ſecuta, quam ipſe vidit, vel quam a teſtibus oculatis accepit. Potuit ne ita decipi, ut quod factum fuit poſt annam 847. ut Blondellus putat, crediderit geſtam ante annum 814.? Eoque præſertim id credi nequit, quod Hincmarus, quum de Iſidoro ſaperias relata verba ſcripſit, auctoritatem ejus Collectionis imminutam volebat; unde magis propenſus erat, ut illius novitatem obtuderet, quam ut adſtrueret antiquitatem.

Præterea Benedictus Levita, ut infra dicemus, ſub annum 845. circiter mandatum habuit ab Autgario ſuo Archiepiſcopo colligendorum Capitularium Regum Francorum, in quibus lib. 5. ſeu 7. præſertim molta ex Pſeudo-decretalibus tamquam a Ludovico Pio ac Carolo M. probata inſeruit, eoſque libros dedicavit Imperatori Lothario, ejuſque Fratribus Carolo & Ludovico regibus, cum eſſet Archiepiſcopus Moguntinus Rabanus Maurus, qui ſedit ab anno 847 uſque ad annum 856. Cum igitur tam ipſe Levita ſua *Præfatione*, quam auctor alterius *Præfationis* ad eoſdem libros quam Petrus Pithœus publicavit, dicat hujuſmodi monumenta a Riculfo maxima ex parte in Archivo Moguntinæ Eccleſiæ fuiſſe recondita; uterque, Remenſis dictum corroborare videtur. Sed faciamus Benedictum Levitam fuiſſe impoſtorem, uti eum vult Blondellus; quis umquam credet, illam eo temeritatis deveniſſe, ot Imperatori & duobus regibus ita imponere voluiſſet, ut quæ ipſe fingeret, illis tamquam probata ab eorum patre & avo venditaret; idque feciſſe ſab oculos ſui ſanctiſſimi, doctiſſimique Archiepiſcopi a ſtudiis Autgarii omnino alieni, tantaque impudentia, ut *ultimo Capite lib.* 7. de ipſis Capitalis a ſe collectis hæc habeat: *Si quis autem plenius ea noſſe voluerit, iſtorum legat authentica quibus illa inſerta reperiet*. Præterea multa ſunt in Litteris Decretalibus ſæpius repetita, quorum nihil habetur in Capitularibus, veluti de exæquatione Primatum cam Patriarchis, de induciis dandis Epiſcopis ejectis vel accuſatis, de iis inconſulta S. Sede non condemnandis, & alia: ergo Benedictus non eſt utriuſque Operis auctor, ſed in Capitularibus interſeruit Capita quædam prius excerpta juſſu regam, ut optime obſervat Baluzius *Præfatione ad Capitularia n.* 45. (3) Et ſi velimus ea Capita ſua auctoritate excerpſiſſe, conſtat ſuum ingeniam non idem prorſus fuiſſe cam illo artificis

dicu Iſidorum voluiſſe haberi Monachum; nam re vera Monachiſmum fuiſſe profeſſum minime dico.

(1) Gratianus cum in ſuo *Decreto diſt.* 16. *can.* 4. ex ea inſcriptione hæc ſolum verba retuliſſet, *Iſidorus ſervus Chriſti lectori ſuo conſervo*: Correctores Romani hanc notam poſuerunt: *In Panormia eſt eodem modo, atque apud Gratianum. Apud Ivonem, & in manu ſcriptis collectionis illius codicibus eſt: Iſidorus Mercator ſervus Chriſti conſervo ſuo, & parenti fidei in Domino ſalutem. In vulgatis autem conciliorum editionibus: Iſidorus peccator ſervus &c.*

(2) Alias igitur etiam Blondellas in conjecturæ ſuæ probationem rationes affert; quod nempe Mercator plures Epiſtolas ad Gallos, quam ad Hiſpanos finxerit; & ſic magis de illorum, quam de iſtorum gloria ſolicitus videtur: & quod, quæ levior ratio, ſcriptoris barbaries, & impuritas potius Germano-Francum, vel Gallo-Germanum, quam Hiſpanum prodat.

(3) *Attamen veram non puto eorum ſententiam, qui ſcribunt dolo malo heic uſum* (Levitam), *& Capitula a ſe collecta variis in locis adulteraſſe, & interpolaſſe in gratiam Romanæ ſedis, ac propterea uſum ſcrinio Eccleſiæ Moguntinæ, ubi caſu ſint Capitularia, & inveſtigato eorum ſodina. Ego facilius crediderim illum collegiſſe primum Capitula, quæ citra controverſiam edita ſunt a Regibus: tum ea quæ ab ipſis, vel eorum juſſu, ut ſupra monuimus, ab Epiſcopis, aut viris doctis excerpta ſunt ex libris divina Scriptura, ſicut ea ſparſim in eorum mixta Capitulis reperit, ut ipſa Benedicti verba ponamus, & quæ excerpta ab iiſdem ſunt ex Canonibus conciliorum, ex decretis Romanorum Pontificum, ex dictis ſanctorum Patrum, ex Conſtitutionibus ſynodalibus Epiſcoporum Gallicanorum, ex Codice Theo-*

Decretalium. Neque ſilentio prætereundum, quod noſtra Collectio Riculfi & Caroli Magni ævo maxime convenit; ille namque ex ea ſua ſibi commoda quæ infra videbimus, potiſſimum providere poterat; hic vero inter alia, quibus ſummam gloriam ſibi comparavit, totus fuit in artibus litterarumque ſtudiis undique arceſſendis, ac etiam antiquis Legibus & Canonibus revocandis: unde admodum veriſimile eſt Pſ-Iſidorum hac opportunitate nacta optimo Principi voluiſſe imponere. Quæ hactenus dicta ſunt, mire confirmantur ex iis, quæ ſupra notavimus de excerptis Canonibus ex falſis Litteris Decretalibus a Remedio ſeu Remigio Curienſi juſſu Caroli M. Et hæc quidem dicta volo ad probandum, Iſidori Collectionem ſub Riculfo, ut Hincmarus ait, re vera prodiiſſe. Ceterum ad explodendam Blondelli conjecturam ſufficerent, quæ ſupra notata fuerunt, concilium ſcilicet Aquiſgranenſe anno 836. laudaſſe Epiſtolam Fabiani per hæc verba: *juxta ſtatuta Decretalium:* ac præterea earum Excerpta una cum legitimis documentis ad Primatum Romani Pontificis pertinentia anno 833. oblata fuiſſe Gregorio IV. ut videtur dicere Paſchaſius Radbertus. Quomodo igitur Benedictus Levita finxit eas litteras poſt annum 847.?

Quod ad commentum attinet Iſidori profeſſione Mercatoris, cujus nomine uti potuit Benedictus Levita, ut is diceretur ex Hiſpania eam collectionem detuliſſe, id nullam veriſimilitudinem habet. Quomodo Benedictus nomine Iſidori, Eulogii fratris uſus fuit, ut eum faceret ſimplicem promulgatorem, an etiam auctorem? Neutrum dici poteſt. Non primum: nam Iſidorus Peccator ſeu Mercator in *Præfatione* quam collectioni præmittit, expreſſe ſe facit auctorem. Non ſecundum, nam præterquam quod auctor ſe prodit eccleſiaſticum, & quidem antiquioris ætatis, ridiculum fuiſſet, hominem profugum, & profeſſione mercatorem in ſcenam inducere tamquam juris Canonici peritum, ejuſque nomine auctoritatem ſolemniſſimæ fraudi conciliare: quæ ad exuberantiam dicta ſint. Ceterum Blondellus hariolatur, quum Iſidorum mercatorem facit: nam etſi ille cum mercatoribus Moguntiam venerit, nuſquam tamen habetur, quod ipſe qui erat nobiliſſimus, ut ex Senatorum genere natus, aliquando mercaturam exercuerit. Nec meliori ratione Blondellus minime ſibi conſtans conjecturam ſuam confirmat, quum legit *Peccatorem* pro *Mercatore*, quod ſcilicet Iſidorus ita inſcribendo ſequutus fuerit exemplum Eulogii fratris, qui & *Peccatorem*, & *ſervum Chriſti* ſe appellavit: non, inquam, meliori ratione confirmat. Primo enim Eulogius numquam hæc duo conjunxit *Peccator*, & *ſervus Chriſti*; nec umquam ſe vocavit *Peccatorem* per modum cognominis in aliqua inſcriptione. Sed eſto hæc fecerit, ſi ita vis, fecit utique Eccleſiaſticorum more; erat enim Presbyter profeſſione, & Monachus ſaltem voluntate & converſatione. Quid ergo ad fratrem laicum? erat ne quid gentilitium, aut familiare? (1)

Nec me tenet, ut cum Blondello conveniam, quod ab Urbano, & a Jo. III. uſurpantur verba concilii Pariſienſis VI. habiti anno 829. Nam primo etſi Blondello tantiſper concedamus Pſ-Iſidorum paullo poſt tempus concilii Pariſienſis VI. floruiſſe, adhuc tamen prorſus non eſt veriſimile, eum illius verbis uti voluiſſe. Is enim ad ſuam fraudem magis tegendam conſulto abſtinuit ab uſu recentiorum monumentorum; adeo ut nullum adhibeat, quod medio ſæculo VIII. non ſit antiquius. Qui igitur fieri poterat, ut uteretur concilio Pariſienſi VI. ann. 829.? Cur non uſus concilio Compendienſi ann. 759. Foroiulienſi ann. 791. Francofordienſi ao. 794. Arelatenſi VI. Turonen. III. Cabilonenſi II. Moguntino, Remenſi VI. ann. 813. Lugdunenſi IV. an. 814. Aquiſgranenſi I. ao. 816.? Cur non uſus multis variiſque Capitularibus Caroli Magni, Decretalibus Stephani II. III. & IV. Paulli I. Hadriani I. Leonis III. Paſchalis I. Eugenii II. Valentini? Cur his non uſus eſt, & aliis ſcriptorum generibus illius tempeſtatis, præſertim cum ex iis multa deflorare potuiſſet? Deinde argumenta non deſunt, ut credamus Epiſtolam Urbani, vel aliena manu, quam Pſ-Iſidori, interpolatam, vel nihil continere, quod e concilio Pariſienſi ſit depromtum: illam vero Jo. III. ad collectionem Iſidori minime pertinere, ſed longo poſt tempore aſſumtam. De prima jam ipſe Blondellus obſervavit, ejus fragmentum aliter laudari in Epiſtola concilii Cariſiaci, quæ modo proſtat; & ſic conſtat, illam fuiſſe alteratam. Sed faciamus Urbani Epiſtolam, uti modo proſtat, fuiſſe fictam. Quid tum poſtea? neceſſario auctor eam ſententiam expreſſit ex concilio Pariſienſi? minime gentium. Potuit talis ſententia jam eſſe vulgaris, vel ex aliquo libro qui modo nos latet, excerpta; & ſicuti ea concilium Pariſienſe uti, ita auctor falſarum litterarum abuti potuit: & reapſe eamdem ſententiam habemus *Capite 386.* (2) *Lib. VII. Capitularium* alio verborum contextu ab illis concilii Pariſienſis, & Pſ-Iſidori; unde conſtat illam fuiſſe vulgarem. Et denique quid vetat dicere, concilium Pariſienſe ex Pſ-Urbani Epiſtola ſuam feciſſe eam ſententiam?

Quod vero attinet ad Epiſtolam Joannis III. non inficior ejus longam laciniam depromtam ex *Capite 2.* Conc. Pariſienſis VI. ſed quid tum inde? Ea namque, & forſitan etiam quarta S. Damaſi, & 88. S. Leonis I. (3) quæ de Chorepiſcopis agunt, ad collectionem Iſidori Mercatoris non pertinent, ſed potius ei deinceps aſſutæ videntur; apparent enim ſcriptæ contra *Caput primum* Epiſt. Nicolai I. Ad Rodulfum Bituricenſem, ſeu verius contra opuſculum de Chorepiſcopis Rabani Mauri ad Drogonem Metenſem, editum, ut Baluzius conjicit, ſub annum 841. circiter. Rabanus inter alia favore

Theodoſiano, ſive Aniani interpretationibus, Paulli ſententiis, Juliani Antecesſoris Novellis, Codice legum VViſigothorum, & lege Salica, ex lege Ripuariorum, & ex lege Bajuvariorum. Ex his enim omnibus locis conſarcinata eſt illa Benedicti collectio, confuſe ſane facta, nullo ſervato temporum ordine, mutatis etiam ſæpe verbis Capitum quæ illic referuntur.

(1) Non moror Caſimirum Oudinum, qui dum Blondelli conjecturam reſpuit, utpote ſine aliqua probatione adductam, ſubdit: *Sed credibilius eſt, collectaneum iſtud ab Eulogio fratre Iſidori Moguntiam ex Hiſpania fuiſſe allatum.* Sed ubinam legitur S. Eulogius Cordubenſis Moguntiam veniſſe? Suos fratres Alvarum, & Iſidorum aliquamdiu Ludovici regis tempore apud Moguntiacum exſulaſſe ſcribit idem Eulogius Epiſtola ad VVilleſindum Epiſcopum Pampelonenſem data 17. Kal. Decembris anno 889. at ſe Moguntiam veniſſe adeo non dicit, ut potius ex eadem epiſtola contrarium colligatur.

(2) Verba concilii ſunt: *Puto profecto, ſi iiſdem nequitiis vitam finierit, gravius illum, quam eos, qui licet fidem Chriſti non perceperunt, bonis tamen operam dederunt, puniendum.* Verba vero Pſeudo-Urbani: *Gravius enim puniuntur, qui votum fecerunt, aut fidem perceperunt, & votum non perfecerunt, aut in malis vitam finierunt, quam illi, qui vitam ſine voto finierunt, aut ſine fide mortui ſunt, & tamen bona egerunt opera.* Verba denique Capitularium: *Sciendum eſt omnibus, & ſine ambiguitate retinendum, quod gravius puniantur qui fidem Chriſti perceperunt, & in malis vitam finierunt, quam illi qui ſine fide mortui ſunt, & tamen bona egerunt opera. Quoniam melius eſt fidem non percipere, quam poſt ejus perceptionem retrorſum abire.*

(3) Ex hoc etiam Epiſtola de Chorepiſcopis Leoni M. tributa ad Mercatorem minime pertinere videtur: quod eſt inſcripta Epiſcopis Germaniæ, & Galliæ: cum ſupra probaverimus Epiſtolam Pelagii II. ſimilem inſcriptionem habentem ad alium a Mercatore pertinere, idemque in præſenti demonſtramus de Epiſtola Joannis III. quæ etiam Epiſcopis Germaniæ, & Galliæ eſt inſcripta. Ut ut hæc ſe habeant, certum eſt, hujuſmodi Leonis M. Epiſtolam, ſeu Epiſtolæ fragmentum eſſe ſuppoſititium; cum, ut obſervat Morinus *de Sacris Ordinationibus par. III. cap. 4.* nihil aliud ſit, quam Canon VII. Concilii Hiſpalenſis II. paucis immutatis ad verbum exſcriptus; unde fallitur Queſnellus quum *Diſſertatione* XI. ad Opera S. Leonis putat illam potuiſſe eſſe veram Leonis III. Epiſtolam.

re Chorepiſcoporum dicit : *Unde legitur in Codice quem Damaſus Papa de Epiſcopis Romanæ Eccleſiæ petente Hieronymo ſcripſit , quod Linus & Cletus* (quos Chorepiſcopos facit) *ex præcepto B.Petri ordinationes fecerunt : cum tamen poſt paſſionem Petri non illi , ſed Clemens in honorem Cathedræ ſucceſſerit, ipſe tradente Principe Apoſtolorum; ſicut Epiſtola ejuſdem Clementis ſcripta ex mandato Petri ad Jacobum fratrem Domini teſtatur*. Ad hoc igitur retundendum memoratæ Epiſtolæ ex inſtituto contrarium ſtatuentes , eidem Damaſo ac Leoni M. tributæ videntur & in Epiſtola præſertim Jo. III. hæc habentur *cap. 2. Si autem Petrus Princeps Apoſtolorum adjutores ſibi aſcivit Linum & Cletum, non tamen poteſtatem Pontificii , aut ligandi , aut ſolvendi eis tradidit , ſed ſucceſſori ſuo ſancto Clementi*. Porro cum Rabanus anno 847. creatus fuerit Archiepiſcopus Moguntinus , & vixerit uſque ad annum 857. ac ea dignitate auctus Chorepiſcopis etiam favere non deſtiterit , ut patet ex *præfatione* concilii Moguntini I. a ſe habiti , non videtur veriſimile ipſo adhuc vivente & florente eam Epiſtolam publicatam , & multo minus Moguntiæ, & a Benedicto Levita qui erat illis ſubjectus . Inſignis prætcrea ejuſdem Epiſtolæ barbaries quam ipſe Blondellus *ſtupendam* vocat , ſuadet , ipſam ad Iſidorum qui non erat barbariſſimus, minime pertinere. Eoque magis evincitur , quod talis Epiſtola ſit aſſuta collectioni Iſidorianæ , quod *Libro V. Capitul. capite* 320. & iterum *Lib. VII. cap.* 98. de Chorepiſcopis exſcribuntur verba concilii Pariſienſis , non Pſeudo-Joannis III. Quin neque anno 888. agnita erat , cum in concilio Metenſi eo tempore habito laudentur Epiſtolæ SS. Damaſo & Leoni tributæ, non item iſta Joannis III. Huc quoque maxime faciunt duo reſponſa ſub nomine Nicolai I. unum (1) pro valido habens quidquid Chorepiſcopi Epiſcopalis Ordinis uſurpabant ; (2) alterum quod potius pro nullo habere videtur : ex his unum ſaltem falſum eſſe debet . En igitur non modo poſt Pſeudo-Iſidori , ſed etiam poſt Nicolai Papæ tempora, alios fuiſſe impoſtores, qui Litteras nomine Romanorum Pontificum de Chorepiſcopis ſcriberent . Quod autem Epiſtolæ Joannis III. faber uſus fuerit verbis concilii Pariſienſis VI. id conſulto ſane feciſſe videtur , ut illius antiquitatis probationem adſtrueret , ut ſcilicet concilium verba Epiſtolæ mutuatum videretur ; & ita hæc ante illius tempus cum aliis Iſidorianis monumentis publicata appareret ; in cujus rei confirmationem ipſe idem forſitan Epiſtolam Urbani , ac primam etiam Felicis IV. quæ certe ad Iſidorum pertinebant , ex verbis ejuſdem concilii interpolatam quoque voluit . Ex his quæ dicta ſunt , facillimæ ſunt reſponſiones ad id, quod Blondellus ad conjecturæ ſuæ probationem etiam addit de uſurpatis phraſibus Jonæ Aurelianenſis a Pſ-Jo. I.

Maioris vero ponderis in contrariam videtur altiſſimum ſilentium ſcriptorum de talibus Litteris uſque ad annum 833. vel certe 836. Unde Blondellus minus improbabile ſuam conjecturam de Autgario illarum promotore efficere poterat , ſi illum dixiſſet alio artifice quam Benedicto Levita uſum , eas effinxiſſe ſub principium ſui Epiſcopatus , quem iniit ab anno 826. vel certe ſequenti : ſic potuit etiam ex ipſis tamquam repertis in Archivo ſuæ Eccleſiæ capita quædam excerpta, a Ludovico Pio probanda curare, & tandem ſub finem ſuæ vitæ Benedicto imponere collectionem Capitularium . Sed ipſe Blondellus pluris facit argumentum , quod ſupra expoſuimus de Litteris Urbani , & Joannis III. adeo ut ea oppoſitione ſublata ſi dixerimus illas eſſe interpolatas, relictis Autgario , Benedicto Levita , & Iſidoro Eulogii fratre Riculſum repetat. Sed id inepta ſane ratione confirmat, quod Riculſus malæ fidei ſpecimen in Conventu Wormatiæ habito dederit, cum Carolo M. exhibuit Epiſtolam Gregorii Papæ , *cujus numquam fuerat , nec poſtea fuit memoria*. Talis namque Epiſtola eſt IX. Gregorii II. cujus fuerat , fuit , eſt , & erit memoria. (3) Attamen Petrus de Marca in eumdem Riculſum inclinat . Quam quidem de Riculſo conjecturam , ſeu potius , quod illo conſcio, vel eo conſilio Moguntiæ facta fuerit Collectio , ut ipſum promotorem & fautorem haberet , ex inferius dicendis confirmabimus , ac etiam proferemus noſtram conjecturam , ſub Iſidori Mercatoris ſeu Peccatoris larva latuiſſe non Hiſpanum aliquem, vel Germano-Francum , vel Gallo-Germanum, ſed Anglum Joannem nomine.

Interim enuntiatum argumentum ex ſcriptorum ſilentio petitum diluamus oportet . Magnum ſane quid fuit, Iſidoriana monumenta finxiſſe. Sed majoris molis erat, ea ad uſum reducere ; ſpectabant enim ipſa ad jus publicum præſertim : quo nomine non illud denoto , quod ab eccleſiaſtico diſtinguitur , ſed eam juris eccleſiaſtici partem , quæ Eccleſiæ regimen continet : offendebant præterea formidoloſos rerum Eccleſiæ uſurpatores, ac etiam Chorepiſcopos, quorum factio tunc temporis minime ſperni poterat : lædebant inſuper jura Metropolitanorum , nec ipſa ſæcularium Principum jura intacta relinquebant: unde cum aperte irruere non potuiſſent , ſenſim & pedetentim obrepere neceſſe erat . Hoc cum probe noſſet Riculſus ſive alii qui ejus opera abutebantur, non niſi aſtute ſe geſſerunt in talium promotione monumentorum . Ea itaque cum publicanda curaſſet, eorumdem etiam aliquas ſententias pro ea qua in rebus eccleſiaſticis auctoritate pollebat, (4) data opportunitate in Capitularia Caroli M. referri ſategit ; & quidem ſuppreſſis nominibus eorum quibus tribuebantur : ſic *Formatæ*, quod erat facilius, ſecundum Iſidori exemplar uſum introduxit , ut paullatim Epiſcopi alias ejuſdem

(1) *Epiſtola* 19. in appendice ad Rodulfum Bituricenſem *cap.* 1. *A Chorepiſcopis aſſeris multas eſſe in regionibus veſtris ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum effectas , quos quidem vero denuo conſecrant . Nos vero dicimus, nec innocentes oportere percelli, nec ullas oportere fieri reordinationes, vel reiteratas conſecrationes. Ad formam enim ſeptuaginta Diſcipulorum Chorepiſcopi facti ſunt , quos quis dubitet Epiſcoporum habuiſſe officia , ſed quia ſacri Canones vetant , ne omnes ſibi omnia vindicent, ac per hoc dignitas Epiſcoporum ad Chorepiſcopos ſuas videatur transferri , ſiatque vilior honor Epiſcopi , decernimus , nihil in hoc præter regulas ulterius fieri .*

(2) *Epiſtola* ad Arduicum Vaſionenſem *cap.* v. apud Acheryum *tom. XII Spicilegiorum : De Chorepiſcopis de quibus conſulis , utrum Presbyteros & Diacones valeant conſecrare , ſacri te Canones poterunt edocere . Quomodo autem Chorepiſcopos poſſe , dicimus , Eccleſias conſecrare , quas nulli Epiſcoporum licet ſine veſtro* (noſtro) *præcepto ſecundum ſanctas regulas dedicare? Non ergo Chorepiſcopis dabimus . Unde vos Epiſcopos tamquam terminos a Patribus poſitos transferentes merito reprehendimus . Præterea quis infantes debeat conſignare, S. Innocentius oſtendit , dicens „ De conſignandis vero infan- „ tibus manifeſtum eſt , non ab alio, quam ab Epiſco- „ po fieri licere . „ Et rurſus: Hoc autem , inquit , ſolis Pontificibus deberi, ut vel conſignent, vel Paracitum Spiritum tradant , non ſolum conſuetudo Eccleſiæ demonſtrat, verum illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis tradant Spiritum Sanctum*. Ex hoc ſecundo reſponſa magis probabilis redditur conjectura Patris Thomaſſini , *Par.* 1. *de nova , & veteri Eccleſiæ diſciplina lib. II. cap. II. n.* 5. Nicolai reſponſum ad Rodulfum de Chorepiſcopis eſſe ſuppoſititium exiſtimantis : ac magis etiam probabilis redderat ex iis, quæ infra adnotabimus.

(3) Verba Caroli M. VII. *Capitularium* 281. & alibi relata hæc ſunt : *Nam cum Wormatia generalem conventum habuiſſemus , allata eſt nobis a Riculfo Moguntiacenſi Metropolitano Epiſtola B. Gregorii Papæ , in qua inter cetera continebantur hæc :* „ De presbytero „ vero, vel quolibet Sacerdote a populo accuſato, „ ſi certi non fuerint teſtes qui crimini illato ap- „ probent veritatem, juſjurandum erit in medio, & „ illum teſtem proferat de innocentiæ ſuæ puritate , „ cui nuda & aperta ſunt omnia ; ſicque maneat in „ proprio grado “ . Credidit forte Blondellus eam Epiſtolam a Riculſo, & Carolo Magno fuiſſe tributam B. Gregorio I. ſeu Magno ; & ſic in eadem inter illius Opera perquirenda oleum & operam perdidit.

(4) Ut eam infra cum Burcardo Gotthelfio nota

dem merces in commercium admittere aſſueſcerent. Et uti Imperatorem Ricolfus ad ſe trauit, ita (1) ad Papam trahendum ingenium intendiſſe, admodum veriſimile eſt, ſed hoc minime fuiſſe aſſecutum; ideoque res non multum fuit progreſſa: eoque magis quod contradictores multos, eosdem fortes habere neceſſe erat. Unde in ſynodo Moguntina anno 813. in qua Riculfus alterum locum ab Hildeboldo Archiepiſcopo Colonienſi tenens interfuit, (2) nullus Iſidorianorum monumentorum uſus factus apparet. Poſt Riculfi mortem, quæ ann. 814. vel tardius 815. conſignatur, noſtram Collectionem uſque ad annum 827. veluti dormiviſſe non mirum. Per id enim tempus Epiſcopatum Moguntinum tenuit Heiſtulfus qui fuerat B. Lulli (3) diſcipulus, & Riculfi diſparum morum ac ſtudiorum. Anno igitur 827. cum Heiſtulfum excepiſſet Autgarius Riculfi (4) conſanguineus, inceptum opus ad perfectionem adducere tentavit. Ejus opera factum, ut Gregorio IV. in Alſatia degemi com genuinis Pſ-decretalium admixta capita darentur, admodum veriſimile eſt, uti & deinde in concilio Aquiſgranenſi lauderentur *ſtatuta* Decretalium, ac etiam ut Ludovici Pii *Capitularibus* illarum ſententiæ adoptarentur: ejus juſſu tandem collectionem *Capitularium* a Levita adornatam jam ſupra ſatis notatum.

Nec omnino verum videtur, quod ante annum 830. nullus ſcriptorom Pſ-decretalium meminerit. Videtur namque ad eas reſpicere Theodulfus Aurelianenſis cum circa an. 820. queritor de ſoa depoſitione inconſulta Sancta Sede canens ad Moduinum Epiſcopum Auguſtodunenſem:

Culpa facit ſævum confeſſa perire latronem:
Non eſt confeſſus Præſul, & ecce perit.
Non ibi teſtis ineſt, judex nec idoneus allus:
Non aliquod crimen ipſe ego faſſus eram.
Eſto forem faſſus, cuius cenſura valeret
Dedere judicii congrua frena mihi?
Solius illud opus Romani præſulis exſtat,
Cujus ego accepi pallia ſancta manu.

Non infitior hæc Theodulfi verba ſic accipi poſſe de Pallio, quod ſcilicet ex ejus cauſſa inconſulta ſancta Sede ipſe deponi non potuiſſet; ſed nuſquam ſane hoc de Pallio cautum erat. (5) Neque infitior eadem verba ſic accipi poſſe, ut vel id tribuatur juri Patriarchico, quod Romanus pontifex habebat in Galliis; ſed hoc in hujuſmodi rebus tunc ibi non obtinebat. Potius igitur Theodulfus videtur reſpexiſſe ad P.-Decretales, quæ ut inferius videbimus, de omnibus omnino Epiſcopis expreſſe cavent, ut præter ſententiam Romani Pontificis deponi nequeant. Agobardus præterea Archiepiſcopus Lugdunenſis libro quem circa annum 825. ſcripſit *De diſpenſatione rei Eccleſiæ*, videtur reſpicere ad Pſ-decretales, ſeu potius ad abuſum, quem alii ex earum interpretatione faciebant, inquiens: „ Verum quia ſunt, qui Gallicanos Canones, & „ aliarum regionum putant non eſſe recipiendos, „ eo quod Legati Romm. ſeu Imperatoris in eo„rum conſtitutione non interfuerunt, reſtat ut „ etiam ſanctorum clariſſimorum P. P. doctrinas, „ & expoſitiones diverſoſque tractatus, ut S. Cy„priani, Athanaſii, Hilarii, Hieronymi & Augu„ſtini doceant non eſſe recipiendos, quia cum hæc „ tractarent vel exponerent, Legati Romm. ſive „ Imp. non aderant... Ubicumque enim catholici „ Eccleſiarum rectores pro Eccleſiarum utilitatibus „ cum Dei timore in ejus nomine & honore con„veniunt, quidquid conſonanter ſanctis ſcripturis „ ſtatuunt, nulli procul dubio ſpernenda, immo „ veneranda omnibus eſſe debent, quod illa quam „ maxima auctoritate fulcitur, quia bina per annos „ concilia fieri, & Romani Pontifices decreverunt, „ & magna concilia ſolicite commendarunt. Re„ctius profecto facere videtur, qui ubicumque „ magnarum ſynodorum ſtatuta quæ merito re„prehendenda non ſunt, ſequenda deliberat, „ quam qui ea quæ ipſe ſentit, etiam ſenſibus „ anteponit. " Hæc namque generalis & indefinita regula, quam Agobardus impugnat, antiquos ſcilicet Canones non eſſe recipiendos ex defectu præſentiæ Apoſtolicorum Legatorum, non niſi ex interpretatione Pſ-decretalium naſci & ſtabiliri poterat, ut inferius videbimus.

Quid plura? ut ſupra notatum eſt, Remigius ſeu Remedius Epiſcopus Curienſis juſſu Caroli M. excerpſit Canones ex Pſ-decretalibus, quod præſtitit expreſſis etiam nominibus quibus illæ tribuebantur; nempe Clementis, Anacleti, Evariſti, Alexandri, Teleſphori, Higini, Aniceti ſub nomine Annitii, Soteris, Victoris, Zephirini, Calliſti, Urbani & aliorom, quorum excepti Canones deſiderantur in Codice Goldaſtiano, uti & Capitula quæ Notingius Conſtantienſis Remedio adjecit. His de Mercatoris perſona, loco, & tempore delibatis, de ejus ingenio videndum.

CAPUT VII.

De Mercatoris ſcopo.

QUod igitur ad conſilium attinet quo hujuſmodi impoſtura facta fuit, Petrus de Marca quem ſequitur Joannes Douiat, ſuſpicatur, quod Riculfus ad inſtaurandam labentem in Galliis Papæ cui erat devotos, auctoritatem, id fortaſſe egerit. Quod hoc fuerit conſilium impoſtoris, quicumque is fuerit, ſublevandæ ſcilicet Sedis Apoſtolicæ majeſtatis, quin & omnis eccleſiaſticæ quæ tum depreſſa erat, juriſdictionis, opinatur Chriſtianus Lupus *Schol. ad Can. III. dictatus* S. Gregorii VII.

tabimus, ſub Carolingis in ferendis publicis Legibus ad res Eccleſiaſticas pertinentibus partes præcipuas erant Archiepiſcopi Moguntini.

(1) Leonem nempe III. qui ab anno 795. uſque ad annum 816. Pontificatum tenuit, & quem, ut infra videbimus, Riculfus impenſe fovit ac muneribus donavit.

(2) Hideboldus enim erat Caroli Magni Archicapellanus, &, ut infra notabimus, ceu talis omnibus Epiſcopis illius ditionis etiam in eorum Eccleſiis præcedebat. Hinc inanis ſuſpicio Serarii *Rerum Moguntinarum cap.* 4. in Riculfo ubi de Breviario diviſionis Theſaurorum Caroli M. loquens poſtquam notat: *Numeratur ſecundo loco noſter hic Riculfus*, inter parentheſes ſubdit: *Niſi forte in Colonienſi editione Naenariana ipſi præpoſitus Colonienſis Hildeboldus*. Omnes editiones eamdem ordinem ſervant.

(3) Secundi Archiepiſcopi Moguntini, quem S. Bonifacius I. Archiepiſcopus ad Friſiam, ubi martyrii palmam obtinuit, profecturus, eligendum curaverat.

(4) Ut habetur ex ſupra memorata *Præfatione* incerti Auctoris ad poſtremos tres Capitularium libros, quos Levita digeſſit.

(5) Atque adeo id verum eſt, ut nec etiam in privilegio, quod deinde anno 868. una com Pallio Hadrianus II. conceſſit Actardo Epiſcopo Nannatenſi, id ſit cautum; ſed illud eſt reſtrictum ad caſum appellationis, vel recuſationis. Hujuſmodi Privilegii, ſeu Epiſtolæ ad Actardum verba hæc ſunt: *Nullus Metropolitanorum Antiſtitum, vel ceterorum Epiſcoporum in controverſia criminis, ſi ſedem appellaveris Apoſtolicam, vel ejus ſpeciali expetieris audiri, vel diſcuti fortaſſis examino, præſumat de te proferre non noſtro præmiſſo decreto judicium: ſed Apoſtolica ſedis tantum reſervaveris examinandas, vel judicandus incunctanter arbitrio.* Quibus ex verbis Petrus de Marca *Lib. VII. de Concordia cap.* 23. n. 8. petit argumentum, quod validiſſimum vocat, ad probandum *Conſtitutionem Gregorii IV. & Leonis IV. receptas jam non fuiſſe in Gallia: cum id, quod triginta ante annos conſtitutum fuerat in gratiam omnium Epiſcoporum, nimirum, ut ſi ſedem Apoſtolicam appellaverint, eorum judicio ſuperſedeatur, nunc ab Hadriano tribuatur Actardo, ut privilegium contemplatione Pallii.* Sed magis eſt, ut dicamus Hadrianum una cum pallio privilegium de quo agitur, ex ſtilo jam diu recepto ita dandi Pallium, Actardo conceſſiſſe: taleque privilegium nihil ei de novo tribuiſſe. Vel dicendum, Hadrianum Actardo de integro conceſſiſſe, ut poſſet etiam in prima inſtantia, quam dicunt, recuſare judicium ſynodi, & eligere illud R. Pontificis; de quo quidem jure nulla mentio fieri videtur in Epiſtolis Gregorii, & Leonis.

Digitized by Google

VII. ajens: „ In Gallia tunc & Germania per „ Francos, in Hiſpania per Saracenos, in Italia „ ac Illyrico per Longobardos, & Græcos admodum vexata, & depreſſa erat Apoſtolicæ Sedis majeſtas, & omnis eccleſiaſtica juriſdictio: „ Ideoque ad illas ſublevandas neſcio quis pius fidelis finxit ſub antiquorum Romanorum Pontificum nomine Decretales iſtas Epiſtolas, quam „ paſſim vocamus collectionem Iſidori Mercatoris. “ Sed audacius, & impudentius more ſuo ait Dupinus in *Bibliotheca tom.* 1. „ Et qui ſont „ dites exprès pour favoriſer la cour de Rome, „ & établir ſes pretenſions contre le droits des „ Eveques, & les anciennes libertez des Egliſes. “ *Et de antiqua Eccleſiæ diſciplina diſſert.* II. cap. I. §. 4. „ Has ſtatim Epiſtolas (decretales) Summi „ Pontifices, in quorum gratiam erant confectæ, „ avide arripuerunt. “ Nec minori confidentia Van-Eſpen *Part.* III. *tit.* III. *cap.* IV. *n.* 16. hæc habet: „ Collectio vulgo Iſidori Mercatoris, cui „ hic impudentiſſimus falſarius inſeruit non tantum confictas Decretales ſub nomine Pontificum „ Romanorum a Clemente uſque ad Siricium, uti „ in textu notatur, ſed & plures ſynodorum Canones in alienum ſenſum detorſit, & in ſuam „ collectionem ſic detortos tranſtulit, idque vel „ præcipue ad ampliandam Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, & ſignanter in examinandis & definiendis cauſſis Epiſcoporum. “ Hæc cum aliqui catholicorum ſcripſerint, nil mirum, ſi hæretici qui Papatum odio plus quam Vatiniano perſequuntur, de Mercatore ita loquantur, ac ſi eum ſcopum præcipue habuiſſe videatur, *ut ſub fucatis* (verba ſunt Gulielmi Cavei) *primævæ antiquitatis teſtimoniis Romanæ Sedis auctoritatem ſpecioſius propugnaret.*

Sed quid Ultramontanum hominem, & inter Ultramontanos degentem, ſive is Gallus, ſive Hiſpanus fuerit, impellere potuit ad ampliandam, vel ſublevandam tanto molimine, tantoque facinore Sedem Apoſtolicam? Putat Blondellus *Cap. V. Prolegomenorum* id egiſſe Riculfum, vel Autgarium, quia erant Vicarii Papæ, quin Autgarius etiam ejus Legatus *a* latere; ac proinde de iis per ſummam impudentiam & temeritatem ita loquitur, ac ſi in hoc ipſum Romanum Pontificem mandantem vel conniventem habuiſſent. Non me fugit, eſſe qui putant, inter quos Natalis Alexander *ſæculo VIII. cap. V. art.* 1. Vicariatum Apoſto-
A licum, ſeu Primatum Bonifacii in Gallia collatum fuiſſe ejus perſonæ, in Germania vero etiam Eccleſiæ ſcilicet Moguntinæ, ac proinde ſucceſſoribus, quales fuerunt Riculfus & Autgarius. Quæ opinio aliud fundamentum habere non poteſt, niſi verba Epiſtolæ, quam S. Zacharias anno 751. ſcripſit ad ipſum Bonifacium: *Et idcirco B. Petri Apoſtoli auctoritate ſancimus, ut ſupra dicta Eccleſia Moguntina perpetuis temporibus ſibi & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum ſic confirmatam habens ſub ſe has quinque civitates Tungris, Coloniam, Wormaticam, Spiriciam, & Trectis, & omnes Germaniæ gentes, quas tua Fraternitas per ſuam prædicationem Chriſti lumen agnoſcere fecit.*
B Sed hæc non important Vicariatum, ſive Primatum, ſed purum jus Metropoliticum. Scrupulum vero iniicit mentio Coloniæ, quam in Metropolim Eccleſiaſticam anno 745. fuiſſe reſtitutam conſtat; unde alio nomine Moguntiæ ſubjungi non poterat, niſi Primatus jure. Sed ut recte obſervat Thomaſſinus *De veteri, & nova Eccleſiæ diſciplina Par.* 1. *lib.* 1. *cap.* XLI. *n.* 10. etiam Metropoleos jure fuit ſubjuncta: *Tamen tenuit prior conſtitutio, & Coloniæ vindicata eſt Metropolitica dignitas, non autem Bonifacii ſedes, etſi id aliquando placuerat.* Ut ut hæc ſe habuerint, certum eſt ſucceſſores Bonifacii Vicarios Apoſtolicos
C jure ſuæ Eccleſiæ non fuiſſe: quod adeo verum eſt, ut S. Lullus qui eum exceperat anno 754. ante annum 772. Pallium non habuerit, ut clare habetur ex Litteris Hadriani I. ad Tilpinum; quas infra referemus; quo inſigne non tamdiu caruiſſet, ſi fuiſſet Vicarius Apoſtolicus. Illud enim tunc temporis proprium erat Vicariorum Apoſtolicorum, & non niſi ex privilegio concedebatur aliis Epiſcopis, ut inferius videbimus. Quin, ut teſtatur Hincmarus Epiſt. 44. (1) a S. Bonifacio ad ſuam tempeſtatem nullus Primicerius, ſeu Primas, ſeu Vicarius Apoſtolicus fuerat in provinciis Tranſalpinis. Præterea tamquam quid ſingulare de Autgario ha-
D betur in *præfatione* incerti auctoris præfixa tribus Libris poſterioribus Capitularium Regum Francorum ſupra memorata, quod *vices Apoſtolici* Gregorii IV. aliquando exercuit: Qui Vicariatus, vel numquam fuit, vel adeo obſcurus & nullius momenti, ut ejus alia nulla ſuperſit memoria. Et hic eſt ille Vicariatus, quem, ut Blondellus extolleret, de eo etiam Benedictum Levitam non ſemel locutum comminiſcitur: (2) atque etiam inter Legatos a Romanis Pontificibus ad Imperatorum patientiam ten-

---

(1) *Tandem*, inquit, *breviter commemorare conſulimus, quia ſancto & venerando viro Bonifacio anno incarnationis Dominicæ DCCLVI. martyrio coronato .... hactenus provincia Ciſalpina temporibus Pippini Regis, & Caroli ac Ludovici Imperatorum, ſine hoc Primicerio, vel Primate a Sede Apoſtolica delegato, annos circiter viginitres* (immo nonaginta) *manſerunt, & Metropolitanis ſingulis ſuo jure ſervato, Apoſtolicæ ſedis favore, & Principum ſuorum diſpoſitione, ſecundum ſacros Canones, & Decreta ſanctæ ſedis Pontificum, quæque fuerunt agenda venerabiles Epiſcopi, per auctoritatem Canonum Sacrorum, & Decreta ſedis Romanæ Pontificum, peregerunt.*

(2) *Cap.* enim v. *ſuorum Prolegomenorum* hæc habet: *Ad hanc, quam Autgarius geſſit legationem reſpicere videtur Capitularium collector Benedictus Levita, cum ſcribit* „ Agnoſcendum eſſe omnia hæc (*quæ in* „ *unum corpus redegit*) Capitula maxime Apoſtolica „ auctoritate fuiſſe firmata: “ Ludovici capitula Apoſtolica auctoritate, & ſynodali ſanctione decreta fuiſſe: „ Maxime trium Capitula iſtorum librorum „ Apoſtolica auctoritate ſunt cuncta roborata, quia „ his cudendis, maxime Apoſtolica interfuit legatio. “ Sed quam longe abfuerit Blondellus ab aſſequenda Levitæ mente, audi a Baluzio præfatione Capit. n. XIII. *Alia via in iſtius loci explicatione aberravit Blondellus. Nam, quæ a Levita dicuntur de Capitulis regalibus Apoſtolica auctoritate roboratis, ea ſic interpretatus eſt, ut quoniam legebat in fragmento vetuſti ſcriptoris, cujus tamen fides non admodum certa, Greg. IV. R. P. vices ſuas in Germania commiſiſſe Autgario Archiepiſcopo Moguntino; cujus juſſu Benedictus videtur compoſuiſſe collectionem ſuam, firmata ideo Apoſtolica auctoritate dici crediderit Capitula illa, quia Autgarius R. S. legatus Greg. P. conſilio & auctoritate fretus eadem conſcribi juſſit, & poſtea probavit. Contra Benedictus aperte in Præfatione ſua docet, ſe Capitula illa, quæ in tribus poſtremis Capitularium libris continentur, in diverſis locis & ſchedulis, ſicut in diverſis Synodis, & Placitis generalibus edita erant, ſparſim inventa ſuo operi inſeruiſſe, eaque ſic dimiſiſſe, quomodo invenerat, id eſt nihil mutaſſe. Quod ſi fidem Benedicto de ſe ſcribenti adhiberi volumus, ut certe adhibenda prorſus eſſe videtur, manifeſtum erit, Autgarium non juſſiſſe, ut Capitula illa conſcriberentur, quemadmodum placuit Blondello, adeoque probabilis non eſt conjectura, quæ ad Autgarium refert verba Benedicti in Capitulis Regiis Apoſtolica auctoritate firmatis. Præterea Benedictus Apoſtolicam illam auctoritatem verbis minime ambiguis refert ad Legatos Apoſtolicæ ſedis, qui interfuerant Conventibus publicis, in quibus Capitula illa conſtituta ſunt, ad Leonem videlicet, Sergium, Georgium, alios, quorum nomina per ſingulos Conventus inſerta invenerat: maxime trium Capitula iſtorum librorum Apoſtolica ſunt cuncta auctoritate roborata (inquit) quia his cudendis, maxime Apoſtolica interfuit legatio. Nam eorum nomina præter trium, id eſt Leonis, Sergii, & Georgii hic non inſeruimus, licet ea per ſingulos Conventus inſerta inveniſſemus vitantes legentium, atque ſcribentium faſtidia. Itaque, quæ a Blondello dicuntur de Collectione Benedicti ab Autgario probata, ea facile corruunt. Putavit autem Antonius Auguſtinus, Leonem, Sergium, & Gregorium (ſic enim legebat) hoic a Benedicto commemoratos fuiſſe Romanos Pontifices.* Attamen Benedicti verbis, & ipſe Baluzius violentiam facit, cum vult Leonem, Sergium, & Georgium fuiſſe legatos Apoſtolicos, quorum nomina ille in ſingulis Conventibus inſerta invenerat. Nam cum Levita diſerte dicat: co-

tentandam miſſos impudentiſſime ementitur, (1) Autgarium quam imperitiſſime collocat. Legati a latere antiqoitus dicebantur quicumque miſſi ex familia mittentis: ſic Poſſidius in *Vita* Auguſtini *cap.* 13. *Propter quod perficiendum etiam a ſuo latere . . . ad Africam Judicem miſerat*; Concilium Sardicenſe *Can. VII. Quod ſi is qui rogat cauſſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua moverit Epiſcopum Romanum, ut de latere ſuo Presbyterum mittat*; & S. Gregorius Magnus *lib. V. Epiſt.* 12. *ul.* 13. *Quem a latere noſtro tranſmiſerimus, eas poſſit accipere*. Deinde Legati *a* latere dicti ſunt Cardinales, cum in legationes abeunt: hi enim lateri Pontificis ſemper adhærere cenſentur. Erat ne Autgarius Cardinalis, vel familiaris Papæ? Quod vero tam Riculſus, quam Autgarius fuerit Sedi Apoſtolicæ devotus, quid tum poſtea? Poterat ne hæc ſimplex devotio eos impellere ad procurandam fraude & malis artibus illius ampliationem? Minime gentium. *Sic* enim (inquit Cicero pro Sexto Roſcio Amerino) *vita hominum eſt, ut ad maleficium nemo conetur ſine ſpe atque emolumento accedere*.

Sed vel ipſe Eſpenius alium fuiſſe potiſſimum impoſtoris finem, quam amplianaæ Sedis Apoſtolicæ auctoritatis, ex iis quæ alibi obſervat, conſiteatur oportet; nam *Com. in quæſt.* VII. *cauſæ* II. de Gratiano loquens, ait: *Hic rurſus adducit varia fragmenta fictarum decretalium, quæ præcipue ad eximendos Epiſcopos ab omni criminali judicio adornatæ apparent*. Si *præcipue* Decretales *apparent adornatæ ad eximendos Epiſcopos ab omni criminali judicio*; ergo perperam alibi, nec ſibi conſtans, conſcripſerat, eas adornatas *vel præcipue ad ampliandam Sedis Apoſtolicæ auctoritatem*. Et reapſe ad ſublevandos Epiſcopos ſpoliatos, vel accuſatos auctorem Litterarum in primis reſpexiſſe, recte obſervat Clariſſimus Fleuryus *Lib.* 44. *Hiſt. Eccleſiaſticæ*: *La principale matiere de ces decretales ſont les accuſations des Eveques: il n' y en a preſque aucune, qui n' en parle, & qui ne donne des regles pour les rendre difficiles. Auſſi Iſidore fait aſſez voir dans la preface, qu' il avoit cette matiere fort à coeur*. Id ipſum obſervarunt doctiſſimi Itali, Bartholus *Inſtitut. Canon.* cap. I. & Ballerini fratres in *Appendice* ad opera S. Leonis *part.* III. *cap.* VI. §. 3. Sed quid ad hoc probandum ſcriptorum auctoritate opus, cum ex ipſis Litteris Decretalibus quam clariſſime evincatur, ubi ad nauſeam uſque de eodem argumento perpetua ταυτολογίᾳ multis variiſque modis, ut *cap. ſequ.* videbimus, Pſ. Iſidorus agit; & in ipſa præfatione, cum verba facit de monumentis, quibus ſuam collectionem inſtruxit, de improviſo præter rem ex abundantia cordis erumpit in hæc verba: *Multi enim pravitate & cupiditate depreſſi, accuſantes Sacerdotes oppreſſerunt. Ideo ſancti Patres leges conſtituerunt, quos ſanctos Canones appellarunt. Multi enim ideo alios accuſant, ut ſe per illos excuſent, aut eorum bonis ditentur*; tum multa in medium affert, quibus judicia & accuſationes Epiſcoporum difficiliores reddantur; ac etiam inter alia habet: *Nullus enim, qui ſuis rebus eſt ſpoliatus, aut a Sede propria vi aut terrore pulſus, ante quam omnia ſibi ablata legibus reſtituantur, & ipſe pacifice diu ſuis fruatur honoribus, Sedique propriæ regulariter reſtitutus, ejus multo tempore libere potiatur honore, juxta canonicam accuſari, vocari, judicari, aut damnari inſtitutionem poteſt*. Quid hujuſmodi ſtudium conſulendi commodis Clericorum, Epiſcoporum præſertim, excitare potuit, nullo negotio depromitur ex paullo ante exſcriptis verbis: *multi idcirco alios accuſant, ut ſe per illos excuſent, aut eorum bonis ditentur*; ut ſcilicet hujuſmodi malis quæ jam diu invaluerant, obviam iretur: id quod, ſi hiſtoriam illorum temporum attingamus, facile confirmabimus.

Cum enim barbari in cultas regiones irruiſſent, barbaris trucibuſque moribus introductis, jura & leges labefactarunt, bonaque omnia ſuſque deque habuerunt; adeo ut inter cetera allata damna & detrimenta, quæ Eccleſiis Deoque res dicatæ fuerant, & ipſæ Eccleſiæ, ac religioſa loca, Principum, Nobilium, militumque evaſerint prædæ & patrimonia; unde Eccleſiaſticorum Ordines inviſi, modis omnibus etiam cæde impetebantur. Quæ mala cum radices egiſſent, illud etiam acceſſit, quod nec ipſi Eccleſiaſtici eum quem decebat, cultum præſeferebant, ut inferiores ſuperiorum dicto eſſent obedientes, hi illos tamquam filios gubernarent; & æquales, ſine æmulatione & invidia viverent; ita ut etiam inter eos non deeſſent diſcordiæ, calumniæ, machinationes. Itaque frequentiſſimæ erant Epiſcoporum accuſationes & depoſitiones, ſeu potius dejectiones, maxima ex parte provenientes a calumniis eorum qui res Eccleſiæ tenebant, vel eaſdem inhiabant. (2) Qualis fuerat ſtatus Eccleſiæ Gallicanæ ſeu Francicæ ditionis ſub medium VIII. ſæculum deſcribit S. Boniſacius ad S. Zachariam: *Franci, ut ſeniores dicunt, pluſ-*

---

eorum nomina præter trium, id eſt Leonis, Sergii, & Gregorii hoic non inſeruimus, licet &c. ſatis demonſtrat ex multis nominibus, quæ inſerta in Conventibus repererat, tria tantummodo indicaſſe. Et cum ex his tribus ſolus Gregorius, qui interſuit Conventui Compendienſi an. 757., & de quo ſit mentio *lib. V. Capitulor. Cap. VI.*, & *ſequent. VII. & VIII.* appareat legatus Apoſtolicus; potius crediderim Levitam voluiſſe indicare nomina, ſive legatorum, ſive ipſorum Romanorum Pontificum, quorum conſultu, & auctoritate Capitularia fuerunt facta. Sic habemus Leonem nempe III., de quo ſit mentio *lib. V. cap.* 33. Ibi: *Unde ad conſultandum Patrem noſtrum Leonem, Sacerdotes noſtros miſimus*; *cap.* 218. *Conſultu Leonis Papæ*; *lib.* 7. *cap.* 187. *Quapropter Arnonem Archiepiſcopum ad Leonem Apoſtolicum miſimus*; & *cap.* 328. *Placuit ſicut Leonis Papæ, & omnium Epiſcoporum, atque reliquorum fidelium generali, ac ſynodali Conſultu decrevimus*. Reſtat, ut inveniamus Sergium: & hic videtur Sergius Papa, de quo ſit mentio etiam memorato *cap. VI. lib. V.* Sed cum ibi tantummodo laudetur Sergii auctoritas, ſicut alibi laudantur aliorum Pontificum & Patrum auctoritates, dici poſſet Benedictum deceptum credidiſſe, vel Sergium interfuiſſe Conventui Compendienſi, vel ejus auctoritate illum fuiſſe factum. Verba Capitis hæc ſunt: *Si quis baptizatus a Presbytero non baptizato, & ſancta Trinitas in ipſo baptiſmo invocata fuerit, baptizatus eſt, ſicut Sergius Papa dixit. Impoſitione vero manus indiget. Gregorius Epiſcopus Romanus, & Jo. ſic ſenſerunt*. Sed magis puto Benedictum per errorem nominaſſe Sergium, cum nominare voluiſſet Joannem Sacellarium legatum Apoſtolicum, de quo ſit mentio in eodem Capite, & alibi etiam.

(1) Sine alicujus enim teſtimonio, vel auctoritate, *Proleg.* ſupra laud. *cap.* V. hæc habet: *Summam naſcentis Imperii* (Occidentalis) *majeſtatem revereri ſancti Principum religioſiſſimorum per emiſſarios quoſcumque, maxime per legatos a latere, inter quos Autgarius fuit, patientiam tentare, factioſos ad tentandam rempublicam ſtimulare, lapidemque omnem movere cœperunt, quo tandem ſe ſe jugo ſubducerent.*

(2) Ut diſerte ait ipſe Pſeudo-Iſidorus tum alibi, tum *Epiſt.* 2. Pelagio II. tributa: quam Severinus Binius genuinam exiſtimans ei hanc notam appoſuit: *Cum bello Longobardorum, quo univerſa Italia flagrabat, adhuc vigente, cultus Epiſcopis deferri ſolitus nonnihil diminutus eſſe videretur, perſuaſique bellorum tempore jura ſilere, Laici Eccleſiæ non parerent: hanc decretalem Epiſtolam de accuſationibus ac judiciis Epiſcoporum Pontifex conſcribere debuit. Ea inprimis de cauſſa, quod frequenter eveniret, ut cum Epiſcopi bona Eccleſiarum a laicis uſurpata repetebant, atque in uſum priſtinum vindicare ſtudebant, in ſe illorum linguas provocarent, qui ne quod abſtulerant, redderent, criminoſis primum omnium Epiſcopos accuſationibus impetebant. Baron. anno* 582. *num.* 8. Bene igitur Binius propoſitum auctoris hujus Epiſtolæ exponit: ſed male illam applicat ad tempora Pelagii II. & Longobardorum. Ea namque tempeſtate opus non erat accuſationibus, ut Epiſcopos ſpoliarent, vel ſpoliatos deterrerent; ſed Longobardi ipſos, uti & reliquos Sacerdotes, una cum bonis vita privabant. Potius igitur quadrat temporibus Caroli M. quæ nos attingemus.

pluſquam per tempus 80. annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiſcopum habuerunt, nec Eccleſiæ Canonica jura alicubi fundabant, vel renovabant. Modo autem maxima ex parte per civitates Epiſcopales Sedes traditæ ſunt laicis cupidis ad poſſidendum, vel adulteratis Clericis, ſcortatoribus, & publicanis ſæculariter ad perfruendum. Idemque habemus tum ex aliis, tum ex Epiſtola Hadriani Papæ ad Tilpinum (1) data anno 772. & ex Chronico M. Belgico. (2) Quibus malis, ut remedium afferrent Pontifices Gregorius II. Gregorius III. & Zacharias eidem ſupra memorato Bonifacio legationem Apoſtolicam per Galliam, & Germaniam impoſuerunt, quod ille munus per annos 25. obiit. Tandem Zacharias ipſum Eccleſiæ Moguntinæ Metropolitanum conſtituit cum jure *Primatus* in omnes Germaniæ, & Galliæ Epiſcopatus. Quo nomine ſynodos ex utriuſque gentis Præſulibus convocavit, Eccleſiis Remenſi, & Senonenſi Metropolitanos ordinavit, quibus, uti & Grimoni Romagenſi Metropoli jam antea ordinato Pallium impetravit a ſummo Pontifice: id quod factum puto, ut eos venerabiliores redderet: ut non obſcure colligitur ex *Epiſtola* ejuſdem S. Zachariæ ad ipſum Bonifacium, *ad eorum firmiſſimam ſtabilitatem*. Per ea namque tempora Pallii inſigne inter Latinos commune adhuc non erat omnibus Metropolitis, ſed erat proprium Primatum & Legatorum Sedis Apoſtolicæ, ac præterea eorum quos ſummus Pontifex diſtinctos ac ornatos volebat. Sed nec etiam his medicamentis pax Eccleſiæ reſtituta: Sanctus enim Abel Archiepiſcopus Remenſis a S. Bonifacio conſtitutus, ut habetur in eadem *Epiſt.* Hadriani: *Ibi permanere permiſſus non fuit, ſed magis contra Deum ejectus eſt, & Remenſis Eccleſia per multa tempora, & per multos annos ſine Epiſcopo fuit, & res Eccleſiæ de illo Epiſcopatu ſunt ablatæ, & per laicos diviſæ ſunt, ſicut & de aliis Epiſcopatibus, maxime autem de Remenſi Metropolitana civitate.* Eamdem S. Abeli Remenſis vicem ſortitum Herebertum ſeu Ardobertum ab eodem Bonifacio ordinatum Epiſcopum Senonenſem obſervat P. Pagius ad annum 743. n. 11. Nec melior fuit ſors Ragnifridi, qui Grimonem in Rotomagenſi ſede excepit, & deinde accuſatus fuit a ſuis clericis apud regem: nam, ut ait Chronicon Fontanellenſe *lib. 1. cap. 11. Ragnifrido ejecto Epiſcopatus Rotomagenſis datus eſt Remigio fratri glorioſi regis Pipini, hoc anno, qui eſt ab Incarnatione* 755. Ex qua ſive irregulari laicorum ad Epiſcopalem dignitatem evectione, ſive earumdem Eccleſiarum vacantium detentione, inter alia incommoda illud etiam profluxit, quod hi honoribus & divitiis contenti onera iis adjuncta in Chorepiſcopos transferebant, qui temerario auſu etiam quæ characteris erant Epiſcopalis uſurpabant. (3)

Hinc petitione Caroli Magni Hadrianus Papa incolumitati Tilpini Archiepiſcopi Remenſis, ejuſque Eccleſiæ conſulere volens eadem *Epiſt.* ſubdit: *Remenſem Eccleſiam, ſicut & antiquitus fuit, Metropolim permanſuram, & primam ſuæ diœceſeos Sedem, & te, qui in eadem operante Deo ordinatus es, Primatem (4) ipſius diœceſis eſſe cum omnibus civitatibus, quæ ab antiquo tempore Remenſi Metropoli Eccleſiæ ſubjectæ fuerunt, atque etiam perpetuis temporibus ſibi & ſucceſſoribus ſuis ſit confirmatum: & hoc interdicentes, ut nullus audeat juxta ſacrorum Canonum traditionem ex alio Epiſcopatu ibidem translatare, aut conſtituere Epiſcopum poſt tuam ex hoc ſæculo evocationem: & te aut futuris temporibus Remenſem Epiſcopum & Primatem illius diœceſis non præſumat, neque valeat unquam aliquis de Epiſcopatu ejicere ſine canonico judicio, & neque ullo judicio ſine conſenſu Romani Pontificis; ſi ad hanc Sedem Romanam, quæ caput eſſe dignoſcitur orbis terræ, appellaverit in ipſo judicio; ſed in ſola ſubjectione Romani Pontificis permaneat diœceſim & parochiam (5) Remenſem, adjuvante Domino &c.* Et idem Carolus Magnus edoctus reſpon-

(1) *Tua vero fraternitas nobis retulit, quia faciente diſcordia inter Francos Archiepiſcopus Remenſis nomine Rigobertus a ſede contra Canones dejectus & expulſus fuit ſine ullo crimine, & ſine ulla Apoſtolicæ Sedis conſenſu, & interrogatione, & ſolummodo quod antea non conſentit in parte illius, qui poſtea partem illam de regno in ſua poteſtate accepit, in qua parte Remenſis civitas eſt: & donatus, ſeu magis uſurpatus contra Deum, & ejus auctoritatem fuit illius Epiſcopatus ſimul cum alio Epiſcopatu* (Trevirenſi ſcilicet ex Hincmaro Epiſt. 145.) *& aliis Eccleſiis a ſæcularibus Poteſtatibus Miloni cuidam ſola tonſura clerico nihil ſapienti de jure Eccleſiaſtico, & alii Epiſcopatus de ipſa Eccleſia Remenſi diverſo modo eſſent diviſi, & alii ex magna parte ſine Epiſcopis conſiſtentes, & ad alios Metropolitanos Epiſcopi, & clerici ordinationes aliquando accipientes erant, & refugia indebita habebant, & a ſuis Epiſcopis judicari, & diſtringi non ſuſtinebant: & Clerici, & Sacerdotes, & Monachi, & Sanctimoniales ſine lege Eccleſiaſtica pro voluntate, & licentia vivebant.*

(2) Apud Piſtorium tom. III. n. 35. *Defuncto ſancto Lutvvino Trevirenſi Archiepiſcopo ſuccedit filius ejus Milo primo quidem imitator Patris, deinde tyrannus effectus, nihilque in eo de Clericali honore vel vita, niſi ſola tonſura emicuit. Eo tempore bella gravia, & inteſtina in hac provincia orta ſunt, quando Carolus Martellus laicis Epiſcopatus dedit, & Epiſcopis nullam poteſtatem habere permiſit. Cum hoc Carolo Milo ſupra dictus ad bellum profectus & ſola tonſura Clericus, ut dixi, habitu, & moribus irreligioſus, & poſt victoriam etiam Remorum Archiepiſcopatu ab eodem Carolo donatus. Cujus infelici tempore his de Eccleſiis multa ſunt ablata, & res ab Epiſcopio diviſæ, domus Religioſorum deſtructæ, Eccleſiaſtica diſciplina diſſipata; adeo ut Clerici, & Sacerdotes, Monachi, & Moniales ſine lege Eccleſiaſtica viverent, & refugia indebita haberent. Milo igitur tyrannus, his ita peractis venationi inſerviens, ab apro percuſſus moritur in villa, quæ dicitur Franc primo a Treviri milliari, ubi & ſepultus eſt poſt 40. annos ſuæ tyrannicæ invaſionis.*

(3) Vide Morinum *Part. III. de Sac. Ord. Ex. IV. cap.* 5. Alexandrum *Append. ad Diſſert.* XLIV. in Sæc. IV. & Thomaſſ. *Part. I. de vet. & nov. Eccl. diſc. lib. II. cap. II.* e. 2. Sed heic non piget exſcribere, quæ habet idem Pſeudo-Iſidorus, ſive alius auctor *Epiſt.* V. Damaſo tributæ de Chorepiſcopis. *Nam (ut nobis relatum eſt) quidam Epiſcoporum, propter ſuam quietem, eis* (nempe Chorepiſcopis) *plebem ſuam committere non formidant: & ut illicita atque prohibita agant, eidem ea quæ ſolis Pontificibus debentur, ſibi uſurpant: & ipſi in ſua quiete torpent, & curam ſibi a Deo commiſſam negligunt, cum Dominus dicat:* „Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro „ovibus ſuis, & vocat eas nominatim, & cognoſcit ſuas & ſuæ agnoſcunt eum. *Et item:* ſicut „novit me Pater, & ego agnoſco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis". *De mercenario autem quid dicat, bene noſtis,* „quia videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oves", *& reliqua. Pro talibus vero negligitur cura Eccleſiæ, & ejus ſtatus perturbatur. Et ideo ſunt prohibiti, in tantum, ut ſi aliqui ex his reperti fuerint, a proprio decedant gradu. Illi namque Epiſcopi qui talia ſibi præſumunt, videntur mihi eſſe meretricibus ſimiles, quæ ſtatim ut pariunt, infantes ſuos aliis nutricibus tradunt educandos, ut ſuam citius libidinem explere valeant. Sic & iſti infantes ſuos, id eſt, populos ſibi commiſſos, aliis educandos tradunt, ut ſuas libidines expleant, id eſt, ut pro ſuo libitu ſæcularibus curis inhient, & quod unicuique viſum fuerit, liberius agant. Pro talibus enim animæ negliguntur, oves pereunt, morbi creſcunt, hæreſes, ſchiſmata prodeunt, Eccleſiæ deſtruuntur, Sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proveniunt. Non taliter Dominus docuit, nec Apoſtoli inſtituerunt: Sed ipſi, qui curam ſuſcipiunt, ipſi peragant, & ipſi proprios manipulos Domino repræſentent. Nam ipſe ovem perditam diligenter quæſivit, ipſe invenit, ipſe propriis humeris reportavit, noſque id ipſum facere perdocuit &c.*

(4) Quare hic Tilpinus Primas vocetur, qualiſque fuerit ejus Primatus, infra videbimus.

(5) Cum heic nomine Parochiæ veniat Epiſcopatus, quem modo Diœceſim vocamus, nomine diœceſis, venire provinciam clare patet, quemadmodum Siricius *Epiſtola* ad Himerium provinciam Bæticam diœceſim vocat; & Rabanus *præfat.* concilii Moguntiai 1. ad Ludov. regem dicit: *Cum coepiſcopis meis, qui ad Eccleſiæ prædictæ diœceſim pertinent:* ſic Hett Archiepiſcopus Trevirenſis *Epiſt.* ad Frotarium Tullen-

ſione Leonis III. per Arnonem Archiepiſcopum habita de ſopervacaneo officio Chorepiſcoporum, illius auctoritate eorum temeritatem comprimera ſategit eum *Capitulis* datis anno circiter 799. tom *Capitulari* Aqoiſgranenſi dato anno 803. mandans, ne Chorepiſcopi deinceps fierent, & qui erant, ſe ordinis presbyteralis tantummodo agnoſcerent, & eorom que ordinis eſſent Epiſcopalis, non attingeſent. Multiſqua aliis legibus Imperator tom ſua, tum Epiſcoporum quos eogendos curabat, ac etiam Romani Pontificis quem conſulebat, auctoritate lapſos Eccleſiæ mores, diſciplinam, ſplendorem ac libertatem per ſuæ ditionis provincias reſtituere conatus fuit. Sed inveteratum malum altiores radices egerat, quam ut his remediis evelli ac ſanari poſſet. (1) Nil mirum igitur, ſi Epiſcoporum aliqui, Archiepiſcopi Remenſis procuratam immunitatem æmolantes, iſtam, immo longe maiorem, ut ſibi ab injuriis præcavarent, alia via etſi illicita eompararent; idque effecerunt publicatione falſarum Decretalium antiquiſſimæ, & prope divinæ auctoritatis ſpeciem præſeferentium, (2) quas Mercatoris opera uſi, ac Riculfi Moguntini præſidio tecti effingendas curarunt. His argumentis de ſcopo Mercatoris generatim delibatis, ad probationes in ſpecie, quas Pragmatici vocant, deſcendamus.

C A P U T VIII.

Mercatoris propoſitum Epiſcoporum indemnitati conſulendi plurimis capitibus ex ipſis falſis Decretalibus demonſtratur.

AUctor igitur earum nihil non ponit in medium, ut Clericorum, maxime Epiſcoporum, procuret ab oppreſſionibus etiam in judiciis immunitatem. Et primo quidem ad avertendos homines ab occupatione rerum ecclaſiaſticarum, unde præcipue perſecutiones Epiſcoporum, contra hujaſmodi uſurpatores graviſſimæ ſantentiæ, quæ licet ex genuinis locis depromtæ, non omnes tamen ſecte conſutæ (3) habentur in *Epiſtolis* ſub nomine Anacleti, Pii, Urbani, Lucii, Stephani, Euſebii, Jo. I. & Symmachi relatorum ex parte 12. *quæſt.* 2. & 17. *quæſt.* 4. ac in VI. ſynodo eidem Symmacho tributa iidem uſurpatores declarantur hæretici. (4) Et ut magis vindicaret Eccleſia bonorum temporalium poſſeſſionem ſub nomine Urbani a Gratiano relati *Can.* 9. & *Can.* 16. 12. *quæſt.* 1. laudat vitam communem fideliom, præſertim Clericorum, unde eam poſſeſſionem profluxiſſe dicit. Huc igitur etiam tendit, quod ſub nomina Clementis *Epiſt. V.* ibidem relati *Can.* 2. copioſe quidem, & plus quam oportebat, (5) dicitus in laudem vitæ commonis: ac præterea pertinet *Sermo*, ſeu *Epiſtola II.* Pſ-Melchiadia, quæ eſt de *munificentia* Conſtantini erga Eccleſias Clericoſque; ubi quoque agitur de avertendis his a ſæcularibus negotiis, ut magis demonſtraretur Eccleſiæ neceſſitas rerum temporalium poſſidendarum, ax quibus ſui miniſtri aliis ſubſidiis deſtituti alerentur. Facit etiam *Epiſtola* Pſ-Marcelli ad Maxentium, ex qua deſumtus *Can. ultimus diſt.* 96. *Boni Principis eſt ac religioſi, Eccleſias contritas ac conſciſſas reſtaurare, novaſque ædificare.* Facere denique videntur multa, quæ leguntur in Pſ-Decretalibus de vaſis ſacris in uſus profanos non adhibendis, de cultu Eccleſiarum earumque conſecratione, ac de Miſſis non niſi in locis ſacris celebrandis.

II. Uſurpatoribus vero, ut tolleretur commodum ſatisfaciendi oneribus Eccleſiarum per Chorepiſcopos, hi non modo *Epiſtolis* ſub nomine Damaſi & Leonis, quæ, ut ſupra notavimus, forſitan ad Mercatorem non pertinent, expreſſe abrogantur, vel in ordinem redigontur, ſed etiam tacite ſub nomine Anacleti *Epiſt. II. cap. I. Epiſt. III. cap. I. & II.* Aniceti *Epiſt. unic. cap. I.* ubi da bipartito ſacerdotali ordine in Epiſcopalem & Presbyteralem agitur; (6) ac ſtatuitur, ut Epiſcopi non ab uno, (uti ordinabantur Chorepiſcopi) ſed a tribus ſaltem Coepiſcopis ordinentur, nec conſtituantur in caſtellis vel modicis civitatibus, (ubi arant Chorepiſcopi) ſed ibi collocentur Presbyteri, *Can. Epiſcopi* 3. *diſt.* 80. qoi quidem, uti & Diaconi, a proprio Epiſcopo ordinentur, nec alii Eccleſiæ miniſtri ſine illius approbatione conſtituantur, *Can.* 1. *diſt.* 67. Ad hæc ſub nomina Clementis relat. *Can.* 14. *de conſec. diſt.* 1. habetur, quod non poſſit celebrari in loco non conſecrato ab Epiſcopo regulatiter ordinato civitatem tanente, idemque ſtatuitur *Epiſt. I.* Felici IV. tributa, ubi additur: *& non a Chorepiſcopis, qui ſæpe prohibiti ſunt.* Quod inſuper ſub nomine Urbani *Epiſt. un. cap.* 7. ha-

---

lenſem ſcripſit: *Nos in diœceſi noſtra, & Epiſcopi ſinguli in parochiis ſuis.* His adde, quæ habet Freſoius.

(1) Carolus itaqua Magnus Eccleſiæ malia occaſsit quantum potuit, ſed non quantum neceſſe erat, ut obſarvat Thomaſſinus, *de Veteri, & Nova Eccleſia diſciplina part. II. lib. III. cap.* 16. *n.* 1 inquiens: *Vix in ipſo illo tot ſæculorum Eccleſia decurſu exſecrabilius quidquam occurrit, quam illa rerum Eccleſiæ, terrarumque, & ipſarum adeo Eccleſiarum invaſio per temporales Principes, Nobiles, Militeſque concidentis Clodovei Magni familia tempore. Sarcire eam labem laborarunt Pippinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, & Carolus Calvus, ut temperamenti ſaltem aliquid adferrent: Epiſcopalia quoque concilia ſtrenuam in id operam navarunt. Sed ipſamet ante labefactata eſt Caroli Magni ſtirpe Imperatoria, quam deſperato adeo malo curatio tota adferri potuiſſet.*

(2) Quod contra oppraſſiones remedii genus, fingendorum nempe illuſtrium monumentorum, quæ tutalæ & præſidio aſſent, omnino novum & inſolens non fuit: nam ſimila quid fecarat auctor Synodi II. ſub S. Silveſtro, & aliorum ſuppoſititiorum actorum, quæ ſupra attigimus; ac etiam tentaverat auctor intarpolatorum Canonum, qui habentur inter excerptos ab Egberto Eboracenſi *num. CXL. CXLI. & CXLII.* de quibus infra ſermo erit.

(3) Qualis aſt illa Pſeudo-Urbani *Can.* 13. 17. *qu.* 4. *Attendendum eſt omnibus, ne prædia uſibus ſecretorum cæleſtium dedicata, a quibuſdam irruentibus vexentur. Quod ſi quis fecerit, poſt debitæ ultionis acrimoniam (quæ erga ſacrilegos jure promenda eſt) perpetua damnetur infamia, & carceri tradatur, aut exſilio perpetuæ deportationis uratur.* Quæ quidem omnia Mercator depromſit aa jure civili, præſertim ex L. 40. *Cod. Theod. de Sacroſanctis Eccleſiis*, quæ eſt *Lex* 5. *Cod. Juſtin. eodem titulo.* Sed non advertit, hujuſmodi legum civilium loquendi modos Pontificibus primitivæ præſertim Eccleſiæ non convenire.

(4) Nempe *ob obſtinatum, & defixum in errore illo propoſitum*: ut de ſimili loquendi modo ab Hadriano I. Papa uſurpato explicat Petrus de Marca *lib. I. de Concordia cap.* 1. *num.* 5.

(5) Ea enim ſupine hauſerat ex Fauſtiniano Platonico *lib.* 10. *Recognitionum*, aidem Clementi tributarom, quæ Pſ-Clemeoa ipſe ibidem refellit; cum Platonica rerum communio, quæ ibi laudatur, etiam uxores communes faciat, per hæc verba: *In omnibus autem ſunt ſine dubio & conjuges.* Ceterum hoc Iſidorum noſtrum, vel non dixiſſe dicendum, ut multi volunt, qui eam Epiſtolam interpolatam credunt, vel ſaltem animo non intendiſſe certo certius eſt, cum ipſe in adultero non ſemel invehatur. nec intendiſſe Gratianum etiam certiſſimum eſt: cum & ipſe multos Canones in adulteros congerat, & ex eodem Clemente *Epiſt.* 1. *Can.* 16. 32. *quæſt.* 7. habeat: *Quid in omnibus peccatis adulterio gravius?* Atque adeo verum eſt, Pſ-Clementem, & Gratianum id ſibi minime voluiſſe, ut ex hujus Gloſſatoribus & Interpretibus nemo unus inventus ſit, qui hoc eidem tribuerit: ſed communiter poſt Gloſſam ea verba ſic interpretantur: *Non quo ad uſum carnis, ſed quo ad uſum obſequii, vel quo ad dilectionem* 32. *diſt. omnino.* Hinc Struvius *Hiſtoria Juris Canonici* §. 20. injuria carpit Gratianum, cum dicit in ejus *Decreto conſiſteri multa nefaria*, & in *nota* indicat concubinatum, de quo alibi loquuti ſuimus, ac ſubdit: *Communio Platonica introducitur Can. dilectiſſimis* 12. *quæſt.* 1.

(6) De Sacerdotio, ejuſque bipartito, vel tripartito ordine vide, quæ notavimus in Epiſtola ad *Can. Fraternitatis diſt.* 34. *nota* 1. *pag.* 32.

Digitized by Google

7. habetur, quod Fideles ab Epiſcopo Spiritum ſanctum recipiant, id Pſ-Euſebius *Epiſt. III. Can. 4. de conſ. diſt.* 5. ita confirmat, exornatque: *Manus quoque impoſitionis Sacramentum magna veneratione tenendum eſt, quod ab aliis perfici non poteſt, quam a ſummis ſacerdotibus* (1), *neque tempore Apoſtolorum ab aliis, quam ab ipſis Apoſtolis legitur, aut ſcitur peractum eſſe, neque ab aliis, quam ab illis qui eorum locum tenent, unquam perfici poteſt aut fieri debet. Nam ſi aliter præſumtum fuerit, irritum habeatur.* Idem habetur *Epiſtola* Melchiadi tributa, *Can.* 2. *&* 3. *ibid.* & dicitur majus Baptiſmo. Quo fortaſſe etiam pertinet, quod ſub nomine Fabiani *Epiſt. III. Can.* 18. *ibid. diſt.* 3. ſtatuitur, quod in ſingulos annos per Epiſcopum renovari debeat ſacrum Chriſma (2).

III. Præterea ut ſecuriores redderentur Epiſcopi in poſſeſſione ſuarum Eccleſiarum, ut ſcilicet non facile ejici poſſent, & ſi ejecti eſſent, alii in eorum locum non ſubrogarentur, vel in eorum poſſeſſionem irruerent; ſpirituale conjugium, quod temerare adulterium ſit, aſſeritur inter illos & ipſas Eccleſias a Pſeudo-Evariſto *Epiſt. II.* rel. *Can.* 11. 7. *quæſt.* 1. & Pſeudo-Calliſto *Epiſt. II. cap. III.* relato *Can.* 39. *ibid.* Quod matrimonium per analogiam matrimonii Chriſti cum Eccleſia dictum a S. Cypriano (3), PP. concilii Alexandrini anni

A 339. (4) S. Siricio, ſeu S. Innocentio (5), S. Ambroſio (6) S. Hieronymo (7), aliiſque, Pſeudo-Iſidorus multis dilatavit (8). Ad hoc etiam fortaſſe redit, ut ſcilicet hæc comparatio utriuſque matrimonii carnalis & ſpiritualis rectius procederet, quod idem Pſeudo-Evariſtus *Epiſt. I. cap. II.* rel. *Can.* 1. 30. *quæſt.* 5. ſtatuit, matrimonium ſollemniter celebrandum, & cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicendum; (9) & id ipſum ponit idem Calliſtus laudata *Epiſt. cap. IV.* rel. *Can.* 4. 3. *quæſt.* 4.

IV. Itaque cum Sacerdotes omnes honorandos præcipiat Pſ-Pontianus *Epiſt. I.* (10) id præſertim

B de Epiſcopis ſtatuunt Pſ-Teleſphorus *Epiſt. unica cap. III.* & Pſ-Stephanus *Epiſt. I. cap. II.* aliique; eoque pertinet, quod Pſ-Urbanus *Epiſt. unic. cap. V.* ait, in Eccleſiis conſtitutas ſedes excelſas, in quibus quaſi in thronis (11) Epiſcopi ſederent, *ut intelligatis poteſtatem Epiſcoporum in eiſque Deum veneremini*: (12) ac etiam pertinet, quod Felix IV. rel. *Can.* 1. *de conſecr. diſt.* 1. præſcribit de celebrando conſecrationis Epiſcopi anniverſario die. (13) Epiſcopis præterea non modo obediendum, ſed etiam ſine eorum licentia nihil agendum declarat Pſ-Clemens *Epiſt. III.* & Paſtores adeo non contemnendos, ut reprobi etiam illorum mores tolo-

C randi ſint, ait Pſ-Anacletus *Epiſt. III.* Conſpira-

(1) Summos Sacerdotes, & ſummos Pontifices dictos Epiſcopos ad differentiam Chorepiſcoporum infra adnotabimus.

(2) Sic in *Capitulari* Caroli M. ann. 809. *cap.* 3. ſtatutum fuit: *In ſingulis Epiſcoporum parochiis Presbyteri, eorumque miniſtri, non a quibuslibet Epiſcopis, ſed a ſuis propriis Chriſma petant, vel accipiant. Nec alio unquam tempore, juxta ſacros Canones, vel ſecundum morem Romanum, niſi in Cœna Domini ſanctum Chriſma conficiatur. Quibus etiam diebus Presbyteris, vel eorum Miniſtris convenire diſpenſandum eſt, ſed non aliis tradendum, niſi ſolummodo Presbyteris, vel Diaconibus, aut Subdiaconibus bene fidelibus.* Ubi obſervandum, tali de re agi in eo *Capitulari* occaſione Chorepiſcoporum, de quibus principaliter agitur *cap.* 1. 2. 4. & 5.

(3) *Epiſt.* 2. & 52. ubi Novatianum *adulterum* appellat, quod R. Eccleſiam S. Cornelio ejus legitimo ſponſo eripere conabatur.

(4) In *Epiſt. ſynodica*, ubi de Euſebio a ſede Nicomedienſi ad Conſtantinopolitanam translato, hæc habentur: *Neque præ oculis habens illud præceptum*: Alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem. *Quod ſi hoc de uxore dictum eſt, quanto magis de Eccleſia, utque adeo de Epiſcopatu, cui cum quis alligatus eſt, aliam quærere non debet, ne adulter in ſacris Litteris deprehendatur.*

(5) *Can.* 13. ex miſſis ad Epiſcopos Galliæ: *De lis, qui ab Eccleſia ad Eccleſiam tranſierunt, juſſi ſunt, quaſi relicta uxore ad aliam acceſſerint, quod impunitum eſſe non poſſit. Talem Epiſcopum invaſorem pudoris alieni Epiſcopatu privari juſſerunt.*

(6) *De dignitate Sacerdotali cap.* 4. *Unius uxoris virum: ſi ad ſuperficiem tantum littera reſpiciamus, prohibet bigamum Epiſcopum ordinari. Si vero ad altiorem ſenſum conſcendimus, inhibet Epiſcopum duas uſurpare Eccleſias.*

(7) *Epiſt.* 83. ad Oceanum: *Et hoc in Nicæna ſynodo a Patribus eſſe ſtatutum, ne de minori ad majorem Eccleſiam transferatur Epiſcopus, ne virginis pauperculæ ſocietate contemta ditioris adulteræ quærat amplexus.*

(8) Hinc Eſpenius hunc brevem commentarium addit ad laud. *Can.* Evariſto tributum: *Admodum veriſimile eſt, ex hac falſa Decretali invaluiſſe opinionem de matrimonio ſpirituali inter Epiſcopum, & ſuam Eccleſiam, ejuſque inde reſultante vinculo, quod fortius eſſe vinculo carnali, dixit Innoc. III. in Cap.* 2. *de translatione Epiſcopi.* Sed non bene Eſpenius neque in una, neque in altera parte. De prima jam ſupra notatum eſt, de hujuſmodi matrimonio antiquos fuiſſe loquutos. De altera, quod tale vinculum carnali fortius ſit, id etiam habetur ex ſupra exſcriptis verbis Litterarum ſynodicarum, ubi fit ea hoc ad illud tamquam a fortiori, ut dicunt, illatio. Sed quid mirum, ſi matrimonium ſpirituale dictum fortius carnali? Licet hoc ἁπλῶς *ſimpliciter* verum non ſit, κατά τι *ſecundum quid* tamen veriſſimum eſt. Vir enim ita uxorem ducit, ut ejus morte, cum hæc contigerit, ſolutus omnino remaneat; non ita Epiſcopus, qui cum Eccleſia minime interitura matrimonium contraxit: & e converſo morte viri ſolvitur etiam omnino matrimonium, adeo ut ſi ille per miraculum ad vitam redierit, non erit ſuperſtiti uxori alligatus; at morte Epiſcopi non omnino ſolvitur ejus ſpirituale conjugium, cum remaneat in ejuſdem anima impreſſus character, ob quem, ſi revixerit, erit Epiſcopus, & quidem ejuſdem Eccleſiæ, quæ viduata remanſerat: ut ut in ſpecie, qua novus Epiſcopus ordinatus fuerit, res tranſigenda eſſet. Præterea matrimonium carnale ritum per ſolemnem Religioſi Ordinis profeſſionem dirimitur, non ita matrimonium ſpirituale. Alia etiam minime ſpernenda ad majorem ſpiritualis matrimonii, quam carnalis ſtabilitatem adſtruendam a Doctoribus afferri ſolent, quæ brevitatis cauſſa heic miſſa facio. Quæ cum ita ſint, deſinant tandem hæretici, & qui cum eis ſentiunt, debacchari contra Innocentii III. effatum.

(9) Cave tamen, ne cum Magdeburgenſibus credas a Mercatore hujuſmodi nuptiarum benedictiones fuiſſe adinventas; eæ namque jam inde ab Eccleſiæ cunabulis fuerant in uſu inter Fideles. Vide noſtram Diatribam ad *Cap.* 1. & 3. *de ſecundis nuptiis.*

(10) Etiam ſecundi Ordinis, nempe Presbyteros, & quidem rectiſſime. Celebre eſt factum B. Martini Turonenſis, quod refert Severus Sulpicius in ejus *Vita cap.* 23. Martino quidem prandente cum Maximo, qui ſe pro Imperatore in Galliis gerebat, *ad medium vero convivium (ut moris) pateram regi miniſter obtulit. Ille ſancto admodum Epiſcopo potius dari jubet, exſpectans, aut ambiens, ut ab illius dextera poculum ſumeret. Sed Martinus, ubi ebibit, pateram Presbytero ſuo* (qui eadem menſa aſſidebat) *tradidit, nullum ſcilicet exiſtimans digniorem, qui poſt ſe biberet: nec integrum ſibi fore, ſi aut regem ipſum, aut eos qui a rege erant proximi, Presbytero prætuliſſet. Quod factum Imperator, omneſque, qui tunc aderant, ita admirati ſunt, ut hoc ipſum eis in quo contemti fuerant, placeret.*

(11) Hujuſmodi ſedes excelſas *Thronos* dictos, Epiſcopos jam inde a temporibus Apoſtolorum habuiſſe teſtis eſt Euſebius VII. 19. ubi refert Jacobum Apoſtolum Hieroſolymis ſuum habuiſſe Thronum, qui ad Gallieni tempora conſervatus, & ſummo honore habitus fuit.

(12) Simile quid habet S. Gregorius M. rel. *Can.* 11. 2. *quæſt.* 6.

(13) Eccleſiarum, & Sacerdotum dedicationis Felix meminit. Sed heic Sacerdotum nomine ſummos venire, non vero inferioris Ordinis clarum eſt. Nam de illis mos erat, ut celebraretur anniverſarius dies, non de iſtis. Male igitur legitur apud Gratianum: *Epiſcoporum, & Sacerdotum.* Et reapſe norarunt Correctores Romani vocem *Epiſcoporum* apud vulgatos Gratiani codices irrepſiſſe.

tores vero contra Epiſcopum infames (1) declarantur a Pſ-Calliſto laudata *Epiſtola II.* & Pſ-Fabiano *Epiſt. II. cap. II.* relatis 11. *quæſt.* 1. *Can.* 22. *&* 31. & Pſ- Stephano *Epiſt. II. cap. IX. Can.* 7. 3. *quæſt.* 4. ac etiam ex eadem *Epiſtola Calliſti* quæ comprehendit conſentientes, ſi laici fuerint, excommunicantur, & ſi Clerici, deponuntur; additurque *Epiſtolis* Fabiani & Stephani *Canonibus* paullo ante laudatis, ut hi tradantur Curiæ ibi ſervituri: (2) ac ſimile quid ſtatuitur *Epiſt.* Pii relati *Can.* 18. laud. *quæſt.* 1. de Clericis ſuo Epiſcopo inobedientibus, vel inſidias aut calumniam parantibus. Calumniator fit etiam infamis ex falſis Stephano *Epiſt.* 1. Cajo *Epiſt. unica*, & ex falſo Felice relato 3. *quæſt.* 10. *Can. ultimo*, & 4. *quæſt* 6. *Can.* 2. non admittitur amplius ad cauſas, niſi ad proprias civiles.

V. Ut Epiſcopi inſuper ſpoliati vel ejecti ante omnia ſint reſtituendi, ex principiis juris civilis, quæ ſecuti fuerant Liberius Papa, (3) ſynodus (4) Lampſacena ſub Damaſo, ſynodus Occidentalis ſub Innocentio, (5) & Gregorius (6) Magnus, multis ſtatuunt ac latiſſime patere faciunt ficti Alexander, Fabianus, Cajus. Euſebius, Joannes relati 3. *quæſt.* 1. *Can. primo uſque ad ſextum*; ut accuſati non poſſint ex falſis Stephano & Zephirino re-

A latis 2. *quæſt.* 2. *Can.* 4. *&* *ultimo*, nec ad judicium, ſeu ſynodum etiam generalem vocari ex falſis Euſebio & Julio ibidem *Can.* 4. *&* 5. vel iis aliquid objici ex falſo Pelagio II. 3. *quæſt.* 2. *Can.* 2. nec reſpondere cogantur ex eodem Zephirino laudato *Canon. ultimo*. Fragmentis præterea falſarum Decretalium relatis laudata *quæſt.* 2. *cauſ.* 3. decernitur, ut Epiſcopo, quanto tempore ſpoliatus et expulſus exſtiterit, ante quam ad Synodi judicium evocetur, per idem temporis ſpatium poſt reſtitutionem induciæ ad comparendum concedantur, & Pſ- Felix I. *Can.* 8. dat ſpatium ſeptem menſium: & rurſus *quæſt.* 3. *ibid.* ementitis nominibus Felicis II. Eleutherii & Damaſi, induciæ
B omnibus Epiſcopis accuſatis conceduntur, & quidem multo longiores dilationibus, quæ ex cauſſis jure tum Civili, tum Canonico veteri obtinebant.

VI. Ad ipſos accuſatores & accuſationes quod attinet, jam multæ quidem contra eos exceptiones ſtatutæ erant concilio Carthag. II. *Can.* 6. (7) Carthag. VI. ſeu VII. *Can.* 1. (8) *&* 2. (9) Chalced. *Can.* 19.: (10) Quas pæne omnes exceptiones complectitur *Canon*, qui laudari ſolet tamquam ſextus concilii Conſtantinopolitani I. Sed Mercator eas non modo confirmavit, ſed etiam multis auxit atque amplificavit. Primo itaque ſub nomine Eu-

(1) De pœna infamiæ, quam ex jure civili in jus canonicum Mercator invexit, vide, quæ notavimus Epiſtola ad *Can. Fraternitatis diſt.* 34. *pag.* 12. *& ſeqq.*

(2) Vel ex hoc quam maxime eruitur falſitas Literarum Decretalium, quod Summi Pontifices Chriſtianos, immo Clericos addicerent ſervitus Curiæ Gentilium. Curiæ mancipari pœnæ genus erat, quod graviſſima curialibus onera incumberent, quibus ex eo nec curiam deſerere fas erat *Lege* 122. *Cod. Theod. de Decurionibus*. Tali pœna punitos voluit Juſtinianus *Novell.* 123. *cap.* 14. Presbyteros, Diaconos, vel Hypodiaconos, qui uxorem ducerent. Et paſſim in ſacris Canonibus curiæ addictos ad Clericatum non poſſe promoveri cautum reperitur. Sed *Novella* 46. Leonis in Oriente, & moribus in Occidente novo regimine invecto, deſiere Collegia Curialium, qui erant veluti ſervi publici, & nomen Curiales Aulicos & Miniſtros Juſtitiæ tantummodo denotabat. Hinc Ivo Carnotenſis, aliique Canoniſtæ, poſt quos Pontifices iverunt, interpretati fuerunt, Clericum curiæ tradi ſerviturum, eum Clericalibus privilegiis exutus foro ſæcularium judicum traditur, quorum ſententia debitam pœnam, citra ſanguinem, ſuſcipiat; vel ex eo, quod in eadem ſpecie Clerici ſuo Epiſcopo inſidias molientis decrevit Pſeudo-Pius apud Gratianum, loco ſupra laudato: *Eum curia tradi, ut ibi recipiat, quod inique geſſit*: quæ verba cum varie accipi poſſint, hanc alteram interpretationem admittere videntur. Illius uſus ſponte tradendi Clericum foro ſæculari pœnis publicis puniendum, ſingulare haberi exemplum in Actis concilii Chalced. putat Petrus de Marca: ibi actione 10. cum relecta fuiſſent acta ſynodi Tyriæ habitæ in cauſſa Ibæ Edeſſeni Epiſcopi, Samuel, & alii Presbyteri Eccleſiæ Edeſſenæ, libello eum accuſabant, & inter cetera capita hoc quoque objiciebant, quod Abraamium Diaconum de maleficio magico accuſatum, ac præſente Clero & Epiſcopo confeſſum, omnium votis excommunicatione confoſſum, nulla dein prævia ſatisfactione Epiſcopum ordinare deſtinaſſet, impeditus, ne perficeret, ſola Archidiaconi refragantis interceſſione. Mox iſta verba ſubjungunt: *Et retinet chartam magicarum incantationum reverendus noſter Epiſcopus, qui debuit judicio Provinciæ hanc quia exſecrabilis eſt, offerre ſecundum conſequentiam legum*. Sed magis eſt hiſce verbis voluiſſe Presbyteros indicare *legem* Valentiniani, Theodoſii, & Arcadii quæ in *Codice Juſt.* eſt ultima ſub titulo *de Maleficis & Mathematicis*, qua cavetur, ut magi deferri debeant publicis magiſtratibus, non quod re vera debuerat Epiſcopus offerre Abraamium judicio Provinciæ. Hoc enim fuiſſet contra Eccleſiæ morem, quæ adeo non offerebat magiſtratibus publicis reos capitales, ex quorum genere erant magi, laud. in *Codice*, ut potius pro iis, cum in manum militarem devenerant, intercederet, ut mortem evaderent, & ſic tempus pœnitendi haberent; ea enim tempeſtate ad mortem damnati beneficium ſacramentalis abſolutionis non habebant: & reapſe de conſilio Cleri, ſola excommunicatione fuerat damnatus Abraamius. Vide etiam quæ hac de re notavimus Diatriba ad *Canon*, *At ſi Clerici de judiciis*, præſertim *Adnotationem pag.* 179.

(3) Is namque in *Dialogo* cum Conſtantio Imperatore, quem deſcribit Theodoretus *lib. II. Hiſtoriæ Eccl. cap.* 2. dicit: *Nullam de S. Athanaſio judicium ferri poſſe prius quam & ipſe, & alii Epiſcopi ejecti in ſuas ſedes reſtituantur.*

(4) Apud Sozomenum *Lib. VI. cap.* 7. *Ut Epiſcopi qui depoſiti fuerant ab iis, qui diſſimilem Patri Filium aſſerebant, ſedes ſuas poſtliminio recuperent, quippe qui injuſte ſpoliati fuiſſent. quod ſi quis eos accuſare vellet, ſub paris condemnationis periculo id ageret.*

(5) Apud Pallad. in *Vita* S. Joannis Chryſoſt. *pag.* 31. *In commentario, quod continebat, Joannem judicium ingredi non debere: niſi prius ipſi reſtituta fuiſſet, & Eccleſia, & communio: ut ſublata cauſſa detrectandi judicii, ſua ſponte conſeſſum iniret.*

(6) *Lib. II. Epiſt.* 15. *al.* 18. ad Natalem Salonitanum, *Epiſt.* 15. *al.* 19. ad univerſos Epiſcopos Dalmatiæ, & *Epiſt.* 16. *al.* 20. ad Antoninum Subdiaconum.

Hinc, & ex iis, quæ inferius notabimus de *inſcriptione* præſertim requiſita in accuſationibus Epiſcoporum, minus probanda videtur, quæ Eſpenius *Com.* ad laudatam *quæſt.* 1. *cauſa* 3. habet inquiens: *Quæ in hujus concluſionis & aſſerti probationem adducit Gratianus, vel ex falſis & ſuppoſititiis Decretalibus, vel ex jure civili deducta ſunt: eo quod in priſcis Canonibus, & Patrum ſcriptis de hoc ordine judiciario nihil, aut parum reperiatur; quandoquidem ante iſtas Decretales forenſis iſte ordo judiciarius, hic a Gratiano deſcriptus, in cauſſis & judiciis Eccleſiaſticis nondum invaluiſſet, uti non ſemel notavimus.*

(7) *Ut is, qui aliquibus ſceleribus irretitus eſt, vocem adverſus majores natu non habeat accuſandi. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Si criminoſus eſt, non admittatur.*

(8) *Eum vita ad accuſationem non admitti, qui poſtquam excommunicatus fuerit, in ipſa adhuc excommunicatione conſtitutus ſive ſit Clericus, ſive ſit laicus accuſare voluerit.*

(9) *Ut omnes ſervi, vel proprii liberti ad accuſationem non admittantur, vel omnes, quos ad accuſanda publica crimina leges publicæ non admittunt, omnes etiam infamiæ maculis aſperſi, id eſt Hiſtriones, ac turpitudinibus ſubjectæ perſonæ; Hæretici etiam, ſive Pagani, ſive Judæi. Sed tamen omnibus, quibus accuſatio denegatur, in cauſſis propriis accuſandi licentia non eſt deneganda.*

(10) *Clericos, ſive laicos accuſantes Epiſcopos, vel clericos paſſim & ſine probatione, ad accuſationem non recipi, niſi prius eorum diſcutiatur exiſtimatio.*

Digitized by Google

Euſebii & Felicis relatorum *Can.* 5. *&* 11. 3. *quæſt.* 5. repellit ab accuſandis Clericis omnes, quos lex Civilis excludit. Infames vero, quos arcendos ab accuſationibus dicunt Pſ-Fabianus *Epiſt. II. cap. II.* & Pſ-Stephanus relatus *Can.* 4. 3. *quæſt.* 4. declarantur ab iiſdem Fabiano & Stephano 2. *quæſt.* 1. *Can.* 3. *&* 11. & Pſ-Euſebio *Epiſt. III.* omnes externorum criminum rei. Præterea non modo arcentur inimici ſub nomine Anacleti & Pontiani eadem *Can.* 3. *quæſt.* 5. *Can.* 2. *&* 4. ſed etiam de eorum domo prodeuntes, vel cum ipſis morantes, ſub Symmachi nomine ibidem *Can.* 3. Item facile litigantes eodem *Can.* 4. & ſub nomine Julii *Can.* 10. ibidem, ubi etiam excluduntur gratioſi, ideſt adulatores & complacentes. Ad excommunicatos ſeu anathematizatos quod attinet, quos ab accuſando arceri oportet, ſub nomine Fabiani *Epiſt.* 1. & Stephani I. rel. 3. *quæſt.* 4. *Can.* 6. non modo nominatim declaratos, ſed eos quoque dicitur, hujuſmodi eſſe, quos Epiſcopi ſuis ſcriptis anathematizarunt, aut eorum inſtituta (1) anathematizant. Sed aliis prætermiſſis generatim prohibetur ſub nomine Pii *Epiſt. I.* Cornelii *Epiſt. II.* & Euſebii rel. *Can.* 11. 2. *quæſt.* 7. ovibus accuſare Paſtores, Anacleti, & Zephirini ibid. rell. *Can.* 11. *&* 12. & ſynodi V. ſub Symmacho minoribus accuſare majores, Fabiani & Damaſi *ead. quæſt. Can.* 38. *&* 51. iis accuſare Sacerdotes, qui ejus ordinis non ſunt, nec eſſe poſſunt; & tandem ejuſdem Fabiani, Evariſti, Marcellini, Euſebii & Julii *eod. loco Can.* 1. 3. 4. 5. 6. ac Theleſpori *Epiſt. un. cap.* 1. Laicis contra Clericos, maxime Epiſcopos, accuſationes proponere. Quæ tamen auctor Litterarum deſumſiſſe videtur ex epilogo Pſ-ſynodi II. Romanæ ſub S. Silveſtro ibid. rel. in qua ſynodo *Can. III.* habetur; *Ut non Presbyter adverſus Epiſcopum, non Diaconus adverſus Presbyterum, non Subdiaconus adverſus Diaconum, non Acolythus adverſus Subdiaconum, non Exorciſta adverſus Acolythum, non Lector adverſus Exorciſtam, non Oſtiarius adverſus Lectorem, non Laicus det accuſationem aliquam*: id quod etiam lege Longobardorum receptum erat *lib. II. tit.* 4. *cap.* 12. (2) ac confirmatum reperitur *lib. I.* Capitularium *cap.* 133. & *cap.* 23. Capitularis VI. anni 806. & ſimile quid habetur *lib. VII.* eorumdem Capitularium *cap.* 211. ex incerto concilio. (3)

VII. Contra eos vero, qui injuriam propriam perſequentes accuſant Epiſcopum, vel ejus *Actores* caritativa monitione non præmiſſa ex interpolato *Can.* 17. concilii Aurelianenſis V. ſtatuitur pœna excommunicationis fictorum Anacleti *Epiſt. II.* Alexandri *Epiſt. I.* rell. 2. *quæſt.* 7. Sixti II. *Epiſt. II. cap. I.* Stephani *Epiſt. II. cap. III.* Julii *Epiſt. II. cap. VII.* & Felicis II. *Epiſt. II. cap. II.* Quin in *Epiſt.* Alexandri decernitur, ut non ſemel, ſed ſæpiſſime monitionis officium adimpleant; & in *Epiſt.* Anacleti & Stephani omnes accuſatores ad tale officium obſtringi videntur.

VIII. Præterea ex falſis Decretalibus Calliſto, Eutychiano, Fabiano, Damaſo, Sixto III. aliiſque tributis accuſatio fieri debet libello, & quidem inſcriptione præmiſſa *Can.* 1. 3. *&* 4. 2. *quæſt.* 8. *Can.* 8. 3. *quæſt.* 9. *& Can.* 2. 4. *quæſt.* 4. idque ex jure Civili, quod aliquatenus in Eccleſia fuerat obſervatum, ut cum in concilio Conſtantinop. I. S. Flaviani *actione* 3. Euſebius Dorylæi Epiſcopus Eutychetem oblato libello accuſavit; ſic idem Euſebius aliique in concilio Chalc. *act.* 3. accuſarunt Dioſcorum; & Samuel, aliique Presbyteri Edeſſeni in ſynodo Tyria ſeu Berytenſi accuſarunt Ibam Epiſcopum ſuum: ac id ipſum cautum etiam fuit de accuſatione Epiſcopi *Canone*, qui laudari ſolet tamquam ſextus concilii Conſtantinop. I. *Nec prius accuſationem inſtituant, quam ſcripto pari periculo ſe ſubjiciant*; & in ſynodo Lampſacena apud Sozomenum *lib. VI. cap.* 7. *Quod ſi quis eos* (Epiſcopos) *accuſare vellet, ſub paris condemnationis periculo id ageret*. Hujuſmodi enim paris condemnationis periculum naſci non poterat, niſi ex vinculo inſcriptionis. Sic ad horum Decretorum imitationem paſſim & indiſcriminatim in falſis Decretalibus ſtatutum reperitur, ut calumniatores in judiciis eccleſiaſticis pœnam talionis ſubire deberent. Ac etiam, ut accuſatio ad legum præſcriptum fieri non poſſit, niſi ab ipſo accuſatore præſente, habetur laudatis locis, alibique paſſim.

IX. Ad hæc veluti ſublata in contumaces quoque procedendi facultate, multorum Pontificum ementitis nominibus rell. eadem *quæſt.* 9. cauſæ 3. decernitur, ut nemo abſens damnari vel accuſari poſſit. (4) Et uno verbo concludam: in Pſeudo-Decretalibus, ut ſupra notatum fuit, ad nauſeam & faſtidium uſque perpetua [illegible] de ac-

(1) Ex hoc diſcimus contra Navarrum, Eſpenium, alioſque non ſæculo ſuiſſe agnitam excommunicationem, ſeu anathema, in quam incurritur *ipſo facto*, ſive excommunicationem a Canonibus inflictam opus non habuiſſe ſententia Judicis, ut animam ligaret: quod confirmatur ex iis, quæ habet Pſ-Pelagius II. *Epiſt.* 8. *Idcirco eos non eſt neceſſe excommunicare, aut anathematizare, quia ipſi anathematis vinculo propriis manibus profeſſiones ſuas, ſuaque ſcripta roborando conſtrinxerunt*. Quin id ipſum ex genuinis monumentis ſæculi VIII. diſertiſſime habetur; in concilio namque Romano habito anno 743. ſub S. Zacharia ita legitur. *Ut Presbyteram, Diaconam, Nonnam, aut Monacham, vel etiam ſpiritualem commatrem nullus ſibi præſumat nefario conjugio copulare. Nam qui hujuſmodi opus perpetraverit, ſciat, ſe anathematis vinculo eſſe obligatum, & Dei judicio condemnatum. Statuentes Apoſtolica cenſura, ut quicumque Sacerdotum, eos communicare præſumſerit, eorum conſortio condemnatus ſacerdotii ſui honore privetur*. Quin & idem videtur dicere S. Gregorius I. a Gratiano relatus 1. *quæſt.* 1. *Can.* 32. inquiens: *Quicumque ſacros Ordines vendunt, vel emunt, Sacerdotes eſſe non poſſunt. Unde ſcriptum eſt: Anathema danti, anathema accipienti; hoc eſt Simonica hæreſis. Quomodo ergo, ſi anathematizati ſunt, & Sancti non ſunt, ſanctificare alios poſſunt? Et cum in Chriſti Corpore non ſint, quomodo Chriſti corpus tradere, vel accipere poſſunt? Qui maledictus eſt, benedicere quomodo poteſt?* Sed ſi verum amamus, hæc verba non ſunt S. Gregorii, ſed, ut notant Correctores Romani, ſunt Paſchalis II. qui floruit ſæculo XII. ineunte. Ut ut res ſe habeat, ſunt ſaltem monumentum antiquioris ætatis ea, cui Eſpenius primum uſum excommunicationis latæ ſententiæ via adſcribit, medio nimirum XII. ſæculo. Sic S. Gregor. VII. qui ſæculo XI. floruit, *Lib. I. Epiſt.* 12. *&* 15. vocat Simoniacos excommunicatos vitandos. Quin in genuinis operibus S. Gregorii M. aliquod hujus rei veſtigium eſt invenire, veluti lib. II. Epiſt. VII. *rel. Can.* 52. 16. *quæſt.* 1.

(2) *Conſtitutum eſt ut nullus laicus crimen Clerico audeat inferre. Teſtimonium Clerici adverſus laicum nemo recipiat. Nemo Clericus, Diaconus, vel Presbyter pro qualibet cauſſa intret in curiam, nec ante Judicem cauſſam dicere præſumat: quoniam omnis curia a cruore dicitur, & immolatione ſimulacrorum. Et ſi Clericus Clericum accuſans in curiam introierit, anathema ſit ex Epilogo ſynodi Romana ſub Silveſtro.*

(3) *Omnes Epiſcopi in* 3. *ſeſſ. acclamarunt: Sane dignum, ut ſicut Sacerdotes, vel Clerici ſua in accuſatione in ſæcularibus judiciis laicos non recipiunt, ita ipſi Sacerdotum, vel Clericorum accuſationibus, ſeu Eccleſiaſticis negotiis, niſi ſponte, non recipiantur. Quoniam inconveniens eſt, ut qui hos reſpuunt, ab his recipiantur.*

(4) Ex ita reſtricta accuſandi facultate, ac etiam inducta ſolis Eccleſiaſticis juris civilis judicandi forma jure novo Decretalium introductum videtur, ut triplex omnino diſtinguerentur procedendi modus in judiciis criminalibus, per accuſationem, per denuntiationem, & per inquiſitionem, *cap. Qualiter, & quando* 24. *de accuſationibus, & cap. Licet Heli* 31. *de ſimonia*. In antiquis enim Canonibus non diſtinguitur denuntiatio ab accuſatione; nec inquiſitio erat procedendi modus ordinarius. Sic igitur diſtinctis modis delictorum coercendorum, quæ per accuſationem coerceri non poſſunt, coercentur per denuntiationem, vel per inquiſitionem. Cave tamen, ne credas per hujuſmodi novam diſciplinam, Domini præceptum de correctione fraterna aliquam reſtri-

Digitized by Google

accuſationibus agitur; ac illud ſemper urgetur, ut Epiſcopi, Sacerdotes, Paſtores, Doctores, Eccleſiæ columnæ, Throni Dei, &c. non accuſentur, non lacerentur, vel ne iis aliquid detrahatur.

X. Ad teſtes quod attinet, exceptiones jam ſtatutæ erant, ut ſcilicet infideles vel hæretici non admitterentur pro, vel contra Epiſcopos, *Can.* 75. Apoſtolorum & generatim concilio Toletano IV. *cap.* 60. neque qui accuſare nequeunt, vel de domo accuſatoria producti, vel minores 14. annis, Concil. Carthaginienſi VI. ſeu VII. *Can.* 4. Concil. Africani *Can.* 98. neque qui ſæpe accuſant, vel litigant, Concil. Carthag. IV. *Can.* 58. neque infames Concil. Matiſcon. I. *cap.* 17. Sed hujuſmodi exceptiones auctor falſarum Litterarum confirmavit, ac mire adauxit. Excludit namque ſuſpectos in fide, Julii *epiſt.* 2. *cap.* 4. Felicis II. *epiſt.* 1. *cap* 9. Damaſi *epiſt.* 4. inimicos, Anacleti *epiſt.* 3. Pontiani *epiſt.* 2. Pelagii II. *epiſt.* 1. rell. 3. *quæſt* 5. *Can.* 4. & 13. quibus excluduntur etiam ſuſpecti, vel qui odio quoslibet perſequuntur, vel facile litigantes, vel qui bonæ converſationis non ſunt: item qui exeunt de domo inimici, Calliſti *epiſt.* 2. rel. *Can.* 12. *ead. quæſt.* Julii *laud. epiſt. cap.* 12. vel commercium habent cum inimicis, *ibid. cap.* 10. conſanguineos accuſantis, Calliſti *laud. loco*, ejuſque affines. Felicis I. *epiſt.* 2. infames, Eutychiani *epiſt.* 2. Felicis II. *laud. epiſt.* 1. excommunicatos, Fabiani *epiſt.* 1. Repellit præterea a ferendo teſtimonio in Sacerdotes, qui ejus ordinis non ſunt, nec eſſe poſſunt, Fabiani *epiſt.* 2. Damaſi *epiſt.* 3. rell. 2. *quæſt.* 7. *Can.* 38. 39. & 51. Et generatim repellit omnes non idoneos, Conc. Nicæni *Can.* 9. a Julio relato, & ejuſdem *epiſt.* 3. Aliis exceptionibus prætermiſſis, illud omnino ſingulare heic non omittendum ex *epiſt.* 1. ſub nomine S. Zephirini ad damnandum Epiſcopum requiri 72. *teſtes innocentes regulariter examinatos, qui illum convincant*. Quod auctor Litterarum Decretalium deſumſiſſe videtur ex ſupra laudato *Can.* 3. Pſ-ſynodi Silveſtri confirm. *cap.* 133. *Lib.* 1. Capitul. *Et non damnabitur Præſul, niſi in* 72. *neque Præſul ſummus a quoquam judicabitur, quoniam ſcriptum eſt*, Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum. *Presbyter autem niſi in* 44. *teſtibus non damnabitur. Diaconus autem in cardine conſtitutus in Urbe Roma niſi* 37. *non condemnabitur. Subdiaconus, Acholythus, Exorciſta, Lector niſi, ſicut ſcriptum eſt, in ſeptem teſtimonia filios habentes & omnino Chriſtum prædicantes*. (1) Et ne Iſidorus no-

---

ſtrictionem paſſum, vel mutationem ex eo quod Innocentius III. utroque *cap.* in ſola denunciatione requirat præviam admonitionem, in accuſatione vero requirat inſcriptionem, & in inquiſitione clamoſam inſinuationem. Cave, inquam, ne id credas, ſed audi S. Thomam *in* 4. *diſt.* 19. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 4. *Dicendum, quod etiam ad accuſationem, ut quidam dicunt, procedi non debet ſecundum forum conſcientiæ monitione non præmiſſa, nec emendatione exſpectata, niſi forte majori periculo obviandum videamur, aut peccatum ſit publicum: quamvis ſecundum forum cauſarum non requiratur, quod accuſationem præcedat admonitio, ſed ſolum inſcriptio. Inquiſitio vero non eſt facienda niſi de notorio peccato: quia oportet, quod inquiſitionem præcedat clamoſa inſinuatio: & ideo poteſt admonitio non ſequi ... Vel dicendum ſecundum alios, quod in accuſatione non agitur ad emendationem peccantis, ſed ad bonam communem, ſcilicet juſtitiam conſervandam per puniendum delinquentes; & ideo accuſatio in judicio bona conſcientia poteſt fieri, etiamſi admonitio non præcedat: nec eſt contra præceptum Domini, quod intelligitur, quando agitur ad emendationem peccantis*. Seu, ut idem S. Doctor 2. 2. *quæſt.* 33. *artic.* 7. *ad.* 3. explicat: *Quando imminet periculum multitudinis non habent ibi locum hæc verba Domini: quia tunc frater in te peccans non peccat in te tantum*. Itaque per denunciationem procedendi modus non eſt quid in Eccleſia novum, ſed antiquiſſimum jam inde ab ejus cunabulis, etſi antiqui PP. denunciationis nomen minime uſurpaverint. Et reapſe quæ antiquitus in Eccleſia accuſationes vocabantur, ut plurimum erant potius denunciationes, cum ut plurimum ſine inſcriptione, vel alia juris civilis ſollemnitate fierent. Quæ cum ita ſint, videant viri eruditi quænam ratio habenda ſit phanatiſmi Chriſtiani Thomaſii *diſſertatione de Denunciatione Evangelica*, & *in Inſtit. Can. nota* 6. *ad* §. 5. *tit. de accuſ.* poſt Zeiglerum, & Jacum exiſtimantis per denunciationem in judiciis procedendi modum eſſe inventum Innocentii III. quo ſibi viam aperiret ad jura Imperii invadenda. Neque in hoc ſolo reſtringitur Thomaſii phanatiſmus, ſed ultra progrediens eumdem Innocentium proceſſus inquiſitorii, quo ſibi eamdem viam pararet, inventorem & parentem etiam facit; adeo ut ibidem *nota* 18. & *ſeqq. ad* §. 2. de tali proceſſu verba faciens ſic concludat: *Igitur ante quam eumdem introduceret, & ante quam is reciperetur & in praxi introduceretur, vigebat adhuc jure Canonico ſolus proceſſus accuſatorius*. Ergo ex Thomaſio auctore Innocentium III. ſi accuſatores deerant, ac rei evidentia, ob quam poſſet extra ordinem procedi, nulla delicta, nulla crimina, nulla flagitia non modo occulta, ſed etiam publica fuerunt umquam in Eccleſia punita? Ad hanc abſurditatem evertendam quamplurima ex monumentis tum antiquis, tum medii ævi afferre poſſem; ſed ne in re trita longus ſim, ſpeciminis loco afferam duo, unum ex *Decreto Gratiani*, alterum ex ipſo ſupra memorato *tit. de accuſationibus*. Ibi S. Gregorius M. *Can.* 6. 2. *quæſt.* 9. ait. *Quoniam igitur quædam contra Sacerdotale propoſitum de Leone fratre, & Coepiſcopo noſtro ſiniſter rumor aſperſerat: utrum vera eſſent, diſtrictius dimiſimus ſecretius inquiſitione perquiri*. Eo igitur a S. Gregorio, fama deferente, inſtitutum per inquiſitionem judicium. In *tit.* vero *de accuſationibus cap.* 12. Alexander III. quem conſtat Innocentio III. præceſſiſſe, ait: *Si de hoc rationabiliter convictus fuerit in judicio ante Epiſcopum ſuum: ſive accuſatus, vel ad rationem poſitus &c.* Hinc habemus etiam ante Innocentii tempora præter accuſationem fuiſſe alios in Eccleſia modos, quibus delictorum rei in judicio reſpondere cogebantur, ut manifeſte deducitur ex illis verbis: *ſive accuſatus, vel ad rationem poſitus*, id eſt interrogatus ſine prævia accuſatione, ſed prævia denunciatione vel inquiſitione.

(1) Cum obrepſiſſet hic Canon Leoni IV. is primus, & ultimus ex Romanis Pontificibus eo uſus fuit; ſed in ſubſidium in ſingulari facti ſpecie Epiſcoporum Aremoricæ, ſeu Britanniæ de Simonia accuſatorum, quos Nomenoius illius regionis Dux depoſitos volebat, ut iis ſibi bene affectos ſurrogaret. Leo itaque *Epiſt.* ad Epiſcopos Aremoricæ, cujus fragmentum habemus in Gratiano, *Canone Nullam laud. quæſt.* 4. in ſynodo Epiſcoporum judicandos eſſe ſcripſit, & quidem non in qualibet ſynodo, ſed in ea quæ 12. Epiſcopis conſtaret ad normam Canonum Carthaginienſium. At eum numerum cum difficilem prævideret, ex quo ſuperbus Nomenoius Epiſcopos ſuæ ditionis cum reliquis provinciæ Turonenſis Regi Francorum pleno jure ſubjectis convenire non permitteret; ad cohibendum ipſius impetum hac induſtria uſus fuit, ut adderet, quod alias ſaltem ſententia 72. teſtibus idoneis comprobata ſit; ita tamen, ut omnia in conciliis fiant Epiſcoporum: *Nam nullam damnationem Epiſcoporum eſſe umquam cenſemus, niſi aut ante legitimum numerum Epiſcoporum, qui ſit per* 12. *Epiſcopos, aut certe probata ſententia per* 72. *teſtes idoneos, qui tales ſint qui accuſare poſſint, & prius ad ſacra Chriſti 4. Evangelia ſacramenta præſtent, quod nihil falſum depromant: ſicut nobis B. Silveſter tradidit, & Romana ſancta videtur tenere Eccleſia*. Quæ ultima verba *ſicut &c.* notant Correctores Romani, deeſſe in Epiſt. Leonis M. S. deſiderari prætærea in edit. Rom. & cod M. S. Vaticano notat Lucas Holſtenius. In Epiſt. tamen Nicolai I. ad Salomonem regem Brittonum, ubi referuntur eadem verba Leonis, in horum finem hæc habentur: *Sicut nobis B. Silveſter & S. Romana videtur tenere Eccleſia*: unde diſcimus Leonem de genuinitate hujuſmodi Canonis minime fuiſſe certum, cum uſurpet verba *nobis videtur*; ideoque eo abſolute uſus non fuit, ſed pro rei opportunitate quadam œconomia in defectum ſollemnitatis ... Epiſcoporum; eoque magis ea œconomia uſus videtur, quod talis Canon probatus erat a Carolo Magno in *Capitul. Aquiſg.* & notæ ſunt viris eruditis querelæ Imperatoris Lotharii contra Leonem, quod Capitularia non

noſter contrarius videretur Apoſtolo I. ad Timotheum *cap. V.* 19. ibi: *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi duobus, vel tribus teſtibus*: ne inquam videretur contrarius, hæc habet ſub nomine Sixti II. *epiſt.* 2. rel. *Can.* 19. 2. *quæſt.* 7. *Apoſtolus inquit, adverſus Presbyterum inſcriptionem non recipiendam ubſque duobus, vel tribus idoneis teſtibus*; & ſic numerum duorum vel trium teſtium requiſiviſſe videtur tantummodo ad ſollemnitatem recipiendæ accuſationis.

XI. In hoc inſuper *Sacerdotibus, & Eccleſiæ Auctoribus* de probatione in judiciis conſultum voluit Pſ-Iſidorus, ut ementito Alexandri nomine *epiſt.* 1. rel. 15. *quæſt.* 6. *Can.* 1. ſtatuat, (quod ceteroqui eſt juri conforme) nullam eorum confeſſionem vel promiſſionem, metu aut vi aut fraude extortam (1) eiſdem fraudi eſſe debere: ac etiam ſub nomine Cornelii *epiſt.* 2. *cap.* 1. rel. 2. *quæſt.* 5. *Can.* 1. 2. & 3. habet: *Sacramentum hactenus a ſummis Sacerdotibus vel Dei miniſtris exigi, niſi pro fide recta minime cognovimus, nec ſpontaneos juraſſe cognovimus* (2).... *Sacramentum Epiſcopis noſcimus oblatum, nec unquam fieri debet.*

XII. Ut ipſum judicium rectius procedat, quod antiquis Canonibus cautum erat, ut non niſi id in provincia fieri deberet, paſſim ſtatuitur in falſis Decretalibus, *ſalva tamen auctoritate Sedis Apoſtolicæ*: quod eſt depromtum ex Innoc. I. *Epiſt.* ad Victricium Rothomagenſem, ubi etiam de judiciis Clericorum in provinciis additur *ſine præjudicio Sedis Apoſtolicæ*; & quod ex iiſdem antiquis Canonibus faciendum in ſynodo Epiſcoporum, quos in in cauſſis Coepiſcoporum non minores 12. eſſe oportebat ex peculiari diſciplina Eccleſiæ Africanæ, *Can.* 12. conc. Carthag. I. & *Can.* 10. conc. Carthag. II. ſtatuitur etiam a Pſ-Zephirino rel. 3. *quæſt.* 8. *Can.* 1. & 5. *quæſt.* 4. *Can.* 2. ſive ut loquitur Pſ-Stephanus *epiſt.* 2. *cap.* 6. *Epiſcopus aliter non debet audiri aut judicari, niſi in præſentia omnium comprovincialium, & ab omnibus comprovincialibus Epiſcopis*; additque Pſ-Damaſus *Can.* 6. 3. *quæſt.* 6. *ita ut nemo ex eis deſit, & omnes in ſingulorum concordent negotiis*. Sed illud novum omnino additur laudato Zephirini loco, & ſub nomine Felicis II. *epiſt.* 1. *cap.* 8. Julii *epiſt.* 2. *cap.* 14. ac Sixti III. rel. *Can.* 12. 3. *quæſt.* 6. accuſatum ſcilicet electos a ſe debere habere Judices; quod depromtum ex interpolatis *Canonibus* 140. & 141. (3) *Excerptorum* Egberti Eboracenſis; ex cujus etiam modo dicto *Can.* 140. ab eodem Felice eodem loco adoptantur alia: & *cap.* 16. adoptantur hæc, quæ etiam uſurpantur a Pſ-Eutychiano relato *Can.* 18. 2. *quæſt.* 6. *Nec ita in eccleſiaſticis agendum eſt negotiis, ſicut in ſæcularibus. Nam in ſæcularibus poſtquam legibus vocatus venerit, & in foro decertare cœperit aliquis, non licet ante peractam cauſſam recedere: in eccleſiaſticis vero, dicta cauſſa, recedere licet, ſi neceſſe fuerit, aut ſi ſe prægravari viderit.*

XIII. Et ut ad pœnam ipſam depoſitionis difficulter deveniri poſſit, non modo Mercator refert jam auctam ab aliis *Epiſtolam* S. Gregorii ad Secundinum, qua habetur lapſos Sacerdotes poſt pœnitentiam in ordinibus poſſe miniſtrare; ſed ementito S. Calliſti nomine aliam ejuſdem argumenti ad Epiſcopos Galliarum cudit: quarum Epiſtolarum fragmenta habentur *diſt.* 50. *Can.* 14. & 15. Qua in re Pſ-Calliſtus inter alia uſurpat verba, quæ ſus facit, Sixti Pythagorici, ſeu potius Egberti laudato *Can.* 140. *Sententiam, fratres, quæ miſericordiam vetat, non ſolum tenere, ſed & audire refugite; quia potior eſt miſericordia omnibus holocauſtomatibus & ſacrificiis*; ſignificantius itaque, quam Auctor dicti additamenti ad Epiſtolam S. Gregorii, ait: *Errant* (4) *enim qui putant Domini Sacerdotes poſt lapſum, ſi condignam egerint pœnitentiam, Domino miniſtrare non poſſe, & ſuis honoribus frui, ſi bonam deinceps vitam duxerint, & ſuum ſacerdotium condigne cuſtodierint. Et ipſi qui hoc putant, non ſolum errant, ſed etiam contra traditas Eccleſiæ claves diſputare & agere videntur: de quibus dictum eſt, Quæcumque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in cælo.* Tum inepte ponit exemplum David pœnitentis, inquiens: *Et Propheta David pœnitentiam agens dixit: Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Ipſe namque poſt pœnitentiam & alios docuit, & ſacrificium Deo obtulit, dans exemplum Doctoribus S. Eccle-*

---

non curaret, & Leonis reſponſio ſe excuſantis *Can. de Capitulis diſt.* 20. Probabilem Leonis timorem comprobavit eventus: nam Nomeonius ſine Epiſcoporum ſynodo accuſatos condemnandos curavit Epiſcopos, adeo ut ſucceſſores Pontifices Benedictus III. & Nicolaus I. nulla amplius mentione facta de numero teſtium ſolum judicium ſynodi 12. Epiſcoporum cum Metropolitano Turonenſi urgerent, ut ex memorata *Epiſt.* Nicolai. Hinc non eſt, quod Antonius Matthæus *de Criminibus ad Lib. XLVIII. Dig. tit. XV. de probat. cap.* 3. *num.* 7. oblatret dicens: *Nec ſane ulla ratione excuſari poteſt, quod in dicto Canone Præſul, & ſequenti Nullam, conſtitutum eſt, ut ne Præſul id eſt Card. Epiſcopus damnetur, niſi teſtibus LXXII. Presbyter Card. XLIV. Diaconus Card. XXVII. Subdiaconus, Acolythus, Exorciſta, Lector, Oſtiarius VII. Comminiſcantur interpretes quidquid volent: eſt hac abſurditas tam aperta, tam in omnium oculos incurrit, ut eam tegere nullus color poſſit .... Jam quam conſtant ſibi ſanctiſſimi Patres, dum cap. cum eſſes de teſtam. reprehendunt jus civile, tanquam divino contrarium, quod in teſtamentis condendis exigat teſtes VII. cum jure divino cautum ſit; in ore duorum vel trium veritatem ſtare. Nam ſi idcirco plures in teſtamentis exigi non debent, cur ipſi LXXII. exigunt ad convincendum Epiſcopum Cardinalem? Cur XLIV. ad convincendum Presbyterum: cum Paullo, cujus ſucceſſores ſe jactant, ſufficiant duo vel tres. I. Timoth. V. verſ.* 19. *Numquid aliud heic reſpondere poſſunt, quam iſtud: Egomet mi ignoſco: Et Leges do, non accipio? Quid, teſtes XL. effrenatam multitudinem vocet Innocentius III. in cap. cum cauſam* 37. *de teſtibus? Tam igitur conſtat Innocentius Leoni, quam Leo conſtat proceſſori Paullo.* Si Matthæus Leonis mentem fuiſſet aſſequutus, non ita oblatraſſet, ſed Pontificis prudentiam & Paullo, & Innocentio omnino conſtantis tacitus fuiſſet demiratus.

(1) Nicolaus (qui ut ſupra notavimus eſt II.) relatus *Can.* 2. *ead. loco*, Interpretatur verba falſi Alexandri etiam de jurata promiſſione; ita tamen, ut qui ſic promiſit, non propria, ſed ſuperioris auctoritate contra promiſſionem venire poſſit: ut colligitur ex verbis: *Ab omnibus juramentis, & cujuscumque modi obligationibus, quibus illi ſe ſe coacti violentia impiorum obligaverant, abſolvimus.* Et reapſe jusjurandum, ut communiter docent DD. etiam vi metuve extortum tenet, non ita votum; cujus diſcriminis ratio eſt, quia in illo attenditur veritas, quæ una eſt; in hoc vero obſequium, quod debet eſſe *rationabile*.

(2) Nimirum Epiſcopi, & ceteri Sacerdotes non poterant jurare conſueto more Chriſtianorum, tactis ſcilicet ſacroſanctis Evangeliis; ſed ſi neceſſitas urſiſſet, jurabant *in Sacroſancto Evangelio coram ſe poſito*, ut habet concilium Ilerdenſe relatum 2. *quæſt.* 5. *Can.* 14. ſeu *propoſitis ſanctis Evangeliis*, ut loquitur S. Gregorius M. *Lib. VII. Epiſt.* 28. & 46. & *Lib. XI. Epiſt.* 53. vel aliis modis, veluti Romæ *ad B. Petri ſacratiſſimum corpus*, & Ravennæ *ante corpus S. Apollinaris*, ex eodem S. Gregorio rel. *Can.* 6. 7. 8. & 9. *ibidem*.

(3) Hi enim depromti ſunt ex Canonibus 24. Conc. Milevitani, 20. concilii Carthag. III. unde Canon Africanus 63. qui omnes proſtant in Gratiano 2. *quæſt.* 6. Sed eos Egbertus, ſive alius ejus nomine ita interpolavit, ut quæ ibi de Arbitris ab utroque litigantium eligendis ſtatuta fuerant, ad judices a reo eligendos tranſtulerit.

(4) Potius errat ipſe Mercator, qui veluti Novatianos redarguit eos, qui Sacerdotes lapſos etſi pœnitentes antiquis honoribus minime reſtitutos volebant. Hi enim non negabant poteſtatem clavium, ſed diſciplinæ rigorem ad bonum Eccleſiæ ſartum tectum cuſtoditum volebant, ſecundum ea, quæ habet S. Auguſtinus *Epiſt.* ad Bonifacium *Can. Ut conſtitueretur* 25. *ead. diſt.* Ex his valde dubito, num Mer-

cleſiæ, ſi lapſi fuerint, & condignam pœnitentiam Deo geſſerint, utrumque facere poſſe. (1) *Docuit enim quando dixit: Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Et ſacrificium Deo pro ſe obtulit, dum dicebat: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus &c.* (2)

XIV. Ipſis vero Epiſcopis, aliiſque Clericis accuſatis falſæ Decretales amplam facultatem faciunt appellandi S. Sedem etiam ante ſententiam. Quin etſi Epiſcopi non appellaverint, adimitur facultas conciliis provincialibus inconſulta S. Sede de iis judicandi: ac etiam ob id nullum concilium validum eſſe dicitur, niſi auctoritate ipſius Sanctæ Sedis fuerit ſuffultum. A gravaminibus Metropolitanorum fit facultas appellandi non modo Papam, ſed etiam Primates, de quibus infra ſermo erit, ad quos etiam Epiſcopos recurrere poſſe ſtatuitur, cum Judices ſuſpectos habent. Ex hactenus dictis clare habetur, quidquid Auctor falſarum Decretalium Papæ concedit, in gratiam Clericorum maxime Epiſcoporum conceſſiſſe. Sed prius quam ad alia quæ in confirmationem hujus argumenti dicenda ſuperſunt, tranſeamus, Ἐν παρέργῳ agendum de privilegiis a falſis Decretalibus Romano Pontifici tributis: quæ eorum antiqua, quæ etiam nova, utrorumque fundamenta atque juſtitiam breviter inquiramus.

CAPUT IX.

De juribus, quæ Mercator Romano Pontifici tribuit.

AMpliſſimam ſpartam ornandam ſuſcepiſſe viderer, ſi heic de jure appellationum ad S. Sedem diſſerere aggrederer. Sed inutilis eſſet labor, poſtquam illud multi doctiſſimi viri ſtrenue propugnarunt; eoque magis ab hoc abſtineo, quod Petrus de Marca, qui, ut ſupra notavimus, Mercatoris ſcopum fuiſſe vult, ut Rom. Eccleſiæ depreſſam auctoritatem ſublevaret, & erga huiuſmodi appellationes fuit parum æquus, *lib. 3. de Concordia cap. 6.* diſſerens de diſcrimine juris antiqui a novo per falſas Decretales in judicia eccleſiaſtica introducta, illas in medium non ponit, ſed ita inquit: *Iis duo præcipue caventur. Primum ut nulla ſynodus Provincialis Epiſcoporum criminales cauſſas, inconſulta S. Sede, definiat. Secundum ut nulla ſynodus præter illius auctoritatem cogatur. Iis duobus Capitibus præcipuum diſcrimen juris antiqui, & novi continetur: unde effectum eſt, ut Metropolitanorum auctoritas, quæ in Canonibus decernendis ac judiciis reddendis vigebat, maxime debilitata ſit.* De Jure igitur appellationum ad Sanctam Sedem, notaſſe ſufficiat, hoc ex ſententia doctiſſimorum virorum etiam Gallorum, inter quos Natalis Alexander *Diſſer.* XXVIII. *Sæculi* IV. eſſe neceſſariam conſequentiam primatus S. Petro ejuſque ſucceſſoribus a Chriſto Domino collati, non modo in controverſiis fidei, ſed etiam in cauſſis & dubiis diſciplinæ. Quod quidem jus ita admiſſum, etiam cum de diſciplina agitur, reſtringi non poteſt ad ſolas cauſſas Epiſcoporum, & ad ſolas ſpecies latæ definitivæ ſententiæ, vel ejectionis, ut aliqui reſtringere conantur; ſed ubicunque naturalis æquitas ſuadet, ut ad Supremum Hierarcham Fideles recurrant, locum habere debet. Sic illud ſine modo dictis exceptionibus Sanctiſſimi Pontifices etiam exercuerant. Sed veniamus ad enuntiata duo diſcrimina, quæ aſſignat Petrus de Marca inter jus novum, & antiquum per falſas Decretales introducta.

§. I.

De Epiſcoporum criminalibus cauſſis.

QUod ad primum attinet, etſi non omnes omnino Epiſcoporum criminales cauſſæ Sedi Apoſtolicæ eſſent reſervatæ, uti generatim ſtatuitur in falſis Litteris decretalibus, erant tamen primo reſervatæ illæ Epiſcoporum majorum gentium veluti Patriarcharum, & Exarchorum ἀυτοκεφάλων; ita ut S. Julius I. Papa, cum de cauſſa S. Athanaſii Alexandrini ageretur, *epiſt.* ad Orientales ſcripſerit: *Cur autem de Alexandrina potiſſimum Eccleſia nihil nobis ſcriptum eſt? An ignari eſtis, hanc eſſe conſuetudinem, ut primum nobis ſcribatur, & hinc, quod juſtum eſt, definiri poſſit? Quapropter ſi iſthic ejuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, id ad hanc noſtram Eccleſiam referri oportuit. Quæ accepimus a SS. Petro, vobis ſignifico, non ſcripturus alioqui, quæ nota apud vos eſſe arbitror, niſi facta ipſa nos conturbaſſent.* (3) Et in ſynodo Epheſina adverſus Jo: Antiochenum

Mercator dicendus ſit *plus fidelis*, qualem vocat Pater Chriſtianus Lupus, & *pia* itidem ejus *fraus*, qualem appellat Cardinalis Bona.

(1) Ex his duobus falſis monumentis, auctæ ſcilicet Epiſtolæ S. Gregorii ad Secundinum, & *Epiſtola II.* S. Calliſti ad Epiſcopos Galliarum præcipue factum fuiſſe, ut frangeretur vigor Eccleſiaſticæ diſciplinæ, obſervarunt alii, & nos etiam non ſemel in noſtris Opuſculis notavimus. Sed illa Calliſti magis, quam illa Gregorii in cauſſa fuit, tum quod credebatur antiquior, & temporibus Apoſtolicis proxima, tum quod amplior & plenior. Pſ-Gregorius enim ad peccata carnis videtur ſe reſtringere, quum dicit. *Quid enim eſt gravius, aut carnale delictum admittere, ſine quo pauci inveniuntur, aut Dei filium jurejurando negare? In quo tamen hunc ipſum B. Petrum Apoſtolorum Principem, ad cujus ſacram corpus indigni ſumus, lapſum eſſe cognoſcimus.* At Pſ-Calliſtus comprehendit etiam graviora peccata. Hinc Alexander III. hujus auctoritate nixus Presbyterum homicidii reum poſt peractam duodecim annorum pœnitentiam indulſit, ut poſſet in ſuſceptis ordinibus miniſtrare *cap. 8. de depoſitione* in Appendice ad concil. Lateranenſe.

(2) David adeo non obtulit ſacrificium, ut nec etiam Templum ædificare fuerit ei permiſſum. Præter quod etiamſi fuiſſet innocens, illud offerre non potuiſſet, cum non eſſet ſacerdos. Sacrificium vero, quod vocat *Spiritum contribulatum*, id non fuit verum ſacrificium, ſed per metaphoram ita dictum.

(3) Dupinus *de antiqua Eccleſia diſciplina diſſer. II. cap. II.* §. 2. hoc argumentum ex verbis Julii petitum nullius roboris facit, cum contendat τὸ *nobis* non ad ſolum Julium referri, ſed ad omnes Epiſcopos Occidentales, de quibus in eadem *Epiſtola* ſcriptum fuerat: *Oportuit omnibus nobis ſcripſiſſe, ut ita ab omnibus, quod juſtum eſſet, decerneretur. Epiſcopi enim erant, qui patiebantur, nec vulgares Eccleſiæ, quæ vexabantur, ſed quas ipſi Apoſtoli per ſe gubernarunt.* Quam interpretationem ut plauſibilem reddat, reticet ſupra ſcripta verba, quæ ſequuntur: *Cur autem de Alexandrina potiſſimum Eccleſia nihil nobis ſcriptum eſt*, quæ ſibi obſunt. Ex his enim clare liquet, τὸ *nobis* ad ſolum Julium, & R. Eccleſiam referri; cum conſuetudo, quam S. Julius allegat, ſit de Eccleſia Alexandrina, ut ſcilicet de ea Rom. Eccleſia judicium ferat. Sic S. Dionyſius Alexandrinus cum in ſuſpicionem veniſſet hæreſeos, ad Dionyſium Rom. delatus ſe ſe purgare non diſtulit. Sed demus τὸ *nobis* referri ad omnes Epiſcopos, de quibus Julius meminerat, quid tum poſtea? Erant ne illi totius Occidentis? Minime gentium. Erant Epiſcopi Italiæ, qui omnes pertinebant ad R. provinciam, ſeu metropolim, quæ tunc temporis una exſtabat in Italia. Mos enim erat Romanorum Pontificum, ut quemadmodum gravia negotia tractarent de conſilio Cleri Rom. ſeu ſui Presbyterii, ita graviora plerumque tractarent etiam de conſilio coactæ ſynodi Epiſcoporum Italiæ, ita ut illorum eſſet definitiva ſententia, ut videtur dicere S. Felix III. ſeu Romana ſynodus ſub ſe habita *Epiſt.* ad Orientales Clericos & Monachos: *Quoties intra Italiam propter cauſſas Eccleſiaſticas, præcipue fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, conſuetudo retinetur, ut ſucceſſor Præſulum ſedis Apoſtolicæ ex perſona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum cuncta diſponat, qui caput eſt omnium.* Idemque colligitur ex ſynodo Romana ſub S. Hilaro, & ex ſynodo Romana ſub S. Gelaſio. Julius vero cum dixit, *omnibus nobis*, denotatos voluiſſe Epiſcopos Italiæ, non totius Occidentis evincitur ex

num Patriarcham evocationi ſynodali parere detrectantem dixit Juvenalis Hieroſolymæ Epiſcopus : *Oportebat confeſtim Joannem occurrere ad Apoſtoli eam Sedem Magnæ Romæ nobiſcum conſiſtentem , apud quam mos eſt , & Apoſtolico ordine , & traditione , ut ipſa Sedes Antiochena diſcutiatur , & judicetur* . (1) Et reapſe ejus concilii Patres licet Legatos Cæleſtini Papæ præſentes haberent , non aliter Joannem damnatum voluerunt , quam ex ipſius Cæleſtini ſententia , ut patet ex Litteris, quas ad eum dederunt : *Etiamſi Joannes degradationis ſententiam juſtiſſime legitimeque ſubiviſſet : pietatis tuæ judicio hoc reſervavimus*. Quibus Cæleſtinus eorum rigorem temperans reſpondit : *Antiochenum vero , ſi habet ſpem correctionis , Epiſtolis a veſtra Fraternitate volumus conveniri*. Patres inſuper omnea ejuſdem generalis ſynodi Epheſinæ in ſententia depoſitionis, quam in impium Neſtorium Conſtantinopolitanum Patriarcham protulerunt, expreſſe fuerunt proteſtati , ſe ad eam *neceſſario* veniſſe coactos *per ſacros Canones , & Epiſtolam Patris noſtri*, (2) *& Comminiſtri Cæleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi* . In conc. deinde Chalcedonenſi Legati Apoſtolici *actione* 3. ita in Dioſcorum Alexandrinum pronuntiarunt : *Unde Sanctiſſimus & Beatiſſimus Archiepiſcopus magnus , & Senioris Romæ Leo per nos, & per præſentem Sanctam ſynodum . . . nudavit eum tam Epiſcopatus dignitate , quam etiam & ab omni ſacerdotali alienavit miniſterio* . Quam Legatorum ſententiam ceteri concilii Patres approbarunt , & ſubſcriptione firmarunt . Ac in eodem etiam concilio actione 11. de Baſſiano qui Eccleſiam Epheſinam uſurpaverat , hæc habentur : *Hodie quatuor anni ſunt , & Romanus Epiſcopus eum depoſuit* . Multis præterea aliis hujuſmodi jus Romani Pontificis de primis ſedibus judicandi comprobare poſſemus ; unius enim Conſtantinopolis octo faltem Patriarcharum exempla ab illo depoſitorum recenſet Nicolaus I. *epiſt.* 8. ad Michaelem Imperatorem . Sed notaſſe ſufficiat illud a S. Gelaſio qui ſæculo V. floruit , variis in locis tum ex aliis exemplis adſtrui, tum ex regula quam ſtatuit *Litteris* ad Dardaniæ Epiſcopos : *Ab inferioribus potior diſcuti non poteſt , aut judicari* , & *Tomo* de Anathematis vinculo : *Inferior potiorem abſolvere non poteſt* . (3) Et cum nec inferior a potiori di-

Ccc ſcu-

ex iis , quæ ipſe habet ead. ſua *Epiſt. n.* 8. Ἀλλ' οὐκ ἐμοῦ μόνου ἐστὶν αὕτη ἡ γνώμη, ἀλλὰ καὶ πάντων τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν, καὶ τῶν ἐν τούτοις τοῖς μέρεσιν ἐπισκόπων. *Sed non mei ſolius eſt hæc ſententia, ſed & omnium, qui per Italiam ſunt, & Epiſcoporum in hiſce partibus degentium*. Ac confirmatur ex S. Athanaſio *Epiſt.* ad ſolitarios: *Romæ vero congregati Epiſcopi prope* 50. *Euſebianos ut ſuſpectos, & timentes ſe ſiſtere, non receperunt* . Et hi 50. Epiſcopi de quibus meminit S. Athanaſius , erant omnino Epiſcopi Romanæ provinciæ . Confirmari præterea poſſet *Epiſt.* 13. S. Gelaſii , ac teſtimoniis Socratis, & Sozomeni . Quod vero Euſebiani S. Julium Occidentales denotatos voluiſſe dixerint, id eorum inſcitiæ, vel malignitati tribuendum, ut ſcilicet Julium nova molientem oſtenderent .

(1) Ille ipſe Dupinus , qui , ut ſupra notavimus, truncat verba Julii, *ead. Diſſ. cap.* 1. §. 4. dicit Chriſtianum Lupum ſupra ſcripta verba referentem *hoc indigno , & peſſimo exemplo truncare verba Juvenalis* . Vult igitur ita adductum integrum textum : *Oportebat quidem Joannem reverendiſſimum Antiochiæ Epiſcopum , hac ſancta & venerabili ſynodo conſidente , ſtatim ut ſe purgaret accurrere , & ad Apoſtolicam ſedem nobiſcum conſedentem , magna Roma , & Apoſtolica etiam S. Dei Eccleſia Hieroſolymitanorum honorem deferre , & obedire , præſertim cum conſuetudo ſit , ſedem Antiochenam ex Apoſtolico ordine & traditione ab ea dirigi , & apud ipſum judicari* : Unde hoc privilegium judicandi de Eccleſia Antiochena a Juvenali tributum contendit Epiſcopo Hieroſolymitano , non Romano . Non inficior, in vulgatis concilii Epheſini actis ita legi , uti legit Dupinus; ſed hujus illatio nulla eſt. Ad hoc probandum in medium afferimus antiquum ſcholion Græcum ita conceptum : διὰ τὸ ἀκατάλληλον , καὶ ἀνακόλουθον , οὕτως (σύνοδον ταύτην καὶ τὸν ἀποστολικὸν θρόνον συνεδρεύοντα ἡμῖν τῆς μεγάλης Ῥώμης σὺν τῷ ἀποστολικῷ τῶν Ἱεροσολύμων ἁγίᾳ τοῦ θεοῦ ἐκκλησίᾳ εὐθέως εἰς ἀπολογίαν τῶν ἐπαγομένων αὐτῷ δραμεῖν , ὑπακοῦσαι καὶ τιμῆσαι) ἐν ᾧ (παρ' ᾧ μάλιστα ἔθος) δηλαδὴ τῷ τῆς Ῥώμης , ἐκεῖ γὰρ καὶ τὰ τοῦ Σαμοσατέως ἐξητάσθη , καὶ ἡ Παυλίνου πρὸς Μελέτιον ζυγομαχία διεγνώσθη . *Propter incohærentiam & abſurditatem, ſic (ſynodum hanc & Apoſtolicum thronum nobiſcum conſidentem magna Roma cum Apoſtolico Hieroſolymorum Sancta Dei Eccleſia ſtatim ad ſe purgandum convenire , auſcultare , & honorare) in quo (in quo maxime conſuetudo) ſcilicet throno Romæ: ibi enim & diſſidia Samoſateni agitata , & controverſia Paullini cum Meletio cognita fuit* . Hic igitur exemplis Paulli Samoſateni , & Paullini Antiochenſium Scholiaſtes paraphraſin ſuam etiam corroborat ; cum contra nulla exempla ſuppetant Epiſcoporum Antiochiæ , de quibus Epiſcopus Hieroſolymitanus judicium tulerit, vel cognitionem ſibi aſſumſerit . Atque adeo id verum eſt, ut hoc ipſe Dupinus *Diſſert.* 1. §. XI. confiteatur : *Sed nullum occurrit exemplum, quo probari queat Antiochenam ſedem ab Hieroſolymitana fuiſſe directam* . Et nullius prorſus momenti eſt exceptio , quam ſubdit : *niſi forte præ oculis habuerit* (Juvenalis) *Apoſtolica tempora , eam in Eccleſia Hieroſolymitana occaſione Antiocheni diſſidii habitum eſt I. Concilium, unde Epiſtola ad Fratres in Syria conſiſtentes miſſa eſt* . Nullius, inquam, momenti eſt hæc exceptio : Diſſidium namque Antiochiæ exortum non ad illam ſolum, ſed ad univerſam Eccleſiam ſpectabat ; nec fuit ſopitum a Hieroſolymitano throno , ſed a concilio generali Apoſtolorum , cui B. Petrus præſedit . Sed eſto, concedatur, quod Juvenalis amplianda ſuæ poteſtatis ſtudio Hieroſolymitanæ Eccleſiæ tribuerit privilegium de Antiochena judicandi ; illam non aliter nominare auſus fuit , niſi poſtquam nominaſſet Eccleſiam Romanam , ut ejuſdem ad hanc admotione fucum faceret ; & ſic etiam primas de primis ſedibus judicandi Romano Pontifici tribuit .

(2) Sic ſynodus VI. generalis cum Imperatorem affatur, Agathonem R. Pontificem vocat Epiſcoporum omnium Patrem, & ſummum Papam : *Sanctiſſimi Patris noſtri , ac ſummi Papæ* . Quæ loca confer cum iis , quæ ſupra *adnotatione* 2. *ad caput IV. ſub init.* notavimus contra Dupinum : ac adde S. Cyrillum Alexandrinum eidem S. Cæleſtino etſi ordinatione ſe juniori ita ſcribentem : *Sanctiſſimo , Deique amantiſſimo Patri Cæleſtino Cyrillus in Domino ſalutem* ; S. Baſilium M. *Epiſt.* ad Damaſum , ubi eum vocat : Τιμιώτατε Πάτερ *colendiſſime pater* ; & Maximum Antiochenum, qui *act.* 3. concilii Chalcedonenſis in Dioſcorum ita pronuntiavit : *Ideo eam Eccleſiæ ſententiæ ſubjicio , ſicut & ſanctiſſimus & beatiſſimus Archiepiſcopus , & Pater noſter Leo ejuſdem ſenioris Urbis Romæ per vicarios &c.*

(3) De Paullo Samoſateno Antiocheni Epiſcopo objici ſolet , quod ſine prævia ad ſanctam ſedem relatione ab Antiochena ſynodo depoſitus fuerit . Sed facilis eſt reſponſio : agebatur nimirum de hæretico notorio , qui nullo colore ſe tegere poterat, ut colligitur ex Euſebio *lib. VII. Hiſt. cap.* 29. ubi de eo habet : *Convictus & ab omnibus manifeſtiſſime deprehenſus falſi dogmatis reus ab univerſa , quæ ſub cælo eſt , Eccleſia Catholica eliminatus eſt* ; ac confirmat Theodoretus *lib.* I. *Hiſt. cap. IV. Qui omnium abique Epiſcoporum conſilio, ac judicio ab Eccleſia remotus eſt*. In hujuſmodi vero caſibus procedi poſſe extra ordinem , & majores minorum ſubjacere judicio nulli dubium eſſe poterit ; cum & ipſe Papa ſi uti perſona privata talis fuerit, (nam uti Papa eſſe nequit) deponi poſſet , ſeu depoſitus declarari : licet ex ſingulari Dei providentia hic caſus numquam acciderit . Quod Patres Antiochenæ ſynodi extra ordinem proceſſerint , ſatis evincitur quod una cum *Epiſt.* ſynodica ad omnes provincias tranſmiſerint exemplaria rerum geſtarum : *Neque id ſimplici aſſertione noſtra , ſed ex ipſis quæ ad vos tranſmiſimus geſtis , non ſemel declaratur , maxime vero ubi dicit , J. Chriſtum e terra ortum fuiſſe* : Ut ſcilicet hac tranſmiſſione actorum omnibus conteſtarentur , ſe id jure feciſſe; quod neceſſarium non fuiſſet , ſi ordine ſervato proceſſiſſent . Ubi etiam obſervanda reverentia præſtita R. Pontifici a Patribus Antiochenis ; cum eam Epiſtolam eodem Euſebio teſte prius miſerint *ad Dionyſium R. Urbis Epiſcopum , & ad Maximum Alexandrinum* , & deinde ad omnes provincias . Ceterum ,

quæ

ſcuti poſſit, niſi illi fuerit ſubjectus, hinc etiam habemus quoſcumque Epiſcopos *αὐτοκεφάλους* a ſolo Romani Pontificis judicio pendere debere, ut ait S. Gregorius *Can.* 7. 2. *quæſt.* 1. *Contra hoc ſi dictum fuerit, quia nec Metropolitanum habuerunt, nec Patriarcham, dicendum eſt, quia a Sede Apoſtolica (quæ omnium Eccleſiarum caput eſt) hæc cauſſa audienda fuerat ac dirimenda.* (1)

Metropolitæ item cum non poſſent niſi a ſuis Patriarchis vel Exarchis judicari, ex ſupra adducta ratione, quod *ab inferioribus potior diſcuti non poteſt aut judicari*, (2) quam & concilium Chalcedonenſe ſupponit; hinc, qui ad Eccleſiam Occidentalem pertinebant, diſcuti & judicari, niſi a Sede Apoſtolica, non poterant. Quod jus Sedis Apoſtolicæ judicandorum Metropolitanorum petitione ſynodi Romanæ, cui S. Damaſus & S. Ambroſius interfuerunt, confirmavit ſua lege Imperator Gratianus. Itaque S. Gregorius M. *lib.* 7. *al.* 9. *epiſt.* 8. rel. *Can.* 45. 2. *qu.* 7. ad Epiſcopos Sardiniæ ſcripſit: *Metropolitanum veſtrum in ali ua poſtponere non præſumatis: excepto ſi (quod non optamus) contra eumdem vos habere aliquid cauſſæ contingat, ut ab hoc Sedis Apoſtolicæ judicium petere debeatis.* Atque adeo verum eſt, Romanos Pontifices ſibi reſervatam voluiſſe primam cognitionem cauſſarum Metropolitarum ſui Patriarchatus, ut eam nec ſuis Vicariis per Diœceſes conſtitutis delegaverint. Hinc S. Leo M. *epiſt.* 84. exprobravit Anaſtaſio Theſſalonicenſi ſuo Vicario per Illyricum, quod coactionem in Atticum veteris Epyri Metropolitam exercuerat: & S. Hilarus qui Leonem excepit, Leontio Arelatenſi ſuo per Galliam Vicario ita delegavit cauſſam Mamerti Viennenſis Metropolitæ, ut ſibi tamen reſervaret judicium, poſtquam ipſius Leontii & ſynodi relationem accepiſſet; & reapſe relatione accepta negotium illud terminavit. Verum hæc quæ de Metropolitis diximus, non ſemper & ubique fuerunt pariæque obſervata. Hinc non mirum ſi Hadrianus Litteris ſupra laudatis ad Tilpinum tempori cedens, & contrariam conſuetudinem diſſimulans ei ſolummodo facultatem ad Romanam Sedem ſive poſt, ſive ante latam ſententiam appellandi facit. Sed tamen queritur, quod Rigobertus ejus anteceſſor fuerat expulſus *ſine ullo Apoſtolicæ Sedis conſenſu & interrogatione.*

A Non modo de Metropolitanis, ſed etiam de ſimplicibus Epiſcopis judicium a Patriarchis fieri debuiſſe; ita ut ſine horum conſcientia & permiſſu provinciales ſynodi eos deponere non poſſent, colligitur ex *epiſt.* S. Innocentii ad Alexandrum Antiochenum, ubi loquens de ejus Patriarchatus jure ait: *Quorum enim te maxima ſpectat cura, præcipue tuum debent mereri judicium.* Ratioque eruitur ex eadem *epiſt.* *Itaque arbitramur, Frater cariſſime, ut ſicut Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari, ſic & ceteros non ſine permiſſu conſcientiaque tua ſinas Epiſcopos procreari.* Et ſic a quo procedebat conſecratio, procedere debebat depoſitio; cum B quævis res per eaſdem cauſſas, & fiat, & deſtruatur; eoque magis quod hujuſmodi res difficilius deſtruantur, quam fiant. Idem igitur Epiſcopo Romano jus erat in Epiſcopos ſui vaſtiſſimi Patriarchatus, ut ut illud non ſemper & ubique reapſe exercuerit. Eo reſpexiſſe videtur Sanctus Cyprianus *epiſtola* 67. ad Sanctum Stephanum Papam: *Dirigantur in provinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem a te litteræ, quibus abſtento Marciano alius in locum ejus ſubſtituatur, & grex Chriſti qui in hodiernum ab illo diſſipatus & vulneratus contemnitur, colligatur.* Conſtitutis vero a Romano Pontifice per Diœceſes ſuo Patriarchatui C ſubjectas Vicariis, per hos ſaltem ſuum jus in judiciis Epiſcoporum earum regionum exercuiſſe dicendum. Et reapſe Archiepiſcopo Theſſalonicenſi per Illyricum Vicario conſtituto Pontifices jus tribuerunt ordinandorum Metropolitarum, ac confirmandorum Epiſcoporum ejus Diœceſis: & ſic cum etiam ſtatuiſſent, *ut quidquid de cauſſis*, ut loquitur Cæleſtinus *ep.* 3. *ageretur*, ad eum referendum eſſet, in primis criminales Epiſcoporum cauſſæ veniebant, ita ut ſine ejuſdem conſcientia & conſenſu nihil decerni poſſet. Quod de Illyrici Diœceſi diximus, id de aliis Diœceſibus Rom. Patriarchatui ſubjectis dicere debemus, cum & in iis jus ordina- D tionum habuerit, & ut probat Natalis Alexander *Diſſer.* XX. in Sæculum IV. *propoſitione* 2. Romanus Pontifex per ſuos Vicarios illud etiam exercuerit: & eſto illud non exercuerit, (3) ut aliis placet, exercuit certe alterum judicandi de Epiſcoporum criminalibus cauſſis, quod erat gravius, & maturiori conſilio ac majore auctoritate fieri debebat.

---

quæ modo diximus de Samoſateno damnato, ſine prævio conſenſu R. Pontificis, non repugnant iis, quæ ſupra notavimus ex Græco Scholio, *diſſidia Samoſateni* Romæ fuiſſe *agitata*: hoc enim intelligitur de diſſidiis poſt depoſitionem exortis, cum Samoſatenus perfracte ſe defendens Epiſcopium deſerere nollet, cauſſaque ad Aurelianum Imperatorem delata, ab hoc ad R. Pontificem, & ad Epiſcopos Italiæ remiſſa fuit.

(1) Sed cur S. Gregorius ibi loquens de Epiſcopo Hiſpano eum ponit, poſſe non habere neque Metropolitanum, neque Patriarcham? nonne talis Epiſcopus Romano Patriarchæ ſubjectus erat? Rationem reddit Petrus de Marca *lib.* I. *de Concor. cap.* 5. inquiens: *Etſi jure Patriarchico in Occidente fruerentur Epiſcopi Romani, ſe ſe Patriarcharum nomine jactare non conſueviſſe, Sed auctoritatem ſuam ſola ſedis Apoſtolicæ appellatione explicuiſſe. Quod eruitur e laudabili quodam loco priſco e S. Gregorii M. regeſto:* qui eſt is de quo loquimur. Poſt alia, quæ in evidentem confirmationem ejuſdem rei ex eodem S. Gregorio affert, hæc ſubdit: *Noluit ergo Patriarcha audiri Gregorius: Sed etiam non alienum a ſe duxit, jure Patriarchico uti per Occidentis Provincias. Quem morem ſecutus eſt Innocentius III. qui quatuor Patriarchas numerando, R. Eccleſiam intra dignitatis illius limites non cogit.* Hinc non bene Eſpenius *Comm. ad Can.* 6. *diſt.* 22. hæc habet: *Gratianum caco more etiam errantem ſecuti Canoniſtæ R. Pontificem ſenſim e numero & ordine Patriarcharum expunxerunt, & quatuor dumtaxat Patriarchas numerarunt; quos tandem ſequutus eſt Innocentius III. in cap. Antiqua &c.*

(2) Dupinus *Diſſert.* II. *de antiq. Eccl. diſcip. cap.* 1. §. 4. contendit, *Epiſcopos provinciæ in ſynodo coactos, ſuperiores eſſe Metropolitano, quia totum cuilibet præſtantiſſimæ parti merito præponitur.* Sed quomodo totum dicitur, cui deeſt pars præſtantiſſima? Hoc, ut Scholaſtici loquuntur, implicat in terminis.

(3) Sed cur Romani Pontifices ordinationis jus, quod ſibi per omnes Patriarchatus ſui diœceſes & provincias competebat, in ſolo Illyrico per Vicarium Theſſalonicenſem exercuerint? Facilis & prompta eſt reſponſio: nimirum, Cum Gratianus Occidentis Imperator Illyrici provincias pleraſque, quæ cum Theſſalonicenſi ceteriſque illarum diœceſeon Occidentali Imperio ſuberant, anno 379. in gratiam Theodoſii Orientis Imperatoris recens renunciati hujus ditioni adjunxiſſet: e re ſua putarunt Romani Pontifices, ut illas provincias ſtrictiori vinculo ſibi devinctas tenerent, ne imminutioni Occidentalis Imperii, imminutio quoque Occidentalis Patriarchatus accederet. Eoque magis Romani Pontifices hac in re cautos ſe reddiderunt, quod Conſtantinopolitanus Epiſcopus jam caput extollere cœperat, & uſurpatione jurium aliarum ſedium ſuum Patriarchatum ſtabilire, & ampliare ſtudebat. Uti reapſe deinde illas Illyrici ſibi arrogare non ſemel tentavit, & tandem voti compos factus Leonis Iſaurici decreto in odium fidei vindicatæ a duobus Gregoriis II. & III. Hinc ordinationum jus per univerſum Illyricum non modo Epiſcopo Theſſalonicenſi Vicario ſuo Romani Pontifices reſervatum voluerunt, ſed illud etiam cautionis addiderunt, quod illic Romani Clerici de Eccleſiis benemeriti in Epiſcopatus aſſumi poſſent, ut habetur *Epiſt.* S. Siricii ad Anyſium: Id quod ſingulare fuit, cum regula eſſet, ne in electione Epiſcoporum idoneis indigenis vacantium Eccleſiarum alienigenæ præferrentur. In aliis vero diœceſibus cum nec enunciatus timor, nec alius rationabilis eſſet, Epiſcoporum ordinationes permiſerunt Metropolitanis,

bat. Itaque cum S. Zoſimus, Patroclo Arelatenſi ſuo Vicario per Gallias conſtituto, ſcripſerit ad Epiſcopos ejus Regni: *Ad cujus notitiam, ſi quid illic negotiorum emerſerit, referri cenſemus, niſi magnitudo cauſſæ etiam noſtrum requirat examen*: Cum, inquam, ita ſcripſerit, in primis criminales Epiſcopi cauſſas denotatas voluit, ita ut ſine illius voluntate provinciales ſynodi de iis nihil ſtatuere poſſent: id quod expreſſe habent Vigilius Papa *epiſt.* (1) 9. ad Aurelianum Arelatenſem, & S. Gregorius M. *lib.* 5. *epiſt.* (2) 50. ad Virgilium ejuſdem Arelatis *Urbis* Epiſcopum. Neque Romanus Pontifex ſuis Vicariis cauſſas delegando, eas a ſe abdicabat, ſed earumdem cognitionem ſibi, cum vellet, aſſumere poterat. Sic S. Bonifacius cauſſam Maximi Valentini qui ad eum recurrerat, ita Patroclo aliiſque Epiſcopis delegavit, ut reviſionem ſibi reſervaret, inquiens: *Quidquid autem veſtra caritas de hac cauſſa decernendum eſſe duxerit, cum ad nos relatum fuerit, noſtra, ut condecet, neceſſe eſt auctoritate firmetur*. Huc etiam faciunt, quæ ſtatuit Gregorius Magnus rel. *Can.* 52. 56. *quæſt.* 1.

His de peculiaribus juribus Romani Pontificis in cauſſis quorumdam Epiſcoporum delibatis, videamus quid generatim in criminalibus cauſſis omnium etiam nulla appellatione interpoſita ei competebat. Ex ſupra memorata Epiſtola S. Julii ad Orientales videretur dicendum omnium Epiſcoporum cognitionem criminalium cauſſarum Romano Pontifici eſſe reſervatam, vel ſaltem omnium eorum, qui Sedes ab Apoſtolis fundatas tenent; ibi enim habetur: *Oportuit omnibus nobis* (ipſi ſcilicet cum Epiſcopis Italiæ in ſynodo Romana congregatis) *ſcripſiſſe, & ita ab omnibus, quod juſtum eſſet decerneretur; Epiſcopi enim erant qui patiebantur, nec vulgares Eccleſiæ quæ vexabantur, ſed quas ipſi Apoſtoli per ſe gubernarant*. Sed cum S. Julius, ut ſupra notavimus, potiſſimum de Epiſcopo Alexandrino ſe loqui ſubjungat, de hoc abſolutam neceſſitatem, de aliis congruentiam indicare videtur. Hinc ſynodus Sardicenſis agens de judiciis criminalibus Epiſcoporum, de eorum pro-

A vocatione ad Sedem Apoſtolicam tantummodo loquitur; in *epiſt.* tamen *ſynodica* ad eumdem Julium hæc inter alia ſcribit: *Hoc optimum & valde congruentiſſimum eſſe videtur, ſi ad Caput, id eſt ad Petri Apoſtoli Sedem, de ſingulis quibuſque provinciis Domini referant Sacerdotes*. Igitur etſi appellatio nulla interceſſiſſet, jubebantur Epiſcopi de iis quæ in ſynodis tractaverant, certiorem reddere Sanctam Sedem. Quo reſpexiſſe videtur S. Innocentius *epiſt.* ad Victricium *cap.* 6. *Si majores cauſſæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apoſto-* B *licam, ſicut ſynodus ſtatuit, & beata conſuetudo* (3) *exigit, poſt Epiſcopale judicium referantur*. Inter cauſſas majores non infimum locum obtinuiſſe illas, in quibus de deponendis Epiſcopis ageretur, nemo inficias iverit, qui attenderit ad illud Ambroſii *de dignitate Sacerdotii cap.* 3. *Nihil eſt in hoc ſæculo excellentius Sacerdote, nihil Epiſcopo ſublimius reperitur*; ad illud Gelaſii *Can.* 10. *diſt.* 96. *Honor & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari*; & ad illud Gregorii M. de hujuſmodi cauſſis *lib.* 3. *epiſt.* 8. verba facientis: *Non tam de humanis conſtitutis, quam de divinæ quodammodo benedictionis refragatione tractari*. Hinc idem Gelaſius *epiſt.* ad Orientales dolens de irregu- C lari Epiſcoporum depoſitione ibi facta, inter alia *cap.* 9. ait: *Taceo quia ad nos fuerat paterna conſuetudine referendum, tantummodo commoveo, quid fieri eccleſiaſtico jure convenerat.... ſine ulla diſcuſſione rerum, ſine ulla ſynodali examinatione, ſine ulla ſedis Apoſtolicæ reverentia*.

Neque hujuſmodi relationes ejus tantummodo uſus erant, ut Romanos Pontifices ſcirent, quid actum eſſet; ſed cum ex iis aliquid irregulariter geſtum deprehenderent, etiam retractarent, ut infra cum de illorum in Synodos poteſtate agemus, videbimus. Et in ſpecie depoſitionis Epiſcoporum in ſynodo decretæ, & per Romanum Pontificem D poſt relationem retractatæ habemus exemplum S. Innocentii I. qui ſic retractavit cauſam Epiſcoporum Bubalii & Tauriani a ſynodo Macedoniæ damnatorum. (4) Huc igitur de integro ſtatuit Mercator, & quidem in gratiam Epiſcoporum, ut has

nis, vel eorum illuſtrioribus ſecundum varias locorum conſuetudines, & ipſorum Metropolitarum ſynodis; & ſic eas hi non tam jure ſuo, quam ſedis Apoſtolicæ faciebant: & hoc videtur dicere S. Siricius *Epiſt.* ad Afros *cap.* 1. *Ut extra conſcientiam ſedis Apoſtolicæ, hoc eſt Primatis* (qui ibi erat loco Metropolitani) *nemo audeat ordinare*. Idemque videntur innuere concilium Aurelianenſe III. *Can.* 3. & Toletanum IV. *Can.* 19. cum de hujuſmodi ordinationibus ſtatuant: *Sicut* (verba ſunt Aurel.) *decreta ſedis Apoſtolicæ continent*; & *Secundum* (verba Toletani) *ſynodalia, vel decretalia conſtituta*. Hinc S. Bonifacius I. Papa ejuſque ſucceſſor S. Leo Magnus Epiſcopis Arelatenſibus abſtulerunt jus ordinationis, quo etiam ſanctæ ſedis permiſſu gaviſi fuerant per provincias Narbonenſes, & Viennenſem, ac ad eorum provinciam reſtrinxerunt. Quam reſtrictionem utique non feciſſent, niſi ratum habuiſſent, tale jus a ſuo arbitrio pendere.

Illud etiam remiſſiores ſummos Pontifices reddere potuit in tuendo jure ordinationis per alias diœceſes ſui Patriarchatus, quam per Illyricum, quod ibi talis juris illuſtrem titulum fundationis Eccleſiarum per B. Petrum, ejuſque ſucceſſores, ipſos nempe Romanos Pontifices, haberent; ut colligitur ex S. Innocentio *Epiſt.* ad Decentium *cap.* 2. *Præſertim cum ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, & inſulas interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes*. Quod confirmatur ex S. Auguſtino *Epiſt.* 162. aliiſque. Cum igitur hujuſmodi titulo jus foverent, timendum non erat, ne ex poſſeſſionis interruptione illud vacillaret, cum ſemper pro ſuo arbitrio eam reaſſumere poſſent. At in Illyrico cum dictam fundatarum Eccleſiarum per B. Petrum ſpecialem titulum non haberent, ideo magis ſe in poſſeſſione fundabant. Ceterum etiam in Illyrico titulum fundationis Eccleſiarum habebant, nempe per B. Paullum, qui B. Petri Romæ ſocius & in vita, & in morte fuit; quin ex ſenſu aliquorum ibidem

etiam Coepiſcopus fuerat, ita ut ambo fuiſſent Romani Epiſcopi, licet in univerſa Eccleſia unius Petri primatus eſſet. Atque adeo verum eſt ex indulgentia RR. Pontificum ordinationes in aliis ſui Patriarchatus diœceſibus a Metropolitanis fuiſſe peractas, ut id Pontifices expreſſe proteſtati fuerint: ut cum Pelagius II. ad Jo. Patricium ſcripſit: *Nempe is mos antiquus fuit, ut quia pro longinquitate, vel difficultate itineris ab Apoſtolico onerosum illis fuerat ordinari, ipſi ſe invicem Mediolanenſis & Aquilejenſis ordinare Epiſcopi debuiſſent*. Et reapſe quis umquam dubitare poterit, ordinationes Epiſcoporum provinciarum Mediolanenſis, & Aquilejenſis ad Rom. Pontificem jure pertinuiſſe; cum illæ prius eidem etiam tamquam Metropolitano ſubeſſent: ante enim medium ſæculum IV. nullus alius in Italia, inſuliſque adjacentibus præter Romanum Metropolita erat.

(1) *Epiſt.* 9. *Si quam ergo inter fratres diabolus humani generis hoſtis antiquus zizaniam ſeminaverit calliditate iniquitatis conjuncta, aut de aliquo ſacerdotum fraternitati tuæ, ſervatis majorum per omnia conſtitutis, fuerit querela depoſita: adhibitis tibi fratribus ſecundum qualitatem negotii numero competenti, cauſſam canonica & Apoſtolica auctoritate diſcutiens, eo ſententia definies, quo & deceſſorum noſtrorum conveniat ſtatutis, & Deo ſit grata*.

(2) *Lib. VII. Epiſt.* 50. *Si qua vero inquiſitio de fide vel fortaſſe aliarum rerum inter Epiſcopos cauſſa emerſerit, quæ diſcerni difficilius poſſit, collectis duodecim Epiſcopis ventiletur atque decidatur. Si autem decidi nequiverit, diſcuſſa veritate ad noſtrum judicium referatur*.

(3) Non quidem inducta ex ſynodo, ſed antiquiſſima. Quemadmodum igitur ſynodus Sardicenſis de appellationibus ad ſanctam Sedem Canones condens nihil de integro ſtatuit, ut longe verior fert virorum eruditorum ſententia, ſed antiquum jus confirmat; ſic in Epiſtola ſynodica de relationibus ad eamdem, confirmat quod jam erat in uſu.

(4) Cujus facti Innocentius *Epiſt.* ad Macedonas, qui de eo querebantur, hanc rationem reddit, quam aſ-

relationes quæ poſt Epiſcopale judicium fieri debebant, etiam prævias requireret. Hæc ipſum obſervat Chriſtianus Lupus: ſed non advertit vir eruditiſſimus, id actum a Mercatore in gratiam Epiſcoporum. Ceterum Nicolaus I. Papa cum occaſione (1) falſarum Decretalium quæ recens emerſeſerunt, *epiſt.* 42. ad Epiſcopos Galliæ & in ſynodo Romana hoc idem jus ſtatuerit, ut ſcilicet inconſulta Sancta Sede Epiſcopi deponi non poſſent, nihil novum molitus fuit; & ſi novum dicere placet, illud æquitati & rationi erat conforme. Jam ſupra notavimus de Patriarcharum privilegiis, ut Epiſcoporum depoſitiones ſine illorum conſcientia & permiſſu fieri non poſſent: taleque jus Romanum Pontificem uti Occidentis Patriarcham in Galliis per ſuum Vicarium exercuiſſe, ideoque cum Nicolai tempore nullus eſſet ibi ejus Vicarius, recte Pontifex ipſe illud ſibi ἀμέσως vindicavit. Id quod eo juſtius & libentius fecit, quod novæ cauſſæ eædemque graviſſimæ erant ad hoc jus etiam de integro ſtatuendum, facilitas nempe deponendorum Epiſcoporum, quam eadem *epiſtola* idem Nicolaus innuit: *Si Epiſcopos tanta facilitate deponitis*, & eorum irregulares dejectiones, quas ſupra diximus. Quin ea facilitas ita Gallis fuit familiaris, ut ipſi Gregorio Papæ, ut ſupra notavimus ex Paſchaſio Radberto, temerario, immo inſaniſſimo auſu ejus depoſitionem comminati fuerint. Et reapſe ad comprimendam hanc facilitatem, quam Patres concilii Tricaſſini *ex temeraria Metropolitanorum præſumtione, & ex audacia & conniventia reliquorum Epiſcoporum* procedere ajebant, ipſi, ut ſupra notatum eſt, enixis precibus petierunt obſervantiam antiquarum Decretalium, quibus judicia Epiſcoporum Romano Pontifici reſervabantur. Nicolaus itaque cum ex interpretatione antiqui juris hujuſmodi jus ſibi vindicat, non tam veluti vetus, quam veluti novum ſibi aſſerit, inquiens ead. *epiſt. Unde tam illorum* (Metropolitanorum) *quam iſtorum* (Epiſcoporum) *negotiorum nobis exitus reſervari volumus, & jure decrevimus*. Quæ cum ita ſint, non eſt, quod Petrus de Marca, & poſt eum alii querantur de imminuta, ope falſarum Decretalium, per Romanos Pontifices poteſtate ſynodorum provincialium in judiciis Epiſcoporum. Huc faciunt etiam, quæ habet ſynodus VIII. generalis *Can.* 26. *Inſuper etiam nullo modo quiſquis Metropolitanorum, vel Epiſcoporum a vicinis Metropolitis, vel Epiſcopis provinciæ ſuæ judicetur, ſed a ſolo Patriarcha*. Huc & faciunt, quæ habet Additio IV. Capitularium Regum Francorum *cap.* 29. *Quoniam quamvis in comprovincialibus Epiſcopis accuſati cauſſam Pontificis ſcrutari liceat, non tamen definire inconſulto Romano Pontifice permiſſum eſt; cum B. Petro non ab alio, quam ab ipſo Domino dictum eſt: Quæcumque ligaveris &c.*

§. II.

De Romani Pontificis in Epiſcoporum ſynodis auctoritate.

Quod ad alterum Caput attinet, ut ſcilicet nulla ſynodus præter Sedis Apoſtolicæ auctoritatem cogatur, quod paſſim legitur in falſis Decretalibus, & in ipſa quoque præfatione, id ſumtum ex ſupra exſcripto loco *epiſt.* Julii ad Orientales: *An ignari eſtis, hanc eſſe conſuetudinem, ut primum nobis ſcribatur, & hinc quod juſtum eſt, definiri poſſit?* Seu verius deſumtum ex Socrate, qui *lib.* 2. *cap.* 17. eum locum ita exhibet: τῶ κανόνος ἐκκλησιαστικοῦ κελεύοντος μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν: *Cum eccleſiaſtica regula interdictum ſit, ne præter ſententiam Romani Pontificis quidquam ab Eccleſia decernatur*. (2) Socrati concinit auctor Hiſt. tripartitæ *lib.* 4. *cap.* 10. & Sozomenus *lib.* 3. *cap.* 10. addit: *Pro irritis habenda eſſe, quæ præter ſententiam Romani Pontificis fuerint geſta*. Putat Petrus de Marca hunc Canonem, cujus ex Julio meminit Socrates, eſſe *Canonem ſextum* Nicænum: Sed cum neque ibi, neque in aliis Canonibus antiquorum conciliorum id reperiatur ſtatutum, hæretici Julium temere fuiſſe locutum effutiunt. Sed magis eſt, nomine *Canonis* ibi intelligi regulam diſciplinæ ab Apoſtolis traditam, etſi in *Canonibus* conciliorum non eſſet exſcripta. Mos enim fuit antiquorum traditiones Apoſtolicas etiam *Canones* appellare. (3) Sic idem Julius eadem *epiſt.* Apoſtolorum *Canones* appellat, qui ſtatuunt, ut *ex ipſo ſacerdotali ordine, ex ipſo Clero ab Epiſcopis provinciæ Epiſcopus conſtituatur*. Mercator itaque ex maxima cacoethe qua laborabat, effingendarum Litterarum decretalium quæ ad ſuum ſcopum collinearent, duas alias effinxit Epiſtolas Julii ad Orientales, in quarum I. hæc habet *cap.* 1. *Ipſi vero primæ Sedis Eccleſiæ convocandarum generalium ſynodorum jura, & judicia Epiſcoporum ſingulari privilegio Evangelicis & Apoſtolicis, atque Canonicis concesſa ſunt inſtitutis*; & *cap.* 2. rel. *Can.* 3. *quæſt.* 6. *Dudum a ſanctis Apoſtolis ſucceſſoribusque eorum, in præfatis antiquis decretum fuerat ſtatutis, quæ hactenus ſancta & univerſalis Apoſtolica tenet Eccleſia: Non oportere præter ſententiam Romani Pontificis concilia celebrari, nec Epiſcopum damnari*. Hoc ipſum habetur Nicæni nomine in altera *epiſt.* Julio tributa, ac habetur etiam in Pſ-Marcelli *epiſt.* I. & II. in Pſ-Athanaſii & Ægyptiorum *epiſt.* ad Felicem II. & in Pſ-Damaſi *epiſt.* 5. alibique. Et quod Mercator nomine Julii ſupra dixit de ſingulari jure Romani Pontificis congregandorum conciliorum generalium, id ipſum repetit ſub nomine Pelagii II. *epiſt.* 8. ad Epiſcopos ſynodi Conſtantinopolitanæ ſub Jo. Jejunatore; & quidem opportune, cum deſideraretur genuina Epiſtola Pelagii, cujus meminit S. Gregorius M. contra audaciam Joannis modo dicti, qui ſe Patriarcham univerſalem inſcribebat, eoque nomine ſynodum etiam convocavit. Hinc talis a Mercatore Pelagio ſuppoſita Epiſtola a multis docliſſimis viris iiſdemque naſutioribus pro genuina ha-

---

aſſert etiam Grat. *Can.* 7. 35. *quæſt.* 9. *Grave non oportuit videri piiſſimis mentibus veſtris cujuſcumque retractari judicium: quia veritas examinata ſæpius magis ſplendeſcit in luce, & pernicies revocata in judicium gravius, & ſine illius qui primus judicavit, pœnitentia condemnatur: Nam fructus divinus eſt, juſtitiam ſæpius recenſeri*.

(1) Conſulto dixi *occaſione*, non *cauſſa*, ad denotandum, ut ſupra etiam obſervavimus, quod licet Nicolaus ad falſas Decretales reſpectum habuerit, quas ſubobſcure indicaſſe videtur: in illis tamen non ſe fundat, ſed in genuinis & indubiis monumentis, ex quorum interpretatione earumdem ſententias appoſite depromit.

(2) Henricus Valeſius *adnotat.* ad hunc Socratis locum, contendit, heic referri a Socrate, quod in *Epiſtola illa* (Julii) *nuſpiam legitur*. Sed recte Baluzius *adnot.* ad *cap. XII. Lib. V. de Concor.* Petri de Marca, poſt eumdem de Marca probat, Socratem etſi verba Julii non ſecutum, ejus tamen ſenſum fuiſſe adeptum. Hinc male Blondellus contra Socratis, & Sozomeni dictum excipit, inquiens: *Sed eorum ſententia undique nutat*.

(3) Et aliquando *conſuetudines* etiam appellatæ fuerunt; ut colligi poteſt ex S. Leone M. *Serm.* 77. *Dubitandum non eſt, quidquid in Eccleſia in conſuetudinem devotionis eſt receptum, de traditione apoſtolica prodire*. Et ſic habemus *Canonem* de quo Socrates loquitur, eumdem eſſe ac *conſuetudinem*, cujus S. Julius meminit, & quam ipſe Julius *Canonem* ibidem prius appellaverat: *Oportebat ſecundum Canonem & non iſto modo judicium fieri*.

habita fuit. Ac in ea etiam habetur: *Non debere abſque ſententia Romani Pontificis concilia celebrari.*

Quod generalium contendorum conciliorum jus, vi ſui primatus Romano Epiſcopo ſingulari privilegio competat, omnes fere Theologi ac Canoniſtæ propugnant, ſaltem ex jure; (1) ut ut dubitari poſſit, num de facto illud ſemper plene exercuerit. (2) At nulla eſſe generalia concilia Romani Pontificis auctoritatis expertia exploratiſſimi juris eſt. (3) Sed idem de Marca *lib. 6. de Conc. cap.* 28. contendit, etiam ex falſis Decretalibus cœpiſſe contra antiquos mores S. Nicolaum I. ſibi tribuere jus congregandi concilia Diœceſana, ſeu Nationalia, quæ dicebantur *Generalia* alicujus Regni, vel nationis; ut eum in *ſynodo Romana VII.* habita anno 865. ait de ſynodo Sylvanectenſi: *Cujus rei gratia facto concilio generali, quod ſine Apoſtolicæ Sedis præcepto nulli fas eſt vocandi.* Num Mercator conciliorum generalium nomine comprehenderit etiam Diœceſana, non conſtat: quemadmodum nec etiam conſtat, Nicolaum ſuam ſententiam ex eo hauſiſſe. Sed, utcumque res ſe habeat, Nicolaus in hoc nihil molitus contra antiquum jus videtur; agebatur enim de ſynodo Nationali in Gallia, quæ ad ſuum Patriarchatum pertinebat, quo nomine Sedes Apoſtolica antea ſuos Vicarios ibi conſtituere ſolita fuerat, etiam cum facultate convocandi concilia Nationalia, uti Pontifices, Hilarus, (4) Symmachus, Vigilius, Pelagius, Sanctus Gregorius Arelatenſi Vicario ſuo conceſſerunt. (5) Hinc & Sergius ſecundus *epiſtola* ad Epiſcopos Tranſalpinos, qua anno 844. conſtituit Drogonem Metenſem ſuum Vicarium in Gallia & Germania, inter alia dixit; *Huic ergo in congregandis generalibus ſynodis in omnibus prædictarum regionum partibus noſtrum commodamus auctoritatem, & quidquid provinciali ſynodo fuerit definitum, ad ejus ubique dilatione ſtatuimus notitiam perducendum.* Eoque magis Nicolaus ſibi hoc jus

A tribuebat, quod tunc in Gallia & Germania nullus Primas vel Vicarius eſſet, qui Diœceſanam ſynodum eccleſiaſtica poteſtate cogere poſſet. Sic idem de Marca eodem *cap. numer.* 13. ait, recte ab Epiſcopis Liguriæ, Æmiliæ & Venetiarum dictum Theodorico regi de concilio Romano III. ab ipſo rege in cauſſa Symmachi Papæ coacto: *ipſum* (Symmachum) *qui dicebatur impetitus, debuiſſe ſynodum convocare, & rex reſpondit: ipſum Papam in convocanda ſynodo voluntatem ſuam litteris demonſtraſſe*; eo quia Italia ad Romanum Patriarchatum pertinebat. (6) Quæ dicta volo ad confirmandum Romano Pontifici ex eodem de Marca jus concilia

B nationalia intra fines ſui Patriarchatus convocandi. Ceterum in ſpecie Symmachi præcipue conſideranda ſunt, quæ iidem Epiſcopi dixerunt: *Scientes, quia ejuſmodi primum Petri Apoſtoli meritum, vel Principatus ſecuta juſſione Domini conciliorum venerandorum auctoritas et ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem, nec ante dictæ Sedis Antiſtitem minorum ſubjacere judicio.*

De aliis conciliis autem ſive Nationalibus, ſive Provincialibus, quod dicitur ea fieri non poſſe præter auctoritatem Romani Pontificis, id intelligitur primo de ſynodis, quæ res ad fidem aut ad ſtatum Eccleſiæ univerſæ pertinentes, ceteraſque id genus alias definiebant: Sollemne enim habebant earum

C Patres, Epiſtolam ſynodicam ad Papam de rebus geſtis vel gerendis mittere, ut ab eo auctoritatem acciperent. Sic concilium Carthaginienſe Pelagii & Cæleſtii damnata hæreſi, ad Innocentium Papam ſcripſit: *Hoc itaque geſtum, Domine Frater, ſanctæ caritati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur auctoritas.* Hinc jure querebatur S. Julius de Euſebianis, quod, ſe inconſulto, Antiochiæ ſynodum habuiſſent; actum enim ibi fuerat de depoſitione Epiſcoporum Sedium Apoſtolicarum, Athanaſii præſertim Alexandrini, & in odium orthodoxæ Fidei. (7) Eo quoque ſenſu Provincialia, vel Nationalia

(1) Ipſe Dupinus *de Antiqua Eccleſ. diſcip. Diſſert.* IV. *cap.* 11. §. 3. hac quidem in re Joanne Launojo æquior hæc habet: *Sed dubium eſſe non poteſt, quin ubi fidei vel diſciplinæ periculum imminet, nec jam unius R. Pontificis auctoritas ad comprimenda Eccleſiæ diſſidia ſufficit, dubium, inquam, non eſt, quin hoc in caſu Romanus Pontifex claſſicum canere poſſit, & vi primatus ſui omnes Epiſcopos ad ſynodum generalem vocare, atque in eos ſi legitime vocati adeſſe renuerint, veluti in Eccleſiæ deſertores excommunicationis ferre ſententiam.*

(2) Prima enim Concilia generalia videntur ab Imperatoribus congregata; ſed idem Dupinus eod. loco de iis habet: *Verum equidem eſt, prima Concilia generalia ab Imperatoribus eſſe convocata, ſed ſæpe ſæpius* (immo ſemper) *Imperatores id egerunt ad preces Romanorum Pontificum, qui eo recurrebant, ut facilius ac promtius Epiſcopi congregarentur.*

(3) Hinc inter alia, quibus Legati Apoſtolici *actione* 1. concilii Chalcedonenſis urgebant depoſitionem Dioſcori Alexandrini, hæc habent: *Synodum auſus eſt facere ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ; quod numquam factum eſt, nec fieri licuit.*

(4) *Epiſt.* ad Epiſcopos Gallicanos: *Per annos itaque ſingulos ex provinciis quibus potuerit congregari, habeatur Epiſcopale concilium, ita ut opportunis locis atque temporibus ſecundum diſpoſitionem fratris & coepiſcopi noſtri Leontii, cui ſollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, Metropolitanis per litteras ejus admonitis celebretur: ut ſi quid uſquam vel in ordinandis Epiſcopis, vel Presbyteris, aut cujuslibet loci Clericis faciendis contra præcepta apoſtolica reperiatur admiſſum, aut in eorum converſatione quidpiam reprobatur, communi omnium auctoritate reſecetur.*

(5) Hos quidem nominavimus, qui expreſſe Vicariis ſuis facultatem convocandorum conciliorum fecerunt. Ceterum, ut obſervat idem Petrus de Marca *Lib. de Primatibus num.* 78. S. Hilarius Arelatenſis in Gallia convocandorum conciliorum jus ſibi tribuerat; idque in conſequentiam vicariæ poteſtatis quam S. Zoſimus delegaverat Arelatenſibus Epiſcopis, virtute cujus illis auctoritas quædam congendarum in Galliis ſynodorum competere videbatur.

(6) Ex hac regula excipienda eſt Africa, quæ licet ad Patriarchatum Occidentalem pertineret; Epiſcopus tamen Carthaginienſis jus habebat convocandorum conciliorum generalium totius Africæ, quæ ab Afris dicebantur *univerſalia*. Quia ille erat unicus Metropolita, & veluti Primas & Exarchus totius nationis. Ceterum ipſi Afri agnoſcebant, hujuſmodi concilia longe majoris auctoritatis eſſe, cum eis conſenſus R. Pontificis accederat; ut habemus ex Ferrando Diacono Carthaginienſi *Epiſt.* ad Anatolium: *Univerſalia concilia, præcipue illa quibus Eccleſia Romana conſenſus acceſſit, ſecunda auctoritatis locum poſt canonicos libros tenent.* Ac præterea ſubordinationem Epiſcopi Carthaginienſis Epiſcopo Romano tamquam Patriarchæ eum multa adſtruunt, tum quod refert Auctor Libri Pontificalis in Bonifacio II. *Eodem tempore venit relatio ab Epiſcopis de conſtitutione, ut cum conſilio Sedis Apoſtolicæ omnia Carthaginienſis Epiſcopus ageret.*

(7) Opponi poſſet, nonnumquam concilia nationalia & provincialia antiquitus fuiſſe habita ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, quæ tamen de rebus ad fidem pertinentibus egerunt. Non inficior ſane fuiſſe talia concilia, ſed quid tum inde? Ea enim vel res fidei tractarunt, tamquam ad diſciplinam pertinentes, uti fecerunt concilia orientalia, & Carthaginienſia in cauſſa Baptiſmatis ab hæreticis collati; vel id de fide ſtatuerunt, quod apud omnem Eccleſiam exploratum erat vel etiam definitum, uti exempli cauſſa fecit concilium Gangrenſe, quod multis Canonibus damnavit errores Euſtathii, qui in Manichæis & Marcioniſtis jam damnati fuerant. Quod autem vulgo creditur ex *Can.* 57. 16. *quæſt.* 1. Gangrenſes canones apoſtolica auctoritate conditos fuiſſe, id acceptum referendum Mercatori noſtro, qui in VI. ſynodo Symmacho Papæ tributa, ut contra uſurpationem bonorum Eccleſiæ duos eorum quos in medium adduxit, majore veneratione dignos redderet, eoſdem pro ſua libertate apoſtolica auctoritate conditos dicit.

lia Concilia ſine Papæ auctoritate dici poterant nulla, quatenus ab eo, appellatione interpoſita, vel aliis ex cauſſis declárabantur nulla. Sic, exempli cauſſa, reſciſſa fuerunt omnia acta concilii Conſtantinopolitani ſub Jo. Jejunatore a Pelagio II. Papa; de quo S. Gregorius Magnus ejus ſucceſſor pluribus in locis, præſertim *ep.64.l.7.* ad Euſebium Theſſalonicenſem Epiſcopum: *Superbum & peſtiferum OEcumenici, id eſt univerſalis ſibi vocabulum uſurpavit. Quod beatæ memoriæ Pelagius deceſſor noſter agnoſcens omnia geſta ejuſdem ſynodi præter ea, quæ illic de cauſſa venerandæ memoriæ Gregorii Epiſcopi Antiocheni ſunt habita, valida omnino diſtrictione caſſavit.* Et tandem ex mente ipſius auctoris falſarum Decretalium intelligitur de ſynodis, in quibus cauſſæ Epiſcoporum accuſatorum quæ præcipue ei cordi erant, tractabantur, & reapſe fere ſemper implicata oratione habet: *Non oportere præter ſententiam Romani Pontificis concilia celebrari, nec Epiſcopum damnari.* Quæ duo Mercator conjunxit, tum quod ex eodem loco Epiſtolæ genuinæ Julii addita Socratis, aliorumque interpretatione, ea tamquam inter ſe connexa ſibi haurire viſus eſt; tum ad denotandum Epiſcopum accuſatum inconſulta S. Sede non modo a ſynodo judicari non poſſe, ſed nec etiam audiri, nec præterea ipſam ſynodum hujuſmodi de cauſſis, ceteriſque majoribus cogi; ut colligitur ex *epiſt.* 1. ſub nomine Marcelli: *Ut nulla ſynodus fiat præter ejuſdem Sedis auctoritatem: nec ullus Epiſcopus, niſi in legitima ſynodo ſuo tempore Apoſtolica auctoritate convocata, ſuper quibuslibet criminibus pulſatus, audiatur, vel judicetur; quia ut paullo ſuperius prædicatum eſt, Epiſcoporum judicia, & ſummarum cauſſarum negotia, ſive cuncta dubia Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſunt agenda & finienda.* Ad cujus interpretationis confirmationem etiam obſervandum, Romanos Pontifices qui occaſione Pſeudo-Litterarum ſibi oblatarum Epiſcoporum criminales cauſſas ſibi reſervatas eſſe voluerunt, eas tantummodo ſynodos provinciales, quæ ſe inconſultis habebantur, pro irritis habuerunt, in quibus modo dictæ Epiſcoporum cauſſæ agebantur. (1) Nec uſque ad ſæculum XII. aliquem Scriptorem eſt invenire, qui docuerit ſynodos quaſcumque provinciales auctoritate Apoſtolica fulciendas, ut eſſent validæ.

Gratiano potius poſt Ivonem Carnotenſem tribuendum, quod dixerit, nullum eſſe concilium provinciale, quod inconſulta S. Sede fuerit celebratum; is enim *diſt.* 17. *Can.* 6. verba obtrectatorum Symmachi Papæ, quæ, ut notant Correctores Romani, habet Ennodius in ejus Apologetico, interrogativo modo ſic prolata: *Ergo concilia Sacerdotum eccleſiaſticis legibus quotannis decreta per provincias, quia præſentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt?* Is, inquam, hæc verba refert tamquam ipſius Symmachi affirmantis, & hoc ſummarium præpoſuit: *Provincialia concilia ſine præſentia Romani Pontificis pondere carent.* Et cum videret hoc antiquitati contrarium, *diſt.* 18. hanc diſtinctionem a Gloſſa ipſa reprobatam (2) adinvenit, quod valida ſint concilia inconſulta S. Sede, quæ exſecutionem Canonum urgent, non item, quæ nova decreta condunt. (3) Hinc non bene videtur dicere Petrus de Marca, quod per Litteras decretales *Metropolitanorum auctoritas in Canonibus decernendis maxime debilitata ſit.*

Quæ cum ita ſint, etſi auctor falſarum Decretalium ſplendide de Romana Sede loquatur, ſi unas excipias Epiſcoporum criminales cauſſas præcipue graviores, idque in gratiam ipſorum, nihil tribuit Romano Pontifici, quod antea illi, & quidem ſummo jure non competebat, quod ſequenti Capite confirmabimus.

CAPUT X.

Romani Pontificis jura, quæ cauſſas criminales, maxime Epiſcoporum non concernunt, Mercatorem minime curaſſe, multis demonſtratur.

ATque adeo verum eſt, ſupra dictas depoſitionum præſertim cauſſas auctorem falſarum Decretalium Papæ reſervaſſe in gratiam non ipſius, ſed Epiſcoporum, ut eorumdem cauſſas tranſlationum, quarum par erat ratio, immo quas potiori jure reſervare poterat, licet ex parte aliquando reſervare videatur, tamen omnes tandem Metropolitanis cum Epiſcopis comprovincialibus permittat; ut patet ex fragmentis earum Litterarum, quæ ordine chronologico Pontificum quibus tribuuntur, proferemus. Sub nomine Evariſti *epiſt.* 2. a Gratiano relati *Can.* 11. 7. *quæſt.* 1. *Sicut vir non debet adulterare uxorem ſuam: ita nec Epiſcopus Eccleſiam ſuam; id eſt ut illam dimittat ad quam ſacratus eſt, abſque inevitabili neceſſitate, aut Apoſtolica, vel regulari mutatione, & alteri ſe ambitus cauſſa conjungat:* ſub nomine Caliſti eodem loco *Can.* 39. *Si autem perſecutus fuerit in ſua Eccleſia, fugiendum eſt illi ad alteram Eccleſiam, atque eſt ſociandus, dicente Domino, Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam: ſi autem utilitatis cauſſa fuerit mutandus, non per ſe hoc agat, ſed invitatione fratrum & auctoritate hujus Sanctæ Sedis faciat:* (4) ſub nomine Anteri relati eodem loco *Can. Mutationes* 34. *Euſebius quoque de quadam parva civitate Apoſtolica auctoritate mutatus eſt in Alexandriam: ſimiliter Felix de civitate in qua ordinatus erat, electione civium propter doctrinam, vitamque bonam quam habebat, & communi Epiſcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac populorum conſilio tranſlatus eſt Epheſum. Non enim tranſit de civitate in civitatem, nec tranſfertur de minore ad majorem, qui hoc non ambitu, nec propria auctoritate facit, ſed aut vi a propria Sede depulſus, aut neceſſitate coactus, aut utilitate loci vel populi, non ſuperbe, ſed humiliter ab aliis tranſ-*

(1) Non igitur abſolute mandarunt, ne Metropolitæ cum ſuis Epiſcopis inconſulta ſancta Sede ſynodos provinciales haberent. Quod adeo verum eſt, ut Correctores Romani poſt heic ſequentem Gloſſam, Gratianum emendantes *adnot. ad Can.* 4. *diſt.* 17. hæc habeant: *Neque hoc capite non prohibet Pelagius, ſive Gregorius, ne Epiſcopi poſſint diœceſanas, & Metropolitæ provinciales ſynodos convocare, ſed ne ipſas ad judicandum univerſalem ſynodum congregent; & adnot. ad Can.* 6. *ibid.* habeant, quæ mox attingemus.

(2) Ait enim Gloſſa: *Illud non eſt verum, quia Epiſcopi bene poſſunt condere Canones epiſcopales, & Archiepiſcopi provinciales; quia quilibet populus, & quælibet Eccleſia ſibi poteſt ſtatuere aliquod jus, ut ſupra diſt. &c.*

(3) In Concilio Tridentino cum de hujuſmodi re actum eſſet, nihil de impetrando aſſenſu apoſtolico ad validitatem ſynodorum Provinc. fuit impoſitum. At Sixtus V. mandavit ſacræ Congregationi Concilii, ut Litteris Encyclicis ſignificaret omnibus Epiſcopis, ut ſynodos provinciales non publicarent; niſi prius ab ipſa fuerint probatæ: qua de re vehementer dolent Petrus de Marca & Eſpenius, quod concilio facta ſit violentia. Sed immerito queruntur. Non enim vult Sixtus, ut ſynodi provinciales a Sancta Sede firmitatem accipiant, ſed ut videatur, num aliquid contineant quod reformatione indigeat, non ſecus ac libri qui imprimendi ſunt, prius a poteſtate, tum laica, tum eccleſiaſtica examinari debent. Quin, ut moribus receptum eſt, ipſa Reſcripta apoſtolica publicari non ſolent ſine regio placito. Et valde mirandum, quod Eſpenius regii placiti defenſor acerrimus, qui illud poſt ſuum Queſnellium etiam requirit in decretis dogmaticis, reſpuat Placitum Papæ in ſynodis provincialibus; præſertim, quod novum non ſit, quod Romani Pontifices de decretis hujuſmodi conciliorum, cum fierent, certiores eſſe voluerunt.

(4) *Auctoritate hujus Sanctæ Sedis* nempe generali communicata omnibus Metropolitis, & Epiſcopis provinciarum, ut colligitur ex jam jam exſcribendis verbis Pſeudo-Pelagii ad Benignum.

Digitized by Google

tranſlatus eſt. Nam ſicut Epiſcopi habent poteſtatem regulariter ordinare Epiſcopos & reliquos Sacerdotes: ſic quoties utilitas aut neceſſitas cogerit, ſupra dicto modo, & mutare, & inthronizare poteſtatem habent: Et ſub nomine tandem Pelagii II. *epiſt.* ad Benignum Archiepiſcopum: *Quapropter cariſſime his Apoſtolicis fultus auctoritatibus, muta Epiſcopum cauſſa neceſſitatis aut utilitatis, ſuper quo conſulere nos voluiſti; & alios fratres noſtros, quibus hoc faciendum neceſſitas aut utilitas compulerit, agere doce: quia hoc, quod tibi ſoli ſcribimus, generaliter omnibus tenere mandamus. Quia ſicut poteſtatem habes Epiſcopos & Sacerdotes regulariter titulare, & ordinare, ita (ut prædictum eſt) cauſſa neceſſitatis aut utilitatis habes, & mutare ac de titulo in titulum tranſlatare, licet de minore ad majorem urbem mutandus ſit.* (1) Quod potiori jure hujuſmodi tranſlationum cauſſas Papæ auctor falſarum Litterarum reſervare potuiſſet, clare evincitur ex eo, quod tranſlationes Epiſcoporum non niſi per indulgentiam, ſeu diſpenſationem de Canonibus conciliorum generalium, Sardicenſis præſertim, eas abſolute prohibentium, locum habere poterant. At in talibus indulgentiis concedendis Romanos Pontifices, vel ſolos fuiſſe, vel primas ſaltem partes habuiſſe, nemo infitias ire poterit. Quod adeo verum eſt, ut ipſe Dupinus *de antiqua Eccleſiæ diſciplina diſſert. IV. cap. 2. §. 3.* ſcripſerit: *Quia Theologi noſtri cenſent, Romanum Pontificem a legibus, a conciliis etiam generalibus latis ſapienter diſpenſare poſſe eo in caſu, quo concilium ipſum diſpenſaſſet.* Et in ſpecie tranſlationum Epiſcoporum Auxilius Presbyter, qui ſub principium Sæculi X. floruit, *Præfatiuncula ad Tractationem de Ordinat. a Formoſo PP. factis*, illas ex gravi

A cauſſa licite fieri poſſe aiens ſubdit: *Non tamen abſque auctoritate dumtaxat Romani Pontificis*. (2) Sed auctor falſarum Litterarum tales cauſſas Papæ non reſervavit, quia id in commodum Epiſcoporum, quibus conſulere voluit, non cedebat. Quod igitur Pſ-Iſidorus creditus ſit Romano Pontifici tranſlationum Epiſcoporum cauſſas reſervaſſe, id potius tribuendum eſt additamentis factis Litteris Anteri, poſt verba *tranſlatus eſt Epheſum*, & poſt verba *poteſtatem habent*, uti habentur in Gratiano in *Can. Mutationes* 34. 7. *quæſt.* 1. propter quæ additamenta Correctores RR. hanc *notam* appoſuerunt:

B „ *Auctoritate hujus Sanctæ Sedis &c.*" *Hæc verba non leguntur in Epiſtola Anteri, neque in Pannormia, neque apud Burchardum & Ivonem. Sunt tamen apud Anſelmum, & in Polycar. & vetuſtis Gratiani exemplaribus. Idem quoque eſt de verbis illis prope finem capitis, „ non tamen ſine Sacroſanctæ Romanæ Sedis auctoritate, & licentia „ &c.*" *quæ propter hanc cauſſam virgulis ſunt incluſa.* (3)

II. Cauſſas quoque renuntiationum Epiſcoporum, quarum in eo, quod ad diſſolutionem matrimonii ſpiritualis attinet, par eſt ratio ac depoſitionum ac

C tranſlationum, cum de illis Mercator mentionem non faciat, eum Romano Pontifici nec reſervaſſe dicendum. Atque adeo id verum eſt, ut etiam ſæculo XII. hujuſmodi renuntiationes, licet auctoritate Apoſtolica ſæpe ſæpius fierent; adhuc tamen in cenſu majorum cauſſarum non erant. Quod probatur tum ex Gratiano, apud quem talis rei nec vola nec veſtigium, tum ex S. Bernardo ejus coævo, qui *epiſt.* 373. Turſtino Eboracenſi volenti Epiſcopatum dimittere, ut monachiſmum ad quem capeſſendum voto ſe obſtrinxerat, profiteretur, hæc

---

(1) Hinc Petrus de Marca *Lib. VI. de Concor. cap.* 8. ex hac etiam pſeudo-decretali, ac ſi vera foret, probat antiquitus in tranſlatione Epiſcopi, Sedis Apoſtolicæ auctoritatem minime fuiſſe requiſitam, ſed illam Metropolitani cum Epiſcopis comprovincialibus ſuffeciſſe. Itaque de Marca hujuſmodi monumenti falſitatem non olfecit, etſi illa a multis cognita fuiſſet. Nec id mirum videri debet, ſi attendamus ejus inclinationem ad minuendam Romani Pontificis auctoritatem, & augendam e contrario illam ſynodorum. Potius mirari ſubit, Chriſtianum Lupum ad *Canonem* 13. *Dictatus* S. Gregorio VII. tributi, ex oppoſito aſſerere, etiam per falſas Decretales, tranſlationes de quibus agitur, ſine auctoritate Apoſtolica fieri non poſſe: allegatque ad id probandum ſupra exſcriptam auctoritatem Pſeudo-Evariſti, mutilam tamen ſine his verbis: *vel regulari mutatione*.

(2) Sed quomodo dicitur, tranſlationes Epiſcoporum jam inde ab antiquis temporibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate fieri debuiſſe, cum multa exempla Eccleſiæ orientalis quæ Socrates refert, ac etiam auctoritates & exempla Eccleſiæ occidentalis in contrarium ſint? Quod ad exempla Eccleſiæ orientalis attinet, ea ſunt illorum temporum, quibus concilium Sardicenſe adhuc vel non erat celebratum, vel ab orientalibus non receptum. Qui quidem nec in talibus *Can.* 16. concilii Nicæni ſibi omnino contrarium cenſuerunt, ſed illum commode ex *Canone* 13. Apoſtolorum dicto interpretari poſſe putarunt. Ibi enim cum eadem prohibitio tranſlationis Epiſcoporum facta fuiſſet, hæc exceptio fuit adjecta: *Niſi rationabilis aliqua cauſſa ſubſit, quæ hoc ipſum facere vi adigat, nempe quod plus lucri & utilitatis his qui illic conſtituti ſunt, verbo pietatis conferre poſſit: neque hoc a ſe ipſo, ſed a multorum Epiſcoporum judicio & exhortatione maxima.* Ceterum inter eas licentias quas ſibi orientales tribuebant transferendorum Epiſcoporum, exempla non deſunt talium tranſlationum apud eos auctoritate Romani Pontificis factarum, veluti illa Procli e Cyzico in Conſtantinopolitanam ſedem, & illa Perigenis e Patrenſi oppido in Corinthi metropolim ab eodem Socrate memoratæ. Sed ad occidentales veniamus. Et primo quidem occurrit *Can.* 27. concilii Carth. IV. rel. *Can.* 37. 7. *quæſt.* 1. *Epiſcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat, nec quiſquam inferioris ordinis Clericus. Sane ſi utilitas Eccleſiæ fiendum poposcerit, decreto pro eo clericorum & laicorum Epiſcopis porrecto in præſentia ſynodi transferatur, nihilominus alio in locum ejus ſubrogato.* Sed quid mirum hunc Canonem ab Africanis conditum, cum apud eos tunc temporis Sardicenſes eſſent pæne incogniti, & forſitan etiam Nicæni? Sed faciamus utroſque fuiſſe cognitos atque receptos, inſuper obſervandum eſt, hanc peculiarem diſciplinam Eccleſiæ Africanæ in Epiſcoporum tranſlatione fuiſſe forſitan conſequentiam alterius peculiaris diſciplinæ ibi jam inde ab antiquiſſimis temporibus obtinentis, ut ſcilicet una Carthaginienſi provincia excepta, in ceteris ſenior Epiſcopus *Primas* dictus Metropolitani vice fungeretur: & ſic contingere poterat, ut ſenior evaderet Epiſcopus alicujus loci comprovincialibus incommodi. Ideo patres concilii Carth. IV. ut tali incommodo occurrerent, pro remedio tranſlationem Epiſcopi ob Eccleſiæ utilitatem præſcripſiſſe videntur; quam tamquam neceſſariam conſequentiam modo dictæ antiquiſſimæ diſciplinæ de mobili primatia habere potuerunt, ac propterea non comprehenſam in Canonibus illam abſolute prohibentibus. Occurrunt deinde concilia Toletana X. & XIII. in quibus Epiſcoporum tranſlationes, Sedis Apoſtolicæ nulla facta mentione, peractæ fuerunt. Cardinalis de Aguirre, & Pater Blanchius putant, Toletanos patres id egiſſe auctoritate ſupra memoratarum Pſeudo-decretalium, cum hoc tamen inter illos diſcrimine, quod Cardinalis eas pro genuinis habeat, Blanchius vero pro ſuppoſititiis, ſed quæ jam ante confictæ erant. Verum ex iis, quæ ſupra notavimus, utrumque falli conſtat. Magis igitur puto, Toletanos patres fuiſſe deceptos auctoritate ſupra exſcripti Canonis Carthaginienſis, qui jam erat in collectione Hiſpana.

(3) Potuiſſent etiam laudare Hadrianum II. in *Epiſtola* ad ſynodum Duziacenſem, memoratum Auxilium, Luitprandum in *Vitis* Romanorum Pontificum, & Nicephorum Calliſtum *Lib. XIV. Hiſt. Eccl. cap.* 39. apud quos ſunt etiam verba Anteri; in primo nempe, & ultimo uſque ad illa: *humiliter ab aliis tranſlatus eſt*, in ſecundo uſque ad illa: *tranſlatus eſt Epheſum*, & in tertio uſque ad illa: *poteſtatem habent*; & in nullo ex iis habetur aliquod ex additamentis ſupra exſcriptis.

hæc ſcripſit: *Iſtæ quas prætenditis, cauſſæ curæ paſtorali non videntur poſſe præſcribere: niſi forte (quod abſit: & nos non credimus) mortale aliquod commiſſum ſit, aut Summi Pontificis auctoritate emerito fuerit indulta licentia*. Ergo ex S. Bernardo ſi conſcientia criminis adfuerit, aut alia canonica cauſſa cedendi, qualis certe non erat ſtudium tranquillioris vitæ, poterat Epiſcopus ſine auctoritate Apoſtolica Epiſcopatui nuntium remittere: Innocentius III. igitur primus fuit, qui hujuſmodi renuntiationum cauſſas, depoſitionum ac translationum cauſſis exæquando majores effecit, & ſibi reſervavit. (1) Potuiſſet ſaltem Mercator Sedi Apoſtolicæ reſervaro, & quidem majori cum fundamento, cauſſas renuntiationum, quæ dicuntur in favorem, & coadjutorias cum futura ſucceſſione; ſed nec etiam de iis mentionem facit.

III. Hoc præterea facit, quod cum Pſ. Iſidorus nomine Victoris, Julii & Sixti II. 2. *quæſt.* 7. *Can.* 7. & 15. de provocationibus a gravaminibus per Metropolitas illatis tribuat Romano Pontifici in univerſo terrarum orbe, quæ concilium Chalcedonenſe, ut inferius videbimus, *Can.* 9. & 17. tribuerat Epiſcopo Conſtantinopolitano in tribus Diœceſibus Aſiana, Pontica & Thracica, non ita tribuit illi, quæ idem concilium *Can.* 28. tribuerat illi de ordinationibus Epiſcoporum: Hoc enim ibi ſtatuitur; ut Epiſcopi trium illarum Diœceſeon, ordinari deberent a Metropolitis earumdem; Metropolitæ vero, ac præterea, qui erant in Barbarico, a Patriarcha Conſtantinopolitano. Eoque magis poterat Mercator hoc per univerſum terrarum orbem ordinationis jus Romano Pontifici tribuere, ſi illi mens fuiſſet ejus auctoritatem extollere; tum quod ipſi occaſio non deſuit; duabus enim Epiſtolis ſub nomine Anacleti, & una ſub nomine Aniceti de hujuſmodi ordinationibus agit: tum etiam quod non deerat fundamentum tribuendi, & quidem ex privilegio B. Petri; quod ampliſſimum hac in re agnovit S. Jo. Chryſoſtomus *hom.* 3. in acta Apoſtolorum, ubi loquens de electione S. Matthiæ, ait: *Quid? an non licebat ipſi Petro eligere? Licebat, & quidem maxime: verum id non fecit, ne cui videretur gratificari*. Hinc Stephanus IV. Papa ab Ivone & Gratiano relatus *Can.* 20. 11. *quæſt.* 3. Walberto Patriarchæ Aquilejenſi Electum Cumanæ Eccleſiæ ordinare detrectanti ita ſcripſit: *Nolumus alicujus Eccleſiæ privilegium infringere, licet Apoſtolica prærogativa poſſimus, de qualibet Eccleſia clericum ordinare*. Et reapſe Romanum Pontificem ita aliquando ordinaſſe habemus ex *Libro Pontificali*, qui de Conſtantino Papa Conſtantinopolim profecto ait: *Hic fecit ordi-*

A *nationes Epiſcoporum in eundo & redeundo per diverſa loca duodecim*. Mercator igitur de his Romano Pontifici nihil reſervavit. Poterat ſaltem ei reſervare ordinationem, vel confirmationem Patriarcharum, cujus rei etiam aliqua veſtigia ſupererant (2): & ne hoc quidem fecit; ſed eo ſemper tendit in Epiſcoporum cauſſis, ut unas eorum criminales depoſitiones præſertim Romano Pontifici reſervet, ceteras vero iiſdem cum ſuis Metropolitanis, aliiſque libere permittat; ideoque ſub nomine ejuſdem Anacleti *Epiſt. II. Cap. II. Can. ult. diſt.* 79. generatim ait: *Ejectionem quoque Summorum Sacerdotum (3) ſibi Dominus reſervavit;* B *licet electionem eorum bonis ſacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſiſſet*.

IV. Sic cum Mercator multa corraſerit ex conciliis Africanis, & in ſuas farragines tranſlata ad uſum Pontificiæ juriſdictionis in judiciis ferendis per univerſam Eccleſiam converterit, ſi in animum induxiſſet auctoritatem Romani Pontificis generatim extollere, non omiſiſſet ſane ei de ordinationibus etiam per totum terrarum orbem tribuere, quæ concilium Carthaginienſe III. tribuerat Epiſcopo Carthaginienſi per univerſam Africam, ut ſcilicet poſtulatum Clericum in Epiſcopum, etiam proprio contradicente Epiſcopo, C poſſet ordinare. Quos Canones Balſamon *Com. in Can. Apoſtolorum* interpretatur quoque, ut Epiſcopo Carthaginienſi liceret Clericos alienos ſuæ Eccleſiæ addicere, quod & Conſtantinopolitano commune facit. Potuiſſet igitur Mercator non modo hæc, ſed & majora hac in re Romano Pontifici tribuere (4): & ita quoque jus præventionis ac jus unionis in beneficiis conferendis, quæ tunc temporis cum Ordinibus erant magis connexa & veluti indivulſa, eidem tribuere potuiſſet. (5) Sed hæc non curat: nec aliquid attigiſſe videtur ſub nomine Nicæni concilii *Can.* 6. apud Julium *epiſt.* 2. etſi Chriſtianus Lupus *Commen.* ad *Can.* 14. *Dictatus* D S. Gregorio VII. tributi ex eo etiam loco quem mutilum refert, illud adſtruere velit. Integer Pſ-Canon Nicænus ita ſe habet: *Nullus Epiſcopus alterius parochianum præſumat retinere aut ordinare abſque ejus Epiſcopi voluntate, aut judicare, ſalva tamen in omnibus Apoſtolica auctoritate: quia ſicut irrita erit ejus ordinatio, ita & dijudicatio: quoniam cenſemus nullum alterius judicis, niſi ſui ſententia teneri. Nam qui eum ordinare non poterit, nec judicare nullatenus poterit*. Verba *ſalva tamen &c.* non referuntur ad antecedentia *retinere*, aut *ordinare*, ſed ad ultimum *judicare*, de quo Mercator προηγουμένως agit, & quo antecedentes & conſequentes Pſ-Canones tendunt: nec

(1) Sed cur idem Innocentius III. *Cap. Inter Corporalia de tranſlatione Epiſcopi*, ait: *Hæc tria tranſlationem, renunciationem, & depoſitionem Epiſcoporum, non tam conſtitutione canonica, quam inſtitutione divina ſoli Rom. Pontifici eſſe reſervata?* Gravis quidem difficultas videtur, & quæ non modo hæreticos, ſed etiam catholicorum nonnullos in Pontificem debacchari fecit; quod contra omnem antiquitatem docuerit conceptis verbis, hujuſmodi cauſſas jure divino ſoli Romano Pontifici reſervatas eſſe. Attamen facilis eſt reſponſio. Innocentius ita reſpondendo hoc tantum ſibi voluit, diſſolutionem matrimonii ſpiritualis inter Epiſcopum & Eccleſiam non a terrena aliqua poteſtate pendere, ſed a ſpirituali quam Chriſtus Dominus dedit Eccleſiæ. Quo faciunt ſupra exſcripta verba S. Gregorii de depoſitione Epiſcopi loquentis: *Non tam de humanis conſtitutis, quam de divina quodammodo benedictionis ſubrogatione tractant*. Cujus ſpiritualis poteſtatis, cum ex ſententia multorum quam Innocentius fuit ſecutus, immediatum ſubjectum, quod vocant, ſit Papa, ex quo ad ceteros Epiſcopos diffunditur; quod ipſe ſibi reſervat, & aliis non concedit, etſi alias conceſſum fuiſſet, id non tam conſtitutione canonica quam inſtitutione divina reſervatum videtur. Hoc dictum voluiſſe Innocentium, clarum redditur ex iis quæ ipſe ſcripſit Epiſcopo Faventino *Lib. I. Epiſtolarum fol.* 153. ex editione Boſqueti: *Quæ tria (* tranſlatio &c. *) ex his quam oſtendimus, ratione merito ſunt tantum Romano Pontifici reſervata; quia licet alios Epiſcopos vocaverit in partem ſollicitudinis, ſibi tamen retinuit plenitudinem poteſtatis*.

(2) Veluti Anatolii Conſtantinopolitani in concilio Chalcedonenſi electi, qui confirmationem a S. Leone M. petiit, & obtinuit: Anthimi item Conſtantinopolitani, qui cum ſuam confirmationem a S. Agapeto Papa obtinere non potuiſſet, inſignia patriarchalia depoſuit: & Mennæ in ejus locum ab eodem Agapeto electi. Quæ, & ſimilia exempla cum referat Rouſſel *Hiſt. Pontificia juriſd. Lib. II. num.* 12. ſubdit: *Hæc mihi comperta ex veteribus exemplis ad adſtruendam Pontificis Romani prærogativam in confirmandis Patriarchis orientalibus, quæ ſane ſatis indicant principatum ejus in omnes eccleſias. Quod ſi non ſæpius aut abſolutius eam prærogativam exercuit, tribuendum eſt illius modeſtiæ, qui non putavit ſumma ſua poteſtate utendum, niſi ubi neceſſitas exigeret*.

(3) Gratianus heic nomine *Summorum Sacerdotum* Romanos Pontifices eraſſe interpretatur; ideoque hunc Canonem cum antecedentibus ejuſdem *diſt.* per hæc verba congerit: *Sicut ſupra monſtratum eſt, electio ſummorum Sacerdotum a Cardinalibus & religioſis clericis fieri debet; ejectio vero eorum judicio divino reſervata eſt*.

(4) Vide, quæ hiſce de rebus congerit Chriſtianus Lupus ad *Can.* 14. & 15. *Dictatus* S. Gregorio VII. tributi.

(5) Quorum præventionis, & unionis exercito-

nec aliter heic de ordinatione tractat, niſi ut inde de re judiciaria argumentetur (1). Neque huic interpretationi obſtat, quod dicitur *in omnibus*; nam ita concepta erat talis ſollemnis Mercatoris formula.

V. Quin idem Pſ-Iſidorus nec verbo attingit jura Romani Pontificis in ordinationibus & collationibus beneficiorum vi ſui Primatus in univerſo terrarum orbe ex cauſſa devolutionis, quæ non ſemel exercuit. Ut miſſa faciamus exempla S. Gregorii Magni, & S. Zachariæ (2) quæ Occidentalem Patriarchatum non transgrediuntur, afferamus illuſtre exemplum S. Martini I. Papæ in Oriente. Cum plurimis Orientis regionibus ſub Saracenorum ditione gementibus Sedes Antiochenam & Hieroſolymitanam, eiſque ſubjectas Eccleſias, ſuis legitimis deſtitutas Epiſcopis invaſiſſent vel ambitioſi homines, vel Monothelitæ a Patriarcha Conſtantinopolitano intruſi; S. Martinus *Epiſtolis* ad Stephanum Dorylæi Epiſcopum, & ad Joannem Archiepiſcopum Philadelphiæ datis, eiſdem vices ſuas commiſit, ut Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos illis Eccleſiis darent. Ad Philadelphienſem igitur ita ſcripſit: *Ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per omnium civitatum Eccleſias, quæ Sedi tam Hieroſolymitanæ, quam Antiochenæ ſubſunt, Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos: Hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex auctoritate Apoſtolica, quæ data eſt nobis a Domino per Petrum SS. & Principem Apoſtolorum.*

VI. Hinc neque Mercator umquam meminit privilegii, quod habebat Romanus Pontifex ordinandorum, vel confirmandorum Epiſcoporum, ſive per ſe, ſive per ſuos Vicarios ſecundum varias locorum conſuetudines intra fines ſui ampliſſimi Patriarchatus. Quæ quidem jura, ſi Pſ-Iſidorus voluiſſet, valde ampliare potuiſſet ex Epiſtola S. Siricii ad Afros *cap.* 1. *Primum ut extra conſcientiam Sedis Apoſtolicæ, hoc eſt Primatis, nemo audeat ordinare*: cum ſuper hoc fundamento verborum multum fabricare licuiſſet, uti fabricavit ſuper fundamento verborum Julii in genuina *Epiſtola* ad Orientales. Et eſto talis Siricii *Epiſt.* fuerit Mercatori ignota (3), non erant ſaltem ignota multa alia, quæ hac de re ſupra notavimus. Sed hæc minime curat uſque eo, ut opportuniſſimas etiam occaſiones negligat; ex trinis enim Litteris ſub nomine Anacleti, & Aniceti, quibus de ordinationibus tractat, illa Aniceti eſt directa ad Epiſcopos Galliæ, & ſecunda Anacleti ad Epiſcopos Italiæ: unde, quod maxime notandum, ſupra exſcripta verba ex hac *Epiſtola* deſumta: *Ejectionem quoque Summorum Sacerdotum ſibi Dominus reſervavit; licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſiſſet*: hæc, inquam, verba dicta finguntur Epiſcopis Italiæ. Et ſic conſtat Mercatorem Romano Pontifici ne confirmationem quidem Epiſcoporum Italiæ reſervaſſe.

VII. Cum igitur Iſidorus noſter nihil omnino habeat de jure Romani Pontificis ordinandorum Epiſcoporum, nec etiam ſui Patriarchatus, vel Provinciæ; nihil etiam habet de jurejurando obedientiæ & ſubjectionis, quod illi præſtari ab iis, qui per ipſum conſecrabantur Epiſcopi, vel ab ipſo Pallium impetrabant, jam tum in more poſitum erat, etiam in ſenſu eorum, qui hujuſmodi mori minus antiquitatis tribuunt. Ii enim, inter quos Petrus de Marca, & Thomaſſinus, ejus auctorem faciunt S. Bonifacium Moguntinum, qui cum Romæ Epiſcopus conſecratus fuit a S. Gregorio II. profeſſioni Fidei ab iis qui ordinabantur Epiſcopi, emitti ſolitæ promiſſionem obedientiæ, & ſubjectionis erga Romanum Pontificem addidit. Sed alii contendunt, S. Bonifacium nil de integro feciſſe, ſed quod jam diu obtinebat (4), adimpleviſſe. Ut ut hoc ſe habeat, Mercatoris tempore hujuſmodi jusjurandum erat in uſu, ideoque ab eo maxime commemorari debuiſſet, ſi ipſi cordi fuiſſet Romanæ Sedis dignitatem extollere.

VIII. In eo quoque Romani Pontificis jura in ordinationis materia a Mercatore neglecta fuerunt, quod cum *Litteris* nomina Anacleti & Aniceti præferentibus, ut ſupra notavimus, ad differentiam ordinationis Chorepiſcoporum, dicatur conſecratio Epiſcoporum fieri non poſſe, niſi a tribus Epiſcopis, numquam additur exceptio, *ſalva in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate* (5), quæ addi debuerat, vel ex eo, quod notiſſimum erat, S. Gregorium M. facultatem feciſſe S. Auguſtino Anglorum Epiſcopo, ut ipſe ſolus conſecraret Epiſcopos. Et quod Mercator in *Libro Pontificali* ſibi familiari legerat, Pelagium I. Romanum Pontificem a duobus Epiſcopis & Oſtienſi Presbytero fuiſſe conſecratum, id Romanæ Eccleſiæ privilegio adſcribere poterat, ſi voluiſſet. Huc igitur faciunt, quæ habet Ferrandus Diaconus in *Breviatione Canonum*, quocumque ſenſu accipiantur: *Ne unus Epiſcopus Epiſcopum ordinare præſumat, excepta Eccleſia Romana* (6).

IX. Præterea, ut ſupra notatum eſt, noſter Iſidorus ſub nomine Melchiadis *epiſt.* ad Epiſcopos Hiſpaniæ *cap.* 2. & ſub nomine Euſebii *epiſt. III.* a Gratiano relatorum *Can.* 2. & 3. *de conſecratione diſt.* 5. expreſſe habet, confirmationis Sacramentum conferri non poſſe, niſi a Summis Pontificibus, & Sacerdotibus, id eſt Epiſcopis, idemque ponit *epiſt. unica* ſub nomine Urbani *cap.* 7. & tamen nuſquam addit ſibi familiarem exceptionem, *ſalva Apoſtolicæ Sedis auctoritate* (7); quam addere debuiſſet, ſi ei mens fuiſſet illam extolle-

rum jurium per S. Gregorium M. ſaltem in Romana Provincia, varia exempla ſuppetebat ejus Epiſtolarum regeſtum.

(1) Hic igitur Pſeudo-Canon compactus eſt ex verbis *Can.* 18. & 19. conc. Sardicenſis, *Can.* 5. conc. Carth. I. *Can.* 21. Carth. III. & ex *Epiſt. IV.* Siricii Papæ, qui de ordinationibus tractant. Quod vero de judiciis amplius habet, id additum ſeu admixtum aliunde eſt a Mercatore.

(2) Ex hujus enim facultate facta *Epiſt. IV.* S. Bonifacius Moguntinus, ut ſupra notavimus, ordinavit Archiepiſcopos Remenſem, & Senonenſem.

(3) Probabile eſt, hanc Epiſtolam Mercatori minime fuiſſe notam, cum eam non modo inter illas Siricii non retulerit, ſed nec etiam ex ea, vel ex ſynodo Zellenſi ſeu Teleptenſi, poſt quam legitur, aliquid decerpſerit.

(4) Jam inde ſcilicet a temporibus S. Gregorii Magni qui ad ſimilem promiſſionem, quæ proſtat *Lib. X. Epiſt.* 32. emittendam adigebat Epiſcopos Iſtriæ, cum a ſchiſmate ad Catholicæ Eccleſiæ concordiam redibant. Et de hac quidem promiſſione loquutus videtur Liber Pontificalis in Conſtantino de Felice Ravennate, *qui ſecundum priorum ſuorum ſolitas in Scrinio noluit facere cautiones*. Quarum promiſſionum, quæ præceſſerat, adumbrationem conſpicere licet in *Litteris* quas Epiphanius Conſtantinopolitanus Patriarcha recens renuntiatus ſcripſit ad S. Hormiſdam Papam.

(5) Utut hæc Pontificis diſpenſatio neceſſaria fuerit ad efficiendam ordinationem licitam, an etiam validam, non convenit inter viros eruditos. Sed magis eſt, requiſitam fuiſſe ad ſolam honeſtatem; nam numquam apud antiquos legitur, ordinationem Epiſcopi fuiſſe iteratam, quod ab uno eſſet peracta; & quod de antiquo jure diximus, id etiam de jure quod ad præſens obtinet, intelligitur.

(6) Mabillonius *Comment. prævio ad Ordinem Rom. cap.* 16. ita interpretatur Ferrandum, quod denotatum voluerit, Romanum Epiſcopum ſolum peregiſſe ordinationes Epiſcoporum, etiam cum alii præſentes eſſent. At Baluzius *Diſſert. de ſynodo Teleptenſi* putat, Ferrandi verba etiam ad ordinationem ipſius Romani Pontificis referri poſſe, quaſi ab uno Oſtienſi Epiſcopo ordinaretur.

(7) Quod ſupra quæſivimus de ordinatione Epiſcopi per diſpenſationem ſummi Pontificis ab uno facta, heic quærimus de confirmatione ex delegatione ejuſdem a Presbytero collata, num ſcilicet ea delegatio neceſſaria ſit de ſola honeſtate, an etiam de validitate. Et in hac quæſtione nec etiam conveniunt viri eruditi. Sed magis puto, requiri de ſola honeſtate.

re, præſertim quod eidem, qui Regeſtum Epiſtolarum S. Gregorii verſaverat, notum erat, quod hæc a Gratiano etiam relatus *Can. 1. diſt.* 95. ſcripſerat *lib. III. epiſt.* 26. Januario Calaritano: *Pervenit quoque ad nos quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod Presbyteros Chriſmate tangere in fronte qui baptizati ſunt, prohibuimus. Et nos quidem ſecundum veterem uſum Eccleſiæ noſtræ fecimus. Sed ſi omnino hac in re contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chriſmate tangere debeant, concedimus.*

X. Præterea cum ſub nomine Clementis *epiſtola III.* Joannis I. *epiſt.* ad Epiſcopos Italiæ, Felicis IV. *epiſt. I.* & Gregorii Magni *epiſt.* 32. *Lib. XII.* noſter Iſidorus multoties agat, ac etiam ex inſtituto, de *Miſſis* non niſi in locis Deo dedicatis peragendis, & de *Dedicatione Eccleſiarum*; numquam tamen eam permiſſu Sedis Apoſtolicæ fieri debere dicit, uti declaraverat S. Gelaſius *Epiſt. IX.* ad Epiſcopos per Lucaniam, Brutios & Siciliam conſtitutos *cap.* 3. rel. *Can. 6. de conſec. diſt.* 1. ut *Baſilicas noviter inſtitutas, non petitis ex more* (Apoſtolicis) *præceptionibus, dedicare non audeant*: & *cap.* 20. *ibid. Can.* 4. eos redarguit, qui *abſque præcepto Sedis Apoſtolicæ* Eccleſias & Oratoria conſecrabant: & paſſim in Regeſto Epiſtolarum S. Gregorii talis facultas conceſſa reperitur. Neque dicas, nihil hoc peculiare fuiſſe Romani Pontificis, ſed pertinuiſſe ad jus Metropolitis commune, uti contendit Martenius, qui in hujus rei probationem affert Epiſtolæ fragmentum Montani Toletani Metropolitæ ad Fratres Territorii Valentini ſibi tale jus reſervantis; cum neque hoc unicum Montani exemplum ad rem faciat. Non enim Montanus hoc ſibi reſervavit, ſed tantum voluit, ne advocarent Epiſcopos alterius Provinciæ, & ditionis ad Eccleſias conſecrandas; & cum neceſſitas urgeret, ipſe eſſet adeundus, ut tali neceſſitati occurreret. Neceſſitas eſſe poterat, quod cum ex antiquo more multi Epiſcopi ad conſecrationem convenire deberent, Epiſcopi provinciæ, vel non poſſent, vel nollent. Neque omnino verum eſt, quod Fleuryus, & ex eo Eſpenius dicunt, tale jus, etſi ſpeciale, ſibi Romanos Pontifices reſervaſſe in provinciis tantummodo ſuburbicariis; nam aliud colligitur ex Nicolao I. a Gratiano relato *Can. VIII.* (1) *de Conſecrat. diſt.* 1. & clarius *epiſtola* ad Arduicum Veſonienſem (2) apud Acheryum in *Spicilegio tom.* 12. (3). Ut ut hæc ſe habeant, non debebat Pſ-Iſidorus hanc prærogativam Romani Pontificis præterire, ſi illi amplianda Sedis Apoſtolicæ auctoritatis animus erat. Eoque magis, quod ipſi familiaria erant, quæ habet Socrates *lib.* 2. *Hiſt. cap.* 8. & 17. eaque in hunc quoque ſenſum accipere poterat, ſicuti acceperunt Correctores Romani *nota* ad *Can. V.* eadem *diſt.* 1. *de Conſecratione.*

XI. In eo etiam cum de celebratione Miſſarum Mercator agit, Romani Pontificis privilegia non curat, quod nil habeat de ejus nomine in illis recitando: id quod non modo moribus receptum, ſed etiam Decretis, & Canonibus ſtatutum erat; legitur enim in concil. Vaſenſi II. anni 529. *Can.* 4. *Et hoc nobis juſtum viſum eſt, ut nomen Domini Papæ, quicumque Sedi Apoſtolicæ præfuerit, in noſtris Eccleſiis recitetur.* Scripta præterea hac de re erat Epiſtola Pelagii I. Papæ ad Epiſcopos Tuſciæ, cujus meminit etiam Agobardus in *lib. de comparatione utriuſque regiminis.* Qui quidem Agobardus tanti fecit hanc prærogativam recitationis nominis Papæ in Miſſa, ut ob id reverentiam Sedi Apoſtolicæ maxime debitam probet (4). Et, quod maxime obſervandum, hic mos etiam Orientalibus communis erat, qui in Liturgiis poſt ſalutationem e Diptychis per Diaconum prius Papam, & deinde ſuum Patriarcham nominabant: eumque morem jam inde a ſæculo V. ſaltem obtinuiſſe diſcimus a Baſilio Cilice, qui apud Nicephorum *lib. XVI. Hiſt. Eccl. cap.* 17. de Acacio Patriarcha Conſtantinopolitano, qui V. ſæculo exeunte floruit, ait: *Primus ipſe Papæ* (Felicis III.) *nomen e ſacro albo exemerit.* Ac non modo Papæ viventis, ſed & ejus deceſſorum nomina (5) e Diptychis inter Miſſarum ſollemnia fuiſſe recitata ſatis ſuperque conſtat. Hinc Joannes Patriarcha Conſtantinopolitanus S. Leonis M. nomine quod Eutychiani deleverant, in Tabulas reimpreſſo ita ſcripſit ad Hormiſdam Papam: *Tantum ad ſatisfaciendum ſcripſimus, ut & venerabile nomen ſanctæ recordationis Leonis quondam Urbis Romæ Archiepiſcopi in ſacris Diptychis tempore conſecrationis propter concordiam affigeretur, & veſtrum benedictum nomen ſimiliter in Diptychis prædicetur.* Et Patres VI. Synodi *actione* 8. magno plauſu reſtituerunt nomen Vitaliani Papæ, quod Monothelitarum perfidia deleverat (6). Quæ cum ita ſint, miror, doctiſſimum ac eru-

(1) *Eccleſia, id eſt catholicorum collectio, quomodo ſine Apoſtolicæ Sedis inſtituetur nutu? quando juxta ſacra Decreta, nec ipſa debet abſque præceptione Papæ noviter conſtrui, quæ ipſam catholicorum intra ſemet amplecti catervam dignoſcitur.* Hoc fragmentum depromtum creditur ex Epiſtola Nicolai ad Clerum & plebem Novenſem in Dalmatia: vel, ut alibi legitur, loco Novenſis, obrogandus Viennenſis.

(2) *De Corepiſcopis, de quibus conſulis, utrum Presbyteros & Diaconos valeant conſecrare, ſacri te Canones potuerunt edocere. Quomodo autem Chorepiſcopos poſſe dicimus Eccleſias conſecrare, quas nulli Epiſcoporum licet ſine veſtro* (noſtro) *præcepto ſecundum ſanctas Regulas dedicare? Non ergo Chorepiſcopis dabimus; unde vos Epiſcopos tamquam terminos a patribus poſitos transferentes merito reprehendimus.*

(3) Opponi ſolet ex Glabro Rodulpho *Lib. II. Hiſt. Francor. cap.* 4. quod cum Fulco Andegavenſium comes eccleſia & monaſterio de Belloloco in agro Turonico a ſe fundatis, illius conſecrationem ab Hugone Metropolitano denegatam obtinuerit a Jo. XVIII. Papa, ut Petrus Card. perageret, hoc factum non modo improbarunt Gallicani Epiſcopi, ſed etiam damnavit prodigioſus eventus; cum Eccleſia vi turbinis eodem die diruta fuerit. Sed ſi Glabri narrationem admittere volumus, quæ a nonnullis falſitatis arguitur, adhuc ex hoc Romani Pontificis jus adeo non deſtruitur, ut potius confirmetur. Hugo enim ſubinde Romam profectus, ut apud Papam de imminutis Eccleſiæ ſuæ privilegiis quereretur, tandem confeſſus fuit, ſe injuſtam litem fuiſſe proſecutum, & contra omnipotentem Deum, & S. R. Eccleſiam nimis deliquiſſe; ac propterea monaſterium tum de jure conſecrationis, tum de aliis ad ipſum pertinentibus Sedis Apoſtolicæ a qua fuerat immunitate donatum, diſpoſitioni reliquit. Hinc Sergius IV. Papa Petrum Epiſcopum Viterbienſem miſit, qui novam Eccleſiam illius monaſterii conſecraret. Quæ omnia habemus ex Epiſtola ejuſdem Sergii, quam ex archivo ejuſdem monaſterii ediderunt Sammarthani Fratres *Tom. I. Galliæ Chriſtianæ.* Quod vero refertur miraculum, ſi re vera tale fuit, id non indicat, Deo fuiſſe improbatam conſecrationem juſſu Romani Pontificis peractam, ſed potius ædificationem factam a Fulcone injuſto rerum eccleſiæ Turonenſis detentore. Vide Nat. Alex. *Diſſ.* 20. *Sæc. IV. & Hiſt. Sæc. XI. cap.* 1. *art.* 1.

(4) Et quidem merito. Per hoc enim denotatur Eccleſiæ monas, ſeu unitas ſub uno viſibili capite, Romano nempe Epiſcopo, qui ex Petri ſucceſſione primatum habet; & ideo precationi pro Eccleſia adjungitur precatio pro ſummo Pontifice, & deinde pro ceteris membris.

(5) Non quidem omnium, hoc enim fuiſſet nimis longum; ſed aliquorum, ut colligitur ex Chryſoſtomi Liturgia: *Diaconus in circuitu ſacram Menſam turificat, & defunctorum ac vivorum Diptycha, ut illi lubet, percurrit.*

(6) Nec a Photii tempore, qui magni ſchiſmatis auctor vergente ſæculo IX. vitam egit, uſque ad tempeſtatem Michaelis Cerularii ejuſdem inſtauratoris, qui medio ſæculo XI. vixit, Romani Pontificis nomen e Græcis Diptychis fuit omnino expunctum. Nicolaus enim Patriarcha Conſtantinopolitanus *Epiſt.* data anno 920. ad Joannem X. Papam ita ſcribit: *Sic enim, & Sanctitatis tuæ nomen ex ſacro Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ albo, ut mos olim erat, una cum*

eruditiſſimum Bellarminum inter argumenta, quibus Primatum Romani Pontificis probat, hoc a recitatione ejus nominis in Liturgiis petitum non afferre. A

XII. Ad hæc jam inoleverat uſus, ut Epiſcopi graviorum criminum reos Romam mitterent, ad accipiendam a Papa pœnitentiam, vel ut ab eo abſolverentur, ut ex *Pœnitentiali* Egberti *lib. 4. num. 6. Si quis ordinatum hominem occidat vel cognatum ejus, deſerat patriam & poſſeſſionem ſuam, & abeat Romam ad Papam, & faciat poſtea prout ei Papa præſcripſerit*; ac confirmatur ex iis quæ habet Nicolaus I. *epiſt.* ad Epiſcopos Galliæ: *An laicorum, & vulgarium populorum judicia inter majora negotia ponitis, quos pæne quotidie cum veſtris, & ſine veſtris epiſtolis, ad diſcutiendos & judicandos ſuſcipimus, & diſcuſſos, vel judicatos, vel abſolutos dimittimus* (1)? Et ſic ſenſim deinde caſuum reſervandorum, qui Papales dicuntur, occaſio data. Hinc Mercator ſi Romanam Sedem ampliare voluiſſet, hanc prærogativam certe non omiſiſſet. Sed omiſit, quia eam non curabat. B

XIII. Præterea multa erant exempla privilegiorum, & immunitatum monaſteriis etiam extra Italiam a Romano Pontifice conceſſarum, quarum aliqua congerit Natalis Alexander *Hiſt. Eccl. Sæculi VI. artic. 5. n. 6.* Itaque potuiſſet Mercator, ſi voluiſſet Pontificiam poteſtatem exaggerare, hoc aliud jus concedendorum privilegiorum in medium ponere, illudque amplificare, quod minime fecit. Atque adeo id verum eſt, ut Mabillonius *in Annal. Bened. ad an.* 785. ex hoc ipſo, quod Mercator nihil de Monachis habeat, eum Monachum minime fuiſſe probet. C

XIV. Denique Mercator non meminit ſingularis juris Romani Pontificis, quod ſupra innuimus, diſpenſandi de Canonibus conciliorum generalium præſertim; & multa alia ejus privilegia nec verbo attingit. Quod autem ponit ad Romanum Pontificem ſpectare novas ſedes Epiſcopales, Metropolitanas & Primatiales creare, id collineat ad alterum ſuum ſcopum ſtabiliendi Primates, quem infra videbimus. Interim argumenta quæ in contrarium opponi poſſunt, diluamus oportet. D

CAPUT XI.

Occurritur objectionibus, ac oſtenditur Mercator aliquando adeo Epiſcopis tribuiſſe, ut Romano Pontifici videatur injurius.

REgeres Primo: Pſeudo-Iſidorus Papam ita ſanctum, & auguſtum prædicat, ut etiam impeccabilem faciat. Nomine enim V. ſynodi ſub Symmacho probat Apologeticon Ennodii Ticinenſis pro eodem Symmacho, in quo hæc habentur: *Non nos B. Petrum, ſicut dicitis, a Domino cum Sedis privilegiis, vel ſucceſſores ejus, peccandi judicamus licentiam ſuſcepiſſe. Ille perennem meritorum dotem cum hereditate innocentiæ miſit ad poſteros: Quod illi conceſſum eſt pro actuum luce, ad illos pertinet quos par converſationis ſplendor illuminat. Quis enim Sanctum eſſe dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo ſi deſunt bona acquiſita per meritum, ſufficiunt, quæ a loci deceſſore præſtantur. Aut enim claros in hæc faſtigia erigit, aut qui eriguntur, illuſtrat. Præneſcit enim, quod Eccleſiarum fundamento ſit habile, ſuper quod ipſa moles innititur.* Natalis Alexander *Diſſert. III. in Sæc. XI. articulo unico* putat Ennodium de Pontificalis officii ſanctitate, non de perſonali ſanctimonia fuiſſe locutum, & ſic ejus effatum omni prorſus difficultate carere. Sed magis eſt, Ennodium locutum de ſanctitate perſonali, quæ in controverſia erat. Agebatur enim de Symmacho Papa accuſato de adulterio, quem ſynodus Romana judicare minime auſa divino reſervavit judicio; unde data occaſio ejus obtrectatoribus contra quos ſcripſit Ennodius, ironice quærendi, num Romanus Pontifex inter ſua privilegia, illud etiam libere & impune peccandi enumeraret; & ſic conſtat, Ticinenſem locutum de perſonali ſanctitate Romanorum Pontificum, quales reapſe uſque ad illam tempeſtatem ſine interruptione fuerant. Attamen ejus verba ita intelligenda, non quod Romanus Pontifex ſemper & neceſſario ſit ſanctus & impeccabilis; hoc enim fuit privilegium extra ordinem Apoſtolis conceſſum, quod ad eorum ſucceſſores non eſt tranſmiſſum (2): Sed ita, inquam, intelligenda, quod Deus ſingulari ratione concurrit in electione Romani Pontificis, eique Spiritus Sancti dona tribuit, ut injuncto oneri par eſſe poſſit. Deum enim ſuis Miniſtris peculiarem gratiam dare diſcimus ex ejus verbis *Numerorum Cap. XI. num.* 7. ubi poſtquam Moſi petenti ſibi adjungi ſocios in gubernaculo populi Iſrael 70. Seniores conceſſiſſet, ſubdit: *Et auferam de ſpiritu tuo, tradam-*

cum noſtro rurſus celebratur: & Petrus Antiochenus Patriarcha *Epiſt.* ad eumdem Cerularium hæc habet: *Hac in re ego quidem teſtis fidus, & alii multi Eccleſiæ proceres, quod tempore b. m. Patriarchæ Domini Joannis, Romanus Papa Joannes* (*XVIII.*) *etiam ipſe nuncupatus in ſacris Diptychis habeatur. Et cum Conſtantinopolim quadraginta quinque ab hinc annis veniſſem, inveni tempore b. m. Patriarchæ Domini Sergii prædictum Papam in ſacra Miſſa una cum aliis ſanctiſſimis Patriarchis relatum.* Quin ipſo Cerularii tempore alios Orientis Patriarchas commemorationem Romani Pontificis in Miſſa feciſſe, clare habemus ex eadem Antiocheni *Epiſtola*. Et utcumque magna fuerit Cerularii ſuperbia & pervicacia, ingenſque odium in Latinos, non adeo tamen abhorruit a reponendo nomine Romani Pontificis in Diptychis non modo ſuæ Conſtantinopolitanæ, ſed omnium, ut oſtendebar, Eccleſiarum, modo in Diptychis unius Romanæ Eccleſiæ poneretur nomen ſuum; ita namque ſcripſit ad S. Leonem IX. *Si una Eccleſia Romana per me habet nomen meum, omnes Eccleſiæ in toto orbe terrarum habebunt per te nomen tuum.* Sed hæc petitio locum habere non potuit, cum numquam Romana Eccleſia conſueverit, præter Papæ nomen, alia Epiſcoporum recitare. Et licet inter ceteros Patriarchas mos inductus fuiſſet, ut ſe invicem nominarent; hoc tamen erat argumentum æqualitatis inter eos, quæ Romanum Pontificem, utpote omnium caput, non comprehendebat. Sic neque in ipſis Eccleſiis majoribus Orientis inferiorum Epiſcoporum mentio fiebat. Ex hoc igitur validiſſimum conficitur argumentum ad probandum Romani Pontificis primatum. Atque adeo id verum eſt, ut ex teſtimonio Pachymeræ *Lib.* 5. *cap.* 12. cum Imperator Michael Palæologus urgeret obſervantiam Concordiæ factæ in concilio Lugdunenſi II. an. 1274. Græcos inter & Latinos, in hoc potiſſimum Conſtantinopolitanum Clerum renitentem invenerit, faciendæ ſcilicet commemorationis Papæ in Sacro.

(1) Vulgo creditur a Viris eruditis, morem hunc mittendi pœnitentes ad Papam primum cœpiſſe ſæculo XI. Qui hanc opinionem tueri volunt, poſſent fortaſſe elevare auctoritatem Egberti dicendo, Pœnitentiale ex quo eſt depromta, ad illum non pertinere, ſed eſſe ſequioris ætatis: ſed non video quo modo auctoritatem Nicolai Papæ effugere queant. Ubi etiam obſervandum, quod licet Nicolaus ſæculo IX. floruerit, ita tamen ea de re loquitur, ut ipſa non recens introducta, ſed jamdiu moribus recepta fuiſſe videatur.

(2) Hinc non bene dicere videtur Auctor *Dictatus* S. Gregorio VII. tributi *Artic.* 23. *Quod Romanus Pontifex ſi canonice fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur ſanctus teſtante S. Ennodio &c.*

damque eis, ut ſuſtineant tecum onus populi, & non tu ſolus graveris. In Lege vero gratiæ, ſeu in Chriſti Eccleſia eſſe Sacramentum Ordinum ab eodem Chriſto Domino inſtitutum, quo qui ad eos aſſumuntur, confertur gratia ad digna obeunda eorumdem munia, dogma fidei eſt (1). Quæ quidem gratia ceteris paribus eſt major vel minor pro quantitate oneris quod ſubeunt. Itaque Romanus Pontifex cum majus onus ſubeat, ut qui omnium Eccleſiarum ſolicitudinem habeat, majora Spiritus Sancti chariſmata ſuſcipit. Et reapſe nulla eſt Eccleſia, quæ tot enumeret ſanctos Epiſcopos, quot ut maxime æquare poſſint medietatem eorum, quos enumerat Romana Eccleſia (2). Quod vero aliquando viſi ſint Pontifices turpiſſimis moribus præditi, qui Petri Cathedram tenerent, id Dei permiſſioni tribuendum, quod ſic peccata populorum punita voluit. Ceterum numquam Deus Romanam Eccleſiam ita deſeruit, ut *portæ inferi* adverſus eam prævalerent (3); ita ut illi ipſi Pontifices qui ſuo exemplo fidelibus erant offendiculo, ſana doctrina & ſalutaribus eos informarent inſtitutis. (4).

Regeres II. Pſeudo-Iſidorus ita tribuit Romano Pontifici clavium poteſtatem, ut ea tyrannice uti poſſit. Ait enim nomine Julii *epiſt. 1. ad Orientales*; *Habet enim poteſtatem Romana Eccleſia ſingulari privilegio conceſſam aperire, & claudere januas regni cæleſtis, quibus voluerit*. Nimirum eorum verborum non is ſenſus eſt, quod Papa ad libidinem ſua poteſtate uti poſſit, nec id voluit Mercator; ſed quid heic ſibi voluerit, ex aliis ejus locis petendum. Jam ſupra notavimus, ipſum Callisti nomine ita ſe miſericordem exhibere, ut errare, & contra poteſtatem clavium diſputare dicat, qui Sacerdotes lapſos poſt pœnitentiam antiquis honoribus non poſſe reſtitui putant. Uſum igitur talis poteſtatis rigore diſciplinæ ab Eccleſia œconomiæ cauſſa reſtrictum (5) minime ferebat, & præſertim in Romano Pontifice, ad quem ſummam criminalium cauſſarum, maxime Epiſcoporum, detulerat. Itaque cum ſub nomine Julii dicat, Romanam Eccleſiam habere poteſtatem ligandi & ſolvendi quibus voluerit, id denotatum voluit, ejus poteſtatis uſum non debere eſſe reſtrictum, ſed liberum pro Papæ arbitrio, ubicumque æquitas ſuadere videretur (6).

Regeres III. Pſ-Iſidorus ita loquitur de poteſtate Epiſcoporum, ut nullam agnoſcere videatur ordinariam, ſed omnem delegatam a Romano Pontifice. Et reapſe additamento ad Epiſtolam Vigilii ad Profuturum, ſeu Ætherium, quod S. Leo Magnus ſcripſit ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem tamquam ſuum Vicarium per Illyricum ſub nomine Vigilii dicitur de omnibus Epiſcopis. Sanctus enim Leo dicit *epiſt. XII. Vices enim noſtras ita tuæ credimus caritati, ut in partem ſis vocatus ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*. Pſ-Vigilius vero ait; *Ipſa namque Eccleſia* (Romana) *quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſiis vices ſuas credidit largiendas, ut in partem ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*. At contra patet, Iſidorum hoc loquendi modo nil aliud denotatum voluiſſe, niſi Primatum Romani Pontificis ſupra omnes Epiſcopos, & ex illo in hos, quod multi etiam defendunt, tamquam ex fonte omnem juriſdictionem emanare: atque adeo non negaſſe ordinariam eorum poteſtatem, ut diſerte eoſdem *Chriſti Vicarios, Legatos, & Locumtenentes* quampluries vocet. Sic nomine Alexandri ad omnes Epiſcopos ſcribit: *Qui vos perſequitur, ipſum cujus legatione fungimini, perſequitur: quia ſicut ipſe filius Dei Mediator fuit Dei & hominum, ita & vos ejus vice, in Eccleſia eſtis conſtituti, ut inter Deum & homines legatione fungamini*. Sic nomine Lucii *epiſt.* ad Galliæ & Hiſpaniæ Epiſcopos ſcribit: *Salvatoris, cujus vicem Epiſcopi tenent*. Sic nomine Evariſti *epiſt. II.* ad Epiſcopos Ægyptios habet: *Sacerdotes vero Vice-Chriſti legatione funguntur in Eccleſia, & ſicut ei ſua conjuncta eſt Sponſa, id eſt Eccleſia, ſic Epiſcopis junguntur Eccleſiæ unicuique pro portione ſua*. Sic nomine Clementis *epiſt. III.* omnibus Epiſcopis dicit: *Quem* (Pontificem) *quaſi Chriſti Locumtenentem honorare, eique ſervire omnes debent*. Epiſcopi præterea ſub nomine Anacleti *epiſt.* 2. & Melchiadis *epiſt.* ad Epiſcopos Hiſpaniæ vocantur *Summi Sacerdotes*, & *Summi Pontifices* ſub nomine Sixti II. *epiſt.* 2. Julii *epiſt.* 2. *cap.* 33. & Pelagii II. *epiſt.* 2. vocantur *Columnæ Eccleſiæ, Chriſtique legati*. Et ſub nomine Felicis II. *epiſt.* 1. *cap.* 17. vocantur *Throni Dei*.

Quin aliquando Mercator tantum tribuit Epiſcoporum poteſtati, uti Primatui Romani Pontificis videatur injurius, veluti cum ſub nomine Eleutherii ſic ſcribit ad Epiſcopos Gallicanos: *Hujus rei gratia univerſis vobis a Chriſto Jeſu commiſſa eſt Eccleſia, ut pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis*; idemque habet ſub nomine Alexandri *epiſt.* 2. & *epiſt.* 4 Clementis: *Oportet, fratres omnes DD. qui ad ſalutem animarum inſtituti ſunt, & ad lucrandas animas Epiſcopi ſunt*

con-

(1) Itaque per Sacramentum Ordinis remittuntur quoque peccata; quod intellige de venialibus, non autem de mortiferis, niſi per accidens, ut Scholaſtici loquuntur, etſi antiquorum non pauci aliter ſenſiſſe videantur ex iis, quæ habentur *Can.* 9. concilii Neocæſarienſis: *Si Presbyter qui corporale peccatum admiſerit, promotus fuerit, & confeſſus fuerit quod ante ordinationem peccaverit, non offerat, manens in aliis, propter aliud ejus vita ſtudium. Reliqua enim peccata dixerunt multi per manus impoſitionem tolli*. Chriſtianus Lupus ad *Can.* 23. *Dictatus* S. Gregorio VII. tributi interpretatur, Neocæſarienſes patres nomine peccati corporalis intellexiſſe fornicationem. Sed magis puto, intellexiſſe peccatum externum opere, verbis ſigniſve conſummatum, ad differentiam internorum, quæ ſola cogitatione patrantur; quam quidem interpretationem deſumo ex Tertulliano *de Pœnitentia cap.* 3. ubi peccata a peccatis ita diſtinguit: *Spiritualia, & corporalia nominantur, quod delictum omne aut agitur, aut cogitatur ut corporale ſit, quod in facto eſt; quia factum, ut corpus, & videri & contingi habet: Spiritale vero, quod in animo eſt, quia ſpiritus nec videtur, neque tenetur. Per quod oſtenditur, non facti ſolum, verum & voluntatis delicta vitanda, & pœnitentia purganda eſſe*.

(2) Sic Eccleſia Mediolanenſis, quæ, ut obſervat Ughellius, poſt Romanam omnes alias Eccleſias in numero ſanctorum Epiſcoporum ſuperat, plus duplo ab illa ſuperatur.

(3) Quod tam firmum, & manifeſtum divinæ Providentiæ præſidium minus apertæ ſunt aliæ Sedes etiam ab ipſo B. Petro fundatæ. Vide P. Couſtantium *Præfat. ad Epiſtolas* Romanorum Pontificum *n.* 19.

(4) Huc pertinent, quæ ſcripſit S. Leo IX. ad Michaelem Cerularium *Epiſt.* 1. *Ergo ne ſaltem quod Dominus conceſſit Phariſæis & Scribis ſedentibus in Cathedra Moſis, ſervus denegabit qualibuſcumque conſervis ſuis in Cathedra Petri?* Super Cathedram, *inquit*, Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite. *Ita quod male vivimus, noſtrum eſt, quod vero bona dicimus, Cathedra, cujus occaſione neceſſe habemus recta prædicare*.

(5) Ut loquitur S. Auguſtinus *Can.* 25. *diſt.* 50. *Ut conſtitueretur in Eccleſia, ne quiſquam poſt alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat: non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ. Alioqui contra claves datas Eccleſiæ diſputabitur, de quibus dictum eſt (quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cælo.)*

(6) Nec credendum, Mercatori excidiſſe celebrem illam S. Leonis ſententiam prolatam *Sermone* in Natali B. Petri, quam deinde retulit Gratianus *Can.* 5. 24. *quæſt.* 1. *Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipſius fertur æquitate judicium: nec nimia eſt vel ſeveritas, vel remiſſio, ubi nihil erit ligatum vel ſolutum, niſi quod B. Petrus aut ſolverit aut ligaverit*.

conſtituti, pro cunctis ſolicitudinem parere: & ſic omnium Eccleſiarum curam & ſolicitudinem, quæ Summi Pontificis ex cauſſa ſui primatus peculiaris eſt, omnibus Epiſcopis communem facit. (1) Sed in hoc præſertim Romano Epiſcopo, immo B. Petro injurius videtur Pſ. Iſidorus, quod ſua faciens verba S. Iſidori *de Officiis lib.* 2. *cap.* 5. ea ita interpretatur, ut videatur tribuere Petro principatum ex Jure Apoſtolico; Ait enim ſub nomine Anacleti *epiſt.* 2. *Hic ergo ligandi, atque ſolvendi poteſtatem primus accepit a Domino; primuſque ad fidem populum virtute ſuæ prædicationis adduxit. Ceteri vero Apoſtoli cum eodem pari conſortio honorem & poteſtatem acceperunt; ipſumque principem eorum eſſe voluerunt; qui etiam jubente Domino in toto orbe diſperſi Evangelium prædicaverunt.* Et ſimile quid habere videtur ſub nomine Julii *epiſt.* 1. inquiens de Apoſtolis: *Sanctam Romanam Eccleſiam primatum omnium Eccleſiarum habere voluerunt.* Hinc natus error eorum, qui dicunt, Petri Primatum non fuiſſe ex jure divino, ſed apoſtolico. (2) Et hinc patet, quam immerito Eſpenius illis ipſis Pſeudo-decretalibus, contra quas ſemper declamat, abutatur *Parte I. tit. XVI. de cura Epiſc. cap.* 1. *num.* 3. dicens: *Et quidem adeo conſtans erat hæc opinio de data ex æquo auctoritate omnibus Apoſtolis annuntiandi Evangelium, & regendi Eccleſiam ſæculo VIII. ut & de data ex æquo auctoritate opinionem ipſe Pſeudo-Iſidorus expreſſerit in decretali Anacleto Papæ ſuppoſita, cujus fragmentum refert Gratianus diſtinct. 21. Can. 2. In novo.* Adeo non erat conſtans hæc opinio ſæculo VIII. ut contraria potius obtineret, cujus rei præter Hadrianum I. *epiſt.* ad Imperatorem Conſtantinum, & Irenem, (3) locupletiſſimos teſtes damus Bedam *Homilia* in Feſto Petri & Pauli, Patres Concilii Francofordienſis *epiſt. ſynodica* ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Carolum Magnum *lib.* 1. Carolino *cap.* 6. Beda ait: *Ideo B. Petrus, qui Chriſtum vera fide confeſſus, vero eſt amore ſecutus, ſpecialiter claves regni cælorum, & principatum judiciariæ poteſtatis accepit.* Patres Concilii ſcripſerunt: *Reſpondit ei Petrus: Tu es Chriſtus filius Dei vivi, & pro hac glorioſa confeſſione B. Petrum Principem Apoſtolorum, cæli terræque remuneravit poteſtate dicens: Tu es Petrus &c.* Et Carolus M. ex ſententia Gallicanæ & Germanicæ Eccleſiæ inter alia hæc habet: *Sicut igitur ceteris diſcipulis Apoſtoli, & Apoſtolis omnibus Petrus eminet: ita nimirum ceteris Sedibus Apoſtolicæ, & Apoſtolicis Romana eminere dignoſcitur. Hæc enim nullis ſynodicis conſtitutis ceteris Eccleſiis prælata eſt, ſed ipſius Domini auctoritate primatum tenet, dicentis: Tu es Petrus &c.* His addimus Theodorum Studitam, qui initio ſæculi IX. floruit, & ita ſcripſit *epiſt.* ad Paſchalem Papam: *Audi Apoſtolicum caput, a Deo præpoſite Paſtor ovium Chriſti, janitor regni cælorum, Petra Fidei, ſupra quam ædificata eſt Catholica Eccleſia; Petrus enim tu; Petri Fidem exornans & ſubornans.* Et *epiſt.* ad filium ſuum Naucraſium de Apoſtolica Romana Eccleſia hæc habet: *Supremo verticali throno, in quo Chriſtus fidei claves poſuit, adverſus quem non prævaluerunt umquam, nec prævalebunt uſque ad conſummationem portæ inferi.* Eoque magis non debebat Eſpenius in ſupra exſcriptis Pſ-Anacleti verbis fundamentum ponere, cum Mercator minime ſibi conſtans ſub ejuſdem Anacleti nomine *epiſt.* 3. hæc habeat: *Sacroſancta Romana Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro primatum obtinuit, ſicut B. Petro ait: Tu es Petrus* (4) *&c.* Et his ſimilia alibi habeat.

CAPUT XII.

Detegitur alter Mercatoris ſcopus ſtabiliendi ſcilicet Primates, quos Patriarchis exæquat.

POtius igitur cum ſtudio conſolendi Epiſcopis ejectis vel accuſatis, quod ſupra probatum eſt, Pſ. Iſidorus conjunxiſſe videtur ſtudium ſtabiliendi, ſeu creandi Primates, non quidem in ea notione acceptos, qua antiquiores Epiſcopi provinciarum qui jus Metropoliticum (5) habebant, uti, una Carthagine (6) excepta, moris fuit in Africa; ſed ſtabiliendi, inquam, eos Primates, qui alios Metropolitas ſibi haberent ſubjectos. Quo ſenſu Græci Exarchi, qui Diœceſibus præerant, quarum unaquæque plures provincias metropoleſque continebat, ex latina verſione *Can.* 9. & 17. concilii Chalcedonenſis *Primates* dicti fuerant. Quibus ſimiles Vicarii Apoſtolici, quos Romani Pontifices in Diœceſibus ſui ampliſſimi Patriarchatus conſtituebant, dici cœperant ſæculo VII. *Archiepiſcopi*: (7) eoque nomine S. Iſidorus *lib. VII. Originum* relatus *Can.* 1. *diſt.* 21. illos a ceteris Hierarchiæ Ordinibus diſcernit. Quatuor enim cum diſtinguat Epiſcoporum Ordines ſeu Gradus, Patriar-

(1) Ne cui vero hæc Pſeudo-Pontificum verba fraudi ſint, obſervandum, Mercatorem minime ſibi conſtantem ſub nomine aliorum Pontificum diverſa habere, ac etiam ſub nomine S. Athanaſii ad Felicem Papam hæc ſcribere: *Ob id vos, prædeceſſoreſque veſtros, Apoſtolicos videlicet Præſules, in ſummitatis arce conſtituit* (Deus) *omniumque Eccleſiarum curam habere præcepit, ut nobis ſuccurratis.*

(2) Bellarminus igitur cum ex Turrecremata quatuor referat hereticorum opiniones circa primatum Romani Pontificis, hanc primam ponit, eamque pro ſe tria habere teſtimonia dicit, quorum primum & alterum ſunt ipſiſſima ſupra adducta Pſeudo-Anacleti, & Pſeudo-Julii loca, & tertium, quod eſt levius, eſt ex *Canone Ego Ludovicus diſt.* 63. ubi Paſchalis Papa vocatur Vicarius B. Petri.

(3) Quæ habetur *actione* 2. ſynodi VII. ubi hæc leguntur. *Nam ipſe Princeps Apoſtolorum B. Petrus, qui Apoſtolicæ Sedi primitus præſedit, Apoſtolatus principatum ac principalis curæ ſucceſſoribus ſuis, qui in ejus ſacratiſſima Sede perenniter ſeſſuri ſunt, dereliquit; quibus & auctoritatis poteſtatem, quemadmodum a Salvatore noſtro Domino Deo ipſi conceſſa eſt, & ipſe quoque ſuis contulit ac tradidit Divino juſſu ſucceſſoribus Pontificibus.*

(4) Quæ quidem verba ſi ita accipiuntur, quod Romanus Pontifex ex Petri ſucceſſione primatum habeat, & quidem juris divini, id veriſſimum eſt, quin & de Fide: Si vero accipiuntur, quod Romanæ Eccleſiæ talis primatus ex jure divino ſit addictus, id inter ipſos catholicos in controverſia eſt. Multi enim volunt, quod licet B. Petrus ex Chriſti Domini inſtitutione ſucceſſorem in primatu habere debuiſſet; non tamen ex ejuſdem Domini præcepto, ſed pro ſua voluntate Romanum Epiſcopum talem eſſe ſtatuit; adeo ut Romanæ Eccleſiæ primatus juris divini quidem ſit, ſed ex jure Apoſtolico ei ſit alligatus. Quod autem aliqui in hujus rei probationem dicunt, reapſe olim Pontifices Petri Sedem Avenionem tranſtuliſſe, id nullius roboris eſt. Pontifices enim qui Avenione manſerunt, non deſierant eſſe Romani Epiſcopi, ita ut tamquam a propria Sede abſentes ad eam tandem redire neceſſe duxerint.

(5) Hinc factum puto, quod etiam Metropolitæ *Primatum* nomine aliquando donati fuerint: Sic eos vocat S. Innocentius I. *Epiſt.* ad Rufum, & S. Leo M. *Epiſt.* 53. vel ſecundum Queſnellium 80. & *Epiſt.* 91.

(6) Epiſcopus enim Carthaginienſis non modo plenum jus metropoliticum habebat in ſua Proconſulari provincia, ſed erat veluti Exarchus & primas omnium provinciarum Africæ; unde eum ſic denotatum voluit S. Poſſidius in vita S. Auguſtini *cap.* 8. cum ait: *Primatem Epiſcopum Sedis Carthaginienſis.* Alii vero Africæ Primates, nempe antiquiores Epiſcopi, qui dicebantur etiam *Senes*, denominationem non deſumebant a ſuis civitatibus, ſed a provinciis, quibus præerant. Sic exempli cauſſa non dicebatur, *Primas Hipponenſis*, ſed *Primas Numidiæ*, vel etiam *Primæ Sedis*, aut *Cathedræ Epiſcopus*.

(7) Antiquitus vero Archiepiſcopi nominis acce-

psio

triarcharum ſcilicet, Archiepiſcoporum, Metropolitarum, & ſimplicium Epiſcoporum; de illo Archiepiſcoporum ita loquitur: *Archiepiſcopus Græco dicitur vocabulo, quod ſit Summus Epiſcoporum; tenet enim vicem Apoſtolicam, & præſidet tam Metropolitanis, quam cæteris Epiſcopis*. (1) Archiepiſcopi nomine ſubinde cum jure Pallii, quod conſequi ſolebat, Metropolitis (2) paſſim communicato, Pſeudo-Iſidorus ita Primates ſuos ab Archiepiſcopis diſtinguit, ut illos in gradu Patriarcharum, hos in gradu Metropolitarum collocet; tres namque facit Epiſcoporum Gradus, Patriarcharum, ſeu Primatum, Archiepiſcoporum, ſeu Metropolitarum, & ſimplicium Epiſcoporum.

Itaque Mercator Vicarios Apoſtolicos cum Exarchis confundens, & utroſque Patriarchis exæquans, eos ſub Primatum nomine nobilioribus in locis perpetuo ſtabilire & amplificare præcipue ſibi propoſuit; paſſim enim de iis mentionem facit, & ad ſatietatem ac faſtidium uſque in pſeud. *epiſt*. 1. Clementis, ſeu potius *additamento* ipſius, Anacleti *epiſt*. 1. *cap*. 4. *epiſt*. 2. *cap*. 4. *epiſt*. 3. *cap*. 3. Alexandri *epiſt*. 1. *cap*. 1. & 3. Aniceti *epiſt*. *cap* 2. & 3. Eleutherii *epiſt*. *cap*. 2. Victoris *epiſt*. 1. *cap*. 2. Zephirini *epiſt*. 2. *cap*. 6. Calliſti *epiſt*. 2. *cap*. 3. Stephani *epiſt*. 2. *cap*. 5. & 6. Sixti II. *epiſt*. 1. Felicis *epiſt*. 1. *cap*. 5. & *epiſt*. 2. Concilii Nicæni *Canonibus* apud Pſ-Julium *epiſt*. 2. *cap*. 4. 12. 17. 26. & 34. Felicis II. *epiſt*. 1. *cap*. 1. 3. 8. & 12. ac Athanaſii Alexandrini *epiſt*. ad eumdem Felicem. (3) Et quia longum omnino eſſet hujuſmodi loca percurrere, ſiſtimus in in illo *capitis* 4. *epiſt*. 2. Anacleti ex parte a Gratiano relato *Can*. 1. *diſt*. 99. ubi hæc leguntur: *Provinciæ autem multo ante Chriſti adventum tempore diviſæ fuerunt, maxima ex parte, & poſtea ab Apoſtolis, & B. Clemente prædeceſſore noſtro ipſa diviſio eſt renovata. Et in capite provinciarum, ubi dudum Primates legis ſæculi erant, ac prima judicariæ poteſtas, ad quos, qui per reliquas civitates commorabantur, quandiu eis neceſſe erat, qui ad aulam Imperatoris vel Regum confugere non poterant, vel quibus permiſſum non erat, confugiebant pro oppreſſionibus, vel injuſtitiis ſuis, ipſoſque appellabant, quoties opus erat, ſicut in lege eorum præceptum erat: ipſis quoque in civitatibus, vel locis noſtris, Patriarchas, vel Primates; qui unam formam tenent, licet diverſa ſint nomina, leges divinæ & eccleſiaſticæ poni & eſſe juſſerunt, ad quos Epiſcopi, ſi neceſſe fuerit, confugerent, eoſque appellarent, & ipſi Primatum nomine potirentur, & non alii. Reliquæ vero metropolitanæ civitates quæ minores judices habebant, licet majores Comitibus eſſent, haberent Metropolitanos ſuos, qui prædictis juſte obedirent Primatibus, ſicut & in legibus ſæculi olim ordinatum erat, qui non Primatum, ſed aut Metropolitanorum, aut Archiepiſcoporum nomine fruerentur*. (4) *Et licet ſingulæ metropoles civitates ſuas provincias habeant, & ſuos Metropolitanos judices habere debeant Epiſcopos, ſicut prius Metropolitanos judices habebant ſæculares; Primates tamen tunc, & nunc habere juſſa ſunt, ad quos poſt Sedem Apoſtolicam, ſumma negotia conveniant, ut ibidem, quibus neceſſe fuerit, releventur, & juſte reſtituantur, & hi qui injuſte opprimuntur, juſte reformentur atque fulciantur, Epiſcoporumque cauſſæ, & ſummorum negotiorum judicia (ſalva Apoſtolica auctoritate) juſtiſſime terminentur. Hæc ab antiquis, hæc ab Apoſtolis, hæc a SS. Patribus accepimus, vobiſque, ut poſtulatis, rimanda, & futuris tenenda temporibus mittimus, & reliquis fratribus prædicanda, ac cunctis fidelibus tradenda mandamus, ne Paſtorum imperitia, qui ſequantur, deteriores fiant*. Et, ut hac in re magis imponeret, ſub ejuſdem Anacleti nomine *epiſt*. 3. *cap*. 3. dum idem repetit, progreditur ad dandum catalogum primarum urbium, & fingit, ad vitandam prolixitatem earum diſtinctum *Tomum* mittere; (5) ideoque poſt enumeratas Sedes, Romanam quæ ex jure Divino Primatum ſupra omnes Eccleſias habet, Alexandrinam & Antiochenam ſubdit: *Reliquas vero, ut prædiximus, in quodam tomo prolixitatem vitantes Epiſtolæ vobis conſcriptas direximus. Inde namque & beati Apoſtoli inter ſe ſtatuerunt, ut*

---

ptio erat magis reſtricta, & regulariter non comprehendebat, niſi primos Epiſcopos, qui Patriarchæ dicti fuerunt, Romanum præſertim & Alexandrinum.

(1) Nec eſt, quod Petrus de Marca *Diſſert. de Primatibus n*. 48. neget tales Vicarios dictos indiſcriminatim Archiepiſcopos, ſed nomine Archiepiſcoporum dicat, Iſidorum Vicarios tantummodo Theſſalonicenſem, & Juſtinianæ novæ, qui, ut ipſe putat, perpetuam, & veluti propriam juriſdictionem in ſuis diœceſibus habebant, intellexiſſe. Verba enim S. Iſidori talem reſtrictionem non admittunt; nec eſt veriſimile, quod ipſe qui Græcorum Exarchorum nullam mentionem facit, ad hos tantummodo Græcos Vicarios reſpexerit.

(2) Quia etiam Archiepiſcopi nomen communicatum ſimplicibus Epiſcopis, qui ex privilegio etiam perſonali tale jus pallii habebant. Sic Engelramnus, & Drogo Metenſes, aliique ſimplices Epiſcopi pallio donati Archiepiſcopi dicti fuerunt. Similiter apud Græcos recentiores Archiepiſcopi nomen honoris cauſſa datum nonnullis Epiſcopis, qui jure Metropolitico minime fruebantur. Apud eos quoque Metropolitæ nomen jam inde ab antiquis temporibus quibuſdam ſimplicibus Epiſcopis conceſſum legitur; ut habemus ex actis concilii Chalcedonenſis quod hoc illud conceſſerit Epiſcopis Berytenſi, Nicæno, & Chalcedonenſi.

(3) Cur autem in aliis Pſeudo-Epiſtolis, quæ Romanis Pontificibus a Felice II. uſque ad S. Gregorium M. tribuuntur, amplius Mercator de ſuis Primatibus mentionem non faciat cauſſam infra inveſtigabimus.

(4) Quos hic Pſeudo-Anacletus *Primates legis Sæculi* vocat, & Pſeudo-Stephanus *Epiſt. II. cap*. 5. *Primates* abſolute, Pſeudo-Clemens relatus *Can*. 2. *diſt*. 80. appellat *primos Flamines*, & *primos legis Doctores*: & quos ille *minores Judices*, ſed *Comitibus majores*, hic *Archiflamines* nuncupat; ait enim: *In illis vero civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum, atque primi legis Doctores erant, Epiſcoporum Primates poni, vel Patriarchas B. Petrus præcepit .... In illis autem civitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines, quos tamen minores tenebant, quam memoratos primates, Archiepiſcopos inſtitui præcepit*. Unde vero Mercator hos *Primorum Flaminum*, *Archiflaminum* & ſimplicium *Flaminum* diſtinctos ordines depromſerit, vel formaverit, & quorſum eis uſus fuerit, Petrus de Marca *de Primatibus num*. 59. hanc conjecturam in medium ponit: *Legerat in concilii Eliberitani Canonibus, Sacrificiis agendis addictos, & in veteribus inſcriptionibus* provinciarum Flamines, *&* primos Flamines, *facile in mentem ſuam induxit, tres Flaminum gradus fuiſſe apud Paganos, qui ad exemplum Magiſtratuum per civitates maximas, majores, & minores pro muneris ſui dignitate conſtituti eſſent. Quare occaſionem iſtam ornandæ diſpoſitionis Eccleſiaſticæ, ex Gentilium inſtituto prætermittere noluit; nempe ut conſtaret, eam niti non ſolum ratione civili, ſed ſacra quoque pro civitatum diſcrimine*. Utcumque res ſe habeat, Antonius Auguſtinus dolet, hujuſmodi ineptias in Decreto Gratiani etiam proſtare.

(5) Hujuſmodi *Tomus* nihil aliud continuiſſe videtur, quam civilem *notitiam Provinciarum*, & civilem item eamdemque pleniorem *notitiam Galliarum*, quæ extant in pluribus Mercatoris exemplaribus: & quas inter alios publici juris fecit in ſua *Veteri Geographia* Petrus Bertius: idque confirmatur ex Hincmaro *Cap. XVI.* Opuſculi, ubi ad Hincmarum juniorem ait: *Sicut & Tomus, quem Anacletus Epiſcopis de Sedium privilegiis ſe interrogantibus ſe miſiſſe dicit, patenter oſtendit; velut ipſe legere poteris in eodem Breviario, in quo deſcriptis civitatibus Remorum metropoli ſubjectis, nomen Caſtelli in quo ordinatus es Epiſcopus, nequaquam invenies*.

ut Epiſcopi ſingularum ſcirent gentium, qui inter eos eſſet primus, quatenus ad eum potior eorum ſollicitudo pertineret.

Hinc, quæ ſuperius notata ſunt de pateocinio & tutela Epiſcoporum, ad ſtabiliendam neceſſitatem Primatum, eorumqua ampliandam poteſtatem etiam tendunt; Cauſſæ enim Epiſcoporum gravatorum, ut diſerte Pſ-Anacletus verbis ſupra exſcriptis, & alibi habet, & cum eo alii Pſ-Pontifices in ſuis Epiſtolis, poſt S. Sedem Primatibus reſervantur. Quin immo non modo Epiſcopis, ſed omnibus Clericis, ut mox videbimus, qui ſe putant gravatos, fit facultas libere appellandi Primates. Quæcumque igitur Mercator ſive Exarchis ſive Vicariis Apoſtolicis tributa reperit, ea pleraque omnia, quin & majora Primatibus ſuis tribuit. Sic quæ concilium Chalcedonenſe *can.* 9. & 17. de Patriarcha Conſtantinopolitano, & Exarchis ſtatuerat, ea non modo ad Papam, ſed etiam ad ſuos Primates tranſtulit. Subjectis enim Patriarchæ Conſtantinopolitano (cui alterum locum a Romano concilium Conſtantinopolitanum I. tribuerat) tribus Exarchis, qui prius erant Αὐτοκέφαλοι, & proxime accedebant ad Patriarchas, Epheſino ſcilicet, Cæſareenſi Cappadociæ, & Heracleenſi: (1) ſubjectis, inquam, hujuſmodi Exarchis Patriarchæ Conſtantinopolitano ſtatutum fuit, *Can.* 9. *Si quis autem Clericus cum proprio, vel etiam alio Epiſcopo litem habuerit, a provinciæ ſynodo judicetur. Sin autem cum ipſius Provinciæ Metropolitano Epiſcopus, vel Clericus controverſiam habuerit, diœceſis Exarchum adeat, aut regiæ urbis Conſtantinopolis ſedem, & apud ipſam judicetur*; *Can.* vero 17. *Si quis autem a ſuo Epiſcopo, vel Metropolitano injuria afficiatur, apud Exarchum diœceſeos, vel apud Conſtantinopolitanam ſedem litiget, ut ſupra dictum eſt.* Hæc Iſidorus noſter in rem ſuam convertens ſub nomine Victoris *epiſt.* 1. rel. *Can.* 7. 2. *quæſt.* 6. habet: *Si quis putaverit, ſe a proprio Metropolitano gravari, apud Patriarcham vel Primatem diœceſeos, aut penes Univerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ judicetur ſedem*; ſub nomine Nicæni conc. apud Pſ-Julium *epiſt.* 2. c. 4. & Sixti II. *epiſt.* 1. rel. *Can.* 55. eodem loco: *Si quis putaverit, a proprio Metropolitano gravari, apud Primatem diœceſeos, aut penes Univerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ Papam judicetur*; ſub nomine Aniceti *epiſt. un.* ſi (Epiſcopus) *ſuum Metropolitanum ſuſpectum habet, apud Primatem aut apud Apoſtolicam ſedem audiatur*: & ſub nomine etiam Nicæni concil. laud. *epiſt.* Pſ-Julii *cap.* 17. *Si ipſe* (Epiſcopus) *Metropolitanum, aut judices ſuſpectos habuerit, aut infenſos ſenſerit, apud Primatem* (2) *diœceſeos, aut apud Romanæ Sedis Pontifices judicetur.* Ac etiam nomine ejuſdem Nicæni eod. loco *cap.* 25. Eleutherii *epiſt.* 1. & Felicis *epiſt.* 1. generatim habet: *Illi qui pulſatus fuerit, ſi judices ſuſpectos habuerit, liceat appellare Primates.*

Sic etiam quæ Mercator Vicariis Apoſtolicis de judiciis ferendis ad tempus tributa legerat, ea in ſuos Primates ejuſdem S. Sedis etiam vice & auctoritate perpetuo transfuſa comminiſcitur. Poſſem ad hoc probandum multa præcipere ex Litteris decretalibus, quibus Romani Pontifices ſuos Vicarios facultatibus inſtruxerunt; ſed ne longior ſim, aliqua delibabo. S. Zoſimus, Patroclo Arelatenſi Vicario per Gallias conſtituto, de eo *epiſt.* V. ad illius regionis Epiſcopos ait: *Ad cujus notitiam, ſi quid illic negotiorum emerſerit, referri cenſemus, niſi magnitudo cauſſæ etiam noſtrum requirat examen*; S. Cæleſtinus I. vero *epiſt.* ad Rufum Theſſalonicenſem, & Epiſcopos Illyrici, de illo hæc habet: *Cui vicem noſtram per veſtram provinciam noveritis eſſe commiſſam, ita ut ad eum, quidquid de cauſſis agitur, referatur*; & S. Sixtus III. Vicariatu Rufi in Anaſtaſium ejus ſucceſſorem prorogato, ad Epiſcopos in ſynodo apud Theſſalonicam congregandos inquit: *Ad Theſſalonicenſem majores cauſſæ referantur Antiſtitem.* Mercator igitur hæc interpolans, & amplificans ſub nomine Anacleti, ut ſupra vidimus, habet: *Ad quos* (Primates) *poſt Sedem Apoſtolicam ſumma negotia conveniant . . . Epiſcoporumque cauſſæ, & ſummorum negotiorum judicia, ſalva Apoſtolicæ Sedis auctoritate, juſtiſſime terminentur* (3); & ſub nomine ejuſdem Anacleti *epiſt.* 1. *Si fuerit eccleſiaſticum negotium apud Epiſcopos interveniente Primate, ſiquidem major cauſſa fuerit, ſi vero minor, Metropolitano &c.* Præterea cum Sixtus ſupra memorata *epiſt.* Rufo ſuo Vicario faciat facultatem eligendorum arbitrorum, qui eccleſiaſticas controverſias componerent: *Ipſe optimos ſollertiſſimoſque de veſtro numero eligat, quos negotii ſecum adſciſcat arbitros, aut ſine ſe tribuat, qui in diſceptationem miſſa componat*: cum, inquam, Sixtus de ſuo Vicario ita ſcripſerit, Mercator de ſuis Primatibus etiam ſtatuit nomine Nicæni concil. apud Pſ-Julium *Can.* 34. *Judices alii eſſe non debent, quam quos ipſe qui impetitur, elegerit, aut quos hæc cum conſenſu hæc S. Sedes, aut ejus Primates auctoritate hujus S. Sedis elegerint.* Nec denique Mercator negligit, Primatibus ſuis facere facultatem convocandarum ſynodorum, eiſque regulariter præſidendi, quam, ut ſupra notavimus, habebant Vicarii Apoſtolici; ut ex *epiſt.* 11. Pſ-Felicis, ubi a CXX. Epiſcopis in ſynodo ſtatutum legitur: *Si quis Epiſcopus fuerit accuſatus . . . . ad ſummos Primates cauſſa ejus canonice deferatur; qui in congruo loco infra ipſam provinciam tempore congruo, id eſt autumnali vel æſtivo concilium regulariter convocare debebunt*; ac non obſcure colligitur ex Anacleti memorata *epiſt.* 1.

Quin Pſ-Iſidorum plus tribuere ſuis Primatibus, quam Romani Pontifices tribuerant ſuis Vicariis, vel ex eo patet, quod hi Metropolitarum jura ſarta tecta cuſtodiri volebant, & ut ſupra notatum eſt, nec patiebantur Vicarios in eos coactionem exercere. Non ita ille, ſed ſub Aniceti nomine rel. 9. *quæſt.* 3. c. 6. ſtatuit: *Si Metropolitanus incorrigibilis, & comprovincialibus inobediens apparuerit: ad hanc Apoſtolicam Sedem, cui omnia Epiſcoporum judicia referri præcepta ſunt, ejus contumacia referatur, ut vindicta de eo fiat, & ceteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatem, vel itineris aſperitatem grave ad hanc Sedem ejus cauſſam deferre fuerit, tunc ad ejus Primatem cauſſa deferatur, & penes ipſum hujus S. Sedis auctoritate judicetur.* Nec mirum videri debet, quod Mercator Primatibus ſuis tantum tribuerit, cum illos, uti diximus, ipſis Patriarchis exæquet, & cum eiſdem confundat. Si autem de cauſſa hujus exæquationis quærimus, non omnino aſſentior Petro de Marca putanti, ideo confuſos Primates cum Patriarchis, quod memorati Canones Chalced. nomine Exar-

(1) Ob rationem, quam reddit Thomaſſinus *Par.* 1. *de Veteri, & nova Eccl. diſc. lib.* 1. *cap.* X. *n.* 8. inquiens: *In jura plerumque Exarchorum Thraciæ, Ponticæ, & Aſiæ incurſaſſe Conſtantinopolitanos Epiſcopos, quod & minores, & viciniores eſſent diœceſes, eoque injuriæ opportuniores.*

(2) Non mirum, quod Mercator heic *Primates* dicat, cum dicere debuiſſet *Primatem* numero ſingulari; nam heic etiam *Romanæ Sedis Pontifices* dicit; quaſi non unus, ſed plures eſſent Romani Pontifices. Quæ notata volo, ne te turbent hujuſmodi Mercatoris loca, quorum alia infra referemus, ubi etiam pro *Primas* legitur *Primates* numero plurali.

(3) Ex his & ſimilibus quæ apud alios Pſeudo-Pontifices leguntur, videtur Mercator Epiſcoporum cauſſas etiam graviores, quibus pœna depoſitionis imponenda venit, ſuis Primatibus conceſſiſſe. Sed ipſe, uti in aliis, ita in hac re minime ſibi conſtans, eas alibi paſſim ſedi Apoſtolicæ expreſſe reſervat: & nomine Zephyrini *Epiſt.* unica & Felicis *Epiſt.* I. *cap.* 5. hæc habet: *Patriarcha vero vel Primates accuſatam diſcutientes Epiſcopum, non autem ſententiam proferant definitivam, quam Apoſtolica fulti auctoritate.*

Digitized by Google

Exarchorum diœceſis comprehendiſſent Patriarchas etiam Alexandrinum, & Antiochenum. Non infitior, ut Exarchos præpoſitos diœceſibus, nempe Epheſinum Aſiæ, Heracleenſem Thraciæ, Cæſareenſem Ponto, ita Patriarchas præpoſitos diœceſibus ſuis, nempe Alexandrinum Ægypto, & Antiochenum Orienti; unde Exarchi aliquando dicti Patriarchæ, & e converſo. Sed potiora, & ampliora jura erant Patriarcharum, quam Exarchorum. Et quod memorati Canones non comprehenderint Patriarchas, cum ex aliis (1) evincitur, tum etiam ex *Can.* 28. ejuſdem concilii Chalcedonenſis ſuaderi poſſe videtur, ubi diſerte alia jura Patriarchatus Conſtantinopolitani, nulla facta mentione Patriarchatuum Alexandrini & Antiocheni, ſtatuuntur in tres memoratas diœceſes, Ponticam, Aſianam, & Thracicam. Potius igitur crediderim, Mercatorem exæquaſſe Primates cum Patriarchis, quod ſua tempeſtate jam inter Occidentales mos invaluerat, ut illuſtrioribus Epiſcopis nomen Patriarchæ tribueretur (2). Ut ut res ſe habeat, elucet in hoc illius ſtudium ſuos Primates non modo creandi, ſed etiam augendi, honeſtandique; uſque eo ut nomen ipſum Patriarchæ, ne illis fraudi eſſe poſſet, eliminare quoque voluiſſe videatur; ait enim ſub nomine Anacleti *epiſt. 3. cap. 3. Epiſcoporum ordo unus eſt, licet ſint Primates illi, qui primas civitates tenent, qui & in quibuſdam locis Patriarchæ a nonnullis vocantur.*

Eoque fortior redditur conjectura, auctorem falſarum Decretalium cum ſtudio conſulendi Epiſcopis gravatis conjunxiſſe ſtudium ſtabiliendi Primates, quod ſuo tempore nulli erant Primates, ſeu Vicarii Apoſtolici in Occidentali Eccleſia. Quin, ut obſervat Thomaſſinus *de Veteri, & nova Eccl. diſc. Par.* 1. *lib.* 1. *cap.* XXXIII. *n.* 14. in Oriente etiam per ea tempora Primatiæ omnes otioſæ, ac ſolo nomine & titulo tenus erant. Et ſic magis apparet, Mercatorem loqui de Primatibus, qui non erant, ſed quos optabat eſſe, ac creatos volebat. In Occidente nullos tunc fuiſſe Vicarios Apoſtolicos, patet ex enumeratione partium: Vicariatus enim Hiſpalenſis per Hiſpanias (ut taceam Tarraconenſem, qui fuerat obſcurior, & brevior) a S. Simplicio Papa ſtatutus deſiit tempore S. Gregorii M. in S. Leandro (3), quem ipſe ſuum Vicarium fecerat: Primatiæ Toletanæ licet jacta eſſent fundamenta (4), adhuc tamen illa non conſurrexerat, nec Apoſtolica auctoritate fuerat donata: Vicariatum Arelatenſem per Gallias a S. Zoſimo Papa in Patroclo primo ſtabilitum declinante Clodovei ſtirpe omnino intercidiſſe (5) Virorum eruditorum ſententia eſt: Sic eodem tempore, ut tardius, intercidit Vicariatus, ſi umquam fuit (6), Remenſis per Belgium, Germaniam, aliaſque provincias. Hos cum excepiſſet Vicariatus S. Bonifacii Epiſcopi Moguntini per Galliam & Germaniam, ad ejus ſucceſſores, ut ſupra probavimus, minime tranſiit (7). Sic Cantuarienſis Vicariatus per Angliam perſonam S. Auguſtini primi ejus Archiepiſcopi, ac etiam Theodori non fuerat tranſgreſſus.

Si vero opponitur privilegium Primatiæ perpetuæ conceſſum Tatwino Cantuarienſi a S. Gregorio II. quod depromtum ex *m. s. Cott.* proſtat apud Wilkins in *collect.* Conciliorum M. Britanniæ, audacter dico, illud non uno nomine falſitatis ſuſpicione laborare. Præter enim ſcriptionis incredibilia (8) quæ ad ipſam Primatiam non pertinent, ſuf-

---

(1) Nempe quod legati Apoſtolici recitationi talium canonum non intercesſerint, nec de iis Romani Pontifices fuerint conqueſti; quod utique feciſſent, ſi de minuendis privilegiis Patriarcharum Alexandrini, & Antiocheni *Can.* 6 conc. Nicæni expreſſe confirmatis actum fuiſſet: quod hujuſmodi jure in concilio Chalcedonenſi ſtatuto nuſquam legatur Epiſcopus Conſtantinopolitanus uſus extra fines ſupra dictorum trium Exarchatuum: & denique quod Imperator Juſtinianus *L. ſancimus* 29. *C. de Epiſcopali audientia*, *Novella* 123. *cap.* 22. *& Novella* 137. *cap.* 5. ſtatuit, ut ac Epiſcopi, niſi apud Metropolitanum, & hic apud Patriarcham cauſam ſuam dicerent; & ſic videtur ipſe Imperator interpretatus concilium Chalcedonenſe, quod Patriarchas non comprehenderet.

(2) Qui quidem mos ex moribus Gothorum eſt repetendus: nam ut obſervat Card. Baronius ad annum 53. *n.* 36. *Ex Gothis ejuſmodi veris uſus emerſit, ut Archiepiſcopi in occidente Patriarchæ etiam dici cœperint*

(3) Thomaſſinus *de Vet. & nova Eccl. diſc. Par.* 1. *lib.* 1. *cap. XXXI n.* 4. exiſtimat, hujuſmodi Hiſpalenſem Primatiam duraſſe uſque ad concilium Toletanum XII. an 681. ſed nullam hujus rei ſolidam vel probabilem rationem affert; & nullius eſt momenti, quod habet de S. Iſidoro S. Leandri fratre, & ſucceſſore, quod ceu Primas præſederit concilio Toletano IV. Sanctus enim Iſidorus ei concilio præſedit tamquam antiquior Metropolita, idque ſecundum conſtantem morem illius regionis. Hinc S. Leander, qui concilio Toletano III. interfuit, (cum nondum Vicarius Apoſtolicus eſſet) ei non præſedit, quia non erat antiquior.

(4) Nempe in concilio Toletano XII. ubi cautum fuit, ut quos Epiſcopos per univerſas ſuæ ditionis provincias rex nominaſſet, Toletanus Epiſcopus ordinaret deberet.

(5) Eo reſpexiſſe putat idem Thomaſſinus laud. loco *cap. XXXI. n.* 1. S. Bonifacium Moguntinum, cum ad S. Zachariam Papam ſcripſit: *Franci, ut ſeniores dicunt, pluſquam per tempus* 80. *annorum ſynodum non fecerunt, nec Archiepiſcopum habuerunt*, nempe Primatem ſeu Vicarium Apoſtolicum.

(6) Litteræ namque S. Hormiſdæ Papæ ad S. Remigium Remenſem, quibus inſtituitur hujuſmodi Vicariatus, viris eruditis ſunt valde ſuſpectæ, & videntur exſcriptæ ex Epiſtola ejuſdem S. Hormiſdæ ad Salluſtium Hiſpalenſem; ideoque Sirmondus in collectione Conciliorum Galliæ illas non ponit.

(7) Reapſe tempore concilii Francofordienſis habiti anno 794. nullos fuiſſe in Gallia & Germania Primates recte colligit Natalis Alexander ex *Can. VI.* ejuſdem, ubi edicitur, ut ad tribunal regis deferantur negotia, quæ a Metropolitanis finiri non potuerint. Cum ſimile quid ſtatuatur *Can. I.* concilii Toletani IX. magis ex hoc confirmatur, quod ſupra de extinctione Vicariatus Hiſpalenſis notavimus.

(8) Velut quod legitur in principio: *Salutem & Apoſtolicam benedictionem.* Qui ſalutandi modus tunc non erat in uſu. Sed Romanus Pontifex cum ſalutare vellet, (nam non ſemper ſalutabat) utebatur hac vel ſimili formula: *In Domino ſalutem.* Sic idem Gregorius II. *Epiſt.* ad clerum & populum Turingiæ, *in Domino ſalutem* dicit: Zacharias *Epiſt. encycl.* ad Epiſcopos Galliæ, *in Domino ſalutem*, & *Epiſt.* quadam ad Bonifacium, *perpetuam ſalutem* ait: & Hadrianus I. *Epiſt.* ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ, *in roſeo Chriſti ſanguine ſalutem* ſcribit. Non me fugit, Mabillonium *de Re Diplomatica Corell.* & ad *lib.* VI. duo afferre exempla ſæculi VII. hujus inſcriptionis ſeu ſalutationis *ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem*, unum Joannis V. & alterum S. Sergii I. Sed cum hæc reſcripta eidem monaſterio S. Benigni ſint directa, nec alia occurrant per ea tempora hujuſmodi exempla uſque ad Joannem VIII. ſeu verius Joannem XIII. qui ſæculo X. floruit, ſuſpicione carere non videntur. Dixi uſque ad Joannem VIII. ſeu verius Joannem XIII. nam illius unicum exemplum, quod habemus talis ſalutationis in *Epiſt.* quæ proſtat poſt concilium Tricaſſinum II. ut infra videbimus, ſuppoſitionis arguitur. Jo. itaque XIII. cum diverſis ſalutationum formulis uſus fuerit, velut *Perpetuam ſalutem*, *Bravium æternæ remunerationis*; *Salutem in Chriſto, & viſitationem*: *Epiſt.* ad Edgarum regem & Epiſcopos Britanniæ hanc uſurpavit: *Chriſtianam ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.* Sic deinde Joannes XV. *Omnimodam ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem*, ac etiam *Salutem in Domino, & Apoſtolicam benedictionem* dixit; donec tandem ex S. Gregorio VII. ſolemnis evaſit hæc ſalutatio in ore Romanorum Pontificum: *Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.* Præterea quod legitur in ipſa *Epiſt.* S. Gregorio II. tributa: *S. Patris noſtri Gregorii Romani Pontificis*, eam ſuſpectam reddit. Non enim per ea tempora mos fuit Romanorum Pontificum aliquem ſuorum prædeceſſorum vocare *Patrem noſtrum*, ſed *noſtrum Decefſorem, Prædeceſſorem, ſanctæ recordationis Papam, Dominum, Domnum &c.*

Digitized by Google

ſuſpicionis argumenta ſunt : I. quod Vicarius Apoſtolicus vocatur *Primas*, quod adhuc non erat in uſu; ſed hic poſt publicationem falſarum Decretalium cœpit; (1) II. quod inſueto quoque per ea tempora more talis Vicariatus ſeu Primatia conceditur non modo Tatwino, ſed etiam ejus ſucceſſoribus. Mos enim hic creandi perpetuos Vicarios, etiam, ut mox videbimus, poſt publicatas falſas Decretales exortus fuit. Et tandem, quod ferri nequit, quia conceditur Vicariatus *per omnia* ſine ulla exceptione per hæc verba: *Cui vices noſtras per omnia in regione illa gerenda commiſimus*; id quod fuiſſet omnino contra contra morem Romanorum Pontificum, qui aliis ſuas vices committendo, eos *in partem ſolicitudinis* vocabant, *non in plenitudinem poteſtatis*. (2) His accedit ſilentium accuratiſſimi ſcriptoris ſynchroni, Bedæ ſcilicet, qui ſuam Hiſtoriam Angliæ perduxit uſque ad annum 731. ſub cujus principium Gregorius II. mortem obivit; & ſilentium poſteriorum ſcriptorum. Idem judicium ferendum de ſuppoſitione aliorum monumentorum, quibus idem primatus aſſeritur; veluti alterius Epiſtolæ Bonifacii V. Papæ ad Juſtum Cantuarienſem, quæ non cohæret cum prima ad eumdem, quæ proſtat apud Bedam; tertiæ *epiſt.* Honorii I. Papæ ad Honorium Cantuarienſem, quæ eſt diſſona a prima ad eumdem Honorium, & ab altera ad Edwinum regem, quas idem Beda refert; ac binarum Litterarum Conſtantini Papæ ad Britwaldum Britannorum Primatem, quæ ſunt ad oculum falſæ. Quod autem Lanfrancus Cantuarienſis *epiſtola* ad Alexandrum II. Papam in cauſſæ ſuæ præſidium laudaverit Epiſtolas Bonifacii, Honorii, Gregorii, aliaſque, ex eo aliud non non evincitur, niſi quod ante illius tempus fuerint confictæ. Neque opponas, Tilpinum Remenſem privilegio ei conceſſo petitione Caroli M. ab Hadriano I. Papa vocatum *Primatem* ſuæ diœceſis; nam ut ſupra probavimus *adnot.* 2. ſub finem *cap.* 7. nomine *diœceſis* ab Hadriano uſurpato venit provincia, ideoque nomine *Primatis* venit Metropolitanus, quod ex ſupra notatis novum non fuit, etſi Iſidorus noſter Summorum Pontificum, & concilii Nicæni ementitis nominibus aliud doceat. Et reapſe, ut recte obſervat Thomaſſinus laud. loco *num.* 9. Epiſtola Hadriani ad Tilpinum purum putum continet Metropolitanorum privilegium.

Et denique ad probandum, Mercatori alterum ſcopum fuiſſe Primatum creationem, etiam facit, quod reapſe, ut poſt Petrum de Marca obſervarunt viri eruditi, Primates qui exinde per Occidentem emerſerunt, ex falſis Decretalibus originem habuerunt: veluti Bituricenſis, de cujus inſtitutione non conſtat; (3) Cantuarienſis ita declaratus in concilio Anglico an. 1075. Lugdunenſis

(1) Quod adeo verum eſt, ut nec etiam Sergius II. *Epiſt.* data anno 844. ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ, qua creavit per eas regiones ſuum Vicarium Drogonem Metenſem, eum *Primatem* appellaverit. Quin nec deinde Joannes VIII. Anſegiſum Senonenſem ſuum Vicarium etiam per Galliam & Germaniam conſtitutum, Primatem appellavit. Nam licet tunc temporis Pſeudo-Decretales publicatæ fuiſſent, in manifeſtum & aſſiduum tamen uſum, ſaltem in Italia, adhuc non proceſſerant. Primus igitur, qui hujuſmodi Vicarios Primates nuncupaverit, videtur Hincmarus Remenſis, cum alibi, cum *Epiſt.* 44. ubi loquens de Vicariatu Drogonis ait: *Sine hoc Primicerio vel Primate a Sede Apoſtolica delegato.* Neque opponas verba S. Iſidori in Chronico, quæ leguntur apud Thomaſſinum *Par.* 1. *de Vet. & nova Eccl. diſcip. cap.* XXX. *n.* 3. *Interfuit tunc* (concilio Toletano III) *Primas ille catholicus, & orthodoxus, Leander Hiſpalenſis Archiepiſcopus & Romanæ Eccleſiæ Legatus, ſanctitate & doctrina perſpicuus.* Neque, inquam, opponas Iſidori verba; hæc enim verba non ſunt S. Iſidori, ſed ſcriptoris ſequioris ætatis, & neſcio quomodo eruditiſſimo Thomaſſino obrepſerint.

(2) Ut loquitur S. Leo M. *Epiſt.* XII. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem ſuum per Illyricum Vicarium conſtitutum.

(3) Vulgo creditur a viris eruditis poſterior anno 780. quo conſtat, Epiſcopum Bituricenſem fuiſſe ſimplicem Metropolitanum: ſed antiquior anno 864. quo Nicolaus I. Papa ſcripſit Epiſtolam ad Rodulfum Bituricenſem, cujus *cap.* 2. ejus Primatiæ mentionem facit. Sed hoc teſtimonium non uno nomine vacillat. Primo enim, ut ſupra notavimus, ſuſpectum eſt primum caput modo dictæ Epiſtolæ, quod ad Chorepiſcopos attinet. Deinde conſideranda eſt incohærentia dicti ſecundi capitis cum ceteris ejuſdem Epiſtolæ. In his enim reſpondet Papa ad conſulta Rodulfi, in illo vero abs re talium reſponſionum, & intempeſtive eum monet de querela Archiepiſcopi Narbonenſis, inquiens: *Conqueſtus eſt apoſtolatui noſtro frater noſter Sigebodus Archiepiſcopus Narbonenſis, quod clericos ſuos eo invito ad judicium tuum venire compellas, & de rebus ad Eccleſiam ſuam pertinentibus, eo inconſulto, quaſi jure Patriarchatus tui diſponas: cum hoc neque antiquitas cui ſancti patres ſanxerunt reverentiam, habeat, & auctoritas ſanctorum Canonum penitus interdicat, niſi forte pro cauſſis quæ apud ſe terminari non poſſunt, ad te quaſi ad Patriarcham ſuum provocaverint per appellationes; vel ſi Epiſcopus ſuus deceſſerit, res Eccleſiæ ſuæ judicio tuo diſpenſare voluerint. Primates enim, vel Patriarchas nihil privilegii habere præ ceteris Epiſcopis, niſi quantum ſacri Canones concedunt, & priſca conſuetudo illis antiquitus contulit, definimus Can.* 8. 9. 9. 3. Sed & quomodo Pontifex hic reſpondet ad normam juris communis, & antiquæ conſuetudinis, nulla facta mentione privilegii Primatiæ & Patriarchatus recens conceſſi, quod debeat eſſe decidendi principalis norma? Nec quod Nicolaus heic de Patriarchis ait, eſt conforme cum eo quod dicit ad conſulta Bulgarorum *Cap.* 29. *Deſideratis noſſe, quinam ſint veraciter Patriarchæ. Veraciter illi habendi ſunt Patriarchæ, qui Sedes Apoſtolicas per ſucceſſiones Pontificum obtinent, id eſt, qui illic præſunt Eccleſiis, quas Apoſtoli inſtituiſſe probantur, Romanam videlicet, & Alexandrinam, & Antiochenam... Conſtantinopolitanus autem, & Hieroſolymitanus Antiſtes, licet dicantur Patriarchæ, non tantæ tamen auctoritatis, quanta ſuperiores, exſiſtunt.* Huc etiam facit, quod Nicolaus in eo *cap. Epiſt.* ad Rodulfum, nimis aperte uſurpat modum loquendi Pſeudo-Decretalium contra ea, quæ de ipſo ſupra notavimus, quam caute ſemper illis uſus fuerit: ac faciunt, quæ ſupra quoque notavimus, per ea tempora Romanos Pontifices adhuc ſolitos non fuiſſe conſtituere Primates perpetuos, ſed more antiquo conſtituiſſe Vicarios ad tempus. Sic per Galliam, & Germaniam Sergius II. & Joannes VIII. ſuos Vicarios conſtituerunt, ille Drogonem Metenſem, hic Anſegiſum Senonenſem. Præterea cum Nicolaus ibi ponat Epiſcopum Bituricenſem Primatem & Patriarcham, deberet conſtare de antecedenti inſtitutione talis Primatus, vel ſaltem aliqua probabili conjectura ſtabiliri tempus & occaſio ejuſdem, quod nemo præſtitit. Et licet viri eruditi poſt de Marca occaſionem aſſignent, quod Biturica effectum fuerit caput novi regni Aquitanici a Carolo Magno formati; hæc tamen occaſio probabilis non videtur; cum Narbona, de qua Nicolaus loquitur, ad regnum Aquitanicum non pertineret, ſicut pertinebant Burdegala & Auguſta Auſciorum, quæ etiam ponuntur illi ſubjectæ. Primatiam inſuper ſive juriſdictionis ſive præeminentiæ in Bituricenſi Epiſcopo per ea tempora excludunt tum Capitulare, & Epiſtola Ludovici Pii anno 828. in quibus Epiſcopus Bituricenſis poſtponitur Epiſcopis Burdegalenſi & Narbonenſi, ac Præceptum ejuſdem Ludovici editum ano. 837. in Conventu Cariſiaci, quod poſt Narbonenſem ſubſcribit Bituricenſis Archiepiſcopus; tum ſynodus Duziacenſis I. anno 871. in qua poſt Frotarium Burdegalenſem ſe ſubſcribit Vulfadus Bituricenſis, & *Epiſt.* nomine concilii Tricaſſini anno 867. ad Nicolaum, in qua poſt Frotarium & Hegilonem ſe ſubſcribit Vulfadus. Quemadmodum igitur Baluzius in *notis* ad Capitularia *pag.* 1112. ex Capitulari Ludovici Pii probat, *neminem ea tempeſtate Bituricenſes Archiepiſcopos cogitaſſe de primatu ſuper Archiepiſcopos Narbonenſem & Burdegalenſem*; ſic potuiſſet probare, nec etiam cogitaſſe tempeſtate harum ſynodorum, quæ Nicolai reſponſa

inſtitutus ab Urbano II. Narbonenſis (1) ita declaratus a Paſchali II. Viennenſis (2) inſtitutus a Calliſto II. Bracarenſis, Armachanus, Piſanus, aliique. Et reapſe quæ S. Gregorius VII. *lib. 6. epiſt.* 35. ad Rotomagenſem, Turonenſem & Senonenſem Archiepiſcopos de Lugdunenſi Primatu ſtatuit, iiſdem omnino verbis ex ſupra relata *epiſtola* Pſ-Anacleti *cap.* 4. tranſcripſit; & Urbanus II. *epiſt.* ad Tarraconenſem & ceteros Hiſpaniarum Archiepiſcopos, qua primatiam Archiepiſcopo Toletano concedit, Pſ-Aniceti ſententias & modum loquendi uſurpat. Et licet idem de Marca, in cauſſa quoque novorum Primatum creationis fuiſſe velit capitula ad Angilramnum Hadriano I. tributa; tamen hæc, ut ſupra diximus & infra probabimus, etiam ex Pſ-decretalibus proceſſerunt.

CAPUT XIII.

De Loco, ubi Primatem Mercator præcipue conſtitutum volebat; eumque Moguntiam fuiſſe variis probatur.

Quod vero ad locum attinet, ubi Primatem conſtituere Auctori Pſeudo-Litterarum præcipua mens erat, is in Hiſpaniis eſſe non poterat; nam præter ea quæ Blondellus congerit ad probandam noſtram collectionem ibi fieri non potuiſſe, & præter alia quæ ſupra notavimus, quæ magis ad Galliam & Germaniam pertinent, magna etiam in ipſo loco in illa regione aſſignando difficultas occurrit. Hiſpalenſi namque Primatia jam diu extincta, & Toleto regni capite effecto, ubi etiam novæ Primatiæ fundamenta jacta erant in concilio ibi celebrato anno 681. hic locus opportunior ad id fuiſſet: ſed tempore quo noſtra collectio geſtabatur in utero, vel tempore ſaltem ejus partus, Archiepiſcopus Toletanus erat Elipandus hæreticus, (3) qui cum Felice Urgellitano Eccle-

A ſiam turbabat, & in variis conciliis damnatus fuit. Igitur auctor collectionis de Toleto, ſeu de Hiſpania nullo modo cogitare poterat. Potius igitur cogitavit de Gallia, & Germania. Et reapſe *epiſtola* Aniceti, *epiſtola* Eleutherii, *epiſt.* 2. Calliſti, in quibus de *Primatibus* fit mentio, ad Galliæ Epiſcopos ſunt directæ; & ſpeciatim in illa Aniceti *cap.* 2. hæc habentur: *Nulli Archiepiſcopi, Primates vocentur, niſi illi qui primas tenent civitates, quarum Epiſcopos Apoſtoli & ſucceſſores Apoſtolorum regulariter Patriarchas & Primates eſſe conſtituerunt, niſi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui neceſſe ſit propter multitudinem eorum Primatem conſtitui. Reliqui vero, qui alias Me-*
B *tropolitanas ſedes adepti ſunt, non Primates, ſed Metropolitani nominentur.* Tum ſequuntur, quæ ſuperiori capite retulimus. Quæ cum ita ſint, in eam conjecturam abeo, Mercatoris collectionem ſtudio conſulendi Epiſcopis accuſatis factam conſcio Riculfo Archiepiſcopo Moguntino; vel eo conſilio, ut Riculfum patronum haberet, qui ad Primatiam Galliæ & Germaniæ aſpirabat, & hunc honorem ac poteſtatem ſedi ſuæ Moguntinæ firmiter ſedere cupiebat. Riculfus enim, ut ſupra diximus ex Hincmaro, ea tamquam ex Hiſpania allata Galliam implendam curavit. Ex qua Riculfi cura Petrus de Marca, ut ſuperius notavimus, ſuſpicatur, illum ſtudio ſublevandæ Eccleſiæ Romanæ cui erat
C devotus, collectionem interpolaſſe. Sed quorſum hæc præpoſtera devotio? Quid opus habebat Romana Eccleſia in ſoliditate Petræ fundata hujuſmodi ficulneis ſulcimentis? Fecit potius amplianda ſuæ dignitatis ſtudio; ad quod primo movere potuit præſtantia urbis Moguntiæ, quæ erat ex Annalibus Fuldenſibus ad ann. 719. *Metropolis Germaniæ*, &c. ex Reginone *lib.* 2. anno 923. & iterum poſtea: *Metropolis Franciæ, Regnique civitas*. Cui conſonat Sigebertus ad annum 1074. *Colonia civitas frequentiſſima, & poſt Moguntiam caput & princeps Galliarum urbium.* (4) Hinc Gotfridus Vi-

ſunt poſteriores. Attamen ipſe hoc reſponſum in dubium non revocat. Excludunt etiam Bituricenſem Primatum Litteræ Hincmari Remenſis juſſu conc. Tullenſis II. an. 860. ſcriptæ ad Rodulfum Bituricenſem & Frotarium Burdegalenſem, ad quos ille dicit: *Vos qui primarum ſedium regni Aquitanici eſtis*: ergo ſic erat *prima ſedes* Biturica, ſicut erat Burdegala, ſed hæc erat ſimplex Metropolis; ergo ita & illa. Huc quoque faceret Epiſtola, ſeu Lex Joanni VIII. tributa. Sed de hoc vide ſequentem *adnotationem*. Præterea excludunt eum Primatum res geſtæ in cauſſa Anſegiſi Senonenſis ad inſtantiam Caroli Calvi, creati a Joanne VIII. ſui Vicarii in Gallia & Germania. Cum enim in concilio Pontigonenſi anno 876. Epiſcopi illi quorum jura lædebantur, reluctarent, præſertim Hincmarus Remenſis ex cauſa ſui primatus independentiæ quam credebat habere; multo magis reluctare debuerat Frotarius tum Bituricenſis Epiſcopus; & tamen ipſe ſolus in gratiam Caroli Calvi conſenſit. Excludit denique talem Primatum ſcriptorum & monumentorum ſilentium uſque ad ſæc. XII.

(1) Huc pertinet Lea ſeu Epiſtola, quæ nomine Joannis VIII. in concilio Tricaſſino II. addita legitur Gothicis Legibus, & conficta videtur non modo ad excludenda jura primatus Bituricenſis & Toletani in Eccleſiam Narbonenſem, ſed ad hujus e contrario primatum quoque adſtruendum. Cum enim Joannes VIII. modo dictum concilium cui interfuit, ita ſubſcripſerit: *Joannes Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ primæ Sedis Epiſcopus*; fingitur in ea Epiſtola ſcripſiſſe: *Venit ante præſentiam noſtram filius noſter Sigebodus primæ Sedis Narbonenſis Epiſcopus cum ſuis ſuffraganeis*, ut ſcilicet ſic quoque primatum Narbonenſis Eccleſiæ inſinuare videretur. Eam legem, ſeu Epiſtolam eſſe ſuppoſititiam ex multis probatur; & primo quidem ea modo exſcriptis verbis, quibus Epiſcopus a Papa vocatur *filius*: quod quam ſit alienum a conſtanti uſu Romanorum Pontificum omnes ſciunt. Deinde ſalutatis arguunt verba: *Unde noſtra Serenitas cum præſcriptis Epiſcopis inſpectis legibus Romanorum, ubi habebatur de ſacrilegiis, inve-* *nimus, ibi a Juſtiniano Imper. legem compoſitionis ſacrilegii inſtitutam in quinque libras auri optimi.* Illud *noſtra Serenitas* maximam ſuſpicionem ingerit. Non enim mos fuit Romanorum Pontificum de ſe his verbis loqui: & quæ pauca ſunt apud Mabillonium *de Re diplomatica fol.* 89. exempla aliorum Epiſcoporum de ſe ita loquentium, ſunt poſterioris ætatis. Et, quod magis eſt, quomodo Joannes VIII. laudat legem Codicis Juſtiniani, quæ eſt *Lex* 13. *C. de Epiſcopis, & Clericis*, cum omnibus notum ſit, codicem Juſtiniani tunc temporis in occidente jamdiu deperditum adhuc e tenebris non emerſiſſe? Laudaſſet eam potius ex Codice Theodoſiano, qui tunc temporis hominum manibus terebatur. Denique non eſt omittendum, quod in fine legitur: *Et præcipimus, ut in fine Codicis legis mundanæ ſcribatur hæc lex.* Quid ad Papam pertinebat in regnis & provinciis temporali ſuæ ditioni non ſubjectis, directam, ut ajunt, in temporalibus juriſdictionem exercere?

(2) Cujus Primatus cum ſupra ipſam Bituricam & Narbonam ſe extenderet, hinc Viennenſes Archiepiſcopi *Primates Primatum* ſe inſcribebant. Sic Abbates Cluniacenſes ſe *Abbates Abbatum* aliquando inſcribere teotarunt.

(3) Ab anno ſcilicet 792. quo errores Felicis per literas hauſit, & deinceps. Eorum error maximus erat, Chriſtum Dominum uti hominem non proprium, ſed adoptivum filium Dei eſſe.

(4) Sed quomodo Moguntia modo dicitur *Metropolis Germaniæ*, & modo *Caput & Princeps Galliarum Urbium*: ad utram potius pertinebat, Galliam, an Germaniam? Pertinebat ad minorem Germaniam, quæ Galliæ pars erat; quæ quidem minor Germania dividebatur in primam & ſecundam; illius caput erat Mogontia, hujus vero Colonia. Hinc Ammianus *Lib. XV. Nunc numerantur provinciæ per omnem ambitum Galliarum: ſecunda Germania, ab occidentali exordiens cardine, Agrippina, & Tungris munita, civitatibus amplis, & copioſis. Deinde prima Germania, ubi præter alia municipia, Mogontiacus eſt, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus barbaricis cladibus nota.* Quomodo vero ad Franciam pertinuerit, audi

a Bea-

Viterbienſis *Chronicorum par. XVII. ad anno* 755. de Pippino cecinit:

Inde Moguntinas patriæ remeavit ad ædes
Regia Francorum, quæ tunc erat inclyta ſedes;
Qua Germanorum gloria ſumma ſedet.

Et notum eſt omnibus, qui vel leviter Hiſtoriam Eccleſiaſticam percurrerunt, deſiderium eccleſiaſtici Primatus multos magnarum civitatum Epiſcopos inſanire feciſſe. (1)

Secundo Riculfum movere potuit recens memoria S. Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini, in quo Primatus per Galliam & Germaniam, extinctis illis Arelatenſi & Remenſi, revixerat. Ut enim ſupra retulimus, S. Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus, cui Riculfus poſt B. Lullum ſucceſſit ſub annum 785. fuit ultimus Vicarius Apoſtolicus, ſeu Primas in Gallia & Germania, & idem Bonifacius Pippinum in Regem inunxit; unde primus honoris gradus in iis regionibus Archiepiſcopo Moguntino ſedebat, adeo ut Marianus Scotus *lib.* 3. *Chronici* ſcripſerit: *Pippinus in civitate Sueſſionum a S. Bonifacio Archiepiſcopo in regem inunctus* (2) *regni honore ſublimatus eſt, & ob id deinde poſt Papam ſecundus habetur Moguntinus Archiepiſcopus in hodiernum diem*, anni ſc. 1083. quo ipſe Scotus ſcribere deſiit. Huc igitur in confirmationem hujus præeminentiæ Moguntinæ facit *adnotatio* Struvii ad hunc Scoti locum, quod Witichindo in *Annal.* Epiſcopus Moguntinus vocetur *ſummus Pontifex*, quod etiam, ut quid ſingulare, notaverant Sammarthani Fratres *Tom. I. Galliæ Chriſtianæ*, & quidem recte. Nam licet omnes Epiſcopi ad differentiam Chorepiſcoporum dicti fuiſſent *ſummi Pontifices*, (3) & ab ipſo Witichindo; Moguntinus tamen ita dictus fuit, veluti per excellentiam, ac etiam *Pontifex maximus* ab eodem Witichindo *lib.* 2. (4) Hinc Sigefridus Archiepiſco-

A pus Moguntinus in concilio Moguntiæ habito anno 1071. ſe *Primatem* vocat, appellavitque Eccleſiam ſuam *Metropolim Orientalis Franciæ*, *Principalem vero Pontificiæ*, *ſedem totius Germaniæ & Galliæ Ciſalpinæ*. Eique conſonat Schafnaburgenſis *de rebus Germaniæ* ad annum 1054. *Innuitur conſenſu Luipoldi Archiepiſcopi, ad quem propter primatum Moguntinæ ſedis conſecratio regis, & cetera negotiorum regni diſpoſitio potiſſimum pertinebat*; & iterum ad annum 1073. *His accenſus Archiepiſcopus Moguntinus, cui potiſſimum propter Primatum Moguntinæ ſedis eligendi, & conſecrandi reges* (5) *auctoritas deferebatur*. Quæ omnia comprobantur ex iis, quæ habet M. S. apud Serarium *lib.* 4. *rerum*

B *Moguntinarum* in Adelberto: *Aſſerunt hac ætate Nortbertum Archiepiſcopum Magdeburgenſem ab Innocentio II. Primatum Germaniæ obtinuiſſe pro ſe & ſucceſſoribus, cum eſſet Romæ cum Lothario Imperatore anno* 1135. *Antea vero Moguntinus ceteris in Germania Præſidibus prælatus fuit, ut ſupra in Hattone, & alibi apparet*. (6)

Aſſertio talis Primatus Moguntini, qui tamen fuit tantum honoris, & ἐν Προεδρίᾳ confirmatur etiam factis. Videmus enim Epiſcopum Moguntinum in catalogis, & in ſubſcriptionibus, uno Archicapellano regio excepto, prælatum ceteris Galliæ & Germaniæ Epiſcopis, ipſamque Moguntiam prælatam ceteris earumdem regionum civita-

C tibus: Sic in *Breviario diviſionis Theſaurorum*, ſeu Codicillo Caroli Magni facto tribus annis ante ejus mortem in fine legitur: *Hanc conſtitutionem atque ordinationem coram Epiſcopis, Abbatibus Comitibusque, qui tunc præſentes eſſe potuerunt, quorum hæc nomina deſcripta ſunt, fecit atque conſtituit. Epiſcopi Hildebaldus, Richolfus, Arno, Wolfarius, Bernoinus, Laidradus, Johannes, Theodulfus, Jeſſe, Hetti, Havalcandus*. Ex hoc diſcimus, demto Hil-

 de-

a Beato Rhenano *Lib. I. Germaniæ II. & utriuſque Belgica pars, ubi conſedere Franci cum uxoribus & liberis, appellata eſt Francia Teutonica, quod Franci Teutones eſſent, hoc eſt Germani, Teutonicæque loquerentur. Idem nomen Germaniam primam poſtea complecti cœpit... Unde & in hac Francia præcipuas ſedes habuerunt priſci Francorum reges omnes, & Carolus ipſe Magnus ac hujus nepotes.*

(1) Uſque eo, ut ipſi Epiſcopi Ravennates, qui ea omnium conſenſu non modo ad Romanum Patriarchatum pertinebant, ſed etiam olim ad Romanam provinciam pertinuerant, animo inflati, quod in ea urbe imperialis Exarchus reſideret, Primatum, quin & independentiam a Romano Pontifice aliquando affectaverint.

(2) Pater Natalis Alexander unctionem hanc Pippini per S. Bonifacium ſedente S. Zacharia factam, & ab Eginhardo primum, & deinde ab aliis memoratam pro commenticia habet, eam putet potius credendum Anaſtaſio Bibliothecario, Hilduino, aliiſque teſtantibus, Pippinum una cum uxore & filiis in regem Francorum inunctum fuiſſe a Stephano III. Papa in Monaſterio S. Dionyſii. Sed quid vetat dicere cum Patre Nicolao Serario, & Patre Franciſco Pagio, illum bis unctum fuiſſe, primo a S. Bonifacio, & biennio poſt a Stephano Papa? *Saul Rex* (inquit Serarius) *nonne bis unctus?* 1. *Regum* 10. *David vero nonne ter?* 1. *Regum* 16. *II. Regum* 2. & 5. Eoque magis id dicendum videtur, cum de prima unctione dubitari nequeat; ejus enim meminit *clauſula* ſcripta, Pippino adhuc vivente, & ſubjuncta *Libro* S. Gregorii Turonenſis *de Gloria Confeſſorum*, quam refert Pater Mabillonius *Lib. V. de re Diplomatica pag.* 385.

(3) Ut ſupra notavimus ex noſtro Iſidoro *Epiſt.* ſub Melchiadis nomine ad Epiſcopos Hiſpaniæ *Cap. II.* vel. *Can.* 3. *de conſecr. d. 5.* 5. ac adde *caput* 423. *Lib. VII. Capitularium*, ubi cum Chorepiſcopis interdicatur, Epiſcopalibus muniis fungi, ſubditur: *Quæ omnia ſummis Pontificibus in Cathedralibus Epiſcopis debentur, & non Chorepiſcopis, vel Preſbyteris*. Sic S. Bonifacius Moguntinus *Epiſt.* quadam ad Egbertum Eboracenſem, eum *ſumm. Pontificii infulatum* appellaverat: & ſimiliter alii alios appellarunt.

(4) Hæc etiam facit, quod Bertius *lib.* III. *Rerum Germanicarum cap.* 6. notat his verbis: *Moguntia maxime venerabilis, quod illa hæc poſt Romam ſancta Cathedra vocari ſoleat, inſtitutione Gregorii III.* Sed de hac Gregoriana inſtitutione valde dubito ex eo præſertim, quod eo tempore Eccleſia Moguntina adhuc in Metropolim non erat reſtituta. Magis igitur facit, quod teſtatur Serarius *lib.* 1. Rerum Moguntin. *cap.* XII. *n.* 12. circa Altare majus ejus Eccleſiæ uncialibus aureiſque litteris antiquam eſſe inſcriptionem: *Eccleſia Romana filia ſpecialis*.

(5) Reges ſcilicet Romanorum, ut definitum fuerat anno 937. cum de inauguratione Othonis *M.* ageretur, ut teſtatur Witichindus, qui *Lib. II.* rem ita narrat: *Cum quæſtio eſſet Pontificum in conſecrando rege, Trevirenſis videlicet, & Coloniæ Agrippinæ, illius, quia antiquior ſedes erat, & tamquam a B. Petro fundata. iſtius vero, quia ad ejus diœceſim pertinebat locus... Ceſſit tamen uterque eorum Hildeberto* (Archiepiſcopi Moguntini) *cunctis nota almitati*.

(6) Nec nobis ſcrupulum injicit, ut contra ſentiamus, id quod ſupra memi MS. ſubdit, a Benedicto V. Epiſcopum Magdeburgenſem vocatum fuiſſe Patriarcham Germaniæ; tempore enim Benedicti V. Magdeburgenſis ſedes adhuc in Metropolim non erat erecta; unde eum Benedictus eum vocat Patriarcham, potius de Patriarchatu opinionis perſonæ intelligendus, uti S. Gregorius Nazianzenus Patrem ſuum Nazianzi modicæ urbis Epiſcopum bis Patriarcham vocat *Orat.* 20 & 41. Neque moror hoc fragmentum deſumtum ex Eccleſiæ Magdeburgenſis ms. Chronico ab Henrico Meibomio publicatum, ac Witichindi Annalibus adjunctum, quod hæc habet: *Joannes XII. ordinavit, & privilegio Apoſtolicæ auctoritatis ſanxit, ac confirmavit Archiepiſcopum Magdeburgenſem in omni ordine eccleſiaſtico Primatum habere omnium Archiepiſcoporum, qui in Germania ſunt ordinati: in Gallia quoque Colonienſi, Moguntinenſi & Trevirenſi Archiepiſcopis per omnia honore ſimilem eſſe, crucis ſignaculum ante ſe ferre, & inter Cardinales Epiſcopos Romanæ Sedis conſortium habere*. Tunc enim temporis jure deferendi Crucem non fruebantur, niſi Legati Sedis Apoſtolicæ: & Colonienſis Archiepiſcopus eo donatus non fuit ante tempora Eugenii III. neque tunc *conſortium* inter Cardinales Epiſcopos Archiepiſcopo honori fuiſſet.

debaldo Archiepiſcopo Colonienſi, (1) qui tunc erat Archicapellanus, Riculſum Moguntinum primum fuiſſe nominatum. Quin in ipſo *Breviario* Moguntiam ante Coloniam, ceteraſque Galliæ & Germaniæ metropoles memoratam legimus. Sic in *epiſtola* ejuſdem Caroli Magni, quam modo non habemus, convocationis omnium Epiſcoporum Galliæ & Germaniæ ad quinque concilia, primo loco nominatam Moguntiam, dubitare non licet ex iis, quæ obſervat doctiſſimus Pater Sirmondus *nota* ad Concilium Arel. VI. ann. 813. *Ex iiſdem diſcimus hominum opinione Moguntiam ceteris Galliæ & Germaniæ civitatibus pro potiori habitum. Ait enim de hoc & quatuor ſequentibus conciliis Eginhardus in Chronico anni DCCCXIII.* „ *Concilia quoque juſſu ejus (Caroli Imperatoris) ſuper ſtatu Eccleſiarum corrigendo per totam Galliam ab Epiſcopis celebrata ſunt: quorum unum Moguntiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabilione, quintum Arelate congregatum eſt.* “ *Eodemque ordine, ac numero in Annalibus Pithœani, & a Reginone, (2) aliiſque recenſentur. In tomis conciliorum primo loco poſitum eſt Arelatenſe, tum Turonenſe, Cabillonenſe, Moguntiacum, & Remenſe. Si temporis ſpectanda eſt ratio, Arelatenſe & Remenſe Maii menſis notam præferunt, Moguntiacum Junii, reliqua duo notam nullam habent: quamquam omnia per æſtatem habita fuiſſe dubium non eſt.* Tum in *Capitulari* Triburienſi dato ab Imperatore Ludovico Pio anno 822. petitio Epiſcoporum habet: *In concilio apud Theodonis Villam, ubi interfuerunt XXXII. Epiſcopi, Heiſtolfus Magontienſis Archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis, Hadabaldus Colonienſis Archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis, Hetti Trevirenſis Archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis, Ebbo Remenſis Archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis &c.* & in fine legitur: *Heiſtolfus Magontienſis Archiepiſcopus dixit: ſi Principibus placuerit, aliiſque ſuis fidelibus, rogamus, ut collaudetur & ſubſcribatur. Et collaudatum eſt, & ſubſcriptum tam a Principe, quam a ceteris omnibus.* Ubi tamque obſervandum Theodonis Villam pertinuiſſe ad provinciam, immo ad diœceſim Trevirenſem.

Præterea in *Capitulari* anni 823. in catalogo locorum, in quibus Miſſi Dominici (3) legatione funguntur, habetur: *in Veſontio, quæ eſt diœceſis Bernoini Archiepiſcopi, Heimannus Epiſcopus, & Monogoldus Comes. In Mogontia, quæ eſt diœceſis Heiſtulfi Archiepiſcopi, idem Heiſtulfus, & Routbertus Comes. In Treveris Hetti Archiepiſcopus, & Adalbertus Comes. In Colonia Hadeboldus Archiepiſcopus, & Eimundus Comes. In Remis Ebbo Archiepiſcopus, quando potuerit, & quando ei non licuerit Ruotadus Epiſcopus ejus vice, & Ruotfridus Comes fiat ſuper ſex videlicet comitatus &c.* Demto igitur Bernoino, Heiſtulfus primus nominatur. Sed ex hoc ipſo catalogo, ubi Bernoinus ſupponitur abſens a ſua diœceſi, conjectura deſumitur, eum tunc fuiſſe Archicapellanum ſuffectum, (4) & penes Principem degentem, ideoque Heiſtulfo prælatum. Ita etiam in *epiſtola* generali, quam anno 828. Ludovicus Pius ex *Placito* Aquiſgranenſi ejuſdem anni miſit de conciliis Epiſcoporum in quatuor Imperii partibus congregandis, habetur, & quidem ſecundum eumdem ordinem in *Capitulari* expreſſum: *Primo ſcilicet in Moguntiacenſi urbe, ubi convenient Metropolitani Autgarius, Hadaboldus, Hetti, & Bernoinus cum ſuffraganeis ſuis. Secundo quoque in Pariſiorum urbe, ubi futurus Antiſtes Senonicus, & Ebbo, Ragnoardus, & Landramnus Metropolitani cum ſuffraganeis ſuis. Tertio vero apud Lugdunum, ubi Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus cum ſuffraganeis. Quarto etiam apud Toloſam urbem, quo ſimul conveniant Notho, Bartholomæus, Adalelmus, Agiulfus cum ſuffraganeis ſuis.* Adhæc in concilio anni 833. apud Theodonis Villam, in quo præſidentibus Drogone Epiſcopo Metenſi Archicapellano, & Hettio Archiepiſcopo Trevirenſi ejus Metropolitano ac loci Ordinario, Ludovicus Pius reconciliatus fuit, & Ebbo Archiepiſcopus Remenſis depoſitus, poſt *Hettium* primus ſcribitur *Otgarius* Moguntinus, & deinde *Landramnus* Archiepiſcopus Turonenſis, *Notho* Archiepiſcopus Arelatenſis, *Aiulfus* Archiepiſcopus Bituricenſis, licet illo, tempore antiquiores: Ubi etiam obſervandum, cum Drogone in eo concilio potius Hettium, quam Otgarium præſediſſe, quia hic recens fuerat factionis Lotharianæ contra ipſum Ludovicum, (5) & licet eſſet reconciliatus, adhuc tamen jure erat ſuſpectus, & ideo non præſedit. Sed in generali Conventu apud Cariſiacum habito anno 837. in cauſſa Carilephani Cœnobii præcepto Ludovicano poſt Drogonem ſubſcribit *Autgarius*, & deinde *Agobardus* Lugdunenſis, *Bernardus* Viennenſis, *Bartholomæus* Narbonenſis, *Agiulfus* Bituricenſis, & *Notho* Arelatenſis: & in Placito Aquiſgranenſi anni 838. poſt Drogonem nominatur *Autgarius*, & deinde *Hadaboldus* Colonienſis, *Amalvvricus* Veſontionenſis, & *Aiulfus* Bituricenſis. Deoique idem Otgarius poſt Drogonem Archicapellanum ſubſcripſit Edictum Lotharii anni 840. de reſtitutione Ebbonis, & ante quidem Hettium, etſi hic eſſet tempore antiquior. Neque hoc caſu dicendum factum fuiſſe: nam Hincmarus *epiſtola* 17. ad Nicolaum Papam loquens de Epiſcopis Remenſi & Trevirenſi ait: *Semper obtinuiſſe comperimus, ut idem Epiſcopus, non loci, ſed dignitatis ordinis prior ſecundum ſacras regulas haberetur, qui foret in qualibet ipſarum Eccleſiarum Metropoli antea ordinatus:* & *epiſtola 6. cap. 16.* loquens de Primatibus, ſeu Metropolitanis Gallicis, Belgicis & Germanicis: *Inter quos, ſicut & inter reliquos Epiſcopos, hæc conditio regularis ſervatur, ut qui prius fuerit ordinatus, prior habeatur.* En igitur Archiepiſcopus Moguntinus tum habuit Primatum honoris, & præeminentiæ, Quin, ut vult Struvius, (6) aliquo modo habebat Primatum etiam auctoritatis, cum ut ipſe contendit, Archiepiſcopi Moguntini ſub Carolingis partes præcipuæ eſſent in rebus Eccleſiaſticis decernendis.

Ex hactenus dictis, ſi Primates conſtitui contigiſſet,

(1) Jam ſupra notavimus, inanem eſſe Serarii ſuſpicionem *Lib. IV. Rerum Mogunt. in Riculfo*, quod heic primo in Colonienſi Nuenariana editione Hildeboldus præpoſitus ſit Riculfo Moguntino.

(2) Ad Annum 813. *Concilia juſſu ejus* (Caroli Magni) *ſuper ſtatu Eccleſiæ per totam Galliam ab Epiſcopis celebrata ſunt, quorum unum Moguntia, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabilones, quintum Arelate congregatum eſt, & conſtitutiones* &c.

(3) Miſſorum Dominicorum, de quibus paſſim fit mentio in Libris Capitularium, munus erat, ut habemus ex Floduardo *Lib. II. Hiſt. Remen. cap.* 18. ut diligenter inquirerent, *Quid Epiſcopi, Abbates, Comites & Abbatiſſæ per ſingulos pagos agerent, & undecumque neceſſe fuiſſet, tam regias, quam eccleſiaſticas Dei juſtitias, viduarum quoque & orphanorum, ſed & ceterorum hominum inquirerent, & perficerent.*

(4) Dixi *Suffectum*, nempe in locum Hilduini Abbatis ordinarii Archicapellani, qui tunc temporis degebat in Italia in comitatu Lotharii, Ludovici Imperatoris filii: & ideo Bernoinus inter Archicapellanos non numeratur.

(5) Adeo Autgarius, ſeu Otgarius adæſit Lothario contra Ludovicum Imper. ut eo inſidiatore filius contra patrem nſus fuerit: ut teſtatur Theganus *cap.* 47. & 49. *Poſt ſancta feſtum Epiphaniæ* antecedenti anno 834. *iterum Ludovicus Bajoariæ rex miſit Legatos ad patrem, Grimoldum venerabilem Abbatem & Presbyterum, & Gebehardum nobiliſſimum atque fideliſſimum ducem. Qui venientes Aquis, conſenſit Lotharius, ut viderent patrem cum inſidiatoribus, quorum unus vocabatur Otgarus Epiſcopus, alter vero Richardus perfidus. Venientes Legati ad conſpectum Principis, & humiliter proſternentes ſe pedibus ſalutaverunt eum ab æquivoco filio ſuo, ſecreta vero voluerunt indicare propter inſidiatores præſentes, ſed aliquo motu ſignorum fecerunt eum intelligere, quod filius ejus hoc conſentire noluiſſet, ſcilicet ſupplicium patris.*

(6) *Syntag. Hiſt. Germ. Diſſert. VI.* §. 15. *Cap. XXIII.*

ſet, ex primis ad eam dignitatem conſequendam Archiepiſcopum Mognatinum debere eſſe, certo credere debebat Riculſus. Et reapſe Moguntiam Mercator teſpexiſſe videtur ex requiſitis, quæ præſcribit in civitatibus, quas primatiales eſſe vult. Ait enim nomine concilii Nicæni *Can.* 12. apud Pſ-Julium *epiſt.* 2. *Quod non aliæ Metropolitanæ Eccleſiæ vel Primates ſint, niſi illæ quæ prius Primates erant, & poſt Chriſti adventum auctoritate Apoſtolica & ſynodali primatum habere meruerunt. Reliquæ vero non Primates, ſed Metropolitanæ vocentur:* id quod nomine Felicis II. *epiſt.* 1. *cap.* 12. etiam confirmat. Tria igitur adjuncta præſcribit, quod Primates fuerint ante Chriſti adventum, & quod tales conſtitutæ ſint auctoritate tum Apoſtolica, tum Synodali: quæ tria Moguntiæ mire conveniunt. Et primo quidem Moguntia, ſaltem ex ſenſu illorum, qui ejus præſtantiæ minus antiquitatis tribuunt, cum prius ad formam Vici eſſet, anno XIV. ante Chriſti Domini adventum a Druſo Auguſti privigno mœnibus cincta fuit, & civitatis nomine donata, & quidem ex inſignioribus evaſit, ac Metropolis Germaniæ I. cum Colonia Metropolis eſſet II. Unde dici poterat, Moguntiam fuiſſe Primatis ſedem ante Chriſti adventum. (1) Hac conditione, quæ etiam præſcripta legitur in ſupra exſcriptis locis Epiſtolarum Pſ Clementis, & Pſ-Anacleti, Mercator non modo firmat jus Moguntiæ ad Primatiam, ſed etiam excludit, quod ad eamdem habere poterat Arelate; (2) ut quæ ante Chriſti Domini adventum non fuerat Metropolis, ſed a Metropoli Viennenſi pendebat: & reapſe in civili *Notitia* quam Mercator ipſe affert, & de qua ſupra aliqua adnotavimus, ſub Viennenſi ponitur. Quod vero Moguntia Apoſtolica auctoritate primatum habere meruiſſet, id in dubium venire non poterat, cum auctoritate S. Zachariæ Papæ, ſedes Bonifacii, tunc per Galliam & Germaniam ejus Vicarii, fuerit decreta. Quod denique etiam auctoritate ſynodali talis fueret conſtituta, non obſcure colligitur ex *epiſt.* 14. ejuſdem S. Zachariæ ad eumdem S. Bonifacium de Moguntia ſcribentis: *Obtinere voluiſti, ut tibi cathedralem Eccleſiam, vel ſucceſſoribus tuis confirmare debeamus, juxta eorumdem Francorum petitionem.* Quæ ultima verba *juxta eorumdem Francorum petitionem* ſatis indicant præceſſiſſe ſynodum Epiſcoporum, ac etiam Conventum publicum (qui etiam nomine ſynodi (3) veniebat) de cujus conſilio ipſa proceſſit. Quod confirmatur ex moribus Principum Francorum, qui de rebus Eccleſiæ, & regni decernebant *per conſilium Sacerdotum & Optimatum*, ut loquitur Pippinus Major Palatii in ſynodo Sueſſionenſi, & Carolomannus in ſynodo Liptinenſi. (4) Præterea Moguntiam reſpexiſſe Mercatorem mire comprobat ſupra laudata Epiſtola Pſ-Aniceti ad Epiſcopos Galliæ, in qua leguntur hæc etiam ſupra exſcripta verba: *Nulli Archiepiſcopi Primates vocentur, niſi illi qui primas tenent civitates, quarum Epiſcopos Apoſtoli, & ſucceſſores Apoſtolorum regulariter Patriarchas, & Primates eſſe conſtituerunt, niſi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui neceſſe ſit, propter multitudinem eorum, Primatem conſtitui.* Quis non videt per hanc appoſitam exceptionem Mercatorem indicatas voluiſſe gentes per Bonifacium ad Chriſti fidem converſas, ejuſque Primatiam ſeu Vicariatum Apoſtolicum, ac ſedem Moguntinam? Hinc apparet probabilis ratio, cur ex Pſeudo-decretalibus nullæ ſint, in quibus Primatum mentio fiat poſt illam Felici II. tributam; nimirum, quod cum exinde Romani Pontifices ſuis genuinis Litteris tractent de Vicariis Apoſtolicis, inter quos locum non habuerat Moguntinus; non poterat Mercator more ſuo falſa veris admiſcendo ſub eorumdem Pontificum nomine ita de Primatibus agere, ut inde jus Moguntiæ ad Primatiam quæreretur.

Nec deſuit Riculſo occaſio hujuſmodi Primatum appetendi: videbat enim introductum morem ad tribunal regis deferendi negotia, quæ per Metropolitanos terminari non poterant; idque cautum ſexto Canone Concilii Francofordienſis habiti anno 794. *Statutum eſt a Domino rege*, (5) *& ſancta ſynodo, ut Epiſcopi juſtitias faciant in ſuis parochiis. Si non obedierit aliqua perſona Epiſcopo ſuo de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Monachis, & ceteris Clericis, vel etiam aliis in ejus parochia, veniant ad Metropolitanum ſuum, & ille dijudicet cauſſam ſuam cum ſuffraganeis ſuis. Comites quoque noſtri veniant ad judicium Epiſcoporum. Si aliquid eſt, quod Epiſcopus Metropolitanus non poſſit corrigere, vel pacificare; tunc tandem veniant accuſatores cum accuſato, cum litteris Metropolitani, ut ſciamus veritatem rei.* Rex autem tales cauſſas ſuo Archicapellano committebat; (6) unde hic veluti caput omnium regni Epiſcoporum habebatur cunctoſque præcedebat. Hæc iniquo animo ferens Riculſus, ut quæ ſuæ & Moguntinæ Eccleſiæ dignitati vehementiſſime derogabant, ad ea eludenda, publicatione falſarum Decretalium ſibi conſultum voluit, ut ſcilicet ipſe evaderet in Gallia & Germania Primas ex eorum genere, de quibus in illis, ut vidimus, ſtatuitur: *Ad quos poſt ſedem Apoſtolicam ſumma negotia conveniant, ut ibidem, quibus neceſſe fuerit, releventur, & juſte reſtituantur, & ut hi qui injuſte opprimuntur, juſte reformentur atque fulciantur; Epiſcoporumque cauſſæ, & ſummorum negotiorum judicia, ſalva Apoſtolicæ ſedis auctoritate, juſtiſſime terminentur:* & ſic etiam Archicapellano in ordinem redacto ipſe præcederet. (7) Riculſum hac in re magis accendere potuit æmulatio erga Hildeboldum Archiepiſcopum Colonienſem tunc temporis Archicapellanum, cui lex ſolutionem a lege reſidentiæ in Eccleſia a Papa

---

XXIII. Corporis juris publici §. 4. *& Cap. VI. Hiſt. juris Germ.* §. 11. *adnotatione ult.*

(1) Admodum veriſimile eſt, Mercatoris tempore fuiſſe quoque Moguntiæ aliquam inſcriptionem, in qua *Primorum Flaminum*, de quibus ſupra loquuti fuimus, mentio fieret. Sed num modo ſuperſit, vel ſuperfuerit tempore Beati Rhenani, qui *lib.* 3. rerum Germanicarum teſtatur, ibi eſſe magnam Romanarum inſcriptionum copiam, omnino mihi latet.

(2) Nempe ex juribus antiqui Vicariatus Apoſtolici, ob quem Eccleſiam Arelatenſem *Epiſt.* ad Rodlandum ejus Archiepiſcopum Nicolaus I. Papa magnopere laudat.

(3) Hujuſmodi ſynodi, de quibus loquitur Petrus de Marca *Lib. VI. de Concord. cap.* 25. *num.* 5. & *felicis recordationis* Benedictus XIV. *de Synodo diœceſ. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 2. dicebantur regiæ, & mixtæ, eo quod conſtarent non modo ex Epiſcopis, ſed etiam ex Optimatibus, & Comitibus regni.

(4) Sic itaque prodieruat Capitularia Regum Francorum, quæ ad res tum publicas, tum eccleſiaſticas pertinent. Exſtatque apud Bignonium *in notis ad Marculfum Lib.* 1. *cap.* 25. ſolemnis formula, qua ipſi Francorum reges in ſuis Edictis uti ſoliti erant; *Nos una cum Apoſtolicis viris patribus noſtris Epiſcopis, Optimatibus, ceteriſque Palatii noſtri miniſtris &c.*

(5) Carolo nempe Magno Francorum, & Alemannorum rege, in quo nomen, & dignitas Imperatoris occidentis adhuc non revixerat.

(6) Negotiis eccleſiaſticis ad Principem delatis Archicapellanum præfectum fuiſſe, uti negotiis publicis Comitem Palatii, ex variis probat Petrus de Marca *Lib. IV. de Concor. Cap. VII. n.* 3. *&* 4. Ubi etiam legere licet ſubjectam *adnotationem* Stephani Baluzii.

(7) Huc pertineat, quæ Petrus de Marca *Lib. V. de Concor. cap.* 44. *n.* 7. obſervat de affectata Primatia, ſeu Vicariatu Apoſtolico a Drogone: *Drogo Epiſcopus Metenſis, Caroli M. filius ex concubina, ægre ferens haud dubie, quod primum locum amiſiſſet ſuper Epiſcopos Gallicanos poſt mortem Ludovici Pii, quo vivente fuerat ſacri Palatii Archicapellanus, alia ratione curavit proſpiciendum eſſe dignitati ſuæ, voti porro compotem ſe futurum, ſi vicibus Apoſtolicæ Sedis ornaretur in regno Francorum.*

pa impetraverat: Quæ quidem æmulatio facile naſci poterat ex eo, quod uterque gratia apud Regem polleret, fueratque etiam Riculfus regius Miniſter, ut habetur ex ejus ſecundo *Epitaphio* apud Serarium:

Antiſtes fueram famoſus nomine Ricolff,
Inclytus officio regis in æde fui.

Dicunt etiam Blondellus, Petrus de Marca & Sammarthani fratres, eum, ex Archicapellano factum Archiepiſcopum Moguntinum, ſed de hoc nullum teſtimonium adducunt; quin in exacto catalogo Archicapellanorum Franciæ, quem dat Du-Freſnius in *Dictionario mediæ & infimæ latinitatis*, noſter Riculfus non habetur, ſed antiquior legitur ſub Dagoberto. Eoque magis creſcere poterat zelotypia Riculfi erga Hildeboldum ex æmulatione non modo civitatum, (1) ſed etiam Eccleſiarum ſuarum. Cum enim Eccleſia Colonienſis ſub annum 745. erecta, ſeu reſtituta fuiſſet in Eccleſiaſticam Metropolim, ſub annum 752. ſubjecta fuit Metropoli Moguntinæ: quod quia effectu caruit, fuitque Colonia in Eccleſiaſticam Metropolim iterum reſtituta, (2) id non niſi graviter ferre poterant Epiſcopi Moguntini. Ideoque non niſi ægerrime Riculfus ferre potuit, ſibi præferri Hildeboldum Colonienſem, idque etiam in ſua Moguntina Sede, ſi caſu occurriſſet, ut occurrit anno 813. cum ibi Caroli Magni juſſu coactum fuit concilium, in quo Hildeboldus Riculfo præceſſit. In cupiditatem Primatus, ſeu Patriarchatus adducere etiam potuit Riculfum titulus *Patriarchatus*, quo gaudebat Paullinus Aquileienſis, qui aulam Caroli Magni frequentabat, & apud eum magni habebatur. (3)

Præterea, ut ex ſuperius dictis patet, falſæ Litteræ favent Epiſcopis contra Metropolitanos, adeo ut Eſpenius in *Tractatu Hiderico Canonico part.* IV. *cap.* I. *§.* 3. differens de modo quo illæ tamquam authenticæ receptæ fuerant, poſtquam ponit a Nicolao fuiſſe propugnatas, ſubdiderit: *Ad hæc Epiſcopi complures ambientes ſe Judiciis & correctioni Metropolitanorum & ſynodorum eximere, ſedique Apoſtolicæ immediate potius ſubjici, earumque auctoritatem acriter propugnabant.* Riculfus igitur eum eſſet Metropolitanus, contra propria commoda laboraſſet publicatione collectionis Iſidorianæ, niſi alio ſua mente tenderet: unde dicendum, ipſum aliud ſibi propoſuiſſe, nempe Primatum poteſtatis, ad quem aſpirare, & quidem certa ſpe, eo magis debebat, ne alias ipſe periculo ſe exponeret, ſe ſubdendi alii Primati; cum, ut jam probavimus, alter Mercatoris ſcopus fuerit, ſtabiliendi Primates, quibus ſimplices Metropolitani obedientes & ſubjecti eſſe deberent. Quis igitur dubitet, Riculfum in hac nova Hierarchia per falſas Decretales quas ipſe publicabat, inducenda, Primatiam in primis ambiſſe? Idque certo certius redditur animo etiam reputanti, quæ ſupra notavimus, ætate Riculfi, cum jam eſſet Moguntinus Archiepiſcopus, Iſidorianam molem Moguntiæ fuiſſe conſtructam; & forſitan Riculfo conſcio, vel ſaltem eo conſilio, ut illum fautorem & amplificatorem haberet.

Nec Riculfo defuit animus ad facinora perpetranda. Si fides Mariano Scoto præſtanda eſt, ipſe comburi fecit, licet non iniqua mente, *Pontem* 500. paſſuum, quem Carolus M. mirabili opificio decem annorum conſtruendum curaverat. (4) Riculfum, præterea diſcimus ex *epiſt.* Leonis Papæ III. ad eumdem, ſolitum fuiſſe munera ad ipſum Papam mittere: *Interea obtulit nobis præfatus Bernharius Epiſcopus Sanctitatis veſtræ pulcherrimum munus, & litteras .... De tantis autem muneribus, quibus nos aſſidue pro amore B. Petri Apoſtoli ditatis.* Credimus, ut Papa credebat, Riculfum pro amore B. Petri munera miſiſſe, ipſque ipſum Papam, tamquam illius ſucceſſorem, coluiſſe. Sed potuit etiam cum tali amore eſſe complicatus aliquis vel ſibi ipſi latens amor proprius; ut non raro contingere ſolet in iis, qui ſub ſpecie virtutis munera largiuntur. Obtendunt imaginem caſti amoris, liberalitatis, grati animi, pietatis, & intus ineſt latenter, vel etiam aperte effrenis ambitio, inſatiabilis avaritia, immanis libido. (5)

Denique mirari non ſubeat, ſi Riculfus falſorum

(1) Moguntiam, & Coloniam jam inde ab antiquis temporibus fuiſſe æmulas, admodum veriſimile eſt, cum illa primæ, hæc ſecundæ Germaniæ princeps eſſet, unde æqualitas, ex qua naſci ſolet æmulatio. Sic Hincmarus Remenſis æmulabatur Archiepiſcopum Trevirenſem, quod Treviri caput eſſet Belgicæ primæ, Remis vero Belgicæ ſecundæ.

(2) Admodum veriſimile eſt, non multo poſt, quam ipſis Bonifacii temporibus iterum Coloniæ jus metropoliticum fuiſſe reſtitutum. Ideoque cum Hildeboldus anno 789. IV. Kal. Octubris *Præceptum pro Trutmanno Comite* ita ſubſcripſit *Hildeboldus Archiepiſcopus Colonienſis, & ſacri Palatii Capellanus recognovi;* & eodem anno II. idus Julii ſic etiam ſubſcripſerat *Præceptum de inſtitutione ſacerdotum per Saxoniam:* quæ Præcepta vide in *Tomo I. Capitularium* editionis Baluzii II. Cum, inquam, Hildeboldus ita Archiepiſcopum ſe vocavit, non id fecit ex mero privilegio utendi pallio, quo etiam aliquando ſimplices Epiſcopi donabantur, ac propterea ipſi etiam dicti Archiepiſcopi; ſed quod illud ex cauſſa ſuæ metropoliticæ dignitatis fuerat aſſecutus. Fallitur igitur Pater Antonius Pagius, cum ad annum 791. *n.* 5. ait: *Obiter obſervabis, tempore concilii Francofordienſis Coloniam nondum metropolim fuiſſe, cum Hildeboldus in eo Epiſcopus appelletur.* Idemque habet ad annum 794. *num.* 6. ac addit Hildeboldum inter hunc annum quo ea ſynodus fuit habita, ac annum 809. Metropolitam renuntiatum fuiſſe, cum Anaſtaſius loquens de adventu Leonis III. in Gallias dicat, quod ei obviam iverit Hildeboldus Archiepiſcopus. Quin mirari ſubit, quod vir eruditiſſimus ex tam levibus rationibus hæc ſtatuat. Hinc etiam habemus, inanem prorſus eſſe conjecturam Fileſaci, qui contendit, in præfatione Concil. Moguntini anni 814. pro *Hildeboldus Archiepiſcopus*, ut vulgo legitur, legendum *Hildeboldus Archicapellanus*.

(3) S. Paullini Aquileienſis Carolum M. opera etiam uſum in excerpendis Canonibus, teſtis eſt Benedictus Levita *Præfat.* ad ſuos Capitularium Libros, cum ait: *Tertio ſiquidem in Libello poſt ejuſdem Libelli Capitulorum numerum, quædam ex Canonibus a Paulino Epiſcopo, & Albino Magiſtro, reliquiſque juſſione Caroli invictiſſimi Principis magiſtris ſparſim collecta ſunt inſerta Capitula.*

(4) Habet enim Marianus ad annum 802. *Carolus pontem* 500. *paſſuum longitudinis trans Rhenum Moguntiaci conſtruxit: tanta enim ibi eſt fluminis latitudo.* Ad annum vero 814. ſubdit: *Pons apud Moguntiacum, quem per decennium ingenti labore, & mirabili de ligno opere Carolus conſtruxit, anno uno antequam obiit, tribus horis conflagravit. Pons prædictus apud Moguntiam erat trans Rhenum, quem quia in eo latrones noctu, hominibus in Rhenum projectis rapiebant prædam, Ricolfus Archiepiſcopus Moguntinus comburi præcepit.* Sic Bruno Colonienſis Archiepiſcopus ſub annum 962. demoliri fecit pontem lapideum, quem Coloniæ uſui ſempiterno deſtinatum conſtruendum curaverat Conſtantinus Magnus: &, ut addit Chronicum Colonienſe, eadem cauſſa hujus demolitionis, ac combuſtionis Moguntini fuit, ad impedienda ſcilicet latrocinia. Sed hoc eſt falſum: cum vera cauſſa, ut obſervant Sammarthani Fratres, fuerit: *Ne Franci orientales cum occidentalibus conjungi poſſent. Nam ob imperium a Francis ad Saxones translatum inter Francicam, & Teutonicam gentem bellum excitatum eſt, & Bruno cum exercitu ſpolia ingentia iſtinc* (illinc) *Coloniam advexit. Ne ergo hanc cladem facilius Galli auxilio Orientalium ulciſcerentur, ipſum pontem evertit.*

(5) Sic blanduli veteratores cum viam ad honores & divitias muneribus ſibi ſternere nequeant, vel præ avaritia nolint, id præſtant obſequio & munuſculis, modeſtiam, ſimplicitatem, & innocentiam ſimul affectantes.

Digitized by Google

rum etiam monumentorum ope Primatum ſibi procurare tentaverit. Deſiderium enim Primatus honoris, & dominationis eſt cognatum deſiderio nobilitatis avitæ, quod inſanire homines facit; (1) adeo ut omnis ætatis infinita propemodum ſint exempla talis nobilitatis ſuppoſititiis aſſertionibus, & monumentis affectatæ. (2) Hinc falſis Decretalibus, quibus, ut vidimus, de Primatibus agitur, publicatis receptiſque, mirum quot Primatus deſiderio exſtimulati, illum aliis falſis monumentis vel ſibi tribuerint, vel jam impetratum magis munire ac ampliare ſtuduerint. Jam ſupra notavimus falſa monumenta ad Primatiam Remenſem, Cantuarienſem, Bituricenſem, Narbonenſem ſpectantia; quibus addi *poſſunt epiſtolæ* 93. 94. *&* 95. Jo. VIII. de Primatu, ſeu Vicariatu Roſtagni Arelatenſis: item *Silveſtri*, *Nicolai*, *Leonis*, *Gregorii*, *& cæterorum Romanorum Pontificum privilegia* Eccleſiæ Viennenſis, quæ memorat Calliſtus II. vero Diplomate de ejus Primatu: denique, aliis omiſſis, quæ ſcriptorum Hiſpanorum aliqui commenti ſunt de antiquiſſima Toletanæ Eccleſiæ Primatia, quos Pater Mariana & ipſe Hiſpanus refellit.

CAPUT XIV.

Conjectura de Moguntina Primatia a Mercatore intenta ex iis quæ ſubinde obvenerunt, confirmatur, ac refelluntur objectiones.

CUM Abbas Anſegiſus quatuor primos Capitularium regum Francorum libros adornaſſet, Benedictus Levita Moguntinus mandato Autgarii, ſeu Otgarii ſui Archiepiſcopi anno 845. circiter, A ut conjicimus P. Cointius *in Annalibus Franciæ*, & Stephanus Baluzius *Præfat.* ad eadem Capitularia, adornandis tribus poſterioribus libris operam navare cœpit. In horum tertio, ſeu ſeptimo multa Capitula ex falſis Decretalibus deprompta collocavit; inter quæ plura ſunt de Primatibus, ad eoſque provocatione a gravaminibus Metropolitanorum conſtituta, veluti *Cap.* 439. ubi habetur: *Nulli alii Metropolitani appellantur Primates, niſi illi, qui primas ſedes* (3) *tenent, & quos ſancti Patres ſynodali & apoſtolica auctoritate Primates eſſe decreverunt. Reliqui vero, qui alias Me-* B *tropolitanas ſedes ſunt adepti, non Primates, ſed Metropolitani vocentur*; (4) item *Cap.* 83. ubi legitur: *Si quis a Metropolitano læditur, apud Primatem diœceſeos judicetur*; item *cap.* 314. in quo ſtatuitur: *Nullus extra ſuam provinciam ad judicium evocetur, ſed vocato eo, canonice in loco omnibus congruo tempore ſynodali ab omnibus comprovincialibus Epiſcopis audiatur, qui concorditer ſuper eum canonicam proferre debeant ſententiam. Quia ſi hoc minoribus tam Clericis, quam laicis conceſſum eſt, magis de Epiſcopis ſervari convenit. Nam ſi ipſe Metropolitanum, aut judices ſuſpectos habuerit, aut* C *infeſtos ſenſerit, apud Primatem diœceſeos, aut apud Romanæ urbis Pontificem judicetur*; & denique aliis (5) omiſſis *Cap.* 321. ſtatuitur: *Si Clericus, vel laicus habuerit cauſſam adverſus Epiſcopum proprium, vel adverſus alterum, aut Epiſcopus adverſus quemquam, apud ſynodum provinciæ judicetur. Quod ſi adverſus ejuſdem provinciæ Metropolitanum Epiſcopus vel Clericus habuerit querelam, petat Primatem diœceſeos, & apud ipſum judicetur, aut apud ſedem Apoſtolicam.* (6)

Ex

---

(1) Exemtionum monaſteriorum quoque Privilegia pleraque ſuppoſitionis ſuſpicione laboraſſe putabat Richardus Cantuarienſis *Epiſt.* ad Alexandrum III. Papam, quæ eſt 68. inter illas Petri Bleſenſis, & ab hoc qui illius erat Cancellarius, forſitan ſcripta. Hæc enim ibi habentur de Abbate Malmesburienſi, qui contendebat, ſe exemtum eſſe a juriſdictione Epiſcopi Sariſberienſis: *Nec illius admittatis privilegia, donec manifeſte liqueat ex collatione ſcripturæ, & bullarum, quo tempore, & a quibus patribus ſint indulta. Falſariorum enim preſtigioſa malitia ita in Epiſcoporum contumeliam ſe armavit, ut falſitas in omnium fere monaſteriorum exemtione prævaleat, niſi in deciſionibus, & examinationibus faciendis judex veritatis exactor diſtrictiſſimus intercedat.*

(2) Sed, quod maxime dolendum, hoc noſtro ſæculo eo res proceſſit, ut multi pro levi peccato habeant, ad avitam nobilitatem adſtruendam, conficere falſa inſtrumenta etiam publicam auctoritatem præſeferentia: &, quod pejus, ſi quis aliquo ſcrupulo pungitur, facile invenict benignioris doctrinæ ejuſdem arbitros, qui manu magiſtra illum illico removebunt.

(3) Igitur heic nomine *primarum Sedium* veniunt antiquiores & illuſtriores metropoles, quæ alias ſibi ſubjectas habent: idque deſumtum videtur ex moribus Africanorum, apud quos cum *Primas* diceretur antiquior Epiſcopus provinciæ, hujus quoque ſedes *prima* dicebatur. Sic traducto nomine *Primatum* ad denotandos Epiſcopos pluribus Metropolitis præpoſitos, illorum ſedes *primæ* etiam dictæ fuerunt. Sed quemadmodum aliquando nomine *Primatis* ſimplex Metropolita venit, ſic nomine *primæ ſedis* ſimplex metropolis, ut ſupra notavimus, denotata fuit. Hoc ſenſu Theodulfus in laudibus Aigulfi Bituricenſis cecinit:

Et patriarchali prima prælatus honore
Sedis, & alma patrum eſt ſubdita turba tibi.

Quod vero legitur Rodulfus Aigulfi ſucceſſor in teſtamento, quod apparet conditum anno 841. abſolute ſe inſcripſiſſe, & ſubſcripſiſſe: *Primæ ſedis Epiſcopus*, id videtur ſuppoſititium, & quidem fabricatum ab eodem artifice, qui ſuppoſuit ſupra memoratum reſponſum Nicolai I. de Patriarchatu Bituricenſi: quod utrumque feciſſe videtur eo eodem fundamento ſupra exſcriptorum verborum Theodulfi. Sed hic etſi magnifice loquatur de Epiſcopo Bituricenſi, cujus in exſilium actus opem petebat; nihil tamen ei tribuit, quod ſimplici Metropolitæ non poſſet convenire. Quod dicit de *Patriarchali honore*, jam ſupra notavimus, nomen Patriarchæ nobilioribus Metropolitis, ac etiam ſimplicibus Epiſcopis honoris cauſſa aliquando tributum: & ſub idem tempus Alcuinus Arnonem Salzburgenſem Metropolitam, *Patriarcham* vocavit. Quod vero dicit de *ſubdita turba Patrum*, id intelligitur de Epiſcopis ſuffraganeis, quorum numerus non erat exiguus, ſed undenarius. Sic nomine *primæ Sedis* Metropolim denotatam voluit, primam ſcilicet provinciæ. De ingenuitate igitur, vel falſitate memorati teſtamenti Rodulfi Bituricenſis videant alii: nobis adnotaſſe ſufficiat, ejus inſcriptionem, & ſubſcriptionem eſſe ſuppoſititiam; cum nec etiam ipſi Romani Pontifices, quorum κατ᾽ ἐξοχὴν *Prima Sedes*, ita ſe inſcribere, vel ſubſcribere, umquam conſueverint; ſed, ut ſupra notavimus, Joannes VIII. ita ſubſcripſit concilium Tricaſſinum II. *Joannes Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ primæ Sedis Epiſcopus.*

(4) Idemque habetur *Summario cap.* 156. *de Epiſcopis accuſandis apud ſummos Primates*: *Quia non omnes Metropolitani ſunt Primates*: ac *Summario cap.* 460. *Ut non alii Metropolitani Primates appellentur, niſi illi qui primas Sedes tenent, quia alii non poſſunt tres tuiſmas facere de Epiſcopis, quam illi qui primas Sedes tenent, ſicut in hac ſententia jubetur.*

(5) Inter ea aliqua ſunt, in quibus fit mentio Primatum provinciarum, veluti *cap.* 89. & *cap.* 460. quæ ſunt deprompta ex Canonibus conciliorum Africæ, ubi, ut ſupra notavimus, Primates dicebantur antiquiores provinciarum Epiſcopi, qui Metropolitarum loco erant, unde & Metropolitani aliquando Primates dicti fuerunt. Attamen Hincmaro Remenſi diſtinguere placuit Metropolitanos Primates dictos, a ſimplicibus Metropolitanis: illos enim vult eſſe, qui nulli alii Primati ſubduntur; hos vero, qui ſub alicujus Primatis poteſtate ſunt: unde duo etiam diſtinguit Primatum genera, eorum qui Metropolitas aliquos ſubjectos habent, & eorum qui non habent.

(6) Ex hoc Capite Chriſtianus Lupus *de Gallicana Eccleſia Romanis Appellationibus Cap. VIII.* colligit, tunc cœpiſſe Galliam habere Primates, & ſubdit: *Hinc Capitulum aliquos apud ſuum Primatem, aliquos Metropolitas mandat apud ſedem Apoſtolicam judicari.* Sed quinam erant hujuſmodi Primates, quos cœperat Gallia habere? Bituricenſis? Illum jam ſupra exploſimus.

Ex dictis itaque de Capitularibus Levitæ magis confirmatur noſtra conjectura de deſiderio Primatiæ in Riculfo, ab eoque tranſmiſſo ad Autgarium ſuum conſanguineum: præſertim ſi attendamus tempus, quo hic Levitæ in commiſſis dedit colligendorum Capitularium, ſcilicet annum 845. Sergius enim ſecundus Romanus Pontifex Vicarium ſuum per Galliam & Germaniam anno 844. conſtituerat Drogonem Epiſcopum Metenſem Caroli Magni filium naturalem, qui hujuſmodi legationem, ut ſupra notavimus ex Petro de Marca *lib. 5. de concordia cap. 7. num. 3. & 4.* ſibi quæſiverat, ut eo nomine præeſſet Epiſcopis, quibus antea præfuerat tamquam Archicapellanus Ludovici Pii ſui fratris. Id cum ægre ferrent hi, quorum jura lædi putabant, Hincmarus Remenſis in primis, concilio Vernenſi habito eodem anno *Can. II.* ſtatutum fuit: *De prælatione reverendiſſimi Drogonis definire aliud non audeamus, niſi exſpectandum quam maximum cogi Galliæ, Germaniæque conventum, & in eo Metropolitanorum, reliquorumque Antiſtitum inquirendam eſſe conſenſum, quibus reſiſtere nec volumus, nec valemus.* Id videns Drogo pacis, & quietis amator dignitatem ſibi collatam ſponte dimiſit. Hinc conjicere licet, factum Drogonis excitaſſe in animo Autgarii conſiliorum Riculfi participis deſiderium Primatiæ, non quidem vagæ & temporaneæ, ut fuerat illa Drogonis, ſed perpetuæ, & ſuæ Moguntinæ Eccleſiæ affixæ, ſaltem pro Germania tunc temporis jam a Gallia avulſa; (1) unde curavit Capitula ſuo propoſito conducentia colligenda, ſperans, quod publicatione falſarum Decretalium ſui anteceſſores non fuerant conſecuti, publicatione Capitularium etiam ſe conſecuturum.

Autgarium ambitione non caruiſſe facile quiſque ſibi ſuadebit, qui attenderit ejus ingenium aulicum & verſatile. Adeo namque fuit aulæ addictus, ut occaſionem dederit Clero & plebi Moguntinæ *epiſtola* ad Ludovicum Pium, quæ eſt 117. inter Bonifacianas, querelam proponendi, quod relicta Eccleſia apud ipſum Imperatorem degeret, ut ab eo videretur *in omnibus fidelis, benevolus, humiliter ſubjectus, vite benignus, & in eo maxime libenterque laboraturus, quo valeret bene piiſſima* (Imperatoris) *Excellentia illæſa exſiſtere, & in æterna beatitudine cum ſanctis omnibus triumphata in cælis gaudere.* Et non modo Imperatoris, ſed etiam Papæ Autgarium fuiſſe obſequutum conſtat ex *epiſt.* Gregorii IV. Pontificis ad ipſum Autgarium, ubi eum laudat, *quod ſe totam erga ſedis Apoſtolicæ Præſulem, ut cona e bat, impendere curavit.* Autgarii vero ingenium fuiſſe verſatile, ejuſque obſequia minus ſincera, conſtat, tum ex iis quæ de ipſo ſupra notavimus, tum etiam ex iis quæ leguntur apud Serarium *Rerum Moguntinarum lib. 4. in Ogerio.* (2) Cum igitur Autgarius talibus moribus præditus fuerit, ex hoc magis confirmatur noſtra conjectura, eum deſiderio Primatiæ adactum poſteriores Capitularium libros per Levitam colligendos curaſſe. Sed res non ex voto accidit; nam morte præventus non ſolum eam publicationem non vidit, ſed ſucceſſorem proximum habuit Rabanum Maurum a ſuis ſtudiis omnino abhorrentem: (3) nec qui ſubinde ſucceſſerunt, id curaſſe conſtat. Ceterum ex publicatione Litterarum Iſidorianarum natam fuiſſe occaſionem novorum in Occidente inſtituendorum Primatum, ut ſupra diximus, obſervarunt viri eruditi poſt Petrum de Marca *de Primatu Lugdunenſi num. 23.* qui etiam obſervat, eam in rem valde contuliſſe Capitula ad Angilramnum Hadriano Papæ tributa: quod quidem veriſſimum eſt: ſed non, ut ipſe ponit, quatenus ea relata fuerant in ſeptimum librum Capitularium; cum, ut ſupra notavimus, & infra probabimus, ex hoc illa potius fuerint depromta. Et ſic magis conſtat, Capitula a Levita mandato Autgarii collecta, una cum Pſeudo-decretalibus in creationem Primatum contuliſſe. Id vero quomodo acciderit, paucis accipe.

Cum Mercator poſuerit omnes Metropolitas Primatibus ſubjiciendos; Primates vero conſtituendos in primoribus civitatibus, quas ſubinde tam Capitula Levitæ, quam Capitula Hadriani primas ſedes vocarunt: his monumentis ubique gentium receptis, primas civitates, ſeu ſedes interpretati fuerunt, quæ in *Tomo*, ſeu Civili *Notitia*, quam idem Mercator ſub Anacleti nomine dederat, primæ inter cognomines provincias recenſentur. Sic Primatus, datus Lugduno, quod caput eſſet provinciæ Lugdunenſis primæ; (4) Bituricæ, quod caput eſſet provinciæ Aquitaniæ primæ; Narbonæ, quod caput eſſet Narbonenſis primæ: Viennæ, quod caput eſſet provinciæ Viennenſis [illegible]. Sed uti in hujuſmodi rebus accidere ſolet, quod nemo ſecundus eſſe velit, alii Metropolitæ civitatum ſecundo & tertio loco inter cognomines provincias nominatarum, ſive ex nova regionum ac ditionum creatione, (5) ſive ex aliis cauſis tum veris, tum ſuppoſititiis, ſuas Eccleſias etiam primas ſedes vocare, Primatumque affectare cœperunt: & ita crevit Primatum numerus. [illegible] cur ſaltem in Moguntinis Epiſcopis deſiderium talis primatus non revixit, cum in aliis fuerit excitatum, eoque magis, quod Moguntia caput eſſet Germaniæ, & ita in Civili *Notitia* deſcriptæ? Revixit ſane. Habemus enim ex Hiſtoria Trevirenſi apud Acheryum *Spicileg. tom. 12. pag. 218.* Adalbertum Archiepiſcopum Moguntinum a Caliſto II. legationis Apoſtolicæ munia & ornamenta fuiſſe aſſecutum, eoque nomine Eccleſiam Trevirenſem ſibi ſubjectam eſſe contendiſſe: ſed Brunonem Archiepiſcopum Trevirenſem immunitatem & libertatem a Papa impetraſſe. Idemque contigiſſe cum aliis Germaniæ Metropolitis, Archiepiſcopo Colonienſi præſertim, (6) admodum veriſimi-

(1) Ob regnum tempe diviſum inter Lotharium Imperatorem, Carolum Calvum & Ludovicum, filios Ludovici Pii, qui anno 840. mortem obierat.

(2) Supra namque notavimus, quam varie ſe geſſerit cum Ludovico Pio; & heic narratur, quam diverſe deinde ſe habuerit cum illius filiis. Inter quos ipſo Ludovico mortuo cum bellum ſubortum fuiſſet, adhæſit contra Ludovicum & Carolum Lothario primogenito; cumque ab hoc ad Rheni litus cuſtodiendum locatus eſſet, venit Tabernam Alſatiæ civitatem Carolus. Quod cum audiviſſet Otgarius, una cum ſuis, litore relicto, abiit: idemque iterum fecit poſtea, cum Moſellæ tranſitu eoſdem Ludovicum & Carolum prohibere debuiſſet; unde verſus:

Scilicet arma minus, quam ſacra Otgarie noras.

Et tandem rebus compoſitis, apud Ludovicum qui Germaniæ rex remanſerat, gratia valuit.

(3) Rabanus enim non modo Iſidorianis monumentis, ut ſupra notavimus, non fuit uſus, ſed magnam animi modeſtiam præ ſe tulit; adeo ut ſolemne habuerit, ita ſe inſcribere: *Rabanus viliſſimus ſervorum Dei ſervus*, vel *inutilis*, aut *exiguus ſervorum Dei ſervus*: Et in hoc imitatus fuit S. Bonifacium, & B. Lullum, ſuos prædeceſſores, qui ſe *exiguos ſervorum Dei ſervos* inſcribebant.

(4) Cum vero in *Notitia* Galliarum Lugdunenſis primo loco inter ceteras illius regionis provincias poſita ſit, ex eo etiam fortaſſe factum, ut in concilio Tullenſi II. anni 894. Aurelianus Archiepiſcopus Lugdunenſis *Primas totius Galliæ* diceretur.

(5) Eo Lanfrancus Cantuarienſis pro ſuo Primatu contra Thomam Eboracenſem certans reſpexiſſe videtur, cum ei opponenti decretum S. Gregorii M. quo indicebatur æqualitas inter duos Angliæ Metropolitanos; reſpondit, hoc decretum ſpectaſſe ſtatum Eccleſiarum Londinenſis & Eboracenſis, non autem Eboracenſis & Cantuarienſis, in quam jus metropoliticum Londinenſe fuerat translatum; nimirum, quod Primatus qui non convenerat Londino, convenerat Doroberniæ, ſeu Cantuariæ, quæ tempore hujuſmodi translationis erat caput regni Britanniæ. Sed pro Eboraco ſtabat, quod ea fuerat princeps Britanniæ primæ.

(6) Ea antiqua nempe quam ſupra expoſuimus, æmulatione, cui acceſſerunt novæ cauſſæ, ex eo præſertim, quod Archiepiſcopus Colonienſis in præju-

ſimile eſt. Nec res aliter ſe habere poterat. Non enim eadem tunc erat earum Eccleſiarum conditio, ac prius fuerat. Ipſarum enim Epiſcopi jam evaſerant etiam Principes ſæculares, & mundana potentia atque divitiis aucti; (1) ac ipſas res Imperii ex parte præ manibus habere cœperant: (2) unde haud fieri poterat, ut ſub poteſtate unius Primatis Eccleſiaſtici conglutinarentur. Et hæc videtur cauſſa, quare in Germania Primates conſtituti non fuerint, ſicuti fuerunt (3) in aliis regnis.

Sed oppones, quæ Pſeudo-Iſidorus habet ſub nomine Stephani I. *epiſt.* II. *cap.* 5. relata ſub nomine Lucii *cap.* 1. *diſt.* 80. *Urbes & loca, quibus Primates præſidere debent, non a modernis, ſed etiam multis ante adventum Chriſti ſunt ſtatutæ temporibus, quorum Primates etiam gentiles pro majoribus etiam negotiis appellabant*; quibus conſonare videntur, quæ ſupra ex Pſ-Anacleto *epiſt.* 2. *cap.* 4. retulimus. Et hæc quidem Moguntiæ convenire non videntur; cum ea, ut ſupra diximus, paucis ante Chriſti Domini adventum temporibus civitatis nomine donata fuerit: ergo inanis conjectura, quod Mercator Moguntiæ in primis Primatem conſtitutum voluerit. Nimirum diximus a Druſo Moguntiam civitatis ſeu urbis (4) nomine donatam in ſenſu eorum, qui ejus præſtantiæ minus antiquitatis tribuunt. Cum igitur alii contendant, eam civitatem eſſe antiquiſſimam, fundatam nempe a Magantio Trojano Herculis filio, vel a Magog filio Japhetis, vel a Magis, quos Treveris expulit Trebeta illius urbis conditor; potuit Mercator horum ſententiam, etſi infirmiorem, eſſe ſecutus. Sed faciamus, illum cum primis ſenſiſſe, quid tum inde? Conſulto videtur dicere *urbes & loca* ad denotandum capita provinciarum, ubi ficti Primates gentilium præſidebant, non ſemper fuiſſe urbes mœnibus cinctas, ſed ubi illæ deerant, fuiſſe alia oppida; & ſic Moguntia non excluditur, quippe quæ ante quam a Druſo ad urbis formam redigeretur, jam diu erat in modum vici. Utcumque Mercator de origine urbis Moguntiæ ſenſerit, certum eſt, eam tamquam Germaniæ primæ caput eſſe memoratam in Civili *Notitia*, quam *Tomi* nomine dat cum *epiſt.* 3. Anacleto tributa, ut ſcirentur primæ civitates, quæ erant Chriſti Domini adventu longo tempore antiquiores. Illudque etiam ex abundanti addimus, quod etſi demus,
A Moguntiam non habere eam antiquitatem, quam requirere videntur Pſ-Anacletus & Pſ-Stephanus, habet ſaltem illam, quam præſcripſit Pſ-Concilium Nicænum, quod, tamquam poſterius, illorum conſtitutionibus derogare potuit. Ac inſuper addimus, pro conſtitutione Primatis in Gallia & Germania peculiarem eſſe Epiſtolam Pſ-Aniceti, quæ, ut ſupra notavimus, Moguntiæ mire convenit.

Regeres etiam auctoritatem M. S. laudatam Serario *lib.* 4. *Rerum Moguntinarum* in Riculfo III. Archiepiſcopo, quod de ipſo, ut Serarius loquitur,
B hæc habet: „ *Ac licet excellenti admodum ingenio, auctoritate, viribuſque polleret, præſentia tamen, & hæc caduca deſpiciebat, æterna tantummodo animo concupiſcebat*: „ *adeo ut hoc ipſo nomine idem M. S. aſſerat*: " *Pio illum Imperatori (Carolo Magno) fuiſſe cariſſimum*, „ *& pergit narrare idem M. S. audita B. Lulli morte*: " *ipſi deſignatum ab eodem Imperatore ſucceſſorem Riculfum, idque vi privilegii eius, quod ab Hadriano Pontifice poſt Deſiderium Longobardorum regem regnumque proſtratum anno 777. ille acceperat*. „ Quomodo igitur vir ex pietate præditus tale facinus fingendi
C Litteras decretales, Canones, aliaque monumenta, admittere potuit? Sed nec etiam hujuſmodi objectio noſtræ conjecturæ officit. Primo ex ultimis exſcriptis verbis quæ conceſſionem Hadriani adſtruunt, habemus, ms. eſſe fallax, & recentioris ætatis, cum privilegium illud ſit ſuppoſititium, (5) & non ante Sigebertum, qui floruit ſub principium ſæculi XII. fuerit confictum, ideoque levis eſt auctoritatis. Præterea faciamus, Riculfum fuiſſe re vera pium, uti eum credimus, quid poſtea? *pium* etiam *fidelem* vocat Chriſtianus Lupus auctorem Iſidorianæ collectionis, & *pia fraude* illam
D adornaſſe, ait Cardinalis Bona. (6) Pietas non eſt certum argumentum ſanæ doctrinæ. Etſi enim nondum eſſent probabiliſſimi figmenta; malæ tamen perſuaſiones, ſive ex veri juris confuſa imagine, ſive ex animi concitatis affectibus, ſive ex erroribus popularibus, aliiſve de cauſſis provenientes, ſemper fuerunt. (7) Sed amplius parcamus Riculfi manibus; dicimus etiam, potuiſſe eum eſſe deceptum ab aliquo impoſtore ipſi fumum vendente, quod novum & inſolens non fuiſſet. (8) Eoque libentius id dicimus, quod ipſum Riculfum ſupra vindicavimus a calumnia Blondelli, qui *cap.*

 5. *Pro-*

judicium Moguntini ſibi jus coronandi Romanorum regem arrogare cœperat.

(1) A medio ſcilicet ſæculo X. quo Otho Magnus primo Brunonem germanum ſuum Archiepiſcopum Colonienſem Ducatu Lotharingiæ auxit: & deinde Epiſcopatibus Magdeburgenſi & Mergeburgenſi a ſe fundatis, eos Comitatibus & Dinaſtiis locupletavit. Ad horum exemplum alii Germani Epiſcopi, ne minoris eſſent conditionis, eamdem ſæcularem poteſtatem ſibi quæſiverunt: vide Struvium *Syntagm. juris publici Differt.* XVIII. §. XI.

(2) Tranſlato enim Imperio a Francis ad Germanos, eoque electivo effecto, Germaniæ Epiſcopi & Proceres inter alia jura, quæ ſibi in Imperio vindicare cœperunt, Imperatoris electionem procurabant, & perficiebant, donec tandem Electorum numerus ad notiſſimum ſeptenarium redactus fuerit.

(3) *Fuerunt*: Nam qui modo ſuperſunt, ut obſervat Fleuryus poſt de Marca, uno excepto Lugdunenſi ad quem appellatur a ſententiis Metropolitarum Turonenſis, Senonenſis & Pariſienſis, tales ſunt titulo tenus.

(4) Inter Urbem enim, & Civitatem nihil aliud diſcriminis intercedit, quod *Urbs* denotet locum, *Civitas* vero civium multitudinem in eo loco congregatam: unde Cicero Acad. 137. *Et Roma Urbs, & eam Civitas incoleret*; & ibid. *Nec hæc Urbs, nec in ea Civitas*.

(5) De hac ſuppoſitione ſcripſerunt, eamque multis demonſtrarunt viri doctiſſimi Cardinales Baronius, & Bellarminus, Petrus de Marca, Natalis Aleſander, & alii bene multi, ac noviſſime amicus noſter Clariſ. Berardus in Gratiani Decretum *Parte II. cap.* 7. ubi plura ejuſdem furfuris monumenta ſolida eruditione exploſa reperies. Miror igitur, quod eruditus Franciſcus Florens cum in aliis cernat acutum, in hoc cæcutiat, & privilegium, quo de agitur, pro genuino habeat.

(6) Sic Petrus de Marca *Lib. III. de Concord. cap.* 12. vocat *piam induſtriam*, qua conjicit, juſſu Romanorum Pontificum, & conſenſu Pippini regis confictum Edictum donationis Conſtantini ad removendam Græcorum moleſtiam occidentales provincias repetentium. Verum hæc de Marca conjectura ſine calumnia defendi non poteſt. Non modo enim nullo ſolido fundamento nititur, ſed e contrario graviſſima ſunt argumenta, quæ illam explodunt: eaque vide apud Natalem Aleſandrum *Differt.* XXV. *in Sæc.* IV. *artic.* 3. Quibus adde, quod per tria ſæcula, ex quo Edictum quo de agitur, a de Marca confictum putatur, nullus Romanorum Pontificum, etſi quamplurimæ illius memorandi occaſiones datæ fuiſſent, id umquam fecerit.

(7) Sic jam inde ab Eccleſiæ cunabulis, legimus, presbyterum quendam propter amorem B. Paulli Apoſtoli, ejus nomine ſuppoſuiſſe librum; qua fraude a B. Joanne Evangeliſta comperta, ob id fuiſſe depoſitum.

(8) Immo homines pii impoſtorum inſidiis magis expoſiti ſunt; nam, quemadmodum ait Cicero: *Ut quiſque eſt optimus, ita difficillime alios improbos eſſe ſuſpicatur*. Nec ipſi inter homines oculatiſſimi ac potentiſſimi ſatis ſibi ab inſidioſis præcavere queunt; unde dicere ſolebat Imperator Diocletianus: *Optimus, cautus decipitur Imperator*. Et hæc fuit una ex cauſſis, ob quas imperio ſe abdicavit.

5. *Prolegomenorum* ad probandam illius fraudulentiam in effingendis Litteris Romanorum Pontificum, dicit ipſum Carolo Magno in conventu Wormatiæ habito exhibuiſſe Epiſtolam Gregorii Papæ, *cujus nulla, nec ante fuerat, nec poſt fuit memoria*; ſed nos oſtendimus, eam Epiſtolam eſſe genuinam. Nec quod diximus de ejus ad Primatiam niſu, id eſt continuo ambitioni tribuendum; potuit enim ad eam ambiendam aliquo honeſto fine (1) ſive vero, ſive apparenti duci, qui ex ante dictis facile deſumi poteſt.

CAPUT XV.

Quæ Mercator præter ſuum propoſitum habet, ea in ſpeciem veritatis ex genuinis monumentis affert, præſertim ex Libro Pontificali.

Vidimus utrumque ſcopum auctoris collectionis Iſidorianæ, conſulendi ſcilicet commodis Eccleſiaſticorum, Epiſcoporum præſertim, & ſtabiliendi Primates, qui non modo ceteris Metropolitis præſtarent, ſed eos quoque ſubjectos haberent. Cetera igitur quæ habet, in ſpeciem veritatis ſcripſit, ut ſuæ impoſturæ conciliaret fidem. Et in primis quidem nihil fere omittit ex iis, quæ habentur in Libro Pontificali Damaſo Papæ tributo, & deinceps ab aliis continuato; ita tamen, ut cum ſe occaſio dederit, ad ſuas conſuetas cantilenas redeat, & omnia ad ſuum propoſitum inflectat. Sic cum Pontificalis de Evariſto dicat: *Septem Diaconos ordinavit, qui cuſtodirent Epiſcopum prædicantem propter ſtilum veritatis*, Mercator *epiſtola* 1. eidem tributa *Capite* 1. relata *Can.* 11. *diſt.* 93. habet: *Diaconi, qui quaſi oculi videntur Epiſcopi, in quacumque civitate juxta Apoſtolorum conſtituta ſeptem debent eſſe, qui cuſtodiant Epiſcopum prædicantem, ne aut ipſe ab inſidiatoribus quoquo modo infeſtetur, aut lædatur a ſuis, aut verba divina detrahende aut inſidiande polluantur, vel deſpiciantur*. Quod de Evariſto Pontificalis etiam habeat: *Hic Presbyteris titulos in urbe Roma diſtribuit*, & de tali re Mercator heic ſileat, cauſſa videtur eſſe, quod ſibi reſervaverit de hoc agere ſub nomine Dionyſii. Tribus enim Pontificibus Pontificalis diſtributionem Titulorum, ſeu Parochiarum in urbe Roma aſſignat, Evariſto, Dionyſio & Marcello: Mercator vero ſoli Dionyſio tribuit, ſive quia hæc quæ videbantur inter ſe contraria, conciliare neſciret; (2) ſive quia de rebus ad ſuum propoſitum non facientibus ſemel agere contentus fuerit; (3) eoque magis quod Pontificalis non referat, Evariſtum & Marcellum ea de re edidiſſe aliquam conſtitutionem; ſed tantum quid egerint in urbe Roma.

Ita cum Pontificalis de Alexandro referat: *Hic paſſionem Domini miſcuit in precatione Sacerdotum, quando miſſæ celebeantur*: *Hic conſtituit aquam aſperſionis cum ſale benedici in habitaculis hominum*; Pſ-Iſidorus *epiſt.* 1. ſub nomine ejuſdem *cap.* 4. habet: *In Sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, paſſio Domini miſcenda eſt, ut ejus cujus corpus & ſanguis conficitur, paſſio celebretur &c.* (4) & *Cap.* 5. *Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur ac purificentur*. Item de Sixto I. in Pontificali legitur: *Hic conſtituit, ut quicumque Epiſcopus vocatus fuerit ad ſedem Romanam Apoſtolicam, rediens ad Parochiam ſuam non ſuſciperetur, niſi cum formatis ſalutationis ad plebem a ſede Apoſtolica*: Et Pſeudo-Iſidorus ſub nomine ejus *epiſtolæ* 2. *cap.* 5. relata *Can.* 41. *de conſec. diſt.* 1. ait: *Cognoſcat veſtra ſapientia, cariſſimi Fratres, quia in hac ſancta ſede Apoſtolica a nobis, & a reliquis Epiſcopis, ceteriſque Domini Sacerdotibus ſtatutum eſt, ut ſacra vaſa non ab aliis, quam a ſacratis, Dominoque dicatis contrectentur hominibus*: Et *cap.* 2. *Si* (Epiſcopus) *vocatus tamen ab hac ſancta ſede fuerit, non renuat venire, ſed confeſtim, ut ei nuntiatum fuerit venire, feſtinet &c. Ad Eccleſiam tamen ſuam non prius revertatur, quam Litteris Apoſtolicis, vel formatis pleniter inſtructus &c.* Quod vero Pontificalis de eodem Sixto ſubdat: *Et conſtituit, ut miſſarum actionem Sacerdote incipiente populus hymnum decantet: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus ſabaoth*; & Pſeudo-Iſidorus de hoc nihil dicat: argumento eſt, conſulto omiſiſſe, ut laicos a ſacris functionibus arceret, ne magis inſoleſcerent in Clericos quos deſpiciebant, & quorum bonis inhiabant. (5) Similiter Liber Pontificalis de Teleſphoro ait: *Hic conſtituit, ut ſeptem hebdomadas* (6) *ante Paſcha jejunium celebraretur. Hic fecit, ut in Natali Domini noſtri Jeſu Chriſti noctu Miſſa celebraretur, cum omni alio tempore ante horæ tertiæ curſum nullus præſumat Miſſas celebrare, quia ea hora Dominus noſter aſcendit in crucem: & ut ante ſacrificium Hymnus diceretur Angelicus, hoc eſt Gloria in excelſis Deo*; Et hæc Pſeudo-Iſidorus *epiſtola* unica ſub nomine ejuſdem *cap.* 1. relata *Can.* 4. *diſt.* 4. ita in medium profert: *A nobis, & a cunctis Epiſcopis in hac ſancta & Apoſtolica Sede congregatis ſtatutum eſſe, ut ſeptem hebdomadas plenas* (7) *ante ſanctum Paſcha, omnes Clerici in ſortem Domini vocati a carne jejunent; quia ſicut diſcreta eſſe debet vita Clericorum a laicorum converſatione, ita & in jejunio fieri debet diſcretio. Et ſicut laici & ſæculares homines nolunt eos recipere in accuſationibus & infamationibus ſuis, ita nec Clerici debent eos recipere in pulſationibus ſuis; quoniam in omnibus diſcreta &c.*: & *cap.* 2. relat. *Can.* 48. *de Conſec. diſt.* 1. *Nocte vero ſancta nativitatis Domini Salvatoris Miſſas celebrent, & Hymnum angelicum in eis ſollemniter decantent, quoniam & eadem nocte &c.*

Præterea Liber Pontificalis de Pio: *Sub hujus Epiſcopatu frater ipſius Hermes librum ſcripſit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus Do-*

(1) Eo nomine Petrus de Marca *Lib. V. de Concor. cap.* 43. *n.* 9. excuſat ſolicitudinem SS. Hilarii Arelatenſis, & Bonifacii Moguntini, retinendi vices Apoſtolicas, quod nempe ad hoc non inanis gloriæ, ſed copioſius in Eccleſia Dei proficiendi ſtudio extimulati fuerint.

(2) Thomaſſinus ita ea conciliat, quod nimirum prima Titulorum, quo nomine veniebant Parochiæ, diviſio facta fuerit ab Evariſto; tum ſæviente perſecutione, Presbyteris Eccleſiiſque everſis, inſtaurata a Dionyſio; & tandem a Marcello ampliata & confirmata.

(3) Sic decretum quod Monacha pallam ſacratam non tangeret, nec incenſum in Eccleſia poneret, quod Pontificalis & Soteri & Bonifacio tribuit, Mercator ſoli Soteri vindicat.

(4) Mercator igitur ſecundum perpetuam, & univerſalem Eccleſiæ doctrinam, quam adhuc hæretica perfidia impugnare auſa non fuerat, recte ſentiebat de reali præſentia Corporis, & Sanguinis Domini in Sacramento Altaris; unde hic locus adjungi poſſet multis aliis, quos Natalis Alexander *diſſert.* x. in ſæculum IX. §. 3. appoſite congerit, ad probandum, Paſchaſium Radbertum non fuiſſe novatorem in re Euchariſtica, ſed id docuiſſe, quod ex antiquiſſima & conſtantiſſima traditione docebat, & tenebat ſui temporis Eccleſia.

(5) Id quod collineat in ſuum primum ſcopum liberandi Clericos ab oppreſſionibus laicorum. Hinc mirari deſinat eruditus Couſtantius, de hoc *poſtremo* Sixti decreto Mercatorem *ſiluiſſe*.

(6) *Septem Hebdomadas*: Non integras tamen, ſed demtis primis tribus diebus primæ Hebdomadis, uti modo fit: Sic enim habemus numerum 46. dierum, ex quibus, demtis ſex diebus Dominicis, remanent 40. jejuniorum dies.

(7) Ex quo loco Pſeudo-Teleſphori præſertim factam puto, quod apud monachorum pleroſque invaluerit uſus, a Quinquageſima incipiendi abſtinentiam a carne. Verum hoc non videtur Mercatoris inventum, ſed ille hauſit ex moribus alicujus particularis Eccleſiæ.

Domini, cum veniret ad eum in habitu Paſtoris, ut ſanctum Paſcha die dominicu celebretur. Hic conſtituit hæreticum venientem ex Judæorum hæreſi ſuſcipi, & baptizari. Et conſtitutum de Eccleſia fecit &c.; Pſeudo-Iſidorus vero ſub ejuſdem nomine *epiſt.* 1. *cap.* 1. relata *Can.* 21. *de Conſ. diſt.* 3. *Ceterum noſſe vos volumus, quod Paſcha Domini die dominica annuis ſollemnitatibus ſit celebrandum. Iſtis ergo temporibus Hermes doctor fidei* (1) *&c.* Nihil autem habet de baptizando hæretico veniente ex Hebræorum hæreſi, quod forſitan non intelligeret, quid hoc eſſet. (2) *Conſtitutum* vero interpretatur Binius, quod habetur *epiſt.* 2. Quæ nempe divinis ſunt aſſignata uſibus, ad humanos uſus non poſſe transferri. (3) Pontificalis item de Aniceto: *Hic conſtituit, ut Clericus comam non nutriret ſecundum præceptum Apoſtoli*; quæ habet, & amplificat Iſidorus *epiſt.* ſub ejus nomine *cap.* 4. relata *Can.* 21. *diſt.* 23. per hæc verba: *Prohibete Fratres per univerſas regionum veſtrarum Eccleſias, ut Clerici, qui laicis & ſimplicibus, virtutis, honeſtatis, pudicitiæ & gravitatis exemplar eſſe debent, ac ſe ipſos tamquam ſignum purioris vitæ rudioribus ad imitationem prudenter exhibere juxta Apoſtolum, comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant:* (4) *quia ſicut diſcreti debent eſſe in converſatione, ita & in tonſura, & omni habitu diſcreti debent apparere.* Ad hæc de Sotero Pontificalis: *Hic conſtituit, ut nulla monacha* (5) *pallam ſacram contingeret, nec incenſum poneret in ſacra Eccleſia:* nec diſſentit Iſidorus *epiſt.* 2. eidem *adſcripta* relata *Can.* 25. *diſt.* 23. *Sacratas Deo feminas, vel monachas* (6) *ſacra vaſa vel ſacratas pallas penes vos contingere, & incenſum circa altaria deferre perlatum eſt ad Apoſtolicam ſedem: quæ omnia reprehenſione & vituperatione plena eſſe, nulli rectæ ſapientium dubium eſt.* Rurſus Pontificalis de Eleutherio: *Et hic conſtituit, ut nulla eſca uſualis, quæ tamen rationabilis & humana eſt, quam Deus creavit, a Chriſtianis maxime fidelibus* (7) *repudiaretur.* Concinitque Pſeudo-Iſidorus *epiſt.* ſub ejuſdem nomine *cap.* 1. *Qua de re neceſſarium judicavimus vos inſtruere, ut eſcas quas vitare vos audivimus irrationabiliter, non reſpuatis. Scitis, Fratres, Legiſlatorem docuiſſe: omnia, quæ creaverat Deus, erant valde bona. Et ipſa per ſe Veritas ait: Non quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod exit de ore. Unde conſtat, non debere refutari eſcas communes, quas Deus ad cibos tribuit fidelibus ſuis. Et in actibus Apoſtolorum* (8) *&c.* Cauſſam vero, quare Mercator omnino ſileat de Epiſtola Lucii Britannorum regis ad Eleutherium, cujus Pontificalis meminit, ſequenti *Capite* indagabimus. Interim ad eam cauſſam magis ſtabiliendam heic immorati ſumus in dandis majoribus exemplis conformitatis Mercatoris cum Pontificali, quam ſpeciminis ratio poſtularet.

Inſuper Pontificalis de Victore hæc decreta refert: *Hic conſtituit, ut ſacrum Paſcha die dominica celebraretur, ſicut Pius. Et conſtituit, ut neceſſitate faciente, ubicumque inventus fuerit quicumque hominum ex gentibus veniens, ſive in flumine, ſive in mari, ſive in fonte, ſive in ſtagno baptizetur... Conſtituit, ut a XIV. Luna primi menſis uſque ad XXI. die dominica cuſtodiatur Sanctum Paſcha*: quibus conſonat Mercator ſub nomine ejuſdem *epiſt.* (9) 1. relata *Can.* 22. *de Conſec. diſt.* 3. his verbis: *Celebritatem ſancti Paſchæ die dominica agi debere, & prædeceſſores noſtri jam ſtatuerunt, & nos illud vobis eadem die celebrari ſollemniter mandamus; quia non decet, ut membra a capite diſcrepent, nec contraria gerant. A quarta decima vero Luna primi menſis uſque ad XXI. ejuſdem menſis diem, eadem celebratur feſtivitas. Eodem vero tempore baptiſmus celebrandus eſt catholicus. Sed tamen ſi neceſſe fuerit, aut mortis periculum ingruerit, gentiles ad fidem venientes quocumque loco, vel momento, ubicumque evenerit, ſive in flumine, ſive in mari, ſive in fontibus, tantum Chriſtianæ confeſſione credulitatis clarificata, baptizentur.* Tum etiam Pontificalis de Zephyrino refert: *Hic conſtituit, ut præſentibus Clericis & laicis fidelibus, ſive Clericus, ſive Levita, ſeu Sacerdos ordinetur*; quæ Mercator nomine ejuſdem adoptat *epiſt.* 2. in-

(1) Hermes cujus meminit Pontificalis, ſeu potius ejus interpolator, ſi umquam fuit, diverſus eſt, ut notarunt viri eruditi, ab Hermete cujus Apoſtolus meminit, & cujus eſt etiam Liber *Paſtoris* inſcriptus. Sed Iſidorus noſter poſt Bedam, utrumque confundit: & ideo eum vocat *Doctorem Fidei*, quod nempe primi Hermetis teſtimoniis uſi fuerint non pauci ex antiquis Patribus ad adſtruendam catholicam veritatem.

(2) Hæreſis Hebræorum, ut recte interpretatur Binius, erat illa Cerinthi. Hic inter alios errores quos profitebatur, damnabat baptiſmum, & circumciſionem obſervatam volebat.

(3) Nempe quod Pontificalis generatim dixit, id Mercator ad propoſitum ſuum inflectit. Eo enim, ut ſupra notavimus, pertinent hæc, quæ ſtatuuntur de non convertendis in profanos uſus rebus ad divinum cultum deſtinatis.

(4) Quod Mercator de raſura capillorum in modum ſphæræ heic addit, id hauſit ex more poſterioribus temporibus recepto, qui ſua ætate vigebat.

(5) Videtur Pontificalis Auctor ex uſu ſui temporis mulieres Deo devotas vocaſſe Monachas; cum Soteris ætate nomina Monachi, & Monachæ adhuc non eſſent uſitata. Neque eam hein Monacham legis, eam clauſtralem fuiſſe putes; tunc enim temporis mulierum cœnobia nulla erant, ſed quæ earum Deo ſacrabantur, in paternis domibus remanebant.

(6) Ex uſu etiam ſui temporis Mercator Deo Sacratas feminas a Monachis diſtinguit, quod illæ in domibus paternis, hæ in cœnobiis degerent. Utraſque vero ſub denominatione *Ancillarum Dei* veniſſe conſtat, uti Clerici, & Monachi *ſervi Dei* dicebantur; unde *Servus Servorum Dei*, quod primo S. Auguſtinus *Epiſt.* 130. ad Probam, & *Epiſt.* 217. ad Vitalem uſurpavit, & deinde S. Gregorius M. ad retundendam arrogantiam Joannis Conſtantinopolitani *Patriarcham Univerſalem* ſe appellantis, familiare ſibi fecit.

(7) Hoc Decretum interpoſitum videtur contra Encratitas, & Cataphryges, qui ſuperſtitioſo cultu a pluribus eſcis ſe abſtinebant: de quorum alteris S. Epiphanius *hær.* 47. *n.* 1. ait: *Animatis veſci prohibent, non temperantiæ ſtudio, ſed falſo quodam & affectato metu, ac vino penitus abſtineat, ac diabolicum appellant:* De alteris idem *hær.* 48. *n.* 8. hæc habet: *Uſum quorumdam ciborum interdictum, non ut ſanctioris vitæ genus inſtituunt, ſed quod deteſtanda quæ a Domino condita ſunt, exiſtiment.* Diſtinguit vero Pontificalis Fideles a Chriſtianis ex uſu antiquorum, qui nomine *Fidelium* baptizatos tantummodo denotabant: at Chriſtianorum nomine etiam Catechumenos comprehendebant, quippe qui licet Chriſti Domini fidem adhuc non ſuſcepiſſent, ſalutifero tamen ejus Crucis ſigno erant donati.

(8) Cum Pſeudo-Eleutherius ita ἐμφατικωτέρως rem expreſſerit, ut nullius cibi uſum voluerit interdictum, ex hoc factum forſitan, quod Apoſtolicum præceptum, ſeu potius ſuperſtes mos (illud enim ex multorum ſententia fuit ad tempus) de abſtinentia a ſanguine & ſuffocato, apud Occidentales in deſuetudinem omnino abierit: id quod contigiſſe videtur ſæculo XII. nam antecedenti ſæculo XI. talis abſtinentia, ut habemus ex Cardinali Humberto *Dialogo contra calumnias Græcorum*, adhuc obtinebat.

(9) Hanc Epiſtolam Mercator inſcripſit ad Theophilum Alexandrinum, qui conſecutis ſæculis floruit, cum ſcribere debuiſſet ad Theophilum Cæſareenſem in Palæſtina: ad hunc enim habemus ex Beda Victorem ſcripſiſſe, ut convocato concilio de celebratione Paſchæ inter Orientales tractaret. Sed eum errorem ex eodem Pontificali hauſit, ubi legitur: *accerſitoque Theophilo Alexandriæ Epiſcopo, conſtituit &c.*

quiens: *Ordinationes vero Preſbyterorum, & Levitarum, tempore congrua, & multis coram adſtantibus ſollemniter agite*, *diſt.* 75. *Can.* 3. Quod autem ſileat de altero decreto, Zephyrino a Pontificali tributo, de patenis vitreis in Miſſis ſollemnibus ante Sacerdotes portandis, id cauſſæ videtur eſſe, quod hoc, utpote moribus ſui temporis non conforme, minime intelligeret, (1) vel ne mentione vitrearum Patenarum offendiculo eſſet ad pretioſa Eccleſiarum ſacra inhiantibus. (2) Denique Pontificalis de Calliſto ait: *Conſtituit jejunium quater in anno fieri, frumenti, vini, & olei, ſecundum prophetam*; vel ut alibi legitur: *Hic conſtituit, jejunium die ſabbati* (3) *ter in anno fieri, frumenti, vini, & olei, ſecundum Prophetam, quarti menſis, ſeptimi, & decimi*; ſed Mercator hoc decretum ſecundum utramque lectionem ſub nomine ejuſdem Calliſti *epiſt.* 1. ita exhibet: *Jejunium, quod ter in anno apud nos celebrari didiciſti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus*. Cetera Libri Pontificalis loca cum illis Iſidorianæ collectionis, qui majori otio abundat, conferre poterit.

Illud denique, quod & ſupra notavimus, obſervandum ſupereſt in tanta rerum farragine, quam Iſidorus congeſſit, nihil omnino eſſe, quod vel Orthodoxam fidem, vel Chriſtianos mores labefactare poſſit. Quin cum de fidei articulis agit, nihil non ſanum, non catholicum aſſert; complura enim de illis ſæpe etiam habet: veluti cum ſub Alexandri nomine *epiſt.* 1. *cap.* 6. diſſerit de Trinitate, & unitate deitatis; ſub nomine Hygini *epiſt.* 1. *cap.* 1. da miſſione Filii a Patre; ſub nomine Soteris *epiſt.* 1. de fide & incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti; ſub nomine Felicis I. *epiſt.* 2. *cap.* 3. de errore ajentium, Filium non videre Patrem, eo quod Deum nemo vidit umquam; & *cap.* 2. de errore ajentium, Filium minorem Patre, quia hic inviſibilis, filius vero viſibilis; ſub nomine Eutychiani *epiſt.* 1. de fide incarnationis, & quod Chriſtus, ſalva proprietate naturæ utriuſque, verus Deus, & homo verus exliterit; ſub nomine Caii *epiſt. unica cap.* 4. de errore negantium Verbi Dei Incarnationem; & *cap.* 5. quod ad vitam æternam perveniri non poſſit, niſi per mediatorem Dei, & hominum Chriſtum Jeſum. Et denique, aliis omiſſis, recte, ut ſupra vidimus, ſentit de reali præſentia corporis & ſanguinis Domini in ſacramento altaris.

CAPUT ULTIMUM

En Collectione Canonum Mercatoris nata Fabula Joannæ Papiſſæ, ſeu data occaſio illius fingendæ.

TRactationi de collectione canonum Iſidori Mercatoris tractationem de Joanna Papiſſa non tamquam extraneum ornamentum, ſed ut rem neceſſatio connexam, & ad eam maxime pertinentem apponimus. Nam exploſis aliorum de hac A Joanna opinionibus, in ea factum Iſidorianum ænigmatice contineri variis conjecturis quarum pondus prudens lector perpendet, heic probare aggredimur: & ex iis etiam, quis, qualiſque ſub nomine Iſidori lateat, hariolabimur. Fuiſſe itaque Papiſſam Joannam nomine, quæ medio ſæculo IX. floruerit inter Leonem IV. & Benedictum III. ſummos Pontifices, jam conclamata eſt fabula, non modo a catholicis, ſed etiam a quamplurimis hæreticis; (4) unde ad eam confutandam inutilis omnino eſſet labor, præſertim poſt *Cænotaphium everſum*, quod Pater Labbeus illi dicavit, in quo B nullum argumentum non inflectit ad ipſam explodendam. Potius igitur quærunt viri eruditi, unde ortum habere potuit talis fabella, etſi Blondellus nullam cauſſam aſſignari poſſe autumet; & ſic nodum non ſolvit, ſed recidit.

§. I.

Referuntur aliorum opiniones, & rejiciuntur.

MOdo laudatus Labbeus paucis ſe expedit, dicendo, eam adinventam fuiſſe ab Henricia- C nis, ſeu ſectatoribus Henrici IV. regis & III. Imperatoris in odium Romanorum Pontificum: & Antonius Pagius ab hæreticis Waldenſibus cuſam contendit. Sed cum eorum neuter dicti ſui aliquam rationem afferat, utramque contemnere poſſumus; vel ex eo etiam, quod noſtra fabella non modo Waldenſium hæreſi, ſed etiam Henriciano ſchiſmate antiquior videtur. (5) Ejus enim Marianus Scotus, qui ſcribere deſiit anno 1083. meminit ad annos 857. & 854. per hæc verba: *Leo Papa obiit Kalendis Auguſti. Huic ſucceſſit Joanna mulier annis duobus, menſibus 5. diebus 4.* Non D me fugit, ex ſententia multorum virorum eruditorum ea verba non eſſe Mariani, ſed aliena manu adjuncta. Attamen eorum argumenta talia non ſunt, ut id pro indubio haberi faciant: uti tuto aſſeri poſſe videtur de interpolatione facta Chronico Sigeberti, in quo etiam Papiſſæ mentio facta legitur. Alii vero aliquod fundamentum, vel ſaltem occaſionem fuiſſe conjiciunt, unde Fabella, qua de agitur, fuerit conficta. Joannes Aventinus in Boiorum *Annalibus lib.* 4. fundamentum dediſſe putat Joannem X. Papam, quem ipſe nonum appellat, inquiens: *Albertus locupletiſſimus Etruriæ* E *princeps Ravennam, Bononiam, Romam poteſtate habuit. Ejus ſocrus Theodora, ſcortum nobile, atque imperioſum Romæ dominabatur, Joannemque nonum amatorem ſuum Bononienſibus primo, deinde Ravennatibus, poſtremo Romanis impoſuit, Primariumque Sacerdotem. Unde Fabellam ortam crediderim, quæ temere vulgavit, hiſce temporibus, juſſe Sacerdotem Maximum feminam, quæ appellata ſit Joanna.* Hæc conjectura aliquid probabilitatis haberet, ſi Papiſſa vocaretur Theodora; fieri enim poterat, ut Papa propter dominium Theodoræ, ipſe diceretur Papa Theodora; uti de illo Rege dicitur, qui cum ab uxoris ſuæ Mariæ arbitrio nutuque pen-

(1) Suo enim tempore, Epiſcopo celebrante, nec omnes Fideles communicabant, nec adſtantes Preſbyteri cum eo concelebrabant, uti ponit Zephyrini decretum, quod ſic habet: *Fecit conſtitutum de Eccleſia, ut patenas vitreas miniſtri ante Sacerdotes portarent, dum Epiſcopus Miſſam celebraret, & ut Sacerdotes omnes adſtarent, dum ſic Miſſa celebraretur*; additurque apud Bollandum: *Excepto cum jus Epiſcopi intereſt, ut tantum Clerus ſuſtineret, omnibus præſentibus ex ea conſecratione de manu Epiſcopi jam Coronam conſecratam acciperet Presbyter tradendam populo*. Vel ut alibi legitur; *Excepto cujus Epiſcopus intereſt &c.*

(2) Ceterum jam inde ab antiquis temporibus quibus tyrannorum perſecutiones in Chriſtianos ſæviebant, Eccleſiam habuiſſe etiam vaſa argentea diſcimus ex eodem Pontificali in Urbano: *Hic fecit miniſteria ſacrata argentea, & patenas argenteas* 25. *appoſuit*.

(3) Ex hoc loco, aliiſque tum ejuſdem Pontificalis, tum aliorum ſcriptorum diſcimus jejunium Sabbati apud Latinos eſſe antiquiſſimum. Hinc nota arrogantiam Græcorum poſterioris ætatis, tale jejunium in Latinis damnantium; eoque magis, quod Eccleſia Latina eorum contrarium uſum non damnet.

(4) Inter quos Blondellus ille ipſe, qui libro inſcripto: *Pſeudo-Iſidorus & Turrianus vapulantes*, noſtrum Mercatorem, ejuſque defenſorem exagitaverat, & aliis ſuis ſcriptis catholicam doctrinam rabide fuit inſectatus; ille ipſe, inquam, ſabellam de qua agimus, confutavit duplici peculiari tractatione, una inſcripta: *Queſtion ſi une Femme a été aſſiſe en Siege Papal de Rome entre Leon IV. & Benoit III.* a Amſterdam, 1649. in 8. & altera inſcripta: *De Joanna Papiſſa*. Amſtelodami 1657. in 12.

(5) Petrus enim VValdus, a quo VValdenſes, ante medium ſeculum XII. circiter adhuc ſuos errores non diſſeminaverat; nec ſocios ſibi adſciverat: ſchiſma Henricianum anno 1084. vix cœpit.

A penderet, vocabatur Rex Maria. Præterea illis difficillimis temporibus, quibus Chriſtus Dominus inſcrutabili ſuæ ſapientiæ conſilio aliqua monſtra in Eccleſia ſua toleravit, non unus, ſed plures Pontifices opera alicujus nobilis ſcorti ad Pontificatum fuerunt aſſumti; ideoque non ona, ſed plures fuiſſent Papiſſæ. Multum etiam diſtare videtur ætas Joannis X. qui floruit ſub principium ſæculi X. ab ætate Joannæ Papiſſæ, quæ, ut ſupra diximus, ſtatui ſolet inter Leonem IV. & Benedictum III. Nec Joanni X. aptari poſſunt, quæ Martinus Polonus, aliique addunt, Joannam ex Moguntiaco vocatam fuiſſe Joannem Anglum. Denique quomodo B femina credi potuit Pontifex, quem exporrecti animi vigoris, ac ingenii militaris fuiſſe conſtat? (1)

Onophrios Panvinius in *notis* ad Platinam cenſet, hanc fabulam ortum habuiſſe a Joanne XII. Pontifice io omnem libidinem effuſo. *Sed quoniam*, inquit, *omnia inſignia mendacia ab aliqua veritate originem habent, hanc fabulam ex Joannis XII. viri impuri vita manaſſe crediderim. Is Joannes per vim, patris Alberici Romani principis potentia, adhuc pæne adoleſcens Papa factus aliquot concubinas, ut Luitprandus Ticinenſis illius temporis ſcriptor lib. 6. cap. 6. & 7. tradit, habuit. In his præcipue erant* C *Joanna, Rayneria, & Stephana. Ex Joanne igitur Papa, & ejus ſcorto Joanna, ad cujus forte arbitrium, tamquam Papæ, omnia Romæ pendebant, Joannis feminæ Papæ fabula manavit, quæ proceſſu temporis aucta in Hiſtoriæ auctoritatem imperiti alicujus ſcriptoris opera paullatim irrepſit.* Sed hæc Onuphrii conjectura eaſdem, prima & ultima excepta, difficultates patitur, quas illa Aventini, immo majores, tum quod Joannes XII. a tempore Joannæ Papiſſæ integro ſæculo diſtet, tum quod ita non una, ſed tres Papiſſæ fuiſſent. Ac præterea pace eruditiſſimi Panvinii dicam, eum inſigniter D hallucinari, cum putat, a Luitprando, ſeu potius ejus Continuatore (2), inter ſcorta Pontificis memorari Joannam. Meminit ille quidem Rayneriæ & Stephanæ, ſed nullo modo Joannæ; & ſic prima difficultas contra interpretationem Aventini propoſita heic etiam locum habet.

Card. Bellarminus *lib. III. de Rom. Pontif. cap.* 24. eam fabulam inde natam eſſe conjicit, quod mulier in Sedem Conſtantinopolitanam aliquando irrepſerit, ut Græcis exprobravit Leo IX. *epiſt.* 1. ad Michaelem Conſtantinopolitanum & Leonem Acridanum *cap.* 23. (3). *Cum enim*, inquit Bellarminus, *rumor eſſet, quamdam feminam fuiſſe Pontificem Conſtantinopolitanum, & deinde paullatim omiſſo nomine Conſtantinopolit. remanſit fama, & opinio de femina Pontifice, & Pontifice Univerſali; cœperunt aliqui in odium Romanæ Eccleſiæ dicere, feminam illam Romanam fuiſſe. Et veriſimile eſt circa tempora ipſius Martini* (Poloni) *hanc fabulam ortam.* Cardinalis vero Baronius ad annum 879. a Joannis VIII. Papæ nimia facilitate fabulæ ipſius originem arceſſit, qui ſcilicet, inſuper habitis ſuorum prædeceſſorum, atque concilii œcumenici VIII. decretis, Photium reſtituit in ſedem Conſtantinopolitanam. *Hinc puto factum*, inquit Cardinalis, *ſi qua tamen veritatis, vel ſaltem ſpecies mendacii aperiſſimi eſſe potuit, quod ob nimiam Joannis animi facilitatem & mollitudinem, abjecta penitus omni virilitate, fractus animo, ſacerdotalis conſtantiæ expers, atque robore enervatus, non Papa, ut Nicolaus, & Hadrianus, ſed Papiſſa fuerit contumeliæ loco dictus* (4), *utpote qui nec reſiſtere ſciret Eunucho, quique vinceretur a ſemiviro, non vir, ſed eſſet potius femina nuncupandus: & ſic nomen contumeliæ tranſierit poſteris rerum inſciis in veritatis opinionem, atque a compluribus decantatum fuerit, Joannem VIII. Papam fuiſſe feminam: ſicque jactata vulgo eo modo locum invenerit fabula. Ejuſmodi plane ſcommatibus proſcindi ſæpe ſolere levioribus de cauſſis Romanos Pontifices a maledicis & otioſis quis Romæ verſatus ignorat?* Ex his duabus ſummorum virorum conjecturis, prima, licet ingenioſa, nimis longe petita videtur; adeo ut, cum aliis etiam nominibus impugnari poſſet, confutatione non indigeat (5).

Altera vero etſi poſſibilitatis veriſimilitudinem habeat, nullo facto tamen comprobatur (6); nec ulla eam ex circumſtantiis temporis, loci, vel cognominis confirmat. Ac præterea Joannes VIII. ſi quam culpam in reſtitutione Photii admiſit, ea non fuit timiditatis & ignaviæ, qualem deſcribit Cardinalis Baronius, ſed potius, ut eam vocat Natalis Alexander, fuit imprudentiæ (7); & hanc contractam maculam deinde Photii damnatione & excommunicatione, poſtquam ejus inſignem nequitiam & fraudes, Legatorumque Apoſtolicorum ſeductionem compertam habuit, eluere conatus fuit. Quin Petrus de Marca *lib. III. de Concordia Cap. XIV. n.* 4. Joannem in cauſſa Photii nullius umquam culpæ reum fuiſſe contendit (8). Neque io hoc

(1) Hic enim magis ad arma, quam ad ſacra pertractanda comparatus, primus fuit inter Romanos Pontifices, qui procedendi in aciem exemplum dedit, talique ſucceſſu, ut Saracenos fugaverit; eoque nomine, ut obſervat Sigonius *Lib. VI. de Regno Italia*, Eccleſiæ & Italiæ mire profuit.

(2) Cui quidem Continuatori profuſo iu laudando Othonu I. Imperatore, qui Joannem XII. iu Pſeudo-ſynodo deponendum curavit, neſciu quæ fides præſtanda ſit de hoc ſpurciſſima teſtanti.

(3) Verba S. Leonis ſunt: *Abſit autem, ut velimus credere, quod publica fama non dubitat aſſerere, Conſtantinopolitana Eccleſia contigiſſe, ut Eunuchos contra I. ſancti Nicæni Concilii capitulum paſſim promovendo, feminam in Sede Pontificum ſuorum ſublimaſſet aliquando. Hoc tam abominabile ſcelus, deteſtabileque facinus, etſi enormitas ipſius, vel horror, fraternaque benevolentia non permittit nos credere: conſiderata tamen incuria veſtra erga ſanctorum cenſuras Canonum; quia eunuchos, & aliqua parte corporis imminutos non ſolum ad Clericatum, ſed ad Pontificatum etiam indifferenter, ac ſolemniter adhuc promovetis, fieri potuiſſe penſamus.*

(4) Potuiſſet Baronius in hujus ſuæ conjecturæ confirmationem afferre Virgilii auctoritatem Æneidos IX. ubi Turnus volens Trojanis muliebrem mollitiem exprobrare, eos feminas facit: *O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.*

(5) Neque verum eſt, quod Bellarminus *veriſimile* putat, *circa tempora Martini* Poloni, hoc eſt poſt medium ſæculum XIII. *hanc fabulam ortam*; nam ut ſupra innuimus, & infra probabimus, longe ante ea tempora orta erat.

(6) Veluti, exempli cauſſa, quod ſcriptorum aliquis Joanni VIII. ob id muliebris timiditatis notam inuſſerit; aut ab aliis inuſtam, vel quid ſimile retulerit.

(7) Credendo ſcilicet dictis Photii hominis nequiſſimi & vaferrimi, & de ejus vitæ emendatione ſine ullis pœnitentiæ ſignis incaute ſibi blandiendo.

(8) *Ignatio functo*, inquit, *Photius, toties damnatus, Sedem ſuam recepit ſuffragiis Orientalium Epiſcoporum, adnitente Baſilio Imperatore: Sed illa reſtitutio integra eſſe non poterat, niſi a Sede Apoſtolica probaretur. Quare Jo. VIII. rogatus ab Imperatore, ut Eccleſiæ paci conſuleret, neceſſitati cedens, Leonis, Gelaſii, Felicis, & concilii Africani auctoritate fretus, qui in rerum anguſtiis temperandas eſſe regulas docent, de conſenſu ceterorum Patriarcharum Photium anathemate liberavit, illique Sedem retinere conceſſit, ea lege, ut coram ſynodo cogenda miſericordiam peteret. De conſenſu, inquam, ceterorum Patriarcharum, & Epiſcoporum Joannes Photium ſolvit, ut videre eſt in Epiſtola germana ejuſdem Joannis, quamquam in Epiſtola a Photio corrupta hic conſenſus deſit.* Ita Marca, qui paullo poſt addit: *Ceterum a culpa Joannem liberat Principis, & ceterorum Patriarcharum, totiuſque ſynodi orientalis conſenſus, quem datum fuiſſe Joannes ſuis litteris ſignificat. Profert autem ad confirmationem ſententiæ ſuæ exempla Athanaſii, Chryſoſtomi & Flaviani, qui a ſynodis damnati cum fuiſſent, a ſancta Sede Apoſtolica in integrum reſtituti ſunt.*

hoc ſolum fuit Baronius parum æquus erga Joannem VIII. eum nimiæ indulgentiæ & facilitatis redarguendo, ſed etiam cum eumdem ex oppoſitu nimii rigoris, & ſeveritatis accuſat in damnatione Formuſi Epiſcopi Portuenſis (1), qui deinde fuit redintegratus, & tandem Papa. Baronii interpretatiuni non abſimilis eſt interpretatio Turſellini, qui *Epit. hiſtoriarum* ait: *Sunt, qui Joannem VIII. feminam fuiſſe fabulentur; quod falſe creditum, veri locum apud imperitorum vulgus obtinuit, ſive quia muliebris Pontificis facies, ſive effeminatus interdum vigor fabulæ locum dederit.* Sed unde habuit Turſellinus Joannem VIII. facie fuiſſe muliebri, vel ejus vigorem effeminatum? Omnes antiquæ Picturæ ipſum integrum vitum repræſentant, nec aliter hiſtoriæ exhibent. His quoque ſimilem Papebrochii upinionem timiditati Joannis VII. qui ſub initium ſæculi VIII. vixit, id potius tribuentis (2) non muror. Nec tandem muror Leonis Allatii conjecturam noſtræ fabulæ uriginem arceſſentis ex Thiota muliere Alemanna Moguntiæ degente, quæ Leonis IV. tempore, tamquam nova Prophetiſſa, ſibi prophetandi & concionandi munus aſſumebat, & in ſynodali judiciu Germaniæ damnata fuit (3). Quæ connexio Thiotæ Pſ-prophetiſſæ Moguntenæ cum Pſ-Joanna Rumana Papiſſa? Et ſi Pſ-prophetiſſæ errore hominum Papiſſæ evaderent, quot Papiſſas haberemus?

§. II.

Exponitur, & probatur conjectura ex Collectione Canonum Mercatoris petita.

POtius igitur crediderim falſas Decretales, quæ etſi nomina multorum Puntificum præ ſe ferant, ab una tamen manu prodierunt, & eodem tempore agnitæ fuerunt, ac ſi re vera a ſede Apoſtolica proceſſiſſent, fundamentum fabulæ de Joanna Papiſſa, occaſionemque dediſſe: Id quod ita evenire potuit. Aliquis nempe Iſidurianæ fraudis conſcius, cum videret Pſ-Decretales tamquam le-

A gitimas laudari, & ad uſum reduci, volens ænigmatice, ut in ſimilibus fieri ſolet, illam indicare, cœpit dicere, fuiſſe Papiſſam Joannam dictam, eamque peperiſſe, cum aliis adjunctis quæ inferius examinabimus. Quod ænigma ex defectu Sphingis, hoc eſt artis criticæ, quæ tunc non erat, non intellectum, tandem tranſiit in Fabulam, quæ ceu vera Hiſtoria credita fuit. In quam quidem conjecturam abeo, quod multa ex iis quæ a primis Fabulæ editoribus ſcripta ſunt, in id aptentur, præſertim quæ habet Martinus Polonus, qui fabulam Joannæ Papiſſæ ita ſcenice deſcribit, ut veram hiſtoriam collectionis Canonum Iſidori Mercatoris vivis coluribus omninu depingere videatur.

B Ait itaque in *Supputationibus* ad annum 854. *Poſt hunc Leonem* (IV. quem ille vocat V.) *Joannes Anglus natione Margantinus, ſedit annis duobus, menſibus 5. diebus 4. & ceſſavit Pontificatus menſe uno: mortuus eſt Romæ. Hic, ut aſſeritur, femina fuit, & in pupillari ætate a quodam ſuo amaſio in habitu virili Athenas ducta fuit, in diverſis ſcientiis ita profecit, ut nullus ſibi par inveniretur; adeo ut poſt Romæ triennium legens magnos magiſtros diſcipulos & auditores haberet. Et cum in Urbe vita & ſcientia magnæ opinionis eſſet, in Papam concorditer eligitur. Sed in Papatu per ſuum familiarem impregnatur. Verum tempus partus ignorans cum de S. Petro in Lateranum tenderet, anguſtiata inter Coliſſeum & S. Clementis Eccleſiam peperit, & poſtea mortua ibidem, ut dicitur,*

C *ſepulta fuit* (4). Nec a Polono multum diſcrepat Stephanus de Borbone, qui ante eum ſcripſerat (5)..

Primu igitur reſpondet tempus. Nam etſi Pſeudo-Litteræ decretales ſub principium ſæculi IX. confictæ fuiſſent; tamen, ut ſupra notavimus, in manifeſtum uſum non tranſierunt, niſi medio eodem ſæculu IX. & quidem circa tempora Leonis IV. & Benedicti III. antea enim nonniſi tacitis nominibus, vel ſububſcure indicatis proferebantur. Hincmarus itaque Remenſis per Galliam, & Germaniam celleberrimus ſuis Litteris & Opuſculis

(1) Ad annum enim 883. loquens de Martino Papa depoſitum Formoſum redintegrante ait: *Perperam facta Joannis Papa reſcindens*; & ſic pro injuſta habet depoſitionem a Joanne factam, licet proteſtetur, ſe ejus cauſſam ignorare. Cauſſam non unam, ſed plures, eaſdemque graviſſimas aſſignat Joannes *Epiſt.* ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ; quam ſi doctiſſimus Baronius vidiſſet, non ita fuiſſet loquutus.

(2) *Propylæo* in Joanne VII.

(3) Allatius igitur in Libro, quem inſcripſit: *Confutatio fabulæ de Joanna Papiſſa, ex monumentis Græcis*, hæc habet: *Fuit in ſacra, Moguntiaci in Germania mulier, Thiota nomine, ut tradunt Francorum Annales, & Sigebertus in Chronico, res eccleſiaſticas perturbabat. Etenim novam ſe Prophetiſſam vocabat, uſurpabatque publice docendi munus, & concionandi. Hinc multi ſacra doctrina poſtpoſita, eam quaſi magiſtram cœlitus deſtinatam ſequuti ſunt. Re poſtea detecta, ſynodali judicio damnata eſt. Habes lector, quod mihi in animo eſt certum, nec ambiguum. Poſterioris ſæculi homines nonnulli, rudes illi quidem & ſimplices, dum audiunt inter Leonem & Benedictum, vel ſaltem illo tempore, feminam quamdam Moguntiacam non tantum prophetaſſe, ſed & prædicaſſe, obiiſſeque alia munia, quibus ſummi Sacerdotes decorantur, animum a femella, quam nec cogitaſſe tantum ſcelus credunt, avertentes, ad Principem omnium magiſtram, Petri Cathedram ſcilicet, cujus id munus eſſe optime norunt, inducunt, & a Germania in Italiam, a Moguntiaco Romam transferunt. Alii ſceleſti illi quidem, malitioſe totum hoc in innocentiſſimum Petri thronum traducunt, & Germanicam infamiam honoratiſſimæ Romanæ Eccleſiæ attribuunt. Ut facilius fallere poſſint, Joannam iſtam Anglicam, Moguntiacam eſſe volunt; & lepidi fabulatores perbellis, etſi fictitiis narrationibus veſtiunt, & comte fucatam exponunt. Nec aliunde mihi videtur veriſimilius, quam a Moguntiaca iſta, Joannam Moguntiacum origine, cum tempora reſpondeant, hauſiſſe.*

(4) Non me latet, eſſe qui contendant, hæc quæ habentur in Martino Polono non eſſe ſua, ſed aliena manu aſſuta. At eſto, hoc concedamus, quid tum inde? Saltem hoc aſſumentum non multis annis poſt Martinum factum fuit. Ptolomæus enim Lucenſis in *Hiſt. Eccleſ.* ex Martino quem laudat noſtram fabellam recitat. Cum vero Polonus anno 1278. mortuus fuerit, & Lucenſis anno 1312. ſuam *hiſtoriam* publicaverit, intra horum annorum ſpatium, illud factum dicendum. Ex eo tamen, quod diximus ex multorum ſententia, noſtræ fabellæ Marianum Scotum minime meminiſſe, ac eſſe, qui idem ſentiant de Martino Polono, ne credas cum utroque Pagio, tempore inter Polonum & Lucenſem medio, vel cum Bellarmino circa tempora ipſius Poloni eam adinventam. Stephanus enim de Borbone, qui obiit anno 1261. loco mox adducendo illius, ceu veræ hiſtoriæ, meminit; ubi præſertim notanda verba, *ut dicitur in Chronicis*, quæ denotant antiquitatem, ac etiam quandam, ut ita dicam, univerſalitatem.

(5) *Libro de ſeptem donis Spiritus ſancti tit. v. de dono pendentiæ cap. Quod electio Prælatorum debet eſſe pura c.* 10. apud Patres Echardum, & Quetiſſum in *Bibliotheca Ordinis Prædicatorum*, ubi hæc habentur: *Accidit autem mirabilis audacia, immo inſana circa annum Domini* MC. (videtur hoc mendum, & legendum CM. ut in ſimilibus paſſim accidit), *ut dicitur in Chronicis. Quædam mulier litterata, & in arte notandi edocta, aſſumto virili habitu, & virum ſe fingens, venit Romam, & tam induſtria, quam litteratura accepta, facta eſt Notarius Curia, poſt, diabolo procurante, Cardinalis, poſtea Papa. Hæc impregnata cum aſcenderet, peperit. Quod cum noviſſet Romana juſtitia, ligatis pedibus ejus ad pedes equi diſtracta eſt extra Urbem, & ad dimidiam leucam a populo lapidata, & ubi fuit mortua, ibi fuit ſepulta, & ſuper lapidem ſuper eo poſitum ſcriptus eſt verſiculus:*

Parce Pater Patrum Papiſſæ edere partum,

lis editis ab anno 850. & deinceps, non ſemel utitur ſententiis ipſarum, expreſſis etiam nominibus Pontificum quibus tribuebantur: &, quod magis eſt, Epiſtola ſynodalia Concilii Cariſiaci habiti anno 857. nomine Caroli Calvi ad Epiſcopos', & Comites Galliæ utitur ſententiis Pſeudo-decretalium contra raptores & detentores bonorum Eccleſiæ, expreſſis nominibus S. Anacleti, S. Urbani, & S. Lucii, quorum nomina præ ſe ferunt: quin & ipſe Leo IV. creditus fuit ex Iſidori *Collectione* hauſiſſe, quod laudat *Epiſt.* ad Nomeonium, *Conſtitutum* S. Silveſtri, hoc enim ex illa magis obtinuit, nec antea laudatum a Romanis Pontificibus. Ipſo præterea Leone ſedente prodierunt tres Capitularium Libri Levitæ, in quorum III. multæ ex falſis Decretalibus exſcriptæ ſunt ſententiæ: & tempore Benedicti fuerunt factæ additiones, in quibus multæ item ſententiæ Iſidorianæ inſertæ npparuerunt; præſertim in IV. per Erchembertum Cancellarium juſſu regio facta, ubi expreſſa quoque ſunt Pontificum nomina, quibus Pſ-decretales tribuuntur. Huc etiam facit, quod inferius notabimus de Joanne Anglo ſub nomine Pſ-Iſidori latente, confuſo cum Joanne Scoto Erigena, qui circa Leonis & Benedicti tempora floruit. Vel dicendum, Joannam Papiſſam collocatam inter Leonem IV. & Benedictum III. ex errore, accepto Leone IV. pro Leone III. ſub quo collectio Iſidoriana prodiit. Leo enim III. ſedit eodem ſæculo IX. ineunte, ab anno ſcilicet 795. nd annum 816. ſub quo tempore floruit Riculfus Iſidorianæ collectionis publicator, qui ut ſupra notatum eſt, Epiſcopatum Moguntinum tenuit ab anno 785. uſque ad annum 814. vel tardius 815. Igitur fieri potuit; ut Joanna primum diceretur ſediſſe ſæculo IX. poſt Leonem, nempe III. & deinde hoc Leone accepto pro IV. inter hunc, & Benedictum III. collocata fuerit. Eoque magis hæc hallucinatio contingere potuit, quod ipſe Leo III. a quibuſdam IV. dicebatur, qui vel alium Leonem III. inter Sergium I. & Joannem VI. (1) intrudebant, vel alium Leonem I. Liberii ſucceſſorem (2) ſomniabant. Neque heic ſilentio eſt prætereundum, quod Sigebertus ad annum 827. & iterum ad annum 836. notat, Gregorium IV. Papam, qui per id tempus floruit, dictum fuiſſe Leonem IV. (3) unde etiam fieri potuit, ut poſt hunc Leonem Joanna Papiſſa collocata fuerit, & deinde hic pro vero Leone IV. acciperetur. Poſt Gregorium IV. collocare Papiſſam, non importunum. Ut enim ſupra notavimus, Gregorius IV. primus fuit ex Romanis Pontificibus, qui aliqua

A habuerit ex Pſ-decretalibus, earumque modo loquendi uti cœperit.

Quadrat omnino locus, unde Papiſſa orta dicitur, Moguntia ſcilicet, ubi, ut ſupra probarum eſt, Pſeudo-decretalium opus factum fuit. *Margantinum* enim Poloni, communiter interpretantur Moguntinum (4); eoque magis quod Theodoricus de Niem, qui floruit ſæculo XV. ineunte, & Wernerus qui floruit eodem ſæculo vergente, dicant, ille *de Moguntia natum*, & hic *natione Moguntinum*. Atque adeo hominum opinione eſt conſtans, Papiſſæ ortum Moguntiæ fuiſſe adſcri- B ptum, ut ipſe Leo Allatius, qui peculiari tractatione noſtram fabellam, ut jam diximus, exploſam voluit, e Moguntia ejus fingendæ occaſionem natam putet: & ætate dicti Wernerii adeo firma erat opinio, Papiſſam fuiſſe Moguntinam, ut aliqui, quos tamen ipſe ſpernit (5), ob id dicerent, Germanos in Papam non eligi. Et huc facit quod Marianus Scotus, qui primus hanc fabellam venditavit, plures annos Moguntiæ fuerat moratus: unde ex confuſa rerum traditione ibi conſervata, eam haurire potuit. Dictam vero Papiſſam feminino genere conjicimus, ut indicaretur C ejus νόθον, & veluti intruſio in Papatum, ac ſi re vera Femina Pontifex electa fuiſſet. Mulieres enim non modo Pontificatus, et in omni loco, & apud omnes nationes, ſed apud Chriſtianos & Sacerdotii, & omnis Clericalis Ordinis fuerunt ſemper expertes; (6) quemadmodum etiam in Lege Moſis & a Sacerdotio, & ab omni Levitico miniſterio arcebantur: ac præterea mulierum genus apud ſcriptores frequenter male audit. Hinc Homerus Odyſſeæ Λ. v. 426.

Ὣς οὐκ αἰνότερον ἢ κύντερον ἄλλο γυναικὸς

Uſque adeo nihil improbius, mulierequе pejus;

ac conſonat adagium a Diogeniano relatum:

D *Γυναικὶ μὴ πίστευε μηδ᾽ ἂν ἀποθάνῃ*

Ne fidem habeas nec morienti feminæ.

Quod Papiſſa peperiſſe dicitur, denotare videtur ejus illegitimos partus, Pſ-Decretales ſcilicet. Et ſic quadrat etiam verſus, qui ex Stephano de Borbone Epitaphii loco, ipſius ſepulcro appoſitum fuit:

Parce Pater Patrum Papiſſæ prodere partum.

videtur namque factus, cum primum aliquis Romanorum Pontificum falſas Decretales allegare cœpit; eoque magis, quod hic verſus alium congruum ſenſum habere non poteſt. (7)

Circumſtantia autem, quod vocaretur Joannes Anglus (qualem vocat etiam Sigeberti interpolator, Polono forſitan antiquior) adeo non repugnat, (8) ut potius det conjiciendi locum, earum ar-

(1) Hunc Leonem, cujus meminit Gotfridus Viterbienſis, Polonus, aliique, eumdem eſſe puto, ac Leonem Archiepiſcopum Ravennatem, qui floruit ſæculo VIII. medius inter Archiepiſcopos Sergium I. & Joannem VI. unde ex horum nominum ſimilitudine, per errorem factum eſt, ut inter Romanos Pontifices Sergium I. & Joannem VI. collocaretur.

(2) Alterius hujus Leonis meminit Vincentius Bellovacenſis, quem ſequuntur alii, inter quos Auctor *compilationis Chronologicæ*. Et cum is fingatur ſimultates habuiſſe cum S. Hilario Pictavienſi, facile conjicimus, hanc fabellam natam ex confuſione S. Hilarii Pictavienſis cum S. Hilario Arelatenſi, quem S. Leo M. credens contumacem fuit inſectatus.

(3) Gregorius IV. ideo Leo IV. dictus videtur, quod cum ille novam Oſtiam Tiberinam a ſe Gregoriopolim dictam conſtruxiſſet, hic vero Urbem Leoninam a ſe ita vocatam perfeciſſet; ab imperitis, hujuſmodi ædificiis confuſis, eorum auctores quoque confuſi fuerant: & reapſa idem Sigebertus Gregorio conſtructionem urbis Leoninæ ſupine adſcribit.

(4) Blondellus quoque: Unde mirari ſubit, quod cum is Mercatoris Collectionem Moguntiæ compoſitam agnoverit, idque tempore Leonis IV. Papæ, ut ſupra vidimus, factum putaverit; ſibi in mentem non venerit, ex ea collectione natam fabulam Joannæ, præſertim quod utramque materiam fuſe tractaverit. Sed non omnia poſſumus omnes.

(5) Et quidem recte; nam poſt ementitam Papiſſam ſex natione Germani ad Romanum Pontificatum fuerunt evecti, quorum unus ſcilicet Leo IX. eſt etiam Sanctorum Catalogo adſcriptus.

(6) Cujus rei elegantem rationem affert Innocentius III. *Cap. Nova X. de pœnitentiis, & remiſſ.* inquiens: *Quia licet beatiſſima Virgo Maria dignior & excelſior fuerit Apoſtolis univerſis, non tamen illi, ſed iſtis Dominus claves regni cælorum commiſit*. Neſcio igitur, qua licentia aliqui indocta pietate præditi ad denotandum potentiam S. Annæ eam pinguat, cui parvulus Jeſus Claves tradit.

(7) Hinc deinde alii dictum verſum, cum non intelligerent, in hunc alium transformarunt:

Papa Pater Patrum Papiſſa pandito partum.

& commenti fuerunt, hoc verſu coram Papiſſa, & Cardinalibus a Diabolo in Conſiſtorio pronunciato illam peperiſſe.

(8) Et quidem maxime repugnare, ac ut Scholaſtici loquuntur, implicare contradictionem videtur, quod fuerit Angla, & nata Moguntiæ; unde multi hoc argumentum maximi fecerunt ad noſtram fabellam explodendam; Serarius cum primis, qui *lib. 1. Rerum Moguntiñ. n. 30* inter alia hæc habet: *Ebodum diceret illa Plautinus numquid in Anglia eſt Moguntia? Qui Moguntinus eſt, olim quidem Gallus erat, nunc Germanus eſt. An vero Anglus, & Britannus umquam? Non magis profecto, quam Perſa, vel Indus, vel Ægyptius*.

A artificem Joannem nomine dictum, Anglum, non quidem cognomento, ut perperam putavit Junius, (1) ſed origine, quod eſt longe probabilius. Anglos enim plurimos tunc Moguntiæ fuiſſe ſuadet primo, quod ſuus primus Archiepiſcopus S. Bonifacius, ejuſque ſucceſſor S. Lullus, qui Epiſcopatum tenuit ad annum uſque 785. fuerant Angli. Unde eos, alios ex ſua natione ad ſe traxiſſe admodum veriſimile eſt. Suadet præterea qualitas ipſius urbis, quæ erat veluti Caroli Magni regia, præſertim quod Alcuinus & ipſe Anglus apud eumdem Imperatorem gratia multum floreret, & multi Brittones illum conveniebant. Lepidus eſt conqueſtus Turonenſium, quem ex Alcuini *vita* refert Cointius ad ann. 804. *num.* 73. per hæc verba: *Turones, ut Alcuinum inviſeret, acceſſit* B *Rigulfus Presbyter Engelſaxo, cumque prope januam domus quæ Abbatis erat, jam adſiſteret, eo viſo quatuor e Turonenſibus fratribus ſimul juncti: Venit, inquiunt ad invicem, iſte Britto, vel Scotto ad illum alterum Brittonem, qui intus jacet: O Deus libera iſtud monaſterium de iſtis Brittonibus; Nam ſicut apes undique ad matrem revertuntur, ita hi omnes ad iſtum veniunt.* Quin cum Alcuino alios Anglos advocatos ad erudiendam Galliam notat (2) Mabillonius *Præfat.* 1. in Sæc. IV. Bened. *§.* VIII. *num.* 175. Neque ſilentio prætereunda C Alcuini cum Riculfo amicitia, uti teſtatur illius ad hunc Epiſtola, quem vocat Damætam; unde facile potuit aliquis ex illius aſſeclis, vel popularibus apud hunc ſe intrudere. Huc etiam facit, quod ea natio licet aliis nominibus commendabilis eſſet, illius tamen ſcriptores apud antiquos ſuſpectæ fidei habebantur, ut obſervat idem doctiſſimus Mabillonius (3) *Præfat.* in Sæculum I. Bened. *num.* 15. Atque huc revocanda, quæ ſupra notavimus de ſuppoſitione monumentorum ad Primatiam Cantuarienſem ſpectantium; de eo, quod ſcribit Richardus Archiepiſcopus circa exemtionem monaſterio- D rum; (4) & de interpolatis Canonibus in *Excerptionibus* Egberti, de quibus mox redibit ſermo.

Hinc datur etiam conjiciendi locus, cur ex Iſidorianis Litteris, quæ ad omnes nationes directæ cernuntur, nulla ad Britannos inſcripta ſit, ut ſcilicet earum auctor ſuæ gentis incuria, & veluti oblitus ſe magis ſub Hiſpano nomine abſconderet, ac lateret; vel ut cum aliis illuderet, ſuæ genti nationique parcere voluiſſet. Et ſane mirari ſubit, quod in tanta rerum farragine numquam Britanniæ, vel Angliæ fiat mentio, præſertim cum non ſemel data fuerit occaſio illam memorandi. Eam primo, & in primis dabat Pontificalis in Eleutherio, ubi ait: *Hic accepit Epiſtolam a Lucio Britannico rege, ut Chriſtianus efficeretur per ejus mandatum:* ſubditque Beda *Lib.* I. *Hiſtoriæ Angl. cap.* 4. hæc verba: *Et mox piæ petitionis effectum conſecutus eſt*. Nam, eodem Beda teſte, Eleutherius Donatianum & Fugatium, quaſi Apoſtolos, ad illum miſit. (5) Quæ opportunior occaſio fingendi eam Epiſtolam, ac inſuper reſcriptum ſub nomine Eleutherii (6) ad Lucium? Cur Mercator hæc non curat? Cur, ut ſolet, heic ſui dilectiſſimi Pontificalis veſtigia non premit? Occaſionem item dabat S. Proſper in Chronico, ubi ſub Conſulibus anni 429. ait: *Cæleſtinus* (Papa) *Germanum Altiſiodorenſem Epiſcopum vice ſua mittit, & deturbatis hæreticis, Britannos ad catholicam fidem dirigit*. Dabat tandem idem Pontificalis in S. Gregorio, ubi de eo ait: *miſit Servos Dei Mellitum, Auguſtinum, & Joannem, & alios plures cum eis monachos timentes Deum in prædicationem ad gentem Anglorum, ut eos converterent ad Dominum Jeſum Chriſtum*. Et licet S. Gregorius in ſuo Regeſto Epiſtolas multas ſcripſerit ad hujuſmodi Auguſtini in Angliam miſſionem ſpectantes, poterat nihilominus Pſeudo-Iſidorus alia more ſuo miſcere; præſertim cum de memorato Joanne nullus præter Librum Pontificalem faciat mentionem. Atque hinc datur etiam conjiciendi locus, quare Rabanus, licet emunctæ naris non fuerit, ut vera a falſis monumentis diſcerneret; tamen, ut ſupra notavimus, illis Mercatoris numquam fuit uſus, nimirum quod cum is fuiſſet Alcuini diſcipulus, facile poterat illius popularium facta ſcire, atque Pſ-Iſidori fraudem; & ideo ab hac ſibi cavit.

Iſidorum fuiſſe Anglum ſuadet etiam, quod is ex *Excerptionibus* Canonum Egberti Archiepiſcopi Eboracenſis, cujus Alcuinus fuerat Diaconus, ſuppoſititia ad ſuam rem facientia non pauca corraſerit: ac præterea ingenium fingendi Litteras decretales, artem ipſam fingendi, & interpolandi ſcripturas, atque ſtudium conſulendi commodis accuſatorum Clericorum, hauſiſſe videtur ex ſchola ejuſdem Egberti, ſeu potius Hucarii Levitæ, qui & ipſe Anglus ex Egberti Opere inſcripto: *de Sacerdotali jure*, dictas Excerptiones (7) concinnavit. Jam ſupra notavimus *Capite* 2. ex talibus Excerptis ſuum feciſſe interpolatum fragmentum Epiſtolæ S. Gregorii M. ad Felicem Meſſanenſem. Inſuper ex eiſdem paſſim uſus fuit ſententiis interpolatorum Canonum ad rem judiciariam pertinen-

(1) In cujus ſuæ opinionis confirmationem ait: *Eodem cognomine frequens adhuc familia ſupereſt* (*Germanis Enghel*) *in ditione Palatina ad Moguntiacum: & mihi quoque plures cognomines eo tractu fuerunt noti*. Sed ubi didicerat Junius, nono ſæculo in illis regionibus fuiſſe cognomina? Notum eſt lippis & tonſoribus cognominum uſum Barbarorum moribus abolitum, eo tempore adhuc non fuiſſe reſtitutum. Potius dicere poterat, τὸ Anglicum fuiſſe agnomen, ſeu nomen adſcititium, quod Joannes ex aliquo accidenti fuerit ſortitus, ut *Rabanus* dictus *Maurus*, *VValfridus* dictus *Strabo*, *Radbertus* dictus *Paſchaſius*. Sed hoc probare debuiſſet: cum talia agnomina rara fuerint: atque, ut obſervat Mabillonius *Lib.* II. *de Re diplom. Cap.* VII. *n.* 8. *Qui ſic duo habebant nomina, alterutrum ut plurimum, non duo ſimul uſurpabant*. Nec denique occurrit per ea tempora exemplum impoſiti alicui nominis a loco, in quo is ortus non fuerit.

(2) *Donec Carolus Magnus ea poſtliminio excitavit denuo, invitatis in Galliam litteratis viris, Alcuino, aliiſque Anglis, qui acceptam ex hoc regno eruditionem, ac doctrinam Gallis tandem viciſſim refunderent*.

(3) *Quibuſdam nihilominus magis innatum eſt, quidlibet fingendi, ſeu credendi vitium ex ſoli natura, quod Armoricis, Angliciſque vitarum ſcriptoribus plures jam impegerunt. Vetus eſt Petri Cellenſis querela in quadam Epiſtola ad Nicolaum monachum Anglum. Inſula eſt*, inquit, *de Anglia, circumfuſa aqua: unde hujus elementi propria qualitate ejus incolæ non immerito afficiuntur, & nimia mobilitate in tenuiſſimas ac ſubtiles phantaſias frequenter transferuntur, ſomnia ſua viſionibus comparantes, ne dicam præferentes*.

(4) Licet enim Richardus ſupra relatus *pag.* 372. *n.* 2. generatim loquatur, ejus tamen verba ſolum, vel potiſſimum intelligenda ſunt de monaſteriis Angliæ de quibus agebatur, & quorum pleniorem notitiam habere poterat.

(5) Quæ Pontificalis, & Beda narrant de Fide Chriſti Domini tempore Lucii regis, & Eleutherii Papæ petita, & in Britanniam invecta, confirmantur ex Tertulliano illius temporis ſcriptore, qui *Lib. adverſus Judæos cap.* 7. ait: *Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita:* ac confirmantur ex Origene *hom.* 6. in Lucam. Vide Blanchinii eruditiſſimas *notas* ad hunc Pontificalis locum.

(6) Epiſtulæ vero Eleutherii ad Lucium confictum exemplum, quod Uſſerius *de Britan. Eccleſ. primordiis cap.* 6. ex quinque miſſ. fide expreſſit, Iſidori noſtri ætate eſt omnino poſterius: ac illud, ut idem Uſſerius obſervat, primus dedit interpolator Legum Eduardi Confeſſoris cum hac epigraphe: *Anno CCXIX. a paſſione Chriſti ſcripſit dominus Eleutherius Papa Lucio regi Britanniæ ad correctionem* (vel *petitionem*) *regis, & procerum regni Britanniæ*.

(7) Num vero hujuſmodi interpolationes ſint etiam in eo Opere *de Sacerdotali jure*, omnino me fugit, cum illud mihi videre non licuerit. Sed eſto ſint, ne credas eas ab ipſo Egberto viro optimo factas, ſed alterius opera, manuque aliena.

nentium, (1) nempe Canonis 48. qui præ ſe fert titulum: *Canon Romanus*; (2) Canonis 140. inſcripti: *Vigilius Papa, ex Concilio Carthaginenſi, Gregorius*; (3) Canonis 141. cujus Epigraphe: *In Nicæna ſynodo*; (4) & Canonis 142. cui inſcriptio: *Romanum concilium*. (5) Ubi obſervandum, tantam eſſe interpolationis factæ a Mercatore ſimilitudinem interpolationi ſententiarum Egberti, ut Blondellus qui hunc ignoravit, eas illi adſcribere non dubitaverit.

Ceteras circumſtantias, quæ de Joanna Papiſſa referuntur, non moror; eæ namque, ut fieri ſolet, facile adjungi potuerunt. Sed illud, quod dicitur, eam Joannam Athenis ſtudiis litterarum, quæ illinc jam diu abierant, vacaſſe, denotare videtur, noſtram collectionem compoſitam ex monumentis variarum nationum, Græciæ præſertim, quatenus ejus eruditionem illius auctor non obſcure affectat in *Præfatione*, cum ait: *Quod ſi veritas eſt quærenda e pluribus, Græcorum ſequamur ſtylum, eorumque imitemur editiones atque exemplaria*. Sic Joannes Erigena eo quod linguam græcam callebat, dictus fuit Athenis ſtuduiſſe. Illud etiam non temere adjungere putamus, quod habet Stephanus de Borbone, ementitam Papiſſam artem notandi (6) calluiſſe, & Romæ ante quam ad Cardinalatum, & deinde ad Papatum aſcenderet, egiſſe Notarium. Hoc enim ſignificare videtur, Iſidorum noſtrum fuiſſe auctorem, vel ſaltem propagatorem *Formularum*, de quibus ſupra egimus *cap.* 2. Hæ namque notis, numeriſque ſunt vallatæ. Et ſi demus, hoc minime denotari, adhuc ex hac arte notandi, quam dicitur Papiſſa calluiſſe, indicium magis rei veræ, quàm fabuloſæ deſumitur. In Fabulis enim fingi ſolet, quod eſt ſpecioſius, quod eſt mirabilius. Nihil ſane mirum vel ſpecioſum videtur, quod mulier artem notandi didicerit. Verus igitur fuit Joannes Anglus, qui eam artem callebat. Ac præterea in Fabulis fingi ſolet, quod eſt veroſimile, quod facilius credi poteſt, quale certe non eſt, quod Notarius factus fuerit Cardinalis, & deinde Papa. Cur non per nobiliores gradus fingitur ad ſupremas dignitates perve- A niſſe? Verum igitur eſt, quod fuerit Notarius, (7) & tali rei veræ accommodata Fabula.

§. III.

De Joanne Anglo ſub Iſidori Mercatoris nomine latente.

SI conjecturis conjecturas addere, & ex rebus obſcuris aliquod lumen haurire licet, Joannem Anglum ſub Mercatoris larva delitefcentem ſuſpicor, unum eſſe ex iis qui ſcriptorum partim imperitia, partim oſcitantia cum famoſo Joanne Scoto, *Erigena* dicto, fuerunt confuſi, & forſitan eum, quem Anonymus apud Vincentium Bellovacenſem in *Speculo Hiſtoriali lib.* XXIII. *cap.* 173. B quem multi alii fuerunt ſequuti, miro anachroniſmo facit Bedæ diſcipulum, & cum illo confudiſſe videtur. Ait enim: *Alcuinus ſtudium de Roma Pariſias tranſtulit, quod illuc a Græcis tranſlatum fuerat a Romanis; fueruntque Pariſiis fundatores illius ſtudii quatuor monachi Bedæ diſcipuli, ſcilicet Rabanus, & Alcuinus, Claudius, & Joannes Scotus*. Quam multa paucis hiſce verbis Anonymus confundat ac perturbet, jam notarunt viri eruditi: ſed ex iis aliquod indicium ad veritatem detegendam forſitan depromi poteſt. Hinc quemadmodum Claudium Hiſpanum cum Clemente Scoto, (8) unde emerſit Claudius Clemens, (9) ſunt qui heic confuſum credunt, & unum ab altero diſtinguunt; ſic non pauci poſt Trithemium, ut Balæos, C P. Cellotius, aliique duplicem faciunt Jo. Scotum, unum nempe antiquum Alcuini & Caroli M. ætate florentem, qui fuit Bedæ diſcipulus, ſeu potius diſcipulorum ejus, & alterum recentiorem, qui floruit ſub Carolo Calvo, & quem Trithemius Erigenam vocat. Hunc ex teſtimonio coætaneorum ſcriptorum S. Nicolai I. Papæ, Hincmari Remenſis & Anaſtaſii Scotum fuiſſe conſtat, ſeu Hibernenſem; nam Hibernenſes Scotorum nomine aliquando venerunt: & hoc importare videtur nomen (10) Erigena, quo eum Trithemius inſignivit. Sed prior, magis eſt, ut fuerit Anglus, & ideo Scotus fuit dictus, quia cum Scoto fuerat confuſus.

(1) Hujuſmodi ſtudium interpolandi Canones ad Judicia ſpectantes excitatum fuit in aliquo Clerico Eccleſiæ Eboracenſis, ex cauſa forſitan longiſſimæ, & ſeviſſimæ perſecutionis ad ejectionem uſque, quam paſſus fuerat S. Wilfridus ſenior Archiepiſcopus, qui tandem requietem aſſecutus obiit ann. 709.

(2) *Si in qualibet Provincia exorta fuerint quæſtiones, ad majorem Sedem, vel ſynodum, ſeu etiam ad Apoſtolicam Sedem Romæ referantur.*

(3) *Quis cum ad judicium venerit, ſi voluerit Clericus, & neceſſe fuerit, induciæ ei petenti a Patribus conſtituta abſque impedimento concedantur, & Judices ſelecti tribuantur. Si ibi vim aliquam temerariæ multitudinis metuerit, locum is congruum eligat, quo abſque timore ſuos, ſi neceſſe fuerit, teſtes habere, & abſque impedimento ſuam canonice ſententiam finire valeat: quia multi pro ſubreptione evenire ſolent. Sententiam, Fratres, quæ miſericordiam vetat, non ſolum tenere, ſed etiam audire refugite: quia potior eſt omnibus holocauſtis miſericordia. Non itaque agendum in eccleſiaſticis negotiis, ſicut in ſæcularibus; nam in ſæcularibus priuſquam qui legibus eſt coactus, venerit, & decertaverit, & reſponſum dederit, ante peractam cauſſam non poteſt recedere: in eccleſiaſticis vero dicta cauſſa licet recedere, ſi neceſſe fuerit, aut ſi ſe pragravari viderit.*

(4) *Statutum eſt, quod Judices alii non ſynodo deberent eſſe, niſi quos ipſe qui impetitur, elegerit, aut quos conſenſu ſuo ejus Primates auctoritate hujus ſanctæ Sedis conſtituerint: quia indignum eſt, ut ab externis judicetur, qui provinciales & a ſe electos debet habere Judices.*

(5) *Tempore Conſtantini Auguſti congregavit Silveſter primum ſynodum Romæ cum 73. Epiſcopis, quorum conſenſu & ſubſcriptione conſtitutum eſt: Ut nullus laicus Clerico cuiquam audeat inferre teſtimonium: ergo laici adverſus Clericum non accipiantur. Accuſatores conſanguinei, nec familiares, nec domo prodeuntes adverſus extraneum teſtimonium non dicant, nec accuſatores, nec teſtes ſuſpecti recipiantur, quia propinquitatis aut dominationis.*

(6) Apud Echardum, & Queriſſum ſupra laud. loco legitur ita abbreviatum *nendi*, & inter parentheſes diverſo charactere ſubditur: *Quod dixmet ieſtce.* Sed nullus dubito, legendum *notandi*, quod apertiſſime mihi deſumi videtur ex iis, quæ infra ibidem habentur, quod *facta eſt Notarius curiæ*. Hoc enim importat *notare*, ſcribere, ſeu exſcribere notis, & per compendia litterarum: unde nomen Notarii, quod dabatur iis, qui hujuſmodi artem callebant. Tanta erat Notariorum in notando celeritas, ut eorum manus ſequeretur velocitatem linguæ, immo & præveniret; unde Martialis XIV. 208. cecinit.

Currant verba licet, manus eſt velocior illis.
Nondum lingua, ſuum dextra peregit opus.

(7) Qui ſcilicet callebat artem notandi, ſeu ſcribendi per compendia. Hanc enim artem etiam ſequioribus temporibus obtinuiſſe, diſcimus cum ex aliis, tum ex Petro Diacono, qui cum principio ſæculi XII. floreret, ſcripſit Librum *de Notis Litterarum*: quem videſis apud Heliam Putſchium Libro inſcripto: *Grammaticæ Latinæ Auctores antiqui*. Sed deinde hujuſmodi arte paullatim neglecta, nomen Notarii ad Tabelliones, Libelliones & Scribas denotandos jam uſurpatum, eorum proprium evaſit.

(8) Hujus Clementis meminit Anonymus S. Galli Monachus initio *Lib.* 1. *de Geſtis* Caroli M. qui e duobus Scotis eruditis, unum ſcilicet Clementem in Gallia reſidere præcepit, alterum in Italiam direxit. Et Mabillonius *Lib. XXIX. Annal. Bened. n.* 26. narrat ad hunc Clementem miſſos a Ratgario Abbate Modeſtum & Candidum cum aliis in Galliam grammaticæ ſtudendi gratia.

(9) Moreritus etiam Claudium Clementem dicit, ſed eum Hiſpanum facit. Sed Dempſterus ſtudio amplificandi numerum ſcriptorum ſuæ nationis, duos Claudios Clementes facit, & utroſque Scotiæ adſcribit.

(10) Licet enim aliqui nomen *Erigena* deducant

Dempſterus præterea in *Hiſt. Eccl. Scriptorum Scotiæ* tertium addit Joannem Scotum Mailroſium nuncupatum, quem facit Clementis Scoti ſocium, & Caroli M. juſſu Academiam Ticinenſem fundaſſe putat, atque hunc etiam cum notiſſimo Joanne Scoto confuſum fuiſſe notat. Sed hic, Mailroſius ita dictus a loco Scotiæ, & Angliæ contermino, non magis Scotus, quam Anglus dici poteſt. Et ſic non tantum unum, ſed duos habemus Joannes Anglos Alcuini, & Caroli M. ætate, quorum alteruter Mercatoris larvam forſitan aſſumſit. Nec mira videri debet hujuſmodi nominum confuſio; nam idem Joannes Scotus Erigena, etſi ipſe hæreticus eſſet, (1) confuſus fuit ab aliis cum tribus aliis Joannibus, iiſdem ſanctis, & minime Scotis, Malmesburienſi *Sapienti* dicto, Æthelingenſi, & Magnopolitano. Hinc cum titulo Martyris videtur ſcriptus in ſupplemento Maryrologii Uſuardi editi a Jo. Molano Antuerpiæ anno 1583. Vide Natalem

A Alexandrum *Differt.* XIV. *ad ſæculum* IX. ſ. 3. Et nota interim temeritatem Guilielmi Cavei, qui queritur, Joannem Scotum eſſe expunctum e Martyrologio Romano, ubi, ait: *Certe martyribus, & ſanctis poſt mortem annumeratus locum per multa tenuit ſæcula.* (2)

Joannes itaque Anglus omnino diverſus a famoſo Joanne Erigena Scoto videtur prodiiſſe ex ſchola Eboracenſi, & cum Flacco Alcuino, (3) vel ſaltem ejus tempore veniſſe in Galliam: cum vero Moguntiæ degeret, concinnaſſe ſub nomine Iſi-
B dori Mercatoris collectionem Canonum, & Decretalium; unde orta occaſio fingendæ fabulæ Papiſſæ natæ Moguntiæ, quæ dicebatur *Joannes Anglus*. En igitur quod aliquid veri fuerit in fabula Papiſſæ Joannæ. Atque utinam non fuiſſet: eccleſiaſticam diſciplinam non contaminaſſet: nec hæreticis Eccleſiam catholicam calumniandi occaſionem dediſſet. (4)

AP-

---

ab *Ergena* loca Angliæ in confiniis VValliæ, & alii ab *Airn* loco Scotiæ, veroſimilior tamen eſt opinio eorum, qui illud deducunt ab *Erin*, quo nomine apud incolas Hibernia venit.

(1) Multa enim contra catholicæ Fidei veritatem docuit, & præcipue contra Tranſſubſtantiationis Myſterium; unde ab hæreticis noſtri temporis miris laudibus extollitur. Neque audiendus Dempſterus, qui ſtudio partium ſuæ nationis nimium addictus hanc ab eo maculam eluere nititur, & contra omnium antiquorum auctoritatem negat Scotum quem popularem ſuum facit, talia docuiſſe.

(2) Debuerat Caveus hujus quam longiſſimæ poſſeſſionis, quam Scotum habuiſſe dicit in Martyrologio Romano, dare aliquod documentum vel indicium; ſed nullum dat, nec etiam breviſſimi temporis. Non me fugit, laudari ſolere Martyrologium Romanum impreſſum Antuerpiæ anno 1586. in quo dicitur hæc haberi. *Eodem die S. Joannis Scoti, qui graphiis puerorum confoſſus martyrii coronam adeptus fuit.* Addit Fuller in *Hiſtoria Angliæ*, modo dictum Martyrologium Antuerpiæ fuiſſe impreſſum juſſu Gregorii XIII. Sed immane quantum fallitur, ſeu potius fallere vult. Etſi demus, in eo Martyrologio eſſe relata verba, quod me neſcire fateor, adeo falſum eſt, illud juſſu Gregorii XIII. fuiſſe impreſſum, ut potius contra ejus præceptum & voluntatem id factum fuerit. Idem enim Pontifex Litteris in forma Brevis datis die 14. menſis Januarii anni 1584 & præmiſſis Martyrologio Romano editionis Romanæ ejuſdem anni hæc ſtatuit: *Mandamus igitur omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, ceteriſque Eccleſiis, Monaſteriis, Conventibus, Ordinibus ſive Sæcularibus, ſive Regularibus quibuſcumque Præfectis, ut in peragendo divino officio omni alio Martyrologio amoto, hoc tantum utantur, nulla re addita, mutata, adempta. Si quos alios habuerint Sanctos in ſuis Eccleſiis aut locis celebrari ſolitos, eos in hunc librum non inferant, ſed ſeparatim deſcriptos habeant.* Cum igitur in hoc Martyrologio Joannis Scoti mentio facta non fuiſſet, quo modo dici poteſt, eam poſt biennium factam fuiſſe juſſu Gregorii XIII. in Martyrologio Antuerpiæ impreſſo?

(3) Cum diximus, Joannem Anglum Alcuini fuiſſe aſſeclam, ne credas, Alcuinum non modo eruditione, ſed etiam ſanctitate præſtantem illius fraudis fuiſſe aliquo modo participem. Quin cum Alcuinus talis Joannis in ſuis Epiſtolis, alibique nunquam meminerit, non levi argumento eſt, eum flocci feciſſe.

(4) Concinit Coutantius qui *Præfat.* §. 10. ita queritur de Mercatore: *Porro hac fraude quam ſit perniciose de Eccleſia meritus, dici vix poteſt. Hinc debilitati penitus fractique diſciplinæ nervi, perturbata Epiſcoporum jura, ſublatæ judiciorum leges, aut miſerum ſaltem in modum afflictæ; hinc diſcordiarum, ſeditionum ac litium ſeges immenſa, quæ tot ſæculis ad Eccleſiæ dedecus fideliumque offenſionem fruticavit. Neque id ſolum, ſed alienæ etiam communionis hominibus aperta ingens ad calumnias feneſtra. Cum enim putida tot ſcripta mendacii inſimulare promtum eſſet, ac re quidem vera inſimularent ipſi, convincerentque, gradum inde ad genuina inſimulandum fecerent; errorem, ut par erat, refellere parum contenti, in veritatem ipſam involarunt. Exprobrata catholicis nimia credulitas, fuco falſi adſperſa ſapientiſſima decreta, ſanctiores ritus explosi, revulſa ſine pudore ac modo fundatiſſima quæque ſummorum Pontificum jura, aut certe ad tenuem axilemque umbram redacta.*

Digitized by Google

APPENDIX.

DIATRIBA

DE CAPITULIS HADRIANO I. PAPÆ VULGO TRIBUTIS.

Capitula ad Angelramnum Epiſcopum Metenſem Hadriani Papæ nomen præ ſe ferentia, quæ ſunt numero 80. pleraque omnia ad judicia Epiſcoporum accuſatorum pertinent. Eorum primum meminit Hincmarus Rem. Opuſc. adverſus Hincmarum Laudun. *cap.* 24. *De ſententiis, quæ dicuntur ex Græcis & Latinis Canonibus, & ſynodis Romanis atque Decretis Præſulum Romanorum collecta ab Hadriano Papa, & Angelramno Metenſium Epiſcopo datæ, cum pro ſui negotii cauſſa agebatur quam diſſonæ inter ſe habeantur, qui legit, ſatis intelliget.* Quæ Hincmari verba Epigraphes loco apponi ſolent hujuſmodi Capitulis in Conciliorum editionibus, addito die quo fuerunt datæ, ſcilicet *die* XIII. *Cal. Octobris, indict.* IX. quo tempore Angelramnus Romæ degebat. Sed ea ad Hadrianum non pertinere multa demonſtrant: Primo quod ipſum Hincmari teſtimonium de ipſorum diſſonantia, convenire non poteſt Hadriano eruditiſſimo Pontifici; præſertim cum *Capitulo* 49. habeatur: *Delatori, aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur.* Quæ verba Hadriano excidiſſe nemo ſanæ mentis credet. Præterea quomodo fieri poterat, eumdem Hadrianum, qui Codicem Dionyſianum paucis auctum, & immutatum dederat Carolo M. Angelramno deinde dediſſe tam male conſutam farraginem? Nec probabile videtur, quod Baluzius *Præfat. ad Collectionem* Reginonis, & qui eum ſequi videtur, Natalis Alexander, cenſet, eam collectionem ab Angelramno datam fuiſſe Hadriano, *quando pro ſui negotii cauſſa agebatur*, ut habent codices S. Victoris Pariſienſis & Lætienſis. Quomodo enim credi poteſt, Angelramnum doctiſſimo Pontifici exhibuiſſe confuſam mixtionem ſententiarum indigeſtarum, nullis productis earum auctoribus? Nec video, quæ fides adhibenda ſit codicibus a Baluzio, & ab Alexandro laudatis contra auctoritatem omnium antiquorum, utriuſque Hincmari præſertim, Remenſis ſcilicet, & Laudunenſis teſtantium de Epigraphe ſupra exſcripta, quod ea Capitula ab

A Hadriano fuerunt collecta, & Angelramno tradita. Præterea argumenta non deſunt ad amovendam tam ab Hadriano, quam ab Angelramno eam collectionem. Primo ex rebus geſtis Angelramni nulla mentio habetur alicujus querelæ contra eum propoſitæ, ut opus fuerit dare, vel recipere hujuſmodi Capitula. Quin Papæ, & Carolo M. erat acceptus; ab illo namque habuit Pallium, hujus vero erat Archicapellanus. Adhæc eorumdem Capitulorum altiſſimum ſilentium uſque ad annum 875. valde ſuadet, non prodiiſſe ante annos 90. anno ſcilicet 785.

Potius igitur dicendum, non multo ante ſupra
B dictum annum 875. noſtra Capitula ex Pſ-decretalibus, & ex Capitularibus Levitæ fuiſſe depromta, ac Hadriano ſuppoſita ad conciliandam iiſdem Pſ-decretalibus fidem. Quod ex his fuerint depromta, jam multi dixerunt; ſed quod etiam ex Capitularibus Levitæ, nemo ſane dixit. Hoc ergo eſt probandum contra communem virorum eruditorum ſententiam, qui ex oppoſito volunt, Levitam in ſuis Capitularibus Libri VII. colligendis, & Pſ-decretalibus, & Capitulis ad Angelramnum uſum fuiſſe. Quam quidem conjecturam ſtatuo primo ex eo, quod Hadriani *Caput XXV.* (1) videtur male compactum ex *capitibus* 29. (2) & 39. (3) *Lib. VII.* Capitularium. Sic *Caput IX.* (4) Hadriani
C videtur formatum ex *capitibus* 82. (5) & 129. (6) ejuſdem *Lib. VII.* Præterea *Additio IV.* Capitularium, facta per Erchembaldum juſſu regis, multa ex iis quæ habentur in Capitulis Hadriani, partim a Levita omiſſa, partim ab eo relata, complectitur: & cum ibi, ut ſupra notatum eſt, nomina Romanorum Pontificum, quibus Pſ-decretales adſcribuntur, non ſemel laudentur, numquam tamen nominatur Hadrianus, vel Angelramnus. Quin cum alii fontes (7) indicentur, unde ea capita ſunt depromta, hinc conſtat non fuiſſe depromta ex Hadriani Capitulis. Huc etiam faciunt, quæ habet Baluzius *Admonitione* ad Lectorem in fine prioris Tomi Capitularium a ſe editorum de-

(1) *Nullus Archiepiſcoporum, niſi qui primas Sedes tenent, appelletur Primas, aut Princeps Sacerdotum, aut ſummus Sacerdos, vel aliquid hujuſmodi: Sed tantum ille, qui in Metropoli ſedet, Metropolitanus, aut Archiepiſcopus vocetur, & ſuum in Canonibus præfixum non excedens teneat cum humilitate modum. Et ille qui primam Sedem retinet, tantummodo primæ Sedis appelletur Epiſcopus, ſalva ſemper in omnibus auctoritate Romani Pontificis.*

(2) *Ut primæ Sedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, aut aliquid hujuſmodi, ſed tantum primæ Sedis Epiſcopus.*

(3) *Nulli alii Metropolitani appellentur Primates, niſi illi qui primas Sedes tenent, & quos ſancti Patres ſynodali & Apoſtolica auctoritate Primates eſſe decreverunt. Reliqui vero qui alias Metropolitanas Sedes ſunt adepti, non Primates, ſed Metropolitani vocentur.*

(4) *Salvo Romanæ Eccleſiæ in omnibus Primatu manifeſtum eſt, quod illa quæ ſunt per unamquamque Provinciam, ipſius provinciæ ſynodus diſpenſet, ſicut in Nicæno conſtat decretum eſſe concilio.*

(5) *Servata vero, quæ ſcripta eſt de gubernationibus regula, manifeſtum eſt, quod illa quæ ſunt per unamquamque provinciam, ipſius provinciæ ſynodus diſpenſet, ſicut Nicæno conſtat decretum eſſe concilio.*

(6) *Placuit, ut ſecundum ſynodum Nicænam congregatis omnibus ejuſdem provinciæ Epiſcopis, jurgium terminetur. Nec cui liceat (ſine præjudicio tamen Romanæ Eccleſiæ, cui in omnibus cauſſis debet reverentia cuſtodiri) relictis his Sacerdotibus, qui in eadem provincia* &c.

(7) Sic *Cap.* XVI. quod eſt 46. Hadriani, & 358. *Lib.* 7. Levitæ laudatur tamquam ex *ſynodo Romana* V. Sic *Cap.* XXI. quod eſt Hadriani 4. laudatur tamquam ex *Decretis* Sixti Papæ *cap.* 4. Sic *Cap.* XXIII. quod eſt 18. Hadriani & 308. *Lib.* 7. Levitæ laudatur tamquam *ex* IX. *ſynodo Romana cap.* 7. *cum quo concordat Antiochenum concilium cap.* 22. Sic *Cap.* XXIV. quod eſt Hadriani 3. laudatur tamquam ex *ſynodis Romanis cap.* 49. & ex *Decretis* Julii Papæ. Sic *Cap.* XXV. quod eſt 6. Hadriani laudatur ex *concilio Chalced. cap.* 27. *Sic Cap.* XXVI. quod eſt 7. Hadriani & 436. *Lib.* 7. Levitæ, laudatur tamquam ex *VI. ſynodo Romana cap.* 9. *cum quo & alia ſanctiones Imperatoria, & ſynodalium Epiſcoporum concordant.* Sic *Cap.* XXVII. quod eſt 23. Hadriani & 315. *Lib.* 7. Levitæ, laudatur tamquam ex *Edictis ſynodalibus ſub Theodoſio decretis Imperatoris ejus auctore roboratis: quæ ſi quis quæſierit, in ſuis inveniat Epiſtolæ Libris.* Sic *Cap.* XXVIII. cujus eſt *Cap.* 5. Hadriani quod eſt 87. *l.* 7. Levitæ laudatur hoc modo: *ex quibus ſupra, cum quibus & Sardicenſe concilium & alia decreta Canonum, & Pontificum Romanorum concordant.* Sic *Cap.* XX. quod eſt 14. Hadriani & ex part. 106. *Lib.* 7. Levitæ laudatur tamquam ex *ſynodo Romana* III. *cap.* 6.

codice ſexcentorum annorum circiter, ubi ea Hadriani, ſive Angelramni Capitula dicuntur *accepta* partim ex *ſynodalibus Decretis* S. Gregorii Papæ, partim *ex concilio Niceno*. Et denique faciunt, quæ idem notat *Præf. ad Capitul. n. 46. de Collect.* Levitæ per hæc verba. *Prodiit illa, & uſu publico recepta eſt, non ſolum in regno Germaniæ, ſed etiam in Francia noſtra ante annum Chriſti* 858. *Nam cum eo anno Herardus Archiepiſcopus Turonenſis Capitula ſua ediderit, magnamque eorum partem abbreviaverit ex illis quæ in collectione Benedicti habentur, manifeſtum eſt, illa uſum fuiſſe. Poſtea Iſaac Epiſcopus Lingonenſis Capitula quoque ſua collegit ex iiſdem tribus Benedicti Levitæ Libris. Laudantur denique frequenter Capitula ejuſdem collectionis in concilio apud S. Macram, in Troslejano, & ab Hincmaro, Reginone, Fulberto, & Ivone. Nam de Burchardo ſilere me debere puto, quia tametſi multa acceperit ex illa Benedicti*

A *collectione, maluit eſſe mendax, ut ſæpe monuimus, quam Capitularia Regum noſtrorum laudare*. At de Capitulis Hadriani altiſſimum ſilentium uſque ad annum 870. circiter, quo Hincmarus Laudunenſis illa laudavit in patrocinium cauſſæ ſuæ; nec poſt eum alius illa laudaſſe videtur uſque ad Burcardum: unde colligere licet, ipſa fere Hincmari Laudunenſis ætate ea Capitula fuiſſe conficta ad roborandam auctoritatem Decretalium Iſidori. Cum enim hæ laudatæ eſſent in cauſſa Rothadi Sueſſionenſis, ab Hincmaro Remenſi excipiebatur, eas nullius roboris fore, ut quæ in Codice Canonum, illo nempe Dionyſii quem Hadrianus dederat Carolo Magno, non eſſent. Ad hanc igitur exceptionem explodendam, ipſum Hadrianum finxerunt ſententias Pſ-Litterarum etiam approbaſſe. Hinc miror, eumdem Baluzium opinatum fuiſſe, Capitula de quibus agitur, ab Angelramno Hadriano oblata.

ELENCHUS
CAPITUM.

CAP. I. *Synopſis Collectionum, quæ Mercatorem præceſſerunt.* pag. 357
CAP. II. *Aſpectus Collectionis Mercatoris.* 359
CAP. III. *Mercatoris Collectio quomodo emerſerit, ejuſque progreſſus.* 362
CAP. IV. *Romani Pontifices ſine fraude, atque adeo ſine culpa, & quidem moderate Mercatoris monumentis uſi.* 365
CAP. V. *De detectione falſitatis Mercatoris monumentorum.* 368
CAP. VI. *Cujas fuerit Iſidorus Mercator, & quo tempore locoque floruerit.* 370
CAP. VII. *De Mercatoris ſcopo.* 374
CAP. VIII. *Mercatoris propoſitum Epiſcoporum indemnitati conſulendi plurimis capitibus ex ipſis falſis Decretalibus demonſtratur.* 378
I. *Ex damnata uſurpatione bonorum Eccleſiæ.* ibid.
II. *Ex frenata Chorepiſcoporum poteſtate.* ibid.
III. *Ex exaggerato ſpirituali conjugio inter Epiſcopum, & Eccleſiam.* 379
IV. *Ex honore Sacerdotibus, maxime Epiſcopis, præſtando.* ibid.
V. *Ex reſtitutione Epiſcopis ſpoliatis ante omnia facienda, & induciis eis dandis.* 380
VI. *Ex frenata accuſandi Clericos, & maxime Epiſcopos licentia.* ibid.
VII. *Ex accuſatione, niſi præmiſſa correctione, non facienda.* 381
VIII. *Ex accuſatione item non facienda ſine prævia inſcriptione.* ibid.
IX. *Ex non damnandis, vel accuſandis abſentibus.* ibid.
X. *Ex teſtium qualitatibus, eorumque numero requiſito in damnatione Epiſcoporum.* 382
XI. *Ex irritatione extortæ confeſſionis.* 383
XII. *Ex modo judicii impoſito.* ibid.
XIII. *Ex pœnitentibus in honores redintegrandis.* ibid.
XIV. *Ex libera appellandi facultate; & Epiſcopis inconſulta ſancta Sede non judicandis.* 384
CAP. IX. *De juribus, quæ Mercator Romano Pontifici tribuit.* ibid.
§. I. *De Epiſcoporum criminalibus cauſſis.* ibid.
§. II. *De Romani Pontificis in Epiſcoporum ſynodis auctoritate.* 388
CAP. X. *Romani Pontificis jura, quæ ad criminales cauſſas, maxime Epiſcoporum, non attinent, Mercatorem minime curaſſe, multis demonſtratur.* 390
I. *Ex non reſervata poteſtate transferendi Epiſcopos.* ibid.
II. *Ex non reſervata poteſtate admittendi eorum renuntiationes.* 391
III. *Ex non tributa ordinandi eoſdem per Orbem poteſtate.* 392
IV. *Ex non data facultate ordinandi Clericos aliarum eccleſiarum.* ibid.
V. *Ex non memorata poteſtate ordinandi quoſcumque, ſaltem ex cauſſa devolutionis.* 393
VI. *Ex non reſervata facultate ordinandi Epiſcopos ſui patriarchatus, nec etiam ſua Provincia.* ibid.
VII. *Ex non memorato jurejurando obedientiæ, & ſubjectionis.* ibid.
VIII. *Ex non data facultate permittendi ordinationem Epiſcoporum per unum Epiſcopum.* ibid.
IX. *Ex non data poteſtate delegandi presbytero adminiſtrationem Confirmationis.* ibid.
X. *Ex non reſervatis dedicationibus eccleſiarum.* 394
XI. *Ex neglecta commemoratione nominis Papæ in Miſſis facienda.* ibid.
XII. *Ex non reſervatis abſolutione, & pœnitentia impoſitione graviorum criminum.* 395
XIII. *Ex non tributa poteſtate concedendi privilegia.* ibid.
XIV. *Ex non memorata poteſtate diſpenſandi.* ibid.
CAP. XI. *Occurritur objectionibus, ac oſtenditur Mercator aliquando adeo Epiſcopis tribuiſſe, ut Romano Pontifici videatur injurius.* ibid.
CAP. XII. *Detegitur alter Mercatoris ſcopus ſtabiliendi Primates, quos Patriarchis exæquat.* 397
CAP. XIII. *De loco, ubi Primatem Mercator præcipue conſtitutum volebat; cum Moguntiam fuiſſe variis indiciis probatur.* 402
CAP. XIV. *Conjectura de Moguntina Primatia a Mercatore intenta ex iis quæ ſubinde obvenerunt, confirmatur, ac refelluntur objectiones.* 407
CAP. XV. *Quæ Mercator præter ſuum propoſitum habet, ea in ſpeciem veritatis ex genuinis monumentis affert, & præſertim ex Libro Pontificali.* 410
CAP. ULTIMUM. *Ex Collectione Canonum Mercatoris nata Fabula Joannæ Papiſſæ, ſeu data occaſio illius fingendæ.* 412
§. I. *Referuntur aliorum opiniones & rejiciuntur.* ibid.
§. II. *Exponitur & probatur conjectura ex Collectione Canonum Mercatoris petita.* 414
§. III. *De Joanne Anglo ſub Iſidori Mercatoris larva latente.* 417

APPENDIX.

DIATRIBA *De Capitulis ad Angelramnum Hadriano I. Papa tributis.* 419

IX.

DISSERTATIO

DE METHODO ATQUE AUCTORITATE

COLLECTIONIS GRATIANI,

ET RELIQUARUM OMNIUM COLLECTIONUM DECRETALIUM POST GRATIANUM.

ACCESSIT

ORATIO DE RECTA JURIS CANONICI DISCENDI RATIONE,

UBI QUÆ MAXIME IN GRATIANI COLLECTIONE SINT CAVENDA, OSTENDITUR.

AUCTORE

FRANCISCO FLORENTE J.C.

Digitized by Google

DISSERTATIO

DE METHODO ATQUE AUCTORITATE COLLECTIONIS GRATIANI,

ET RELIQUARUM OMNIUM COLLECTIONUM DECRETALIUM POST GRATIANUM.

Inſtitutum Auctoris.

JURIS Canonici ſummam quamdam cognitionem habere deſiderantibus, nihil utilius viſum eſt, quam generales Tractatus quoſdam in Decretales tradere. Inſtitutiones enim interpretari, a Lanceloto, Cucco Medialonenſi, Caniſio vel aliis, privato ſtudio confectas, vel novas ſcribere periculoſum eſt: quia ſtudioſorum aures ea tantum ab initio debent accipere, quæ certa ſint, & auctoritate publica confirmata; ut recte in *Confirmatione Inſtitutionum*. Nam quæ privatim quilibet, quamvis doctus & ingenioſus ſcribit, in promtu eſt non admittere; nec in judiciis ullam vim & robur obtinent. Adde quod hujuſmodi Inſtitutionum Auctores, aliam viam & methodum inſtituentes, quam Pontifices, & Juris Canonici Conditores, a lectione Decretalium, vel omnino avertunt, vel ſaltem ad eas legendas, animos non præparant. In Paratitlis vel longioribus Tractatibus aliter eveniet: nam in his ordinem & methodum Decretalium ſequimur; imo & Librorum, & Titulorum connexionem & ſeriem inveſtigamus, Rubricas interpretamur, & quantum operis modus ſinit, origines Juris Canonici veteris & novi indicamus. Quin etiam, ſi quid uſus Galliæ non admittat, ex Capitularibus, Pragmaticis, Concordatis, & (Juribus, ſeu) quas vulgo vocant, Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, (vel etiam privilegiis) adnotamus. Qui enim hactenus Inſtitutiones, aut Paratitla Juris Canonici ſcripſerunt, vel Juris antiqui Canonici valde periti non fuerunt, vel locis & temporibus inſervierunt, in quibus libros ſuos promulgarunt, inſuper habitis & neglectis, tam communis veteris, quam Gallicanæ Eccleſiæ Juribus, vel privilegiis: quæ recte Gallicanorum Tribunalium Conſultiſſimi quique, ab antiquo jure communi univerſæ Eccleſiæ, fere omnia repetita eſſe veriſſime contendunt. Reliqui fere omnes populi, qui in *Patria obedientia* (*), quam vocant, morantur, immutationes & innovationes poſteriorum Conſtitutionum, quæ frequenter occurrunt in Decretalibus, ſæpius ultro amplectuntur & recipiunt.

Libertates a privilegiis ſeparandæ, Coquillius in præfatione hiſtor. Nivernenſis, p. 18.

Argumentum Tractatus.

Antequam vero materiam aggrediamur, *Primo* neceſſarium eſt præmittere duas ſummas, & totius Juris Canonici præcipuas diviſiones, ad quas ſæpius in progreſſu recurrendum erit. *Secundo* de Collectione Decretorum Gratiani tractabimus plenius, & deſinemus in variis Collectionibus Decretalium, earum Auctoribus, tempore & methodo, explanandis; quia ex illis Collectionibus tandem Gregorius IX. poſtremam hanc noſtram, opera Raymundi a Penna forti compoſuit; Cujus gratia, aliquos Tractatus conſcribere inſtituimus, majoris operis ſpecimen & δεῖγμα.

Duæ totius Juris Canonici partitiones.

Prima.

Ut a diviſionibus incipiamus; *Jus Canonicum dupliciter dividimus*, vel ratione materiæ, argumenti, ſive ſubjecti; vel ratione formæ.

Ratione materiæ Jus Canonicum, vel ad fidem, vel ad mores, ſeu diſciplinam Eccleſiaſticam formandam vel componendam pertinet. (A) Quæ ad fidem pertinent, continentur ſymbolis, ſive formulis fidei, Synodicis Epiſtolis, vel etiam Decretis, ſeu Anathematiſmis contra hæreſim & hæreticos factis. Hujuſmodi ſunt Nicænæ διατυπώσεις apud Gelaſium Cyzicenum; duodecim Anathematiſmi Cyrilli contra Neſtorium in Synodo Alexandrina editi, qui male vulgo in pleriſque Codicibus tribuuntur Concilio generali Epheſino: itemque decreta in Synodo V. ſub Juſtiniano edita. Illæ omnes ſpecies, generali nomine, Dogmata appellantur.

Διατυπώσεις illas quidam cenſent eſſe figmenta Gelaſii, Blondellus & ſimiles.

(B) Quæ ad mores ſpectant, Canonum nomine ſpecialiter deſignantur. Unde frequens in Conciliis & Patribus, Dogmatum & Politiæ diſtinctio.

Ex hac diviſione, duæ regulæ certiſſimæ eliciuntur. *Prima*: In his, quæ ſunt fidei, Eccleſias omnes debere convenire: fidem unam integram apud omnes eſſe oportere: & ut loquitur Tertullianus initio *de Virginibus velandis*, *Regula fidei una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis; huic nihil addi, vel detrahi poteſt*. Quare propter ejus dignitatem in Conciliis ſemper de fide primo tractatur, antequam de moribus & politia (C) quæratur. *Secunda Regula*: Quæ ad diſciplinam & converſationem, ſeu politiam Eccleſiaſticam ſpectant, vel in totum immutare licet, vel pro parte; vel in gratiam Regni, Provinciæ, Loci, vel Temporis, ſingulari privilegio diſpenſare: non tamen privata auctoritate, ſed publica; eorum nempe, qui Eccleſiæ præſunt; præterea accuratiſſima cauſæ cognitione præcedente, *can.* 14. & 15. & 16. *Cauſa* 1. *Quæſt.* 7. Prudentiſſime veteres ſecutus Ivo Carnotenſis, in *doctiſſima præfatione ſuæ Collectionis*; *In his, quæ propter rigorem diſciplinæ, vel muniendam ſalutem, poſteriorum ſancit diligentia, ſi ho-* (D) *neſta, vel utilis conſequatur compenſatio, poteſt præcedere auctoritate præſidentium diligenter deliberata, diſpenſatio*. Idemque ſentit Eulogius Alexandrinus Patriarcha in *fragmentis libri de Diſpenſatione, ſeu Oeconomia Eccleſiaſtica*, apud Photium in *Bibliotheca*: ubi notandum, falli Interpretem, qui ubique *Oeconomiam* interpretatur, *Incarnationem*. Quibus accedat Bernardus in *libro de Præcepto & Diſpenſatione, cap.* 3. 4 & 5. (In his duobus, fide & politia, verum laborem & ſtudium utile Theologiæ conſtituit S. Chryſoſtomus *lib.* 4. *de Sacerdotio cap.* 4 & rejicit ac damnat reliquas inutiles & curioſas (E) tractationes, ſuo tempore, ſicut & noſtro frequentes nimis [illegible], pag. 73. & *tomo* 4. editionis Pariſienſis pag. 77. Et quidem in his, quæ ad fidem & dogmata; nulli parcendum aſperrime agunt Apoſtoli: in his, quæ ad mores; benignius & mitius: idem S. Chryſoſtomus in 2. *ad Corinth. cap.* 11. *tomo* 5. prædictæ editionis, pag. 291. & 292. & in *præfatione Canonum* Theodoretus in *epiſtola præliminari*.)

Secunda diviſio ratione formæ: Jus omne Cannnicum, vel venit ex ſcripto, vel ſine ſcripto, & ut

Secunda diviſio.

(*) Ut intelligas in eadem diſciplinæ obedientia conjungi, & jus commune receptum, & particulares Eccleſiarum conſuetudines &c.

ut ait Iſidorus in *Canone 3. Diſt. 1. omne jus legibus, & moribus conſtat*, Legis nomine latiſſime ſumpto: ita ut omnes ſpecies juris ſcripti comprehendat: cujus duæ ſunt partes ſummæ, & generaliſſimæ; *Sacræ Scripturæ, & Canones*. Sacræ Scripturæ veteri & novo Teſtamento continentur. Canonum triplex eſt ſubdiviſio: ſumuntur enim vel ex Conciliis, aut Conſtitutionibus Pontificum, aut ex dictis Patrum, *Leo IV. in can. 1. Diſt.* XX. ubi hunc ordinem ſervat. Præferuntur ſacrorum *Conciliorum Canones*. Sequuntur *Decretales Epiſtolæ, ſeu Decretalium regulæ*, quæ, ut ait, *cum Canonibus apud nos habentur*. Poſtremo *ex Patrum ſcriptis excerpta* ſubjiciuntur; quæ non parem habent vim, qualem Canones Conciliorum, vel Conſtitutiones Pontificum. Idem ordo & in veteri Codice Canonum Eccleſiæ univerſæ ſervatur, quem *Leo IV.* in *dicto Can.* ſignificat: eumdemque Gratianus ſequitur, ut conſtat ex *Diſtinct. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. & XX.*

Primo enim agit Gratianus de Conciliis. Secundo de Conſtitutionibus Pontificum. Tertio in *Diſtinct. XX.* de dictis Patrum.

Primus apud Græcos *Theodoretus* in *Collectione Canonum*, quædam ex *Epiſtolis* Baſilii retulit. Theodoretum Collectores Græci ſecuti, ex aliis Patribus Græcis multa deſumſerunt, Dionyſio Alexandrino, Petro Alexandrino, Gregorio Thaumaturgo, & aliis, qui enumerantur in *Can. 2. Synodi VI. in Trullo*. Apud Latinos pariter, in Collectionibus poſtremis, Burchardi, Ivonis, Gratiani & aliorum, quæ nondum ſunt editæ, multa deſumuntur, non tantum ex dictis Patrum; ſed etiam ex Jure Civili, *Pandectis, Codice & Novellis Juſtiniani, Cod. Theodoſiano*, immo & ex *Capitularibus* Regum noſtrorum.

Hactenus hæc de variis ſpeciebus Juris Canonici, quod venit ex ſcripto. Juris non ſcripti unica eſt ſpecies, Conſuetudo, ſive Traditio. Traditio vero, aut univerſalis & totius Eccleſiæ; vel particularis, & propria eſt unius Eccleſiæ. Nec obſtat eas traditiones poſtea in ſcripta redactas fuiſſe, & per conſequens Juri ſcripto videri tribuendas. Origo eſt inſpicienda, qua hoc jus tacito & illiterato conſenſu, (ab initio) paulatim receptum eſt uſu: ſicut in Jure Civili Jus non ſcriptum, & moribus inductum dicitur; poſtea tamen a Juriſconſultis ſcriptis comprehenſum. De quo Jure non ſcripto vide *Diſt. I. & XII.* Unde colligimus male Gratianum in *can. 5. Diſt. 1.* diſtinguere: Conſuetudinem in ſcriptis redactam, vocari Jus; quæ vero in ſcriptis non eſt redacta, generali nomine Conſuetudinis cenſeri.

Nunc de Gratiani Collectione agendum, quæ videtur abſoluta tempore Eugenii III. circa annum 1150. vel 1151. ut ait gloſſa Hugutionis veteris Interpretis Decreti, ad *can. poſt appellationem, verſ. ego Anſelmus* (Cauſa 11. Q.7.) ibi, *dicit Hugutio, quod hic eſt falſa litera*. Forſterus etiam in *vitis Juriſconſultorum*, ex ipſius Gratiani tumulo Bononiæ, & Correctores Rom. in *præfatione Gratiani*: quibus adde omnino Antonium Auguſtinum *Dialogorum de Emendat. Gratiani, lib. 1. cap. 1. & fuſius lib. 2. cap. 9.* Obſervandum vero, falſum eſſe: quod Trithemius ſcribit in *vita Gratiani*, & in *Chronico Hirſaugienſi* pag. 184. quem & alii deinde multi poſtea ſecuti ſunt, Collectionem Gratiani Eugenio III. oblatam fuiſſe, & ab eo confirmatam. Non extat hujuſmodi confirmatio. Quare recte nihil de hujuſmodi confirmatione Gratiani, in Editione Romana; ſub Gregorio XIII. edita, qui inchoatam Gratiani emendationem ſub Pio IV. & V. feliciter conſummavit, divina quadam providentia, ut qui primo Antecеſſor Bononienſis Jus Canonicum erat interpretatus; Cardinalis poſtea, a Pio IV. tuerat delectus inter eos, qui primi Gratiani emendationi vacarunt; tandem factus Pontifex, operi utiliſſimo ultimam manum imponeret. Prodiit itaque & emendatior & melior longe Gratiani Collectio ſub Gregorio XIII. nec ideo tamen ab eo publica auctoritate confirmata eſt; ita ut robur haberet in judiciis, ſicut Collectio Decretalium Gregorii IX quam in ſcholis prælegimus, de qua deinde dicetur.

Ex his colligimus, canones qui citantur ex Gratiano, non omnes habere eamdem vim & poteſtatem; recurrendum eſſe ad originem & fontes, unde manarunt. Alio enim jure cenſentur ea, quæ ex Conciliis, alio quæ ex Conſtitutionibus Pontificum, alio quæ ex dictis Patrum, *can. 1. Diſt. XX.* Quam in rem vide Judicium accuratiſſimum Antonii Auguſtini, in *Præfat. ad Canones pœnitentiales*. Quin, ut ſupra notavimus, multa ex Jure Civili Gratianus retulit, quod primum in judicia & ſcholas circa ea tempora reſtitutum erat in Italia, a Lothario Saxono Imperatore, ſuaſione Mathildis Comitiſſæ, *Chronicon* Abbatis Uſpergenſis *in fine vitæ Lotharii*. Poſtremo obſervandum, multa ex incertis, & ſuppoſititiis ſcriptis inſeruiſſe Gratianum in ſuam Collectionem, quæ occaſionem dederunt emendandi, ut diximus; & doctiſſimo Auguſtino ſcribendi *duos libros de Emendatione Gratiani*. Ante Auguſtinum, & Romanos Correctores, id Ant. Demochares viderat; fuſe vero Ant. Contius, in *Præfatione ſua* ſignificaverat; quam ideo mutilavit Antuerpienſis librorum Cenſor; qui ex ea breve tantum nobis fragmentum reliquit; qua de re merito conqueritur Contius *lib. 1. Lection. ſubſeciv. cap. 10. in fin.* Veſtigia tamen fraudis ſuperſunt in fine *Præfationis Secundæ* Contii, in qua apertè profitetur apocrypha & commentitia plurima Gratianum ſuæ Collectioni admiſcuiſſe: quod & repetit in *notis ad can. Septuaginta. Diſt. XVI.* & ad *inſcriptionem canonis 2. Diſt. XXI.* ibi: *Item Anacletus*. Ubi quod inducitur Contius, *Majorem ſe requirere probationem* (quod forte Demochares dixit, vel Antuerpienſis Corrector); ipſe prædixerat in *ſua Præfat.* mutilata poſtea, ut diximus, ſicut oſtendunt notata ab eodem *ad d. can. Septuaginta, ad can. 1. & can. judicantem XXX. Quæſt. 5.* Quibus ex locis illuſtrantur valde, quæ ſcribit doctiſſimus Auguſtinus, *lib. 1. de Emend. Gratiani, c. 20.* in fine. Conſtat tamen eum falli, cum ait, *ea verba mihi videntur Molinæi eſſe, non Contii*. Sunt enim revera Contii, & ipſe Contius ea ſibi aſſerit, ſi loca omnia, quæ citavimus ſupra ex editione Antuerpiana diligenter comparentur. Romani Correctores, notas Contii ad dictos canones omiſerant; cautius ſane, quam Antuerpienſis Cenſor, qui Præfationem quidem mutilavit; notas vero ſupra citatas imperite reliquit, quibus idem dicebatur, quod in Præfatione. (Notandum Contii editioni notas ex editione Democharis plures admixtas fuiſſe in editione Antuerpienſi abſque delectu: ita ut non raro inter ſe pugnantia inferantur. Nec enim eadem ſemper fuit ſententia Democharis, quæ Contii; qui Contius & longe eruditior, & ingenioſior erat.) Obſervandum præterea, quod certe etiam notavit Azo *ad tit. ne fid. juſſ. dot. dentur. Cod. in decretis non licere argumentari ex rubricis; quia ſunt ipſius Gratiani, aliter quam in Decretalibus, Dig. & Codice*. Immo adde; nec Conciliationes, quas vocat Gratianus, diſcordantium Canonum, & adnotavit de ſuo, ampliorem vim habere, quam alicujus Doctoris atque Magiſtri, non autem Legiſlatoris. Poſtremo merito Gratiani methodus improbatur a viris doctis: permixtim enim, & confuſe multa tradit. Suam vero Collectionem inſcripſit *Concordiam diſcordantium Canonum*: componere enim ſolet, & conferre plures Canones, vel re vera, vel in ſpeciem pugnantes, & eos conciliare.

Vide infra §. *Durantis*.

Prima Diviſio collectionis Gratiani ratione Forma.

Univerſum opus in tres ſummas partes diviſit, Diſtinctiones, Cauſas, & Tractatum de Conſecratione. Quæ prima diviſio plana eſt & facilis, ad exteriorem tantum operis Formam, & ad citationum uſum potiſſimum accommodata: nec habet opus longo ſermone.

Secunda, ratione materia.

Partitionem ſecundam, ratione Materiæ, pluribus declarabimus. Majoris eſt utilitatis & difficultatis: continet enim non tantum conſilium, & inſtitutum Auctoris; ſed etiam introductionem quamdam ſuppeditat ad opus univerſum, cujus per indicem nobis exhibet cognitionem. Verum ne videamur nimis ingenioſi, & anxii in alieni operis enucleanda methodo, Gratiani mentem, ex ipſius verbis, variis ex locis Decreti collectis; itemque ex annotationibus vetuſtiorum Interpretum, ita bre-

breviter indagabimus, ut pauciſſima de noſtro intermiſceamus.

Argumentum primæ partis Gratiani, in C. diſtinctiones quæ pars vulgo tractatus Ordinandorum, ſive de Ordinationibus vocatur. Tractat vero XX. primis Diſt. de Origine, auctoritate, & variis Juris Canonici ſpeciebus: Reliquis Diſt. de Clericis & eorum variis diſtinctionibus, Dignitatibus, Ordinationibus, Promotionibus, Honoribus, eorumque Officiis. Secunda Parte quæ Cauſas XXXVI. habet, conjunctim & permiſtim tractat de rebus & negotiis; criminalibus primum, & deinde Civilibus, & de Judiciorum ordine.

Diſtinctionibus viginti primis quid Gratianus tractaverit, & quid ſequentibus, uſque ad centeſimum & ultimum tractaturus ſit, aperte explicat initio *Diſt. XX. Decretis ergo Romanorum Pontificum, & ſacris Canonibus Conciliorum, Eccleſiaſtica negotia, ut ſupra monſtratum eſt, terminantur.* Viginti diſtinctiones illas explicuvimus fere, Libro ſingulari in eam rem edito, *De Origine, Arte, & Auctoritate Juris Canonici*. Subjicit Gratianus loco eodem. *Miniſtri vero Sacrorum Canonum, & Decretorum Pontificum, ſunt ſummi Pontifices, & infra Præſules, & reliqui Sacerdotes: quorum inſtitutio eſt in veteri Teſtamento inchoata; & in novo plenius conſummata, &c.* Iterum initio *Diſtinct. XXIII. Breviter quæ inter Eccleſiaſtica officia ſit differentia, monſtravimus. Nunc a ſummo Pontifice incipientes, & uſque ad ultimum gradum deſcendentes, qualiter quiſque eorum debeat ordinari, Sanctorum auctoritatibus oſtendamus.* In *Can. ult. Diſt. CI. Hactenus de electione & ordinatione Clericorum tractavimus. Nunc ad Simoniacorum ordinationes tranſeamus.* Recte itaque Gratianus, & primæ Collectionis compilator Bernardus Circa, a Diſtinctione vigeſima prima, incipere *Tractatum ordinandorum* aſſerunt, & deſinere in *Diſt. centeſima prima*. Hæc de primæ partis in diſtinctiones, diviſione.

(*) Argumentum ſecundæ Partis in triginta ſex Cauſas.

(*) Obſcurius & perplexius digeſſit Gratianus Secundam partem, quæ in Cauſas, & Quæſtiones reſolvitur. Gloſſa ſeu Interpres vetus ſupplevit, quod omiſit Gratianus initio Cauſæ primæ, his verbis: *Expedito Tractatu de Ordinationibus, promotionibus, & officiis Clericorum; accedit Gratianus ad negotia, quorum quædam ſunt civilia, quædam criminalia, in quorum perſecutione, majora minoribus præponit. Et quoniam omnia crimina reſpectu Simoniæ nihil reputantur, ut infra ead. Q. 7. patet, ideo de ea præmittit, quærens: An ſit peccatum ſpiritualia emere? &c.* In fine *Q. 7. Cauſæ primæ* ita Gratianus ipſe. *His breviter præmiſſis, ad ea veniamus, quæ Eccleſia ſeveritate diſciplinæ parata eſt ulciſci, oſtendentes quibus accuſantibus, vel teſtificantibus, quilibet ſint convincendi: quo judice quiſque debeat condemnari, vel abſolvi: ſi cauſa vitiata fuit, quo remedio poſſit ſublevari: ſi accuſatores defecerint, an reus ſit cogendus ad purgationem. Et ut facilius pateat, quod dicturi ſumus, &c.* Ita vero Gloſſa ad dict. can. ult. *Tranſitu utitur, ſcilicet colore Rhetorice, quo dicta dicendis continuat, & dicenda dictis, ſummatim dicenda perſtringens.*

Et iterum initio *Cauſæ ſecundæ: In ſuperiori Cauſa actum eſt de crimine Simoniæ: & prius de eo, quod graviſſimum eſt: ſed quia crimina ſine ordine judiciario puniri non debent; ideo congrue hanc cauſam annectit. In qua de ordine judiciario tractat, oſtendens quod nemo condemnandus eſt, niſi convictus, vel confeſſus; & quod ſpoliatus præter juris ordinem, ſit reſtituendus; & qualiter puniantur, qui in accuſatione deficiunt, qualiter objecta crimina non probata purgentur, & qualiter ſententia relevetur per appellationem; & utrum Laici admittantur ad accuſationem Clericorum, & qualiter ſit accuſatio facienda, &c.*

Occaſione rapta, interrumpit ordinem Gratianus uſque ad Cauſam undecimam.

Initio *Cauſæ ſeptimæ*, ita Gloſſa. *Supra vi. Q. 3. cap. Denique facta fuit mentio de Renunciatione Epiſcopatus: unde Gratianus nactus occaſionem ſubjicit Cauſam iſtam, in qua tractat de Renunciatione, & an prælato vivente, alius ſit ei ſubſtituendus; & de mutatione ſedis, & quibuſdam aliis, nempe in Cauſa ſeptima & octava, quæſtionibus variis exercentur prædictæ materia.*

Initio *Cauſæ nonæ*, ita Gloſſa. *Supra in octava Cauſa oſtenſum eſt de Epiſcopis, qui uſurpant ſibi eligere ſucceſſores. Nunc vero vult tractare de Epiſcopis excommunicatis, qui præſumunt Clericos ordinare, & de Archiepiſcopis, qui damnant Clericos ſui Suffraganei, inconſulto illo.*

Initio *Cauſæ decimæ*, ita Gloſſa. *In ſuperiori Cauſa dictum eſt, quod juris habet Archiepiſcopus ſuper ſuffraganeis ſuis. Nunc vero ſupponit decimam Cauſam, in qua oſtendit Gratianus, quid juris habeat Epiſcopus in Eccleſiis ſui Epiſcopatus.*

Initio *Cauſæ undecimæ*, Gloſſa. *In ſuperiori Cauſa oſtenſum eſt, quod Eccleſiæ cum omnibus ſuis poſſeſſionibus ad diſpoſitionem pertinent Epiſcoporum: ſed quia poſſet aliquis dubitare, ſub quo judice Clerici debeant conveniri; ſub Eccleſiaſtico ſcilicet, an ſub ſæculari; ideo Gratianus hanc undecimam Cauſam ſubnectit, in qua,* (primum, id eſt in Quæſtione prima) *oſtendit, Clericos ſub Eccleſiaſtico judice eſſe conveniendos.* (In 2. vero & 3. pleniſſime de ſententia excommunicationis & cenſuris agit; cum quibus Cauſam XXIV. jungere præſtabit, ut & Cauſam XXVI. in qua de reconciliatione excommunicatorum & pœnis morientium.)

Ad captum & interruptam ordinem redit.

Ab *undecima* itaque *Cauſa* redire videtur ad ordinem & formam judiciorum, quem a *Cauſa ſecunda* inchoaverat, & intermiſerat, inſertis Cauſis quatuor alio pertinentibus, *ſeptima, octava, nona, decima*.

Argumentum vero, & ſubjectum *Cauſæ duodecimæ* ita Gloſſa proponit. *In undecima Cauſa, Q. 1. can. Inclita, & can. Placuit (41. ſcilicet & 42.) Introduxit Magiſter Gratianus Clericos litigantes de rebus propriis; Sed quia poſſet dubitari, an Clerici debeant habere propria, quia prædeceſſores eorum omnia habebant communia; de quibus dicitur: Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quiſquam eorum aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant eis omnia communia: ideo ſupponit hanc duodecimam Cauſam, in qua oſtendit: An Clerici propria poſſint habere? & annectit; De alienatione rerum Eccleſiæ, & utrum liceat condere teſtamenta.*

Initio *Cauſæ decimæ tertiæ*, Gloſſa. *Supradictum fuit in duodecima Cauſa, quod quidam Clerici non debent habere propria; ſed aliquis quæreret, unde vivere debent? Oſtendit Gratianus, quod de decimis & oblationibus vivere debent. Sed quia de decimis, & oblationibus, & ſepulturis, ſæpe oritur contentio inter Clericos, & etiam Laicos: ideo ſubnectit Gratianus hanc decimam tertiam Cauſam, in qua oſtendit, quid de decimis & oblationibus, & ſepulturis obſervandum.*

Initio *Cauſæ decimæ quartæ*, Gloſſa. *Supra in proxima Cauſa Clerici introducuntur litigantes de Spiritualibus. Nunc autem ſubnectit Gratianus hanc decimam quartam Cauſam, in qua introducuntur litigantes de Temporalibus, oſtendens, qualiter Clericis liceat repetere ſua, & an domeſtici teſtes ſint admittendi, vel aſſumendi. Addit etiam de uſuris, & de turpi quæſtu Clericis interdicto, & utrum eleemoſynæ fieri poſſint de male acquiſitis.*

Inſerit tractatum. De ſtatu Monachorum, & ſeriem interrumpit.

Initio *Cauſæ decimæ quintæ. Supra in proxima Cauſa tractatum eſt de Avaritia, quæ obumbrat mentem Clericorum: ſed quia Incontinentia idem facit, ideo ſubnectit decimam quintam Cauſam, in qua de Incontinentia tractat, & de his, quæ ſunt mente alienata; & de aliis multis.*

Initio *Cauſæ decimæ ſextæ*, Gloſſa. *Magiſter hactenus de ſtatu Eccleſiarum egit, & ſæcularium Clericorum: ſed quia religione Monachorum multum decoratur ſtatus Eccleſiarum; ideo in ſuis ſequentibus Cauſis tractat de ſtatu Monaſteriorum, & Monachorum. In hac ergo prima Cauſa agit, de officio Monachorum, oſtendens, an valeant officia celebrare, & eorum Capellæ debeant per eos inſtitui? Annectit etiam generaliter de præſcriptione tam Eccleſiarum, quam Monaſteriorum; & quod nullus auctoritate ſua rem, quam ad ſe credit pertinere, valeat uſurpare. Addit etiam, quod Laici nullam habent in Eccleſiis poteſtatem.* Omittimus brevitatis cauſa, quæ in ſequentibus Cauſis, ad ſtatum Monachorum pertinentia ſpecialiter, initio ſingularum, adnotavit Gloſſa.

Redit ad Clericos.

Initio *Cauſæ vigeſimæ primæ*, Gloſſa. *Supra facta interpoſitione, in quinque Cauſis de ſtatu Monachorum, revertitur Gratianus ad tractatum de ſtatu Clericorum; continuans ſuum tractatum, ex fine ultimi capituli Cauſæ vigeſimæ, ubi dictum eſt, quod Abbas non debet habere plures Eccleſias, ſive plura Monaſteria. Sed quia idem ſervandum in Clericis, ſcilicet quod non debent habere plures*

Eccleſias; ideo hanc vigeſimam primam Cauſam ſubnectit, in qua aſtendit, quod Clerici non debeat habere plures Eccleſias, niſi in caſibus exceptis.

Initio Cauſæ vigeſimæ ſecundæ. In ſuperiori Cauſa tractatum eſt de obedientia Clericorum erga ſuos Epiſcopos: ſed quia quandoque quis jurat, ſe ſuo Prælato non obedire; ideo Gratianus hanc vigeſimam ſecundam Cauſam ſubnectit; in qua de juramento tractat, & de mendacio; & quot comites juramentum habeat.

De Hæreticis aberrat paulinlum a materia.

Initio Cauſæ vigeſimæ tertiæ. Supra tractatum eſt de Catholicis, & dictum eſt, quod non ſunt cogendi ad malum. Nunc vero ſubnectit Gratianus vigeſimam tertiam Cauſam, in qua de Hæreticis tractat, quærens an Epiſcopi Officio ſint cogendi ad bonum? Item quæritur, an militare ſit peccatum, & quod bellum debeat dici juſtum, & quod injuſtum, & an vindicta ſit inferenda, & an peccatum ſit judici malos occidere, condemnanda ſcilicet?

Initio vigeſimæ quartæ, Gloſſa. Supra in vigeſima tertia Cauſa tractatum eſt de hæreticis: ſed quia Hæreticorum quidam ſunt manifeſti, quidam occulti, & quandoque excommunicat Eccleſia hæreticos; ideo Gratianus ſubnectit hanc Cauſam vigeſimam quartam, in qua tractat de omnibus iſtis.

Novus tractatus de Privilegiis Romanæ, & aliarum Eccleſiarum.

Initio vigeſimæ quintæ, Gloſſa. Expedito tractatu Hæreticorum, ſubjicit Gratianus vigeſimam quintam Cauſam, in qua tractat de Privilegiis Romanæ Eccleſiæ. Tractatur etiam ſæpius in eadem Cauſa de Juribus & Privilegiis aliorum Eccleſiarum.

Novus Tractatus de divinationibus, reconciliatione excommunicatorum, &c.

Initio vigeſimæ ſextæ, Gloſſa, Expedito tractatu de Privilegiis, ſupponitur Cauſa vigeſima ſexta: in qua tractatur de divinationibus, & reconciliatione excommunicatorum, & de pœna morientium.

De Sacramentis, & primum de matrimonio.

Initio vigeſimæ ſeptimæ. Gratianus primo tractavit de Officiis Clericorum; ſecundo de cauſis & negotiis eorum; tertio transfert ſe ad Sacramenta; ſed quia Matrimonium cæteris Sacramentis eſt tempore antiquius, & uſu communius; ideo de illo præmittit. Sequitur deinde interpretatio Joannis prolixior, quæ continet brevem & elegantem ſynopſin totius materiæ de Matrimonio: Et quia de matrimonio ſæpe quæritur in judicio, ideo aſſignando multiplicia ejus impedimenta, tracturus de eo, continuat decem Cauſas. Hæc Joannes: de quo nota lectu digna reperitur, in Paralipomenis ſeu Auctario, ad Conradum a Liechtenau, vulgo dictum Abbatem Urſpergenſem ordinis Præmonſtratenſis, ad annum Domini 1256. Hoc tempore floruit Joannes Semeca Teutonicus Juris Doctor, qui Herculea audacia primus aggreſſus eſt gloſſare Decretum, quod ante eum nemo; & poſt eum, nullus excellentius fecit. Qui ſecutus eſt aliquot annis poſtea, circa annum Chriſti 1266. Bartholomæus Brixienſis Collector Gloſſæ Decreti, ex eo plurima ingenue profitetur ſe deſumpſiſſe, & in Notis Joannem abſolute aſcribit. Celſi vero animi, & ingenii acuti fuiſſe, ejus Notæ fidem faciunt, & quæ de eo ſubnciuntur, in dictis Paralipomenis. Hic Clementi IV. Summo Pontifici, tam per Germaniam, ſicut Galliam, decimas a Clero in redemptionem terræ ſanctæ exigenti, appellationem oppoſuit: ſed Papa excommunicavit, & Præpoſitura Halberſtatenſi privavit. Sed erant magni in Germania viri, qui Joannem defendendum non putabant. Mors vero, æquo pulſans pede pauperum tabernas, Regumque turres, hanc litem diremit, & Pontificem ac Præpoſitum e medio ſuſtulit. Joannes Andreæ cum reliquis, qui ejuſdem nominis plures ſcripſerunt in jus Canonicum, cenſet præferendum, non ex ordine, ſed ex fructu, in Præfat. Clementinarum in verbo Joannes.

Quis fuerit Joannes Teutonicus? Eidem Ant. Auguſtinus tribuit doctiſſimam ſcholiam quandam in quartam Collectionem.

Initio Cauſæ trigeſimæ tertiæ, Gloſſa. Poſt Matrimonii impedimenta expedita ſuperius, ſupponit Gratianus Cauſam trigeſimam tertiam, in qua tractat de impotentia coeundi, & de enormitate delicti, & de tempore Feriarum, & alia quædam annectit. Et iterum: Tractavit Gratianus ſupra de impedimento Matrimonii, quod procedit ex animo, & etiam de eo, quod procedit, tamen animo, quam ex corpore conjunctim. Nunc tractat in Cauſa iſta, de eo, quod procedit tantum ex corpore. Tractat etiam de quibuſdam aliis impedimentis, ut de frigidis, & maleficiatis canon. 1. & 3. & enormitate delicti, ut infra, Quæſtione ſecunda Can. de his & ſequentibus; & de tempore Feriarum, ut infra Q. 4. per totum.

Ordinis & tractationis interruptæ, ſi quis alius in Gratiano locus, hic maxime eſt obſervandus. A Cauſa vigeſima ſeptima cœperat agere de Matrimonio, cui decem Cauſas, propter materiæ utilitatem & ubertatem deſtinaverat: tamen in Cauſa trigeſima tertia Q. ſecunda, Parte 6. can. 12. deſultat. Ita enim Gratianus ante d. can. præfatur. De pœnitentibus quoque quæritur, an eis generaliter poſt pœnitentiam peractam, conjugia concedantur? Generaliter enim Canonica auctoritate, prohibentur pœnitentes ad ſæcularem militiam redire, vel Matrimonia contrahere.

Aberrat Gratianus. De Pœnitentia.

In ſequenti Quæſtione 3. primæ digreſſionis occaſione leviſſima rapta, alienum plane a propoſita materia de Pœnitentia Tractatum interſerit; cujus licet nimium longæ intercalationis, monitos voluit Gratianus. Ita enim initio d. Q. His breviter decurſis, in quibus extra negotii finem, aliquantulum evagati ſumus, (nempe in 2. Quæſt. d. Cauſ. XXXIII. incidentes tantum quæſtiones, & propoſito non plane cohærentes, tractaverat; maxime vero a capite 12. d. Q. 2. ubi 6. pars de Pœnitentibus) ad propoſitæ Cauſæ tertiam Quæſtionem pertractandam, qua quæritur: Utrum ſola cordis contritione, & ſecreta ſatisfactione, abſque oris confeſſione, quiſque poſſit Deo ſatisfacere, redeamus? Ita enim uno ductu in MSS. Gratiani exemplaribus, remota diſtinctionum nota, legi, aſſeruit Contius, & poſt Contium, Romani Correctores, his verbis: Initio dict. Q. 3. Gratianus, ad explicandam hanc tertiam Quæſtionem, multa attulit; quam per longam tractationem, qui eum ſecuti ſunt, in ſeptem Diſtinctiones diviſerunt. In antiquioribus enim exemplaribus, nulla eſt Diſtinctionum ſeparatio: in aliquibus vero in margine tantum eſt, Diſtinctio prima, ſecunda, &c. & iterum ad hæc verba: Utrum ſola. Hæc conjungenda ſunt cum ſuperioribus, quemadmodum in vetuſtis ſunt conjuncta: ab illis enim pendent.

Gratianus non tanquam erro, ſed plane fugitivos, poſt longas moras & evagationes de Pœnitentia, joco, an ſerio inſertas, quia Matrimonium aliquando comes ſequitur Pœnitentia, redit ad materiam de Matrimonio, in Quæſt. 4. d. Cauſæ XXXIII. uſque ad Cauſam XXXVI. in qua deſinit ſecunda Pars Collectionis Gratiani.

Tertia Pars & ultima ſupereſt, quæ breviſſima: huic titulus, De Conſecratione. In cujus initio, Gloſſa. Expleto tractatu Matrimonii, quod eſt commune omnium Nationum, expeditis etiam variis Cauſarum conflictibus; agitur de Sacramentis, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, & hoc ordine. Primo, De Eccleſiarum conſecratione. Secundo, De Sacramento Euchariſtiæ. Tertio, De ſolemnitatibus Feſtivitatum. Quarto, De Sacramento Baptiſmi. Quinto, De Confirmatione, & divinis Officiis, & Jejuniis; & in fine, de Spiritu ſancto: & ſic Tractatus iſte in quinque Diſtinctiones eſt diſtinctus. Et notandum, quod cum in aliis Tractatibus Magiſter interſeruit ſuos §§. & ſolutiones, in hoc Tractatu non niſi duos ponit §§. unum in prima (nempe in fine can. 50.) alium in quarta Diſtinctione, nempe in fine can. 19. & 20. Hoc ideo, quia de Sacramentis ſobrie eſt loquendum, in quibus etiam vera loqui, periculoſum eſt.

Ordinem ſupra expoſitum ratione materiæ, ipſe Gratianus, & primæ Collectionis, qui floruit paullo poſt Gratianum, Collector, itemque vetuſtiſſimi Gratiani ſequuntur Interpretes; Ipſe Gratianus, ad can. 6. Neceſſaria Cauſa 1. Q. 7. §. Priſcis igitur. Require ſupra in Tractatu Ordinandorum, intelligit canon. 1. Diſt. LV. & poſt can. 48. VII. Q. 1. Tu bonus tolera malum, &c. Infra de tolerandis

malis

malit in prima Cauſa hæreticorum, indicat *can.* 2. *Cauſa XXIII. Q.* 4. Gratianus ad *can.* 19. *de Conſecrat. Diſt. IV. Diaconos quoque propriam, ut ſupra, in Tractatu Ordinandorum*, indicat *can.* 13. *Diſt. XIX.* Iterum ad *cap.* 20. *de Conſecr. Diſt. IV.* Gratianus. *Unde Urbanus Papa II. ſuper quibus conſuluit, &c. ut ſupra in Tractatu conjugii, ubi de Compatribus agitur*, indicat *can. ſuper quibus* 4. *Cauſa XXX. Q.* 3. In *prima Collect. Decretal. in fine cap. 9. de electione. Illud autem, quod de Epiſcopi conſecratione*, indicat *can.* 1. *Diſt. LXVI.* quod & præſtantiſſimus Antonius Auguſtinus ad eum locum adnotavit. Plura quiſque per ſe poterit exempla perquirere, digitum ad fontem intendiſſe ſufficit.

Quæ de perplexa & ſæpius interrupta Gratiani methodo, prolixius & accuratius diſſeruimus, depromta ſunt ex variis obſervationibus, quas diverſis temporibus, in uſus privatos ſedulo adnotaveramus; in præſenti publici juris facimus, in commodum ſtudioſorum. Juvabit tamen meminiſſe Gratianum, Magiſtri, Doctoris, & Interpretis tantum, nomen & dignitatem, & apud veteres, & apud recentiores obtinere. Stephanus Epiſcopus Tornacenſis, qui ſub Alexandro III. floruit, *Magnum Canonum Interpretem appellat, in Epiſtola* 1. Gloſſa, & veteres Interpretes, Magiſtrum, & tanquam in Magiſtri verba non addicti jurare, nonnunquam ab eo recedunt, & ejus ſolutiones improbant; quas Canonibus, tanquam emblemata quædam interſerit: negant vero alicujus ſummi Pontificis auctoritate, Collectionem Gratiani fuiſſe confirmatam, ſicut monuimus ſupra. Præſtabit trium, ſummæ dignationis & eruditionis Interpretum Juris Canonici, Durantis, vulgo Speculatoris, Joannis Andreæ, & Panormitani, de Gratiano ſententias, ex ipſorum ore, & verbis referre.

Durandus proprie dictus non eſt Speculator, ſed Guilelmus Durantes.

Durantes *lib. 2. Speculi, partic. 2. de diſput. & allegat.* in fine, ait, Rubricas Juris Civilis, & Decretalium, eſſe authenticas, & jus facere. *Secus autem eſt in Rubricis Decretorum: tum quia alius fuit Conditor Decretorum, & alius earum; tum quia illæ quandoque falſæ reperiuntur; &c.* Idem, ante Durantem, Azonem adnotaſſe, ſupra notavimus. *Joannes Andreæ* etiam ad citatum Durantis locum obſervavit, & plenius explicat ad *cap. 2. de Reſcriptis extra*, in hæc verba ultima Gloſſæ pen. *Et in prædictis juribus contraria loquuntur ſecundum leges, ſecus ſecundum canones.* Et ibi, *ſecundum leges. Ergo Canonizatio, non facit eam*, legem, *valere in foro Canonico, ex quo canoni contraria reperitur, & eſt ſimile, &c. Sit ratio, quia Gratianus, ponendo legem in volumine Decretorum, canonem illi contrarium tollere, vel corrigere non potuit. Non obſtat, ſi dicis Librum Decretorum fuiſſe per Papam approbatum, quia nec hoc conſtat. Et dato quod conſtaret; approbatio fuit, quoad Compilationem, non quoad dicta Gratiani, quæ quotidie reprobamus. Et idem in Libros Sententiarum, de quo vide, quid dicam. De Bigamis, Debitum, ſuper verbo, Cognitam. Non obſtat, quod notatur Secunda Q. 1. In primis verbis, De Perſona Januarii, in Gloſſa ſecunda: quia ibi lex canonizata eſt, id eſt, in Corpore Canonis per Papam inſerta, non per Gratianum ſimpliciter, in volumine Decretorum. Item illa non eſt contraria canoni, ſed legi. Eſt ſimile, quod dicam de Libro uſus Feudorum: infra De Feudis, cap. 2.* Hactenus Joannes Andreæ doctiſſime. Panormitanus eum ſequitur in Proœmio Decretalium. *Et Concluſio eſt, quod, aut quæritur de Rubricis Decretorum; & in illis non eſt licita argumentatio, quia non ſunt authenticæ; tum quia non fuerunt editæ a Magiſtro Gratiano*, (in quo tamen fallitur: nam pleraſque edidit Gratianus; immo & illas tanquam ſuas allegat aliquando, ut ſupra probavimus) *ſed a quodam alio* (quod in aliquibus tantum locis verum eſſe ſupra probavimus), *tum quia aliquæ reperiuntur falſæ, & corruptæ, ut dicit Gloſſa, in can. Charta III. Q. 9. quam nota. Et ſic excepta prima Rubrica, quæ eſt authentica, ſecundum Speculatorem, & Joannem Andreæ, ibidem. Sed non video, unde ſumant auctoritatem: quia non apparet, quod etiam ipſum volumen Decreti fuerit approbatum, ut notat Joannes Andreæ in cap. 2. De Reſcript. & patet etiam ex ipſius inſpectione Decreti, ubi nec in principio, nec in fine dicitur, quod fuerit approbatum. Item Rubrica prima Decreti non loquitur diſpoſitive, ſed tantum fuit poſita ad Declarationem Libri. Fateor bene, quod illa Rubrica declarat finalem intentionem illius Compilationis: unde potius debet dici vera, quam authentica.* Et recte Panormitanus. Quare æquum eſt benignos Lectores cognoſcere, atque ignoſcere, quæ veteres factitarunt, ſi faciunt novi; & nobis condonare, ubi cum ratione a Gratiano recedimus. Poſtremo, nec adhuc pœnitet, ſummi viri Antonii Auguſtini judicium de Gratiano nos eſſe ſecutos: in qua ſententia pertendimus, quam plenius explicavimus alias; potiſſimum in oratione habita publice, *De recta Juris Canonici docendi & diſcendi ratione*. Breviter in eam conjecimus, quæ maxime in Gratiani Collectione cavenda exiſtimamus: ideoque ne quid deſit, in fine Tractatuum noſtrorum iterum curavimus excudi.

Decretales autem edebantur olim Cardinalium aſſenſu: ſed hodie eorum aſſenſus non cenſetur neceſſarius. Marca *lib. 1. de Concordia cap. 9. §. 7.* & 8. Nicolaus de Cuſa, *lib. 2. cap. 18.* & 21. Immo de majoribus Cauſis ſententiam proferre S. Pontifex non debet niſi adhibitis Cardinalibus, Oſtienſis *ad cap. ſicut, nuntro, de exceſ. Prælat. & ad cap. 2. de Clericis non reſid.* & Jo. Monachi ad *c. ſuper eum 4 de hæret. in 6.*

(*) *Decretales Greg. IX. ex quot & quibus Collectionibus, & Conſtitutionibus ſint compoſitæ.* Gregorius circa ann. 1227. floruit.

(*) Ad Collectionem Decretalium Gregorii IX. devenimus. Sicut enim Juſtinianus a Triboniano Codicem componi curavit ex tribus Codd. antiquis, Gregoriano, Hermogeniano, Theodoſiano, & ex aliorum Imperatorum Novellis Conſtitutionibus, quæ poſt tres illos Codd. fuerunt editæ, & ex propriis præterea, quas plurimas poſtea promulgarat: Ita etiam Gregorius IX. ex Collectionibus quinque præcedentibus, de quibus ſigillatim dicemus, hanc poſtremam abſolvi curavit a Raymundo a Penna forti. Cui Collectioni multas Conſtitutiones addidit ipſe Gregorius, vel emergentibus novis negotiis, vel proprio motu, pleraſque ex Jure Civili petitas. *Sane diverſas Conſtitutiones, & Decretales Epiſtolas noſtrorum Prædeceſſorum, &c.* Quæ ut intelligantur, obſervandus ordo Antiquarum Collectionum Decretalium.

De prima Collectione.

Prima paulo poſt Decretum Gratiani compoſita eſt a Bernardo Papienſi Præpoſito, quam ipſe *Breviarium extravagantium* appellat; *quod de veteri Jure & novo compilaſſe*, in *Præfatione* profitetur, ordinem fere Juſtin. Codicis ſecutus. Supplementum itaque quoddam Gratiani videtur hæc Collectio; ideoque ad Gratianam Collector aliquando nos remittit, ut *in cap. 9. de Elect. & Elect. poteſt. in fin. in prima Collect.* ad quem locum vide Notas doctiſſimi Auguſtini, & ad verba Præfationis, *De veteri novoque Jure*. Vel enim ex antiquis Conciliis & Patribus addidit quædam Bernardus, a Gratiano omiſſa; vel novas Pontificum Conſtitutiones, nempe poſt Gratianum editas, inſeruit. Quare *Extravagantium* Liber appellatur; quia extra Decretum Gratiani hujuſmodi ſcripta, & Conſtitutiones vagabantur. Eademque forma reſpectu Gratiani, poſſunt vocari Extravagantes, reliquæ omnes Collectiones, tam antiquæ; quas vulgo appellamus, quam noſtræ: immo & Sextus Bonifacii, & Clementinæ, & reliquæ, ut recte notavit *Cujacius ad cap. 4. extra de Sponſalibus*. Et quidem recte. Nam omnes illæ Collectiones, ſunt quædam Supplementa, & Continuationes Gratiani.

Alexander III. ſedit annis 22. Lucius III. annis 4. tantum, obiit ann. 1185. menſe Novembri.

Primæ autem Collectionis Decretales noviſſimæ Alexandrum, & Lucium III. Auctores præcipuos habent (& alios uſque ad Cœleſtinum III.), Antiquiores pauciſſimæ. Verum primæ hujus Collectionis propoſitum, & Methodus, apertius explicari non poteſt, quam ex *Nota* veteris Interpretis *Collectionis primæ*, cujus partem tantum doctiſſimus Auguſtinus exſcripſit, & Vincentio Hiſpano tribuit. Integram repræſentamus ex Tancredi *Gloſſis in Collectionem primam*, MS. exemplar nacti, beneficio doctiſſimi viri *Claudii Menardi Juliomagi Andium Proprætoris. Quia non omnia poterant in Decretorum corpore comprehendi, ut Diſt. XIX. Si Romanorum; ideo Magiſter B. Papienſis Præpoſitus hoc opus compilavit; cujus intentio eſt, diverſa extravagantia Romanorum Pontificum, & auctoritates Novi & Veteris Teſtamenti compilare ſub titulis. Materia ſunt ipſæ Conſtitutiones, ſeu Decretales. Utilitas, ut ſciamus diſcernere inter æquum & iniquum. Modus agendi talis eſt. Divi-*

ditur opus in quinque partes. In prima, Tractat de Conſtitutionibus, & Reſcriptis, & Judicibus, & eorum Officiis. In ſecunda de Judiciis & cooperantibus ad judicia, ſcilicet teſtibus, inſtrumentis. In tertia, de vita & honeſtate Clericorum, & rebus eorum. In quarta, de ſponſalibus, & Matrimonio, & impedimentis eorum. In quinta, de accuſationibus Clericorum, & criminibus & pœnis eorum.

De Secunda, Quæ 1 a. aun. poſt primam facta eſt. In ea quædam ſolent admiſceri ex Conciliis, & Patribus, de veteri Jure, ſic ut & in prima Collectione ad Supplement. Gratiani. Continet itaque Conſtitutiones Alexandri III. & ſeqq. Pontificum, potiſſimum vero Cœleſtini III. qui anno 1198. obiit menſe Januario.

Secunda Collectio ter a tribus confecta eſt Gilberto, Alano, & Joanne Vallenſi. Prævaluit tamen ea, quam ex duabus Prioribus Vallenſis compoſuit, ex ruinis, ut ait Tancredus, duarum Collectionum Gilberti & Alani, quæ interciderunt. Suſpicatur doctiſſimus Auguſtinus eam eſſe Alani, quæ in Conciliorum editionibus vulgo ſubjicitur, ſine nomine Auctoris, poſt Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. Hæc itaque (ipſa eſt) quæ ſecundæ Collectionis nomen obtinuit; quamvis aliquando vetuſtiſſimi Interpretes meminerit Extravagantium Alani, ut notat Auguſtinus, in *Notis primæ Collectionis ad cap. 53. tit. 1. lib. 3.* quia vel aliquid diverſum, vel plenius in ea continebatur.

(*) *De Tertia.*

(*) Tertiam Collectionem ex Regiſtris Innocentii III. Bernardus Compoſtellanus fecerat, quæ non recepta. Itaque tres illæ privata auctoritate, a privatis Magiſtris compoſitæ fuerunt. Primos Innocentius III. aliam, *quam vocamus Tertiam*, confici juſſit, & auctoritate publica munivit: quæ ſine ſcrupulo, tam in judiciis, quam in Scholis reciperetur. Compoſita eſt ex Libris duodecim Regiſtrorum Innocentii III. in qua conficienda, opera Petri Beneventani Diaconi & Notarii ſui uſus eſt (anno 12. Pontificatus ſui,) ut conſtat ex *Præfatione dictæ tertiæ Collectionis*, quæ Confirmationem continet. Meminit etiam hujus Collectionis *Chronicon Uſpergenſe*, & Tancredus in optimo fragmento, edito a doctiſſimo Boſqueto in *Notis ad Regiſtrum Innocentii III.* pagin. 48. Hanc tertiam Collectionem Gloſſa *in cap. 18. de Præbendis & Dig.* in verbo, *Confirmationem*, vocat abſolute, *Innocentii Compilationem*; ex qua citat *cap. 1. de re judic.* quod reperitur eodem ordine *in tertia Collectione*. Notandum præterea, dubiæ & incertæ eſſe fidei primam & ſecundam Collectionem. Hoc amplius Tancredus notat quaſdam falſas eſſe inſertas Decretales, quæ in Regiſtris non extant. Junge Tancredi notam, quam ſubjecit Auguſtinus, in fine *Notarum primæ Collectionis*. Idipſum *Præfatio* tertiæ Collectionis ſubindicat. Quaſdam tamen ex his, quæ falſæ dicuntur a Tancredo, in Decretales Gregorii IX. irrepſiſſe aliquando probabimus; ſicut & præpoſtere *cap. 14. De Renunciat.* tribuitur Honorio, cum ſit Gregorii IX. & contra *cap. 15. De tempor. ordinat.* tribuitur Honorio, cum ſit *Innocentii III.* Extat integrum *in Lib. 13. Regiſtri Innoc. III. Epiſtola* 194. Habet enim ſuos nævos poſtrema Collectio Decretalium. Aliquos in ſequentibus Tractatibus indicabimus; ſed facile utilium multitudine compenſabuntur.

De Quarta Collectione.

Quartam Collectionem idem *Innoc. III.* ex Concilii Generalis Lateranenſis Canonibus, & ſequentibus Libris Regiſtri poſt duodecimum colligi curavit; cujus opera, non liquet: nec enim Tancredus, in *frag. ſupra citato*, ait, *ſe confeciſſe Collectionem quartam, ſed tantum in Gloſſis tertiæ Collectionis, quas ſcribere parabat, promittit ſe adnotaturum, ſi quid poſt annum duodecimum Innoc. III.* id eſt poſt Collectionem tertiam, *immutatum fuit, vel ab ipſo Innocentio, vel a Concilio Generali Lateranenſi*. Tertia vero, & quarta Collectio Innocentii ſolius Conſtitutiones continent. Hæ quatuor Collectiones antiquæ, editæ ſunt ab Auguſtino; quibus manuſcriptis ante Auguſtinus Contius uſus fuerat.

De Quinta Collectione. Sedit Honorius X. annis & VIII. menſibus, & mortuus eſt anno 1227. menſe Apr. Nuper Toloſæ edita eſt ab Innoc. Cironio.

Quinta Collectio promulgata eſt auctoritate *Honorii III. & de ipſius Conſtitutionibus tantum*, ut ipſe loquitur in *Epiſtola ad Tancredum in quintæ Collectionis principio*, auctore Contio *in Decretalium Præfatione*. Confirmatur auctoritate *Joannis Andreæ*, initio *Commentarii ad Decretales Greg. IX.* (*) Collectio quinta nondum eſt edita, quam tamen manuſcriptam Contius habuit; ex qua quædam adſcripſit ad Decretales Honorii, quæ repetita ſunt, in noviſſima Pariſienſi editione Decretalium. (Bernardum ea etiam uſum fuiſſe conſtat ex ſpecie, quam proponit ad *cap. penult. de ord. cognit. & cap. ult. de Cauſa poſſeſſ. & propriet.*) Panormitanus quoque, eam habuit, & Dominus Cujacius, ut conſtat ex Notatis ab eo ad *cap. 63. de Appellation. & ad titul. de frigid. & malefic.*

Nec obſtat, quod Oſtienſis in *Summa Decretalium*, numeret octo Collectiones, quæ Gregorianam præceſſerunt. Si enim Gilberti, & Alani, & Bernardi Compoſtellani, tres, quæ non obtiouerunt, quinque reliquis addiderimus; Octo Collectionum numerus colligetur.

De Collectione Gregorii IX. quam ſolemus in Scholis prælegere. Sedit an. 14. obiit vero an. 1241.

Ex Conſtitutionibus, quæ in illis quinque Collectionibus continebantur, vel ex aliis, quæ omiſſæ erant a Collectoribus, & extra eas vagabaotur, vel quæ poſtea editæ fuerunt, ab ipſo Gregorio IX. Succeſſore Honorii III. hæc noſtra Collectio Decretalium compoſita eſt. Quod in Præfatione ſatis explicatur, cui tantum Matthæi Paridis auctoritatem, in Henrico III. addemus. *His quoque temporibus, Gregorius Papa IX. videns Decretalium tædioſam prolixitatem, ſub quodam compendio eas eleganter abbreviatas, & collectas ſolemniter, & authentice; per totius mundi latitudinem legi præcepit, & divulgavit.* (*Illas autem ab auctore ipſarum Gregorianas appellamus, ſic incipientes:* Rex pacificus, &c. *In quibus quædam innovavit, ut ſcilicet illegitimi Prælatias vel Eccleſiaſtica beneficia, niſi adepta a Sede Romana legitimationis diſpenſatione obtineant: ſciens inde Curiæ Romanæ pro impetratione tali multa emolumenta provenire, ſicut ex ſtatuto Innocentii pro diſpenſatione plurium Beneficiorum obtinendorum.* Intelligit vero *cap. ult. Extra de filiis Presbyterorum & cap. multa de Præbendis*.) Uſus eſt autem opera Raymundi a Penna forti ſui Capellani, ut ex *Præfatione* conſtat, ſcripta anno Chriſti 1230. Martinus Polonus, qui & Innocentii III. & Honorii compilationem meminit, ita de Gregoriana loquitur. *Hic Papa, per Fratrem Raymundum Ordinis Prædicatorum, Pœnitentiarium, & Capellanum, ex pluribus Voluminibus Decretalium compilavit unum volumen, mandans ubique Doctoribus illo uti.* Quæritur tamen, cur Raymundus retinuerit plerumque principia & prima verba ſingulorum capitum antiquarum Collectionum; quamvis ſenſum non perficiant: & ipſe Raymundus in Præfatione ſignificaverat ſe ſuperflua & inutilia reſecaſſe? Joannes Andreæ ad *cap. Nobis fuit De Jure Patronat.* apte reſpondet: *Quare non incepit Compilator hic Decretalium, deciſo verbo, Nobis fuit, ſicut ſupra de appellat. infra de ſentent. excomm. Inquiſitioni. Dic ad hoc & ſimile: illud principium reſervatum propter contemporaneos hujus Compilationis, qui prius ſtuduerant, & propter Gloſſas antiquas, allegantes hæc principia. Unde ſi, quod abſit, hodie mutaretur Gregoriana Compilatio, magna eſſet noſtra confuſio, mutare principia Decretalium. Factum ergo, ut remaneret in his notitia, nec turbaretur memoria: & ſic non obſtat Proœmia, ibi, reſecatis ſuperfluis.* Hodie vero editis quatuor Collectionibus, utilitas Principiorum magis apparet. Anti-

(*) Nondum quidem edita erat *quinta Collectio Decretalium*, dum hæc ſcribebat V. C. At eam primus edidit *Innocentius Cironius*, cancellarius academiæ Toloſanæ; Toloſæ anno 1645 fol. Fallitur ergo eruditiſſimus Fontaninus, qui in præfatione ad Gratiani Decretum per J. a Turrecremata digeſtum, num. VII. ſcribit, eas omnes quinque Collectiones *Gregorio XIII. nuncupatas, una ediðiſſe præſulem* Tarraconenſem. Ilerdæ A. D. 1576. Et id quidem evinxit prioris editionis inſcriptio, quæ ſic ſe habet: *Tres antiquæ Collectiones Decretalium, cum notis A. Auguſtini ad primam. Accedit quarta Collectio Decretalium cum ſcholiis Joannis Tentenaci.* Ilerdæ 1576, fol.

Utilitas quæ ex veteribus Collectionibus percipitur.

Antiquarum itaque Collectionum enumerationem facere neceſſarium viſum eſt. Conſtitutiones enim integriores reperiuntur in illis. Nam licat Raymundus dicat: *Ex his ſuperflue ſe reſecaſſe* tantum; recte *tamen* Gloſſa & reliqui accurati Interpretes ac novi, conqueruntur utilia multa reſecuiſſe: immo aliquot utiles Conſtitutiones prætermiſiſſe. Origines itaque, & fontes Decretalium ſingularum juvabit inquirere ex antiquis Collectionibus; quod Contius inchoavit primum in editione Antuerpienſi; adnotatis etiam quibuſdam, ut diximus, ex quinta Collectione manuſcripta. In Romana vero editione idem, Franciſcus Pegna vir doctiſſimus, unus ex ſelectis Correctoribus Romanis præſtitit accuratius, & adnotavit initio cujuſque Decretalis: de quo ſic Antonius Auguſtinus in *Indice ſelectorum Virorum*, qui Gratiani emendationi præfecti ſunt a Pio IV. & V. *In Notis ad cap. 20. lib. 1. Dialogorum, de emendat. Gratiani in fine. Franciſcus Pegna Hiſpanus, cujus ſunt Additiones Decretalium, ſine nomine; quia Templum Dianæ incendiſſe viſus eſt.* Doleo tamen & moneo, nec abs re, unicum Gallum Arnaldum Pontacum, & ſero, adhibitum. Reliqui omnes fuerunt, aut Itali, aut Hiſpani. Quinta tamen Collectione Honorii non eſt uſus Pegna. Quare ſingularia ſunt, quæ ex ea Contius adnotavit. Neque tamen, vel Contius, vel Pegna, omnes origines indicaverunt Decretalium editarum ante Gregorium IX. Suppleri poſſunt ex *Libris Regiſtrorum Innocentii* poſtea editis, & aliis Scriptoribus. Nam ad Regiſtrorum litteram recurrere debemus, ut vel emendetur Decretalis, vel ejus auctoritas probetur, ut ex Tancredo notavimus ſupra. Quam viam etiam monſtrat Innocentius IV. *in Præfatione Apparatus ſui in Decretales.*

De Sexta Collectione. Poſt Gregorium IX. ſedit Cæleſtinus IV. anno uno & 8. menſibus. Poſt Cæleſtinum ſedit Innocentius IV. Genuenſis annis 11. & 6. menſibus, qui in Synodo Lugdunenſi excommunicavit Fridericum II. Obiit anno 1254. Bonifacius vero VIII. ſedit annos 8. obiit anno 1294.

Collectionis Gregorii IX. quæ quinque Libris conſtat, addidit ſuam Bonifacius VIII. quam ideo ſextum Librum nuncupavit. Continet ſelectas Conſtitutiones tam ipſius Gregorii IX. (de cujus extravagantibus videndus Cujacius ad *cap. penult. & ult. de teſtibus*,) quam aliorum ſequentium. In qua Collectione prævalent Conſtitutiones Innocentii IV. & Gregorii X. & ipſius Bonifacii: (quia ſub eorum Pontificatu duo generalia Lugdunenſia Concilia habita ſunt. Ante tamen Bonifacium VIII. Innocentius IV. Collectionem Decretalium ediderat & promulgaverat, in quam ſcripſit Oſtienſis: quæ appellabatur *extravagantes* Innocentii IV. cujus omnes fere Decretales Bonifacius VIII. in Sextum retulit.)

Sic de Sexto Martinus Polonus. *Anno Domini 1297. Bonifatius Sextum Librum Decretalium, quem fieri juſſerat, publicavit.* Adde omnino, quæ Joannes Andreæ in fine *Commentarii Regularum Sexti*, ad hæc verba: *Datum Romæ.*

De Collectione Clementinarum.

Sequuntur Clementinæ, quas Clemens partim ex Canonibus Concilii Viennenſis, partim ex propriis Conſtitutionibus confici curaverat, tamen morte præventus non publicavit. De qua Collectione ita Martinus Polonus in *ejus vita*, & Auctor *ejus vitæ* nuper editus. *Anno 1312. die 12. Kalend. Aprilis in Caſtro de Montiliis*, (Monteaux,) *juxta Carpentoractum, ubi Curia tunc morabatur, Papa fecit publicari coram ſe in Conſiſtorio Conſtitutiones, quas prius fecerat ordinari, ex quibus decreverat Septimum Librum Decretalium fieri; & exinde cœpit ægrotare. Et ſic Conſtitutiones illæ per quadriennium remanſerunt ſuſpenſæ, nec expoſitæ ad communiter habendum, nec ad ſtudia generalia, ut moris eſt, deſtinatæ; donec poſtmodum anno Domini 1317. menſe Novembri, per Succeſſorem ejus Joannem fuerunt publicatæ, & ſub Bulla ad Studia Generalia directæ.* Pleniſſime ea de re Gloſſa Clementinarum, in *in illa præfationis verba:* Uſuri de cætero in judiciis & Scholis. Placuit ex illa Gloſſa, quædam verbatim referre, pertinentia ad Canones, quos ex Viennenſi Concilio, in Clementinas retulit Clemens V. ſub quo Viennenſe Concilium fuit celebratum. *Circa hoc ſciendum, quod Conſtitutiones Concilii licet non omnes fuerint in Concilio publicatæ, tamen poſtea de facto fuerunt publicatæ, & ipſarum habita copia, & jam habebatur, quod ligarent. Et quia patuit aliquas ex illis inepte, aliquas prolixe, aliquas defective compoſitas, aliquas etiam non expedire: voluit Clemens, quod compoſitio illa procederet; ſed ut fertur, ſub excommunicationis pœna mandavit, quod illas habentes, infra certos dies, reſtituerent Cameræ, vel incenderent, vel dilacerarent etiam eaſdem. Demum per peritiores fecit illas recenſeri, qui aliquas & paucas in totum reſervaverant, aliquas in totum reſecarunt, aliquas mutaverunt quoad verba, mente ſervata; in aliquibus menti & verbis detraxerunt, & addiderunt. Et has, licet non ſub his verbis in Concilio publicatæ fuiſſent, voluit ſub nomine Concilii reſervari, & multas Conſtitutiones utiles addens, de quibus non fuerat in Concilio tractatum, &c.* Vide omnino locum integrum. Auctor hujus Notæ Joannes Andreæ, qui in *Clementinas* ſcripſit ex profeſſo. Adi eumdem in prima verba *Præfationis Clement. Quoniam nulla*; & junge, quæ idem accurate ſcripſit ad *Præfationem Sexti*; potiſſimum ad ea verba: *Earumque Auctoribus dubitatur*; & ſequentia; *Abbreviatis, In toto, Mutatis, Correctionibus, Detractionibus, Additionibus, Vidimus.* Ex quibus colligere poſſumus, quantum ſibi Summi Pontifices vindicent, non tantum in ſuorum Deceſſorum Conſtitutionibus, ſed etiam in Conciliorum Canonibus, Collectionibus Decretalium inferendis: idem nempe Jus, quod Juſtinianus in veterum Juriſconſultorum Libris, & Anteriorum Imperatorum Conſtitutionibus. Hoc feliciores Juris canonici ſtudioſi, quod fontes & origines Juris canonici veteris & novi, fere omnes, cum cura & ſolertia, non ſine ſumptu & labore tamen, deprehendere & ſcrutari valeant. Juri Civilis ſtudioſis, tam beatis eſſe non licet.

De Extravagantibus Joannis, & de Extravagantibus communibus.

Collectæ poſtea fuerunt a privatis Collectoribus, Conſtitutiones XX. a Joanne Papa editæ; & Extravagantes quædam communes, nempe a diverſis Pontificibus, qui vel ante Joannem XXII. vel poſtea vixerunt, compoſitæ. Extravagantes vero, tam Joannis, quam communes, ſicut & reliquæ Conſtitutiones Pontificum ſequentium, licet a privatis Collectoribus collectæ, tamen habent vim & robur in Judiciis, ſi fides eis adſtruatur, vel ex Regiſtris, vel ex Plumbo, & ſigilli forma: qua de re vide (*cap. 8. Extra de fide inſtrum.* & ibi Interpretes, ubi nota ex *antiqua* hæc verba: *De quibus nec per Bullam conſtitit, nec ipſæ per Metropoles fuerunt inſinuatæ.*) Adde *Præfationem Extravagantium Joannis*, ſcriptam a Franciſco de Pavinis; ubi de *Regulis Cancellariæ, & Deciſionibus Rotæ*: Quibus junge doctiſſimum *Tractatum* Franciſci Pegnæ, *de Extravagantibus, in fine Directorii Inquiſitorum.*

Obſervatum ad Sextum Bonifacii, quam ad omnes Decretales.

In Gallia notandum, Sextum Bonifacii non habere eamdem vim, atque reliquas Compilationes, propter graves inimicitias, quæ inter Bonifacium & Philippum interceſſerunt: quod & obſervavit Gloſſa ad *cap. 16. de Electione in VI.* Ita ſecundum aliquos, Conſtitutiones iſtius Compilationis non ſunt receptæ in hoc Regno. Quæ verbo Gloſſæ & alia quædam ad Regum noſtrorum Regalia pertinentia, Romanos Correctores deleviſſe, quidam viri docti fruſtra ſuſpicantur. Nam & in editione Molinæi deſiderantur; quæ profecto non omiſiſſet. Veroſimilius eſt ab aliquo Galliæ Doctore, Gloſſis fuiſſe inſerta. Quinimo Decretalium nullæ Collectiones publica auctoritate, in Gallia receptæ fuerunt; & notandum, quod ait Molinæus, in *Commentario ad Edictum Henrici II. contra parvas datas, Gloſſa 15. in 1209.* extare in Regiſtris Regiis (ſub Philippo Auguſto) conſilium, ab Eudone Burgundiæ Duce Regi datum, *ne novas permitteret illas Conſtitutiones Paparum, in Regno ſuo admitti.* Et certum eſt nullo modo admitti, in his, quæ ad Juriſdictionem ſæcularem pertinent. Imo nec per omnia in ſpiritualibus, ſi adverſentur Libertatibus & Juribus Eccleſiæ Gallicanæ.

Cur ergo, inquies, leguntur in Scholis? Solve ex iis, quæ diximus ex Philippo Pulchro in fine *Diſſertationis præcedentis.*

Quod mirum non eſt, cum & Curia Romana non recipiat omnes Decretales; quamvis publicis Collectionibus contineantur. Quæ vero extra Collectiones publicas vagantur, & ab anterioribus Pontificibus ſunt editæ, nullam vim & robur habent in Judiciis, Bonifacius in *Præfatione ſua in VI.* ſub finem. Editæ tantum Conſtitutiones poſt publicas

De hujuſmodi Conſilio plenius Illuſt. Marca *lib. 4. de Concordia, c. 15.*

blicas

Extat tomo 2. libertatum Eccleſiæ Gallicanæ.

blicas Collectiones valent, dummodo de earum fide & publicatione conſtet, Joannes Andreas in *Notis ad dictam Præfationem*. Quo pertinent, quæ ſupra de Extravagantibus diximus: (quibus ad *cap. 8. de fide Inſtrumentorum*.) Nec apud nos valent, niſi publica auctoritate, vel uſu receptæ fuerint; ſicut de quibuſdam Regulis Cancellariæ notum, (quæ uſu & moribus noſtris comprobatæ ſunt.)

Decretalium Methodus.

In Decretalibus autem componendis eam methodum eſt ſecutus Raymundus, quam in antiquis Collectionibus ſervatam deprehenderat. Nempe Decretalium Collectores Codicis Juſtinianæi artem ſecuti ſunt. Statim enim, poſt *tit. de Summa Trinitate*, qui eſt Primus, partes & ſpecies Juris Canonici, ſcripti & non ſcripti, tribus titulis explicantur, de *Conſtitutionibus*, *de Reſcriptis*, & de *Conſuetudine*. A quinto vero titulo, uſque ad *tit. de Pactis*, de Conditione, Qualitate Clericorum, Ordinationibus, Electionibus, & Dignitatibus tractatur; & pars illa prima, de Perſonis appellari poteſt. A *tit. de Pactis*, uſque ad finem Libri Secundi, tractatur, pleniſſime de Judiciis Civilibus A inſtituendis, inſtruendis, & perficiendis: ex qua parte, recte viri docti obſervant, praxim fere omnem fluxiſſe. In Tertio, & Quarto Libro, de Rebus Eccleſiaſticis agitur, tam Spiritualibus, qualia ſunt Sacramenta, quam de Temporalibus, verbi gratia, de bonis Eccleſiaſtiacis, Contractibus, Teſtamentis. Itemque de mixtis, de Præbendis, atque Dignitatibus, Jure Patronatus, & reliquis. Quia tamen Beneficia Eccleſiaſtica, & bona, non in perſonæ gratiam conferuntur, ſed propter officium confertur beneficium, ut vulgo dicitur: Clerici enim, Divino cultui, miniſteria Religionis debent impendere, *lege 2. Cod. Theodoſ. de Epiſcop. & Clericis*: breviter, antequam de Præbendis, & B bonis Eccleſiaſticis tractetur, in *quatuor primis titulis Libri Tertii* traditur, quid deſideretur in Clericis, ut recte munus ſuum peragant, & officii ſui admoneantur. Poſtremo in Libro Quinto, de criminibus Eccleſiaſticis agitur, de Accuſatione, de Perſecutione, Inſtructione, & Forma Judiciorum criminalium; ultimo, de Pœnis, ſeu Cenſuris Eccleſiaſticis. Ex quibus colligitur expreſſum eſſe ordinem Codicis Juſtinianæi.

ORA-

ORATIO
IN APERIENDIS SCHOLIS JURIS
Habita VI. Non. Octob. Anno M·DC·XXXII. ad IX. Tractatuum calcem edita anno 1641.

De recta Juris Canonici diſcendi ratione.

PRUDENTISSIME vetus & elegans Poeta in electione arborum, quas in tutelam ſuam ſingula Numina ſuſceperunt, Minervæ judiciam cæteris prætuliſſe videtur. A Jovi ſiquidem Quercus, Veneri Myrtus, Phœbo laurus, Pinus Cybelæ, Populus Herculi placuiſſe fertur: omnes quidem pulchritudine, proceritate, vel amœnitate gratiſſimæ, ſteriles tamen, & infecundæ. Minervæ autem propter fructus, quos fert, ubertimos & humano generi longe utiliſſimos Olea gratior & acceptior fuit. Ideoque Sapientis nomen meruit. Stulta eſt enim & inanis gloria, niſi quod facimus, utilitate commendetur. Eadem plane ratione legitimæ ſcientiæ Profeſſori conveniens, ac neceſſarium eſſe arbitror, in aperiendis Scholis, non umbratiles declamationes aucupari; B quibus ineſcantur homines; & auribus tantum parantur inſidiæ, animus autem vacuus dimittitur: ſed eam orationem habere, ex qua præter animi delectationem & voluptatem, ad auditores aliquis fructus & utilitas redeat.

Operæ igitur pretium duxi, Studioſis Juris Canonici, cujus interpretatio nobis, ex veteri hujus Academiæ Conſuetudine obtigit, quantum equidem potero prodeſſe. Quod ut re ipſa præſtemus, hac oratione, quæ nobis videatur breviſſima ac certiſſima Juris Canonici diſcendi methodus, exponemus. Nec ita tamen, ut omnia argumenta ſigillatim, & per partes excutiamus, ſed ſumma tantum capita, & in ea materia dominantia perſtringamus. C Nam ſi quæcumque ea de re dici poſſunt, curioſius inveſtigaremus, nullus prope dicendi finis reperiretur.

Sicut in reliquis ſcientiis ediſcendis, ita & Jure Canonico perdiſcendo, non admittimus rudem, & imparatum auditorem. In primis ediſcimus, nihil præcepta, atque artes profuturas, vana, & inutilia fore omnia, quæ deinde præcipiemus, niſi natura & indoles auditoris faveat, ſenſus communis adſit, & recta ratio, quam neceſſario in Juriſconſulto deſideramus. Qui ſenſu communi caret, procul a Scholis Juris ejiciendus eſt: neque enim magis illi præcepta proderunt, quam cultura ſterilibus agris & arenæ. Non ideo tamen ſtudioſi ſtatim abjicere debent animos: pauciſſimos enim re- D peries, quibus non inſit vis & facultas quædam, ac naturalis potentia percipiendi ea, quæ traduntur a peritis Doctoribus. Id enim hominibus naturale eſt: & quemadmodum aves ad volatum, equi ad curſum, ad ſævitiam feræ genitali motu feruntur; ita propria eſt hominis mentis agitatio & ſolertia. Hebetes vero & indociles, non magis ſecundum naturam hominis eduntur, quam prodigioſi partus & monſtra. Ex ipſis quippe rerum argumentis diſcimus, ſæpiſſime non ingenium & naturam, ſed laborem & curam defeciſſe. Liberaliſſimam naturam omnes experimur. Quod ab ea poſtulamus, ultro & ſponte ſuppeditat. Verum ei viciſſim nos aliquid largiri debemus, nempe Inſtitutionem, & eam quidem non feram, ſed maturam & accuratam. Excolenda ſunt enim a puero & mitiganda ingenia, ſtudio & cultura humanioris litteraturæ, quæ Hiſtoriæ & Philoſophiæ, Dialecticæ præſertim mediocri cognitione, ſummopere adjuvatur. Mediocrem cognitionem dicimus: ſi quis enim exactiſſimam & perfectiſſimam quæſierit, vix jam grandævi ſenes, ac ætate defecti in Scholas Juris mitterentur.

Ab his initiis ad Juris Canonici ſtudium licebit accedere. Cujus ſtudii, duas partes conſtituimus; *vetus* & *novum*. Veteris principia & fontes in præſenti, non longius arceſſemus, quam a Gratiani Decreto, cujus Collectio, ſicut opus Pandectarum, ex veterum Prudentum libris; ita ex variis Conciliorum, Pontificum, & Patrum ſcriptis, eventu quamvis & arte multum diſpari, compoſita eſt. Jus Canonicum novum, Decretalibus continetur, in quibus Pontificum potiſſimum, ſicut in Codice Imperatorum, Conſtitutiones & Decreta referuntur.

In utroque, tam veteri, quam novo, quædam ſtudioſis obſervanda proponemus; non tantum ab antiquis, ſed etiam a pleriſque recentioribus Interpretibus, vel prætermiſſa, vel non ſatis explicata.

In Jure novo Decretalium, hoc eſt in *Collectione* Gregorii IX. quam ſolemus in Scholis interpretari publice, antiquorum Interpretum, ex quorum ſcriptis Bernardus Bononienſis Gloſſas excerpſit, diligentia vel induſtria ſatis commendari non poteſt. Haud enim contenti Collectione illa, quam interpretandam ſuſcipiebant, ad alias etiam antiquiores animum adjecerunt; ſine quibus novas intelligi non poſſe veriſſime judicabant. Hos Bernardus, Innocentius IV. Joannes Andreas, & Panormitanus, optimi Juris Canonici Interpretes interdum imitantur: reliqui fere omnes imperite neglexerunt. Comparationem illam exactiſſimam Collectionum antiquarum, cum nova Gregorii IX. quam neceſſariam eſſe toties inculcamus, ex antiquis Interpretibus, ut diximus, viderunt pauci; neglexerunt plures antiqui & novi uſque ad noſtra tempora; quibus feliciori genio præditi, Antonius Demochares, Joannes Quintinus, Antonius Contius clariſſimum olim hujus Scholæ lumen, & poſtremo Antonius Auguſtinus, hanc partem ſtrenue adeo tractaverunt; ut Correctoribus Romanis, qui poſtremam manum operi impoſuerunt, tenuiſſimum ſpicilegium reliquerint. Diligentiorum exemplo auditores noſtros commonemus, ut in Gregorii Collectione legenda antiquas Collectiones ſemper adhibeant; in quibus Conſtitutiones Pontificum integriores reperient, quas Raymundus a Pennaforti Barcinonenſis, Gregorii IX. Tribunianus, paſſim interpolavit, reſcidit, & immutavit; ac ſæpe contra mentem Auctorum. Quin & nonnunquam neceſſarias neglexit, & quod nobis Gallis obſervandum eſt, quædam in Reſcriptis Pontificum, ad honorem & decus gentis noſtræ pertinentia, ſupercilium & (*) *typhus Hiſpanicus* cum ferre non poſſet, prætermiſit.

(*) Nimirum quemadmodum ſuos eſſe Gratiani Decreto Nævos Emendatores Romani ſub Gregorio Papa XIII.

Sufficere forte Studioſo Juris Canonici comparationem illam antiquarum Collectionum cum nova Gregorii, Gloſſarum aſſiduam lectionem, & vivam vocem Doctorum merito quis crediderit; ſtudioſo tamen & diſcipulo. Nam a Magiſtro, qui lumen præfert & antecedit, aliquid amplius requiritur; exacta nempe cognitio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, præſertim a Gregorio VII. nec unius quidem Eccleſiæ, ſed omnium, Occidentalium maxime; quæ non ex vulgatis & futilibus quibuſque, ſed ex æqualibus & coætaneis repetenda eſt. Quam cognitionem, quia propemodum infinita eſt, in Doctore tantum deſideramus; qui niſi eam, ſi non ſummam, ſaltem idoneam & intra modum aſſecutus ſit, nihilo præſtantior erit Magiſter paullo diligentiore Diſcipulo. Hæc de Jure novo Canonico, tanquam per indicem attingere viſum eſt; ne ſubtilior & curioſior diſciplinæ ratio retardet potius, quam promoveat Studioſorum impetum.

A Jure novo ſenſim ad Jus vetus pervenimus, ordine forte docendi præpoſtero, non dicendi: Plura enim de Jure veteri præcipienda ſuperſunt. Veteres omnes Juris Canonici Interpretes Latini cognitionem Juris antiqui non aliunde, quam a Gratiano acceperunt; in ſumma reliquarum omnium Collectionum, tam Latinarum, quam Græcarum ignoratione verſati; quarum auctores, nec de nomine eis noti fuerunt: quod eorum ſcripta produnt nimis. Eam ob rem ſicut ex aquæ capite turbato, & ex fontibus limoſis, rivi liquidi & illimes manare non poſſunt: ita doctrina, quam veteres Interpretes hauſerunt tantum ex Collectione Gratiani, quæ ſpuria, falſa, ſuſpecta, & mendoſa plurima continet, certa, vera, plana, & aperta eſſe non poteſt. Ac ne videamur vagari cum diſcrimine alienæ exiſtimationis; deſignabimus, quid præcipue in Collectione Gratiani cavendum exiſtimemus.

Opus ſuum Gratianus ex tribus Scriptorum fere generibus compoſuit: ex Conciliis, tam generalibus, quam particularibus, Orientis, & Occidentis; ex Epiſtolis & Conſtitutionibus Pontificum; & ex dictis Patrum, Græcorum ſimul, & Latinorum. In Conciliorum Latinorum Canonibus inferendis, plerumque non inſpectis Libris authenticis, aliorum Collectorum fidem nimium patienter amplectitur: unde ſeges errorum fertiliſſima. Idem in Græcorum Synodis admiſit; in quibus præterea, non una & eadem verſione, ſed pluribus uſus aliquando ſupine adeo & imperite, ut unum & eumdem Canonem, velut diverſum, bis & ter repetat, varietate verſionis, vel breviationis deluſus. Quod vero periculoſius eſt, rationem componendorum Canonum, vel revera, vel in ſpeciem pugnantium, eam plerumque inire ſolet, ut antiqua Concilia, etiam majora & generalia, quibus Eccleſiarum, noſtrarum præſertim, jura & libertates continentur, quamvis æquitate ſumma nitantur, cedant tamen minoribus: & de Conciliorum omnium auctoritate ſecurus, dubia nonnunquam & falſa pro certis & veris, credulis lectoribus obtrudit. Quin etiam, propter antiquæ diſciplinæ rituum, & linguarum ignorationem, identidem ceſpitat, & labitur.

Hujuſmodi autem errores in Conciliis quidem Gratianus, parca manu, raro ſparſiſſe dici poterit, &, ut ajunt, χειρὶ σπεῖραι μὴ ὅλῳ θυλάκῳ. At in Epiſtolis decretalibus Pontificum, Clementis, Anacleti, Evariſti, Alexandri I. & aliorum, liberaliſſime, & ὅλῳ θυλάκῳ: quarum quidem falſas plurimas, ſuppoſitas, & mendoſas eſſe, indicare Studioſis neceſſarium viſum eſt; quia non tantum hæc a poſtremis Gratiani Correctoribus ſæpe fuerunt omiſſa; ſed etiam a doctiſſimo Anteceſſore pridem obſervata, contra mentem Auctoris, & in ejus fraudem, ab imperitis & ſagacibus Librariis contaminata partim, obelo partim jugulata ſunt: ut perſpicacibus oſtendent ſatis vulnerum cicatrices, quas incauti mutilatores obducere ſunt obliti. Hoc unum equidem in ea re miror, cur Antonius Auguſtinus Juris Canonici peritiſſimus, ex incertis hujuſmodi Epiſtolis, excerpta plurima, ſuæ Collectioni, tanquam viliſſimos pannos purpuræ aſſuerit.

Non majore judicio, & diligentia, ex dictis Patrum, & aliis Scriptoribus deſumpſit multa Gratianus. Quæ tamen in his peccavit, fere omnia Romani Correctores accuratiſſime emendarunt: ideoque ſuperſedemus. Singula enim perſequi, quæ virorum doctiſſimorum diligentiam effugerunt, brevis orationis modus non ſinit. Hactenus de Jure Canonico veteri, & novo: quæ diligenter explorata, plurimas traditiones veterum, & recentium Interpretum profligabunt, & inanium Commentariorum onere levabunt.

Cæterum Natura & Inſtitutio a puero, de qua initio dixi, παιδομαθίαν vocant, & Juris diſciplina, qualem modo expreſſimus, ſtudioſis parum proderunt; niſi præterea labor perpetuus, nec interruptus, ſed certo & legitimo temporis ſpatio continuatus accedat.

Prudentia majorum & communis Populorum conſenſus, qui ratione & legibus reguntur, Locum opportunum addidit: ut non ubique, ſed in certis tantum Civitatibus Juris ſcientia, publica auctoritate doceretur; idque publice, non furtim, in tenebris, & in privatis auditoriis, in quibus pro arbitrio ſuo doctus, & indoctus quilibet, pariter, & ex æquo, docendi Juris fiduciam, in perniciem juventutis aſſumit. Quin & evenit aliquando indoctiorum Magiſtrorum privata Auditoria, majori Diſcipulorum numero celebrari. Quidni? numquid quotidie videmus agyrtarum, & circulatorum theatra multitudine plebis imperitæ circumvallari, ſtupore vulgi, pleroſque ex illa fæce factos nobiles, & potius adiri, quam ſapientiſſimus Medicos? Nimirum ſui ſimiles imperiti trahunt imperitos, qui novam capturam, & novum genus lucri invenerunt, ipſam ignorantiam. ἀγνοοῦσιν, οἱ πολλοί, ἢ κερδαίνουσιν, ὃ οἱ ἀγνοοῦσι, τοῦδε γὰρ τῆς πίλα. Incautos vero juvenes, his fraudibus, & doloſis artibus circumveniunt. Catholica præcepta, Tractatus generales, Compendia, quaſdam Species, quaſdam Antinomias, avidis Sectatoribus ſuis, quaſi manſa in os ingerunt: adeoque verendum eſt; ne quod olim picturæ contigiſſe dicitur, ut perierit, poſtquam Ægyptiorum audacia tam magnæ artis compendiarium invenit; idem & Juriſprudentiæ, longe majori publicæ rei damno, eveniat, pernicioſiſſimo hujuſmodi Breviatorum facto; qui admirabiles Juriſconſultorum libros, & Imperatorum ſanctas Conſtitutiones, in fruſta, & Epitomas ſacrilege diſcerpunt & lacerant.

Nos vero, cruda, & præcocia ſtudia prorſus damnantes, laborum gradus ſtatuendos eſſe profitemur: & ut totam orationem in pauca conjiciamus, ſex in ſtudioſis, ſive Juris Canonici, ſive Civilis requirimus; Naturam, & Indolem; Inſtitutionem a puero; rectam Juris diſciplinam; Laborem indefeſſum; Tempus legitimum; & poſtremo locum ſtudiis aptum, & commodum. Scientiarum enim cognitionem, cum iis, quæ terra naſcuntur, non inepte comparari poſſe puto. Natura noſtra velut ager eſt & ſolum: Doctorum præcepta ſunt ſemina: Inſtitutio a puero tempus opportunum deſignat, quo ſemina terræ commendanda ſunt: Studium & labor culturæ vicem obtinet. Tempus legitimum hæc omnia confirmat & laborat, ut perfecte enutriantur, & quaſi ingenerentur: poſtremo ſicut aer ambiens benigne fruges educat, eiſque colorem ac maturitatem inducit; ita & locus ipſe ad docendum publice conſtitutus alit quodammodo, ac promovet ſtudia Juris, eaque ſaniora ac vegetiora præſtat.

His igitur ſex, tum ad Juris Civilis, tum ad Juris Canonici diſciplinam collatis, nihil ad pleniſſimam, & perfectiſſimam cognitionem deerit: niſi uſus & experientia, quæ non in Scholis & ab Anteceſſoribus, ſed in Foro a quotidiano Judiciorum ſtrepitu, exercitatione & tritura eſt exſpectanda.

AN-

XIII. non diſſimulant, ita Raymundum fortaſſe ipſum magno ponderi rerum alicubi ſuccubuiſſe nihil miremur. Inde vero in Sanctiſſimo homine typhum Hiſpanicum ſuſpicari quis ferat?

X.

ANTONII AUGUSTINI
ARCHIEPISCOPI
TARRACONENSIS

DE

EMENDATIONE GRATIANI,

Dialogorum libri duo.

Digitized by Google

PRÆFATIO

PRIMÆ EDITIONIS TARRACONENSIS.

CUM Maximi Pontifices hac noſtra ætate de Gratiani emendatione tantum laborarint, ut illius erratis corrigendis non quoſcumque viros, ſed eruditione, atque auctoritate valde præſtantes præficiendos eſſe judicarint; ſelectis aliis, quorum opera adjuti, quod erat in animo, perficerent: ſane dubium eſſe nemini poteſt, rem magni eſſe momenti, Chriſtianæque reipublicæ univerſæ plurimum intereſſe. Ac quidem vera, quamvis tot ſummorum hominum, & eccleſiæ Principum auctoritas, etiam ſine alia cauſſa, multum apud omnes valere debeat; tamen ſi res diligenter conſideretur, licet eadem indigeremus, ratione item conſtat, majus hoc quiddam eſſe, quam vulgo homines opinantur, qui totum hoc ſtudiorum genus pro nihilo habentes, juriſque contextum contemnentes, ſe totos ad interpretes conferunt. Quibus ego, ut eos magni faciant, & tamquam duces, ac magiſtros habeant, cum conceſſero; illud tamen conſtanter affirmabo, juris Pontificii tantam eſſe dignitatem, ut non ſolum ipſarum rerum, ſed & verborum, immo & litterarum, ac interpunctionum ſit maxima ratio omnino habenda. Si enim homines ſplendidi cum ædificia extruenda ſuſcipiunt, non neceſſitatem, aut utilitatem ſolum, ſed pulchritudinem potius ante oculos ſibi proponunt; neque tantum atria, porticus, & conclavia, ſed etiam partes ſingulas, ut columnas, lapides, eorumque coagmentationem, & res alias minutas conſiderant; dantque operam, ut ſingula omnia lepore quodam ita inter ſe conſentiant, ut nuſquam niſi venuſtum, & apte connexum quidquam reperiatur; multo magis in juris Pontificii contextu, quo non voluptas parva, aut aliqua commoditas exigua quæritur, ſed ipſa reſpublica Chriſtiana regitur, moreſque hominum conformantur, ac effrenatæ cupiditates coercentur, illud curandum eſt, ut partes omnes aptæ & integræ ſint, nullumque verbum ſuſpicioſum appareat. Quamobrem cum Gratiani collectio, qua magna pars juris Pontificii veteris continetur, mendorum cauſſa, quibus temporum illorum vitio abundat, multorum ſibilis exploderetur; ſumma rei amplitudo jure ſuo poſtulare videbatur, ut Maximi Pontifices de illius emendatione cogitarent, & viris exquiſiti ingenii, omnibuſque naturæ, & doctrinæ præſidiis inſtructis totum negotium committerent. Cumque extra Urbem non deeſſent, qui hanc provinciam poſſent juvare, quod in hoc ſtudiorum genere ſatis verſati invenirentur: unus tantum, quod ſciam, vir pro dignitate numquam ſatis laudatus, totius Chriſtianæ reipublicæ lumen clariſſimum, deque ea optime meritus Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis, qui ſuperiori anno nobis ereptus fuit, hunc auctorem ſuſcepit ſcriptis ſuis illuſtrandum. Quid effecerit, ex his duobus libris dialogorum *more contextis, quos ante Romanam editionem conſcripſit, & ea perlecta cenſuit edendos, licet judicare. Eſt namque Gratiani contextus ager quidam incultus, tot herbis aſperis, & agreſtibus veſtitus; ut licet viri ſelecti tamquam diligentes agricolæ multam culturam adhibuerint, & aratro illum ſæpe perſtrinxerint: aliquot tamen, ſi non herbæ, fortaſſe radicum fibræ, quæ radicitus evelli non potuerunt, adhuc reſtare videntur. Quare dabunt ipſi veniam, ſi fructus laborum tanti viri, cujus memoria recens in benedictione eſt, eritque in perpetuum, communi utilitati percipiendos proponimus; in quibus omnia fere Gratiani erratorum genera notantur, multa emendatione illuſtrantur, ac denique totus ita examinatur, ut non ſolum rerum ipſarum, verum etiam verborum pondera expendantur.*

DE EMENDATIONE GRATIANI LIBRI DUO.

PRIORIS LIBRI DIALOGI XX.

I. De titulo libri Gratiani, & de mendis. 437
II. De Gratiani erratis in propriis nominibus, 439
III. De eodem erratorum genere. 442
IV. De eadem re. 445
V. De aliis mendis Gratiani. 448
VI. De Gratiani majoribus erratis. 451
VII. De capitibus ſumptis a ſexta ſynodo. 456
VIII. De eadem re. 459
IX. De eadem re. 462
X. De Martino Bracarenſi, & de Martini Papæ concilio. 464
XI. De eadem re. 467
XII. De aliis Martini Bracarenſis capitibus, & de Gratiani erratis. 471
XIII. De falſis inſcriptionibus apud Gratianum, & de fragmentis quibuſdam conciliorum & epiſtolarum Pontificiarum. 474
XIV. De eadem re. 477
XV. De eadem re, & de aliis Gratiani erroribus. 479
XVI. De B. Antonini cenſura in Gratianum, & de Romanorum ſelectorum ſententia. 483
XVII. De aliis majoribus erroribus Gratiani ex B. Antonini ſententia. 486
XVIII. De eadem re. 488
XIX. De erroribus quibuſdam, & mendis Gratiani in Diſtinctionibus. 491
XX. De eadem re. 494

POSTERIORIS LIBRI DIALOGI XX.

I. De Gratiani emendatione ex conciliis non editis. 500
II. De eadem re, ex eodem concilio Eugenii, & Leonis. 502.
III. De eadem re. 504
IV. De Calliſti II. Romana ſynodo. 506
V. De eadem re. 508
VI. De duplici octava ſynodo. 509
VII. De eadem ſynodo octava Hadriani. 511
VIII. De eadem re, & de falſa inſcriptione quorumdam capitum Gratiani ex IIX. & IX. ſynodo inſcriptorum. 513
IX. De eadem re. 515
X. De Capitularibus Caroli, & Ludovici, & aliorum Imperatorum. 518
XI. De eadem re. 519
XII. De Nicolai I. epiſtolis, & reſponſis. 521
XIII. De eadem re. 523
XIV. De eadem re. 526
XV. De eadem re. 528
XVI. De quibuſdam locis Gratiani Romanæ editionis, & de aliis Nicolai capitibus. 530
XVII. De aliis Nicolai Papæ capitibus. 532
XVIII. De eadem re. 534
XIX. De eadem re. 536
XX. De Hiſpaniæ conciliis non editis, & de aliis veteribus libris. 539.

AN-

ANTONII AUGUSTINI
ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS
DE EMENDATIONE GRATIANI
Dialogorum libri duo.
LIBER PRIOR.

DIALOGUS I.
DE TITULO LIBRI GRATIANI, ET DE MENDIS.

INTERLOCUTORES.

A. *Antonius Auguſtinus*. B. *Petrus Galeſius*. C. *Vincentius Auguſtinus Vincentii F.*

C. NISI tibi moleſtum eſt, vehementer cupio a te diſcere; quid ſit, quod Romæ de Gratiani emendatione tanta cura per tot annns agatur: ut neceſſe fuerit, a tribus Pontificibus, ut audio, multos ampliſſimos viros ex Purpuratis ſuis, & alios doctiſſimos homines hac una in re aſſidue verſari.

A. Mihi quidem nihil moleſtiæ adferes, com a me aliquid poſtulaveris, quod tibi fore gratum exiſtimem, ea præſertim de re, quæ ſtudiis tuis ſit oppottona. Cave enim putes illius libri lectione, quem *Gratiani Decretum* falſo vocant, ſi recte ſeriptum legatur, & ex ſuis fontibus ſingula eapita deducta ſint, quod potiſſimum in emendatione eſt, quidquam juris Pontificii ſtudioſis utilius eſſe. Qua de re aliquid fortaſſe dicere poſſum: quid autem Romæ actum ſit, aut agatur; diligentios hæc poterit nobis B. narrare.

C. Didici ego quidem ab eodem multa, quæ curioſius petebam; quibus Pontificibus, quot viri peritiſſimi, & quoties colligerentur; qui ex eis excellerent vel inveniendis vel diſcutiendis ſingulis quibuſque, quo etiam pacto quædam privatis ſtudiis paucorum agerentur; quædam omnium collatione emendarentur. Quot etiam libros veteres habuerint, ex quibus ad veterem ſcripturam, quæ, ut fieri ſolet, certior eſt, Gratiani librum perducerent. Hos libros eſſe aut ipſius Gratiani nomine conſcriptos, aut eorum, ex quibus Gratianus illa ſumpſiſſet, tum ex aliorum ſimili collectione, ut Burchardi, Ivonis, Anſelmi, & aliorum id genus, tum ex ipſis, ut modo dicebas, fontibus conciliorum, ut arbitror, libris, & Pontificom Romanorum epiſtolis, & ſanctorum virorum ſcriptis, & ex jure eivili: hæc inquam, & alia non pauca B. Noſter: ſed a te dicebat eſſe quærendum, quid in ipſo volumine tantopere deſideraretur. Sed quid eſt, quod dixiſti, falſo hunc librum *Gratiani Decretum* dici? an non ita dicitur, ut Burchardi, & Ivonis Decretum? aut librarii nos ſuis titulis decipiunt, aut ipſi ſcriptores ſic ſcribi voluerunt, a quorum ſcriptura hanc etiam emanaſſe veriſimile eſt.

B. Antequam C. noſtro reſpondeas, ego dicam, quod ab illis ſelectis viris accepi, in oollo fere veteri libro Gratiani eam inſcriptionem exſtare: ſed hanc; *Concordia diſcordantium Canonum*. Sic etiam in melioribus editionibus Antonii Democharis, & Aotonii Contii, vox illa *Decretum*, utpote inepta, in multitudinis vocem mutata eſt: quod in librorum inſcriptionibus aptius eſſe, vel Cicero teſtis eſt; quippe qui noluit de officio, aut de fine ſcribere, ſed *de finibus*, & *de officiis*. Itaque *Decretorum collectanea* Demochares, *Decretorum canonicorum collectanea* Contius inſcripſerunt. Decretorum vero collectionem eſſe hanc nemo negaverit, non unius decreti explanationem. Sic etiam dicimus Decretorum doctorem, non Decreti, juris Pontificii conſultum.

C. Non equidem nego, Decreta Pontificum aptius dici, ut Magiſtratuum decreta in jure civili; unde etiam Decretalium epiſtolarum appellatio manavit, eom decerni aliquid in ſingulis epiſtolis videamus. Sed putabam Gratianum eam vocem a Burchardo, & Ivone accepiſſe.

B. Ne hoc quidem in veteribus libris affirmant inveniri.

A. Recte tu de Gratiani, & Burchardi inſcriptione. Neque enim in veteribus libris ea vox *Decretum* eſt. Gratiani quidem poſſum vobis multos oſtendere; ſed & Burchardi, & Ivonis aliquot ſine hac inſcriptione. Et ut viden, Ivoni Carnotenſi magis placuit *Excerptiones* appellare; ſic enim ſcribendum eſt, non *Exceptiones*. Eius verba tam in Panormia, & in Decretorom grandiori volumine, quam, quod caput eſt, in epiſtolarom libro hæc ſunt: *Excerptiones eccleſiaſticaram regularum, partim ex epiſtolis Romanoram Pontificum, partim ex geſtis conciliorum catholicorum Epiſcoporum &c. in unum corpus adunare curavi*. Panormiæ titulus in veteri libro hic eſt: *Incipit liber ſacrorum canonum*. In eodem libro nulla eſt præfatio, nullumque ſcriptoris nomen. Hildeberti quoque, Cenomanenſis Epiſcopi, & poſtea Turonenſis, qui Nannetenſi concilio non edito præfuit ab Honorio Minore confirmato, qui fuit Calliſti Minoris ſucceſſor, epiſtola quadrageſima nona edita eſt, cujus initium, *Plerumque fit*. In ea epiſtola hæc verba leguntur: *Exceptiones Decretorum* (vel potius *Excerptiones*) *quas in unum volumen ordinare diſpoſuimus, ad ſuum finem nondum perductæ ſunt*. Mendoſe autem hujus Hildeberti epiſtolis adſcripta ſunt illa ipſa Ivonis verba: *Excerptiones eccleſiaſticaram regularum* &c. Burchardi vero libri veteres carent inſcriptione, ſed in edito non *Decretum*, ſed *Decretorum libri* xx. appellantur. Collectiones Burchardi Vormatienſis appellat Ivo in quadam epiſtola. Anſelmi Lucenſis volumiois inſcriptionem ſine nomine ejuſdem in tribus libris legi. *Ivo epiſt. 74. vel 32. ad Will. Abbatem.* Unus eorum hæc eſt. *Incipit authentica, & compendioſa collectio regularum & ſententiarum ſanctorum Patrum, & auctorabilium conciliorum*. Sed ut ad Gratianum redeamus, in cjus libris veteribus illa inſcriptio eſt, quam audiſti: *Concordia diſcordantium canonum*. Similem legi Romæ in veteri libro Creſconii: *Concordia canonum, & ipſi canones*.

C. Quid eſt, quod his verbis ſignificare voluerunt? an putandum eſt, canones conciliorom ita eſſe inter ſe contrarios, ut egeaot concordia?

A. Quan-

A. Quantum ego potui ex Creſconii libro elicere, *Concordiam* vocat collectionem ſimilium ſententiarum, ut qui ſcripturæ ſacræ verba collegerunt, Concordantias Bibliæ appellarunt; quibus verbis, quod pace veſtra dicere liceat, nihil excogitari poteſt ineptius.

C. Gratiauus igitur ſic Concordiam dicit, quaſi collectionem ſimilium canonum. Cur vero addit vocem *diſcordantium*, quæ ſola refugit hanc interpretationem?

A. Vere tu quidem ais. Nam ſi inſcripſiſſet, *Concordiam canonum*, ut Creſconius fecit; aut Concordiam concordantium, & diſcordantium canonum; hanc teciperet interpretationem. Nunc vero ſignificare videtut, concordiam inter diſcordes verſari. Sed & ſi quis librum ipſum Gratiani conſideret; ſæpe videbit uti diſtinctionibus non ſolum in prima ejus voluminis parte, ſed etiam in poſtrema de Pœnitentia, & Conſecratione. In ipſis quoque quæſtionibus ſingularum Cauſſarum apertius utrimque adſert contraria decreta, & canones: quæ aliis diſtinctionibus allatis in concordiam reducit. Canonum autem appellatione non ſolum conciliorum, ut exiſtimas, regulas, atque ſententias, ſed etiam aliorum librorum quibus jus Pontificium conſtat, intelligere eum facile apparet ex ejus verbis: *Eccleſiaſtica*, inquit, *conſtitutio canonis nomine cenſetar. Canon Græce, Latine regula nuncupatur. Regula dicta eſt, quæ* (*) *recte ducit* &c. quæ ex Iſidoro lib. 15. *Etymol.* ſumpta ſunt. Mox ait: *Porro canonum alii ſunt decreta Pontificum, alii ſtatuta conciliorum.* Sic ante Gratianum *Corpus canonum*, vel *Codex canonum* dicebatur is liber, qui conciliorum, & Pontificum Romanorum regulas continebat. Ejus libri mentionem facit Burchardus enumerans libros, ex quibus ejus collectio conſtat. Sed antiquiora ſunt teſtimonia Nicolai primi, & Leonis IV. apud Gratianum. Sic Ivo *Excerptiones eccleſiaſticarum regularum*, & Anſelmus *Authentice collectio regularum, ſive Canonum*, collectiones ſuas appellant: ut etiam vetus meus Panormiæ codex, *Liber ſacrorum canonum* dicitur. Idem dicendum eſt de Græcis collectionibus, quas *Nomocanones* vocant, nomine ex legibus, & regulis effecto: item de Apoſtolorum regulis a Clemente primo editis, & de aliis ſanctorum virorum Dionyſii, & Petri Alexandriæ Epiſcoporum, & Gregorii Neocæſarienſis, Athanaſii Alexandrini, Baſilii Cæſarienſis, & Gregorii Nyſſeni, & alterius Gregorii Theologi, & aliorum, de quibus cap. ſecundo ſextæ ſynodi repetitæ in Trullo. Neque enim recte apud Gratianum, & alios eorum opuſcula dicuntur confirmari, ſed canones, in Græco archetypo.

Diſtin. 3. in prin. &c. & 2.

* eo quod

Diſt. 19. cap. 5. & diſtin. 20. cap. 1.

Diſt. 16. cap. 7. quoniam.

C. Habeo ita. Ex quibus facile intelligo, jus quoque Canonicum, quod tu jus Pontificium appellare ſoles, hinc originem duxiſſe. At vero *Canon Miſſæ*, & *Canonici ſæculares*, ac *regulares* cur dicti ſunt?

A. Diximus canonem regulam ſignificare: Miſſæ igitur regula, vel formula vetus eſt, ille ipſe Miſſæ Canon. Canonicos vero regulares qui dicunt, eamdem rem bis dicunt, ut cum Abba pater vocatur, vel Thomas Didymus, ſive Geminus, atque alia ſimili ratione. Sed fingimus duas eſſe regulas, alteram laxiorem Canonicis ſæcularibus ſcriptam, alteram duriorem regularibus ſolis conditam. Utroſque ſub canone eſſe dicemus, & canonicos, ſed hos durioribus cancellis circumſcriptos.

C. Hæc placent. Sed quid aliud eſt in Gratiani libro mutandum præter titulum libri, ſive inſcriptionem?

A. Ita multa ſunt, ut non facile omnia uno die explicari poſſint. Sed genera tibi errorum quorumdam proponam, ut poſtea de quibus magis placebit, agamus. Sæpe erratum eſſe video in nominibus hominum, urbium, provinciarum, conciliorum, & aliarum rerum, quæ poſtea exemplis apertiora fient. Sæpe falſæ ſunt inſcriptiones, & quæ conciliorum ſunt, Pontificum Maximorum eſſe dicuntut; & quæ ſunt unius Epiſcopi inferioris, Romano Pontifici, aut concilio generali, vel provinciali tribuuntur. Ex hoc genere ſunt illa, quæ ex concilio Martini Papæ, aut Hadriani Papæ ſumpta eſſe feruntur, quæ vel Martino Bracarenſi, & Græcis conciliis, vel Engelramno Epiſcopo, vel Hadriano ad Engelramnum inſcribi debuerunt. Multa Gregorii, Ambroſii, Auguſtini, vel Hieronymi verba eſſe dicuntur, quæ aut nuſquam exſtant, aut aliena ſunt. Illa quoque ipſa, quæ inſcriptiones habent veras, non recte referuntut. Sæpe enim contrarias ſententias referri ſcimus, ſæpe valde præciſas. Jam vero, quæ ex Græcis fontibus manant, ex variis interpretationibus afferuntur, quaſi ſint aliorum ſcriptorum: ac ſæpe aliud Græce, quam Latine ſignificant.

C. Tu vero me in ſilvam quamdam errorum inducis, cujus nullum exitum video; ſed malo, ut de primis quibuſque a te dictis agas, ut præciſis his ramis interiora illuſtriora fiant.

A. Quid autem B. noſtro placet?

B. Ego vero hæc ipſa, quæ proponis, exſpecto; ſed non is ſum, qui operæ pretium eſſe exiſtimem, tam multa de ſolo Gratiano dici. Hic enim, ut noſti, & ut facile omnes concedunt, compilator inſignis, nihil fere habet valde utile, quod proprium dicere poſſis: ſed corniculæ illi ſimilis, ut eſt in fabulis, riſum ſcientibus, admirationem ignorantibus movet. Si verba conſideres, nihil illo tritius; ſi artem requiras, & ordinem docendi, fruſtra laborabis. Ita multa refert alieno loco ponenda, ita pro certis incerta conſtituit; ut malis illa eadem in ipſis libris non ſolum conciliorum, ſed etiam Burchardi, & Ivonis, & aliorum collectorum requirere. Itaque dum tu quid apud Gratianum mutandum ſit, dices; in veteri me confirmabis opinione, qui fruſtra hunc ſcriptorem mendis purgari putem. Te vero potius hortari, & ſi pateris, monere non deſinam; ut in eam tantum rem incumbas, ut meliorem harum regularum, ſive decretorum collectionem edas.

A. Ludis tu quidem, ut ſoles, perurbane, & mihi videris pro tua præclara dicendi facultate magnas res contemnere, & pro nihilo ducere; minores vero in cælum tollere, atque augere dicendo. Nam ut dem tibi, *nihil fere*, aut pauca de ſuo Gratianum attuliſſe, quod falſum eſt; adfert enim multa, quæ in aliis collectionibus non invenies, qualia ſunt, quæ poſt Burchardum, & Ivonem ſunt nata; item multarum difficultatum ſolutiones: ſed quamvis nulla attulerit, feliciorem tamen ceteris collectoribus fuiſſe negare non poteris; quos in tenebris diu fuiſſe novimus, dum hic in omnium manibus verſatur; multorum interpretum illuſtratur lucubrationibus, refertur denique in judiciis omnibus, atque a Theologis non minus, quam a juris utriuſque peritis in pretio habetur. Quod ſi in illo verborum elegantiam deſideras, temporis eſt, non hominis culpa; tritis utitur verbis, ut omnibus prodeſſe poſſit: artem, & ordinem docendi flagitas: quaſi vero meliore ceteri ſint uſi. Quod vero poſtremo hortaris; ut collectionem aliquam edam potius, quam hanc ita perturbatam, & imperfectam ornem; facis tu quidem ludos, ut dixi; ſed hac de re poſterius cogitabimus. Nunc quando utrique veſtrum non diſplicet, ut de Gratiani erratis agamus, in craſtinum diem differo, quod ſum pollicitus. Alia enim urgent his potiora.

Digitized by Google

ADDITIONES

HIS *ſcriptis editum vidi Romæ Gratiani volumen hac inſcriptione*. DECRATUM Gratiani emendatum, Gregorii XIII. Pont. Max. juſſu editum. *Et initio Diſtinctionis primæ*: Concordia diſcordantium canonum. *Et in admonitione ad lectorem ita ſcribitur*. In plerìſque vetuſtis hujus collectionis exemplaribus hæc tamquam inſcriptio rubris litteris poſita eſt: *Concordia diſcordantium canonum*, addita in quibuſdam dictione Incipit, ſine ulla Gratiani mentione. Verum in Vaticano illo vetuſtiſſimo, cui voluminis ipſius initio recentiori ſcriptura Paleas eſſe præpoſitas dictum eſt, ante ipſas Paleas eſt hic titulus. *Decretum Gratiani monachi ſancti Felicis Bononienſis, ordinis ſancti Benedicti, compilatum in dicto monaſterio anno Domini MCLI. tempore Eugenii Papæ tertii*. In aliis vero duobus codicibus in extremo eſt: *Explicit Decretum compilatum a Gratiano monacho monaſterii S. Felicis de Bononia. In eadem admonitione hæc etiam verba leguntur*: Noviſſimus iſtorum omnium, præter auctorem Panormiæ, nam ia recentior fortaſſe eſt, Gratianus monachus Be-edictinus non tantum de-

A cretis colligendis, quod ſuperiores fecerant, operam dedit: ſed Ivonia fortaſſe præfatione excitatua, eo potiſſimum incubuit, ut certis quæſtionibus propoſitis, quod in utramque partem ex canonibus, qui inter ſe nonuumquam pugnare videbantur, dici poſſet, ipſe & afferret, & explicaret; omninoque eorum varietatem, quæ ſpeciem diſſenſionis habebat, ad concordiam revocaret. *Hæc in Romano. In hoc libro A. Antonium Auguſtinum Archiepiſcopum, B. Petrum Galeſium, C. Vincentium Auguſtinum Vincentii F. ſignificat.*

In editione Gregoriana cap. 7. Quoniam diſt. 16. B *multa mutata ſunt, & notis ornata: & quamvis dicatur, Et opuſcula Theophili, &c. tamen in notis Ivonis verba relata ſunt*: Confirmamus ſanctorum Patrum canones, & ſynodos &c. *& Græca verba canonis referuntur, & Latina interpretis, quibus apparet non opuſcula, ſed canones appellari. Quod etiam verba a Gratiano relata indicant*: Confirmamus & ceteros ſanctorum canones, & ſynodos.

Ivo par. 4. cap. 106. & 134. decr. & lib. 2. tit. 11. cap. 29. pan.

DIALOGUS II.

De Gratiani erratis in propriis nominibus.

B. ET tempus, & locua aptus eſt; ut te promiſſi tui admoneamus. Quid enim hac hortorum, amænitate jucundius? avidas autem aures adſer mus ego, & C. noſter.

A. Video nih l diutius vobis poſſe deberi. Sed libria aliquot nobis opus eſt, & in primis Gratiano editionis ejus, quæ habeat duorum Antoniorum notas.

C. Eum librum mecum attuli, quod eum potiſſimum a te laudari ſciebam; & ut viderem, quid tu de ſingulia erratis eſſes dicturus, & ut melius id memoriæ mandarem.

A. Laudo providentiam tuam. Ego quoque in adverſariis quibuſdam, quæ attuli, ſcripſeram ordine litterarum aliquot Gratiani errata, quæ facilius referam. Vos etiam alia ſuggeretis. Et quoniam heri diximus, in nominibus propriis ſæpe fuiſſe librarios lapſos: ab eiſdem initium ſumamus. Principio duo ex ſacris libris loca corrigenda ſunt: cum pro Ochozia Rege (*a*) *Achab* editus eſt, & pro Achan, ſive Achar, *Achor*. (*b*) Verba Gratiani ſunt: (*c*) *Sed objicitur illud Ambroſii*, Ambroſii verba quærantur: *Ad preces Heliæ ignis deſcendit de cælo, ut Prophetæ vindicaretur injuria: quod tunc intelligitur factum, quando Achab Rex Iſrael &c. miſit duos quinquagenarios*: noſti reliqua. (*c*) Alter locus ita ſcriptus eſt: *Cum enim Achor de anathemate furtim ſurripuiſſet &c. Ita cecidit ſors ſuper Achor*. (*d*) Bis *Achor* pro Achan ſcriptum legimus.

B. Ego Gratianum erraſſe arbitror, non librarios.

A. Si Gratiani erratum eſt, memoriæ erratum eſt, qualia multa & apud Ciceronem, & apud alios ſcriptores ſæpe adgnita ſunt: ſi librariorum peccatum eſt, cur Gratianus notatur? (2) Tertius locus eſt: In inſcriptione quadam pro Carthaginienſi concilio *Agathenſe primum* ſcribitur. (*e*) Eſt autem caput XI. concilii Carthag. I. (3) Alibi Alexandri-

A nus Epiſcopus *Leander Hiſpalenſis* dicitur, (*f*) atque idem *Leonardus Epiſcopus* alio in loco. (*g*) Prior locus eſt diſtin. XXXIIX. ubi poſt verba B. Auguſtini additur: *Idem ad Alexandrinum Epiſcopum. Indignum vehementer exiſtimo, ut verba cæleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati*. Hæc non Auguſtini verba ſunt, ſed Gregorii in præfat. Moralium in Job cap. ult. qui liber ad Leandrum Epiſcopum inſcriptus eſt. Hoc non fugit Joannem And. F. Sunt, qui putent additum eſſe hoc caput a Gratiani diſcipulo Palea, ut id, quod proximum eſt, cujus inſcriptio non vocem, *Idem*, habere debet; ſed hanc, *Auguſtinus*. (4) Alter locus eſt ex B epiſtola quadam Gregorii ad eumdem Leandrum Epiſcopum de trina merſione baptiſmatis, quæ exſtat, ut notat Demochares, lib. I. epiſt. quadrageſima prima regiſtri. Eiuſdem mentionem invenies in concilio Toletano quarto cap. V. & in concilio Vormatienſi item cap. V. & apud Ivonem, & Anſel. Lucenſ. & alios collectores. (5).

Joan. And. in cap. ad audientiam, in fine de reſcript. d. c. 80.

C. Quis hic Leander fuit?

A. Tres fratres germanos inſignes pietate, & eruditione viroa habuit Hiſpania Reccaredo Rege, Leandrum, Iſidorum, & Fulgentium: duo illi Hiſpalenſes Epiſcopi fuerunt, hic tertius Aſtigitanus. Leandro acceptam ferimus Gotthorum Arianorum in C catholicam fidem converſionem. Cum hoc Gregorius amicitiam inivit Conſtantinopoli; venerat enim illuc alter Pelagii Pontificis, alter Regis ſui legatus ad CP Imperatorem.

Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 53. panorm. & par. 1. cap. 130. decr. Anſel. lib. 9. c. 17. & 61. Caſar. lib. 12. c. 43. Tarrac. lib. 4. cap. 10.

B. Hic idem *Alexander* ſemel vocatus ab Anſelmo Lucenſi, iterum *Leander*. Fieri poteſt, ut idem nomen ſit; ut Joſue, Jeſus, & Jaſon. Scander Berg, pro Alexandro Magno, avorum memoria, inſignis vir peritia rei militaris, dictus eſt.

A. Quid tu Leandrum Muſæi putas eumdem eſſe cum Alexandro Macedone?

B. Non ego eumdem virum eſſe dico, ſed idem

(a) 4. *Reg.* 1. 6.
(b) 26. *quæſt.* 2. *in prin.*
(c) 23. *quæſt.* 4. *cap.* 29. *§ illic, p. ſed objicitur.*
(d) *Joſu.* 7. 6.
(e) 15. *quæſt.* 7. *cap.* 3. *§ quis.*
(f) *Diſt.* 38. *cap.* 13. *indignum.*
(g) *De conſec. diſt.* 4. *c.* 80. *de trina.*

dem nomen; quamvis in etymo utriuſque hæreo.

A. Sequitur *Anaſtaſius* ſæpius ex *Athanaſio* mutatus. Dum enim narrat Gratianus Athanaſii pueri, ſimulati Epiſcopi factum, qui catechumenos aqua ſalutari tingebat, tempore Alexandri Epiſcopi Alexandrini, eum *Anaſtaſium* vocat. Sed ex Rufini hiſtoria lib. x. cap. xiv. mutari nomen debet. (6) Idem erratum in duabus inſcriptionibus eſt. Altera hæc eſt: *Felix Papa Anaſtaſio, & omnibus Orientalibus Epiſcopis*. Scribe, *Felix Papa ſecundus Athanaſio, & omnibus &c. ex conciliis.* (7) In altera eſt: *Anaſtaſius Patriarcha Papæ Felici*. Scribe, *Athanaſius Patriarcha Alexandrinus Felici Papæ ſecundo*. Referunt horum capitum verba Burchardus, (*a*) Ivo, (*b*) & Anſelmus. (*c*) (8) Alterius *Athanaſii* nomen invenio in *Anaſtaſium* eſſe mutatum. Etenim in concilio Chalcedonenſi actione xiv. de quodam Athanaſio Epiſcopo Parrhenorum † agitur, qui cum a Patriarcha ſuo deponeretur, eum ſibi inimicum eſſe conqueſtus eſt, iterumque audiri jubetur. Idemque Nicolaus refert in epiſt. ad Michaelem Imp. cujus initium eſt: *Propoſueramus*. At Gratianus hunc *Anaſtaſium* appellat. (*d*) (9).

[Margin: 1. quæſt. 1. cap. 38. Spiritus p. ecce. — 5. quæſt. 2. c. ultimo. — 9. quæſt. 3. c. 11. ſuit. — † Paratenorum.]

B. Eadem ratione Athanaſii libris aliquot Anaſtaſii Antiocheni, ut exiſtimo, libri mixti ſunt. Ut cum plebeii in patricias familias inſerebantur.

A. Illud æquo animo ferendum eſt, quod pro *Aſello*, *Anſelmus* ſcriptus eſt in inſcriptione cujuſdam capitis (*e*) his verbis: *Item ex concilio Milevitano, cui interfuit Auguſtinus, & Anſelmus Romanæ Eccleſiæ legatus contra Pelagianos*. In concilio Carth. vi. & vii. mentio fit trium legatorum Romanæ Eccleſiæ, Fauſtini Epiſcopi, & Philippi, & Aſelli presbyterorum. Hi a Zoſimo Papa miſſi ſunt, & in Africa poſt ejus mortem fuerunt. Interfuiſſe hos legatos in concilio Milevitano, mihi non conſtat: ſed præſentibus eiſdem lectos fuiſſe canones ejus concilii, & aliorum multorum, conſtat ex concilio Africano, & ex concilio Carthaginienſi Græce conſcripto. Sunt etiam Milevitani concilii litteræ ad Innocentium, qui ante Zoſimum fuit, & Innocentii ad eamdem ſynodum. (10) *Arſacii* Epiſcopi nomen invenio apud Anſelmum, (*f*) qui *Thracius* dicitur a Gratiano (*g*) in relatis Pelagii verbis. Sed in alio veteri Anſelmi libro idem *Tertius* vocatur, & ſcriptor epiſtolæ *Gelaſius*. Sic omnia ſunt nobis incerta. Tantum hoc in variis lectionibus conſcribi poteſt. (11) Illud certum eſt, quod alibi pro *Aſcanio* Tarraconenſi Epiſcopo, *Aſcanius* apud Gratianum legitur in Hilarii Papæ verbis. Namque in conciliis aperte *Aſcanius* appellatur, ad quem ſunt duæ Hilarii epiſtolæ: & de eodem agitur in concilio Romano ab Hilario habito. In eodem Gratiani capite de *Barchinonenſi* Eccleſia agitur, ſed ſcribendum eſt, *Barcinonenſis*. Et poſtea: *Talis protinus de clero proprio & Barchinonenſibus ordinetur Epiſcopus*. Dele & atque ſcribe, *Barcinonenſibus*. Melius hæc Anſelmus habet. (12) Sic etiam male ſcribi ſolet *Terracona* pro *Tarracone*, & *Barchinona* pro *Barcinone*, & *Terraconenſi* pro *Tarraconenſi*. Sed & *Terraconenſis* pro *Tarracinenſi* invenies apud Gratianum. (*h*) At ex regiſtro beati Gregorii conſtat agi de Fundenſi Eccleſia, & Tarracinenſi eidem Epiſcopo commiſſis. (*i*) Conjungi autem debent duo capita ex eadem Gregorii epiſtola ſumpta ad Agnellum Epiſcopum, quæ eſt epiſt. xiii. c. lii. libri ſecundi. Hæc etiam recte Anſelmus conſcripſit, (*k*) & liber Cæſarauguſt. (*l*) (13).

[Margin: 7. quæſt. 1. c. 30. remoto. — Anſ. lib. 6. c. 108.]

C. Eadem ratione fortaſſe apud Gregor. IX. ſub titulo *de immunitate eccleſiarum capitis ſecundi* inſcriptio mutanda eſt. (*m*).

A. Recte admones: ideoque ex lib. vii. regiſtri ejuſdem Gregorii conſtat, ut diximus notis ad collectionem Bern. Papienſis, & in collectione conciliorum Tarraconenſium. (14) Venio nunc ad aliam, ut hic noſter appellare ſolet, metamorphoſin. In Gratiani libro legitur diſtinct. liv. *Ex concilio Maguntinenſi cap.* viii. *Palea. Magnus Epiſcopus Auguſtudenſis dixit Carthaginienſi primo* pro *Magunt.* ſcribendum eſſe admonuit Ant. Demochares. *Aſſiginenſis* pro *Auguſtud.* ſcribi etiam debuit ex conciliis. *Aſſuagenſis* habent Burchardus, (*n*) & Ivo; (*o*) *Auguſtenſis*, Bernardus Papienſis & Gregor. IX. (*p*) (15).

C. Cur nomen hoc, *Palea*, adſcriptum eſt huic, & aliis quibuſdam capitibus? Sunt enim, qui putent incertis, & inutilibus id adjectum. Sed tu diſcipuli Gratiani nomen eſſe dixiſti.

A. Ego duorum Juriſconſultorum teſtimonium habeo, Joan. Andreæ, & Catelliani Cottæ. Sed & video in veteribus Gratiani libris illa capita deſiderari; & in Joannis Teutonici ſcholiis raro ad verba eorum capitum aliquid adſcribi. Itaque exiſtimo illa capita poſtea adjecta fuiſſe. Huc accedit, quod Bernardus Papienſis nonnulla ex his in librum ſuum retulit, quod de Gratiani capitibus non facile invenies. Sed quid B. Selecti illi viri Romæ de *Palea* dicunt?

B. Hoc ipſum audivi, in veteribus libris non inveniri; Paleæque nomen eſſe hodie familiæ cuidam Cremonenſi proprium. Neque tamen carere auctoritate, aut eſſe rejicienda hæc capita, ſed aliqua nota eſſe a ceteris diſtinguenda, quaſi addita poſt Gratiani lucubrationes. (16).

A. Hoc ſit hujus diei penſum. Cras, ſi videbitur, pluribus de ceteris agemus.

ADDITIONES:

(1) IN *editione Romana 23. q. 4. c. 29. ſi illic. p. ſed objicitur: nomen* Achab *editum eſt, ſed in margine eſt*, Ochozias filius Achab. *& in ſcholio* Achab. *Confundit hiſtoriam &c. in fine poſt illa verba*, ſub Ochozia, *additur*, cujus filius fuit Achab, *ut legitur 4. lib. Reg. in prin. & 3. Reg. ult. Quod vero in contextu verborum dicitur, illud Ambroſii*, Ad preces Heliæ *&c. habet in margine*, ſupra eo quod Chriſtus 4. *Reg.* 1. *Id caput eſt inſcriptum Ambroſio lib. 7. commentarior. ad cap. 9. Lucæ. Sed illic nihil de Achab dicitur; neque apud Ambroſ. eadem verba inveni.*

(2) *In Romana editione 26. q. 2. in prin.* Achar *editum eſt, non* Achor, *& in margine*, alias Achan, *& Joſue 7.*

(3) *In Gregoriana editione inſcriptio capitis tertii*

Si

(a) *Burc. lib. 1. cap. 221.*
(b) *Ivo par. 5. cap. 15. & 335. decr.*
(c) *Anſ. lib. 2. cap. 90. & 91.*
(d) *3. quæſt. 5. cap. 14. nulli pag. 1. &c. 15. quod ſuſpecti.*
(e) *De conſec. diſt. 4. cap. 152. placuit.*
(f) *Anſel. lib. 12. cap. 46.*
(g) *23. quæſt. 5. cap. 44. quali.*
(h) *25. quæſt. 1. cap. 5. relatio. &c. illud.*
(i) *Vid. Gregor. lib. 2. epiſt. 14. cap. 53. & lib. 7. cap. 20. ind. 1.*
(k) *Anſel. lib. 5. cap. 25.*
(l) *Caſ. lib. 3. cap. 48.*
(m) *Cap. 2. de immu. eccleſ. in 2. collect. & apud Gregor. IX. Diſt. 54. cap. 3. Magnus.*
(n) *Burc. lib. 2. cap. 36.*
(o) *Ivo par. 6. cap. 137. decret.*
(p) *Cap. un. de oblig. ad ratio. in 2. collect. & apud Gregorium IX.*

Si quis tumidus 15. *q.* 7. *hæc eſt*. Item ex concilio Carthaginienſi primo cap. 11. *Mon additur*: Sic eſt emendatum ex vetuſtis codicibus; nam in vulgatis erat, *Agathenſi primo*, cum unicum dumtaxat Agathenſe memoretur.

(4) *Inſcriptio capitis* 13. Indignum, *diſtin.* 8. *in Gregoriana editione eſt hæc*. Item Gregorius ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem in præfat. Moralium ad finem. *Et capitis* 14. Locutio, *inſcriptio eſt*: Item Auguſtinus de vera religione *c.* 49. & 50. Palea.

(5) *In dicta Gregoriana editione inſcriptio capitis* 80. De trina. *de conſec. diſt.* 4. *eſt hæc*. Item Gregorius Leandro Epiſcopo Hiſpaniar. *lib.* 1. *epiſt.* 41. *& in margine additur*. Et in Tolet. 4. *c.* 5. & in Wormatienſi *c.* 5. Sent. ibid. (*hoc eſt ſent.* 4. *diſt.* 3.) Polyc. l. 3. *tit.* 10. Anſel. l. 9. c. 61. Ivo p. 1. *c.* 130. Pan. l. 1. *c.* 60.

(6) *In eadem editione Romana* 1. *q.* 1. *c.* 58. Spiritus. *par.* Ecce. Per Athanaſium puerum, *ſcriptum eſt*.

(7) *In eodem Gregoriano libro inſcriptio cap. ult.* 5. *q.* 2. *hæc eſt*: Item Felix Papa *II.* Athanaſio, & omnibus Orientalibus Epiſcopis epiſt. 1. *cap.* 3. *Additur in margine*, *Burc. lib* 1. *c.* 221. & Ivo *p.* 5. *c.* 335.

(8) *In eodem libro inſcriptio capitis* 11. Fuit ſemper *cauſa* 9. *q.* 3. *ita ſcripta eſt*: Item Athanaſius Patriarcha Papæ Felici ſecundo, *& in margine eſt*. In tomis conc. & Ivo *p.* 5. *c.* 15.

(9) *In eodem libro* 3. *q.* 5. *c.* 14. Nulli. *par.* 1. Athanaſius *appellatur*: *ſed in margine eſt*: al. Anaſtaſius. *Sed capite* 15. *Quod ſuſpecti*, Athanaſius *dicitur ſine ulla varietate, & multa de eodem dicuntur in notis ex concilio Chalcedonenſi actione* 14. *Mendoſe autem in margine dicitur* actione 24. in fine. (*Vide lib.* 2. *dial.* 12. *add.* 6.)

(10) *De conſecrat. diſtin.* 4. *c.* 152. Placuit igitur *hanc habet inſcriptionem in Romano libro*. Item ex concilio Milevitano, cui interfuit Auguſtinus, & Anſelmus Romanæ Eccleſiæ Legatus contra Pelagianos *c.* 1. *Additur in margine*, & in Afric. c. 76. *& mox ad vocem* Anſelmus, *videtur mendum in hoc nomine*.

(11) *In eodem Romano libro* 23. *q.* 5. *c.* 44. *Quali. Pelagii*, Thracius *editum eſt ſine ulla varietate. In margine eſt.* Anſ. l. 12. *c.* 46. Paulli ibid. (*hoc eſt*, *lib.* 7. *tit.* 5.)

(12) *Caput* 30. Remoto, 7. *q.* 1. *hanc in eodem libro habet inſcriptionem*; Item Hilarius Papa Epiſcopis Tarracon. e. 3. *& poſtea eſt*: Remoto ab eccleſia Barcinonenſi &c. & de clero proprio Barcinonenſib. &c. & frater Aſcani. *In margine eſt*, Anſ. *l.* 6. c. 109.

(13) *In Romana editione* 21. *q.* 1. *c.* 5. *Relatio*, *Gregorio adſcribitur lib.* 2. *ep.* 13. *ſeu c.* 52. *ad Agnellum Epiſcopum. Initium capitis eſt*: Relatio cleri, ſimul & populi Tarracinenſis. *In notis hæc ſcripta ſunt*. Tarracinenſis. *Sic eſt emendatum ex vetuſtis, cum in vulgatis eſſet Tarraconenſis gentis. In originali autem legitur*, Tarracinæ degentis. *In extremo capite hæc etiam addita ſunt*: Alia eſt ſententia B. Gregorii, ac Gratianus putare videatur. *Hunc enim Agnellum, qui antea Fundorum erat Epiſcopus, quod ea civitas ab hoſte eſſet vaſtata, Tarracinæ cardinalem conſtituit ſacerdotem, ut in ſequenti capite. De qua re notatum eſt ſupra diſt.* 71. *c.* fraternitatem. *In margine hujus capitis eſt*: Anſel. *l.* 5. *c.* 28. Polyc. 1. *tit.* 8. *Capite proximo eſt*, Tarracinenſis eccleſiæ.

(14) *Caput ſecundum de immunitate eccleſiarum in Romana editione hanc habet inſcriptionem*: Gregorius Archiepiſcopo Tricen. *& in margine*: Gregorius Agnello Terracon. Epiſcopo. Alias Terracin. Epiſcopo. Item Gregorius Agnello Epiſcopo lib. 7. epiſt. 20. ind. 1. regiſtri B. Gregorii. *Vide c.* 2. *eo. tit. in* 1. *compilat.*

(15) *Caput tertium diſtin.* 54. *in editione Romana hanc habet inſcriptionem*: (*Ex concilio Carthaginienſi primo c.* 8.) *Palea*. *Ejus initium eſt*. Magnus Epiſcopus Aſtiagenſis dixit. *In notis ſcribitur*. In codicibus impreſſis citatur ex Moguntinenſi. Emendatum vero eſt ex Burchardo, Ivone, Decretali. *in c. uni. de obliga. ad ratio. In margine hæc ſunt*: Extra de obligat. ad ratio. c. Magnus. Burch. *l.* 2. *c.* 36. Ivo *p.* 6. *c.* 137. *In eadem editione caput unic. de obligatis ad ratiocinia hanc inſcriptionem habet*: Ex concilio Cartha. *& hoc initium*. Magnus Epiſcopus Auguſt. dixit. *In margine hæc ſunt*: *Concilium Carthaginienſe primum c.* 8. *refert Burchardus libro* 2. *decreti c.* 36. *Ivo par.* 6. *c.* 137. *& in* 1. *compilat. eo. ti. c. uni. Gratianus diſt.* 54. *c.* 3. *ubi falſo tribuit concilio Maguntinenſi: & eſt difficilis textus: ſed vide, quæ dixi in notis hujus capitis*. (*Cur hæc poſtrema verba edita ſint, quærendum*.)

(16) *De Palea hæc ſunt in admonitione Gregorianæ editionis*; *De nomine Paleæ ſunt variæ doctorum hominum ſententiæ. Multi ea capita, in quibus res inanes, ac leves continerentur, hoc nomine appellari conſueverunt: alii quaſi* τὸ παλαιὰ, *id eſt antiqua: alii quaſi additiones quaſdam, derivata, aut potius depravata voce ab adverbio* πάλιν *id eſt rurſum, quo ſcriptores etiam Latini tempore Gratiani uterentur. Verum Joannes Andreæ in addition. ad Specul. tit. de diſputation. & allegation. prope finem*, (*quem Imola in rubr. de verbor. obligat. Alexandrin. in proœmio Decretal* (*ſcribe*, Decreti) *Jaſon in rubr. tit. de action. & alii ſunt ſecuti.*) *putat quemdam* Protopaleam, *quem Jaſon addit Cardinalem fuiſſe, collectioni Gratiani capita hæc adjunxiſſe. Atque ut in re tam incerta aliquid elici conjectura poſſit, exponetur, quid in collatis exemplaribus obſervatum fuerit. In tribus, quæ ſunt antiquiſſima, & videntur ſcripta paullo poſt Gratiani ætatem, pauciſſima ex hujuſmodi capitibus habentur. In uno valde emendata ſunt appoſita in margine ſine ulla nota, ſed non omnia, quæ in impreſſis: quamvis viciſſim in illo additiones aliquæ ſint, quæ in his non habentur. In alio litteris perantiquis deſcripto* Paleæ *ipſæ recentiori ſcriptura toti volumini præponuntur. In ceteris habentur aut omnes, aut pleræque & partim quidem cum* Paleæ *nomine, partim vero ſine ullo a ceteris capitibus diſcrimine. Ex qua obſervatione illud videtur poſſe colligi, has* Paleas *eſſe additiones non eodem tempore factas ad primam collectionem Gratiani, in margine primum adſcriptas, ac nonnullas fortaſſe ab ipſomet Gratiano, ut fit, inter componendum, aut relegendum: quas deinde librariorum quidam omiſerint, quidam in contextu poſuerint, interdum conjunctè cum prioribus capitibus, interdum cum aliquo diſcrimine. Falſam vero eſſe illorum opinionem, qui eas contemnendas putant, ex eo conſtat, quod multæ & in Decretalibus & apud vetuſtiores Gratiano collectores habentur: quod ſuis locis indicabitur.* (*In meis libris non* Protopalea, *ſed apud Joan. Andr. qui poſtea*, Palea *eſt*; *apud Jaſo*. Quotapalea Cardinalis; *apud Imol.* Paucapalea, *vel* Pocapalea Cardin. *apud Card. Alex.* Procopaleas.

DIALOGUS III.

De eodem erratorum Genere.

C. ANtequam cetera dicas, quæ mendoſa tibi eſſe videntur: velim ſerupulum auſeras mihi de his mendis cogitanti, qua de re eum B. egi; ſed eum is aliquid mihi dixiſſe videretur, poſtea iterum in eamdem incidi dubitationem.

A. Quid tandem illud eſt?

C. Quidnam intereſt, Gratianum pro *Leandro Leonardum* ſcribere, aut pro *Athanaſio Anaſtaſium*? Nam cum jus Pontificium tractetur, id æque in Leonardo, & Anaſtaſio vim ſuam obtinebit, atque in Leandro, & Athanaſio.

A. Quid ad hæc B. noſter dicebat?

C. Exemplo ex ſymbolo ſumpto vim argumenti eludere conabatur. Namque dicebat, ſi quis diceret, Chriſtum paſſum ſub Pontico Pilativo; non ſub Pontio Pilato: non convenire in ſymbolo fidei crederetur cum catholica Eccleſia; niſi eum ruſticum fuiſſe, & imperitum Latini ſermonis conſtaret. Atqui in re nihil interfuit, Pontius ille, an Ponticus diceretur, ſub quo Chriſtus paſſus eſſet.

A. Mihi exemplum non diſplicet. Tu vero quid ad hæc?

C. Non mihi videtur Gratianus aliquid habere eum ſymbolo commune.

A. Quid ita?

C. Symbolum formula quædam eſt, a qua cadere ne verbo quidem licet, aut ſyllaba. At Gratiani ſcripta licet vel tota contemnere, niſi forte verum eſt, quod aiunt quidam, ab Eugenio Tertio fuiſſe confirmata.

A. Malo te illa priora credere, quam hæc. Etenim in illis unum, atque alterum vitium eſt: in his de omnibus agitur.

C. Non ſatis intelligo, quid dicas.

A. Tu ſi Leandrum credas Leonardum dici, erras, ſed error hic unus eſt: item unus, ſi credas Athanaſium alio nomine vocari: at ſi credas omnia, quæ Gratianus ſcripſit, Apoſtolica eſſe auctoritate confirmata; multiplex hic error erit tuus, & omnia complectetur hoc volumine conſcripta.

C. Nunc plane intelligo. Sed quo pacto probas non eſſe confirmata?

A. Tu qui ais, redige in memoriam. Vidiſti ne umquam Eugenii confirmationem?

C. Minime gentium.

A. Habes ne aliquem dicere, qui ſe dicat vidiſſe, aut qui ex ea partem aliquam referat?

C. Ne hoc quidem. Sed ſunt, qui aſſerant eum confirmaſſe.

A. Sunt etiam, qui id negent.

C. Age vero, quid tu dicis ad id, quod initio petebam mihi ſatisfieri!

A. Id quod dici ſolet de his, qui glandibus veſcuntur inventis frugibus. An ſi tu puero dederis exſcribendam epiſtolam, quam patri, vel fratri tuo mittere velis: ille tibi multa nomina immutaverit, litteras addiderit, vel detraxerit; & cum illi iratus fueris, & iterum eam deſcribere coegeris: ille hac ratione utatur; nihil intereſſe Leander ſit, an Leonardus; Auguſtus, an Auguſtinus, cum de re ipſa conſtet; probabis ne, quod dicet?

C. Minime vero.

A. Idem de librorum mendis dicendum eſt, quod de epiſtolis. Alii tamen aliis errores præcellunt. Sunt leves aliquot fateor: ſed totum hoc genus emendationis contemnere, inhumanum, & a ratione alienum eſſe arbitror. Sed quid ait B. noſter?

B. Mihi vero hoc ipſum, quod tu ais, ita verum eſſe videtur; ut nihil amplius te addere velim: ſed ad cetera venire Gratiani mendoſe ſcripta.

A. Eſt nobis principio ab inferis excitandus *Beliſarius*, qui cum Gratiano contendat, cur ab eo *Guiliſarius* dicatur. *Silverius* etiam Pont. Max. expoſtulabit, cur *Silveſter* appelletur. Admonuit Demochares hoc ipſum de *Silverio*, de *Beliſario* Contius. Illud ab utroque male editum eſt: *in palatium Principis*, pro *Pincis*. Anſelmus paullo melius hæc refert. Hæc ex conciliis accepimus. (1) Plura errata ſunt in illis verbis quæſtionis tertiæ cauſſæ XXI. Quod autem clerici ſæcularium negotiorum procuratores eſſe non valeant: auctoritate Carthaginienſis concilii primi probatur; in quo Nicolaus Papa Epiſcopis Caſtilianis dixiſſe legitur: *Palea. Pervenit in ſanctam ſynodum* &c. Quis umquam crederet, Nicolaum Papam, qui tot ſæculis vixit poſterior omnibus ſynodis Carthagine habitis, aliquid in prima ſynodo dixiſſe? Verba autem, quæ Palea addidit, (*a*) ſunt ex concilio Chalcedonenſ. cap. III. de quibus Burchardus, (*b*) Ivo, (*c*) & Anſelmus (*d*) tractant, & Gratianus diſtinctione XXCVI. extrema. Omnes recte *ex Chalcedonenſi concilio*, inſcripſerunt.

23. q. 4. c. 30.

Anſel. lib. 12. cap. 8.

21. q. 3. c. 1. & 2.

C. Cur igitur Gratianus, vel Palea, *ex concilio Carthaginienſi, in quo Nicolaus Papa* &c. An concilio Chalcedonenſi Nicolaus Papa interfuit?

A. Id concilium habitum eſt ſub Leone Papa, & Marciano Imperat. Nicolaus ſcripſit ad Michaelem Imp. de Ignatii, & Photii ſchiſmate aliquot poſtea ſæculis. Nicolao ſucceſſit Hadrianus Secundus, ſub quo ſynodus octava generalis habita eſt contra Photium. Chalcedonenſis hæc quarta dicta eſt.

C. Mendum igitur eſt in concilii & Papæ nomine. Quid ſi Leonem pro Nicolao, & Chalcedonen. pro Carthaginienſi ſubſtituamus?

A. Cave feceris. Neque enim Leo in eo concilio interfuit. Præſtat auferre, quæcumque Palea interpoſuit. Ea autem ſunt illa: *Pervenit in ſanctam* &c. uſque ad illa: *Credo placere* &c. quæ ſunt ex Carthag. primo cap. IV. & pro illis: *Nicolaus Papa Epiſcopis Caſtilianis*; ſcribendum fuit; *Nicaſius Epiſcopus Culuſitanus*.

21. q. 3. c. 1 & 2.

C. Apparent veſtigia emendationis in margine librorum Democharis, & Contii: & bis poſita inſcriptio ante caput utrumque indicat, inſcriptionem prioris capitis non eſſe ad Paleæ verba referendam.

A. Confirmantur hæc tum ex conciliis, tum ex Burchardo, & Ivone; quorum alter ſcribit: *Nicaſius Evaſlitanus Epiſcopus dixit*: *Credo* &c. alter *Evariſtanus* pro *Evaſlitanus*, cetera totidem verbis. (2)

Burch. lib. 2. cap. 150. Ivo par. 6. cap. 223. decr.

B. Ex hac emendatione poterit C. noſter a ſua ſententia diſcedere: cum videat tot vulneribus facile fuiſſe medicinam adhibitam.

C. Ego vero manus libenter do: cum hoc exemplo cognoverim, multum intereſſe ſcire, unde ſingula capita ſumantur, quæ verba Gratiani, quæ Paleæ ſint, & quæ aliorum.

A. Id ipſum aſſequi non poteris, niſi menda tollas inſcriptionum, & niſi cum conciliis, & veteribus collectionibus Gratiani contuleris lucubrationes. Sed cetera perſequamur. *Joannis Chryſoſtomi* nomine ſæpe librarii ſunt abuſi: pro *Joanne Octavo* in cauſſa XXVII. his verbis: *Item Joannes Chryſoſtomus Roſtanno Archiepiſcopo. Aito præſentium lator* &c. Hanc emendationem Ivonis collatione didicimus. (3) Pro *Chromatio* ſæpe littera-

27. q. 2. c. 40. Ivo par. 14. c. 64.

(a) *Diſt. 86. cap. ult.*
(b) *Burc. lib. 3. cap. 545.*
(c) *Ivo par. 6. cap. 218. decret.*
(d) *Anſ. lib. 6. cap. 181. in Rom.*

rarum ſimilitudine ducti *Chryſoſtomum* ſcripſerunt, ut cauſſa XXII. *Hinc etiam Joannes Chryſoſtomus ait: Juramenti hujuſmodi* &c. (a) ſcribe, *Chromatius cap. IV. in fine in Matthæum.* Et de pæniten. diſtinct. I. *Idem Joannes Os aureum: Non poteſt quis gratiam* &c. (b) ſcribe, Chromat. cap. IV. *in Matthæum.* Hæc etiam verba invenies mendoſa, de conſecrat. diſtin. IV. cap. IV. Sic etiam cap. X. ejuſd. diſtinct. itidem mutandum eſt. (c) (4) Hæc ex libris Mich. Thomaſii Ilerdenſis Epiſcopi accepi, qui unus ex ſelectis Romæ viris, atque ut audio, magna pars ejus belli fuit; idque ex litteris ejuſdem accepi.

B. Non ſine Theſeo Petro Ciacone, ſive Ciaconio, cujus ſudoribus, atque eruditione magnos progreſſus fecit.

Diſt. 20. c. 1. A. *Syricius* in *Cyricum* mutatus eſt diſtinctione XX. in illis verbis *Quarti Leonis de corpore canonum. Et cum illis regulæ præſulum Romanorum Silveſtri, Cyrici, Innocentii.* Si quis librum ipſum legat, quem Corpus canonum dicimus, videbit, eoſdem Pontifices a Syricio ad Gregorium Juniorem epiſtolas quaſdam, & canones conſcripſiſſe. Eodem capite, dum concilia enumerantur, poſt vocem *Gangrenſium*, hæc deſiderantur; *Antiochenſium, Laodicenſium, Conſtantinopolitanorum Chalcedonenſium.* Hæc melius apud Ivonem, (d) & Anſelmum, (e) & in libro, quem Deus dedit Cardinalis ſcripſit, (f) & in libro Cæſarauguſtano (g) inveniuntur. (5) Ex epiſtola beati Auguſtini CLXIV. ad Emeritum duo capita apud Gratianum leguntur, alterum cauſſa prima, (h) cujus initium eſt, *Sacramenta*; alterum cauſſa XXIII. (i) cujus principium eſt, *Noſtri adverſus*, Ad *Demetrium*, pro Ad *Emeritum* utrobique ſcriptum eſt, atque ita ſcriptum, ut neſcias libri titulus ſit, an epiſtolæ. Videndus Deus dedit cap. II. (6) Non minus erratum eſt in illis verbis, quæ refert Gratianus diſt. XVI. (k) *Quinta in Conſtantinopoli contra Theodorum Meſocboenum, & omnes hæreticos* &c. *temporibus Juſtiniani Principis, Julii Papæ Romani, domini Antiocheni, Eutychii Conſt. Vigilii* pro *Julii* ſcribendum recte notavit Demochares tam hoc cap. X. Iſidori, quam IX. Bedæ. Neque enim Julius Papa fuit temporibus Juſtiniani Imp. Sed & *Domni* pro *domini* ſcribendum Iuit, (l) & *Mopſueſtenum* pro *Meſocboeaum* ex conciliis. Mopſueſtenum adgnovit Contius. (7) Idem Theodorus *Moſophenus* appellatur cauſſa XXIV. quæſtione ſecunda extrema his verbis etiam apud eumdem Contium: (m) *Item Rabanus ſanctæ memoriæ Epiſcopus factus Ediſſenæ civitatis, qui in ſacerdotibus reſplenduit, Theodorum Moſophenum poſt mortem in Eccleſia anathematizavit.* *Pro Rabanus ſcribe Rambulas*, & pro *Moſophenum*, *Mopſueſtenam.* (8)

B. Hic ne eſt Theodorus, quem laudat Iſidorus in viris illuſtribus, & ait, ab Acephalis fuiſſe damnatum?

A. Negare non poſſum eumdem eſſe. Sed exiſtimo Iſidorum tunc non legiſſe acta quintæ ſynodi generalis. Sic etiam apud Ivonem parte quarta cap. XXCI. decret. de Sozomeni hiſtoria dicitur: *Eam ſedes Apoſtolica ſuſcipere recuſat, quando multa mentitur, & Theodorum inconſuete nimiam laudat.* Pro *inconſuete*, ſcribo *Mopſueſtiæ*.

B. Vehementer placet.

A. Male autem factum eſt, cum pro concilio *Emeritenſi*, concilium *apud Emerech* ſcripſerunt, cauſſa X. quæſtione tertia. Ejus concilii mentionem facit Innocentius Tertius lib. II. epiſt. CXXI. regiſtri, & ex eo in decretis ait caput eſſe, cujus initium *Priſcis*. Eſt autem caput XVI. ejuſdem concilii, quod non editum vidi. Et ex eo negatio auferenda eſt ab editis Gratiani libris: *Cui ſua pleniſſime ſufficere non poſſunt.* Etenim legendum eſt, *ſufficere poſſunt.* 10. q. 3. c. 1. *priſcis.*

B. Vox pleniſſime aperte oſtendit negationem non fuiſſe ſcribendam (9)

A. Sic alibi pro *Epaunenſi* concilio, *Hipponenſe* ſcriptum eſt capitis XXX. de conſecratione inſcriptio: (n) *Item ex concilio Hipponenſi cap. VI. Altaria ſi non fuerint lapidea* &c. Scribendum, *Epaunenſi cap. XXVI. & XXVII.* Melius Burchardus, (o) quam Ivo (p) id caput referunt. (10) Quis etiam ferat, quod cauſſa XV. dicitur? (q) *Item ex concilio apud Epheſum habito præſente Henrico Rege: Placita ſacerdotum* &c. Quis Rex interfuit Epheſi in ſynodo, quæ habita eſt ſub Theodoſio Minore, ſi de generali loquimur? Si de alia, quid Henrico cum Epheſo? Apud Burchardum (r) pro voce *Epheſum* eſt *Erpheſfurt*, quæ vox Germanica eſt: apud Ivonem (s) *Erſphord*, non ſine mendo.

B. Memini videre Romæ notas tuas ad Hadrianum, ſive Engelramnum, in quibus de hac emendatione dicebatur. Eamque aliis Burchardi, (t) & Ivonis (u) locis confirmabas.

A. Inveni poſtea in quibuſdam chronicorum libris Galliæ, & Germaniæ, (x) ejus loci, & concilii mentionem; item loci tantum, in epiſtolis Zachariæ, & Bonifacii martyris. (11) Sed anchoras tollamus.

ADDITIONES.

(1) IN *Gregoriana editione 23. q. 4. c. 30. hanc habet inſcriptionem. Item objicitur illud Silverii Papæ ad Amatorem Epiſcopum. Et poſtea. Beliſarius patricius noſter mandavit. Et in notis. In tribus vetuſtis exemplaribus in quibus caput hoc reſtitutum eſt Silverio (antea enim tribuebatur Silveſtro) legitur Beliſarius. Sed quia eſt initium capitis, non eſt mutatum. In margine eſt. Polyc. l. 1. tit. 7. Anſ. lib. 12. c. 8. & 9. In eodem capite editum eſt: in palatium Pincis; & poſtea: ante prædictam patriciam, & in notis additur. Sic mutatum eſt ex ipſa epiſtola, & vita Silverii, ubi hæc patricia vocatur Antonina. Antea legebatur, prædictum patricium.*

(2) *Capitis primi inſcriptio 21. q. 3. in Romana editione hæc eſt: Auctoritate Carthaginienſis concilii primi probatur: in quo Nicaſius Epiſcopus Culuſitanus dixiſſe legitur. c. 6. Palea. Pervenit in ſanctam &c. In notis hæc ſunt. Emendata eſt hæc inſcriptio ex ipſo concilio, & vetuſtis Gratiani codicibus cum antea mendoſe legeretur: Nicolaus Papa Epiſcopis Cuſtilianis. Pertinet autem hic titulus ad c. Credo proxime poſt Paleam interjectam ſequens. In margine*

(a) 22. *queſt.* 5. *c.* 12. *juramenti.*
(b) *De pænit. diſt.* 1. *c.* 41. *non poteſt*, & *de conſecr. diſt.* 4. *c.* 4.
(c) *De conſec. diſt.* 4. *c.* 10. *nunquam aqua.*
(d) *Ivo lib.* 2. *tit.* 11. *c.* 31. *panor.* & *par.* 4. *c.* 72. *decr.*
(e) *Anſ. lib.* 3. *c.* 115.
(f) *Deus ded. c.* 2.
(g) *Cæſar. lib.* 2. *c.* 11.
(h) 1. *q.* 1. *c.* 34.
(i) 23. *q.* 3. *cap.* 3.
(k) *Diſt.* 16. *c.* 10. *prima autem p. quinta.*
(l) *Vid. Ivo par.* 4. *c.* 148. *decr.*
(m) 24. *queſt.* 2. *c. ult. p. item Rabanus.*
(n) *De conſec. d.* 1. *c.* 30. *altaria.*
(o) *Burch. libro* 3. *c.* 25.
(p) *Ivo lib.* 2. *tit.* 4. *c.* 5. *panor.* & *par.* 3. *cap.* 30. *decr.*
(q) 15. *queſt.* 4. *c.* 2.
(r) *Burc. libro* 13. *c.* 21.
(s) *Ivo par.* 4. *c.* 93. *dec.*
(t) *Burc. lib.* 11. *c.* 77. & *lib.* 13. *c.* 27. & 28.
(u) *Ivo d. p.* 4. *c.* 59. & 60. & *par.* 14. *c.* 125. *decr.*
(x) *Regino in add. an.* 936. *Lamber. an.* 935.

gine eſt: In conc. Chalc. c.3. ſup. di.86. Pervenit. Burch. l.2. c.145. Ivo p.6. c.228. † *In extremo capite hæc adduntur; Hic idem canon tertius concilii Chalcedonenſis affertur ſup. diſ. 86. c. fin. ex alia verſione. Abeſt autem hæc Palea a collatis exemplaribus exceptis duobus. In margine capitis 2. Credo placere, hæc ſunt. ſup. diſ.54 Magnus. Burc. l.2. c.150. Caput ult. diſt.86. ita inſcribitur: Unde in Chalcedon. concilio c.3. legitur: Pervenit ad ſanctam &c. In marg. eſt. Burc. l.2. c.145. Ivo p.6. c. 218.*

† 218. ſive vel 219.

(3) *In eadem Romana editione 27. q.2.c.47. eſt, quod ego 46. appello. Ejus capitis inſcriptio hæc eſt: Item Joannes Octavus Roſtanno Archiepiſcopo. Atha præſentium lator &c. In notis eſt. Octavus) ſic eſt reſtitutum ex pleriſque vetuſtis, & Ivone. In vulgatis erat Chryſoſtomus. In marg. hæc ſunt: Ivo par. 14. c. 64.*

(4) *Capitis duodecimi 22. q.5. inſcriptio in Gregoriano libro eſt: Hinc etiam Chromatius in c.5. Matthæi. Juramenti hæc cauſſa &c. In notis hæc ſunt. Chromatius) antea citabatur Chryſoſtomus: cui errori occaſionem dederat ſimilitudo primarum litterarum. Proximo capite pro* Idem *eſt in marg.* alias item. *De Pœniten. diſt.1. cap.41. Non poteſt, ita inſcriptum eſt. IDEM. Significatur autem Joannes os aureum, cujus eſt caput 40. Perfecta. In margine eſt: infra de conſecr. diſ.4. Non poteſt. At de conſecratione diſt. 4. c. 4. hanc habet inſcriptionem: Item Joannes Chryſoſtomus. Non poteſt quis &c. In margine hæc ſunt: forte Chromatius, & Sent. 4. diſt. 12. ſup. de Pænit. diſ.1. Non poteſt. Caput vero decimum ejuſd. diſtin. quartæ, hanc inſcriptionem habet: Item Chromatius in Matthæum c.6. Numquam aquæ &c. Et in notis hæc ſunt: Antea citabatur Chryſoſtomus, apud quem non eſt inventum, ſed in fragmentis Chromatii. Et in marg. eſt: Sent. 4. diſt. 3.*

(5) *Capitis primi diſtin. 20. in Romana editione verba ſunt: Quibus autem in omnibus Eccleſiaſticis utimur judiciis, ſunt canones Apoſtolorum, Nicænorum, Ancyranorum* [illegible] *Neocæſarienſium, Gangrenſium, Antiochenorum, Laodicenſium, Conſtantinopolitanorum, Epheſinorum, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Africanenſium, Carthaginenſium; & cum illis regulæ Præſulum Romanorum Silveſtri, Syricii, Innocentii &c. In margine eſt. Apud Anſelmum, & Polycarpum deſunt omnia Pontificum nomina. In notis hæc ſunt: Indicat canones, & regulas, ex quibus conſtat Corpus, vel Codex Canonum. de quo in præfatione dictum eſt, quo Romani Pontifices, præſertim in judiciis utebantur &c. In admonitione ad lectorem hæc de Codice Canonum dicuntur: In Eccleſia Romana omnium Eccleſiarum magiſtra ſolitos eſſe aſſervari conciliorum canones, & Pontificum decreta, ac ceteris Eccleſiis communicari, plane compertum eſt. Atque in uſu præcipue videtur fuiſſe collectio illa, quam Nicolaus Papa in c. ſi Romanorum. diſt.19. Codicem canonum nominat: in quo continebantur canones, & regulæ illæ, quæ recenſentur a Leone IV. cap. de libellis. diſt.20. Hujus Codicis vetuſta manu ſcripta exemplaria Romæ habentur in Vaticana bibliotheca. Extat etiam impreſſus Moguntiæ an. Sal. MDXXV. &c.*

(6) *Inſcriptio capitis 34. Sacramenta. 1. q. 1. in eodem libro Romano hæc eſt: Idem (Auguſtin.) ad Emeritum epiſt.164. Et in margine: Algerus l.3. c.9. Polyc. l. 7. tit. 10. Similis inſcriptio eſt cap. 3. Noſtri. 23. q.3. in cujus margine hæc ſunt: Ivo p.10. c.80. Pann. l.8. c.26. & in notis dicitur additam eſſe negationem ex originali, & Ivone, & alia eſſe emendata.*

(7) *Caput 10. diſt.16. cujus initium, Prima autem, par. quinta, in editione Gregoriana ſic habet: Quinta in Conſtantinopoli contra Theodorum Mopſueſtenum, & omnes hæreticos &c. temporibus Juſtiniani Principis, Vigilii Papæ Romani, Domnini Antiocheni, Eutychii Conſtantinopolitani. Et in marg. eſt, alias* Domni *pro* Domnini. *Capite nono extremo, cujus initium, Sexta ſynodus, hæc verba ſunt: Quinta item Conſtantinopoli temporibus Vigilii Papæ ſub Juſtiniano Principe, contra Theodorum, & omnes hæreticos. Et in margine. Pann. l.2. c.111.*

(8) *Capite ult. 24. q.2. par. Rambulas, hæc verba ſunt in Romana editione: Rambulas ſanctæ memoriæ Epiſcopus factus Edeſſenæ civitatis, qui in ſacerdotibus eluxplenduit, (al. reſplenduit) Theodorum iſtum Mopſueſtenum etiam poſt mortem in Eccleſia anathematizavit.*

(9) *Inſcriptio capitis ſecundi Priſcis, 10. q. 3. in eo libro hæc eſt: Item ex concilio Emeritenſi c.16. In notis hæc ſunt: Caput hoc in codicibus Gratiani etiam manu ſcriptis corrupte citabatur ex concilio Merech. Eſt autem in Emeritenſi c.16. cujus concilii duo exemplaria ad S. D. N. Gregorium* XIII. *miſſa ſunt. Hujus concilii, & capitis meminit Innocentius tertius in Epiſtolis Romæ impreſſis lib.2. epiſtola Petro Compoſtellano ſcripta his verbis: Emeritenſe vero concilium authenticum eſſe multis rationibus aſtruebas; tum quia cum aliis conciliis continetur in libro, qui Corpus Canonum appellatur, quem Alexander Papa per interlocutorem authenticum comprobavit: tum quia de ipſo concilio ſumptum eſt caput (Priſcis quidem canonibus) quod continetur in corpore decretorum. Et mox: Sufficere poſſunt) Sublata eſt negatio, quæ erat in vulgatis, quoniam & ab utroque exemplari concilii, & a veteribus Gratiani conciliis (forte codicibus) abeſt: & hoc modo magis convenit cum ratione legis.*

(10) *Capitis 31. Altaria. de conſecrat. diſt.1. inſcriptio eſt in editione Gregoriana: Item ex concilio Epaunenſi c.26. & 27. Et in notis eſt: Ivo citat, ut vulgata Gratiani exemplaria, ex concilio Hypponenſi. Sed ex Burchardo, & vetuſtis Gratiani codicibus reſtitutum eſt Epaunenſi, ex cujus 26. & 27 capitibus confectum eſt. Et in marg. hæc ſunt: Burch. l.3. c.25. Ivo par.3. c.30. Pann. lib. 2. c.32. (Eſt autem in hac diſtinctione varietas numerorum capitum a noſtris Dialogis: quæ oritur ex diviſione primi capitis. Nobis enim non duo capita ſunt initium diſtinctionis Conſecrationem, & illa verba Tabernaculum enim &c. Quod non fugit ſelectos viros, qui veniam petunt ob citationem dictorum.)*

(11) *Inſcriptio capitis ſecundi 15. q.4. in eodem libro hæc eſt: Item ex concilio apud Erpheſfurt habito præſente rege Henrico. Et in notis: In vulgatis legebatur Epheſum, quaſi hoc eſſet decretum aliquod concilii Epheſini habiti tempore Cæleſtini Papæ, & Theodoſii junioris. Hoc vero eſt Germanicum concilium habitum præſente Henrico rege, prout etiam apud Burchardum, & Ivonem dicitur. Et codices Gratiani manu ſcripti habent, quemadmodum eſt reſtitutum. In hoc autem oppido petiit Bonifacius a Zacharia Papa conſtitui Epiſcopum, & impetravit. Quod apparet ex prima epiſtola Bonifacii ad Zacharium, & ultima Zachariæ ad Bonifacium. Et in marg. hæc ſunt: Burc. l.13. c.21. Ivo p.4. c.53.*

DIA-

DIALOGUS IV.

De eadem re.

Diſtin. 63. c. 1. & 2.

Dial. 3. ante add. 2.

C. INcidi, Gratiani librum hodie legens, in quædam verba capitis primi, & ſecundi diſtinctionis LXIII. de quibus ſcire velim, quid ſentias.

A. Quid illud eſt?

C. Dixiſti nuper, Nicolaum, & Hadrianum Minorem contra Photium pro Ignatio ſcripſiſſe, & ſub Hadriano octavam ſynodum habitam fuiſſe.

A. Dixi fateor, idque verum eſſe exiſtimo.

C. At non *Photius*, ſed *Fotinus* bis dicitur dicto capite ſecundo, quod inſcribitur, *ex octava ſynodo*, & ejus initium eſt: *Hadrianus Papa ſecundus, quod Nicolaus prædeceſſor ejus diſpoſuerat, miſſos ſuos* &c.

A. Utere vel lima, vel ſpongia mea, quas Græcis verbis Iſocrateis adornatus nuper vidiſti ΦΙΛΟΜΑΘΗΣ ΠΟΛΥΜΑΘΗΣ: & pro *Fotino*, ſcribe *Photium*.

C. Hic illa eſt, cujus Bibliotheca laudatur, & XIV. tituli Nomocanonis cum Theodori Balſamonis commentariis exſtant Latini nuper facti?

A. Hic ipſe eſt. Sed quid de primo capite quæris?

C. Idem ne Hadrianus eſt primi capitis ſcriptor; an primi primus, ſecundi ſecundus?

A. Utrumque caput ex octava ſynodo eſt ſub Hadriano Minore cap. XXII. Referunt Ivo, (*a*) & Anſelmus, (*b*) & Deuſdedit, (*c*) & liber Cæſaraug. (*d*) & tuus B. Tarraconenſis. (*e*)

C. Cur igitur utrumque non conjungitur, & omnia, ut in ipſa ſynodo octava ſunt, leguntur?

B. Si Gratianus ex fontibus ſuis aquas derivaſſet; id feciſſet. Sed ex his, & aliis permultis conſtat, neque concilia vidiſſe, neque regiſtra Pontificum, neque alia ſanctorum Patrum ſcripta: ſed eum, quæ in variis collectionibus reperta ab eo ſunt, ea in medium protuliſſe.

A. Non nego, hæc ita ſe habere: ſed non facile invenire poteris omnia, quæ retulit Gratianus.

B. Quis ille eſt Epiſcopus *Neophoſinus* Roma miſſus? nomen Eccleſiæ audivi numquam.

A. *Nepoſinus* ſcribendum eſt.

B. Hoc maxime placet, ab urbe Nepete, ut opinor.

A. Maxime. (1) Sed de aliis videamus. *Gallia* pro *Galicia* ſcripta eſt cauſſa X. extrema Gratiani, (*f*) in illis verbis Toletani concilii: *Querimonias etiam paræcialium presbyterorum Galliæ provinciæ ſollertiſſime diſcernere*. Ejus capitis verba ſunt in Toletano concilio ſeptimo cap. quarto, non quarto concilio, quod Demochares etiam animadvertit, ſed cetera non mutavit. Scribe igitur *Galiciæ*, pro *Galliæ*; & *parochianorum*, pro *paræcialium*. (2) *Gennadium* pro *Germano*, & *Thaumaturgum* pro *Trimegiſta* ſcribere oportet diſt. XVI. cap. VII. (*g*) Sunt enim verba ſextæ ſynodi repetitæ in Trullo cap. II. Quis autem umquam Gregorium Trimegiſtum dici audivit? Καὶ Γρηγορίου Νεοκαισαρείας ἐπισκόπου

A Καισαρείας τοῦ θαυματουργοῦ. ſcriptum eſt in Græco canone. Et poſtea, καὶ Γενναδίου πατριάρχου &c. Minus mendoſi ſunt Ivo, (*h*) & Cæſaraug. liber (*i*) in *Thaumaturgo*; at *Germanum* retinent. Contius recte *Gennadium* in margine ſcripſit, & *Thaumaturgum*. (3) Inſcriptio capitis ultimi diſtin. XCV. (*k*) ita ſcripta eſt: *Item ex concilio Genuenſi cap. IV. Palea*. Nuſquam id concilium invenies. Scribendum cenſeo, *Ex concilio Neocæſarien.* cap. XIII. Videndus Martinus Bracaren. cap LVI. Burchardus, (*l*) Ivo, (*m*) & Anſelmus, (*n*) & liber Cæſarauguſtanus. (*o*) (4) Hæc certa ſunt. Illa veriſimilia ex Ivone. (*p*) Cauſſa XXIV. capitis quarti principium

B eſt. (*q*) *Audivimus, quod hæreticus Ravennas dictus Archiepiſcopus* &c. *Henricus* pro *hæreticus* ſcribendum. (5) In nomine *Hieremiæ* bis erraſſe librarios invenio, De pœnitentia capite ſexageſimo ſeptimo, (*r*) ubi in *Hieronymum* mutatus legitur. Vide cap. XVII. Hieremiæ. Et mox cap. LXIIX. *Alioquin & in reverentiam loquitur Deus*. Pro *in reverentiam*, ſcribe *in Hieremia*. (*s*) (6) Ex libro Joann. Andreæ de vita, & laudibus beati Hieronymi, Gratiani libri mendoſi circumferuntur in ejus nomine; quædam enim Auguſtino, quædam Grego-

C rio tribuuntur. Exemplum ſumamus ex hoc loco in Democharis, & Contii editione mendoſo relicto, XIV. cauſſa, quæſtione prima extrema. *Item Gregorius in epiſt. ad Jovinianum. Quod præcipitur, imperatur* &c. eſt enim ſcribendum, *Hieronymus* lib. I. contra Jovinianum. Error errorem ſequitur, ut idem Jo. And. ait, eadem enim verba poſita ſunt, ut Gregorii, lib. V. Decretal. ſub titulo de verb. ſignificat. Eadem ſi placet, in collectione veteri ſecunda quæramus.

14. q. 1. c. ultim. in fine.

c. 15. in his de vo b. ſignif.

C. Exſtat ſub eod. titulo caput unicum tertio Cæleſtino inſcriptum, & in eo bis nomen *Gregorii* reperi: *Item ſecundum Gregorium, quod præcipi-*

D *tur*, &c. Et poſtea: *Quod juxta eumdem Gregorium, non debet aliquis verba conſiderare* &c.

22. q. 5. c. 11. humanæ.

A. Hæc poſtrema vere Gregorio adſcribuntur, ut apud Grat. invenies.

C. Quænam alia loca ſunt Gregorio, aut Auguſtino falſo adſcripta?

A. Recte a Demochare conſcripta invenies, ut cauſſa VII. cap. quadrageſimo primo: (*t*) *In apib.* quod Gregorio inſcribebatur. Sic Auguſtino cap. VI. diſtin. IX. (*u*) & diſt. quinquageſima cap. XIX. (*x*) (7) In Ilerda, & Ilerdenſi concilio duplex error eſſe ſolet: ſæpe enim in *Hillerdam*, & *Hyller-*

E *dam*, atque *Hillerdenſe*, & *Hyllerdenſe* mutantur: ſemel recte Ilerdam editum eſt a Demochare, cauſſa prima cap. CXVII. in inſcriptione: (*y*) *Item univerſis Epiſcopis per Ilerdam provinciam conſtitutis. Quibuſdam narrantibus* &c. Pro voce *Ilerdam* in margine poſita eſt vox minus cognita *Helledam*: ſed mutanda eſt in *Helladem*, quæ Græciam ſignificat. Fons ejus capitis eſt, Demochara teſte, Gregorius lib. IV. epiſt. LVI. cap. C ſive poſtremo.

C. Non video ex hoc fonte probari poſſe, ſcribeo-

(a) *Ivo lib. 3. tit. 2. c. 2. Panor. & par. 5. cap. 382. decr.*
(b) *Anſ. lib. 6. c. 20.*
(c) *Deus d. c. 1.*
(d) *Cæſar. lib. 3. c. 63.*
(e) *Tarrac. lib. 1. c. 47.*
(f) *10. quæſt. 3. c. 8. inter cetera.*
(g) *Diſt. 16. c. 7. quoniam.*
(h) *Ivo lib. 2. tit. 11. c. 29. panor. & par. 4. cap. 234. decr.*
(i) *Cæſ. lib. 8. c. 2.*
(k) *Diſt. 95. c. ult.*
(l) *Burc. lib. 5. c. 44. & 45.*
(m) *Ivo par. 2. c. 53. & 54. decr.*
(n) *Anſel. lib. 7. c. 188.*
(o) *Cæſar. libro 8. c. 18.*
(p) *Ivo lib. 3. tit. 3. cap. 20. panor. & par. 14. c. 57. decr.*
(q) *24. q. 1. c. 4.*
(r) *De pœn. d. 1. c. 67. ſi agamus & c. 68. quamobrem. §. rurſus.*
(s) *Hier. 17. d.*
(t) *7. q. 1. c. 41. in apib.*
(u) *c. 6. ut veterum diſtin. 9.*
(x) *c. 19. cum exaudiere, diſt. 50.*
(y) *1. q. 1. c. 117. quibuſdam.*

bendum eſſe Ilerdam, & Ilerdenſe, concilium.

A. Mihi ſatis eſt, Helladem probare. De Ilerdæ ſcriptura B. noſter tibi nummis veteribus & titulis monumentorum, & carminibus veterum Poetarum ſatisfaciet. (8) *Hylerdenſe* concilium pro *Triburienſi* refert Gratianus diſt. quinquageſima quinta cap. x, (*a*) & Burchardus, (*b*) & Ivo. (*c*) Vide cap. xxxiii. Triburienſis concilii. (9) Pro *Juſtiniano*, *Jovianus* ſcribatur oportet cap. vi. de Pœnitentia. (*d*) Ejus enim refertor conſtitutio, cujus initium eſt: *Si quis non dicam rapere* &c. (*e*) Quæ cum in Codice Theodoſii legatur, (*f*) certum eſt, Juſtiniani non eſſe. Sont etiam alia huius rei teſtimonia, (*g*) Eadem conſtit. relata eſt cauſſa xxxvi. (*h*) cum eodem errore. (10) Nunc tibi C. poculo Circeo, aut virga opus eſt, ut *Vincentium* in *Juvencum* mutes.

C. Prius mihi cauſſa a te dicenda eſt, cur hic gentilis meus alienam perſonam induerit.

A. Diſtinct. xv. (*i*) in veteri librorum cenſura Gelaſiana poſt Sedulii laudes legimus: *Item Vincentii nihilominus laborioſum opus non ſpernimus, ſed imitamur. Juvenci* ſcribendum eſt ea conciliis.

B. Id quidem probo: ſed in verbo *imitamur*, mendum eſt. An Gelaſius carminibus cum ſynodo eſt uſus?

A. Recte admones: *miramur*, ſcribendum eſt. Bene utrumque Burchardus, (*k*) male Ivo in Panormia, recte idem in decretis, (*l*) & liber Cæſarauguſt. (*m*) &, ut ſuſpicor, Epiſcopus Segobienſis. (11) Quod dicam, non ita certum eſt. Idem Juvenci nomen motatum invenio cauſſa prima quæſtione iii. in inſcriptione cujuſdam capitis Urbani Secundi, quæ ſic edita eſt: *Item Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Præpoſito* 1. q. 3. c. 8. Salvator, *Eccleſiæ ſancti Vincentii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Salvator prædicit* &c. Exemplum hujus epiſtolæ inveni, in quo erat L. poſt vocem *filio*, quod Laurentium fortaſſe ſignificat; & pro *ſancti Vincentii*, erat, *ſancti Juvenci Ticinenſi*. Ejuſdem epiſtolæ partem inveni apud Anſelmum libro tertio extremo, in libro Romano. Poterit B. noſter ex Italia nos certiores facere, num ſit aliquis ſanctus Juvencus, vel Juventius Ticinenſis, cujus hæc ſint. Interea hæc in variis lectionibus conſcribantur. Miror autem, cur poſt hanc inſcriptionem edi Demochares paſſus ſit hæc verba: *Quare in Evangelio prohibetur inveſtitura Eccleſiæ a laicis fieri?*

B. Hoc'ne, obſecro te, editum eſt?

A. Inſpice, quid tibi videtur?

B. Nunquam hoc Demochares edidit, deleri oportet duas illas voces, *in Evangelio*.

A. Immo tota clauſula. In eodem capite hæc leguntur: *Sed beatus anteceſſor noſter Paſchaſius libro de conſecratione affirmavit* &c. Errare aliquos ſcio in hoc nomine *Paſchalis*, & pro eo *Paſchaſium* ſubſtituunt. Liber de conſecratione Paſchalis Papæ nullus exſtat. Sed vox libro auferenda eſt. Sic enim in exemplo huius epiſtolæ eſt: *Sed beatus anteceſſor noſter Paſchalis de conſecratione affirmavit, quod quiſquis eorum alteram vendiderit* &c. Hæc Paſchalis Primi ſententia poſita eſt a Gratiano cap. vii. ejuſd. quæſtionis ea epiſt. ad Mediolanenſes, (*n*) ut ex veteribus libris cognovi. Quod caput etiam referunt Ivo, (*o*) & Anſelmus, (*p*) & Deus dedit, (*q*) & liber Cæſarauſt. (*r*) (12) In alia inſcriptione poſita cap. quinquageſimo ſexto de conſecratione ſcriptum eſt: *Item Macarius Papa. Nullus Epiſcopus* &c. (*s*) Quis umquam audivit, Macarium Papam fuiſſe? Pro *Macario*, *Zacharias* ſcribendus eſt, qui in ſynodo Romana non edita cap. xiii. & xiv. illis verbis utitur. Videndus Burchardus, (*t*) & Ivo, (*u*) & liber Cæſarauſt. (*x*) qui hæc Zachariæ adſcribunt. (13) Illud leve videatur, quod mendoſum eſt cauſſa xvi. (*y*) *Prima actione Theodulphi Malechitanæ Eccleſiæ Antiſtitis* &c. Scribendum *Malacitanæ*, ea concilio Hiſpalenſi ſecundo cap. i. Et poſtea, *Ægabrenſi*, non *Egabienſi*. (14) *Maſonem* pro *Maſſanum* ſcribu diſtin. quinquageſima cap. xxiix. in inſcriptione: (*z*) *Item Iſidorus ad Maſſanum Epiſcopum. Domino ſancto, meritiſque beato fratri Maſſano Epiſcopo Iſidorus Epiſcopus ſalutem.* Scribo, *Maſoni*, pro *Maſſano*. Recte apud Gratianus cauſſa xxxiii. editum eſt; (*a*) *De his ita ſcribit Iſidorus ad Maſonem Epiſcopum.* Exſtat eadem epiſtola ante libros ſententiarum, ſive de ſummo bono. Refert Rabanus in libro pœnitentium cap. i. Burchardus, (*b*) & Ivo, (*c*) & Anſelmus, (*d*) & liber Cæſarauguſt. (*e*) & Tarraconenſis. (*f*) (15) Sed quid vos inter vos?

B. Quærit C. a me, cur melius ſit *Maſonem*, quam *Maſſanum* ſcribere. Ego illi poſtea me dicturum reſpondi.

A. Quid autem dicturus eras?

B. Quæ tu de Maſonibus in Papiria familia ſcripſiſti. Unde *Marſo* ille apud Ciceronem, a te *Maſo* dictus, in tenebris diu jacuerat, quod Petrus Victorius laudat.

A. Ego vero jam iſtorum eram oblitus. Veteres tantum libros ſequendos dixiſſem. Sed cetera perſequamur. Quid vos *Melchiam* eſſe creditis diſtinct. xxxii. cap. a.? (*g*)

B. Vocem ſine mente, ut [illegible], ſive [illegible].

A. Licebit ne *Melphiam* ſubſtituere?

B. Immo ex aſſe heredem inſtitaas, licet. Incidi enim Romæ aliquando in Urbani ſecundi ſynodum apud M lphiam habitam.

A. In ea ſynodo cap. xii. quod Gratianus refert, exſtat. Ivo in Panormia *Malfiam* ſcribit (*h*) minus mendoſe. (16) Gregorii verba ſunt apud Gratianum cauſſa xvi. (*i*) *Et temporum qualitas, & vicinitas nos locorum invitat, ut Cumanam, atque Maſitanam unire debeamus Eccleſias.* *Muſinatium*, pro *Muſitanam* habet Anſelmus. (*k*) *Miſenatem*, vel *Miſenatium* malo, ut habet Joan. Diacon. lib. iii. cap. xiv. de vita beati Gregorii. Fons eſt Gregor. lib. ii. epiſt. & cap. xxxi. ut refert Demochares. (17) Idem cauſſa undecima cap. xliii. (*l*) pro *Milevitano* concilio, *Toletanam* tertium cap. xiii. edidit. Sed cum ejuſdem capitis fieret mentio quæſtione ſecunda, (*m*) vocem *Milevitani*

(a) *Diſt. 55. c. 10. ſi quis.*
(b) *Burch. libro 2. c. 15.*
(c) *Ivo l. 3. tit. 5. c. 1. panor. & par. 6. c. 34. decr.*
(d) *De pœnit. d. 1. c. 6. ſi quis.*
(e) *C. de Epiſ. & cle. l. 5.*
(f) *Cod. Theod. lib. 9. tit. 25. conſt. 2.*
(g) *Vide hiſt. tripar. lib. 7. c. 4.*
(h) *36. quæſt. 1. cap. 3.*
(i) *Diſt. 15. cap. 3. ſancta. p. item venerabilis.*
(k) *Burc. libro 3. cap. 220.*
(l) *Ivo lib. 2. tit. 11. cap. 3. panor. & par. 4. cap. 69. decr.*
(m) *Cæſar. lib. 2. cap. 6.*
(n) *1. q. 3. cap. 7. ſi quis.*
(o) *Ivo lib. 3. tit. 9. c. 7. panor. & par. 2. cap. 84. decr.*
(p) *Anſ. lib. 7. cap. 190.*
(q) *Deusded. cap. 2.*
(r) *Cæſar. lib. 4. cap. 43.*
(s) *De conſ. d. 1. cap. 56. nullus.*
(t) *Burc. l. 3. c. 230. & 231.*
(u) *Ivo par. 3. cap. 271. & 272. decr.*
(x) *Cæſ. libro 4. c. 48.*
(y) *16. quæſt. 3. cap. 13. prima.*
(z) *Diſt. 50. cap. 28. domino.*
(a) *33. quæſt. 2. c. 11. hoc ipſum.*
(b) *Burc. lib. 19. cap. 43. & 73.*
(c) *Ivo lib. 3. tit. 11. cap. 17. panor. & par. 6. cap. 397. & 398. & par. 15. cap. 86. & 95. decr.*
(d) *Anſ. lib. 8. c. 37.*
(e) *Cæſ. libr. 8. cap. 69.*
(f) *Tarrac lib. 3. cap. 84. & 85.*
(g) *Diſt. 32. c. 10. eos, qui.*
(h) *Ivo lib. 3. tit. 8. c. 18. panor.*
(i) *16. quæſt. 1. cap. 48.*
(k) *Anſ. lib. 6. cap. 100.*
(l) *11. quæſt. 1. cap. 43. inclita.*
(m) *11. quæſt. 2. cap. un.*

Digitized by Google

vitani reliquit. (18) Poſtrèmo ex Gregorii epiſtola (*a*) Monothelitas liceat iterum damnare, quos conſtat, a Martino primum Pontifice in concilio Romano fuiſſe damnatos mortuo jam Gregorio. Locus Gregorii ſumptos eſt ex libro IX. epiſt. ſexageſima prima ad Quirinum, & ceteros in Hibernia Epiſcopos, ut habet Demochares: aliis, *in Hiberia*, magis placet. Apud Ivonem, (*b*) & in libro Cæſarauguſt. (*c*) vox *Hibernia* non mutatur; *Monophyſitas* pro *Monothelitas* mutatur: quod probo. *Monophyſitas* eſt in veteri Anſelmi libro in additis capitibus. (19) Claudite jam rivos pueri: ſat prata biberunt.

A D D I T I O N E S

(1) *Diſtinctione 63. in Romana editione caput primum ita inſcriptum eſt. Unde Hadr. PP. in 8. ſyn. Conſtantinopoli ſub ipſo celebrata. Et alterum caput hanc habet inſcriptionem. Item ex octava ſynodo actione prima. Hadrianus Papa ſecundus, (quod Nicolaus prædeceſſor ejus diſpoſuerat,) miſſos ſuos, Donatum ſcilicet Hoſtienſem Epiſcopum, & Stephanum Nepeſinum Epiſcopum &c. Et poſtea, ſchiſma de Ignatii depoſitione, & Photii ordinatione ſedaverunt, Photium anathematizantes &c. In hoc extremo capite hæc adduntur. Si hic addatur ver.* Quiſquis, *ex capite antecedente; erit integer 22. canon. 8. ſynodi. In vulgatis ſequebatur vox* clerus, *quæ in vetuſtioribus eſt gloſſa interlinearis. In extremo capite primo hæc etiam ſunt in notis. Hoc citantur partes quædam 22. canonis 8. ſynodi ſub Hadriano Papa II. habitæ, & ab Anaſtaſio bibliothecario Latinitate donatæ. Et in marg. ejuſd. c. 1. Anſel. lib. 6. c. 23. & 72. Ivo p. 5. c. 122. Pann. l. 3. c. 8. Deus dedit p. 1. Et in verſ. Quiſquis, infrac. prou. Polyc. l. 2. tit. 1. Et in marg. c. 2. Anſ. 6. c. 23. Ivo p. 5. c. 122. Pann. & Deuſdedit ubi ſupra. Et ver. Conſecrationes, Polyc. l. 2. tit. 1.*

(2) *Capitis octavi Inter cetera, 10. q. 3. in eadem editione inſcriptio eſt: Item ex concilio Toletano ſeptimo c. 4. In eodem capite hæc verba ſunt: Querimonias etiam parochialium presbyterorum Galliæ. Et in marg. al. parochianorum. In notis additur: In conciliis impreſſis, & aliquot Gratiani exemplaribus legitur* Galliciæ: *In aliis autem, & emendatioribus, atque in codice conciliorum Lucenſi regio habetur,* Gallicanæ provinciæ. *Nam eo tempore Archiepiſcopus Narbonenſis, & ejus provinciæ Epiſcopi ad ſynodos Toletanas conveniebant; quod ex ſubſcriptionibus Toletani tertii apparet, &c. (Ego vero* Galliciæ *retineo: ſequitur enim mentio ſynodi Bracarenſis.)*

(3) *Diſtinctione 16. cap. 7. Quoniam, in Romano libro hæc verba ſunt: Gregorii Thaumaturgi Neocæſarienſis Epiſcopi &c. Gennadii Conſtantinopolitani Epiſcopi &c. Et in marg. al. Germani.*

(4) *Inſcriptio capitis ultimi diſtin. 95. in eodem libro eſt. (Item ex concilio Neocæſarienſi c. 13.) Tulta. Et in notis eſt: Antea citabatur ex Geneſi. Reſtituta eſt inſcriptio ex ceteris collectoribus. Eſt autem hæc fere Dionyſii verſio. Et in marg. hæc ſunt: Anſ. l. 7. c. 138. Burch. l. 5. c. 44. Ivo p. 2. c. 53.*

(5) *In eadem editione inſcriptio cap. 4. Audivimus 24. q. 1. hæc eſt: Unde Alexander ſecundus ſcribit Valeriano Epiſcopo Martyri. Audivimus, quod Henricus, Ravennas dictus Archiepiſcopus &c. In marg. eſt. Ivo p. 14. c. 57. Pann. l. c. 133.*

(6) *De Pœniten. diſt. 1. cap. 67. Si agamus, in eadem Romana editione ita ſcriptum eſt: Rurſum juxta eumdem Hieremiam. Et in marg. Hierem. 17. Et in notis. Hieremiam (Sic eſt emendatum ex ipſis commentariis B. Hieronymi, & uno vetuſto exemplari Gratiani, nam in ceteris eſt, quemadmodum in vulgatis,* juxta eumdem Hieronymum promittit proſpera, ſi pœnitentiam egerimus. Quod ſi negligentiæ &c. *Capite 68. Quamobrem, par. Alioquin. hæc verba ſunt: Alioquin & in reverentiam loquitur Deus &c. Et in marg. eſt:* Hieremia) *or. vera lectio. Hier. 17. Et in notis: Quæ ſequuntur, ut etiam multa alia, emendata, & locupletata ſunt ex originali, præter verbum* reverentiam, *(quod eſſe debet* Hieremia) *idque ob gloſſam.*

(7) *Extremum caput quæſtionis primæ cauſſæ 14. them. ult. ita in Romano inſcribitur: Item Hieronymus libro primo contra Jovinianum. Quod præcipitur &c. In marg. eſt: In vulgatis erat: Greger. in epiſt. ad Jovianum. Et in ſcholiis. Quod præcipitur. Hic Grego. innuit differentiam &c. Inſcriptio cap. 15. de verb. ſignif. eſt: Cæleſtinus tertius. In his, quæ &c. Et poſtea. Item ſecundum Gregorium, quod præcipitur, &c. In marg. eſt: Cap. unico eod. tit. in 2. compilatione. In caſu eadem verba ſunt. Et in ſcholiis. Quod præcipitur 14. q. 2. quod præcipitur. Bern. (mendoſe) Inſcriptio cap. 41. can. 7. quæſt. 1. hæc eſt: Item Hieronymus ad Ruſticum monachum epiſt. 4. In apibus &c. In marg. eſt: Ivo p. 5. c. 356. Caput 6. diſtin. 9. uno verbo* Idem *inſcribitur, caput vero quintum* Idem *(Aug.) ad Hieron. ep. 19. In notis eſt: Verba hujus capitis ſunt B. Hieronymi ad Lucinium Baticum epiſt. 28. ſed mutata non eſt inſcriptio ob gloſſam. In ſchol. Græci. Hieron. in ſecundo prologo bibliæ &c. Sed Aug. ad primitivam Eccleſiam reſpicit &c. Magis credendum eſt Hieron. quam Aug. &c. (Deſidero cenſuram horum verborum.) Caput 19. diſt. 2. ita inſcriptum eſt: Item Hieronymus ad c. 3. Michea. Cum exaudiero &c. In caſu eſt. Probat. Aug. in hoc c. &c.*

(8) *Quod in eadem editione eſt, 1. q. 1. c. 117. Quibuſdam, hanc habet inſcriptionem: Item univerſis Epiſcopis per Elladem provinciam conſtitutis, eod. lib. 4. epiſt. 56. ſeu cap. 100. Et in marg. hæc ſunt: Et eod. l. ep. 51. & 55. & l. 5. ep. 7. Et Burch. l. 1. c. 23. Ivo p. 5. c. 108.*

(9) *Capitis 10. Si quis in infirmitate, diſtin. 55. in eodem libro inſcriptio eſt; Item ex concilio Ilerdenſi. Et in margine, Concordat Triburienſe c. 33. Et Burch. l. 2. c. 15. Ivo p. 6. c. 34. Pann. l. 3. cap. 42.*

(10) *De Pœniten. diſtin. 1. c. 6. Si quis non dicam. In Romana editione ita inſcribitur: Cod. lib. 1. de Epiſcopis, & cler. Imperator Jovianus Et in marg. hæc ſunt: Tit. 3. & Cod. Th. l. 9. tit. 25. l. 2. 36. q. 2. Si quis non dicam. Tripert. hiſt. l. 7. c. 4. Polyc. l. 4. tit. 35. Capitis tertii. 36. q. 2. eadem inſcriptio eſt, niſi quod Jovinianus pro Jovianus editus eſt. In margin. eſt: Sup. de pœn. d. 1. Si quis non dicam. 1. in Cod. Theod. l. 9. ti. 25. le. 2.*

(11) *In eadem editione cap. 3. Sancta Romana, pac. Item venerabilis diſtin. 15. hæc verba ſunt: Item Juvenci nihilominus laborioſum opus non ſpernimus, ſed miramur. Et in notis hæc ſunt. Antea legebatur,* Item Vincentii, *reſtituta eſt vera lectio ex Gelaſio, Burchardo, & Ivone. De quo Juvenco meminit B. Hieronymus in catalogo.*

(12) *Capitis 8. Salvator 1. q. 3. in eodem libro hæc inſcriptio eſt: Item Urbanus* II. *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio L. Præpoſito Eccleſiæ ſancti Juventii apud Ticinum, ſalutem, & Apoſtolicam*

(*a*) *De conſecrat. d. 4. cap. 44. ab antiqua.* (b) *Ivo lib. 1. tit. 8. c. 81. poner. & par. 1. c. 153. decr.*
(c) *Cæſar lib. 12. c. 68.*

cam benedictionem. Et in margine: Lucio. Anſel. Et Deus dedit p. 2. Anſ. l. 5. c. 42. Et in notis: Integram epiſtolam Urbani II. *dilecto filio L. præpoſito eccleſiæ B. Juventii apud Ticinum, refert Deus dedit in ſua collectione. In ſumma hujus capitis hæc tantum ſunt rubrica notata: De eodem. In indice librorum ante Gratiani verba edita hæc ſunt: Urbani* II. *concilium Placentinum, & fragmentum alterius concilii, & epiſtola L. præpoſito ſancti Iventii, ex Vaticana. In eodem capite par. Sed & beatus: ita editum eſt: Sed & beatus prædeceſſor noſter Paſchalis de conſecratione affirmat, quod quiſquis &c. Et in marg. eſt: ſup. ea. c. ſi quis. Et in notis: Antea legebatur Paſchaſius libro de conſecratione: reſtitutus autem eſt locus ex vetuſtis codicibus, & originali. Citatur enim heic, quod habetur in capite antecedente ex epiſtola Paſchalis Papæ. Et inſcriptio capitis 7. Si quis obiecerit: hæc eſt: Item Paſchalis Papa. Et in notis hæc ſunt: Auctor vero hujus capitis, ac totius illius epiſtolæ eſt Paſchalis primus. Nam in eo Decretorum codice hæc epiſtola Paſchalis eſt poſt decreta Hadriani* II. *cum decreta Paſchalis* II. *ſint poſt Urbanum* II. *eo plane ordine, quo ſibi ſucceſſerunt: quod etiam in ſequenti capite indicatur. Et in marg. Deus ded. p. 2. Magiſt. l. 4. di. 25. Polyc. l. 7. tit. 6. Anſ. l. 13. c. 33. Ivo p. 2. c. 84. Pann. l. 3. c. 123.*

(13) *De conſecrat. diſtin. 1. in libro Romano cap. 57. Nullus Epiſcopus: hæc inſcriptio eſt: Item Zacharias Papa in ſynodo Romana c. 13. & 14. Et in notis hæc ſunt: Antea legebatur Macarius. Emendatum eſt ex aliquot vetuſtis codicibus & ceteris collectoribus. Et caput ipſum habetur in concilio manu ſcripto Zachariæ. Et in marg. Polyc. l. 3. tit. 16. Burch. l. 3. c. 230. & 231. Ivo p. 3. c. 271. & 272. (Varietas numeri capitum hujus diſtinctionis pendet a cap. 1. ut antea diximus.)*

(14) *In eadem editione 16. q. 3. c. 13. ita inſcriptum eſt: Item ex concilio Hiſpalenſi 2. cui interfuit Iſidorus, c. 1. Prima actione Theodulphi Malacitanæ Eccleſiæ Antiſtitis &c. ab eccleſiis Aſtiginæ, Eliberitanæ, atque Aegabrenſis &c.*

(15) *Diſtin. 50. cap. 28. in eodem libro hæc inſcriptio eſt: Item Iſidorus ad Maſſanum Epiſcopum. Domino ſancto, meritiſque beato fratri Maſſano Epiſcopo ſalutem. Et in margine: al. Maſonem, al. Maſſeaum) or. Et Anſ. l. 8. c. 37. Polyc. l. 4. tit. 39. Ivo p. 6. c. 397. & p. 15. c. 57. & 86. Burch. l. 19. c. 43. & 73. Pann. l. 3. c. 149. Rab. pæ. l. 1. c. 3. Et in notis hæc ſunt: Sic habet hoc caput in epiſtola, quæ nuper una cum aliis Iſidori operibus eſt impreſſa Pariſiis, & ita inſcribitur: Iſidori Hiſpalenſis Archiepiſcopi epiſtola ad Maſſanum Epiſcopum &c. Inſcriptio cap. 11. Hoc ipſum 33. q. 2. hæc eſt. De his ita ſcribit Iſidorus ad Maſſonem Epiſcopum in præfatione ad librum de ſummo bono. Et in marg. al. Maſſenum. Et Raban. l. pœnit. c. Polyc. l. 4. tit. 39. Anſ. l. 8. c. 37. Ivo p. 6. c. 398. & p. 15. cap. 91.*

(16) *Inſcriptio capitis 10. diſt. 32. in Romano libro hæc eſt: Item Urbanus* II. *in ſynodo apud Melphiam c. 13. Eos, qui poſt ſubdiaconatum. Et in margine: Pann. l. 3. c. 101. Et in indice librorum ante Gratiani verba: Urbani* II. *ſynodus apud Melphiam, ex Vaticana, & a Jacobo Pamelio canonico Brugenſi.*

(17) *Quod exſtat 16. q. 1. c. 48. ita editum in Gregoriana editione eſt: Unde Gregorius Papa ſcribit Benenato Epiſcopo, lib. 2. epiſt. 31. Et temporis qualitas, & vicinitas nos locorum invitat, ut Camanam atque Miſenatem unire debeamus eccleſias. Et in notis: Miſenatem) Sic emendatum eſt ex vetuſto codice B. Gregorii quamvis in vulgatis, ſicut etiam apud Gratianum, eſſet* Muſitanam. *Et in marg. Anſ. l. 6. c. 108. Polyc. l. 3. tit. 30.*

(18) *Capitis 42. Inolita 11. q. 1. hæc eſt in eodem libro inſcriptio: Item ex concilio Milevitano. Et in marg. In Tolet. 3. c. 13. Et in notis: In concilio Milevitano, quod habetur, nihil tale exſtat. Ex ipſo tamen citatur etiam ab Innocentio* III. *in c. ſi diligenti, de foro compet. Habetur autem in Toletano 3. c. 13. Et in eadem cauſſa quæſt. 2. c. un. Quod vero culpa illa ſuſpenſione digna ſit, ex capitulo illo Milevitani concilii liquido conſtat. Et in mar. ſupra q. 1. inolita. (Varietas numeri capitum quæſt. 1. oritur ex cap. 10. Si quis clericus, quod in libro meo eſt 11. nam decimum eſt, Epiſcopus non flagitetur, quod in Romano eſt pars cap. 9. teſtimonium.)*

(19) *De conſecrat. diſtin. 4. cap. 44. Ab antiqua, in libro Romano hanc habes inſcriptionem: Item Gregorius Quirino Epiſcopo, & ceteris in Iberia Epiſcopis, l. 9. ep. 61. Et in notis: Iberia) Sic emendatum eſt ex originali manu ſcripto Vaticano. Antea erat Hibernia. Et in marg. Polyc. ibid. (hoc eſt, l. 3. ti. 10.) Ivo p. 1. 153. Pann. l. 1. c. 83. Et in eodem capite. Monothelitas vero, & alios &c. In notis hæc ſunt: In originali, & in Polycarpo, & apud Ivonem in textu eſt, Monophyſitas. De qua hæreſi ſcribit Joannes Damaſcenus in libro de duabus Chriſti voluntatibus, & Nicephorus, & alii. Sed ob gloſſam non eſt mutatum.*

DIALOGUS V.

De aliis Mendis Gratiani.

A. Nihil magnum veteres Romani, niſi auſpicato, inchoare ſolebant: non ſolum in bello, ſed in pace; tam publice, quam privatim. In eo cæci fuerunt; quod auxilia & ſigna ab avibus, a canibus, a deorum ſimulacris petebant: tamen natura duce Dei auxilium petebant. Nobis nihil agendum Paullus præcipit, niſi in nomine Domini. Auſpicato igitur hodie a Petro, & Paullo Principibus Apoſtolorum Dei incipiamus. Gelaſii verba ſunt apud Gratianum Diſtinct. LIV. *Magnis quippe ſtudiis, ſecundum beatum Petrum Apoſtolum præcavendum eſt*; ne fides, & *diſciplina Domini blaſphemetur*. Ubi Petrus hoc dixerit, ignoro. Sed Paullus priori ad Timotheum epiſtola cap. VI. id ſcripſit. Et vidi in veteribus libris prima littera hæc nomina conſcribi. Ita *P. Apoſtolum* ſcriptum olim fuiſſe, poſtea *Petrum Apoſtolum* credo. Fons eſt Gelaſii epiſt. 1. cap. XVI. ut notat Demochares. Ivo vocem *Petrum* omittit, licet in margine habeat *Petri epiſt.* II. *cap.* II. & *Paulli ad Roman. cap.* II. Si Petrus id dixit: nihil mutandum erit. Si non dixit, aut *Paullus* ſcribendus erit, aut vox *Petrus* [illegible].

Diſt. 54. c. 12. generalis.

Ivo par. 6. c. 100. decr.

B. Selecti viri tollunt vocem *Petrus*, & in margine addunt, 1. *Tim.* VI. ubi pars verborum Gelaſii invenitur. (1)

A. Iſidori locus ſequitur apud Gratianum: *Nam ſub Octaviano Cæſare ſuffecti Conſules Papius, & Pompejus legem tulerunt, quæ a nominibus eorum appellatur Papia, & Pompeja.* *Poppæus* pro *Pompejus*, *Poppæa* pro *Pompeja* ſcribendum eſt ex faſtis capitolinis, & variis ſcriptoribus ut in legibus ſcripſimus. Idem Contius notat. (2) Pompejo victo Renaldus vincendus eſt, cujus mentio fit in concilio Triburienſi apud Gratianum in Paleæ nomine additis. *Omnes*, inquit, *presbyteri interfectores compoſitione Epiſcopi, ad cujus parochiam pertinent, ſolvantur; ita videlicet, ut medietatem Renaldus Epiſcopus ejus utilitati Eccleſiæ cui præfuerit, tribuat.*

Diſt. 2. c. 7. quædam.

17. q. 4. c. 26. omnes.

B. Hic

B. Hic Renaldus Epiſcopus eſt, facile a te vincetur.

A. Quid ſi vobis vocem aliam Renaldo fortiorem ſubſtituam?

B. Quænam ea eſt?

A. Wirigildi.

C. Eſt ne hoc Epiſcopi nomen?

A. Non eſt, ſed compoſitionis. Apud Burchardum lib. vi. cap. xi. ita eſt. *Presbyteri interfecti compoſitio Epiſcopo ad cujus parochiam pertinebat, ſolvatur: ita videlicet, ut medietatem Wirigeldi ejus Epiſcopus utilitatibus Eccleſiæ cui præſuit, tribuat.* Eiſdem verbis utitur Ivo parte x. c. cxl. decret. & Bernar. Papien. cap. ii. de pœnis in prima collectione decretal. Sed Gregorius IX. eam vocem noluit repetere, compoſitionis voce contentus. Ex his, & aliis, quæ in Capitularibus Caroli & Ludovici leguntur, pro illis verbis, *Omnes presbyteri interfectores compoſitione Epiſcopi* &c. ſcribo, *Omnes presbyteri interfecti compoſitiones Epiſcopo ſolvantur*. (3) De Sacratio rege Arragonum ſub Hormiſda Papa, quod Renaldi fabulis ſimile videtur, aliquid dicamus. Apud Gratianum cauſſa xxxi. quæſtione ſecunda poſt Horſmidæ caput legimus. *Item Sacratio regi Arragonum. De neptis tuæ conjugio* &c. Apud Ivonem in Panormia eadem verba ſunt: non tamen poſt Hormiſdæ verba, ſed poſt Urbani, quæ etiam Gratianus refert ante Hormiſdæ epiſtolam. Apertius idem Ivo parte iix. decret. *Urbanus Satino regi Arragonum*. In libro Cæſarauguſtano Cartuſianorum qui Hieronymi Zuritæ fuit, recte eſt. *Urbanus ſecundus Sanctio regi Arragonum*. Errati occaſio fuit, quod Palea Hormiſdæ caput inſeruit inter duo Urbani reſcripta.

c. 2. de pœnit. Capit lib. 4. c. 15.

31. quæſt. 2. c. 2. & 3. Ivo lib. 6. tit. 8. c. 8. Pan. c. 2. d. q. 2. Ivo par. 8. c. 24. decr. Cæſar lib. 10. c. 14. lib. 4. c. 11. var. reſol.

C. Hoc idem Didacus Covarrubias Segobienſis Epiſcopus divinaverat.

A. Gaudeo nos idem dicere, quos veri inquirendi ſtudium conjunxit, & amicitia non vulgaris; (4) In *Siſebuti*, vel *Siſenandi* regis Hiſpaniæ nomine ſæpe erratum invenio. Diſtinct. quadrageſima quinta cap. v. ex concilio Toletano iv. cap. lvi. ut Demochares etiam notat. *Temporibus religioſiſſimi Principis Zizebuti*: ſcribo *Siſebuti*: quidam *Siſenandi* ſcribunt, ut Burchardus, (*a*) & Ivo: (*b*) quæ varietas in conciliorum libris eſt. Item de conſecratione diſtin. iv. cap. xciv. (*c*) quod dicitur eſſe ex Toletano concilio quinto; ſed ex Toletano quarto cap. lsix. eſt Demochari: illic ita ſcriptum eſt. *De quibus conſulti piiſſimi, ac religioſiſſimi domini noſtri Siſemundi regis, hoc ſanctum decrevit concilium*: in margine *Sigiſmundi* nomen eſt. Apud Burchardum, (*d*) *conſultu* pro *conſulti* eſt aptius, & *Siſenandi* pro *Siſemundi*. Item apud Ivonem in Panormia, (*e*) ſed in decretis *conſultum*, & *Siſemundi* habet non recte. (5)

Diſt. 45. c. 5. de Judæis.

C. Quinam hi reges fuerunt Siſebutus, & Siſenandus?

A. Hæc alio die accipies. Hoc tantum ſcire hodie potes, Siſebutum cœpiſſe anno ſecundo Heraclii Imp. & ſub eo Hiſpalenſe concilium habitum anno Chriſti DCXIX. Siſenandum cœpiſſe anno DCXXXI. duobus regibus interpoſitis Reccaredo minore, & Svinthila, qui a concilio Toletano quarto de quo agimus, damnatur. Id habitum eſt concilium anno tertio Siſenandi. Ex quo fit, ut c. lvi. recte Siſebutus ſcribatur, at c. liix. Siſenandus.

C. Erat igitur tunc vivus Siſenandus, mortuus Siſebutus.

A. Ita eſt. De Gelaſii verbis nunc agemus: *Ita nos Syllanorum cædes geminata Pontificum, horrendi criminis atrocitate confudit*. Qui Syllani Pontifices fuerint, non inveni. Apud Ivonem Carnotenſem ita ſcriptum eſt: *Gelaſius Majorico, & Joanni Epiſcopis: Ita nos quidem Latinorum cædes geminata Pontificum horrendi ſceleris atrocitate confudit*. Apud Anſelmum Lucenſem hæc leguntur. *Gelaſius Papa. Ita nos Scillacinorum ſedes geminata Pontificum, horrendi ſceleris atrocitate confundit*. In his verbis *ſedes* pro *cædes* non recte eſt, at de voce *Scyllacenorum* conſiderandum. Eſt enim urbis nomen *Scyllaceam*. Credo fuiſſe duos Epiſcopos ejus urbis occiſos Gelaſii temporibus. (6) Theodori Mopſueſteni in quinta ſynodo damnati mentionem fecimus. In eadem ſynodo Theodoriti ſcripta contra Cyrillum Alexandrinum damnata ſunt. Id Gregorius apud Gratianum diſtin. xv. cap. ii. refert; ſed non *Theodoriti* nomen editum eſt, ſed *Theodori*. Videndus Gregorius lib. i. epiſt. xxiv. regiſtri, & Gregorius VII. lib. iix. epiſt. i. regiſtri, & Ivo, (*f*) & liber Cæſarauguſt. (*g*) & Tarracon. (*h*) (7) Non omnium librorum erratum eſt, ſed paucorum, quod ex Eccleſiaſtica hiſtoria Rufini lib. ult. cap. xiix. ſumitur: (*i*) *Cum apud Theſſalonicam ſeditio eſſet exorta* &c. ſcribendum, *Theſſalonicam*. Et apud Ivonem (*k*) ex Paullino in vita B. Ambroſii: *Cauſſa Theſſalonicenſis civitatis non minima tribulatio ſucceſſit Ambroſio*; ſcribe, *Theſſalonicenſis*. Videndus idem Ivo (*l*) capite huic eidem proximo ex hiſtoria tripertita ſumto. (8) Poſtremo (*m*) Gregorii verba ſunt lib. ii. epiſt. xxxv. ut Ant. Demochares notat, vel ut aliis placet, Joannis Diaconi in vita Beati Gregorii lib. iii. cap. xiv. qui refert Gregorii epiſtolam ad Joannem Epiſcopum Veliternum: *Ideoque fraternitati tuæ curam, gubernationemque Treverenſium Eccleſiæ prævidimus committendam*. Pro *Treverenſium*, ſcribo *Trium tabernenſium*, quod recte apud Joan. Diaconum editum inveni. Etenim non longe fuerunt Tres tabernæ a Velitris urbe. Et ſic Anſelmus habet lib. v. cap. xxiv. quamvis liber Cæſaraug. Gratiani ſcripturam confirmet. (9) Hæc in adverſariis de Gratiani erratis ordine litterarum in propriis nominibus.

25. quæſt. 2. c. 25.

Ivo par. 10. c. 18. decr.

Anſ. lib. 6. c. 540.

Diſt. 15. c. 2. ſicut ſancti.

B. Multo his plura colligere poſſes, ſi velles; & ut aliud ex alio, in Pontificum Romanorum nominibus maxime Gratianus aberrat, ut cum *Anicetus* ab eo appellatur *Aniſius*, Miltiades *Melchiades*, Xyſtus *Sixtus*, Anteros *Antherus*, Calliſtus *Calixtus*, Cæleſtinus *Celeſtinus*, Hyginius *Higinus*, Zoſimus *Sozimus*, aut *Zozimus*, Zephyrinus *Zepherinus*. Ita etiam in nominibus conciliorum, cum Nannetenſe concilium vocat *Annetenſe*, vel *Maneteaſe*, vel *Navatenſe*; Ancyranum vocat *Anquiritanum*, vel *Ancyritanum*, vel *Anqatrenſe*; Arauſicanum *Aaraſicenſe*; Cabilonenſe *Bylonenſe*; Epaunenſe *Epanenſe*; Hiſpalenſe *Biſpalenſe*, vel *Spaleaſe*; Matiſconenſe *Maticenſe*; Vormatienſe *Warmatienſe*.

A. Hi non Gratiani errores ſunt, ſed illorum temporum. Sic in conciliis edi ſolitum eſt: ſic habent Burchardus, Ivo, & Anſelmus, & ceteri collectores. (10)

B. Habeo alia majora crimina, an errata dicam; quæ ſi pateris, in medium proferam.

A. Hodie id fieri non ſinam; cras ad clepſydram Gratianum accuſare poteris.

(a) *Burch. libro 4. c. 82.*
(b) *Ivo lib. 1. tit. 2. c. 65. panor. & par. 8. c. 276. decr.*
(c) *De conſec. diſt. 4. c. 94 pleriq.*
(d) *Burc. lib. 4 c. 83.*
(e) *Ivo lib. 8. tit. 2. c. 68. panor. & par. 1. c. 279. decr.*
(f) *Ivo par. 4. c. 117. decret.*
(g) *Cæſar. lib. 5. c. 36.*
(h) *Tarr. lib. 5. c. 140.*
(i) *11. quæſt. 3. c. 69.*
(k) *Ivo par. 10. c. 48. decret.*
(l) *Ivo c. 47. c. par.*
(m) *16. quæſt. 1. c. 49. poſtquam. Cæſar. l. 7. c. 35.*

ADDITIONES.

(1) IN editione Gregoriana cap. 12. Generalis, diſtin. 54. hæc verba ſunt non longe a fine: Magnis quippe ſtudiis, ſecundum beatum Apoſtolum, præcavendum eſt, ne fides & diſciplina Domini blaſphemetur. Et in marg. 1. ad Tim. 6. & 2. Pet. 2.

(2) Diſtin. 2. cap. 6. Quædam, in eadem editione, his utitur verbis: Nam & ſub Octaviano Cæſare ſuffecti Conſules Papius & Poppæus legem tulerunt, quæ a nominibus eorum appellatur Papia Poppæa. Et in notis hæc ſunt: Antea legebatur Papius, & Pompejus, & paulo poſt, Papia, & Pompeja. Emendatum eſt ex manuſcriptis exemplaribus Iſidori: Nam in impreſſis notaverat errorem Alciatus lib. 3. diſp. c. 3. In tabulis autem Capitolinis anno urbis DCCLXI. ex Kal. Jul. ſuffecti Conſules numerantur M. Papius, Q. Poppæus. (Varietas numeri capitum hujus diſtin. cum meis Dialogis oritur ex capite primo, quod mihi eſt initium diſtin. ſumtum ex verbis Iſidori: ejus non habetur ratio in eo libro Romano.)

(3) In eodem libro capit. 26. Omnes. 17. q. 4. ita ſcriptum eſt: (Item ex eodem (hoc eſt, Triburienſi concilio) c. 5.) Palea. Omnes presbyteri interfectores compoſitione Epiſcopo, ad cujus parochiam pertinent, ſolvuntur: ita videlicet, ut medietatem VVirigeldi, ejus Epiſcopus utilitatibus Eccleſiæ, cui præſuit, tribuat &c. Et in marg. al. VVirigildi. Et Capitul. l. 4. c. 15. cum. de pœnis c. presbyteri. Burc. l. 6. cap. 11. Ivo p. 10. c. 140. Pann. l. 8. c. 6. Et in notis: Hæc quoque Palea in uno tantum Vaticano codice habetur. Eſt autem in Capitularibus, (unde citatur in Panormia) l. 4. c. 15. & in Decretalibus tit. de pœnis c. presbyteri. In concilio etiam Triburienſi, quod exſtat c. 4. habetur quiddam ſimile. (Et poſtea: Interfectores) ſic etiam in Panormia. Vaticanus codex habet interfecti. In Capitulari legitur: Presbyteri interfecti Epiſcopo, ad cujus parochiam pertinent, ſolvantur, ſecundum capitulare glorioſi Karoli genitoris noſtri: ita videlicet &c. Verum in Decretalibus & apud Burchardum, & Ivonem hoc modo: Presbyteri interfecti compoſitio Epiſcopo ad cujus parochiam pertinebat, ſolvatur: ita videlicet &c. & ſimilis locutio habetur in concilio Triburienſi c. 4. Sed quoniam eſt initium capitis, nihil viſum eſt hic mutandum: reliqua autem ſunt emendata ex locis indicatis. Et poſtea: VViregeldi) Antea legebatur Renaldus. Emendatum ex ceteris locis indicatis, præterquam ex Decretalibus unde abeſt utraque vox: legitur tamen in prima collectione. Caput 2. de pœnis in editione Romana ita ſcriptum eſt: Ex concilio Triburienſi. Presbyteri interfecti compoſitio Epiſcopo ad cujus parochiam pertinet, ſolvatur: ita ut medietatem &c. in marg. Eſt in concilio Triburienſi ſub Arnulpho Imp. c. 4. Sed aliis verbis referunt Burchardus lib. 6. decret. c. 11. Ivo par. 10. c. 140. & Gratianus ſive Palea 17. q. 4. c. Omnes presbyteri.

(4) Capitis tertii de Nepris 31. q. 2. in eodem libro inſcriptio eſt: Item Urbanus ſecundus Sanctio regi Aragonum. Et in notis: Sanctio) Sic eſt emendatum ex vetuſtis exemplaribus Panormia, & hiſtoriis regum Aragonum. Nam antea erat Sacratio. Et in marg. Ivo p. 8. c. 24. Pann. l. 6. 109. Capitis 2. Tua. ejuſd. quæſt. hæc inſcriptio: (E contra Hormiſda Papa ſcribit Euſebio Epiſcopo) Palea. Et in notis. Palea hæc in Decretalibus eſt c. 1. tit. de deſponſ. impub. & in vulgatis quidem citatur ex Honorio: ſed in prima Decretalium collectione, ex Hormiſda, ut hic. Ejuſd. cap. 2. de deſponſ. impu. in eadem editione inſcriptio eſt: Hormiſda Euſebio Epiſcopo. Et in marg. cap. 2. eod. tit. in 1. compil.

(5) Diſtin. 45. cap. 5. De Judæis, in eodem libro ita inſcribitur: Unde in concilio Toletano 4. c. 56. ſtatutum eſt. In eod. ita legitur: Sicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis Siſebuti. Et in marg. hæc ſunt: Burch. l. 4. c. 82. Ivo p. 1. c. 276. & par. 13. c. 94. Pann. l. 1. c. 71. Capitis 94. Plerique de conſecr. diſt. 4. inſcriptio eſt: Item ex concilio Toletano 4. c. 58. In eodem hæc verba ſunt: De quibus conſultu piiſſimi, ac religioſiſſimi domini noſtri Siſemundi regis &c. Et in marg. Burch. lib. 4. c. 85. Ivo pag. 1. c. 279. Pann. l. 1. c. 75. (ſcribi debuit, Siſenandi pro Siſemundi.)

(6) Inſcriptio cap. 25. Ita nos 25. q. 2. in libro Romano hæc eſt: Unde Gelaſius Papa ſcribit. Et mox: Ita nos Syllacanorum cædes geminata pontificum &c. Et in mar. al. Squillatinorum. al. Syllanorum; & Polyc. l. 3. tit. 30. Anſel. l. 6. c. 148. Ivo p. 10. c. 18.

(7) Diſt. 15. cap. 2. Sicut ſancti, in eodem libro ita ſcriptum eſt: Quintum quoque concilium pariter veneror, in quo epiſtola quæ Ibæ dicitur erroris plena reprobatur, in quo Theodorus perſonam &c. in quo ſcripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur &c. (Male in caſu utroque Theodorus dicitur.)

(8) In Gregoriana editione cap. 69. cum. 11. q. 3. inſcriptio, & initium eſt: Item ex libro undecimo Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Rufini c. 18. Cum apud Theſſalonicam ſeditione exorta &c.

(9) Eodem in libro cap. 49. Poſtquam hoſtilis. 16. q. 1. inſcriptio eſt: Idem (Gregorius) Joanni Epiſcopo Veliterno lib. 2. epiſt. 35. Et poſt alia: gubernationemque Trium tabernenſium Eccleſiæ providimus committendam &c. Et in marg. Joan. diaconus l. 3. c. 15. & 7. qu. 1. Temporis qualitas. Anſ. l. 5. c. 24. Polyc. l. 1. tit. 9. Et in notis: Trium tabernenſium) In vulgatis legebatur Treverenſium. Emendatum eſt ex aliquot vetuſtis, & originali, & Joanne diacono. Nam ut is teſtatur, hæc epiſtola ſcripta eſt Joanni Epiſcopo Veliterno. Oppidum autem Trium tabernarum Veliternis vicinum eſt.

(10) Nomina propria melius edita ſunt in Gregoriana editione, quam in ceteris. Erratum tamen eſt in his: Zozimus pro Zoſimo, Melchiades pro Miltiade, Hoſtienſis pro Oſtienſi, Calixtus pro Calliſto, Iginus pro Hygino, Sixtus pro Xyſto, Bracharenſis pro Bracarenſi, Zephirinus pro Zephyrino, Telephorus pro Teleſphoro.

DIALOGUS VI.

De Gratiani majoribus erratis.

A. PErmittitur tibi B. in Gratianum dicere; ſed ita, ut ſingulis criminibus probationes adferas, niſi res probatione non indigeat.

B. Conditionem accipio: Ea enim adferam, quæ nemo negaverit. Et principio de Anaſtaſio ſecundo videamus, quem ait ab Eccleſia Romana repudiatum, & a Deo fuiſſe percuſſum. Hæc Gratianus diſtinct. xix. extrema, (*a*) & cauſſa prima cap. xcvs. (*b*)

A. Dixiſſe fateor Gratianum, ſed non ſolum. Idem enim adfert Pontificalis verba, (*c*) quæ etiam Ivo, (*d*) & liber Cæſarauguſt. (*e*) & tuus Tarraconen. (*f*)

B. Majus crimen falſi intenditur, cum verba Pontificalis corrupit. Ea enim Ivo Carnotenſis, & liber Cæſarauguſtan. referunt in hunc modum: *Et quia occulte voluit revocare Acacium, & non potuit, quia divino nutu percuſſus eſt Acacius.* Gratianus voce *Acacius* deleta, & alia voce *quia*, ita ſcripſit: *Et quia occulte voluit revocare Acacium, & non potuit, divino nutu percuſſus eſt.*

A. Deletum id a Gratiano probare debes.

B. Non refert ea verba.

A. Ita fortaſſe in ſuis libria legerat. Unde quod ad Acacium erat referendum, ad Anaſtaſium retulit. Sed & non in omnibus libris ea vox *Acacius* legitur.

B. Deceptum eſſe Gratianum fateris: non perſequar hæc latius, cum id ſatis acerbe Albertus Pighius, & alii proſequantur.

A. Modeſtiam in eis requiro, ſed cauſſæ ſuæ inſerviunt. Mihi hoc verum videtur, Acacium fuiſſe divino nutu percuſſum, Anaſtaſium ei numquam communicaſſe. Quod ſi ſuſpiciones ſuorum effugere non potuit, non id nocet aliis qui culpa carent. (1)

B. Aliud adferam crimen, quod adverſus Romanos Pontifices his verbis utitur diſtin. LVI. poſt

Diſt. 56. c. 1. & 2.

cap. s. *Exemplis & auctoritatibus non ſolum ſacerdotes, ſed etiam ſummi ſacerdotes fieri poſſunt.* Loquitur autem de filiis preſbyterorum. Mox addit: *Unde Damaſus Papa ſcribit Hieronymo presbytero: Oſius Papa fuit filius Stephani ſubdiaconi; Bonifacius Papa Jucundi presbyteri* &c. Mox alios enumerat, qui longe poſt Damaſi, & Hieronymi tempora fuerunt. Cur vero Oſium ante alios numeraverit, & eum ſubdiaconi filium dixerit, cum de presbyterorum filiis agatur, quærendum.

A. Si in eo crimen verſatur, quod dixerit, fuiſſe aliquos ſummos ſacerdotes filios presybterorum: dixit hoc Ivo in præfatione Excerptionum his verbis: *Et ita genitos ex presbyteris non ſolum ad presbyteratum, ſed etiam ad ſummum ſacerdotium promoveri permiſerunt. Et ut de noſtris temporibus taceamus, ſicut legitur in geſtis Romanorum Pontificum, Felix tertius* &c. Et in Panormia ex libro Pontificatus, vel potius Pontificali, ut in veteri libro eſt, eadem referuntur. *Felix tertius* &c. Sed

Ivo lib. 3. tit. 5. c. 11. panor.

& in ipſo libro Pontificali qui exſtat, poſt Damaſi collectionem de vitis Pontificum, ſequuntur aliorum vitæ. In ſingulis nomina parentum adſcribuntur. Unde credendum eſt aliquem confeciſſe verba ab Ivone, & Gratiano relata.

B. Cur ergo Damaſo tribuit Gratianus, quæ aliorum ſunt?

A. Id non Gratiani, ſed Paleæ erratum eſſe ſuſpicor, cujus nomen edidit Demochares. Aut ſi Gratianus id ſcripſit, ex titulo libri Pontificalis Damaſi deceptus eſt.

B. Cupio ſcire a te, unde Paleæ verborum initium ſumas.

A. Aut ab illis verbis, *Unde Damaſus*; aut ab illis, *Oſius Papa*.

B. Finem verborum Paleæ quemnam facis?

A. In illis verbis, *filius Jucundi presbyteri*. Ut ea quæ ſequuntur, *Felix enim tertius*, ſint Gratiani, vel Pontificalis libri ab eo relati.

C. Cur non totum illud caput, *Oſius* &c. Paleæ adſcribis?

A. Quia video eum propoſuiſſe exemplis oſtenſurum, aliquos ſummos ſacerdotes fuiſſe. Huc accedit, quod Ivo de Felice tertio, & aliis ex libro eodem Pontificali, ſive ex geſtis Romanorum Pontificum idem affirmat comprobari.

B. De Oſio nihil dixiſti.

A. Fateor, me nihil habere, quod dicam. Tantum ſcio, multos Epiſcopos olim Papas fuiſſe dictos, & Oſii Cordubenſis nomen celebre eſt tam in concilio Nicæno, quam in Sardicenſi. Subdiaconi filium fuiſſe ignoro. (2)

B. Quando te patronum habet Gratianus; tuas adferam reprehenſiones. Apud Gratianum ex Theodoſianis legibus verba referri ſcimus, quæ ſunt Paulli in libris ſententiarum, (*g*) & ejus interpretis Aniani. Gratianus cauſſa ſecunda quæſtione vs. capite xxis. & aliis quinque capitibus (*h*) cum ignoraret, quæ Paulli eſſent, quæque interpretis, omnia congeſſit.

A. Sumſit hæc Gratianus non ex ipſis fontibus; ſed ex Ivonis Panormia, aut ex decretis, ſive excerptis ejuſdem. In Panormia ita ſcriptum eſt: (*i*) *Excerpta de legibus Theodoſianis, quas interpretatur Paullus: Propter ſuperfluam* &c. *In Theodoſianis legibus cap.* xxxvs. *Ab eo* &c. Sic etiam in decretis paucis exceptis.

B. Quei fieri poteſt, ut Theodoſianas leges interpretaretur Paullus, qui ſub Alexandro, & Gordiano vixit?

A. Nulla ratione fieri potuit. Sed exiſtimo, Theodoſianas leges dictas eſſe eum librum Alarici tempore conſcriptum, quod etiam Contius notat, in quo ex Theodoſiano Codice, & Novellis, & ex Caii inſtitutionibus & Paulli ſententiis excerpta ſunt multa. Sic melius eſt Gratianus locutus, quam Ivo Carnotenſis. (3)

B. Similis error eſt cauſſa xxxv. quæſtione v. extrema. (*k*) Enumerantur gradus adgnatorum, & cognatorum totidem verbis, quot Paullus utitur lib. sv. ſententiarum. Sed & interpretis Aniani verba referuntur mixta Paulli verbis; & inſcriptio eſt: *Item Iſidorus*.

A. Si credis Demochari, Iſidorus eadem ſcripſit lib. sx. cap. v. Etymolog. Si vis antiquiorem ſcriptorem, Burchardus lib. vii. cap. xxiix. ex Iſidoro de ſeptem gradibus conſanguinitatis. Idem Ivo in Panormia. At in excerptionibus ſic ait: *Hæc capitula de ſeptem gradibus conſanguinitatis, S. Iſidorus diligenti inquiſitione deſcripſit, & in figura apertius depicta ordinavit cap. 1. de ſeptem gradibus conſanguinitatis.* In margine Ivonis adſcriptus

Ivo l. 7. tit. 12. c. unic. panorm. & par. 9. c. 64. decret.

Lll 2 ptus

(a) *Diſt. 13. c. 8. ſecundum, in fine.*
(b) 2. *quæſt.* 5. *c.* 96. *dictum p. quod vero.*
(c) *c.* 9. *a. diſtin. Anaſtaſius.*
(d) *Ivo par.* 54. *c.* 40. *decret.*
(e) *Caſ. lib.* 14. *c.* 43.
(f) *Tarrac. lib.* 1. *cap.* 70.

(g) *Paul. lib.* 5. *ſenten.* 35. 36. 37. 38. 39.
(h) 2. *quæſt.* 6. *c.* 22. *propter ſuperfluam & poſtea.*
(i) *Ivo lib.* 4. *tit.* 18. *c.* 3. 4. 5. 6. 7. *panor. & par.* 5. *c.* 281. 282. 283. 284. 285. *decret.*
(k) 35. *quæſt.* 5. *c.* 6. *primo gradu. Vid. infra l.* 2. *dialogo* 10.

ptus eſt locus Iſidori in Etymologiis a Demochare notatus.

B. Quid ſi Iſidorus a Paullo ſi fatetur, ſumſit: ſi negat, ſurripuit?

A. Id minime dubium eſt, non a Paullo ſolum, ſed ab ejus interprete ſumta omnia eſſe.

B. Habeo, quod volebam (4) Venio nunc ad Miltiadis verba, quem ut heri diximus, *Melchiadem* appellat. Fuit autem is, ut noſti, Euſebii

12.q.1.c.15. *futuram.*

ſucceſſor, Silveſtro vero prior. Gratianus cauſſa XII. cap. XV. multa verba ei adſcripſit, ex quibus eum poſteriorem Silveſtro facere videtur. *Romani*, inquit, *Principes qui totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Chriſti & baptiſmi ſacramenta concurrerent. E quibus vir religioſiſſimus Conſtantinus primus fidem veritatis patenter adeptus, dedit licentiam* &c. Nonne videtur hic longe ab illis temporibus abeſſe tum dicendi inelegantia, tum his verbis quibus appareat, alios fuiſſe Principes Chriſtianos, qui tum monarchiam tenebant, e quibus Conſtantinus primus fuit? Quid? quod de Baptiſmo Conſtantini loquitur ante Silveſtri tempora? Sed & Nicæni concilii facit mentionem, quod XX. anno imperii habitum eſt ſub Silveſtro, ut omnes ſcribunt, paucis exceptis, qui ſub Julio habitum eſſe dixerunt. Nam veniſſe Romam Miltiadis temporibus Conſtantinum, ex Auguſtino, & Optato, & Euſebio elici poteſt. Multi Silveſtri temporibus id actum ſcribunt. Sed hæc verba quis ferat? *Idem vero Imp. præſidens ſanctæ ſynodo, quæ apud* Nicæam congregata eſt &c. Sic enim malo, quam *Nicænam* legere.

A. Non primus Miltiadi Gratianus illa quæ dicis, adſcripſit: ſed ante eum Burchardus libro tertio, (*a*) & Ivo, (*b*) & alii, (*c*) ex decretis Melchiadis Papæ cap. IIX. X. & XII. In conciliis ſine nomine ſcriptoris hæc leguntur ante donationem Conſtantini hoc titulo, *De primitiva eccleſia, & ſynodo Nicæna*. Miltiadis eſſe non credo. (5)

B. De donatione Conſtantini Gratianum (*d*) non reprehendo, habet enim *Paleæ* nomen adſcriptum; & eam defendes Græcis verbis Balſamonis ad Photium tit. IIX. cap. I. & Ivone, (a) atque Anſelmo, (*f*) & aliis (*g*) collectoribus. (6) De Euſebii verbis videamus. (*h*) *Crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ nuper nobis gubernacula ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tenentibus V. Nonas Maii inventa eſt, in prædicto Kalendarii die inventionis feſtum vobis ſolemniter celebrare mandamus*. Placet ne tibi Kalendarii appellatione etiam diem V. Nonas venire?

A. Mihi quidem non placet.

B. Jam hoc quo pacto defendes, ante Miltiadem & Silveſtrum crucem Domini inventam eſſe ſub Euſebio Pontifice?

A Gratianum excuſare poſſum, qui viderit, aut videre potuerit Euſebii Papæ epiſtolam tertiam, & Damaſum in Euſebii vita, & Ivonem parte IV. c. 11. *Excerptionum*, & librum Tarracon. (*i*) tuum.

B. At hiſtorici (*k*) poſt concilium Nicænum iter Helenæ matris Conſtantini Hieroſolymam conſcribunt, & maxima hominum frequentia dedicatum eſſe templum, illic etiam conveniſſe Arianos Epiſcopos narrant. Si his credere nolis; in vita Silveſtri Pontificis & Helenæ dicitur, matrem poſt filii baptiſmum cum Judæis adverſus Silveſtrum Romam veniſſe; & non anta credidiſſe, quam Judæi a Silveſtro victi fuiſſent.

A. Video difficultatem; & quæ ita contraria ſunt, non facile in concordiam ducentur. Aut dicendum eſt, mendum eſſe in illa Euſebii epiſtola, & Damaſi ſcriptis: aut ſi illa recipimus, cetera contemnamus oportet. (7) Sed tu alia Gratiani errata propone.

B. Non ego ſolus ſum, ſed a tota veterum ſchola Gratianus reprehenditur; quod Gregorii tertii verba ad Bonifacium Legatum Germaniæ, (*l*) ad Anglorum indulgentiam retulerit a B. Gregorio conceſſam.

A. Legantur Gratiani verba.

C. Illud vero Gregorii ad Bonifacium Anglicis pro tempore permiſſum eſt, quibus B. Gregorius in quarta, & quinta generationa conjugia contrahi permiſit.

A. Ivonis, (*m*) & Gratiani, & libri Cæſarauguſt. (*n*) inſcriptio illorum verborum ad Bonifacium, quænam eſt?

C. *Gregorius Junior Bonifacio Epiſcopo*: apud omnes. Additum tamen eſt a Demochara in margina: *Gregorius* III. ut etiam ab eo, qui Excerptiones Ivonis edidit.

A. Ego eadem verba in Colonienſibus conciliorum editionibus inveni B. Gregorio adſcripta in epiſt. ad Auguſtinum, & Gregorio tertio ad Bonifacium. Sic facile excuſari poſſet Gratianus, niſi addidiſſet illa (*ad Bonifacium*). Nunc tantum dicam, in voce *Anglicis* eſſe erratum. Fuit autem Bonifacius ex Anglicis, quorum origo ex Saxonia Germanorum regione fuit; hi in Britanniam inſulam migrarunt, ut Beda refert. (8)

B. Jam vero illud propono, apocryphis ſcripturis, & incertis illum uti.

A. Semper ne incertis?

B. Non hoc dico: ſed aliquando incertis.

A. Nonne idem Burchardus fecit, & Ivo, & Deuſdedit, & qui ſe authenticis uti profeſſus eſt, Anſelmus?

B. Ab his cavere debuit, in quibus illi lapſi ſunt.

A. Nomina indica apocryphorum, & incertorum.

B. Liber Paſtoris apocryphus eſt (*o*) teſta Gelaſio, & LXX. Epiſcopis in ſynodo. (*p*) Hoc idem referunt Burchardus (*q*) & Ivo. (*r*) *Hermes in libro Paſtoris. Ego dixi paſtori: Domine ſi quis mulierem* &c. Hæc poſuit Palea cauſſa XXXIV. extrema. (*s*) Refert Ivo in Panormia, (*t*) & in Excerptionibus (*u*) & ut ex concilio *Arelatenſi Bern. Papien.* (*x*) & Gregor. IX. (*y*) Hic Hermetis liber exſtat, verba relata poſita ſunt Mandato quarto ejus libri. (9) Adduntur illic alia verba ab Ivone quoque in excerptionibus relata, quæ Gratianus, (*z*) & Ivo in Panormia (*a*) Auguſtino adſcribunt. Sic enim ait Gratianus cauſſa XXXII. *Item Auguſtinus de Adulterinis conjugiis libro ſecundo. Non ſolum mœchatio eſt* &c.

A. Si libro Paſtoris uti, crimen eſt; id Paleæ obiici debet, & Ivoni. At qui verba Hermetis vel Auguſtino, vel Arelatenſi concilio tribuerunt, neque id primi fecerunt, ſed aliorum fidem ſecuti ſunt; cur acerbe accuſandi ſint, non video. Ante Gela-

(a) *Burc. li. 3. c. 2. 4. & 5.*
(b) *Ivo li. 2. tit. 1. c. 2. & 3. Panor. & par. 3. c. 4. 6. & 7. dec.*
(c) *Cæſar. lib. 7. c. 58.*
(d) *Diſt. 96. c. 13. & 14. Conſtantinus.*
(e) *Ivo li. 4. c. 1. panor. & par. 5. c. 49. decr.*
(f) *Anſel. lib. 4. c. 33.*
(g) *Deuſdc. c. 4. Cæſar. Aug. li. 2. c. 72. Tarrac. lib. 6. c. 33.*
(h) *De conſec. diſt. 3. c. 19. crucis.*
(i) *Tar. l. 4. c. 55.*
(k) *Vid. Euſe. apud Ruffin. li. 10. c. 7. &c. 18.*
(l) *32. q. 7. c. quod propoſuiſti, 18. & c. 24. ſi quis. p. illud.*
(m) *Ivo li. 6. tit. 10. c. 1. panorm. & par. 8. c. 78. decr.*
(n) *Cæſ. li. 10. c. 94.*
(o) *Vid. Euſeb. libr. 3. c. 23.*
(p) *Diſt. 15. c. 3. ſancta. §. in primis.*
(q) *Burc. libr. 3. c. 221.*
(r) *Ivo li. 2. tit. 11. c. 36. panor. & par. 4. c. 65. decr.*
(s) *34. q. 1. c. 7.*
(t) *Ivo li. 7. tit. 5. c. 2. panor.*
(u) *Ivo par. 8. c. 243. decret.*
(x) *c. 3. de adulte. in 1. collect.*
(y) *c. 3. eo.*
(z) *28. q. 1. c. 6. non ſolum.*
(a) *Ivo lib. 7. tit. 4. c. 7. panor.*

Gelaſium autem hic liber in pretio fuit, ut ex Athanaſio, (*a*) & Tertulliano, & Hieronymo cognovimus. Damaſus quoque in Pii vita, & ipſe Pius Pontifex epiſt. *1*. eum probare videntur. Ejus verba exſtant apud Gratianum de conſecratione diſtin. III. c. XXI. (*b*) & Ivonem parte IV. cap. III. & CXLV.

B. Nihil illic de libro Paſtoris ſcriptum eſt; ſed Hermes laudatur, eique apparuiſſe dicitur Angelus in habitu paſtoris, eique præcepiſſe, ut Paſcha Domini die dominico ab omnibus celebraretur.

B A. Ivo hæc refert in libro Pontificali ſcripta eſſe. Sub Pii Papæ Epiſcopatu Hermes librum ſcripſit, in quo Mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus Domini, cum venit ad eum in habitu paſtoris, & præcepit ei, ut Paſcha Domini die dominico celebraretur. *Hermes, & qui cum eis* † *fratres ſunt*, inquit Hieronymus in eccleſiaſticis ſcriptor. *aſſerunt auctorem eſſe libri qui appellatur Paſtor, & apud quaſdam Græciæ eccleſias etiam publice legitur: re vera utilis liber, multique de eo ſcriptorum veterum uſurpaverunt teſtimonia: ſed apud Latinos pæne ignotus eſt.*

† eo f.

C B. Ut poſteriores cogitationes Græco proverbio meliores eſſe dicuntur: ſic etiam poſterior ætas certiora de libro Paſtoris ſtatuit. (10)

A. Habes ne alios dicere aut incertos, aut apocryphos libros a Gratiano relatos?

B. Maxime. Canones Apoſtolorum, & canones ſextæ ſynodi repetitæ in Trullo.

A. Magnas tu quidem turbas moves, ſi hos omnes canones reiicis. Legiſti ne umquam Franciſci Turriani mei libros?

B. Legi: & hominem ipſum, ut doctum, & pium, & tibi conjunctiſſimum, valde diligo.

D A. Probat ne is, an improbat omnes illos canones?

B. Apoſtolorum canones quinquaginta probat, ex ceteris aliquot reiicit. Sextæ ſynodi improbat aliquos, alios non recipit: ſed ut antiquorum Patrum legi poſſe ait, licet careant illa generali auctoritate, qua Græci exiſtimant excellere.

A. Feliciores fuimus his temporibus nati, quam multi ex majoribus noſtris. Clementis Romani octo libri Conſtitutionum Apoſtolorum, ſive doctrinæ Apoſtolicæ, Græce, & Latine editi ſunt, qui fons eſt iſtorum canonum, qui dicuntur Apoſtolorum.

E B. At Gelaſius in illa ſynodo LXX. Epiſcoporum apocryphum eſſe ait librum canonum Apoſtolorum: (*c*) & ſextæ illius ſynodi repetitæ Patres octo libros illos Clementis ab hæreticis corruptos eſſe affirmant, ſed LXXXV. canones Apoſtolorum recipiunt capite ſecundo, cujus pars poſita eſt a Gratiano diſtinct. XVI. cap. IV. & VII. (*d*) ab Ivone in Panormia, & in Excerptionib. (*e*) & refert liber Cæſaraug. (*f*)(11) Iſidorus quoque in ea præfatione conci-

A liorum quam Gratianus refert capite primo illius diſtinct. XVI. (*g*) ſic ait. *Canones qui dicuntur Apoſtolorum, ſeu quia eoſdem nec ſedes Apoſtolica recepit, nec ſancti Patres illis aſſenſum præbuerunt: pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dinoſcuntur, quamvis in eis utilia inveniantur: tamen ab auctoritate canonum, atque Apoſtolica eorum geſta conſtat eſſe remota, atque inter apocrypha deputata.* Hæc verba in omnibus veteribus libris Hiſpaniæ conciliorum inveniuntur; non ille, quæ Iſidorus Mercator in præfatione conciliorum ſcripſit, quæ etiam Gratianus capite quarto ejuſd. diſtin. poſuit. Neque diſtinxit varietatem horum ſcriptorum, ut debuit, cum contraria dicerent: hic enim Mercator hos canones probat, quos ille rejecerat: ſed utrumque Iſidorum vocat. Tantum capite primo ait: *Hos non recipiendos, ſed inter apocrypha deputatos Iſidorus ſcribit, dicens.* Demochares in margine addit: *Iſidorus in principio conciliorum, de qua re Contius dubitat.* At de Mercatore Gratianus cap. IV. ita ſcribit: *Epiſtola Iſidori in capite canonum. Iſidorus ſervus Chriſti lectori ſuo conſervo. Propter eorum auctoritatem* &c. Apud Ivonem in veteri Panormiæ libro dicitur *Iſidorus Mercator*. Et in Excerptionibus ſic eſt: *Ex præfatione Iſidori in opus canonum. Iſidorus Mercator ſervus Chriſti* &c. Idem nomen ſcio in quibuſdam veteribus libris conciliorum Romæ inveniri. In margine tamen Ivonis *Peccator* appellatur. Te quoque ipſum ſcio exemplum illius Hiſpanicæ præfationis Romam ad Michaelem Thomaſium, & Petrum Ciaconem miſiſſe, & hanc varietatem notaſſe. Illoſque & ceteros ſelectos viros valde fuiſſe eo munere delectatos, propterea quod fontes ignorarent illius capitis primi Iſidori. (12)

c. 4. p. 1. diſtin. 16.

Ivo lib. 2. tit. 11. c. 39. panorm. & par. 4. c. 107. decr.

D A. Quid pluribus verbis opus eſt? Media via inter eos qui probent, & eos qui improbent, placet. Cujuſmodi eſt Humberti Silvæ Candidæ Epiſcopi Cardinalis Leonis IX. Legati, (*h*) cujus eſſe exiſtimo verba Leoni IX. adſcripta, quæ Gratianus refert capite tertio illius diſtinctionis: (*i*) *Clementis librum, id eſt, Petri Apoſtoli itinerarium, & Apoſtolorum canones numerant Patres inter apocrypha, exceptis capitulis L. quæ decreverunt orthodoxæ fidei tractatores adiungenda.* Hæc etiam Ivo refert; (*k*) ſed pro, *orthodoxæ fidei tractatores*, habet, *orthodoxis regulis*, aptius. Sic in Corpore canonum ex Dionyſii Exigui interpretatione, & in E Iſidori Mercatoris collectione tantum hos L. canones invenies. Hoc Gratianus, & veteres collectores referunt, item Romanus in libro Pænitentium, & Anſegiſus lib. 1. Capitularium Caroli. Si tu Gratianum alicubi pluribus uſum ſcis, locum oſtendito.

B. Nullum nunc oſtendere poſſum. (13)

A. De ſexta ſynodo cras pluribus agemus.

A D D I T I O N E S

(1) *Diſtin. 19. cap. 8. Secundum eccleſiæ, extremo, in libro Romano hæc verba ſunt: ideo ab eccleſia Romana repudiatur, & a Deo percuſſus legitur fuiſſe hoc modo. Cap. 9. Anaſtaſius ſecundus natione Romanus &c. & quia voluit occulte revocare Acacium, & non potuit, nutu divino percuſſus eſt. Et in marg. Ex libro (ut in corpore conciliorum citatur) Pontificali. Ivo p. 14. c. 40. Et in notis: Caput hoc habetur quidem tomo ſecundo conciliorum in vita Anaſtaſii: ſed eſſe omnino confictum, cum ex multis aliis argumentis, tum ex hoc manifeſte oſtenditur, quod Acacius* F *(ſicut Nicephorus lib. 16. c. 12. & Evagrius li. 3. c. 18. & ſequentibus, & clariſſime Anaſtaſius bibliothecarius in chronologia teſtantur) tempore Felicis III. abiit, cui ſucceſſit Gelaſius, & Gelaſio Anaſtaſius, qui initio epiſtolæ ſuæ, & cap. 1. ad Anaſt. Imp. Acacium mortuum iam, & ante judicem Chriſtum una cum Felice adſtare ſcripſit, ut Gelaſius quoque ante ipſum ſcripſerat, & habetur infra 24. q. 2. c. nec quiſquam. Quomodo ergo potuit Anaſtaſius de eo revocando tractare, qui jam abierat? Qui coſus ſcripſit, ſatisfacere videtur, ita ſcribens.) Occulte voluit revocare Acacium de-*

fun-

(a) *Vid. Athan. in ep. 39. feſtiva.*
(b) *De conſ. d. 3. c. 21. noſſe.*
(c) *Diſt. 15. c. 3. p. in primis Burch. l. 3. c. 222. Ivo l. 2. tit. 12. c. 36. panor. & par. 4. c. 63. dec.*
(d) *Diſt. 16. c. 4. placuit. & c. 7. quoniam.*
(e) *Ivo l. 2. tit. 11. c. 29. & 38. panor. & par. 4. c. 106. & 123. & 134. decr.*
(f) *Caſ. l. 1. c. 40. & 42. & 53. & li. 2. c. 8.*
(g) *Diſt. 16. c. 1.*
(h) *Humber. contra Nicetam.*
(i) *Diſt. 16. c. 3. Clementis.*
(k) *Ivo 4. tit. 11. c. 37. panor. & 4. par. 4. c. 119.*

Digitized by Google

functum in hæreſi, ut orationes pro eo in eccleſia fierent: & ideo multi clerici receſſerunt ab obedientia ejus, & lepra percuſſus eſt. Gratiani etiam opinio improbatur in notis cap. 7. Ita dominus. ejuſd. diſtin. par. Hoc autem: verba Gratiani ſunt: Anaſtaſius autem ſecundus ſevere Anaſtaſii Imp. quos Acacius poſt ſententiam in ſe prolatam ſacerdotes vel levitas ordinaverat, rite ſungi acceptis officiis debere decrevit ita inquiens. In notis hæc ſunt: Minime verum eſt ſenſiſſe Anaſtaſium, ordinatos ab Acacio poſt latam in ipſum ſententiam, rite ſungi acceptis officiis potuiſſe. Hoc enim dumtaxat, inquit in capite ſeq. firmam eſſe Sacramenti gratiam ab Acacio traditam: quod veriſſimum eſt, ſicut & aliæ omnes ſententiæ, quas in ea epiſt. ex B. Aug. Anaſtaſius accepit, vera ſunt. Habetur autem hæc eadem Anaſtaſii Papæ II. epiſtola in corpore canon. quod Romana Eccleſia ſemper approbavit, ut infra diſt. 20. c. de libellis, eſt adnotatum. Itaque ſine cauſſa reprehenditur hoc loco Anaſtaſius a Gratiano. Capite quoque 96. Dictum eſt, 1. q. 1. verba Gratiani ſunt: Quod vero per hæreticos ſacramenta dignitatis miniſtrata dicuntur carere effectu, improbatur auctoritate Anaſtaſii Papæ, qui ordinationem Acacii &c. Sed hoc eum illicite, & non canonice, immo contra decreta ſuorum prædeceſſorum feciſſe, probant Felix, & Gelaſius &c. Unde etiam ab Eccleſia Romana repudiatur: & a Deo fuiſſe percuſſus legitur in geſtis Romanorum Pontificum, hoc modo. (Anaſtaſius II. natione Romanus, &c.) Require retro in tractatu decretalium epiſtolarum. In marg. eſt ſupr. diſtinct. 19. In notis hæc ſunt: Sed hoc eum) Supra diſtinct. 19. c. Anaſtaſius, oſtenſum eſt immerito reprehenſum eſſe Anaſtaſium, & veriſſima eſſe, quæ ipſe de Acacio ſcripſit, & decrevit. (Pro c. Anaſtaſius, videtur ſcribendum e. Ita dominus.)

(2) *Diſtin. 56. cap. 1. extremum in Romano libro ita editum eſt:* Non ſolum ſacerdotes, ſed etiam ſummi ſacerdotes fieri poſſunt. *(Unde Damaſus Papa ſcribit) Palea. Oſius Papa fuit filius Stephani ſubdiaconi. Bonifacius &c. Silverius Papa filius Silverii Epiſcopi Romæ. Deuſdedit Papa filius Stephani ſubdiaconi. Felix enim tertius natione Romanus &c. Et in margine initio cap. 2. eſt. In Pontificali. Et prope vocem Silverii eſt: al. Hormiſdæ. Et Ivo in prologo. Pann. in prol. c. trigeſimo & lib. 3. c. 52. Et in notis hæc ſunt: In nullo vetuſto Gratiani codice adſcribitur heic nomen Paleæ in decimo Vaticano & aliis quibuſdam conjuncte cum verbis ſuperioribus Gratiani a verſ. Felix enim tertius, uſque ad finem. In aliis autem ſatis etiam emendatis iſta eodem cohærent cum ſuperioribus; ſed poſt illa verba, ex patre Gordiano presbytero originem duxit, ſequitur: unde Damaſus Papa ſcribit. Deuſdedit Papa &c. Bonifacius Papa & Felix Papa &c. Agapitus Papa &c. Theodorus Papa &c. Silverius Papa filius Hormiſda Epiſcopi Romæ. Complures etiam &c.* Nec vero magnopere mirandum eſt hæc omnia ex Damaſo citari, qui vixit ante iſtos, qui heic enumerantur. Liber enim qui Pontificalis dicitur, ubi hæc ſcripta ſuis locis leguntur, a Damaſo cœptus eſt ſcribi. Ideoque licet ab aliis multa deinde ſint addita, retinuit tamen primi auctoris nomen. Ivo quidem eadem fere iſta refert ex Geſtis Romanor. Pontif. Omnino partem aliquam hujus capitis, ſaltem illam, quæ in decimo Vaticano habetur, ab ipſo Gratiano ſcriptam eſſe conſtat ex verbis Gratiani in extremo præcedente capite, & capite penultimo hujus diſtinctionis. Auctor vero Paleæ, dum unum per ſe caput conficere voluit, ordinem perturbavit, præſertim in repetitione Felicis tertii, & illud de Oſio temere adjunxit, quod nulli Romanor. Pont. nomen fuit. In ſcholiis additum eſt: Oſius) alias Oroſius. (Ego ſcriberem Deuſdedit. Idem enim de utroque dicitur. Illa verba, Felix enim &c. uſque ad finem erant aliis litteris ſcribenda, ut Gratiani verba ſcribi ſolent.)

(3) *Quod cauſſa 2. q. 6. c. 22. Propter ſuperfluam, & aliis inſcribitur ex Theodoſianis legibus, in Romano editione ita ſcriptum eſt. Unde in Theodoſianis legibus ſic ſtatutum invenitur. Et in marg. In ſententiis Julii Paulli cum interpret. Aniani li. 5. tit. 31. c. 1. Ivo p. 5. c. 281. Pann. l. 4. c. 127. Et in notis: Hoc & quattuor ſequentia capita, quæ citantur ex legibus Theodoſianis, habentur lib. 5. ſententiarum Julii Paulli, cum interpretatione. Ex quo apparet Gratiani etiam tempore has ſententias conjunctas fuiſſe cum Codice Theodoſiano, ſeu breviario Alarici. Alaricus autem in præfatione profitetur ſe volumen illud non ex ſolo Theodoſiano Codice, ſed ex variis libris collegiſſe, & in legum collectione, atque interpretatione Epiſcoporum præcipue opera uſum fuiſſe. Capite 23. Habita in marg. eſt: ff. ſi quis cau. l. 1. Et in notis: Caput hoc abeſt a vetuſtioribus Gratiani codicibus, & ab originali, & Ivone, & Pannormia. In uno autem Gratiani valde emendato eſt in margine ſuperioris capitis tamquam gloſſa quadam. Inſcriptio cap. 24. Ab eo, eſt: Item ibidem tit. 34. Et in marg. Ivo p. 5. c. 282. Pann. l. 4. c. 128. Et ver. Iſta jam eſt in marg. Sunt verba interpretis. Inſcriptio cap. 25. Quicumque eſt. Item ibidem tit. 35. c. 2. Et in marg. Ex interpretatione. Ivo p. 1. (ſcribes,) c. 283. Pann. l. 4. c. 129. Inſcriptio c. 26. Quoties, eſt. Item ibidem tit. 36. c. 1. Et in marg. Ex interpretatione. Ivo p. 5. c. 284. Pann. l. 4. c. 130. Et ver. Si propter, eſt in marg. Ex Paullo ibidem. Inſcriptio c. 27. Omnino eſt. Item ibidem tit. 37. c. 1. Et in marg. Ivo p. 5. c. 285. Pann. l. 4. c. 131. Ex Paullo. Et in notis hæc ſunt: Omnino puniendus.) In ſententiis Paulli legitur, Omnimodo probandum eſt &c. Sed quia eſt initium capituli, & de hujuſmodi punitione multa ſunt a doctoribus adnotata, non eſt mutatum. Tantummodo ductus orationis eſt emendatus, addita particula* UT.

(4) *Capitis ſexti, Primo gradu. 35. q. 5. in libro Romano inſcriptio eſt: Item Iſidorus. Et in marg. Iſid. l. 9. c. 5. In ſententiis Julii Paulli li. 4. tit. 11. de gradibus. Hugo de S. Vict. par. 15. l. 2. c. 14. Burch. l. 7. c. 28. Ivo par. 9. c. 63. Pann. l. 7. c. 89. Et ver. Illæ perſonæ. in marg. Anianus interpres Paulli, & poſtea. In notis eſt: Caput hoc recitatum etiam ab Hugone, & collectoribus exſtat in libro ſentent. Paulli, additis non uno in loco verbis Aniani interpretis. Pleraque tamen habentur etiam apud Iſid. li. 9. c. 5.*

(5) *Inſcriptio cap. 15. Futuram, 12. q. 1. in eodem libro hæc eſt: Item Melchiades Papa. In marg. hæc ſunt: Polyc. li. 1. tit. 19. Burch. l. 3. c. 2. & 5. Ivo p. 5. c. 4. & 7. Pann. l. 2. c. 3. Et in notis: Ceteri etiam collectores Melchiadem citant: quod conſtare non poſſe recte animadvertit auctor gloſſæ: Fit enim in hoc capite mentio Nicænæ ſynodi: quo tempore (ut ex ipſa ſynodo, Euſebio, & ceteris hiſtoricis apparet) jam Melchiades obierat. Habetur autem integrum in ſcripto de primitiva eccleſia, & munificentia Conſtantini: quod in collectione Iſidori Lutetiæ bis impreſſa ſequitur ſtatim poſt decreta Melchiadis, quemadmodum ſupra diſt. 88. ad c. decrevit, adnotatum eſt.. In ſcholiis, ſive gloſſis. Melchiades) Falſus eſt titulus, quia Melchiades fuit proximus ante Silveſtrum, & ejus tempore eſt Conſtantinus converſus. 96. diſt. in illa Palea Conſtantinus. In contextu hæc ſunt. ut non ſolum Gentes, ſed etiam Roman. Principes, qui pæne totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Chriſti, & baptiſmi ſacramenta concurrerent. E quibus vir religioſiſſimus Conſtantinus primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit &c. Idem vero præſidens in ſancta ſynodo, quæ apud Nicæam congregata eſt &c.*

(6) *Diſtin. 96. cap. 13. & 14. Conſtantinus, in eodem libro tantum hoc nomen Palea inſcriptum eſt. Et in marg. cap. 13. hæc ſunt: Anſ. l. 4. prol. 4. c. 32. Deuſdedit l. 4. c. 1. Et in notis: Apud Anſelmum libro quarto pro rubrica capitis 32. hæc habentur: Quod Conſtantinus Imperator Papæ conceſſit coronam, & omnem regiam dignitatem in urbe Romana, & Italia, & in partibus occidentalibus. In principio vero ejuſdem capitis 32. hæc leguntur: In geſtis B. Silveſtri, &c. uſque ad finem*

hu-

hujus, & ſeq. Paleæ; quemadmodum etiam in collectione Deuſdedit. Et in marg. capitis 14. hæc ſunt: In edicto Conſtantini, quod poſt concilium Neocæſar. Anſ. l. 4. c. 32. Deuſdedit ibid. Et in ver. Beato Silveſtro, eſt in marg. Ivo p. 5. c. 49. Pao (pro Panno.) l. 4. c. 1. Et in notis hæc ſunt: Hæc Palea in multis habetur exemplaribus in quibus aliæ Paleæ eſſe non ſolent. Conſtantinus (Verba hæc uſque ad verſ. In eo privilegio, non ſolum habentur apud Anſel. & Deuſdedit, ſed etiam in geſtis B. Silveſtri, in his quæ a Conſtantino per octo dies poſt baptiſmum acta referuntur. Utile) Hinc uſque ad finem ſumta ſunt ex geſtis, ſeu actis S. Silveſtri, in quibus multa præcedunt, ac multa deinceps plenius narrantur. Sed heic ea tantum videntur relata, quæ in collectionibus Anſelmi, & Deuſdedit habentur. Titulus eſt: Privilegium S. R. E. &c. De quo item privilegio Leo nonus in epiſt. 1. ſive libello adverſus inauditas præſumptiones Mich. CP. & Leonis Acridani Epiſcoporum c. 13. Pauca ex privilegio &c. De iiſdem geſtis, ſive actis Gelaſius in concilio LXX. Epiſcoporum (& refertur ſup. diſt. 15. c. Sancta Romana) ſic loquitur, ut ea videatur approbare. Et in martyrologio Romano, & Uſuardi in feſto S. Silveſtri legitur, cujus actus clari habentur. Inveniuntur vero etiam hodie pervetuſtis litteris deſcripta in bibliotheca Vaticana, & Abbatia Nonantulæ: quorum interpres in prœmio hæc ait: Hiſtoriographus noſter Euſebius Cæſareæ Palæſtinæ urbis Epiſcopus &c. Sanctum Silveſtrum me de Græce in Latinum transferre præcepiſti &c. Quæ & jam in vetuſtiſſimis Pontificalibus & codicibus, in quibus ſanctorum vitæ ſunt deſcriptæ, in vita B. Silveſtri referuntur. Partem horum actorum (quod ad baptiſmum Conſtantini, & imagines ſanctorum Petri, & Paulli ſpectat) refert Hadrianus Papa in epiſt. Conſtantino Imp. & matri Irenæ ſcripta, quæ in 2. actione 7. univerſalis ſynodi habetur. Ipſum autem privilegium fere integrum refert Leo nonus loco ſuperius indicato, & Theodorus Balſamon in Photii nomocanonem tit. 9. c. 1. quamquam aliis in rebus (quod Græci plerumque ſolent) Romanæ eccleſiæ non ſatis æquus. Hanc eamdem donationem ante Gratianum recitarunt Anſel. Deuſd. Ivo locis notatis. Quo ea pertineat, quæ Pet. Damianus in diſceptatione ſynodali inter regium advocatum, & Romanæ eccleſiæ defenſorem ſcripſit. Lege, inquit, Conſtantini Imp. edictum &c. De hac eadem re ſcribit Ado Viennen. in commentario ætatis ſextæ, & Gotfredus Viterbien. in chronicis par. 6. c. 2. (Addi debuit. Nicol. 3. in c. 17. Fundamenta de election. li. 6.)

(7) De conſecrat. diſtin. 3. cap. 19. Crucis domini, in eadem editione inſcriptio eſt: Item Euſeb. Papa epiſt. 3. Et in marg. Ivo par. 4. c. 5.

(8) Capitis 18. Quod propoſuiſti, cau. 32. quæſt. 7. in Romana editione inſcriptio hæc eſt: Item Gregorius tertius Bonifacio Epiſcopo epiſt. 4. In marg. eſt. Ivo p. 8. c. 78. Pann. l. 6. c. 112. Et in notis. Epiſtola, ex qua capitulum hoc acceptum eſt, impreſſa exſtat tomo 3. conciliorum, & manu ſcripta in bibliotheca monaſterii Dominicanorum: & quæ citantur infra 33. q. 1. c. quod autem & c. ſequenti videntur eſſe hujus Gregorii tertii. Et in ſchol. Nubat) Hoc Anglicis conceſſum eſt, ut dicit Greg. (malo, Grat.) quia novi erant in fide, ut inf. ea. par. quamvis, ſed male, quia iſte non fuit Greg. magnus, nec ſcribit Aug. Anglor. Epiſcopo, cui illa conceſſio facta eſt, 35. q. 3. quædam lex. Verba cap. 24. Si quis cum noverca. d. q. 7. in fine. Illud vero Gregorii &c. ut in dialogo. In notis eſt: Anglicis) Vere hic auctor gloſſæ animadvertit, Gratianum, quod Gregorius tertius ſcripſit ad Bonifacium legatum Germaniæ pro cauſſis Germanorum, retuliſſe ad ea quæ multo ante B. Gregorius primus ſcripſerat ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, diſpenſando cum Anglis ad fidem nuper converſis ſuper gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, & habetur infra 35. q. 2. & 3. c. quædam lex. & q. 5. c. ad ſedem. Et in ſchol. Illud vero,) Quandoque bonus dormitat Homerus. Vagatur Gratianus pro ſolutione illius cap. ſupra ead. quod propoſuiſti; & cum non inveniat, ſomniando attribuit S. Greg. minori, quod egregius doctor S. Grego. major ſcribit Aug. 35. q. 3. quædam lex. Sed hic caſus reprobatus eſt ſupra.

(9) Diſtin. 15. cap. 3. Sancta, in eodem libro par. in primis, hæc verba ſunt. Liber qui appellatur Paſtoris, apocryphus. Et in marg. Burch. l. 3. c. 221. Ivo par. 4. c. 65. Pann. l. 2. c. 123. Inſcriptio cap. 7. Ego dixi. 34. q. 1. hæc eſt. (Item Hermes in libro Paſtoris mandato quarto) Palea. Et in marg. Ivo par. 8. c. 241. Pan. l. 7. c. 38. Sent. 4. diſt. 35. ext. de adult. Si vir. Et in notis: In hoc capite emendata, & addita nonnulla ſunt ex originali, & ceteris collectoribus. Capitis 3. Si vir. de adulteriis in Romana editione eſt. Ex concilio Arelaten. Et in marg. Alias Aurelian. Vide c. 3. eo. tit. in 1. compil. & notas hujus capitis.

(10) Inſcriptio cap. 6. Non ſolum, 28. q. 1. in eodem libro eſt: Idem (Auguſtin.) de adulterinis conjugiis lib. 2. Et in notis additur: In eo libro non exſtat: ſed apud Hermetem in libro Paſtoris mandato quarto, ex quo citat Ivo hoc una cum palea. Ego dixi. inf. 34. q. 1. & 2. Et quoniam in eo mandato tam de viro, quam de muliere agitur, eſt aliqua verborum varietas, ſed eadem ſententia. In marg. hæc ſunt; Ivo p. 8. c. 243. Pann. l. 7. c. 34.

(11) Capite tertio Sancta, diſtin. 15. par. In primis, hæc verba ſunt in Gregoriana editione: Item itinerarium nomine Petri Apoſtoli, quod appellatur ſancti Clementis lib. 8. apocryphum. Et in marg. decem, orig. Et poſtea: Liber qui appellatur ſortes Apoſtolorum, apocryphus. Liber Luſanæ apocryphus. Et in marg. qui appellatur Laus Apoſtolorum, orig. Et mox: Liber canonum Apoſtolorum apocryphus. Inſcriptio cap. 4. Placuit. diſtin. 16. hæc eſt: Item 6. ſynodus cap. 2. Et in marg. Ivo par. 4. c. 106. Pann. lib. 2. c. 125. Inſcriptio capit. ſeptim. Quoniam, hæc eſt: Unde ſancti patres in eadem (ſexta) ſynodo ſecundo congregata dixerunt. Et in marg. Ivo ſeptimam vocat. Et Ivo par. 4. c. 123. Et in oratione allocutoria Patrum qui in Trullo convenerant, ad Juſtinian. Imp. Et in verſ. Placuit c. 2. ejus ſynodi. ſup. ead. c. placuit. Ivo 4. 106.

(12) In eadem editione inſcriptio cap. 1. diſtin. 16. hæc eſt: Hos non recipiendos, ſed inter apocrypha deputatos Iſidorus ſcribit dicens: Canones, qui dicuntur Apoſtolor. &c. Et in notis: Caput hoc eſt in præfatione Iſidori ad collectionem conciliorum quæ ex bibliotheca eccleſiæ Toletanæ deſcripta Romam miſſa eſt. Nam in illa, quæ vulgatæ Iſidori collectioni, de qua initio dictum eſt, præponitur, contrarium potius videtur dici, & refertur infra c. placuit. hac ead. diſt. ſi modo idem eſt Iſidorus. Et in indice librorum ante verba Gratiani: Iſidori collectionis canonum præfatio alia a vulgata, miſſa ab Archiep. Tarracon. & Alvaro Gomez ex bibliotheca eccleſiæ Toletanæ. Capite 4. Placuit. ejuſd. diſt. verſ. Iſidorus, hæc verba ſunt, quæ melius capiti quinto adſcribi deberent. Epiſtola Iſidori in capite canonum. Iſidorus ſervus Chriſti lectori ſuo conſervo. Propter eorum auctoritatem &c. Et in marg. Ivo p. 4. c. 107. Pann. l. 2. c. 125. Et in notis hæc ſunt: Hæc epiſtola ab Ivone vocatur Præfatio in opus canonum, & eſt ea quæ Iſidori nomine eſt præpoſita tomis conciliorum, licet in vetuſtiore editione in qua purior eſt Iſidori collectio, nonnulla verba deſiderentur. Eſt autem confectum hoc caput ex duobus locis illius præfationis. Nam verba illa: Propter eorum auctoritatem &c. uſque ad verba conſtit. non longe abſunt ab initio. Reliqua vero ſunt in extremo. Iſidorus ſervus) in Pannormia eſt eodem modo, atque apud Gratianum. Apud Ivonem & in manu ſcriptis collectionis illius codicibus eſt: Iſidorus Mercator ſervus Chriſti conſervo ſuo, & parenti fidei (al. ſidei) in Domino ſalutem. In vulgatis autem conciliorum editionibus: Iſidorus peccator, ſervus &c. In indice librorum ante verba Gratiani hæc ſunt: Iſidori collectio canonum ex Vaticana, & Dominicana ſupra Minervam. Et in admonitione ad lectorem: Ceterum inter privatos collectores qui multo plura congerere ſtuduerunt, perantiquus eſt Iſidorus: cujus collectio protenditur a canonibus Apoſtolorum uſque ad concilium Hiſpalenſe ſecundum: habeturque in duobus codi-

Digitized by Google

codicibus Vaticanæ bibliothecæ, & uno monaſterii Dominicani ſanctæ Mariæ ſupra Minervam: extat autem impreſſo in editionibus conciliorum in antiquioribus quidem purior, in recentioribus autem multis aliis conciliis, ſcriptiſque admixta. Iſidorum hunc Igmarus Archiepiſcopus Remenſis in libro de ſynodis, celeberrimum illum Hiſpalenſem fuiſſe affirmat, a quo teſtatur etiam Trittemius librum Decretorum eſſe conſcriptum: ac certe multa verba quæ in præfatione hujus collectionis leguntur, ſunt in libro quinto Etymologiar. In codice autem Dominicanæ bibliothecæ initio præfationis ita legitur: Iſidorus Mercator ſervus Chriſti lectori conſervo ſuo &c. nec multo ſecus in Vaticanis: quo loco in impreſſis eſt, Iſidorus peccator ſervus Chriſti &c.

(13) Capitis tertii diſtin. 16. in eadem editione verba ſunt: Item Leo Papa nonus contra epiſtolam Nicetæ Abbatis. Clementis librum, id eſt Petri Apoſtoli itinerarium, & Apoſtolorum canones numerant Patres inter apocrypha, exceptis quinquaginta capitulis, quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda. In marg. hæc ſunt: Ivo p. 4. c. 105. Pan. l. 2. 124. Orthodoxæ) al. regulis orthodoxis, al. regulis orthodoxiæ. In notis ita ſcriptum eſt: Hoc caput ſumtum eſt ex reſponſione Humberti legati Leonis noni ad libellum Nicetæ presbyteri, & Monachi contra Latinos editum: quæ Romæ in monaſterio ſanctæ Mariæ novæ, & in multis privatis bibliothecis extat manu ſcripta. Merito autem potuit citari Leo IX. quod ejus auctoritate & juſſione Humbertus legatus ſedis Apoſtolicæ ea ſcripſerit. Initio ejuſdem diſtinct. hæc ſunt Gratiani verba: Apoſtolorum vero canones, qui per Clementem Pontificem Romanum, ſicut quidam aſſerunt, dicuntur eſſe tranſlati, ſunt quinquaginta. Et in notis Tranſlati) In titulo qui præponitur canonibus Apoſtolorum in collectione Iſidori, & in concilio Stephani Papæ IV. (cujus magnam partem Deuſdedit Cardinalis in ſua canonum collectione refert) pro voce tranſlati habetur prolati. Dionyſius certe Exiguus nullam hujus verſionis mentionem fecit, & aliqui ſcriptores ſolent epiſtolas Clementis hoc modo citare, ex dictis Petri Apoſtoli per Clementem prolatis: ut auctor Polycarpi, & alii.

DIALOGUS VII.

De Capitibus ſumptis a ſexta ſynodo.

A. DE ſextæ ſynodi repetitæ in Trullo decretis, ſive regulis agendum eſt. Neque credo te dubitare de fide ſextæ ſynodi, quæ contra Monothelitas habita eſt Conſtantinopoli in Trullo, quod palatii, ſive aulæ regiæ nomen eſt, ſub Agathone Pontifice, & Conſtantino IV. Imperatore. Hæc confirmata eſt mortuo Agathone a Leone Minore. Hanc nullos canones feciſſe, tum Græci, quam Latini conſitentur. Sed & in his ipſis regulis, de quorum auctoritate dubitamus, hoc aperte dicitur. Recita ex Tilii libro quem habes, Græca verba epiſtolæ, ſive adlocutionis hujus ſynodi.

Videa. Ivo par. 4. c. 120. & 124. & 185. decr.

B. *ἐπειδὴ δὲ αἱ ἅγιαι καὶ οἰκουμενικαὶ σύνοδοι, αἱ κατὰ καιρὸν τὴν βασιλίδα καὶ θεοφύλακτον πόλιν συναθροισθεῖσαι, ἡ μὲν ἐπὶ τῆς μνήμης Ἰουστινιανοῦ τοῦ τῆς θείας λήξεως, ἡ δὲ ἐπὶ τοῦ ἐν εὐσεβεῖ τῇ μνήμῃ γενομένου ἡμῶν βασιλέως Κωνσταντίνου πατρὸς τοῦ σοῦ ἡμερωτάτου, τὰ περὶ τῆς πίστεως παρρησίᾳ ἐξεφωνήσαντο μυστήρια, κἀκεῖναι ἱεροὺς κανόνας οὐ συνεγράψαντο, καθὰ καὶ αἱ λοιπαὶ ἄλλαι τέσσαρες οἰκουμενικαὶ σύνοδοι.*

A. Satis eſt ad id, quod volebam. Latine recitet C. noſter.

C. Cum quo Imperatore loquitur hæc ſynodus?

A. Cum Juſtiniano poſteriore ejus Conſtantini filio, ſub quo ſexta ſynodus habita eſt.

C. Quo pacto probas, eum eſſe Juſtinianum poſteriorem?

A. Quia prioris Juſtiniani ſub quo ſynodus quinta habita eſt, mentio heic fit, eumque mortuum eſſe, verba illa, τῆς θείας λήξεως, oſtendunt. Inſcriptio epiſtolæ ad Juſtinianum miſſæ recitetur.

B. *τῷ εὐσεβεστάτῳ καὶ φιλοχρίστῳ βασιλεῖ Ἰουστινιανῷ ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος* &c.

A. Recitet C. Gratiani verba capitis VII. diſtinctionis XVI.

Diſt. 16. c. 7. quoniam.

C. *Unde ſancti Patres in eadem ſynodo congregati dixerunt: Quoniam ſanctæ univerſales ſynodi, quinta ſub Juſtiniano Auguſto, ſexta ſub Conſtantino patre ſuo Auguſto.*

A. *Tuo* pro *ſuo* ſcribendum: idque Contio placet, qui non recte hæc eſſe verba VII. ſynodi ſcribit.

C. *De myſterio fidei pleniſſime diſputantes, canones non fecerunt, ſicut ceteræ quatuor univerſales ſynodi: propterea nos convenientes in hanc imperialem urbem, ſacros canones conſcripſimus.*

A. Gratiani verba cum Ivone conferantur.

Ivo par. 4. c. 123. decr.

C. *Epiſtola ſeptimæ ſynodi ad Juſtinianum filium Conſtantini.*

A. Placet inſcriptio, ſi *ſextæ* pro *ſeptimæ* ſcribatur.

C. In aliis verbis nulla varietas eſt, niſi quod *tuo* pro *ſuo* ſcribit, tuam opinionem confirmans.

A. Confer cum libro Cæſarauguſtano.

Cæſ. lib. 1. c. 40.

C. Inſcriptio eadem eſt: ſed *ſextæ* pro *ſeptimæ* habet. Vox *tua*, non *ſua* confirmatur: cetera ut Gratianus, & Ivo habet. (t)

A. Hoc jacto fundamento, nullos canones feciſſe illam ſextam univerſalem ſynodum. Videamus nunc, cur hi canones ſextæ ſynodi appellentur. Et hoc ex Taraſii verbis in ſeptima ſynodo dictis elicietur. Recita, quæ Gratianus capite V. & VI. illius diſtin. XVI. ſcripſerit.

C. *Sextam ſynodum ſanctam cum omnibus canonibus ſuis recipio.* Sed dubitatur de ea, an canones conſcripſerit? quod ex quarta actione ſextæ ſynodi facile abſolvitur.

Diſt. 16. c. 5. ſextam, & c. 5. habeo.

A. *Septimæ* pro *ſextæ* ſcribendum eſt: idque Contius probat, quamvis eamdem octavam dicat vocari; quod falſum eſt.

C. *Ait enim Epiſcopus Petrus Epiſcopo Nicomediæ.*

A. Hoc etiam mutandum eſt. *Ait enim Petrus Epiſcopus Nicomediæ.*

C. *Habeo librum continentem canones ſanctæ ſynodi ſextæ, Patriarcha dixit.*

A. Hic eſt Taraſius, ut dixi.

C. *Quidam ſcandalizantur per ignorantiam pro canonibus iſtis dicentes: numquid ſexta ſynodus canones fecit? Sciant ergo, quoniam ſynodus ſancta ſexta ſub Conſtantino congregata eſt contra eos, qui dicebant unam operationem, & unam voluntatem eſſe in Chriſto.*

A. Hos Monothelitas appellabant.

C. *In qua ſancti patres illos, ut pote hæreticos anathematizaverunt, & orthodoxam fidem explanaverunt. Soluta eſt hæc ſynodus Conſtantini XIV. anno: poſt quatuor vero, aut quinque annos iidem ſancti patres congregati ſunt ſub Juſtiniano filio Conſtantini, & prædictos canones promulgaverunt. De quibus nullus dubitet. Qui enim ſub Conſtantino Imp. in ſynodo fuerunt, iidem ipſi Epiſcopi ſub Juſtiniano iſtis canonibus ſubſcripſerunt. Oportebat enim, ut ſynodus univerſalis canones eccleſiaſticos promulgaret.*

A. Videtis Taraſii rationes quales ſint. Quod iidem Epiſcopi interfuerint, & ſubſcripſerint; quod

Quod poſt breve tempus; hoc eſt, quattuor, aut quinque annos; quod oportuit ſynodum habere canones.

B. Quid ſi hæc omnia falſa ſint? nam neque iidem Epiſcopi interfuerunt, nec ſubſcripſerunt, neque poſt ſolos quinque annos; poſtremo non eſt neceſſe canones ſynodum conſtituere. Id ex quinta, & ſexta ſynodo manifeſtum eſt.

A. Hoc poſtremum verum eſt: cetera poſtea dices. Volo enim, ut prius conferamus Gratiani verba recitata cum Ivone, & Cæſarauguſtano libro.

C. Eſt etiam nonnihil reliqui apud Gratianum.

A. Recita.

C. *Item ſancta ſynodus univerſalis ſexta poſt promulgatam ab ea definitionem contra Monothelitos, Conſtantino Imperatore qui eam congregaverat, non multo poſt defuncto, Juſtiniano ejus filio regnante pro eo. Eadem ſancta ſynodus.*

A. Non recte hæc edita ſunt, lege conjunctim: *pro eo, eadem* &c.

C. *Filio ejus regnante pro eo, eadem ſancta ſynodus divinitus inſpirata iterum Conſtantinopoli quarto, aut quinto anno congregata eſt, & canones* CCII.

A. Lege CII.

C. *Ad correctionem eccleſiæ promulgavit.*

A. Hæc ſunt ex actione ſexta ſeptimæ ſynodi. Confer nunc Ivonis verba parte IV. cap. CXXI.

C. *Actio quarta ſextæ ſynodi.*

A. *Septimæ* pro *ſextæ* ſcribendum, ut apud Gratianum.

C. *Petrus Nicomediæ Epiſcopus dixit.*

A. Hæc meliora ſunt, quam illic.

C. *Habeo librum* &c. Omnia habet, ut Gratianus. In finem poſt verbum, *promulgaret*: Actio ſexta tomo primo *contra falſam ſeptimam ſynodum. Septima ſynodus* quomodo dicitur, quæ non concordat præcedentibus ſex univerſalibus ſynodis?

A. Ex his apparet, omnia ſupra ſcripta eſſe ex ſeptima ſynodo, quæ pſeudo-ſynodum dictam ſeptimam evertit. Confer ultima verba Ivonis cum ultimis Gratiani verbis.

C. *Item ſancta ſexta ſynodus* &c. Eadem verba, ſed melius ea ſcribuntur, quæ tu admonuiſti. *Et Juſtiniano filio ejus regnante pro eo, eadem ſancta ſynodus* &c. Sic etiam illa de numero canonum CII.

A. Confer cum Cæſarauguſtano libro.

C. Contuli. Initio hæc ſunt: *Actio quarta VI. ſynodi. Georgius Patriarcha dixit: Quidam per ignorantiam* &c.

Cæſ. lib. 1. c. 38. A. Hæc mendoſa ſunt.

C. Et poſt verbum, *ſubſcripſerant*, additur. *Actio ſexta tomo primo. Sancta ſexta* &c. Quædam

Vide Card. Humbert. contra Nicetam. videntur deſiderari, de numero canonum., ut Ivo.

A. Quid nunc B. habes contra Taraſii argumenta?

B. Neque eoſdem Epiſcopos interfuiſſe, neque poſt quattuor ſolos, aut quinque annos habitam fuiſſe. Utrumque docent aperte Græci duo Theophanes, & Anaſtaſius Bibliothecarius. Annorum enim ſubducta ratione, quibus Conſtantinus ſuperſtes fuit poſt ſextam ſynodum, & annorum Juſtiniani ejus filii, ante quam ejiceretur a Leontio, & ejuſdem Leontii, & Abſimari tyrannorum, & ejuſdem Juſtiniani iterum Imp. fiunt anni XXVII. Quo medio tempore multi Epiſcopi qui in ea ſynodo fuerant, mortui ſunt, quos illi enumerant. Sed illud potiſſimum eſt, quod hæc pſeudo-ſynodus poſt ſolutam ſextam habita eſt, ut aperte dicit idem Taraſius: at convocare generalem ſynodum, & in ea præſidere, & acta confirmare, ſolius eſt Romani Pontificis. In hac repetita ſynodo non interfuerunt Legati Romani Antiſtitis, ut omnes Græci fatentur; numquam ab eodem convo-

A cata eſt, numquam confirmata: ſequitur generalem non fuiſſe, aut œcumenicam, ut ipſi vocant. Quod ſi generalis fuiſſet, non ſexta, aut [illegible] diceretur, ſed ſeptima.

A. Confirmationem ex verbis Hadriani a Gratiano, & aliis relatam probare quidam nituntur.

B. Noſti, quid Turrianus tuus adverſus hanc Diſt. 16. c. 5. confirmationem dicat.

A. Redige in memoriam.

B. Principio verba illa, *Sextam ſynodum ſanctam cum omnibus canonibus ſuis recipio*: non eſſe Hadriani verba, ſed Taraſii relata ab Hadriano. Id ex actione ſecunda ſeptimæ ſynodi cognoſci poteſt, in qua actione lecta eſt hæc Hadriani epiſtola ad Taraſium.

A. Cur non contradixit Hadrianus verbis Taraſii, ſi falſa ſcribebat?

B. Quia aliqua ratione recte loquebatur. *Sextam* ſcilicet *ſynodum veram recipio & ejus canones, ſi qui ſunt*. Sed & ſi quis Græca verba cum Latinis conferat, non inveniet de ſextæ ſynodi tantum regulis loqui, ſed de ſex conciliorum regulis.

A. Taraſius poſt illa verba retulit canonem hujus repetitæ ſynodi de agni pictura: pro quo canone tuendo, uti acerrimo telo contra hæreticos, omnem lapidem movet, ut perſuadeat omnibus, ſextam eſſe, & legitimam ſynodum eam, in qua is canon conſcriptus eſt, uſque eo, ut dixerit in ſynodo ſe habere ſubſcriptionem omnium Patrum ſextæ ſynodi, qui etiam poſt hunc, & ceteros canones ſubſcripſerint.

B. Dici poterit, Hadrianum hæc paſſum eſſe dici, & ſcribi, ut optato fine frueretur: quo hæreſis illa effractorum imaginum tolleretur. Sed non ſequitur omnes canones eſſe confirmatos: ſed illum non eſſe improbatum. Alioqui ſequeretur etiam, canones contra cælibatum clericorum, & contra jejunia ſabbati, & de ſanguine, & ſuffocato confirmatos eſſe, quorum habuiſſe notitiam Hadrianum ignoramus. (2)

A. Hadriani verba legantur, quæ Gratianus refert de conſecratione diſtin. III. cap. XXIX.

C. *Item Hadrianus Papa Taraſio Patriarchæ.*

A. Non additur heic, *univerſali*, ut in Græcis libris mendoſe. De conſec. d. 3. c. 29.

C. *Sextam ſanctam ſynodum recipio cum omnibus canonibus ſuis, in quibus dicitur: In quibus ſcripturis ſanctarum imaginum* —

A. *Scripturis* poſitum eſt pro *picturis*, eſt enim hoc caput LXXXII. Trullianum, in quo eſt. ἐν τισι τῶν σεπτῶν εἰκόνων γραφαῖς.

C. *Agnus Præcurſoris digito oſtenſus depingitur.*

A. Lege clauſulam ejus capitis.

C. *Verum igitur agnum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſecundum imaginem humanam amodo etiam in imaginibus pro vetere agno depingi jubemus.*

A. *Pro veteri agno*, dicendum eſt. Confer cum Ivone, (a) & Cæſarauguſt. (b)

C. *Adrianus Papa Taraſio Patriarchæ Actio ſecunda ſynodi ſeptimæ. Sanctam ſextam* &c. *In quibuſdam picturis ſanctarum imaginum* &c. *Verum igitur agnum, qui Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſecundum humanam imaginem effigiat, amodo pro veteri agno, in imaginibus depingi jubemus.*

B. Melius extremum caput Gratianus poſuit: neque enim illa, *qui effigiat* Græca verba habent.

C. In Cæſarauguſt. libro tantum eſt: *Adrianus Papa Tharaſio Patriarchæ. Sanctam ſextam ſynodum recipio cum omnibus canonibus ſuis.* Sed apud Ivonem cap. CXXVI. partis quartæ ſic eſt. *Reſponſiones Adriani Papæ contra objectiones quorumdam ad Carolum cap.* XXXV. *Sancta ſexta ſynodus fideliter per canones orthodoxe ſtatutas, ita conſtituit dicens: In quibuſdam venerabilium imaginum picturis agnus digito præcurſoris monſtratus deſignatur, qui*

(a) *Ivo par. 4. c. 122. decret.*

(b) *Cæſar. lib. 1. c. 39.*

Digitized by Google

a ſigno relictus eſt gratiæ. Et poſt pauca: *Secundum humanam figuram, & in imaginibus & nunc pro veteri agno reſtitulari decernimus*.

A. Hæc poſtrema obſcurius dicta ſunt. Prima hunc canonem ſatis confirmant: ceteros non item. De quibus alio die agemus.

B. Omiſſa ſunt alia ejuſdem Hadriani verba, quæ ſunt hæc, aut his ſimilia. Idcirco teſtimonium de ſancta ſexta ſynodo pertulerunt, ut clarifice oſtenderent, quod jam quando ſancta ſexta ſynodus acta eſt, a priſcis temporibus ſacras ima- A gines, & hiſtorias pictas venerabantur. Unde ipſa ſancta ſexta ſynodus fideliter per canones orthodoxe ſtatuens &c.

A. Ne his quidem verbis omnes canones confirmantur.

B. Non eſt audiendus Ant. Contius in hujus capitis editione, cum de picturis veteris eccleſiæ agit.

A. Tacitis ſuffragiis ejus ſententia improbetur? (3)

ADDITIONES:

(1) G*Ratiani verba ſunt in extremo cap. 6. Habeo, diſt. 16. in editione Gregoriana. Ex his ergo colligitur, quod ſexta ſynodus bis congregata eſt, primo ſub Conſtantino, & nullos canones conſtituit; ſecundo ſub Juſtiniano filio ejus, & præfatos canones promulgavit. Unde ſancti patres in eadem ſynodo ſecundo congregati dixerunt. In marg. eſt: Ivo 7. vocat & Ivo par. 4. c. 123. Et in orat. allocutoria Patrum qui in Trullo convenerant, ad Juſtinianum Imp. verba capitis 7. ſunt: Quoniam ſanctæ, & univerſales ſynodi, quinta ſub Juſtiniano Auguſto, ſexta ſub Conſtantino patre ſuo (ſcribe tuo, ut in erratis notatur) Auguſte de myſterio fidei pleniſſime diſputantes, canones non fecerunt &c.*

(2) *Capitis quinti ejuſdem diſtin. 16. in eod. libro inſcriptio eſt: Unde ſcribit Hadrianus Papa Tharaſio Patriarchæ: Sextam ſynodum ſanctam recipio cum omnibus canonibus ſuis. In marg. eſt: Ivo p. 4. c. 122. In notis hæc ſunt: Sextam) Hoc habetur in ſecunda actione ſeptimæ ſynodi in epiſtola Hadriani ad Tharaſium: ſed eo in loco Hadrianus refert verba ſynodicæ epiſtolæ a Tharaſio ad ſe miſſæ. Et hic Gratianus non refert propria ejus epiſtolæ verba. In verſione enim Anaſtaſii Bibliothecarii ſic legitur: Invenimus autem in prædicta ſynodica epiſtola ſanctitatis veſtræ, poſt plenitudinem fidei, & confeſſionem ſacri ſymboli, & omnium ſanctarum ſex ſynodorum, & de ſacris, & venerabilibus characteribus miraculum laude ac veneratione digniſſimum contineri. Quare & eaſdem ſanctas ſex ſynodos ſuſcipio cum omnibus regulis, quæ iure ac divinitus ab ipſis promulgatæ ſunt. Et hæc quidem poſtrema verba ſunt etiam in illa ipſa Tharaſii epiſtola: quod ex concilio Græco, & nova interpretatione clare apparet. Sequuntur Gratiani verba: Sed dubitatur de ea, an canones conſcripſerit: quod ex quarta actione ſextæ ſynodi facile abſolvitur. In notis eſt: In ſecundo, & XII. Vaticanis eſt, ſextæ, alias ſeptimæ & vero ſeptima eſt; ſed ob gloſſam nihil eſt mutatum. In ſcholiis hæc ſunt: Sextæ ſynodi) Falſa eſt littera, & debet ibi eſſe ſeptimæ ſynodi: qualiter enim dubitaret ſexta ſynodus de eo, quod ipſa fecerat? Mox in marg. ſunt Jo. Fant. & Archid. nugæ. Capitis ſexti inſcriptio eſt poſt verbum abſolvitur, jam relatum. Ait enim Petrus Epiſcopus Nicomediæ: Habeo librum continentem canones ſanctæ ſextæ ſynodi, &c. In marg. eſt: Ex actione quarta ſeptimæ ſynodi. Et Ivo p. 4. c. 121. In notis hæc ſunt: Habeo librum) Verba ſunt Petri Epiſcopi Nicomediæ, ac Tharaſii Patriarchæ C. P. actione quarta ſeptimæ ſynodi: quod quidem ipſi de 102. canonibus dixerunt, qui in Trullo tempore Juſtiniani Rhinotmeti ſecundo anno ſuæ revocationis ad Imperium editi ſunt. Verum ex his ipſis verbis Tharaſii apparet, eos canones non eſſe proprios ſextæ ſynodi: quia fatetur poſt annos quatuor aut quinque, quam ea ſynodus fuerat abſoluta, canones illos fuiſſe editos: quo tempore certiſſimum eſt, neque eumdem Romanum Pontificem, neque eoſdem Epiſcopos fuiſſe. Quamquam in hac ratione temporis potius credendum eſt diligentiſſimis chronologis, Theophani, (cujus etiam verba quæ ad hunc locum pertinent, ex originali Græco Vaticano ſatis fideliter* B *tranſlata leguntur apud Fran. Turrianum libro de 6. 7. & 8. ſynodo) & Anaſtaſio, & Georgio Cedreno, quam Tharaſio. Illi enim non quatuor aut quinque ut Tharaſius, ſed 27. annos a fine ſextæ ſynodi tempore Agathonis habitæ, uſque ad hanc hujuſmodi Decretorum editionem aſſtruunt intercesſiſſe. Epiſcopos vero qui hos ediderunt, noluiſſe ipſos ederet tamquam canones ſextæ ſynodi, ſed voluiſſe ſupplere, quod videbatur in quinta, ac ſexta ſynodo deeſſe, ipſamet illorum ad Imp. allocutio teſtatur. Itaque nova dicenda eſt hæc Epi-* C *ſcoporum coitio, ideoque Græci illam, ut ſcribit Balſamon,* πενθέκτην, *id eſt, quintam ſextam ſynodum appellant. Ceterum non fuiſſe omnes canones a Romana eccleſia receptos, duo viri rerum eccleſiaſticarum periti ſſimi, Anaſtaſius Bibliothecarius & Humbertus quidem Leonis IX. legatus aperte teſtantur. Humbertus, his verbis: Non autem miror, ſi Agathoni Papæ, & ſanctis Patribus ſextæ ſynodi veſtra imputetis deliramenta, & quæ aut corrupiſtis, aut finxiſtis capitula &c. Capitula quæ nobis ſub ejus auctoritate apponitis, omnino refutamus: quia prima & Apoſtolica ſedes nec aliquando ea accepit, nec obſervat hactenus. Ana-* D *ſtaſius vero in præfatione in 7. ſynodum ad Joann. VIII. ita ſcripſit: Ergo regulas quas Græci in ſexta ſynodo perhibent editas, ita in hac ſeptima ſynodo principalis ſedes admittit, ut nullatenus ex his illæ recipiantur, quæ prioribus canonibus vel decretis ſanctorum ſedis hujus Pontificum, aut certe bonis moribus inveniuntur adverſæ: quamvis omnes hactenus ex toto maneant apud Latinos incognitæ, quin nec interpretatæ. Sed nec in ceterorum Patriarchalium ſedium &c. Quomquam eoſdem Patres illas Græci promulgaſſe perhibeant, qui in ſexta ſynodo ſunt inventi: ſed nullis certe probare poſſunt indiciis. Ad verſ. Sancta ſexta, in* E *marg. additur: Ex ſexta actione ſeptimæ ſynodi. (Verba ipſa non videntur ſine mendo edita:* Et Juſtiniano ejus filio regnante pro eo: *Eadem ſancta ſynodus &c.) Illud recte eſt, & canones numero CII. ad correctionem eccleſiæ promulgavit.*

(3) *De conſecrat. diſt. 3. c. 29. Sextam, in editione Romana inſcriptio eſt: Item Hadrianus Papa Tharaſio Patriarchæ in actione 2. ejuſd. ſeptimæ ſynodi. In marg. hæc ſunt: In epiſt. Hadr. ad Carolum c. 35. ſupra diſt. 16. in 6. ſyn. c. 82. Ivo p. 4. c. 122. & 126. Verba capitis 29. ſunt: Sextam ſanctam ſynodum recipio cum omnibus canonibus ſuis, in* F *quibus dicitur: In quibus picturis ſanctarum imaginum agnus præcurſoris digito oſtenſus depingitur, qui in figuram gratiæ tranſiit, &c. In marg. eſt: In quibus) In quibuſdam vera lectio. Et in ſcholiis poſt caſum, in quibus ſcripturis, 7. picturis. (mendoſe pro picturis) & ſunt verba canonum 6. ſynodi. In notis hæc ſunt: De ſexta ſynodo, & canonibus ipſius notatum eſt ſupra c. ſexta ſynodus. (decſt diſt. 19.* Gratiæ tranſit*) Et in epiſtola Hadriani, & apud Ivonem par. 4. c. 122. legitur, in typum gratiæ aſſumptus eſt. Apud eumdem Ivonem c. 126. ex Hadriano ad Carolum, in ſignum relictus eſt gratiæ. Græce in canone ſextæ ſynodi eſt,* ὃς εἰς τύπον παρελήφθη τῆς χάριτος, *id*

eſt,

Digitized by Google

eſt; qui in typum gratiæ aſſumtus eſt. Sed ob gloſſam non eſt mutatum. In extremo capite hæc verba ſunt: Verum igitur agnum D. N. Jeſum A *Chriſtum ſecundum imaginem humanam amodo etiam in imaginibus pro veteri agno depingi jubemus.*

DIALOGUS VIII.

De eadem re.

C. QUID eſt, quod contra canonem ab Hadriano confirmatum, tam Romæ, quam in provinciis pictura Præcurſoris Domini digito agnum oſtendit? Idem etiam fit in globulis illis cereis, quæ a multis *Agni Dei*, ab aliis *amuleta* dicuntur?

A. Conſuetudinis vis magna eſt in re præſertim, quæ potuit non impia videri. Cum enim pictura hiſtoriam doceat, vel potius rem geſtam: cum Præcurſor digito agnum oſtendit, venit in mentem inſpicientibus eumdem tunc dixiſſe: *Ecce agnus Dei*, & quæ ſequuntur. Sic cum Petro aut claves dantur, aut oves committuntur: ſi claves, & oves pictæ ſint; ſpectatores facilius rei geſtæ recordantur: quam ſi ſimpliciter Chriſtus loquens cum Petro pingatur.

B. His imaginibus veteres uſi ſunt tum in hieroglyphicis, ut Aegyptii, tum in arte rhetores memoriæ, tum in nummis, et ſignis omnes populi, ac reges, & imperatores.

A. Ita eſt, ut dicis. Sed nos de ceteris regulis agamus, quæ ex illa repetita ſynodo Gratianus refert.

B. Non eſt ferendus Gratianus, cum ex hac ſynodo partem refert, in qua Cypriani ſynodum probare videtur de baptiſmo hæreticorum: cum contra Cypriani ſynodum omnes veteres Patres ſteterint.

A. Græca verba lege capitis ſecundi extremi.

Diſt. 16. c. 3. quoniam. B. [illegible]

A. Nunc C. Gratiani verba legat.

C. Opuſcula Theophili &c. Cyrilli Alexandrini Epiſcopi, Cypriani Carthaginienſis Epiſcopi, & ſynodum ſuam.

A. Ivonis verba (*a*) quæ ſunt?

C. Eadem fere, quæ antea diximus, niſi quod *ejus*, pro *ſuam*, ſcripſit in Excerptionibus, ſed in Panormia *ſuam* non *ſuum*, ut editum eſt. Sic etiam habet liber Cæſarauguſt. (*b*)

A. Mihi neque Græca verba, neque Latina placent: ſed ut potius tota illa ſynodus repudietur. (1)

B. Caput quartum ejus ſynodi refert Gratianus cauſſa XXVII. cap. VI. (*c*) ut deponatur clericus, laicus excommunicetur, qui Deo conſecratam corruperit.

A. Reiici non debet. Sed ubi dicitur: *Item ex ſexta ſynodo*: adde, *repetita cap.* IV. (2).

B. Caput ſextum latius Græci, quam Gratianus (*d*) & Ivo (*e*) habent: *Ante ſubdiaconi ordinem uxorem clerico ducere licere, non poſtea.*

A. Hujus capitis ut ex ſexta ſynodo Innocentius III. mentionem fecit. (*f*)

B. Errorem Gratiani eſt ſecutus. (3) Caput B etiam ſeptimum plenius habent Græci, quam Gratianus, (*g*) & Ivo, (*h*) qui quaſi ex VII. ſynodo cap. VII. id refert, non recte: *Ne diaconus ante presbyterum ſedeat, niſi locum tenuerit Patriarchæ, vel Metropolitani.* (4) Capitis octavi mentio fit in ſeptima ſynodo cap. VI. cujus verba refert Gratianus diſtin. XVIII. (*i*) & Ivo (*k*) in Excerpt. de ſynodo ſemel habenda quotannis.

A. Cupio ſcire, quibus verbis referunt, vel renovant ſeptimi concilii Patres hunc canonem.

B. [illegible], & poſtea. [illegible]

C C. Apud Gratianum, & Ivonem eſt. *Definierunt ſextæ ſynodi ſancti Patres. Et hunc ergo canonem & nos renovamus.*

A. De hoc capite dubitari non poteſt. Sed & videmus, illos ſanctos patres dici, & illam ſextam ſynodum.

B. Omnes Græci ita appellant, & aliqui ex Latinis. (5) Caput nonum Gratianus refert diſt. XLIV. cap. III. his verbis: *Nulli clerico liceat tabernam, aut ergaſterium habere.* *Diſt. 44. c. 3. nullus.* Græce eſt. [illegible] Non recte pro caupona, vel vinario ergaſterio, ſive taberna: ſcriptum eſt, *taberna, vel ergaſterio.*

D C. Quid intereſt?

B. Quia non aliæ officinæ prohibentur; id enim ergaſterium ſignificat. (6)

A. Dic de aliis.

B. Caput undecimum ſolent Græci contra Latinos obiicere de azymis Judæorum & aliis prohibitis. Gratianus (*l*) non recte ex VII. ſynodo eſſe ait.

C. Ab Ivone (*m*) ſumtum id eſt, ſed melius eſt in libro Cæſarauguſt. (*n*) & apud Contium.

B. *Eorum*, pro *Judæorum*, ſcribit Gratianus apud Democharem.

E A. Lege initium hujus capitis. [illegible]

B. Memini apud Humbertum ſilvæ candidæ Epiſcopum me legere hunc canonem nullas vires obtinere: cum ſexta ſynodus nullos feciſſet. Sed & heic non prohiberi generaliter Chriſtianis azyma, ſed ea, quæ Judæorum fuerint.

C. Quid Græci ſemper abſtinent azymis?

A. In ſacrificio Miſſæ abſtinent. (*o*)

F C. An non Chriſtus azymis uſus eſt in inſtitutione ejus ſacrificii?

A. Non poterant agnum comedere Judæi, niſi cum azymis, quibus octo diebus utebantur. Si quis alio pane uteretur, occidebatur. (*p*) (7)

B. Caput XIII. quod Gratianus refert diſtinct. XXXI. (*q*) nullo pacto recipi poteſt. Eſt enim contra cælibatum Latinorum ſacerdotum conſcriptum: & aperte contra Romanam Eccleſiam.

A. Quid ais, contra Romanam Eccleſiam? Quo pacto id probas?

(a) *Ivo par. 4. c. 134. decret, & lib. 2. tit. 21. c. 29. panor.*
(b) *Cæſar. lib. 2. c. 8.*
(c) *27. quæſt. 1. c. 6. ſi quis.*
(d) *Diſt. 32. c. 7. ſi quis.*
(e) *Ivo lib. 3. tit. 8. c. 19. panor.*
(f) *C. 6. de tempo. ord. in 3. collect. & c. 9. de et. & qual. Greger. 1.*
(g) *Diſt. 93. c. ult.*
(h) *Ivo par. 6. c. 123. decret.*
(i) *Diſt. 18. c. 7. quoniam.*
(k) *Ivo par. 5. c. 375. decret.*
(l) *28. quæſt. 1. c. 13. nullus.*
(m) *Ivo par. 13. c. 116. decret.*
(n) *Cæſ. lib. 8. c. 102.*
(o) *Vid. Leo. 19. in epiſ. ad Michael. CP. incipiens Scripta tua.*
(p) *Exod. 12. & 13.*
(q) *Diſt. 31. c. 13. quoniam, Ivo lib. 3. tit. 8. c. 3. panor.*

B. Apertiſſimis verbis. Ἐπειδὴ ἐν τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐν τάξει κανόνος παραδεδόσθαι διέγνωμεν, &c.

A. Quid Gratianus, & Ivo ſcribunt?

C. Gratianus ſic ait: *Item ſynodus ſexta. Quoniam in Romani ordine canonis eſſe cognovimus traditum, eos qui ordinati ſunt diaconi, vel presbyteri confiteri, quod non ſuit jam copulentur* uxoribus. Ivo ita ſcribit: *Sext. ſynodus capitulo* XIII. *Quoniam Rom.* &c. Non ſunt eadem verba Græca, & Latina: ſententia eadem eſt. Quod Græce eſt καθομολογεῖν, & *promittere* ſignificat, *confiteri* verſum eſt non recte. Neſcio autem, cur de hypodiaconis nihil dictum ſit, cum melius de eis diceretur, tum tacitis verbis polliceri, ut abſtineant ab uxoribus, ſi quas habent, & ut ipſi, & cælibes nullas ducant.

B. Quod ſequitur, quis ferre poteſt? ἡμεῖς τῷ ἀρχαίῳ ἐξακολουθοῦντες κανόνι τῆς ἀποστολικῆς ἀκριβείας καὶ τάξεως &c. *Antiquum ſequentes canonem Apoſtolicæ diligentiæ, & conſtitutiones ſacrorum virorum, legales nuptias amodo valere volumus, nullo modo cum uxoribus ſuis eorum connubia diſſolventes, aut privantes eos familiaritate ad invicem in tempore opportuno.* Hæc Gratianus. Ivo melius: *Nos antiquum ſequentes canonem Apoſtolicæ diligentiæ, & conſtitutionis ſacrorum virorum* &c.

A. Numquam hoc Apoſtoli, nunquam hoc priores Græci ſancti viri ſtatuerunt, quod aperte Epiphanius ſcribit. Quam vero familiaritatem Latinus interpres, τὰς πρὸς ἀλλήλας ὁμιλίας Græci. (8) Apud Humbertum Græci objiciunt Apoſtolorum canonem quintum Græcis, ſextum Latinis, cujus etiam verba heic repetunt. Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλέτω προφάσει εὐλαβείας &c. Quem canonem aliis verbis Gratianus, (*a*) aliis Burchardus, (*b*) & Ivo (*c*) referunt. Gratianus in hunc modum. *Item opponitur illud, quod legitur in canone Apoſtolorum. Si quis docuerit ſacerdotem ſub obtentu religionis propriam uxorem contemnere:* Anathema ſit. Alii hæc verba ſcribunt: *Epiſcopus, aut presbyter uxorem propriam nequaquam ſub obtentu religionis abjiciat. Si vero rejecerit excommunicetur: ſed ſi perſeveraverit, dejiciatur.* Hæc cum Græcis conveniunt. Optime autem alibi Gratianus Apoſtolorum canonem interpretatur. *Si quis docet ſacerdotem uxorem ſuam contemnere non quam in ſacerdotio accepit, ſed quam* ante ſacerdotium, dum *adhuc eſſet laicus, vel in minoribus ordinibus conſtitutus ſibi copulavit, cum qua continentiam profeſſus eſt, cum ad ſacros ordines conſcenderet: quam nullus debet contemnere, hoc eſt, ab animo & cura ſua abjicere, quin ei neceſſaria provideat: anathema ſit.* Hoc etiam Humbertus, ni fallor, ſcripſit: cujus verba Leoni IX. aſcribunt Gratianus, (*d*) & Ivo. (*e*) (9)

Diſt. 31. c. 9. quicumque §. 1.

B. Non recte idem Gratianus de ſexta pſeudoſynodo loquitur his verbis: *Hoc autem ex loco intelligendum eſt. Orientalis enim eccleſia, cui ſexta ſynodus regulam vivendi præſcripſit, votum caſtitatis in miniſtris altaris non ſuſcepit.* Immo aperte Afris cap. XII. & Romanis cap. XIII. legem ſtatuere, & regulam vivendi hæc ſynodus profitetur. Quæ vero ſequuntur Stephani Papæ verba, (*f*) quæ etiam Ivonis ſunt in Panormia, (*g*) duriuſcula ſunt, niſi interpretatione molliantur. *Aliter ſe orientalium traditio habet eccleſiarum, aliter hujus ſanctæ Romanæ eccleſiæ. Nam earum ſacerdotes diaconi, aut ſubdiaconi matrimonio copulantur: iſtius autem eccleſiæ, vel occidentalium nullus ſacerdotum a ſubdiacono uſque ad Epiſcopum licentiam habet conjugium ſortiendi.* Si veritatem amamus, tam orientis, quam occidentis canones eodem modo vetant hypodiaconis, & his majoribus nuptias contrahere, ut in hac eadem Trulliana ſynodo cap. VI.

A. *Matrimonio copulantur, hoc eſt, matrimonii copula utuntur impune*, interpretantur noſtri. *Diſt. 32. c. 7. ſi quis.*

B. Cetera non cohærent, *nullus licentiam habet conjugium ſortiendi*, id eſt, neque uxores ducere, neque conjugio uti poſſunt. (10) Sunt alia in Græco illo canone XIII. quæ neque Ivo, neque Gratianus (*b*) habet, reprehendenda. In quibus excellit interpretatio mala cap. XXV. *Carthaginienſis concilii* Græcis, & in corpore canonum, aliis eſt *cap. 3. concilii Carthag. 5.* Videndum cap. 3. & 4. Græcis, aliis Carthag. 2. cap. 2. & Rabanus cap. XXIX. pænitentium, & Ivo, (*i*) & Anſelmus. (*k*) (11)

A. De aliis capitibus Trullianis a Gratiano relatis videamus.

B. Cap. XV. refert Gratianus diſtinct. LXXVII. cap. IV. (*l*) *Ne ſubdiaconus minor* XX. *annis ordinetur* &c. Cap. XVII. refert Gratianus ut ex VII. ſynodo, cauſſa XXI. quæſt. II. (*m*) *Ne derelictis ſuis eccleſiis clerici in aliis recipiantur.* (12) Cap. XXIII. refert Gratianus cauſſa prima capit. c. (*n*) *Nec ſacra eucharistia pecunia accepta diſtribuatur.* Apud Ivonem cum hac inſcriptione legitur: (*o*) *Ex ſexta ſynodo Conſtantinopolitana tertia* c. XXIII.

C. Quo pacto eadem eſt ſexta, & tertia.

A. Fortaſſe neque ſexta dicenda eſt, neque tertia. Sed ſexta vocatur repetita poſt ſextam generalem; tertia autem, ob locum CP.

C. Dic apertius.

A. Prima generalis Nicæna fuit, ſecunda CP. tertia Epheſina, quarta Chalcedonenſis, quinta CP. ſecunda, ſexta CP. tertia.

C. Nunc intelligo. Sic igitur dicemus ſeptimam Nicænam ſecundam, octavam CP. quartam. Sed quo pacto dicemus neque ſextam, neque tertiam?

A. Quia nobis videtur non eſſe generalis, ſic non eſt ſexta, niſi uſurpatione nominis: eadem ratione non eſt tertia CP. quia aliæ tres generales CP. fuerunt. (13) Dic B. cetera.

B. Cap. XXVI. Gratianus refert diſt. XXVIII. (*p*) *De presbytero non legalibus nuptiis irretito*, quem ἀθέμιτον γάμον Græci vocant, & addunt κατ' ἄγνοιαν, hoc eſt, per ignorantiam. Gratianus alibi de bigamo interpretatur, (*q*) & Innocen. III. idem ſignificare videtur. (*r*)

A. Mihi de quibuſcumque nuptiis a presbytero contractis poſt ordinem ſacrum, aut ſi perſeverat in illegitimis antea contractis, idem eſſe videtur. Illegitimæ autem nuptiæ ſunt jure prohibitæ, ut conſanguineorum, ut etiam cum virgine ſacra, aut cum filia ſpirituali, quam tenuit in Baptiſmo. (14) Ceteru dices. Video enim interpellatores adeſſe.

AD-

(a) *Diſt. 28. c. 14. ſi quis.*
(b) *Burch. lib. 1. c. 78.*
(c) *Ivo lib. 3. tit. 8. c. 30. panorm. & par. 5. c. 184. decr.*
(d) *Diſt. 31. c. 11. omnino.*
(e) *Ivo lib. 3. tit. 8. c. 31. panor.*
(f) *Diſt. 31. c. ult.*
(g) *Ivo lib. 3. tit. 8. c. 1. panorm.*
(h) *Diſt. 32. c. 13. placuit, & diſt. 84. c. 4. cum de quorumdam, c. diſt. 84. c. 3. cum in præterito.*
(i) *Ivo lib. 3. tit. 8. c. 28. panor.*
(k) *Anſel. lib. 8. c. 7.*
(l) *Diſt. 77. c. 4. ſubdiaconus.*
(m) *21. quæſt. 2. c. 1.*
(n) *1. quæſt. 1. c. 100. nullus,*
(o) *Ivo par. 2. c. 92. dec.*
(p) *Diſt. 28. c. 56. presbyterum.*
(q) *Diſt. 31. c. ultim. p. quod autem.*
(r) *Inn. 3. lib. 2. epiſt. 63. regiſt. & c. 5 de bigam. in 3. collect. & c. 4. e tit. Greg. 19.*

ADDITIONES.

(1) DIſtin. 16. cap. 7. *Quoniam extremo hæc verba ſunt in Romana editione : Cyrilli Alexandrini Epiſcopi, Cypriani Carthaginienſis Epiſcopi, & ſynodum ſuam. In notis hæc ſunt : In illo canonis loco eſt error ; quia illa ſynodus Cypriani probatur, in qua ipſe cum multis aliis Africæ Epiſcopis putavit baptizatos ab hæreticis verum Baptiſmo non recepiſſe: cum tamen B. Auguſtinus aſſerat aliam extitiſſe traditionem Apoſtolorum & ipſam Cypriani ſententiam plenario totius orbis concilio excluſam fuiſſe teſtetur.*

(2) *Inſcriptio capitis ſexti, Si quis Epiſcopus, 27. q. 1. in eadem editione hæc eſt : Item ex ſexta ſynodo in Trullo, c. 4.*

(3) *Capitis ſeptimi, Si quis eorum, diſt. 32. in eodem libro inſcriptio eſt : Item ex ſexta ſynodo c. 6. Et in marg. Extra de ætate, & qual. a multis. Pann. l. 3. c. 102. cap. 9. A multis de ætat. & qual. in Romana editione inſcribitur Innocentio tert. Et in verſ. Nemo ad ſacrum, hæc verba ſunt : Sicut eſt in ſexta ſynodo conſtitutum ut ſi quis eorum &c. Et in marg. ca. 6. & Pann. ibid. c. 102. (hoc eſt, lib. 3. tit. de continent. clericor.) Et in ſcholiis : Sexta ſynodo) 32. diſt. ſi quis eorum.*

(4) *Diſtin. 93. cap. ult. hæc inſcriptio eſt in eadem editione : Unde in ſexta ſynodo cap. 7. legitur. Et in marg. Ivo p. 6. c. 123.*

(5) *In eodem libro Romano inſcriptio cap. 7. Quoniam quidem, diſtin. 18. hæc eſt : Item ex ſeptima ſynodo, c. 6. Additur in margine : Ex verſione Anaſtaſii. Et poſtea ſcriptum eſt : definierunt ſextæ ſynodi ſancti Patres &c. Hunc ergo canonem & nos renovamus &c. In marg. eſt, cap. 9.*

(6) *Capitis tertii diſtin. 44. in eodem libro inſcriptio eſt : Item ex ſexta ſynodo, c. 9. Nulli clerico licet tabernam, aut ergaſterium habere. In notis hæc ſunt : Græce eſt. καπηλικὸν ἐργαστήριον, id eſt, campanariam tabernam.*

(7) *Ejuſdem libri inſcriptio eſt cap. 13. Nullus eorum. 28. quæſt. 13. Item ex ſexta ſynodo c. 11. Et in marg. Apoſtolor. canon. 69. Ivo pag. 13. c. 316.*

(8) *Diſtin. 31. cap. 13. in eodem libro verba ſunt : Item ſynodus ſexta c. 13. lib. 8. c. 19. (hæc mendoſa ſunt, fortaſſe illa lib. 8. c. 19. ad Nicephorum pertinebant, de quo in nota c. 12.) Quoniam in Romani ordine canonis eſſe cognovimus traditum, eos qui ordinati ſunt diaconi vel presbyteri, debere confiteri, quod jam ſuis non copulentur uxoribus : nos antiquam ſequentes canonem Apoſtolicæ diligentiæ, & conſtitutiones ſacrorum virorum legales nuptias amodo valere volumus. In marg. hæc ſunt : Pann. l. 3. c. 86. Ordinatis) Ordinandi. Sed ob gloſſam non eſt mutatum; In notis eſt : Quoniam) Græce ſic habetur : ἐπειδὴ ἐν τῇ ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐν τάξει κανόνος παραδεδόσθαι διέγνωμεν : id eſt, Quoniam in Romana eccleſia loco canonis traditum eſſe cognovimus &c. Hanc vero eccleſiæ Romanæ traditionem non ſolum B. Hieronymus contra Jovinianum, Humbertus ſupra citatus, & alii Latini ſcriptores defendunt; ſed etiam Balſamon in explanatione hujus canonis ſatis aperte probat. Verum de omnibus hujuſmodi canonibus qui ſextæ ſynodo adſcribuntur, quid ſit ſentiendum, ad caput, Habeo lib. diſt. 16. ſatis explicatum fuit.*

(9) *Inſcriptio ca. 14. Si qui docuerit, diſt. 28. in eadem editione eſt : Item opponitur illud, quod legitur in canone Apoſt. c. 6. al. 5. Et in marg. Burch. l. 1. c. 78. Ivo par. 5. c. 184. Pann. l. 3. c. 113. In notis additur : Gratianus refert ſenſum canonis, ceteri collectores etiam fere verba Gratiani, verba diſt. 31. cap. 9. Quicumque par. 1. hæc ſunt : ut iſte ſit ſenſus capituli. (Si quis docet Sacerdotem uxorem ſuam contemnere) non quam uxorem in ſacerdotio accepit, ſed quam, dum adhuc eſſet laicus, vel in minoribus ordinibus conſtitutus, ſibi copulavit, cum qua continentiam profeſſus eſt, & cum ad ſacros ordines aſcenderet, quam nullus debet contemnere, hoc eſt, ab animo & cura ſua abiicere, quin ei neceſſaria provideat. Inſcriptio cap. 2. diſt. 31. incip. Omnino eſt : Item Leo IX. contra epiſtolam Nicetæ Abbatis. In marg. eſt. Pann. l. 3. c. 185. Et in notis eſt Leo) Habetur in reſponſione Humberti ad libellum Nicetæ presbyteri, & monachi adverſus Latinos editam : quam reſponſionem, cum nomine Leonis IX. cujus erat legatus, ſcripſerit, poteſt recte nomine ipſius citari, ſicut multa ex Ennodii libro nomine Symmachi, diſt. 12. (ſcribe, 17.) c. concilia, & 40. diſt. Nonnos, & 81. diſt. nemo recte 8. q. 3. nonne, 9. q. 3. alior. & ſupra diſt. 22. c. omnes, nomine Nicolai II. quod habetur in oratione Petri Damiani.*

(10) *Ante caput extremum diſtin. 31. hæc in eodem libro verba ſunt : Hoc autem ea loco intelligendum eſt. Orientalis enim eccleſia (cui ſexta ſynodus regulam vivendi præſcripſit) votum caſtitatis in miniſtris altaris non ſuſcepit. Unde Stephanus Papa ait in prima actione ſynodi ab ipſo in baſilica Lateranenſi congregata. Aliter ſe orientalium traditio habet eccleſiarum, aliter hujus ſanctæ Romanæ eccleſiæ. Nam earum ſacerdotes, diaconi atque ſubdiaconi matrimonio copulantur &c. In marg. eſt : Pann. l. 3. c. 84. Et in notis : Matrimonio) Id eſt poſſunt ſimul eſſe in ſacris ordinibus & matrimonio juncti. Nam neque illis, poſtquam ad ſacros ordines aſcendiſſent, licebat contrahere matrimonium. Et in ſcholiis : Copulantur) id eſt, copulatu utuntur. Et in marg. id eſt, carnaliter commiſcentur.*

(11) *Capitis 13. diſtin. 32. in eod. libro inſcriptio eſt : Item in concilio Carthaginienſi, 5. c. 3. Placuit Epiſcopos, presbyteros, diaconos, ſecundum priora ſtatuta, etiam ab uxoribus abſtinere &c. Et in marg. Pan. l. 3. c. 105. Et in notis : Diaconos) Sequebatur ſubdiaconos, quæ vox ſublata eſt, quoniam abeſt ab originali, & ab Africano c. 37. & a Carthagin. Græce c. 71. & infra diſt. 84. cum de quorundam: quamvis habeatur in Carthaginenſi codicis canonum c. 5. (*) Secundum priora ſtatuta) Græce eſt, κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους : Et Balſamon interpretatur,* tempore vicis ſuæ : *quod ab originalis ſententia alienum eſt. Capitis quarti diſtin. 84. verba ſunt in eadem editione : Item ex concilio Carthaginien. 5. c. 3. Cum de quorumdam clericorum, quamvis ergo uxores proprias incontinentia referretur; placuit Epiſcopos, & presbyteros, & diaconos, ſecundum priora ſtatuta, etiam ab uxoribus continere, &c. Et in marg. In cod. can. c. 25. In Africa, c. 37. diſ. 32. c. placuit. Priora) al. propria. In notis : Poſt verbum debere : In codicibus impreſſis hæc ſequebantur : contra Martinus Papa. (Si lector viduam duxerit) ut ſupra legitur. Sed illud, ubi* neceſſitas; *hoc,* ubi nulla neceſſitas urget. *Quæ ſunt expuncta, quia in vetuſtis codicibus aut non habentur, aut ſunt adſcripta in margine. In ſcholiis hæc ſunt : Et diaconos) & ſubdiaconos, 32. diſt. placuit. ubi ſunt eadem verba. Capitis tertii, Cum in præterito, ejuſd. diſtin. 84. inſcriptio eſt : Unde in Carthagin. concilio 2. c. 2. Aurelius Epiſcopus dixiſſe legitur. Et in marg. in Carthag. codicis can. c. 3. & 4.* (*) c. 25. ſ.

(12) *Inſcriptio cap. 4. Subdiaconus, diſtin. 77. in Romano libro eſt : Item ex ſexta ſynodo c. 15. At inſcriptio cap. 1. cauſa 21. q. 2. in eodem libro eſt. Unde in ſexta ſynodo c. 17. legitur. Et in marg. eſt : Et in 7. c. 10. In notis varietas notatur Græcorum verborum, cujuſmodi eſt hæc, ubi contingit eos ſine ſui examinatione permanere) Græce legitur, ὡς πάντῃ ἀνυπεύθυνον ἀνεξέταστον αὐτοὺς καταλιμπάνεσθαι, id eſt, atque hinc evenit, ut ipſi reddantur non ſubiecti. Et in marg. eſt, 1. Tim. 1. & Heb. 2.*

(13) *Capitis 100. Nullus Epiſcopus, 1. q. 1. inſcriptio in eodem libro eſt : Item ex ſexta ſynodo c. 23. Et in marg. eſt, Ivo p. 2. c. 92. Et in notis additur : Quod dicitur, a percipiente gratiam communionis : hæc notantur : Sic etiam Ivo. In uno* ve-

vetuſto Gratiani codice eſt, gratia communis, quod Græcæ lectioni magis convenit &c.

(14) *Verba cap. 16. diſtin. 28. in libro Romano hæc ſunt: Item ex ſexta ſynodo in Trullo c. 26. Preſbyterum per ignorantiam non legalibus nuptiis detentum &c. In marg. additur: Simile etiam in 3. canone ejuſdem ſynodi, & apud Baſil. in epiſt. ad Amphiloch. c. 27. In ſcholiis eſt: Non legalibus.) Poteſt intelligi de eo, qui contraxit ſecundas nuptias per ignorantiam juris. Et in marg. Sic intelligit Grat. 31. diſt. par. ult. Gratiani verba ſunt diſt. 31. c. ult. Quod autem in cap. 6. ſynodi preſbyter non legitimis nuptiis detentus punitur, non legales nuptiæ ſecundæ intelligendæ ſunt &c. Et in marg. ſup. 28. diſt. c. preſbyterum. Sed in ſcholiis mendoſe eſt 25. diſt. Innocentii verba ſunt cap. 4. Nuper. de bigamis in Romana editione: ſicut in canone legitur de preſbytero, q. qui non legalibus nuptiis detinetur &c.*

DIALOGUS IX.

De Eadem re.

A. Dicendum adhuc eſt de Trullianis regulis a Gratiano relatis, quæ negare non poſſumus fucoſa quadam imagine concilii generalis ſurrepere nobis poſſe, niſi caveamus.

B. Caput XXVII. ejus concilii videre licet apud 21. q. 4. c. 2. Gratianum cauſa XXI. quaſi ex octava ſynodo. De veſtibus prohibitis clericis. In fine dicitur, [illegible Greek]. Apud Gratianum, *per unam hebdomadam ſuſpendatur, pro excommunicetur.* (1) Caput XXIIX. habet Gratianus de conſecrat. diſtin. II. cap. VI. (a) *Ne uvas addant oblationibus, neque eas populo diſtribuant cum ſacra oblatione.* Caput XXXI. refert Gratianus de conſecrat. diſt. I. cap. XXXIII. (b) Sed Græca meliora ſunt. Vetat canon, ne ſacra myſteria in oratoriis domibus ſine Epiſcopi licentia fiant. [illegible Greek] interpres vertit, *Clericos, qui miniſtrant.* In veteri Græco libro additur, [illegible Greek], quod placet. (2) Caput XXXII. eſt contra Armenios, qui vinum offerunt ſine aqua, & contra hydroparaſtatas, qui aquam offerunt ſine vino. Utitur contra hos teſtimonio Jacobi fratris Chriſti, & Baſilii Cæſarienſis, qui in Miſſæ traditione his utuntur verbis, *ut appareat vinum aqua mixtum Chriſtum obtuliſſe.* Hanc partem hujus capitis Gratianus refert de conſecratione, cap. XLVI. (c) in quo ſcribi debuit *tradiderunt*, pro *audierunt*. (3) Caput XXXV. refert Gratianus cauſa XII. (d) *Ne Metropolitanus res eccleſiæ cujusvis Epiſcopo auferat.* (4) Caput XXXVI. ambitionis plenum eſt; ſed ſpeciem habet recti, cum renovet, quod in concilio CP. & Chalcedonenſi datum eſt Patriarchæ CP. ut habeat privilegia eccleſiæ Romanæ, ſed ſecundus ſit: tertius Alexandrinus, quartus Antiochenus, quintus Hieroſolymitanus. Sic in veteri Græco libro. In Tilliano deſideratur, *quartus Antiochenus.* Apud Gra- Diſt. 22 c. 6. renovantes. Vide c. 3. & 6. tianum diſtin. XXII. cap. VI. mendoſe ſcriptum eſt, *petimus*, pro *decernimus*; & *inferior Roma*, pro *ſenior Roma*; & Chalcedonenſis ſynodi nulla fit mentio: & illa in contrariam ſententiam mutanda ſunt: non tamen in eccleſiaſticis rebus magnificetur ut illa. [illegible Greek]. Et *igitur*, pro *non tamen*, ſcribendum.

A. Ex Leonis, Gelaſii & Nicolai epiſtolis conſtat Romanos Pontifices huic ambitioni reſtitiſſe. (5) In octava ſynodo contra Photium id permiſſum eſſe videtur, cap. XXI. (e) cujus verba referunt Deuſdedit, (f) & Anſelmus, (g) & Gratianus. (6)

B. Quod diſtin. XXII. Gratianus ſcribit: (h) *Item ex ſexta ſynodo. Unde Nicolaus Papa. In nomine Domini* &c. cur ea verba poſita fuerint, me ignorare fateor: credendum eſt erraſſe ſcriptores, & hæc eſſe repetita ex inſcriptione capitis ſexti diſtin. XXII. atque delenda eſſe. (7) De capito XXCIII. alio die dictum eſt. (i) Nihil amplius apud Gratianum invenio ex hac ſynodo ſumtum. Tantum de ſubſcriptionibus dicam: poſt Imp. Juſtiniani ſubſcriptionem hæc verba invenio. [illegible Greek]. Credo locum eſſe relictum vacuum ejus ſubſcriptioni. Sequitur: *Paulli Epiſcopi C.P. novæ Romæ, Petri Epiſcopi Alexandriæ magnæ urbis, & Anaſtaſii Epiſcopi Hieroſolymorum. Item ſubſcriptiones Epiſcoporum* CCXXVII. Conferatur hic numerus, & nomina cum ſexta ſynodo generali.

C. Bedæ verba refert Ivo, (k) ex quibus apparet CL. Epiſcopos in ſexta ſynodo interfuiſſe. Idem numerus eſt in libro pontificali in vita Leonis Minoris.

A. De anno, & indictione quid in Græco libro eſt?

B. Capite tertio, & XVII. mentio fit quartæ præteritæ indictionis, & eod. c. IV. anni mundi V̄ICXCIX.

A. Si detrahis annos ante Chriſtum V̄D. erunt anni DCXCIX.

B. Non conveniet indictio.

A. Si octo annos detrahes, conveniet. Sic, ni fallor, Theodorus cognomento Gaza jubet eſſe detrahendos V̄DVIII. In quibuſdam Leonis Minoris epiſtolis non editis dicitur, indictione nona habitam eſſe ſynodum ſextam: & in actis ejuſdem apparet, eadem nona habitam, & decima peractam: & in ſubſcriptione inveniuntur nomina Epiſcoporum CLVII. In quibus Patriarcha CP. eſt Georgius, non Paullus: & Antiochenus, ſive Theopoleos Theophanes: Alexandrinus Petrus preſbyter vicarius: Georgius preſbyter vicarius Hieroſolymitani Epiſcopi. Ab indictione nona ad quintam ſunt anni XI. quibus adde XV. & fient XXVI. de quibus ex Anaſtaſio, & Theophane dictum eſt.

B. Vides falſa eſſe, quæ Taraſius dicebat, poſt quattuor annos, eoſdem Epiſcopos conveniſſe in hac repetita ſynodo.

A. Ita eſt, ut dicis. Quia vero inter Trulliana capita aliquot enumeraſti, quæ falſo ſeptimæ aut octavæ ſynodo apud Gratianum adſcripta ſunt; velim ſcire, an ſit aliquod ſeptimæ ſynodi caput, quod alii concilio, vel ſcriptori ſit falſo adſcriptum?

B. Caput XII. ſeptimæ ſynodi a Gratiano relatum cauſa XII. quæſt. II. hanc inſcriptionem habet: *Item ex hiſtoria Euſebii Epiſcopi Cæſarienſis capite duodecimo.* 12. q. 2. c. 19. quiſquis.

C. Magna metamorphoſis. Fuit ne Euſebius poſterior hac ſynodo?

A. Fuit multis ſæculis prior Euſebius, qui interfuit Nicæno concilio Conſtantini tempore. Sed quid

(a) *De conſec. d. 2. c. 6. didicimus.*
(b) *De conſecr. d. 1. c. 33. clerici.*
(c) *De conſe. d. 2. c. 46. Jacobus.*
(d) *12. q. 2. c. 48. non liceat.*
(e) *Diſt. 22. c. ult.*
(f) *Deuſdedit c. 3.*
(g) *Anſelm. lib. 2. c. 72.*
(h) *Diſt. 23. c. 1.*
(i) *Dial. 7.*
(k) *Ivo par. 4. c. 125. decem*

A quid Ivo, & Anſelmus, & liber Cæſarauguſtanus ſcripſerunt?

C. Ivo recte (*a*) ex ſeptima ſynodo cap. XII. Anſelmus (*b*) ut Gratianus; Cæſarauguſtanus (*c*) ut Ivo.

B. Ex his apparet, non ex conciliis, ſed ex collectoribus Gratianum ſingula ſumſiſſe. (8) Sed age, vide ſis cap. XVI. hujus concilii, quam belle referatur a Gratiano cauſſa XXI. quæſt. IV. (*d*) *Omnis jactura, & ornatura corporalis a ſacrato ordine aliena eſt*. Obſecro te, quænam hæc portenta verborum ſunt, *jactura & ornatura?* Græce eſt: Πᾶσα βλακεία ϗ κόσμησις σωματικὴ ἀλλοτρία ἐστὶ τῆς ἱερατικῆς τάξεως.

B A. Quid Ivo, & Anſelmus, & Cæſaraug. liber?

C. *Omnis jactantia & ornatura corporalis aliena eſt a ſacro ordine*; Ivo (*e*) *ſacrato*, pro *ſacro*; Anſelmus, (*f*) & Cæſaraug. (*g*) cetera ut Ivo.

B. Quid illud? *non ſolum imaginarias ſcripturas abominati ſunt?* quis intelliget?

A C. Sic Ivo, alii hæc omittunt.

B. At Græce eſt, οὐ μόνον τὰς εἰκονικὰς ἀναζωγραφήσεις ἐβδελύξαντο.

A. Imaginum picturas Anaſtaſius bibliothecarius, ut exiſtimo, *appellavit imaginarias ſcripturas*. Græca cum Latinis conferre optimum eſt.

Vos exemplaria Græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna. (9)

C. Quid eſt apud Gratianum diſtin. LXIII cap. VII. (*b*) *Item ex ſecunda actione VI. ſynodi CCCL. Epiſcoporum?*

B B. Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.

A. Scribendum eſt, *caput tertium ſeptimæ ſynodi*. Videndus Ivo, (*i*) & Anſelmus, (*k*) & Deus dedit, (*l*) & liber Cæſaraug. (*m*) & Tarraconen. (*n*) (10) Sed de his hactenus. Cras de Martino Bracarenſi agemus.

ADDITIONES.

(1) **I**Nſcriptio capitis ſecundi, *Nullus eorum*, 21. q. 4. *in editione Romana hæc eſt: Item ex ſynodo ſexta c. 27. In extremo capite ad illa verba: per unam hebdomadam ſuſpendatur: eſt in marg.* ἀφοριζέσθω, *id eſt, ſegregetur.*

(2) *De conſecrat. diſtin. 2. cap. 6. Didicimus, in eadem editione inſcriptio eſt: Item ex ſexta ſynodo c. 28. In notis hæc ſunt: Eſt quaſi ſumma quædam canonis citati. Nam in eo plura aliquanto verba ſunt, ſed eodem fere ſenſu. In extremo capite ad illa verba & fructuum gratias agat; adduntur hæc. Græce eſt,* πρὸς τὴν τῷ δωτῆρι τῶν καρπῶν εὐχαριστίαν, *id eſt, ad reddendas gratias fructuum datori. Inſcriptio capitis 33. nobis, 34. Romanis incip. Clericos, qui miniſtrant, vel baptizant &c. de conſecr. diſt. 1. hæc eſt: Item ex ſexta ſynodo, c. 31.*

(3) *Capitis 46. nobis, 45. Romanis cujus initium Jacobus, de conſecr. diſt. 1. inſcriptio eſt: Item ex ſexta ſynodo c. 32. Ad verba extremi capitis:* in ſcripturis *addiderunt nobis miſſæ celebrationem: in notis hæc ſunt: Græce eſt,* ἐγγράφως τὴν μυστικὴν ἡμῖν ἱερουργίαν παραδεδωκότες· ὅτι ἐν τῇ θείᾳ λειτουργίᾳ ἐξ ὕδατος καὶ οἴνου τὸ ἱερὸν ποτήριον ἐκδεδώκασι. *id eſt, qui in ſcriptis tradiderunt nobis myſticum ſacrificium; hoc modo in divina liturgia ſacrum poculum ex aqua, & vino conficiendum ediderunt. Sed nihil mutatum eſt tum ob gloſſam, tum quoniam collector de induſtria videtur ſummatim retuliſſe. Abeſt autem hoc caput ab aliquot vetuſtis exemplaribus.*

(4) *Ante caput 48. Non liceat 12. q. 2. in eodem libro hæc ſunt: Sicut in ſexta ſynodo c. 35. legitur.*

(5 *Verba capitis ſexti diſtin. 22. in Romano libro hæc ſunt: Item ex 6. ſynodo ſub Juſtiniano congregata c. 36. Renovantes ſancti Conſtantinopolitani decreta concilii petimus, ut Conſtantinopolitana ſedes ſimilia privilegia, quæ ſuperior Roma habet, accipiat; nec non in eccleſiaſticis rebus magnificetur ut illa &c. In marg. eſt. Petimus)* ὁρίζομεν, *id eſt, ſtatuimus. In notis: Renovantes) Hic agitur de quinto illo canone primæ ſynodi Conſtantinopolitanæ: de quo ſupra ead. c. 1. Conſtantinopolitana, dictum fuit. Et quod attinet ad omnes canones qui ſextæ ſynodo tribuuntur, videnda eſt notatio ad c. Sextam, ſupra 16. diſtin. Superior Roma) Ita habetur in aliquot vetuſtis exemplaribus: nam* C *in vulgatis erat* inferior. *Græce eſt,* τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, *id eſt, antiquioris, vel ſenioris Romæ, ut infra cap. proximo. Omnino autem caput hoc longe brevius eſt in hac verſione, quam in Græco exemplari, uno tantum loco copioſius, quod Antiochenam numerat ſedem: cujus in Græco vulgata nulla mentio.* Nec non) *Sic emendatum eſt ex aliquot manuſcriptis, & Græco: antea enim legebatur,* non tamen. *Capitis tertii ejuſd. diſtin. verba ſunt: Unde in eadem ſynodo, id eſt, Conſtantinop. 1. cap. 5. ita conſtitutum eſt: Conſtantinopolitanæ civitatis Epiſcopum habere oportet primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum: propterea quod* D *ſit nova Roma. Et in marg. Ex priſca verſione. Polyc. lib. 2. tit. 22. Et in notis: Canon hic ex iis eſt, quos Apoſtolica Romana ſedes a principio, & longo poſt tempore non recepit: quod ex epiſtola quinquageſima prima, alias quinquageſima tertia Leonis Papæ primi ad Anatolium CP. & aliis ejuſdem epiſtolis facile eſt cuivis cognoſcere: itemque ex duabus epiſtolis Leonis noni, una adverſus præſumtiones Michaelis, & Leonis c. 28. altera ad eumdem Michaelem. Sed multo clarius ex B. Gregorii epiſtola 31. lib. 6. ad Eulogium Alexandrinum,* E *& Anaſtaſium Antiochenum. Atque ex Epiſtola Nicolai primi ad Mich. Imp. quæ incipit, Propoſueramus. Quamquam Epiſcopi CP. Imperatorum potentia freti, ſecundum locum Patriarchalium ſedium ſibi uſurparunt: idque tandem pacis & tranquillitatis cauſa fuit ipſis conceſſum, ſicut in c. antiqua de privileg. Innocentius Papa III. declaravit.*

(6) *Inſcriptio cap. ult. diſtin. 22. in eodem libro eſt: Unde in 112. ſynodo habita ſub Hadriano Papa II. can. 21. Diffinimus neminem &c. In marg. eſt: Deuſdedit p. 3. Anſel. l. 2. c. 72.*

(7) *Capitis primi diſtin. 23. inſcriptio eſt in Romana editione: Unde Nicolaus Papa II. in conc.* F *Lateranenſi. In nomine Domini &c. Et in marg. Pann. l. 3. c. 1. Et in notis: Hujus decreti integrum exemplum eſt in vetuſtiſſimo libro Abbatiæ monaſterii Farfenſis litteris Longobardicis ante annos pæne quingentos ſcripto, & alibi. (Vid. lib 2. dial. 19. add. 12.)*

(8) *In eodem libro inſcriptio cap. 19. Quiſquis Epiſcopus 12. q. 2. hæc eſt: Item ex ſeptima ſynodo c. 12. Et in notis hæc ſunt: Apud Gratianum,* quem-

n

(*a*) *Ivo par. 5. c. 375. decret.*
(*b*) *Anſ. lib. 6. c. 184.*
(*c*) *Cæſ. libr. 7. c. 72.*
(*d*) *21. q. 4. c. 1.*
(*e*) *Ivo par. 5. c. 377. decret.*
(*f*) *Anſel. lib. 6. c. 185.*
(*g*) *Cæſ. lib. 4. c. 59.*
(*h*) *Diſt. 63. c. 7. omnis.*
(*i*) *Ivo par. 5. c. 220. decret.*
(*k*) *Anſ. lib. 6. cap. 5.*
(*l*) *Deuſded. c. 1. & 4.*
(*m*) *Cæſ. libr. 3. c. 64.*
(*n*) *Tarr. lib. 1. c. 46.*

Digitized by Google

quemadmodum & apud Anſelmum citabatur, ex hiſtoria Euſebii Epiſcopi Cæſarienſis. Ivo verum auctorem citavit. Verſio autem eſt Anaſtaſii bibliothecarii, ex cujus codicibus manuſcriptis nonnulla ſunt emendata. In marg. eſt. Polyc. libro ſexto, titulo decimo quinto. Anſ. lib. 6. c. 184. Ivo par. 5. c. 375. Con. Apoſt. 39. In aliis notis de varietate Græcorum verborum Latinorum agitur. Salariis) Græce eſt, [illegible] *pro qua voce in Pariſienſi Græcorum canonum editione legitur in rubrica,* [illegible], *id eſt,* ex ſuburbanis, *quaſi ſuburbana vocentur* autungia, *quod ipſius poſſeſſoris manibus colantur. Balſamon tamen eos agros interpretatur, qui per ſe ipſi ſint magna cultura fructum ferre poſſunt, ut ſilvæ, & alia hujuſmodi.* Fraudare, [illegible], *id eſt ſibi vindicare, & ſuum facere. (Malo* alienare) *Epiſcopus quidem ab epiſcopio, Abbas autem a monaſterio) Hæc ad ſententiæ integritatem addita ſunt ex ipſo canone.*

(9) *Gratiani verba ſunt initio quæſt. 4. cau. 21. in Gregoriana editione:* Quod vero fulgidis, & claris veſtibus eis ornari non liceat, in ſeptima ſynodo jubetur: in qua ſic ſtatutum eſt, c. 16. Omnis jactantia & ornatura corporalis a ſacrato ordine aliena eſt &c. Et poſtea: Chriſtianos calumniantium hæreſis, & hi qui hanc receperunt, non ſolum imaginarias picturas abominati ſunt &c. *In marg. eſt:* Imaginarias], *al.* imaginum. *Et in notis;* Hæreſis *Cum antea legeretur,* hæreticorum;

A *ſic eſt emendatum ex Anaſtaſio, & Ivone; & reſpondet Græce voci* [illegible]. *atque ex iiſdem nonnulla alia ſunt reſtituta. Initio capitis additur in marg. Anſ. l. 6. c. 195. Ivo p. 5. c. 377.*

(10) *Inſcriptio capitis ſeptimi,* Omnis electio *diſt. 63. in eodem libro eſt: Item ex ſeptima ſynodo, quæ eſt ſecunda Nicæna 350. Epiſcopor. c. 3. In notis hæc ſunt: citabatur antea ex ſecunda actione ſextæ ſynodi. Reſtitutus eſt locus ex Ivone. Et ad verba extremi capitis:* Et ſegregetur: *additur: In aliquot vetuſtis Gratiani exemplaribus eſt,* ſegregetur: *ſed pleriſq. cum vulgata lectione convenit. In canone 31. Apoſtolor. Græce ſic legitur.*
B [illegible], *& infra 16. q. 7. c. ſi quis Epiſcopus, ubi hic idem canon ex alia refertur verſione, legitur:* & ſegregetur, *omneſque qui illi communicant: eodemque modo eſt apud Anſelmum: verum in verſione Anaſtaſii bibliothecarii legitur, quemadmodum apud Gratianum, & convenit cum verſione priſca, ac Dionyſiana. In marg. hæc ſunt: Can. Apoſt. 31. infra 16. q. 7. ſi quis. Ivo pag. 5. c. 120. Anſel. l. 6. c. 8. Burc. l. 3. c. 109. Deuſdedit ibid. (hoc eſt, parte 1. & 4.) Inſcriptio cap. 14. Si quis Epiſcopus, 16. q. 7. eſt. Item ex canone Apoſt. 31. Et in notis ſcriptum eſt: De hoc canone no-*
C *tatum eſt ſupra diſt. 63. omnis electio in ver.* Segregetur. *Et in marg. diſt. 63. omnis: Deuſdedit p. 1. Bur. l. 3. c. 109. Ivo p. 3. c. 85. & par. 5. c. 119.*

D I A L O G U S X.

De Martino Bracarenſi, & de Martini Papæ concilio.

A. CRedo vos non ignorare, ſi Gratiani librum ab Ant. Demochare, vel ab Ant. Contio editum legiſtis: in omnibus fere capitibus quæ habent hanc inſcriptionem: Ex concilio Martini Papæ: additum eſſe in margine, Martini Bracarenſis nomen ex capitulis Græcarum ſynodorum. Quod a Demochare factum eſt, ſumitur ex libris conciliorum, in quibus poſt ſecundum Bracarenſe concilium, illa capita ſunt Martini Epiſcopi, qui ſe ex Orientis conciliis ea ſumere dicit, offenſus varia interpretatione eorum. Unde autem ſingula capita ſumantur, non adſcripſit, quod ſciam; ſed ego ea conferens cum Græcis inveni, paucis exceptis, quæ non in Græcis, ſed in Latinis conciliis reperta ſunt. Concilium Martini Papæ inſigne fuit contra Monothelitas habitum ante ſextam ſynodum, in quo non hi canones editi fuerunt, neque confirmati. Tamen neſcio quomodo a collectoribus referri ſolent, ut Martini Papæ in ſynodo. Sic fit, ut a Gratiano Martini Papæ appellentur, & cum Græcis conjungantur quaſi diverſi. Exemplum ſumamus a concilio Nicæno; nam canones Apoſtolorum præteritos ab eo eſſe video. Caput primum in Martini collectione eſt XXI. refert Gratianus diſtin. LV. capite IX. (a) cum verba Nicæni concilii interprete Dionyſio poſuiſſet cap. VII. Martini refert Ivo (b) in Panormia cum hac inſcriptione: *Ex concilio Martini Papæ XXI.* Idem in Excerpt. *Ex decretis Martini Papæ cap. XXI.* Hoc aliqua ratione defendi poteſt. Epiſcopos enim Papas eſſe aliquando dictos conſtat, ut de Oſio alio die dicebamus.

Vid. infra dial. 2. ad-dit. 2.

D B. Hanc ego erroris originem credo, ut cum aliquis hæc capita Martini Papæ, hoc eſt Epiſcopi, inſcripſiſſet; alius Papæ Romani interpretaretur.

A. Si præfationem legiſſent, ab errore diſceſſiſſent facile. Ivo in Excerptionibus verius Martini verba refert, quam Gratianus: *Si quis præ ægritudine naturalia a medicis habuit ſecta: ſimiliter & qui a barbaris, aut dominis ſtultis fuerint caſtrati.* Stulta appellat, quæ prius naturalia, [illegible]. De ſuo vero addit: *exiſtimans poſſe a ſe carnales concupiſcentias amputari.* Sententiam concilii refert Triburienſe concilium cap. XXXIII. verba Anſelmus,
E (c) & liber Cæſaraug. (d) In Tilii libro deſiderantur hæc verba poſt vocem [illegible]: quæ illis Latinis reſpondent: *Et deinceps nullum debere talium promoveri.*

C. Quod ex Arabicis referunt caput primum concilii Nicæni, alia de re conſcriptum eſt.

A. Ita eſt, ut dicis. Sed ego Græcis, & Latinis ſcriptoribus magis credendum cenſeo, quam Arabibus, vel Armeniis. (1) Cap. quartum Nicænum ex Dionyſii interpretatione refert Gratianus diſtin. LXIV. cap. I. & Martini caput XI. refert capite VII.
F ejuſd. diſtinctionis. (e) Tertia interpretatio eſt, quam referunt Ivo, (f) & Anſelmus, (g) & liber Cæſaraguſt. (h) qua utitur Iſidorus Mercator in conciliis. [illegible], *poteſtas* ſane, vel *confirmatio,* eſt Dionyſio & Iſidoro: *poteſtas,* Martino tantum. (2) Caput nonum ex interpretatione qua utitur Mercator Iſidorus refert Gratianus diſtin. XXCI. c. 11. (i) Martin. cap. XXIV. invenies diſtin. XXIV. extrema.

(a) *Diſ. 55. c. 7. ſi quis a medicis, & cap. 9. ſi quis præ ægritud.*
(b) *Ivo lib. 3. tit. 5. c. 15. panorm. & par. 6. c. 374. decr.*
(c) *Anſel. lib. 7. c. 31.*
(d) *Caſ. lib. 4. c. 110.*
(e) *Diſt. 64. c. 1. & 7. Epiſcopum*
(f) *Ivo par. 5. c. 117. decret*
(g) *Anſ. libr. 6. c. 48.*
(h) *Caſ. libr. 3. c. 26.*
(i) *Diſt. 81. c. 4. ſi quis.*

ma. (a) Ex Dionyſii interpretatione apud Rabanum cap. i. pœnitentium, & apud Burchardum, (b) Ivonem, (c) & Anſelmum. (d) Martinus de ſuo addidit mentionem *diaconorum*, item illa: *aut poſt ordinationem ab aliis ſunt detecti*: & poſtea; *ſimiliter vero & de univerſo ordine clericorum ſervetur*. Apud Gratianum, *deſcadit*, pro *deſcendat* ſcribendum eſt. (3) Caput xvii. quod aliis eſt xiix. contra uſuras accipientes, ex Dionyſii interpretatione Gratianus refert diſtin. xlvii. cap. ii. (e) ex Iſidori conciliis cauſſa xiv. quæſt. iv. cap. iix. ex Martini cap. lxii. refert capite iv. ejuſd. quæſtionis. (f) Dionyſium ſequuntur Rabanus cap. xxxii. pœniten. & Burchardus, (g) & Ivo, (h) & Anſelmus, (i) & liber Cæſaraug. (k) Addit Martinus, *oblitus timorem Domini? & per diverſas ſpecies vini, vel frugis, vel cujuslibet rei emendo, vel vendendo aliqua incrementa ſuſceperis*. Omiſit ἡμιολίας, quas Dionyſius *ſeſcupla* dixit. Apud Iſidorum eſt: *vel etiam ſpecies frumentorum ad ſeſcuplum dare*. Apud Gratianum dicto cap. iv. ſcribe *turpe lucrum quæſieris*, ut eſt in conciliis, pro *turpis lucri quæſierit*. (4) Caput x. concilii Ancyrani videtur Gratianus ex Iſidori interpretatione retuliſſe diſtin. xxiix. cap. iix. Martini vero caput xxxix. retulit diſt. xxvii. capite primo. (l) Et quantum Martinus a Græcis verbis diſceſſit, tantum Gratianus ab utriuſque capitis interpretatione.

C. Magnam varietatem narras.

B. Ego in mea ſententia perſevero, nihil eſſe hac Gratiani collectione opus; ſed ut alia collectio ex ipſis fontibus hauriatur.

A. De his poſterius agemus. Nunc vobis proponam illius canonis Ancyrani ſententiam, quam recte Gratianus refert dicto capite iix. & Ivo in Panormia (m) ex interpretatione Dionyſii: *Diaconi ſi, cum ordinabantur, conteſtati ſunt ſe velle uxores ducere & duxerint, maneant in ſuo miniſterio; ſi tacuerint, & duxerint, deponantur*.

C. Quid Martinus ait?

A. Lege Gratiani verba: & Martini, & Gratiani varietatem cognoſces.

C. Quod autem unius uxoris vir Epiſcopus jubetur eligi; quæritur an de tempore ordinationis hoc ſit accipiendum; ut tempore ſuæ adminiſtrationis ejus poſſit copula ſungi, quam unicam, & virginem ſibi deſponſavit. Hoc Martinus Papa prohibet dicens: *Diaconus qui eligitur, ſi conteſtatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit ſe in caſtitate non poſſe manere: hic non ordinetur*.

A. Illud concilium dixit, potuiſſe uxorem ducere poſt ordinationem: Martinus ait, *hic non ordinetur*.

C. *Quod ſi in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & poſtea matrimonium deſideraverit: ſit alienus a miniſterio, & vacet a clero.*

Ivo d. tit. 8. c. 14. panor. & par. 6. c. 376. decr.

A. Martini verba refert Ivo in Panormia, ut Martini Papæ, & in Excerptionibus ex decretis Martini Papæ cap. xli. Recita nunc Gratiani verba.

C. *Hac auctoritate datur intelligi, quod illi qui uxores habent, vel accipere volunt, nec diaconi, nec ſacerdotes fieri poſſunt, niſi continentiam profiteantur. Si vero diaconus a miniſterio ceſſare voluerit, contracto matrimonio licite poteſt uti; nam etſi in ordinatione ſua caſtitatis votum obtulerit; tamen tanta eſt vis in ſacramento conjugii, quod nec ex violatione voti poteſt diſſolvi ipſum conjugium.*

B. O interpretem optimum, qui ſententiam Martini pervertit.

C. Cur Martinus ab archetypo diſceſſit?

A. Cum in Occidente eſſet, noluit Orientis licentiam imitari.

C. Cur de diacono, & non de hypodiacono canon conceptus eſt? Nam ſi hypodiaconus ſine conteſtatione ordinatus eſt, non debet audiri, ſi in diaconi ordinatione conteſtetur. Æque enim ducere uxores prohibitum eſt utriſque.

A. Non dubito, quin ea conteſtatio ante hypodiaconi ordinationem ſit neceſſaria: ac licet durum videatur, quod canon ita intelligi debeat, ut in utraque ordinatione conteſtetur: aut dicendum eſt, illis temporibus hypodiaconis, non diaconis licuiſſe nuptias contrahere. Quod vero Gratianus ait de copula & uſu matrimonii jam contracti agi, contra Græca & Latina verba eſt. De ſubdiaconis ita ſcribit: (u) *Porro in ſequenti videtur permitti auctoritate ſubdiaconis, cum de diaconis ſpecialiter præcipitur, ut ſine probatione caſtitatis non ordinentur. Hoc idem in Ancyritana ſynodo videtur eſſe permiſſum, in qua ſic ſtatutum eſt: Diaconi* &c.

B. Vox, *probatione*, non placet.

A. Scribe, *profeſſione*. (5) Caput xv. ejuſdem concilii Ancyrani ex interpretatione quæ exſtat apud Iſidorum Mercatorem, refert Gratianus cauſſa xii. quæſt. ii. cap. xlii. (o) & Martini caput xvii. refert diſt. l. cap. xxii. (p) Sed ut verum fatear, non videtur Martinus ad id caput reſpexiſſe: ita inter ſe diverſa ſunt. Iſidorum ſequuntur Anſelmus, (q) & liber Cæſaraugust. (r) Ivo Martini verba refert parte iii. cap. clxxiii. cum hac inſcriptione, *Ex concilio Martini Papæ ca. xviii.* At ex concilio Bracarenſi liber Cæſaraug. (s) & paucis immutatis Burchardus, (t) & Ivo capit. ccxl. dictæ partis tertiæ. Apud Gratianum dicto cap. xlii. in illis verbis: *Si qua de rebus eccleſiæ, cum Epiſcopus non adeſt* &c. *non eſt*, ſcribendum; nam, παρόντος μὴ ὄντος, Græce eſt. (6) Caput xxiii. quod Latinis xxii. eſt, *ejuſdem concilii Ancyrani*, quaſi ex concilio Neocæſarienſi refert Gratianus diſt. l. cap. xlii. ex Iſidori collectione: Martini vero cap. lxxix. refert capite xliv. ejuſd. diſt. ad (u) Illud refert concilium Triburienſe cap. lii. & Rabanus cap. xv. pœnitentium, & Burchardus, (x) & Ivo, (y) & Anſelmus: (z) ſed ex alia interpretatione Dionyſii Exigui, ut exiſtimo. Martini verba refert Ivo parte x. cap. xxxix. cum hac inſcriptione: *Ex concilio Martini Epiſcopi*.

B. Si ex collectione, pro *ex concilio*, ſcripſiſſet; recte dixiſſe crederetur. (7)

A. Caput xxiv. Græcis, xxiii. Latinis, Gratianus refert cauſſa xxvi. quæſtione v. cap. ii. ex Dionyſii interpretatione: & Martini cap. lxxi. capite tertio ejuſd. quæſtionis. (a) Mendoſe apud Gratianum legitur: *Ex concilio Ancyrano c. xxviii.* Refert illud cap. Leo IV. in epiſtola ad Epiſcopos Britanniæ, & concilium Troſlejanum cap. xv. & Rabanus, (b) & Capitulare Caroli, & aliorum, (c) & Burchardus, (d) & Ivo, (e) & Pœnitentiale Romanum. (f) Martini verba referunt Burchardus, (g) & Ivo, (h) quaſi ex concilio Bracarenſi.

(a) *Diſt. 24. c. ult.*
(b) *Burch. lib. 2. c. 23.*
(c) *Ivo par. 6. c. 33. decr.*
(d) *Anſ. lib. 8. c. 13.*
(e) *Diſt. 47. c. 2. quoniam.*
(f) *14. q. 4. c. 8. quoniam, & c. 4. ſi quis.*
(g) *Burc. lib. 2. c. 120.*
(h) *Ivo par. 6. c. 196. & par. 13. c. 8. decr.*
(i) *Anſ. libr. 7. c. 153. in addit.*
(k) *Caſ. lib. 8. c. 77.*
(l) *Diſt. 28. c. 8. diaconi & diſt. 27. c. 1.*
(m) *Ivo lib. 3. tit. 8. c. 4. panor.*
(n) *Diſt. 28. c. 7. praterea, p. 1.*
(o) *12. q. 2. c. 42. ſi qua.*
(p) *50. diſt. c. 22. ſi quis.*
(q) *Anſ. lib. 6. c. 162.*
(r) *Caſ. lib. 7. c. 71.*
(s) *Caſ. lib. 7. c. 79.*
(t) *Burc. lib. 3. c. 179.*
(u) *Diſt. 50. c. 42. eiſ. & c. 44. ſi quis.*
(x) *Burch. lib. 6. cap. 25.*
(y) *Ivo par. 10. c. 25. & 144. decr.*
(z) *Anſ. lib. 11. c. 47.*
(a) *26. q. 5. c. 2. & 3. p. ſi quis.*
(b) *Raban. c. 23. pœnitcu.*
(c) *Cap. lib. 7. c. 21. in addit. 3.*
(d) *Burch. lib. 10. c. 5.*
(e) *Ivo lib. 8. tit. 5. c. 2. panorm. & par. 11. c. 2. decr.*
(f) *Pan. tit. 6. c. 1.*
(g) *Burc. lib. 10. c. 6.*
(h) *Ivo d. par. 11. c. 34.*

lio Martini Papæ c.17. Si quis preſbyter, aut diaconus inventus fuerit &c. In marg. eſt: Apud Martinum Bracaren. Burc. l. 3. c. 179. ex Bracaren. Ivo par. 3. c. 173. ex Martino, & 240. ex Bracaren. In notis: Diaconus) Sequebatur, aut ſubdiaconus, *quæ duæ dictiones expunctæ ſunt; quia neque apud Martinum, aut Burchardum, aut Ivonem, neq. in antiquis Gratiani codibus habentur.*

(7) *Diſt. 50. capitis 42. Res vero, in eodem libro inſcriptio eſt: Item ex concilio Ancyrano c. 22. par. eo vero. Et in marg. hæc ſunt: Ex priſca verſione, & Tibur. c. 52. Polyc. l. 6. tit. 10. Burc. l. 6. c. 15. Ivo p. 10. c. 35. & 144. Et in notis: Hæc vero Græce eſt ὁ δὲ δεύτερος τῆς πενταετοῦς χρόνος πληρώσει id eſt:* Secunda vero quinquenii tempus explebit. *Atque ita fere Burchardus, & Ivo ex Dionyſii verſione, & infra ead. c. Si quis voluntate, (ſcribe,* voluntarie) *Cap. 44. inſcriptio eſt: Item ex capitulis Martini Bracaren. Epiſcopi c. 78. Si quis voluntarie homicidium fecerit &c. Et in marg. Ivo p. 10. c. 39.*

(8) *In eodem libro inſcriptio cap. 2. cau. 16. q. 5. hæc eſt: Item ex concilio Ancyrano c. 23. al. 24. Qui divinationes expetunt, & morem gentilium ſubſequuntur &c. In marg. hæc ſunt: Raban. in pœnit. c. 23. & in conc. Pariſ. li. 3. c. 1. Polyc. ibid. (hoc eſt, l. 6. tit. 12.) Burch. l. 10. c. 9. Ivo p. 11. c. 3. Pan. l. 8. c. 62. Et in notis: Gentilium) In Græca impreſſa eſt χλόων. Sed in vetuſto Vaticano, & apud Balſamonem ἐθνῶν. Exquirendi) Græce eſt, ἐπὶ ἀνιχνεύσει φαρμακειῶν, id eſt;* ad invenienda medicamenta. *Capitis tertii: Non liceat, inſcriptio eſt; Item ex concilio Martini Papæ (Id eſt, ex capi. Martini Bracaren. cap. 72. (deſideratur hæc nota) Et in marg. Burch. lib. 10. cap. 3. Ivo p. 11. cap. 40. Et verſ. Nec ex collectionibus eſt in marg. Ibid. cap. 74. Burc. l. 10. c. 20. Ivo p. 11. c. 47. Et verſ. Si quis autem, eſt in marg. Ibid. c. 71. Burc. l. 10. c. 6. Ivo p. 11. c. 34. Et verſ.* Mulieribus, *eſt in marg. Ibid. c. 75. Burc. l. 10. c. 19. Ivo p. 8. c. 330. & p. 11. c. 46.*

DIALOGUS XI.

De Eadem re.

C. ANtequam aggrediare, quæ reliqua ſunt: ſcire cupio, cur Græca Latinis præferenda ſint: cum Græcos conſtet hæreticos fuiſſe permultos, & hoſtes Latinorum, multaque finxiſſe & mutaſſe.

A. Omnia ne Græca tibi videntur eſſe reijcienda? ergo neque ſacros libros cum LXX. editione conferamus, aut cum aliis interpretibus veteris, aut novi teſtamenti: neque aliquem ſanctorum Patrum Orientis librum legamus. Fruſtra nobis Dionyſius Areopagita, Athanaſius, Gregorii tres, Baſilius, Joannes Chryſoſtomus, & tam multi alii ſcripſerunt. Fruſtra tot philoſophi, medici, hiſtorici: ſi omnia tibi ſuſpecta ſunt.

C. Non omnia dico eſſe reijcienda Græce ſcripta: ſed quæro, cur Latinis præferri oporteat?

A. Si non omnes uno ordine habes Achivos, invenies in eorum ſcriptis, qui iſta deteſtentur hæreticorum facinora, qui detegant eorum flagitia: itaque licet tibi cetera ſincera eſſe credere. Quod ſi non omnia Græci notant: at Latini habent quædam ſuſpecta. Ab his abſtine: ceteri, ut fontes, ex quibus oriuntur rivi & flumina, habendi ſunt Græcorum libri. Hi præſertim Græci canones in Græcia ita ſcripti, cur non tibi Latinis antiquiores & potiores ſint, cauſſam nullam dices. Latinos interpretes vides varios eſſe, & obſcuros: quis melius ſententiæ vim explicare poteſt, quam is, qui conſcripſit? Si cum Afris, aut Indis, aut Perſis cum interprete negotia geras; quam multa interpres obſcure dicet, aut de ſuo addet, a nobis, aut ab illis non dicta: aut dictorum non recordabitur?

C. Sunt igitur Græca Latinis potiora, quaſi fons Latinorum: id mihi ad rem de qua agimus, ſatis eſt.

A. Poſt Ancyranos canones ſequuntur Neocæſarienſes. Hujus concilii caput octavum ex interpretatione Iſidoriana Gratianus refert diſtin. XXXIV. cap. XI. & capite XII. Martini caput XXIIX. (a) Quod dicitur, *dato repudio dimittere eam debet*, Græce eſt, *ὀφείλει ἀπολῦσαι αὐτήν. dato repudio*, non habet Martinus. (1)

Caput IX. Gratian. refert ex Iſidori interpretatione cauſſa XV. quæſt. IIX. capite I. Martini vero caput XXV. capite IV. ejuſdem quæſtionis. (b) Ex Dionyſii interpretatione Rabanus cap. I. pœnitentium, & Burchardus, (c) & Ivo. (d) Martini verba refert Ivo in Panormia, (e) ut ex concilio Martini Papæ cap. XXVI. ſed Burchardus, (f) & idem Ivo in Excerptionibus (g) quaſi ex concilio Cabilonenſi, τὰ γὰρ λοιπὰ ἁμαρτήματα ἔφασκον οἱ πολλοὶ καὶ τὴν χειροθεσίαν ἀφιέναι. Hæc omiſit Martinus & Dionyſius. *Nam cetera peccata conſueverant plurimi etiam ordinatione privari*: Iſidorus. *cetera vero peccata &c.* Gratianus: *remitti* malim, quam *privari*. (2)

Caput XI. ex interpretatione Iſidoriana refert Gratianus diſtin. XXXIIX. cap. IV. Martini verba non facile adgnoſcuntur capite primo ejuſdem diſtinctionis (h) Bonifacio Papæ inſcripta: quod Demochares non vidit, qui alia animadvertit. Eſt autem Martini caput XX. Fabiano Papæ adſcribunt Burchard. (i) & Ivo, (k) & liber Tarrac. (l) (3)

Caput tertium concilii Gangrenſis ex interpretatione Iſidori refert Gratianus cauſſa XVII. quæſt. IV. cap. XXXVII. & mox capite XXXIIX. refert Martini caput XLVII. (m) in quo pro *anathema ſit*, ſcriptum eſt: *duriſſime in omnibus arguatur.* Martini verba, ut ex concilio Bracarenſi referunt Burchardus, (n) & Ivo (o) qui alibi (p) referunt verba concilii Gangrenſis ex alia interpretatione. (4)

Caput quartum concilii Antiocheni ex interpretatione Dionyſii refert Gratianus cauſſa XI. quæſt. III. cap. IV. & capite VII. Martini caput XXXVII. (q) Dionyſium ſequuntur Burchardus, (r) & Ivo, (s) & Anſelmus, (t) & ante hos Nicolaus Papa in epiſt. II. ad Michael. Imp. εἴ τις ἐπίσκοπος ὑπὸ συνόδου καθαιρεθείς. *Si quis Epiſcopus damnatur a ſynodo*: Gratianus: *damnatus*: Burchardus & alii, ſic

(a) *Diſt. 34. c. 11. ſi cujus, & c. 12. ſi laici.*
(b) *15. q. 8. c. 1. & c. 4. ſi quis.*
(c) *Burch. li. 2. c. 49.*
(d) *Ivo li. 3. tit. 11. c. 9. panorm. & part. 6. c. 150. decr.*
(e) *d. tit. 11. c. 18.*
(f) *Burch. lib. 2. c. 48.*
(g) *Ivo par. 6. c. 149. dec.*
(h) *Diſt. 78. c. 1. & 4. preſbyter.*
(i) *Burch. lib. 2. c. 10.*
(k) *Ivo li. 3. tit. 3. c. 2. panorm. & par. 6. c. 30. decr.*
(l) *Tarr. lib. 6. c. 122.*
(m) *17. q. 4. ca. 37. ſi quis, & 38. ſi quis.*
(n) *Burc. lib. 8. c. 25.*
(o) *Ivo par. 7. c. 45. decr.*
(p) *Burc. lib. 11. c. 62. Ivo par. 13. c. 48. & par. 16. c. 102. decr.*
(q) *11. q. 3. c. 6. ſi quis, & ca. 7. ſi quis.*
(r) *Burc. lib. 1. c. 199.*
(s) *Ivo par. 5. c. 362. decret.*
(t) *Anſ. lib. 12. c. 26.*

etiam Capitulare Caroli lib. I. cap. VII. *Si quis Epiſcopus in concilio excommunicatus fuerit*. Martinus: *Si quis Epiſcopus a ſynodo fuerit depoſitus*. Iſidorus, ut Græci, *vel matutinum, vel veſpertinum ſacrificium*: addidit Martinus: *Si autem permanſerit turbans* &c. hæc etiam ſunt addita a Martino, ſumta ex capite quinto extremo ejuſdem ſynodi. (5)

Caput nonum ex interpretatione Iſidoriana Gratianus refert cauſſa IX. quæſt. III. capite II. & capite primo refert Martini caput IV. (*a*) quod brevius eſt multo ſuperiore. Videtur autem confirmari canon XXXIV. Græcis, XXXV. Latinis Apoſtolorum, de quo videndus Nicolaus Papa ad conſulta Bulgaror. cap. LXXII. Apud Anſelmum (*b*) refertur Dionyſii interpretatio capitis IX. Antiocheni. (6)

Caput XII. refert Gratianus cauſſa XXI. quæſt. V. cap. II. ex Iſidori interpretatione. Martini caput XXXV. cap. V. ejuſdem quæſtionis. (*c*) Hoc eſſe caput arbitror contra beatum Athanaſium ſcriptum, quod reprehendit Julius in Epiſtola ad hos eoſdem Epiſcopos Antiochiæ congregatos. Idem contra Joan. Chryſoſtomum dum obiiceretur, ab eo reſponſum eſt, hæreticorom canonem fuiſſe.

B. Cur igitur canones Antiocheni recepti ſunt, cum Arianos illos Epiſcopos auctores habeant?

A. Non poſſum cauſſam dicere, ſed receptos eſſe conſtat, & io corpore canonum poſitos ante concilium Chalcedoonenſe, ut ejus concilii actione XII. Græcis, Latinis XI. apparet: ex libro etiam Latino, quem eodem nomine *Corpus canonum* dicimus, quem aperte Leo IV. in epiſt. ad Epiſcopos Britanniæ approbat, id conſtat, & ex aliis multorum teſtimoniis, præſertim Paſchalis II. in concilio Romano. Fortaſſe propter decretorom utilitatem. Sed ad caput XII. revertamur: quod referunt concilium Aquiſgranenſe cap. LXXIV. & Burchardus, (*d*) & Ivo, (*e*) & Anſelmus (*f*) ex Dionyſii interpretatione. Illa verba varie converſa ſunt: εἴ τις ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου καθαιρεθείς. Apud Iſidorom recte eſt: *Si quis a proprio Epiſcopo depoſitus*. Apud Martinum eſt: *Si quis Epiſcopus in concilio excommunicatus fuerit*. Apud Dionyſium: *Si quis a proprio Epiſcopo presbyter, aut diaconus: aut a ſynodo fuerit Epiſcopus damnatus* (7) Caput XIV. habet Gratianus cauſſa VI. quæſt. IV. cap. I. quaſi ex Laodiceno concilio ante Democharis editionem, ex Iſidori magna ex parte interpretatione, & cap. II. Martini cap. XIII. (*g*) Ex Dionyſii interpretatione referunt Burchard. (*h*) Ivo, (*i*) & Anſelmus. (*k*) Prima verba Gratiani alii omnes aliter referunt. Græca hæc ſunt, εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπί τισιν ἐγκλήμασι κρίνοιτο. *Si quis Epiſcopus criminaliter in judicio Epiſcoporum fuerit accuſatus*; Gratianus. *Si quis de aliquibus cauſſis criminalibus in judicio Epiſcoporum fuerit accuſatus*; Iſidorus. *Si quis Epiſcopus in aliquibus cauſſationibus judicatur*; Martinus. Vox *cauſſationibus* omiſſa eſt a Gratiano. *Si quis Epiſcopus de certis criminibus judicatur*; Dionyſius, & Græci. In Metropolitani alterius vocatione varietas eſt; neque enim Græce dicitur illum eſſe vocandum, ſed vicinos Epiſcopos a Metropolitano. At Gratianus habet: *Metropolitanum Epiſcopum alterius provinciæ vicinæ advocari, & aliquantos cum eo Epiſcopos alios*. Sic etiam Iſidorus: *Ut de provincia vicina alter Metropolitanus convocetur Epiſcopus, ut per eum confirmetur* &c. Martinus: *Metropolitanus Epiſcopus a vicina provincia judices alios convocet*; Dionyſius, & Græci. (8) Caput XIIX. Gratianus refert diſtin. XCII. cap. V. ex Dionyſii interpretatione; & capite IV. Martini cap. X. (*l*) quod a Burchardo, (*m*) & Ivone (*n*) dicitur ex concilio Aurelianenſi ſine nomine, & in libro Tarracon. (*o*) Ab eiſdem referuntur verba Dionyſii, & ab Anſelmo. (*p*) Varietas eſt in extremo canone. Græce eſt ὅ τι ἂν τῇ τῆς ἐπαρχίας τελείᾳ συνόδῳ δοκῇ ταῦτα τὸ πρᾶγμα ἐλθεῖν. *Exſpectare eum oportet provinciæ plenariam ſynodum, donec de eo quod competit, ſtatuatur*; Iſidorus: *Suſtineat autem, quod de eo ſanctum concilium judicare voluerit*: Martinus, *quid*, pro *quod*, Gratian. *quidquid*: Burchardus, & alii: *quam etiam obſervare convenit, quidquid ſynodus provinciæ perfecte judicando decreverit*: Dionyſius apud Gratianum *ſynodus perfecta provincia*: apud Burchar. & Græcos. (9) Cap. XIX. ex Iſidori fere interpretatione refert Gratianus diſtin. LXV. cap. III. & Martini cap. III. cap. II. (*q*) Initii varietas eſt, ἐπίσκοπον μὴ χειροτονεῖσθαι. *Epiſcopum non ordinandum*; Iſidorus: *Epiſcopus non eſt ordinandus*; Gratianus: *Non debet ordinari Epiſcopus*; Martinus. (10) De ſynodo bis quotannis habenda cap. XX. refert ex Iſidoriana interpretatione Gratianus diſtin. XIIX. cap. IV. & Martini cap. XIIX. cap. XV. ejuſd. diſtinctionis. (*r*) Item Burchard. (*s*) & Ivo (*t*) cap. XX. referunt ex Dionyſii interpretatione. Tempora ſynodorum omiſit Martinus. In aliis varietas eſt de poſteriori ſynodo, quam omnes Idib. Octobris habendam dicunt: ſed Græci, & Iſidorus decima Hyperberetæi menſis; Dionyſius, & ceteri XV. quamvis non aperte, quia ſolum dicunt Octobrem eſſe Hyperberetæum menſem.

B. Non idem Theodorus & Lilius dicent: qui Romanorum cum Græcis nomina menſium non poſſe convenire ſcribunt propter intercalationes.

A. Poſterioribus temporibus fortaſſe omiſerunt intercalandi conſuetudinem, & ordinem menſium Latinorum ſervarunt. In canonibus Apoſtolorum ſine mentione menſis Octobris dicitur Hyperberetæi duodecima, capite XXVII. Græcis, Latinis XXXIIX Sed in Iſidori libro dicitur, juxta Romanos *quarta Idus Octobris*. (11) Venio nunc ad caput XXIII. quod refert Gratianus cauſſa III. cap. III. (*u*) ex Dionyſii interpretatione, item Burchardus, (*x*) Ivo, (*y*) Anſelmus, (*z*) & liber Cæſaraug. (*a*) Ex Martini caput refert Gratianus cap. IV. ejuſd. quæſtionis, (*b*) Item Burchardus, (*c*) & Ivo, (*d*) ut ex concilio Hiſpalenſi. Quod apud Gratianum eſt, *& electione clericorum*, neque Græci, neque Latini libri habent. (12) Caput XXV. ex interpretatione Dionyſii refert Gratianus cauſſa XII. cap. XXIII. & Martini cap. XVI. cauſſa X. quæſt. II. cap. XIX. (*e*) Dionyſium ſequuntur Anſelm. (*f*) & Capitulare Caroli, (*g*) & aliorum. Varietatem omitto: ut veniam ad Laodicenos canones. (13) Caput XIII. refert Gratianus diſt. LXIII. cap. VI.

(a) *9. q. 3. c. 1. & 2. per ſingulas.*
(b) *Anſ. lib. 5. c. 73. in addit.*
(c) *21. q. 5. c. 2. & c. 5. ſi quis.*
(d) *Burch. lib. 2. c. 180.*
(e) *Ivo par. 6. c. 325. decret.*
(f) *Anſ. lib. 5. c. 74. in addit.*
(g) *6. q. 4. c. 1. & 2. ſi quis.*
(h) *Burch. lib. 1. c. 150.*
(i) *Ivo par. 5. c. 263. decret.*
(k) *Anſ. lib. 5. c. 77. in addit.*
(l) *Diſt. 92. c. 4. ſi quis. & c. 5. ſi quis.*
(m) *Bur. l. 1. c. 40. & 41.*
(n) *Ivo par. 5. c. 151. & 152. decr.*
(o) *Tarrac. lib. 6. c. 68. & 69.*
(p) *Anſ. lib. 6. cap. 41.*
(q) *Diſt. 65. c. 2. non debet, & c. 3. Epiſcopus.*
(r) *Diſt. 18. c. 4. propter. & c. 15. propter.*
(s) *Burch. lib. 1. c. 44.*
(t) *Ivo lib. 4. tit. 2. cap. 3. panor. & par. 5. c. 154. decret.*
(u) *8. q. 5. cap. 3. Epiſcopo.*
(x) *Bur. lib. 1. c. 185.*
(y) *Ivo par. 5. ca. 305. decret.*
(z) *Anſ. lib. 6. c. 57.*
(a) *Caſ. lib. 3. c. 37.*
(b) *c. 4. Epiſcopo. c. 9.*
(c) *Burc. d. lib. 1. c. 187.*
(d) *Ivo dict. part. 5. c. 303.*
(e) *12. q. 1. c. 23. Epiſcopus, & 10. q. 2. ca. 8. Epiſcopus.*
(f) *Anſ. lib. 6. c. 163.*
(g) *Capit. lib. 7. c. 76.*

vi. (a) ex Dionyſii interpretatione, & Burchardus (b) & Ivo, (c) & Anſelmus, (d) & Deuſdedit, (e) & Capitulare, (f) de quo dixi. Martini caput primum refert Gratianus cap. xix. ejuſd. diſtin. (g) & ut Bracaren. concilium cap. 1. referunt Burchardus, (h) Ivo, (i) & Anſelmus, (k) ut verba Cæleſtini liber Cæſarauguſtan. (l) Addit autem Martinus quædam : *Ut Epiſcopi eos probent* &c. (14) Caput xxxii. eſt apud Gratianum cauſſa prima cap. lxvi. ex Iſidoriana interpretatione, & caput lxvii. ex Martino cap. lxx. (m) Ne eulogiæ, ſive benedictiones ab hæreticis accipiantur. Laodicenum canonem referunt Burchard. (n) & Ivo, (o) & Deuſdedit, (p) ſed ex Dionyſii interpretatione. At ex Iſidoro liber Tarraconenſis. (q) (15) Caput xlvi. habet Gratianus de conſecratione diſtin. iv. cap. liix. (r) ex Iſidori interpretatione, ut eſt etiam in Capitularibus Imperatorum. (s) At in eadem diſtinct. cap. lix. Martini verba refert capit. xlix. (t) Ex Dionyſio referunt Burchardus, (u) & Ivo. (x) (16) Sic etiam diſtin. tertia cap. iix. refert caput l. concilii Laodiceni ex Iſidori interpretatione, & capite vii. ex Martini capite L. (y) & quod Græce eſt [illegible], Martinus, *jeunare abſtinentes*, dixit : *eſcis abſtinentiæ convenientibus, id eſt aridioribus uti*, Iſidorianus interpres.

B. Sic etiam *xerophagia* dicitur apud Caſſianum; (z) & *omophagia*, cum crudis cibis utuntur.

A. *Diſtricto venerari jejunio*, Dionyſius in Corpore canonum ſcripſit. Aridis hodieque cibis Græcos in quadrageſima uti ſcio. (17) Caput lv. quod aliis liv. eſt, refert Gratianus diſtin. xliv. cap. x. ex Iſidori interpretatione, & cap. xii. Martini caput lxi. vel lxii. (a) Ex Dionyſii interpretatione refert Rabanus cap. xxvii Pœnitentium. Quod Græce eſt [illegible], *ex collatis, vel commeſſationibus convivia celebrare*; vertit Dionyſius, *ex ſymbolis, quæ vulgus commiſſalia appellat, convivia celebrare*, Iſidorianus, *convivia facere de confertis*, Martinus. (18) Caput huic proximum lvi. vel lv. erit hujus concilii & dici extremum : refert Gratianus diſtinct. xcv. capite iix. ex Iſidori interpretatione, (b) & de conſecrat. diſt. iv. cap. cxxiv. extremo refert caput Martini liii. (c) Varietas eſt nonnulla; namque Martinus de baptiſterio ait. *Non liceat presbytero prius Epiſcopo introire in baptiſterium*. Græce [illegible], *ante proceſſionem Epiſcopi introire in ſacrarium & ſedere, ſed cum Epiſcopo debent ingredi, vel in ſubſelliis ſedere*, Dionyſius, *ante ingreſſum Epiſcopi ingredi eccleſiam, & ſedere in Tribunalibus*, Iſidorianus. Quod vero Martinus ait; *niſi forte aut abſens fuerit, aut ægrotus*: Iſidorianus habet : *niſi forte aut ægrotet Epiſcopus, aut in peregrinationis commode eum abeſſe conſtiterit*, Apud Democharem eſt; *commoda eſſe eum conſtiterit*, & in margine; *in peregrinatione modo eum eſſe* &c. Apertius Dionyſius: *niſi forſitan infirmitate detineatur, aut proficiſcatur Epiſcopus*. Græce vero eſt; [illegible]. (19) Cetera alio die, ut veteres augures dicebant, perſequemur.

A D D I T I O N E S.

(1) *Capitis undecimi, Si cujus uxorem, diſt. 34. in Gregoriano libro inſcriptio eſt : Item in Neocæſarienſi concilio c. 8. Et in marg. Anſ. l. 7. c. 19. Capitis 12. inſcriptio eſt : Item ex concilio Martini (Papæ. Si laici uxor &c. Et in marg. alicujus laici) orig. Et, Apud Martin. Bracaren. c. 28.*

(2) *Initio quæſtionis 8. cauſæ 15. in eodem libro hæc verba ſunt: De ultima vero quæſtione ſic ſtatutum eſt in concilio Neocæſarienſi c. 9. & 10. Qui admiſit corporale peccatum &c. Et in marg. Raban. lib. pænit. c. 1. Polyc. l. 4. ti. 39. Burch. l. 2. c. 49. Ivo p. 6. c. 150. Pann. l. 3. c. 151. Et in notis: Propter ejus ſtudii utilitatem) Græce eſt,* [illegible], *id eſt*, propter ſtudium ac diligentiam, *quam ceteroquin adhibet. Privari) Græce legitur :* [illegible], *id eſt*, per manus impoſitionem dimitti: *quemadmodum fere vertit Dionyſius, cujus verſionem ceteri collectores attulerunt, hac tamen clauſula omiſſa. Nam hæc verſio quam Gratianus affert, a priſca, quæ in collectione Iſidori (deeſt exſtat.) Ita ex his verbis longe alia elicitur ſententia, atque auctor gloſſæ putarit. Capitis quarti inſcriptio eſt : Item ex concilio Martini Papæ c. 35. Si quis presbyter &c. Et in marg. In capitul, Martini Bracaren. ex conc. Neocæſarien. c. 9. & 10. Burc. l. 2. c. 48. Ivo p. 6. c. 149. Pann. l. 3. c. 150. In fine pro voce accipiant, eſt in marg. al.* retineant.

(3) *Gratiani verba ſunt in eodem libro initio diſtin. 78. Quo vero ætate ſacerdotes ordinari debeant, Bonifacius Papa diffinivit dicens : Si quis triginta &c. Et in notis eſt ; Bonifacius) ceteri collectores citant ex decretis Fabiani. Exſtat apud Martinum Bracarenſem Epiſcopum in capit. Græc. ſynod. c. 20. Et in marg. Polyc. l. 2. tit. 20. Burch. l. 2. c. 10. Ivo par. 6. cap 30 Pann. l. 3. c. 29. Capitis 4. hæc inſcriptio eſt ; Item ex concilio Neocæſarienſi c. 11. Presbyter ante xxx. &c. In marg. hæc ſunt; Polyc. l. 2. tit. 27. Anſ. l. 7. c. 95. Pann. l. 3. c. 29.*

(4) *Inſcriptio capitis 37. Si quis ſervum alienum occaſione religionis &c. c. 17. q. 4. in Gregoriana editione eſt. Unde in Gangrenſi concilio c. 3. legitur. In marg. eſt: Ivo p. 16. c. 102. & p. 13. c. 48. Capitis 38. inſcriptio hæc eſt: Item ex concilio Martini Papæ c. 47. Si quis ſervum alienum cauſſa religionis doceat &c. Et in marg. eſt : In cap. Græcar. ſynod. Martini Bracar. Bur. l. 8. c. 25. Ivo pag. 7. cap. 43.*

(5) *Capitis ſexti cauſæ 11. quæſt. 3. in eodem libro inſcriptio eſt : Item ex concilio Antiocheno c. 4. Si quis Epiſcopus damnatus a ſynodo. In notis eſt ; Damnatus) Græce eſt* [illegible], *id eſt*, depoſitus. *Et in marg. Et Aquiſgran. c. 47. extr. de cler. exc. depo. c. 1. & 2. Nic. Papa epi. 8. Polyc. ibid. (hoc eſt l. 7. tit. 1.) Burc. l. 1. c. 199. Ivo p. 5. c. 362. Anſ. l. 12. c. 26. Capitis 7. inſcriptio eſt : Item ex concilio Martini Papæ c. 37. Si quis Epiſcopus in concilio excommunicatus fuerit &c. In marg. eſt ; In capitulis Martini*

(a) *Diſt. 63. c. 6. non eſt.*
(b) *Bur. li. 2. c. 8.*
(c) *Ivo par. 6. c. 28. decret.*
(d) *Anſ. lib. 6. c. 38.*
(e) *Deuſd. c. 1. & 4.*
(f) *Capit. lib. 7. c. 79.*
(g) *c. 8. diſt. 63. non licet.*
(h) *Bur. lib. 1. c. 10.*
(i) *Ivo par. 5. c. 64. decret.*
(k) *Anſel. lib. 6. c. 8.*
(l) *Cæſaraug. lib. 3. cap. 18.*
(m) *1. q. 1. c. 66. non oportet, & 67. non licet.*
(n) *Burc. lib. 3. c. 209.*
(o) *Ivo par. 3. c. 260. dec.*
(p) *Deuſded. c. 2. & 4.*
(q) *Tarr. lib. 6. c. 20.*
(r) *De conſ. d. 4. c. 58. baptizandi.*
(s) *Capit. lib. 7. cap. 404.*
(t) *e. d. c. 59. non liceat.*
(u) *Burc. lib. 4. cap. 9.*
(x) *Ivo par. 1. c. 304. dec.*
(y) *De conſecr. d. 3. c. 7. non liceat, & cap. 8. non oportet.*
(z) *Caſſian. l. 4. c. 21. & 22. de inſtit. cænob.*
(a) *Diſ. 44. c. 10. non oportet, & c. ult.*
(b) *Diſt. 95. c. 8. non oportet.*
(c) *De conſ. d. 4. c. 124. omni tempore.*

tini Bracarenſi. In notis hæc ſunt: Forinſecam) *In aliquot Gratiani & concilii codicibus eſt*, foralticam. *In canone quinto concilii Antiocheni, unde hoc ſumtum eſt, legitur*, διὰ τῆς ἔξωθεν ἐξουσίας: *quæ Dionyſius vertit*, per poteſtates exteras. *Capitis primi de clerico excom. inſcriptio eſt: Ex canone Apoſtolor. Si quis Epiſcopus, presbyter &c. Et in marg. eſt: Addi poteſt c. 18. ex Theodoro Balſamone, refertur c. 1. eod. tit. in compil. Capitis ſecundi inſcriptio eſt: Ex concilio Antiochen. Si quis presbyter &c. Et in marg. eſt: cap. 2. eod. tit. in 1. compil.*

(6) *Capitis primi 9. q. 3. in eodem libro inſcriptio eſt: Sicut in concilio Martini Papæ legitur c. 4. Per ſingulas provincias oportet &c. In marg. eſt: In capitulis Martini Bracaren. c. 4. Pro voce* Metropolitanum *eſt in marg. al.* Primatum Metropolitani ſui, *& pro voce* aſſumat, *al.* ſibi aſſumat. *Capitis 2. inſcriptio eſt hæc: Item ex concilio Antiocheno c. 9. Per ſingulas provincias Epiſcopos ſingulos &c. Et in marg. ad illa verba, ſecundum antiquum patrum noſtrorum canonem, additur: Apoſt. can. 24. In notis ad illa verba, citra Metropolitani Epiſcopi conſcientiam additur: Græca eſt*, δίχα τοῦ μητροπολίτου ἐπισκόπου, μή δὲ αὐτὸν οὐδὲν πράττειν χωρὶς τῆς τῶν λοιπῶν γνώμης. *Itaque eadem voce* γνώμης *utitur canon tam in conſenſu Metropolitani, quam ſuffraganeorum. Sed ob multas varietates placuit apponi verba Græca cum verſione nova*: κατ' ἑκάστην &c. Epiſcopos, qui in unaquaque &c.

(7) *Inſcriptio capitis ſecundi 21. q. 5. in eod. libro eſt: Item ex concilio Antiocheno c. 12. Si quis a proprio Epiſcopo depoſitus presbyter &c. Et in marg. hæc ſunt: Et in Aquiſgran. c. 74. Burc. l. 2. c. 180. Ivo p. 6. c. 225. Capitis 5. inſcriptio eſt: Item ex concilio Martini Papæ c. 35. Si quis Epiſcopus, presbyter, aut diaconus excommunicatus &c. In marg. hæc ſunt: In capitulis ſynod. Græc. Mar. Bracar. c. 35. Concor. ſup. ea c. ſi quis a proprio. Ad illa verba, & importans ſe palatio, eſt in marg. al. importunans. al. importunus palatio. In notis eſt: ad majorem Epiſcoporum ſynodum*) *Antea legebatur, majorum Epiſcoporum concilium, emendatum eſt ex codice Lucenſi regio: quoniam concordat cum canone Antiocheno ſup. ea ſi quis a proprio, unde videtur ſumtum.*

(8) *Cauſa 6. quæſt. 4. cap. 1. in eodem libro Romano ita ſcriptum eſt: In concilio Antiocheno c. 14. ſic invenitur diffinitum. Si quis Epiſcopus criminaliter in judicio Epiſcoporum fuerit accuſatus &c. Et in marg. al. de aliquibus cauſſis criminalibus. Et Burc. l. 1. c. 150. Ivo p. 5. c. 263. In notis hæc ſunt: Caput hoc in multis etiam vetuſtis Gratiani exemplaribus citatur ex concilio Laodiceno. In uno tamen perantiquo ex concilio Antiocheno, in quo etiam exſtat: & eſt antiqua verſio. Metropolitanum*) *Græcum exemplar heic valde diſſentit ab hac verſione. Nam ex his verbis colligitur concilium unius provinciæ, in quo neceſſe eſt adeſſe proprium Metropolitanum, poſſe advocare vicinæ provinciæ Metropolitanum cum aliquot Epiſcopis. Quod Martinus etiam Bracarenſis in ſequ. capite, quod ex concilio Antiocheno accepit, confirmat. Græce vero locus ita habet*: ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ &c. *Quod Dionyſius, quemadmodum etiam eſt in codice canonum, ſic vertit*: Sanctæ ſynodo placuit &c. *Ac ſane, quod Metropolitanus ad alterius Metropolitani vocationem deberet venire, atque in eod. concilio duo Metropolitani futuri eſſent, vix videtur convenire. Cap. 2. inſcriptio eſt: Item ex concilio Martini Papæ (id eſt, Epiſcopi Brac. c. 33. Si quis Epiſcopus in aliquibus cauſationib. judicatur &c.*

(9) *Diſtin. 92. cap. 4. inſcriptio eſt in ead. editione: De his in concilio Martini Papæ ſic ſtatutum eſt: Si quis ordinatus Epiſcopus pro contentione populi &c. In margin. hæc ſunt: Capit. Martini Bracaren. cap. 10. Vide Pelag. II. in epiſt. ad Benignum. Polyc. l. 2. tit. 3. Burc. l. 1. c. 40. Ivo p. 5. c. 151. Et in notis: Epiſcopus*) *In vulgatis ſequebatur*, ad parochiam, cujus eſt electus: *quæ inducta ſunt auctoritate manuſcriptorum, & originalis, ac ceteror. collectorum. Contentione*) *In duobus vetuſtis exemplaribus Gratiani, & uno conciliorum regis catholici legitur*, contemptione. *Ad illa verba*, in quam venit, *eſt in margin. al.* convenit. *Capitis 5. hæc inſcriptio eſt: Item ex concilio Antiocheno cap. 18. Si quis Epiſcopus ordinatus ad parochiam, cujus eſt electus &c. In margin. ſunt hæc: In epiſtol. Pelag 2. Polyc. Ibid. Burch. lib. 1. cap. 141. Ivo p. 5. c. 152. Ad vocem* cujus *additur in marg. al.* cui: *ad vocem* vetet, *al.* vitet, *Et in notis: Vetet*) διὰ τὴν τοῦ λαοῦ παραίτησιν, eo quod populus recuſet. *Obſervare*) ἐκδέχεσθαι, *id eſt*, exſpectare *&* ſuſcipere. *Perfecta*) *Antea legebatur* perfectæ, *reſtituta eſt vera lectio ex orig. & Burch. & Ivone. Quid autem ſit ſynodus, quæ heic* perfecta, *& in paullo poſt ſequentibus capitibus* integra *dicitur, exponitur infra ead. c. ſi quis Epiſcopus, tertio. Eſt id cap. 8. cujus inſcriptio eſt: Item ex eodem (Antiocheno) c. 16. Et in marg. eſt: Apud Martinum Bracar. c. 9. Burch. l. 1. c. 39. Ivo p. 5. c. 150. Et in notis: Hæc verſio, quam & Gratianus, & Burchardus, & Ivo ſequuntur, eadem fere eſt atque illa Martini Bracar. Dionyſiana vero longe magis accedit ad verba Græca.*

(10) *Inſcriptio capitis ſecundi diſtin. 65. in eodem libro hæc eſt: Item ex concilio Martini Papæ. Non debet ordinari Epiſcopus abſque concilio, & præſentia Metropolitani Epiſcopi &c. In marg. al.* conſcientia. *In capitul. Martini Brac. cap. 3. ex conc. Antioch. cap. 19. Capitis 3. inſcriptio eſt: Item ex concilio Antiocheno cap. 19. Epiſcopus non eſt ordinandus ſine concilio, & præſentia Metropolitani Epiſcopi &c. Et in margin. cap. 18. Et in notis: Verbis Græcis multo melius reſpondet altera verſio, quæ Dionyſii eſt; ideoque illa conſulenda.*

(11) *Cap. 4. diſtin. 18. in ead. editione inſcriptio eſt: Item ex Antiocheno concilio c. 20. Propter eccleſiaſticas cauſſas &c. Et in marg. Burch. l. 1. c. 44. Ivo p. 5. c. 154. Pano. l. 4. c. 15. Polyc. l. 3. ti. 19. In notis hæc ſunt: Id eſt, media Pentecoſte*) *Antea legebatur*, & in medio temporis inter Paſcha & Pentecoſten; *nec multo aliter apud Ivonem, id eſt*, medio temporis *&c. Sed repoſita eſt hæc lectio ex pleriſque Gratiani exemplaribus & collectione Iſidori, in qua eſt hæc eadem verſio. Nam ceteri collectores ſecuti potius videntur verſionem Dionyſii, quæ eſt in Codice canonum: quamvis & Burchardus, & Pannormia hoc loci habent*, id eſt, medio Pentecoſtes, *vel*, in medio Pentecoſte, *ubi in verſione Dionyſii eſt*, ita ut quarta ſeptimana Pentecoſtes, *verbum plane e verbo. Græce enim eſt*: κατὰ τὴν τετάρτην ἑβδομάδα τῆς πεντηκοστῆς. *Compleatur*) *vocem* ἐπιτελείσθω *Dionyſius vertit* conveniat. *Decimus*) *Prorſus ex Græco. Dionyſius autem, quem Burchardus, & Ivo ſequuntur, habet*, Idibus octobris, *id eſt, xv. die menſis Octobris, quem Hyperberetæum Græci cognominant. In canone autem Apoſtolor. 37. legitur ſecundam anni ſynodum celebrandam eſſe* ὑπερβερεταίου δωδεκάτῃ, *id eſt*, duodecimo die Hyperberetæi. *Non convenire autem omnino Latinorum menſes cum Græcorum ſatis conſtat. Suidas quidem ſcribit, apud Macedonas Hyperberetæum eumdem eſſe, qui October. Galenus autem Pergami eumdem, qui September. Capitis 15. ejuſd. diſtin. hæc inſcriptio eſt: Item ex concilio Martini Papæ. Propter eccleſiaſticas cauſſas &c. Et in marg. eſt: Apud Martinum Bracarenſem Epiſcopum in cap. ſynod. Græc. cap. 18. Poly. l. 3. tit. 17. Et ad verbum* veniant, *additur*, procedant, *orig. Et in notis: Gratianus hoc primum citat nomine Martini Papæ, deinceps eodem nomine multa citaturus: quæ omnia ſumta ſunt ex libro capitulorum Græcarum ſynodorum Martini Epiſcopi Bracarenſis, (antiquitus enim Epiſcopi Papæ dicebantur.) Hic enim, cum eſſet Græcus, ad utilitatem eccleſiarum Hiſpaniæ, ubi Epiſcopatum obtinebat, ea capitula Latina fecit: & in nonnullis quædam addidit, in aliis vero reliqua detraxit, quemadmodum in hoc capite, quod ſumſit ex concilio Antiocheno c. 20. ſup. ead. c. propter. Aliqua etiam ex Toletanis conciliis in eum libellum retulit. Vel hi*) *In aliquot conciliorum editionibus legitur, ut eorum, qui ſe læſos exiſtimant, in concilio cauſſæ &c.*

(12) *Gratiani verba ſunt in Romano libro ante caput 3. Epiſcopo non licere. 8. q. 1. Sed in Antiocheno concilio hoc omnino fieri prohibetur: in quo*

c. 23.

c. 23. *ſic ſtatutum legitur. Et in marg. hæc ſunt Polyc. l.* 2. *tit.* 17. *Anſ. l.* 6. *c.* 37. *Burc. l.* 3. *c.* 185. *Ivo p.* 5. *c.* 301. *Et in notis: Judicia Epiſcoporum) In codicibus Gratiani etiam manuſcriptis ſequebatur,* & electione clericorum: *quæ ſunt expuncta, quia neque in originali, neque apud ceteros collectores leguntur. Cap.* 4. *inſcriptio eſt: Item ex concilio Martini Papæ c.* 8. *Epiſcopo non liceat &c. Et in marg. eſt: Id eſt, in capitulis Martini Bracaren. c.* 8. *Burc. l.* 3. *c.* 187. *Ivo p.* 5. *c.* 303. *utrique ex concilio Spalenſi.*

(13) *Inſcriptio capitis* 23. *Epiſcopus Eccleſiaſticar.* 12. *q.* 1. *in eod. libro hæc eſt: Item ex concilio Antiocheno c.* 25. *Et in marg. eſt: Et in Pariſienſi concil. l.* 1. *c.* 15. *Anſ. l.* 6. *c.* 163. *In notis eſt: Occulte res) In verſione Dionyſii legitur, ut per hujuſmodi perſonas occulte ceteri lædantur fratres eccleſiæ: (& in marg. al. ceteræ lædantur eccleſiæ) & concordat cum alia antiqua verſione, quæ & ipſa eſt in tomis conciliorum, ut per eorum ſecretam diligentiam eccleſiaſtici lædi videantur, Græce in codicibus qui lecti ſunt, habetur:* ὡς τὸ δι᾽ αὐτῶν, λεληθότως βλάπτεσθαι τοὺς λόγους τῆς ἐκκλησίας, *id eſt,* ut ex his rationes eccleſiæ latenter lædantur. *Capitis* 7. *Epiſcopus habeat.* 10. *q.* 2. *(quod nobis eſt* 8.*) inſcriptio eſt: Item ex concilio Martini Papæ c.* 16. *In marg. hæc ſunt: In capitul. Martini Bracaren. ex conc. Antioch. c.* 25. *Et* 12. *q.* 1. *Epiſcopus eccleſiaſticar. Et ad verbum* contaminaverit, *eſt additum,* ita minaverit, *eodem regius. Et in notis: Sin autem) In capitulis habetur,* ſimiliter: *ſed melior videtur lectio duorum vetuſtiorum Gratiani codicum,* ſin aliter *propius enim accedit ad Græcam concilii Antiocheni c.* 25. *unde hoc ſumtum eſt:* εἰ δὲ καὶ ἄλλως, *id eſt,* ſi autem & aliter, *ut inf.* 12. *q.* 1. *c. Epiſcopus Acta) Hæc vox in ſimili re habetur inf.* 12. *q.* 2. *Vulteranæ. Vulteranæ eccleſiæ actus, vel patrimonium, Græce eſt,* ἢ καὶ ἐξ ἑτέρας προφάσεως ἐκκλησιαστικῆς, *id eſt,* vel etiam ex qualibet alia cauſa & occaſione eccleſiaſtica. *Varietas numeri capitum hujus quæſtionis oritur ex cap. Hoc jus porrectum, quod nobis eſt tertium, in libro Romano pars cap.* 2.*)*

(14) *Capitis ſexti diſtin.* 63. *in eod. libro inſcriptio eſt: Item ex concilio Laodicenſi c.* 13. *Non eſt permittendum turbis &c. Et in marg. Burc. l.* 2. *c.* 8. *Ivo p.* 6. *c.* 28. *Anſel. l.* 6. *c.* 38. *al.* 43. *Deuſdedit p.* 1. *&* 4. *Capitis octavi hæc inſcriptio eſt. Item ex concilio Martini Papæ c.* 1. *Non licet populo &c. Et in margine: Apud Martin. Bracaren. c.* 1. *ſup. diſt.* 24. *c. Epiſcopi, & diſt.* 61. *Epiſcopum. Burch. l.* 1. *c.* 10. *Ivo p.* 5. *c.* 64. *Anſ. l.* 6. *c.* 8. *al.* 12.

(15) *Cauſa* 1. *quæſt.* 1. *caput* 66. *in eodem libro ita inſcribitur: Item ex concilio Laodicenſi c.* 32. *Non oportet hæreticorum benedictiones &c. In marg. hæc ſunt: Deuſdedit p.* 2. *&* 4. *Burc. l.* 3. *c.* 259. *Ivo p.* 3. *c.* 260. *Inſcriptio cap.* 67. *eſt hæc: Item ex concilio Martini Papæ c.* 70. *Non liceat clericis &c. Et in marg. In capitulis Martini Bracar.*

(16) *De conſecrat. diſtin.* 4. *cap.* 58. *in eod. libro inſcriptio eſt: Item ex concilio Laodicenſi c.* 46. *Baptizandos oportet fidei ſymbolum &c. Et in marg. Burch. l.* 4. *c.* 9. *Ivo p.* 1. *c.* 205. *In notis hæc ſunt: Fidei ſymb.) Eſt priſca verſio, & ſententiam ſat bene reddit. Hoc autem loco Græce eſt* τὴν πίστιν. *Capitis* 59. *inſcriptio eſt: Item ex concilio Martini Bracarenſis c.* 49. *Non liceat ante duas &c. Et in marg. in capit. ſynod. Græcar.*

(17) *Diſtin.* 3. *de conſecrat. cap.* 7. *inſcriptio in eodem libro eſt: Item ex concilio Martini Papæ Bracarenſis c.* 50. *Non liceat quinta feria &c. Et in margin. In capitul. Græcarum ſynodorum Inſcriptio capitis octavi eſt: Item ex concilio Laodicenſi c.* 50. *Non oportet in Quadrageſima &c. Et in marg. Et in* 6. *ſyn. c.* 29. *Burch. l.* 13. *c.* 8. *Ivo par.* 4. *c.* 41.

(18) *In eodem libro Gregoriano inſcriptio cap.* 10. *diſt.* 44. *eſt hæc: Item ex concilio Laodicenſi c.* 55. *Non oportet miniſtros altaris &c. ex ſymbolis, (quæ vulgus* commeſſalia *appellat) convivia celebrare. Et in marg. Conc. Aquiſgr. c.* 83. *Hab. in pœn. c.* 27. *Et ad illa verba* quæ vulgus *&c. additur, iſta ſunt addita loco cujuſdam gloſſæ. Inſcriptio capitis* 12. *eſt: Item ex concilio Martini Papæ c.* 61. *&* 66. *Non liceat ſacerdotes &c. In marg. eſt: Apud Martin. Bracar. Burch. l.* 2. *c.* 165. *Ivo p.* 6. *c.* 256.

(19) *Capitis octavi diſtin.* 95. *in eodem libro inſcriptio eſt: Item ex concilio Laodicenſi cap.* 56. *Non oportet presbyteros ante ingreſſum Epiſcopi ingredi, & ſedere in tribunalibus &c. In notis: In peregrinationis commodo eum abeſſe conſtiterit Sic priſca verſio: ſed Dionyſius longe propius ad verba Græca:* niſi forſitan infirmitate detineatur, aut proficiſcatur Epiſcopus, πλὴν εἰ μὴ ἀσθενοίη, ἢ ἀποδημοῖ ὁ ἐπίσκοπος. *Inſcriptio cap.* 124. *Omni tempore, de conſecr. diſt.* 4. *hæc eſt: Item ex concilio Martini Bracarenſis c.* 51. *& ſequentibus. Et in margin. Vide Moldon. cap.* 46. *Et verſ. Presbyter ſupra diſt.* 95. *presbyter. Et verſ. non liceat. diſt.* 95. *non oportet. Item in marg. cap.* 52. *& cap.* 51. *(quæ referuntur ad Martini capita.)*

D I A L O G U S XII.

De aliis Martini Bracarenſis capitibus, & de Gratiani erratis.

C. SUNT ne alia, quæ Gratianus ex Martini collectione referat, quaſi ex concilio Martini Papæ?

A. Sunt quidem non pauca, quæ tu facile in Antoniani libris invenies notata. Ego de illis ſum locutus, quæ bis poſita ſunt, tam ut ex Græco canone, quam ut Martini Papæ verba.

C. At in quibuſdam nihil notatum eſt, ut in hoc capite octavo cauſæ XXVII. (*a*) *Item ex concilio Martini Papæ, Viduas autem velare* &c.

A. Sumtum id caput non eſt ex Martini collectione, ſed ex concilio Triburienſi capite XXV. Idem error eſt in Panormia Ivonis. (*b*) Ex concilio Maguntino, Burchardus, (*c*) & Ivo in Excerptionibus. (*d*) Ex Aurelianenſi, Bernardus Papienſis, (*e*) & veteres Gregoriani libri, (*f*) alii ex Arelatenſi. Anſelmus, (*g*) ex Gelaſio. (1)

C. Quid illud de conſecr. diſt. quarta cap. XXII. (*h*) *Ex decreto Martini Papæ III. Quicumque presbyter* &c. Unde ſumptum eſſe dicemus?

A. Ex

(a) 27. *q.* 1. *c.* 8. *viduas.*
(b) *Ivo lib.* 3. *tit.* 17. *c.* 10. *paaor.*
(c) *Burch. l.* 8. *c.* 36.
(d) *Ivo par.* 7. *c.* 55. *dec.*.
(e) *C.* 6. *de regular. in* 2. *collect.*
(f) *C.* 4. *vidua, de regula.*
(g) *Anſel. lib.* 7. *c.* 200.
(h) *De conſec. d.* 4. *c.* 22. *quicumque.*

Digitized by Google

A. Ex decretis Martini Papæ capite III. habent Burchardus, (*a*) & Ivo, (*b*) & Anſelmus, (*c*) & liber Tarraconenſis, (*d*) & alter vetus Veronenſis. Sed mihi incertum adhuc eſt, cujus verba ſint. (2)

B. Quod Martinus Bracarenſis in præfatione collectiunis ait, ſe canones orientis reſtauraſſe ſimplicius & emendatius; quam verum ſit, ex eorum collatione ſatis conſtat. Sed & nuſquam in Græcis conciliis inveni multorum canonum ſententiam, ut ſunt cap. XXIX. XXX. & XXXI. quæ magis videntur ex conc. Toletano primo accepta cap. XIIX. XIX. & XVI. quam ex Græcis conciliis. Gratianus quædam ex his, ut ex concil. Martini Papæ refert, (*e*) quædam ut ex concilio Toletano: (*f*) Item Anſelmus, (*g*) ſine inſcriptione Capitularia. (*h*)

A. Ita eſt, ut dicis. Sumſit enim Martinus Epiſcopus pleraque ex eod. illo concilio Toletano, aut poſteri Martini collectioni ea inſeruerunt. (3) Sic Martini caput LXIV. ex Toletano cap. V. & Martini XXIII. ex capite ſecundo Toletano. Martini XLIII. & XLIV. ex capite tertio & quarto Toletano. Caput LI. & LII. ex Toletano XX. Ea quoque apud Gratianum invenies partim ut ex Martino Papa, (i) partim ut ex Toletano concilio (*k*) referri. Sunt alia, quæ unde ſumta ſint, ignoro. Ex quibus ſi quid eſt apud Gratianum, in Romana editione diſcere licebit. (4) Nunc ſi vobis videatur, de aliis erratis Gratiani videamus.

B. Vis ne tibi redigam in memoriam exempla quædam, ex quibus apparet, Gratianum ex ſingulari capite duo ejuſdem initii confeciſſe: aut eamdem ſententiam ex duabus interpretationibus eodem in capite retuliſſe: aut verbis alterius ſcriptoris partem alterius addidiſſe?

A. Non id quidem mihi ingratum erit, nec C. noſtro diſplicebit, quantum ex ejus nutu intelligo.

B. Aperi librum hunc C. & caput illud oſtende Gelaſii (*l*) cujus initium eſt, *Cuncta per mundum*, quod tamquam carmen neceſſarium diſcere ſoletis.

C. Ecce tibi locus patet. Quid dicis? an bis poſita eadem verba capite XVII. & XIIX.?

B. Id ipſum affirmo.

C. Ex inſcriptione utriuſque capitis videntur ex duabus Gelaſii epiſtolis eſſe ſumta hæc capita, quarum altera fuerit omnibus Epiſcopis miſſa, altera Epiſcopis Dardaniæ.

B. Hodie hæc ſola exſtat, ut etiam Democharcs notat. Sed fingamus in utraque eadem verba exſtitiſſe; quid opus erat, bis eadem conſcribi? præſtitiſſet ita inſcribere: *Gelaſius in epiſt. omnibus Epiſcopis miſſa, & in epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ.*

A. Vide, num id ex Ivonis Panormia, vel ex Anſelmi collectione, aut alia acceperit.

C. Apud Ivonem eſt: (*m*) *Ex decretis Gelaſii capite* IV. Apud Anſelmum modo, *Gelaſius Papa* tantum eſt: (*n*) modo, *Gelaſius Papa omnibus Epiſcopis*; (*o*) modo, *Dilectiſſimis fratribus univerſis Epiſcopis per Dardaniam conſtitutis Gelaſius*; (*p*) modo, *Gelaſius Epiſcopis Dardaniæ*: (*q*) In libro Tarraconenſi (*r*) eſt: *Gelaſius Epiſcopus omnibus Epiſcopis*.

A. Manifeſte apparet, varietatem hanc ſecutum fuiſſe Gratianum.

B. Mihi videtur, poſt illa, *omnibus Epiſcopis* deſiderari hanc vocem, *Dardaniæ*.

A. Placet, quod dicis. (5) Sed cetera perſequere.

B. Si quærarur caput, cujus initium eſt, *Quidam monachorum*, cauſſa, ut opinor, XIIX. (*ſ*) id inveniemus ſumtum eſſe ex quarto & octavo canone concilii Chalcedonenſis: & poſtremam ejuſdem capitis partem eſſe ejuſdem octavi canonis verba ex alia interpretatione.

C. Democharem invenio addidiſſe numerum quarti canonis initio ejuſdem canonis; & ad illa verba, *Item clerici in paræciis*, numerum cap. VIII.

A. Vide, num Gratianus alibi ex alio interprete eamdem referat ſententiam, & ante eum Anſelmus & Ivo, atque alii collectores.

C. Plura verba ejuſdem canonis quarti referunt Ivo in Panormia, & in Excerptionibus, (*t*) & Anſelmus, (*u*) & Gratianus, (*x*) item concilium Triburienſe, (*y*) & Capitularia. (*z*) Pauca verba capit. IIX. refert Anſelmus: (*a*) ſed ex duobus interpretibus ſumta inveni apud Ivonem parte VI. c. CCCLIIX. & CCCLIX. quæ non recte Gratianus conjunxit.

A. Pro voce, *paræciis* ſcribi debet, *ptochiis*, ex Græco fonte: [illegible] Sic poſtea eſt etiam apud Gratianum: *Clerici, qui pauperum diſpoſitioni*. In libro veteri Romano eſt: *Diſpenſationem pauperum.* (6)

B. Magni facinoris exemplum adferam, ſi evolvas C. librum, & oſtendas caput, cujus initium eſt, *Menam*, (*b*) ſumtum ex epiſtola quadam beati Gregorii. (*c*)

C. Inveni caput, quod flagitas.

B. Confer, ſi libet, id caput cum regiſtro beati Gregorii, & quære illa verba; *Purgationem tamen ante te* &c. Ea apud Gregorium nulla ſunt, ſed ſumuntur ex Alexandri Minoris epiſtola ad Rimaldum, vel potius Rainaldum Cumanum Epiſcopum, cujus epiſtolæ pars poſita eſt a Gratiano poſt alia tria capita: initium capitis eſt, *Super cauſſa Gillandi*. (*d*) Vide, quid Burchardus & Ivo ſcribant.

C. Apud Burchardum (*e*) Gregorii verba referri invenio, quæ ſunt ante vocem, *Purgationem*; item apud Ivonem parte quinta Excerptionum. (*f*) At parte decima (*g*) hæc ſunt: *Alexander ſecundus Rainaldo Cumano Epiſcopo. Super cauſſas Guillandi* &c. & poſt vocem, *beneficia*, habet: *purgationem tamen antea* &c. In Panormia (*h*) poſt verba Gregorii additur eadem inſcriptio, excepta voce *Rainaldi*, pro qua eſt, *Ramaldi*. Cetera omnia ut in Excerptionibus.

B. Eadem verba inventa ſunt in veteri libro Ivonis epiſt. LXIIX. vel LXXVII. ad Gildebertum, vel Hildebertum Cenomanenſem Epiſcopum.

A. Non dubium eſt, quin erratum ſit, vel a Gra-

(a) *Burc. lib.* 4. *c.* 47.
(b) *Ivo par.* 1. *c.* 248. *decret.*
(c) *Anſe. lib.* 9. *c.* 54.
(d) *Tarrac. l.* 1. *c.* 2.
(e) *Diſt.* 28. *c.* 12. *ſi qua.* & 27. *q.* 1. *c.* 26. *de filia.*
(f) 27. *q.* 1. *c.* 27. *devotam.*
(g) *Anſ. lib.* 10. *c.* 59. & *lib.* 11. *c.* 91.
(h) *Capit. lib.* 7. *c.* 294.
(i) *Diſt.* 34. *c.* 18. *lector* & *c.* 17. *ſi ſubdiaconus.* & *diſt.* 92. *c. ult.* & *diſtin.* 54. *c.* 7. *ſi quis obligatus,* & *de conſecrat. diſt.* 4. *cap.* 124. *omni tempore.*
(k) *Diſt.* 50. *cap.* 63. *placuit.*
(l) 9. *q.* 3. *c.* 17. & 18. *cuncta.*
(m) *Ivo lib.* 4. *tit.* 1. *c.* 8. *panor.*
(n) *Anſ. lib.* 1. *c.* 47. & 48.
(o) *Anſ. lib.* 2. *c.* 16.
(p) *Idem d. lib.* 2. *c.* 24.
(q) *Idem lib.* 12. *c.* 69.
(r) *Tarr. l.* 1. *c.* 283.
(ſ) 18. *q.* 2. *c.* 10. *quidam.*
(t) *Ivo lib.* 3. *tit.* 16. *c.* 2. *pan.* & *par.* 7. *c.* 1. *decret.*
(u) *Anſel. lib.* 5. *c.* 54.
(x) 16. *q.* 1. *c.* 12. *qui vero.*
(y) *Tribur. c.* 26.
(z) *Capitu. lib.* 5. *c.* 26.
(a) *Anſ. lib.* 5. *c.* 84. *in addit.*
(b) 2. *q.* 5. *vel* 4. *c.* 7. *Menam.*
(c) *Greg. lib.* 11. *epiſt.* 6. *c.* 8. *regiſtr.*
(d) *C.* 11. *q.* 9. *ſuper cauſa.*
(e) *Burc. lib.* 1. *c.* 196.
(f) *Ivo par.* 5. *c.* 311. *dec.*
(g) *Ivo par.* 10. *c.* 15. *decret.*
(h) *Ivo lib.* 5. *tit.* 1. *c.* 6. & 7. *panor.*

Gratiano; vel a librariis; quantum ex collatione cum regiſtro Gregorii, & cum Burchardo & Ivone conſtat. Et quod noſtri interpretes dicere ſolent, ex verbis Gregorii probari, coram rege, vel regina, vel alio ſæculari judice poſſe purgationem canonicam indici, falſum eſt. (7)

B. Quid de illis dices, quæ in conciliis falſo inſcripta a te inventa eſſe audivi: quorum bona

A pars ad inſcriptiones Gratiani falſas a veris diſcernendas pertinet?

A. In longum tu quidem ſermonem me vocas, cui totus dicandus ſit dies. Differamus ergo hæc in craſtinum, vel in perendinum diem; & primæ partis conciliorum fragmenta cum Gratiano & aliis conferemus.

C. Id ipſum avide exſpecto.

ADDITIONES:

(1) *IN editione Romana capitis octavi Viduas, 27. q. 1. inſcriptio eſt: Item ex concilio Martini Papæ. In notis additur: Abeſt caput hoc a nonnullis Gratiani exemplaribus. Burchardus, & Ivo citant ex concilio Moguntino c. 6. Habetur in concilio Triburienſi c. 25. In hoc autem capite, & duobus ſequentibus citantur decreta Gelaſii, ut ſunt in Codice canonum. In marg. Anſ. l. 7. c. 200. Bur. l. 8. c. 30. Ivo p. 7. c. 55. Pann. l. 3. c. 197. Item in notis: Gelaſii Papæ capitulo xiiii.) Sic eſt in Codice canonum: in epiſtola vero ejuſdem prima Epiſcopis per Lucaniam, eſt c. 15. ſicut paullo poſt, quod eſt in capitulo 21. in eodem codice; in epiſtola eſt c. 23. Nec autem) In concilio Triburienſi legitur: Qua auctoritate paternæ ſuffulti ſententiæ, in hoc ſacro conventu ſancimus, &c. Hæc vero eadem de vidua,* quæ ſibi ſponte velamen non conſecratum impoſuit, *habentur in Decretalibus c. vidua. tit. de regula. Quod in codicibus impreſſis citatur ex concilio Arelaten. In prima autem collectione, & vetuſtis codicibus Gregorianæ ex Aurelianenſi. Capitis 4. Vidua, de regular. inſcriptio eſt: Ex concilio Arelatenſi. Et in marg. hæc ſunt: Alias Aurelianenſi: ſed habetur in concilio Triburienſi c. 25. refert Burchardus lib. 8. cap. 36. Ivo par. 7. c. 55. & c. 6. eo tit. in 1. compilat. Quibus locis aliis conciliis tribuitur: ſed fortaſſis non recte.*

(2) *Capitis 22. de conſecrat. diſt. 4. in eodem libro inſcriptio eſt: Item ex decreto Martini Papæ iii. Quicumque presbyter &c. Et in marg. hæc ſunt al. Martiniani. Et Polyc. l. 3. tit. 10. Anſ. l. 9. c. 54. Burc. l. 4. c. 47. Ivo p. 1. c. 241.*

(3) *Diſt. 28. cap. 12. Si qua vidua Epiſcopi inſcriptio in eodem libro eſt: Item ex concilio Martini Papæ. Et in marg. Apud Martinum Bracar. c. 29. & conc. Tol. 1. c. 18. Inſcriptio capitis 26. De filia Epiſcopi. 27. q. 1. hæc eſt: Item ex concilio Martini Bracarenſis c. 30. Et in marg. Ex conc. Toletano 1. c. 19. Capitis 27. Devotam peccantem; inſcriptio eſt: Item ex concilio Toletano 1. c. 16. Et in marg. Et in capitulis Martini c. 31. Capitul. l. 7. c. 294.*

(4) *Verba Gratiani ſunt ante caput 17. Si ſubdiaconus, diſt. 34. in eadem editione: Sed poſtea temporum defectui condeſcendens Papa Martinus in minoribus ordinibus eos conſtitui permiſit, non regulam præfigendo dicens. Et in marg. hæc ſunt: Apud Martinum Bracar. c. 44. ex concil. Toletano 1. c. 4. Et ad verba, non regu. præf. additur: Hæc verba abſunt ab aliquot exemplaribus. Inſcriptio capitis 18. eſt hæc: Unde Martinus Papa ait: Lector ſi viduam &c. Et in marg. Ibid. c. 43. ex concil. Tolet. 1. c. 3. Capitis ultimi diſt. 92. inſcriptio eſt: Unde in concilio Martini Papæ legitur: Si quis presbyter &c. Et in marg. In capitul. Martini Bracar. c. 64. ex Tolet. 1. c. 5. Inſcriptio capitis 7. Si quis obligatus, diſt. 54. hæc eſt. Item ex concilio Martini Papæ (id eſt, ex cap. Martini Epiſcopi Bracarenſis c. 46.) Et in marg. Ex concil. Tolet. 1. c. 10. Inſcriptio cap. 124. de conſecr. diſt. 4. relata eſt addit. 19. dial. 11. Ante caput 68. Romanis, quod nobis eſt 67. diſt. 50. hæc Gratiani verba ſunt: Probatur etiam auctoritate Toletani concilii primi, hujuſcemodi pœnitentes ad clerum non admittendi: in quo capite 2. ſic ſtatutum eſt. Placuit, ut pœnitentes &c. Et in marg. In c. Martin. Brac. c. 23. Polyc. l. 2. tit. 31. Burch. l. 2. c. 37.*

B *Anſel. l. 7. c. 31. Ivo p. 6. c. 138. Pann. l. 3. c. 61. Ad vocem* epiſtolam *additur, al.* Apoſtolum, *orig. Ad vocem* Eum, *additur, Expœnitentem) in capitul. Mart. Brac. Ad vocem* cilicio, *additur, al.* concilio.

(5) *Inſcriptio capitis 17. cauſæ 9. q. 3. in eodem libro hæc eſt: Idem (Gelaſius) omnibus Epiſcopis. Cuncta per mundum novit eccleſia &c. Et in marg. hæc ſunt: In epiſt. ad Epiſcopos per Dardaniam conſtitutos. Polyc. l. 1. tit. 8. Anſ. l. 1. c. 47. & l. 2. c. 16. & 24. Pann. l. 4. c. 9. Et in notis: Omnia, quæ in hoc capite leguntur, habentur in epiſt. Gelaſii ad Epiſcopos per Dardaniam, ſed non eodem*
C *ordine compoſita. Caput autem ſequens, in quo multa hujus ipſius capitis verba continentur, in eadem epiſt. eod. prorſus modo habetur. Itaque fieri poteſt, ut ex alia epiſt. caput hoc ſumtum ſit, quæ non extet: aut Gratianus hæc duo tamquam diverſa capitula referat, quod apud antiquiores etiam collectores diſtincta repererit. In epiſtola etiam Nicolai ad Epiſcopos Galliæ, quæ nuper eſt impreſſa in appendice bibliothecæ, hoc citatur ex Gelaſio. Capitis 18. inſcriptio eſt: Idem Epiſcopis per Dardaniam conſtitutis.*

(6) *Capitis 10. quidam monachorum. 18. q. 2. in eodem libro inſcriptio eſt: Unde in Chalcedonenſi con-*
D *cilio c. 4. legitur. Et in marg. ed: Ivo p. 7. c. 1. Pann. l. 3. c. 174. Et in notis: Quomodo verſio hujus capitis uſque ad verſ. Clerici primo, eſt alia ab iis quæ circumferuntur in conciliorum codicibus, licet apud Ivonem, & in Panormia idem fere ſit ſenſus. Placuit afferre verba Græca, & novam interpretationem. Οἱ ἀληθῶς &c. Qui vere & ſincere &c. Et verſ. Clerici in ptochiis &c. additur in contextu; Item c. 8. Et in marg. Ivo par. 6. c. 358. Polyc. l. 4. tit. 34. Et in notis. Ptochiis) Sic in nonnullis vetuſtis codicibus Gratiani & Vaticano conciliorum & in verſione priſca (ex qua videtur eſſe hic verſiculus,) & eſt in canonis Græci. In vulgatis au-*
E *tem Gratiani, & aliquot libris conciliorum eſt, parochiis. Pro perſonarum ordinatione) Sic in eadem priſca, ſed in canone Græco, & in verſione Dionyſii Exigui nihil eſt, quod his verbis reſpondeat. Et verſ. Item Clerici, qui pauperum, additur in marg. eodem c. 8. ex alia verſione. Ivo ibid. c. 359. Et in notis: Item clerici) Eſt idem, quod in proximo ſuperiore paragrapho, ſed ex alia verſione, quæ non exſtat in conciliorum voluminibus: atque hanc eandem repetitionem licet animadvertere apud Ivonem par. 6. c. 358. & 359. Inſcriptio cap. 12. Qui vere. 16. q. 1. eſt: Item ex concilio Chalcedonen. c. 4. Et in marg. Concor. capitul. l. 5. c. 25. Polyc. l. 3.*
F *tit. 1. & l. 4. tit. 34. Anſ. lib. 5. c. 54. Ivo p. 7. c. 1. Pann. l. 3. c. 174. Et in notis: Honore) Sequitur continenter. Quidam monachor. infra 18. q. 2. quod eſt ex eadem priſca verſione, atque caput hoc.*

(7) *In eodem libro inſcriptio capitis ſeptimi, Mennam 2. q. 5. hæc eſt: Item ex eodem (regeſto) ad Brunichildam reginam Francorum lib. 11. epiſt. 8. & in marg. Polyc. ibid. (hoc eſt, l. 6. tit. 11.) Burc. l. 1. c. 196. Ivo p. 5. c. 311. Pann. l. 5. c. 6. Et in verſ. Purgationem, eſt in marg. Alex. II. Rainaldo Epiſcopo. Ivo p. 10. c. 15. Pann. l. 5. c. 8. Et in notis: Purgationem) Hic erat graviſſimus error. Conjuncte enim hæc legebantur cum ſuperioribus quæ Brunichildæ ſunt ſcripta: quaſi purgatio*

Ooo *pres-*

preſbyteri a B. Gregorio mulieri committeretur. Sed nil tale legitur in epiſtola B. Gregorii, ex qua prior pars hujus capitis eſt accepta. Verum Ivo pag. 10. c. 8. & Pann. l. 5. c. 8. citant hoc ex epiſtola Alexandri ſecundi Raynaldo Camano Epiſcopo, cujus epiſtolæ initium eſt, infra eodem cap. ſuper cauſa. Et hic verſiculus: Purgationem, continenter legendus eſt poſt extrema verba illius capitis. Ac propter citationes doctorum hinc quidem motus non eſt: ſed additum eſt in margine nomen Alexandri ſecundi. Ita nihil loci relinquitur admirationi auctoris gloſſæ. Nuſquam enim Romani Pontifices hujuſmodi cauſſas mulieribus legantur commiſiſſe. Capitis undecimi inſcriptio eſt: Item Alexander Raynaldo Cumano Epiſcopo Super cauſa Gaillandi preſbyteri &c. Et in marg. Pann. lib. 5. cap. 7. Ivo pag. 10. cap. 15. & in epiſt. ad Vildebertum Cenomanenſem. Et in notis: Beneficia) In epiſtola hoc loco ſequitur verſ. Purgetionem ſap. ead. c. Mennam, ut ibi notatum eſt.

DIALOGUS XIII.

De Falſis inſcriptionibus apud Gratianum, & de fragmentis quibuſdam conciliorum & epiſtolarum Pontificiarum.

C. ET libros conciliorum attulimus, & Gratiani, & Burchardi, & aliorum, ut juſſeras: tempus eſt, ut de falſis inſcriptionibus, & de fragmentis, quod promiſeras, explanes. Sed principio ſcire velim, quænam ſint hæc fragmenta, & qua auctoritate collecta.

A. Fragmenta de quibus acturi ſumus, ea ſunt quæ in tribus Colonienſibus editionibus conciliorum, poſt ſingula concilia, & poſt ſingulorum Pontificum epiſtolas conſcripta ſunt. Ea nulla publica collecta ſunt auctoritate; ſed ex Ivonis Panormia, & Gratiano & aliis incerti nominis libris privato conſilio collector poſuit, ut lectores juvaret; ne quid deſideraretur, quod alicubi illius concilii, vel Pontificis nomine ſcriptum eſſe appareret.

B. Incerti nominis libros appellas, opinor, volumina illa Decretorum, quinque, trium, & ſexdecim librorum quos Colonienſes referunt.

A. Ita eſt, ut exiſtimas.

B. Cum incerti ſint, carent auctoritate.

A. Quid ſi fragmenta eſſent Burchardi, aut Ivonis, quanam auctoritate fungerentur?

B. Qua Gratianus & ceteri, qui tot acervos decretorum & canonum collegerunt: nihil pæne ex ipſis fontibus haurientes.

A. Multa ex his inveni apud Burchardum ut mox dicemus. Nunc ordinem temporum, & horum librorum ſequentes, de ſingulis videamus. Poſt Clementis Papæ epiſtolas fragmentum editum eſt a Gratiano ſumtum, (a) cujus initium eſt, *Sacerdotum, aliorumque clericorum*. Non Clementis eſt, ſed Eugenii Minoris in ſynodo Romana cap. xxxiii. (1) Poſt Anacleti epiſtolas id fragmentum, cujus initium eſt, *Juxta ſanctorum patrum*, non Anacleti eſt, ſed Zachariæ in ſynodo Romana cap. iv. Gratianus (b) Anacleto & Zachariæ tribuit. (2) Poſt Pii epiſtolas plura fragmenta ſunt, quorum aliqua ſuis dominis reſtituemus. Juliani Anteceſſoris eſt Novella lxxvii. fragmentum, cujus initium eſt, *Si quis per capillum*; licet Burchardus, (c) Ivo, (d) Anſelmus, (e) & Gratianus, (f) & liber Tarraconenſis, (g) Pio adſcribant. Ivo tamen utrique tribuit. (h) (3) Ex concilio Toletano xi. cap. xiii. eſt fragmentum, cujus initium eſt, *Communiter definimus*; licet Burchardus, (i) & Ivo, (k) & Gratianus (l) Pii eſſe ſcribant. (4) Aliud, cujus initium, *Ut de oblationibus* ex codice quinque librorum ſumtum, concilii Nannetenſis eſt capite ix. licet Pio adſcripſerint Burchardus, (m) Ivo, (n) & Anſelmus, (o) & Hiſpalenſi concilio liber Cæſarauguſtanus lib. xi. cap. xxv. Quod vero extremo loco refertur, *Petiſtis per Hilarium* &c. Gregorii eſt libro 1. epiſt. lxxv. & hujus pars eſt aliud fragmentum, cujus initium, *Conſuetudinem laudamus*. Utrumque Pio adſcribunt Burchardus, (p) & Ivo. (q) Sed Gratianus (r) altero prætermiſſo, alterum Auguſtino adſcribit ad Caſulanum preſbyterum. Non fugit hoc Democharem. (5)

C. Habeo illa, quæ me efficient cautiorem, ut non facile fidem habeam Gratiano, aut ceteris dicentibus hæc Pii eſſe, illa Anacleti, alia Clementis, aut aliorum. Sed numquam putaſſem eodem morbo affecto Burchardum, Ivonem, & ceteros antiquiores. Illud etiam fieri poſſe credebam; ut id ipſum, quod Pio, aut ceteris adſcribunt, in aliqua epiſtola ſit, quæ hodie non exſtet. Et quamvis eadem verba, aut eamdem ſententiam apud alios inveniamus; fieri poteſt, ut poſterior a priori hoc ſumſerit.

B. Non tibi tot exemplis ſatis probatum eſt, nihil hos collectores certi adferre?

A. Plura vobis exempla referam, Soteris Papæ fragmentum, cujus initium eſt, *Ut illud divini*; ex concilio Toletano xi. eſt capit. xiv. licet Burchardus, (ſ) & Ivo, (t) & Palea (u) Soteris eſſe ſcribant. At Gratianus (x) recte, ex concilio Toletano xi. Ejuſdem fragmenti pars, *Cenſuimus ergo convenire*, eſt ex concilio Toletano vii. capite ſecundo: idque recte eſt apud Burchardum, (y) & Ivonem, (z) & Gratianum (a) male in conciliis. (6) Aliud fragmentum incipit, *In cœna Domini*; id non Soteris eſt, ſed concilii Cabilonenſis ii. ſub Carolo Capit. xlvii. licet Burchardus, (b) & Ivo,

(a) *De conſecrat. diſt. 2. c. 30. ſacerdotum.*
(b) *Diſt. 93. c. 4. juxta.*
(c) *Burch. lib. 12. c. 15.*
(d) *Ivo par. 12. c. 72. decret.*
(e) *Anſ. lib. 11. c. 66.*
(f) *22. q. 1. c. 10. ſi quis.*
(g) *Tarr. lib. 2. c. 242.*
(h) *Ivo d. c. 72. & c. 32. c. partis.*
(i) *Burc. lib. 3. c. 72.*
(k) *Ivo par. 3. c. 125. dec.*
(l) *Diſt. 33. c. 3. communiter.*
(m) *Burc. lib. 5. c. 27. & 28.*
(n) *Ivo par. 2. c. 37. dec.*
(o) *Anſ. lib. 7. c. alt.*
(p) *Burc. lib. 3. c. 124.*
(q) *Ivo lib. 2. tit. 12. c. 21. pan. & par. 4. c. 66. decret.*
(r) *Diſt. 12. c. 6. conſuetudinem.*
(ſ) *Burc. lib. 3. c. 73.*
(t) *Ivo par. 2. c. 126. decret.*
(u) *De conſecr. d. 1. cap. 37. ut illud.*
(x) *7. q. 1. c. 25. illud.*
(y) *Burc. d. lib. 3. c. 70.*
(z) *Ivo par. 2. c. 124. decret. & epiſt. 120. ad Galterum Belvacem.*
(a) *D. q. 1. c. 16. nihil.*
(b) *Burch. lib. 5. c. 20.*

& Ivo, (*a*) & Gratianus (*b*) Soteri inſcribant. Sine nomine extat in Capitularibus. (*c*) (7) Poſt Fabiani Papæ epiſtolas fragmentum exſtat, cujus initium eſt, *Decernimus*, ut in omnibus ex codice XVI. librorum: concilii Matiſconenſis II. verba ſunt cap. XV. non Fabiani, ut Burchardus, (*d*) & Ivo (*e*,) ſcribunt. Poſt Cornelii Papæ epiſtolas fragmentum, cujus initium eſt, *Quod ad nos atti-net*, ſumitur ex epiſtola tertia Cypriani ad eumdem Cornelium. Mendoſe apud Gratianum (*f*) ex Cornelii ad Cyprianum. (8) Aliud, cujus initium, *Honeſtum etiam videtur*; non Cornelii eſt, ut Burchardus, (*g*) Ivo, (*h*) Anſelmus, (*i*) & Gratianus (*k*) ſcribunt: ſed Capitularium Caroli lib. I. c. LXIII. quod Ivo alibi refert. (*l*) Eſt autem initium ejus capitis LXIII. *Habemus in lege Domino præcipiente*, quod Hieronymo non recte adſcribunt Burchardus (*m*) & Ivo (*n*) & Gratianus. (*o*) (9) Quod ſequitur: *Et ut pueri ante annos* XIV. *non cogantur jurare*, Burchardus, Ivo, Anſelmus, & Gratianus non ſeparant a verbis prioris fragmenti, *Honeſtum eſt*. In Capitularibus hæc verba ſunt: *Et ut parvuli, qui ſine rationabili ætate ſunt, non cogantur jurare, ſicut Gunebodigni faciunt.*

C. Quid ea vox ſignificat? Finge hoſtes quoſdam Caroli Magni fuiſſe.

B. Mei quoque hoſtes erunt, quoad eorum mentionem alibi inveniam.

A. Ivo in Panormia verba Capitularium refert, quibuſdam exceptis, cum hac inſcriptione, *Capitulorum libro primo cap.* IX. *Parvuli, qui* &c. & mox; *Ex dictis Cornelii Papæ cap.* V. *in concilio Eliberitano. Pueri ante* XIV. *annos non cogantur jurare*. Idem Ivo in Excerptionibus (*p*) priora verba cum hac inſcriptione refert: *Capitularium libro* I. *capite* IX. *Parvuli* &c. Et Gratianus (*q*) ita ſcribit: *In primo libro Capitularium ſic invenitur definitum. Parvuli* &c. *Item ex concilio Eliberitano. Pueri ante* &c. In libro Cæſarauguſt. (*r*) ita ſcriptum eſt. *Ex libro* I. *Capitul. Parvuli* &c. (10) Tria Lucii Papæ fragmenta Clementi reſtituenda ſunt, ut Demochares animadvertit. Sunt autem in epiſtola ſecunda Clementis. Initium primi, *Miniſtris altaris*: quod recte Ivo, (*ſ*) & liber Cæſarauguſtanus (*t*) Clementi adſcribunt. Initium ſecundi, *Clericus ſolus*; quod Ivo, (*u*) & Anſelmus (*x*) recte etiam eidem tribuunt. Tertii initium eſt: *Sed ſi forte aliqua*; quod ab eiſdem Clementis eſſe dicitur. Duo priora Gratianus (*y*) Lucio, tertium Palea (*z*) adſcribit. (11) Quod Xyſto minori adſcriptum eſt, cujus principium fuit, *Si quis clericus ſuper quibuslibet criminibus*, recte Eleutherio adſcribit Ivo in Excerptionibus parte VI. cap. CCCXIIX. & Anſelmus libro tertio capite XXIIX. Felicis quoque non male eſſe dicitur ab eodem Ivone cap. CCCXXIX. ejuſdem partis. Idem habet Julius in epiſt. IS. ad orientis Epiſcopos cap. XXV. ex concilio Nicæno, item Hadrianus ad Ingelramnum capite VIII. & interpres Novellæ Valentiniani, & Marciani, *Neminem exhiberi*; & Capitularia: (*a*) Gratianus Sixti nomen adſcripſit. (*b*) (12)

Ivo lib. 8. tit. 8. cap. 17. & 18. pano.

B. Multos tu quidem adfers in notis ad Hadrianum horum, & aliorum verborum adſertores: ſed impedita res eſt, & quæ non facile explicari poteſt; quo pacto quæ a poſterioribus Imperatoribus ſtatuta ſint, ea ab illis Pontificibus conſtituta eſſe dicantur, qui ſub duro paganorum imperio antea vixerunt.

A. Multa ſunt, quæ temporum vetuſtas ſcire nos impedit, in quibus hoc ipſum enumeremus. Multa certa eſſe creduntur, quæ falſa eſſe poſſunt: ut alia falſa credimus, quæ vera eſſe poſteri fortaſſe cognoſcent. Nihil vetat credere, Chriſtianos Imperatores piis Pontificum decretis ſubſcripſiſſe.

B. Perge tu, quod cœperas.

A. Eutychiano Papæ quædam falſo adſcribuntur. Ut illud eſt, cujus initium, *Nihilominus etiam*: & aliud, cujus initium eſt, *Statuimus*: quæ Burchardus, (*c*) & Ivo; (*d*) & Gratianus (*e*) Eutychiano tribuunt. Sunt autem verba concilii Pariſienſis ſub Ludovico & Lothario lib. I. cap. XLIII. (13) Quod ſequitur, *Prædicandum eſt etiam*; Theodulphus Epiſcopus ad presbyteros Aurelianenſes cap. XXVI. ſibi vindicat. Burchardus, (*f*) Ivo, (*g*) Anſel. (*h*) & Gratianus (*i*) Eutychiano inſcripſerunt. (14) Sic etiam ejuſdem Theodulfi verba ſunt cap. XIII. ad eoſdem preſbyteros, fragmenti verba, cujus initium eſt, *Obſervandum eſt nobis*; licet Burchardus, (*k*) & Ivo (*l*) Eutychiani eſſe dicant. Eſt autem animadvertendum, convenire numeros capitum Eutychiani apud Burchardum, & Theodulfi. Nam quod ſupra diximus eſſe Theodulfi c. XXVI. id Burchardus ait eſſe Eutychiani cap. XXVI. & quod poſtea Theodulfi eſt cap. XIII. ille Eutychiani eſſe ait cap. XIII. Sed & conveniunt numeri in conciliis relati ex libro XVI. librorum cum Burchardi numeris. Quæ enim fragmenta ex eo libro refert, eadem habet Burchardus ſub iiſdem numeris. Namque fragmentum *Magnum malum ebrietatis*, quod concilio Maguntino cap. XLVI. reſtituendum eſt, habet Burchardus lib. XIV. cap. II. Et fragmentum *Epiſcopi, & Dei miniſtri*: quod eſt concilii Remenſis cap. XIIX. habet Burchardus cap. III. ejuſdem libri. Et hoc fragmentum *Obſervandum*, quod Theodulfi eſſe diximus, habet Burchardus c. X. ejuſdem libri. Ita fit, ut quæ ex codice ſexdecim librorum in conciliis Colonienſis editionis ſumta eſſe dicuntur, facile apud Burchardum inveniamus. Ivo Carnotenſis Burchardi opiniones in Excerptionibus ſequi ſolet. Sic eoſdem numeros Eutychiani capitum refert, & eaſdem inſcriptiones. Fragmentum illud, cujus initium eſt, *Magnum malum*: Eutychiano adſcribit Pœnitentiale Romanum titulo V. cap. I. ſed eſt, ut dixi, concilii Maguntini. Habet ne Gratianus eadem verba, aut aliorum fragmentorum poſt illud Theodulfi c. XXVI.!

Ivo par. 12. c. 17. & par. 13. c. 70. & 71. & 78. decr.

A. Non memini ea legiſſe me apud Gratianum. Sed ſurgamus; alia enim urgent.

(a) *Ivo par. 2. c. 30. dec.*
(b) *De conſecr. d. 2. c. 17. in cana.*
(c) *Capit lib. 7. c. 68. in addit.*
(d) *Burch. lib. 5. c. 24.*
(e) *Ivo par. 2. c. 34. dec.*
(f) *Diſt. 47. c. ult.*
(g) *Burc. lib. 12. c. 12.*
(h) *Ivo lib. 8. tit. 8. c. 32. panor. & par. 12. c. 69. decr.*
(i) *Anſ. lib. 11. c. 64.*
(k) *22. q. 5. c. 16. honeſtum.*
(l) *Ivo d. par. 12. c. 33.*
(m) *Burch. lib. 12. cap. 2.*
(n) *Ivo par. 12. c. 59. decr.*
(o) *22. q. 1. c. 12. habemus.*
(p) *Ivo par. 12. c. 23. decret.*
(q) *21. q. 5. c. 14. parvuli & c. 15. pueri.*
(r) *Caſ. lib. 6. cap. 16.*
(ſ) *Ivo par. 6. c. 87. dec.*
(t) *Caſ. lib. 8. c. 59.*
(u) *Ivo d. par. 6. c. 89.*
(x) *Anſ. lib. 7. c. 139.*
(y) *Diſt. 81. c. 19. miniſtri, & c. 20. clericus.*
(z) *C. 28. ſed ſi. eo diſt.*
(a) *Capit. lib. 7. c. 244. in addit.*
(b) *3. q. 6. c. 27. ſi quis.*
(c) *Burc. lib. 8. c. 27.*
(d) *Ivo lib. 3. tit. 17. c. 7. panor. & par. 7. c. 38. decr.*
(e) *20. q. 2. c. 3. ſtatuimus.*
(f) *Bu. c. lib. 12. c. 24.*
(g) *Ivo par. 12. c. 78. decret.*
(h) *Anſ. lib. 11. c. 65.*
(i) *22. quæſt. 1. c. ult.*
(k) *Burch. lib. 14. cap. 10.*
(l) *Ivo par. 13. c. 78. decret.*

ADDITIONES.

(1) DE conſecrat. diſtin. 2. c. 30. Sacerdotum, in editione Romana inſcriptio eſt: Item Clemens Papa. Et in notis hæc ſunt: Exſtat caput hoc in ſynodo Eugenii ſecundi (ex quo etiam citat Anſelmus) itemque in ſynodo Leonis quarti c. 33. & in 7. libro Capitul. c. 278. Et in margine: Concor. 9. ſyn. c. 69. Turonicam 2. c. 4. extra de vita, & honeſt. cler. c. 1. Anſel. l. 5. c. 78. Ad extremum verbum, exercere additur in margin. al. exerceri, al. celebrari. Capitis primi de vita; & hon. cler. inſcriptio eſt: Ex concilio Maguntino. Et in marg. additur: c. 13. ut refert Burchardus lib. 2. decr. c. 102. & Ivo par. cap. 137. Sed Antonius Auguſtinus in notis antiquæ compilationis cap. 1. eod. tit. ait, hoc cap. in conciliis eſſe ex concilio Turonenſi 2. c. 4.

(2) Capitis quarti diſtin. 93. in eodem libro inſcriptio eſt: Unde Anacletus, & Zacharias Papa. Juxta ſanctorum patrum &c. Et in marg. Leo epiſt. 4. c. 7. Polyc. l. 4. tit. 25. Anſ. l. 6. cap. 164. Et in notis: Hic eſt canon quartus ſynodi Romæ habitæ ſub Zacharia Papa, quæ exſtat in bibliotheca Vaticana, ex qua nonnulla ſunt in hoc capite emendata.

(3) Inſcriptio capitis decimi, Si quis per capillum. 22. q. 1. in eod. libro hæc eſt: Item Pius Papa. In margine hæc ſunt: Burch. l. 12. cap. 15. Anſ. l. 11. cap. 71. Ivo par. 12. cap. 72. Et pro voce acerrime, eſt in marg. al. a ſynodo, Bur. In notis: Simillima his habentur novella 77. apud Julianum antecessorem: ſed non prorſus eadem. Quare apud Ivonem novellæ locus affertur par. 12. c. 32. hoc autem cap. refertur c. 72. ex Decretis Pii, quemadmodum & apud Burchardum.

(4) Ante caput tertium, Communiter definimus, diſtin. 33. in eodem libro inſcriptio eſt: Item Pius Papa, & in marg. hæc ſunt: Burc. l. 3. cap. 72. Ivo p. 2. c. 125. Polyc. l. 4. tit. 31. In extremo cap. ad vocem liberati, additur, alieni) ceteri collectores.

(5) In eodem libro diſtin. 11. capitis ſexti inſcriptio hæc eſt: Item Pius Papa I. in decretis decreto ſeptimo. Conſuetudinem laudamus &c. Et in marg. eſt: Burc. l. 3. c. 124. Anſ. l. 4. c. 42. Ivo p. 4. c. 66. Pann. l. 2. c. 157. Polyc. l. 3. tit. 23. Et in notis: Verba hujus capitis, quod antea tribuebatur B. Auguſtino, leguntur in editione conciliorum Colonienſi tribus tomis inter decreta Pii I. decreto ſeptimo, & in epiſtola ejuſdem Pii ex codice ſexdecim librorum lib. 3. capite 19. quam etiam citant Burchardus, Ivo, & auctor Pannormiæ: cujus tamen epiſtolæ omnia fere verba habentur 1. lib. regeſti B. Gregorii (qui citatur in Polycarpo) epiſt. 75. & ea, quæ ad hoc caput pertinent, referuntur infra diſt. 12. cap. Nos conſuetudinem. Ejus capitis, quod octavum eſt, diſt. 12. inſcriptio eſt: Item Gregorius univerſis Epiſcopis Numidiæ lib. 1. epiſt. 75. Et in marg. ſup. diſt. 11. c. conſuetudinem. Ivo p. 4. cap. 204.

(6) De conſecrat. diſtin. 1. cap. 58. in libro Romano inſcriptio eſt: (Item ex decretis Soteris Papæ) Palea. Ut illud divini oraculi &c. Et in margin. hæc ſunt: 7. q. 2. illud, in concilio Toletano 11. c. 14. Burch. l. 3. c. 73. Ivo par. 2. c. 126. Capitis 15. Illud divini. 7. q. 1. inſcriptio hæc eſt: Unde in concilio Toletano xi. c. 14. Et in marg. eſt: De conſ. diſt. 1. ut illud. Burch. l. 3. c. 73. Ivo p. 2. c. 126. Et in notis: Illud) In conciliis impreſſis legitur, Et illud. In codice vero Lucenſi regio, Væ illud. In duobus autem Vaticanis, Ut illud: & ſic eſt infra de conſec. diſt. 1. c. Ut illud, & apud Burch. & Ivonem. Capitis 16. inſcriptio eſt: Item ex concilio Toletano ſeptimo c. 2. Nihil contra. In marg. Burc. l. 3. c. 70. Ivo p. 2. c. 124.

(7) Capitis 17. In cœna Domini, de conſecrat. diſt. 2. in eodem libro inſcriptio eſt: Item Soter Papa ait. Et in marg. hæc ſunt: In Cabilon. 2. c. 47. Polyc. ibid. (hoc eſt, l. 3. tit. 16.) Burch. l. 5. c. 20. Ivo par. 2. c. 30.

(8) Diſtin. 47. cap. extremi inſcriptio eſt in libro Gregoriano: Item Cyprianus l. 1. epiſt. 3. Cornelio Papæ. Quod ad nos attinet &c. In caſa. Oſtendit Cornelius Papa in hoc cap. &c. (non recte.)

(9) Inſcriptio capitis 16. Honeſtum 22. q. 5. in eodem libro eſt: Item Cornelius Papa. In marg. eſt: Burch. l. 12. c. 12. Ivo par. 12. c. 69. & 33. Pann. l. 8. c. 120. Et in notis: Ceteri etiam collectores citant ex decretis Cornelii Papæ. Exſtat autem libro primo Capitularium c. 63. nonnullis prætorea verbis interjectis. Et inde refert primam hujus capitis partem Ivo c. 33. Inſcriptio cap. 12. Habemus in lege Dei 22. q. 1. hæc eſt: Item Hieronymus. In marg. hæc ſunt: Capitul. l. 1. c. 63. Burch. l. 12. c. 2. Ivo par. 12. c. 59. In notis: Burchardus, & Ivo citant ex dictis Hieronymi, apud quem non eſt inventum: ſed in Capitularibus l. 1. c. 63.

(10) Gratiani verba ſunt ante caput 14. Parvuli. 22. q. 5. in eodem libro de ætate vero Jurantium &c. De quo in primo libro Capitularium c. 63. ſic invenitur definitum: Parvuli, qui ſine rationabili ætate ſunt, non cogantur jurare, ſicut Gunebodigni faciunt &c. In marg. eſt Ivo par. 12. c. 23. Pann. lib. 8. c. 103. In notis: Sicut Gunebodigni faciunt) Addita hiſthæc (ſcribe, iſthæc) ſunt ex originali. Inſcriptio capitis decimi quinti e. q. Item ex concilio Elibertano. Pueri ante annos xiv. &c. Et in marg. Burc. l. 12. c. 26. Ivo par. 12. c. 81. Pann. l. 8. c. 104. & 105. In notis: Burchar. hoc citat ex concilio Hibernenſi: ut alia, quæ concilio Eliberitano tribuuntur.

(11) In eodem libro inſcriptio capitis 19. Miniſtri altaris, diſt. 81. hæc eſt: Item Lucius Papa. In marg. eſt: Habetur in epiſtol. 2. Clementis ad Jacobum fratrem Domini. Anſ. l. 8. c. 2. Polyc. l. 4. tit. 31. Ivo par. 6. c. 87. Inſcriptio cap. 20. Clericus ſolus, e. diſt. eſt; Idem. In marg. hæc ſunt: Clemens Papa ibid. paullo inferius. Ivo par. 6. c. 89. Anſ. lib. 7. cap. 147. Polyc. l. 4. tit. 31. Inſcriptio cap. 21. eſt: (Idem) Palea. Sed ſi forte aliqua &c. In marg. Clemens ibid. continuatur. Polyc. ibid. In notis: Hæc Palea in pleriſque vetuſtis exemplaribus habetur conjuncta capiti antecedenti.

(12) Capitis 17. Si quis clericus 3. q. 6. in eodem libro inſcriptio eſt: Item Sixtus. In marg. hæc ſunt: Eleutherius ad Galliæ provin. Felix I. epiſt. 1. in decretis Julii c. 25. In cap. Hadriani c. 7. Ivo p. 6. c. 318. & 319. In notis: Caput hoc, quod citatur ex Sixto, in nulla epiſtola Pontificum hujus nominis eſt inventum. In aliquot vetuſtis exemplaribus eſt tantum, Item, ut videatur citari eadem ſynodus Romana, quæ in ſuperiori capite, id eſt, quæ continetur in capitulis Hadriani. Ivo autem par. 6. c. 318. citat ex Eleutherio; cap. autem 329. citat ex Felice primo.

(13) Inſcriptio capitis tertii Statuimus. 20. q. 2. in eodem libro hæc eſt: Unde Eutychianus Papa ait. In margin. eſt: Conc. Pariſ. l. 1. c. 43. & Capitul. l. 1. c. 76. concor. Burch. l. 8. c. 17. Ivo p. 7. c. 38. Pann. l. 3. c. 194.

(14) Eſt etiam capitis extremi 22. q. 1. in eodem libro inſcriptio: Unde Eutychianus Papa. Prædicandum eſt etiam &c. In marg. eſt: Polyc. l. 6. tit. 11. Anſ. l. 11. c. 71. Burch. l. 12. c. 14. Ivo p. 12. c. 71. In notis: Burchardus etiam, Polycarpus, & Ivo citant ex Eutychiano. Inventum vero eſt inter quædam capitula Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis ad ſuos presbyteros ſcriptis (male ſcripta) c. 26. quæ in antiquo codice Romæ habentur. Neque oret) Additum id eſt ex Theodulpho, Burchardo, & Ivone.

DIALOGUS XIV.

De Eadem re.

C. SUNT ne aliæ falſæ inſcriptiones apud Gratianum? nam de ceteris collectoribus nihil moror.

A. Sunt quidem adhuc reliquæ non paucæ. Vides enim nos in Eutychiano finem feciſſe, & nunc de aliis Pontificibus dicendum nobis eſſe, item de conciliis, de quibus nihil adhuc locuti ſumus. Sed cur tu aliorum librorum emendationem præter Gratianum contemnis? an non illos ſcis priores fuiſſe, & pæne ejuſdem magiſtros?

C. Fateor ita eſſe, ut dicis; ſed cum hujus libri uſus frequentior ſit, hunc cupio habere maculis omnibus perpurgatum.

A. Quid autem B. noſtro videtur?

B. Meam ſententiam non requiras. Odi enim horum omnium imperitiam & cæcitatem. Sed tu redde nobis quod de fragmentis reliquum eſt. Valde enim delector, cum te video inveniſſe fontes horum fragmentorum.

A. Utinam licuiſſet omnium fontes adire; neque enim adeo in quibuſdam laboraremus. Poſt concilium Ancyranum ex codice ſexdecim librorum duo capita relata ſunt, quorum initium eſt, prioris, *Si quis liber*; poſterioris, *Ut Epiſcopi*. Illud apud Burchardum, (*a*) & Ivonem, (*b*) inveni, ut ex concilio Nannetenſi; apud Anſelmum, (*c*) vero, ex Ancyrano inſcriptum. Alterum apud eoſdem Burchardum, (*d*) & Ivonem, (*e*) ex concilio Anqalrenſi, cap. VI. ut etiam refert Gratianus. (*f*) Magna pars hujus poſterioris capitis reperta eſt apud Aurelium Auguſtinum in libro de ſpiritu & anima cap. XXIIX. Damaſo in concilio Romano adſcribi vidi in libro quodam Mich. Thomaſii, ex veteri libro, in quo vita ejuſdem Pontificis conſcripta eſt. (1) Marcelli Papæ fragmentum, cujus initium eſt, *Nullus Epiſcopus*; Juliani Anteceſſoris eſt novella cap. XXIII. cap. X. Bonifacio Papæ adſcribit Burchardus. (*g*) Sed Ivo (*h*) & Bonifacio, & Novellis: Gratianus (*i*) Marcello. (2) Euſebii Papæ fragmentum, *Conſulto omnium ſtatuimus*; Silveſtri Papæ eſt in epilogo Romani concilii, ut etiam Demochares notat. Euſebio adſcribunt Burchardus, (*k*) & Ivo in Excerptionib. (*l*) Euſebio, & Silveſtro Ivo in Panormia, (*m*) & Gratianus: (*n*) Silveſtro Anſelmus Lucenſis. (*o*) (3) Poſt Nicænum concilium fragmentum, cujus initium eſt, *Judices autem*; pars eſt capitis XXXIV. Epiſtolæ II. Julii Papæ ad Orientis Epiſcopos, ex ſententia Nicæni concilii. Ivo in Panormia (*p*) & Julio, & Nicæno concilio adſcribit: Anſelmus (*q*) Julio: Gratianus (*r*) Nicæno concilio. (4) Quod vero Julii fragmentum in conciliis eſt, cujus initium eſt, *De fabrica vero*; Vigilio Papæ reſtituo in epiſt. I. ad Eutherum cap. IV. quod etiam Demochares notat: & recte Burchardus, (*s*) & Ivo in Excerptionibus (*t*) Vigilii nomen referunt: idem tamen Ivo in Panormia, (*u*) & Gratianus (*x*) Julio adſcribunt: Anſelmus (*y*) Vigilio. (5) Aliud fragmentum, cujus initium, *Cum omne crimen*: non Julii eſſe debet, ſed concilii Bracaren. II. cap. I. teſtis eſt Ant. Demochares. Omnibus tamen canonum collectoribus placuit hæc inſcriptio: *Julius Epiſcopis per Ægyptum*: Burchardo, (*z*) Ivoni, (*a*) Anſelmo, (*b*) Tarraconenſi, (*c*) & Gratiano. (*d*) (6)

B. Ne tu illos rectius in Oaſin Ægypti relegaveris.

C. Bona verba quæſo.

A. Pax ſit rebus, audite cetera. Quod ſequitur, *Eccleſia Græcum nomen* &c. Iſidori Hiſpalenſis eſt initio libri primi de divinis officiis, licet Burchardus, (*e*) & Ivo (*f*) Julio adſcripſerint. Duo Liberii Papæ fragmenta Theodulphus (*g*) ſibi vindicat: alterius initium eſt, *In his jejuniorum diebus*; alterius, *Abſtinendum eſt*; quæ in conciliis accepta eſſe dicuntur ex codice ſexdecim librorum: ea habent Burchardus, (*h*) & Ivo (*i*) falſo Liberii nomine inſcripta. Inepte Damaſi fragmentum, cujus initium eſt, *Calumniator ſi in accuſatione*; ab aliis Damaſi verbis ſeparatur, cum ex epiſt. III. ſit ad Stephanum Epiſcopum (*k*) quod etiam Demochares recte animadvertit. (7) Alterius initium eſt, *Si quis Epiſcopum*. Verba ſunt concilii Eliberitani cap. LXXV. Carthaginienſi concilio adſcribunt Burchard. (*l*) & Ivo: (*m*) Damaſo Gratianus, (*n*) (8) Quarti fragmenti initium eſt, *Violatores canonum* &c. quod non male Anſelmus, (*o*) & Deuſdedit (*p*) Damaſo in epiſt. ad Aurelium Carthaginien. Epiſcopum referunt; Gratianus (*q*) vero, & liber Tarracon. (*r*) Damaſo Papæ inſcribunt; Cæſarauguſt. liber (*s*) inſcriptione caret. Ea epiſtola ad Aurelium extat initio collectionis Iſidori Mercatoris.

B. Quid ſi tempora non conveniant? Multa enim ſunt concilia Carthagini habita ſub Aurelio Epiſcopo poſt Damaſi mortem.

A. Poſterius ea de re agemus. Nunc finge eumdem Epiſcopum, ſive quemvis alium ejuſdem nominis Damaſo ſcripſiſſe, & ab eodem ita reſcriptum eſſe. (9) Ad concilia veniamus. Fragmentum, cujus initium eſt, *Irrita erit Epiſcoporum donatio*; quod poſt concilium Valentinum Galliæ poſitum

(a) *Burc. lib.* 6. *c.* 17.
(b) *Ivo par.* 10. *c.* 146. *decr.*
(c) *Anſ. lib.* 11. *c.* 54.
(d) *Burc. lib.* 10. *ca.* 1.
(e) *Ivo lib.* 8. *tit.* 6. *c.* 6. *panorm. & par.* 11. *c.* 30. *decr.*
(f) 26. *q.* 5. *c.* 12. *Epiſcopi.*
(g) *Burc. lib.* 1. *cap.* 168.
(h) *Ivo par.* 5. *c.* 278. *&* 369. *decr.*
(i) 11. *q.* 1. *c.* 8. *nullus.*
(k) *Burc. lib.* 3. *c.* 49.
(l) *Ivo par.* 2. *c.* 134. *decret.*
(m) *Ivo lib.* 1. *tit.* 4. *c.* 39. *panor.*
(n) *De conſecrat. d.* 1. *c.* 45. *conſulto.*
(o) *Anſ. lib.* 9. *c.* 2.
(p) *Ivo lib.* 4. *tit.* 11. *c.* 2. *panor.*
(q) *Anſ. lib.* 3. *c.* 21.
(r) 11. *q.* 1. *c.* 4. *judices.*
(s) *Burc. lib.* 3. *c.* 62.
(t) *Ivo par.* 3. *c.* 23. *dec.*
(u) *Idem lib.* 2. *tit.* 2. *c.* 5. *panor.*
(x) *De conſecr. d.* 1. *c.* 23. *de fabrica.*
(y) *Anſ. lib.* 5. *c.* 91. *in addit.*
(z) *Burc. lib.* 5. *cap.* 1.
(a) *Ivo lib.* 2. *tit.* 4. *c.* 24. *panor, & par.* 2. *ca.* 11. *decr.*
(b) *Anſelm. li.* 9. *cap.* 53.
(c) *Tarrac. li.* 5. *cap.* 1.
(d) *De conſec. d.* 2. *cap.* 7. *cum omne.*
(e) *Burc. lib.* 3. *c.* 1.
(f) *Ivo li.* 2. *tit.* 1. *c.* 1. *panor. & lib. c.* 3. *decr.*
(g) *Theodulphus ad presbyteros Aurelia. cap.* 42. *&* 43.
(h) *Burch. lib.* 13. *cap.* 13. *&* 14.
(i) *Ivo par.* 4. *ca.* 46. *&* 47. *dec.*
(k) 2. *q.* 3. *c.* 2. *&* 4. *q.* 4. *c.* 2. *nullus.*
(l) *Burc. lib.* 2. *c.* 195.
(m) *Ivo par.* 6. *c.* 240. *decret.*
(n) 2. *q.* 3. *c.* 4. *ſi quis.*
(o) *Anſ. lib.* 3. *c.* 109.
(p) *Deuſde. p.* 4.
(q) 25. *q.* 1. *c.* 5.
(r) *Tarr. lib.* 6. *c.* 21.
(s) *Caſ. lib.* 2. *c.* 36.

ſitum eſt, ſumitur ex concilio Carthagin. xv. cap. xxxii. ut recte Ivo (*a*) in Excerptionibus refert; licet Burchardus, (*b*) Ivo in Panormia (*c*) & Bernardus Papienſis, (*d*) & Gregorius IX. (*e*) Valentitino adſcribant: & Leoni Ivo in Panormia, (*f*) & Innocentius III. (*g*) & Gratianus: (*h*) Africano concilio Anſelmus. (*i*) Collector conciliorum editionis Colonienſis recte fontes horum verborum indicavit. (10) Poſt concilium Carthaginienſe tertium quædam fragmenta ſunt incerta, quibus præponitur illud, quod Gangrenſi concilio falſo Gratianus, (*k*) & Pœnitentiale Romanum (*l*) adſcribunt, cujus initium eſt, *Presbyter ſi fornicationem*: concilio Hibernienſi vindicatur in libro Anſelmi Lucenſis Romano, (*m*) & ut audio, ita inſcribitur a Gregorio presbytero in Polycarpi lib. iv. titulo de incontinentia clericor. Pœnitentiali Theodori in veteri libro Mich. Thomaſii. Et certe illud Hibernienſe concilium ſub eodem Theodoro Cantuarienſe habitum eſt. (11) Fragmentum, *Placuit, ut unusquiſque*, concilio Bracarenſi ii. cap. vii. reſtituatur, oportet: licet Gratianus (*n*) Carthaginienſis xv. eſſe dicat. Sic etiam erratum eſt in proximo huic capiti, cujus initium, *Placuit, ut nullus*; (*o*) quod ejuſdem Bracaren. eſt cap. iv. Demochares primus utrumque erratum adgnovit. De

A alio fragmento, cujus initium, *Si quis Epiſcopum*; eſſe concilii Eliberitani cap. lxxv. dictum eſt: licet Burchardus, & Ivo Carthaginienſi; Gratianus (*p*) Damaſo Papæ adſcripſerunt. (12) Aliud eſt, cujus initium, *Ut laici contemtores*; ex codice xvi. librorum, quem Borchardi collectionis eſſe credimus. Verba ſunt tituli capitis xiv. concilii Carthaginienſis primi. Capiti xv. adſcribunt Burchardus, (*q*) & Ivo. (*r*) Poſt Bonifacii Papæ epiſtolas fragmentum, cujus initium eſt, *Si inter Epiſcopos*; Juliano Anteceſſori reſtituendum eſt, Novella cxxiii. cap. xxxiv. licet Burchardus, (*s*) Ivo (*t*) & liber Cæſaraugustanus, (*u*) & Gratianus (*x*) B Bonifacio in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ adſcribant. (13.)

B. Sunt alia falſo eidem Bonifacio adſcripta quæ tu eidem Juliano olim adſeruiſti.

A. Ita eſt, ut dicis. Sed in his fragmentis conciliorum alia aliorum ſunt. Fragmentum, *Nulli liceat ignorare*, Troslejani concilii cap. iv. eſt. Bonifacio adſcribunt Burchardus, (*y*) Ivo, (*z*) liber Tarraconenſis, (*a*) & Gratianus. (*b*) (14) Fragmentum, *Sicut omnis*, concilii Toletani xi. eſt cap. iv. Bonifacio adſcripſerunt Burchardus, (*c*) & Ivo, (*d*) & Bern. Papienſis. (*e*) Heic finis eſto.

A D D I T I O N E S.

1. CAput 12. Epiſcopi, 36. quæſt. 5. ita in libro Romano inſcribitur Item ex concilio Anquirenſi cap. 1. In notis eſt: Anquirenſi) Sic etiam in vetuſtis. Burchardus & Ivo habent Ancyrenſi. Verumtamen in concilio Ancyrano Græco, aut Latino, neque impreſſo, neque manu ſcripto eſt inventum: licet qui tomos conciliorum ediderunt, aſſerant haberi in quodam vetuſto codice xvi. librorum partialium. Sceleratæ) Fere eadem habentur apud beatum Auguſtinum in libro de ſpiritu & anima cap. 28. & in vita Damaſi Papæ primi, quæ exſtat Romæ in pervetuſto de vitis ſanctorum codice ſanctæ Mariæ majoris: ubi poſtquam aliqua relata ſunt ex ſynodo Romana, in qua Damaſus Macedonium, & Apollinarem damnavit: adjungitur, anathematizatos in ea ſynodo eſſe, maleficiis, ſuperſtitionibus, & incantationibus ſervientes. In quibus etiam mentio eſt harum mulierum, quæ putabant nocturno ſilentio cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum ſuper beſtias equitare, & multa terrarum ſpatia pertranſire. Et in marg. eſt: Burc. l. 10. c. 1. & l. 19. Credidiſti quod mulie. Ivo p. 11. c. 30. Pan l 8 c. 71. Et verſ. Illud etiam, additur: D ſpiritu & anima c. 28. (Deſideratur nomen Auguſt.) Et verſ. Siquidem, Auguſt. ibid.

(2) In editione Gregoriana inſcriptio capitis 8. Nullus Epiſcopus, 11. q. 1. hæc eſt: Item Bonifacius ad Epiſcopos Galliæ. In margine eſt: Auth. nullus Epiſcopus. Cod. de Epiſcopis, & cler. Burc. C *l. 1. c. 168. Ivo p. 5. c. 278. & 369. Et in notis: Hoc adſcribebatur Marcello: ſed, ut dictum eſt in proxima ſuperiore notatione, in vetuſtis codicibus Gratiani, & apud Burch. & Ivonem par. 5. c. 278. tribuitur Bonifacio: & ſic eſt mutatum. Fere eadem habentur apud Julianum anteceſſorem novella 123. c. 10. quod in aliis, quæ nomine Bonifacii citantur, ſolet evenire. Et Ivo ead. parte c. 369. hoc ipſum caput citat ex libro Conſtitutionum, additis nonnullis verbis, quæ ſunt apud Julianum.*

(3) De conſecrat. diſtin. 1. cap. 46. Romanis hæc inſcriptio eſt: Item ex epiſtola Euſebii Papæ, & Silveſtri. Conſulto omnium ſtatuimus &c. Et in D *marg. eſt: al. Conſultu. Et Silveſter in epilogo conc. Rom. Idem in Pontificali. Polyc. l. 3. tit. 9 Anſel. l. 9. c. 2. Burc. l. 3. c. 99. Ivo par. 2. c. 134. Pann. l. 2. c. 162.*

(4) Capitis quarti 11. q. 2. inſcriptio eſt in eodem libro: Item ex Nicæno concilio. Judices autem alii &c. Et in marg. eſt: Polyc. lib. 5. tit. 4. Pann. l. 4. c. 109. Et in notis: In concilio Nicæno hodie canon hic non habetur: ſed fuiſſe olim plures canones illius concilii, ſupra diſt. 16. ca. Septuaginta eſt adnotatum. Quorum partem refert Julius in reſcripto contra orientales, ubi numero 34. habetur hoc caput: & ex eo citatur in Polycarpo.

(5) Inſcriptio capitis 24. Romanis de conſecrat. diſt. 1. hæc eſt: Item Vigilius Papa ad Eutherium epiſt. 1. c. 4. De fabrica vero &c. Et in marg. eſt:

Po-

(a) *Ivo par. 3. c. 232. decr.*
(b) *Burch. lib. 3. c. 170.*
(c) *Ivo lib. 2. tit. 10. c. 2. panorm.*
(d) *c. 1. de his, quæ conced. ſine conſen. in 1. collect.*
(e) *c. 1. de his, quæ fiunt a Prælat.*
(f) *Ivo d. c. 2.*
(g) *c. 1. & 2. de his, quæ concedu in 3. collect. & c. 8. e tit. Greg. IX.*
(h) *12. q. 2. c. 52. ſine exceptione.*
(i) *Anſ. lib. 7. c. 190. in addit.*
(k) *Diſt. 82. ca. ult.*
(l) *Pœnit. Rom. tit. 8. c. 6.*
(m) *Anſ. lib. 8. c. alt. in Rom.*
(n) *1. q. 1. c. 103. placuit.*
(o) *c. 102. placuit, ut nullus, a. q.*
(p) *2. q. 3. c. 4. ſi quis.*
(q) *Burc. lib. 15. cap. 6.*
(r) *Ivo par. 16. c. 7. decr.*
(s) *Burc. lib. 1. cap. 37.*
(t) *Ivo li. 4. tit. 2. c. 20. panorm. & par. 5. c. 197. decr.*
(u) *Caſ. lib. 5. c. 21.*
(x) *6. q. 4. c. 3. ſi inter.*
(y) *Burc. lib. 1c. c. 17.*
(z) *Ivo li. 5. tit. 3. c. 32. panorm. & par. 14. c. 37. decr.*
(a) *Tarr. lib. 5. cap. 4.*
(b) *12. q. 2. ca. 3. nulli.*
(c) *Burc. lib. 1. c. 131.*
(d) *Ivo par. 5. c. 231. decret.*
(e) *c. 8. de præſum. in 1. collect.*

Polyc. l. 3. tit. 6. Anſ. li. 5. c. 81. Burch. l. 3. c. 62. Ivo p. 3. c. 25. Pann. l. 2. c. 14. In notis. Tribuebatur Juliano: ſed ex vetuſtis exemplaribus reſtitutum eſt Vigilio, apud quem extat: & ex ipſo citant Burchardus etiam, & Ivo.

(6) *De conſecrat. diſtin. 2. cap. 7. Cum omne crimen. in eod. libro inſcriptio eſt: Item Julius Papa Epiſcopis per Ægyptum. In notis additur: Apud ceteros collectores legitur, per Ægyptum miſſis. Sed in Micrologo, cap. 19. citatur ex eod. Julio Epiſcopis Ægypti. Eadem autem fere habentur nunc in Bracarenſi 3. c. 1. & ſententia ſummatim collecta in Wormatienſi c. 4. In margine hæc ſunt: Polyc. l. 3. tit. 9. Anſ. l. 9. c. 53. Burch. l. 5. c. 1. Ivo p. 2. c. 11. & 12. & 85. Pann. l. 1. cap. 147.*

(7) *In eadem Gregoriana editione inſcriptio c. 2. Calumniator. 2. q. 3 hæc eſt: Item Damaſus Papa ad Stephanum Archiepiſcopum epiſtol. 3. Et in notis eſt; Verba ipſa Damaſi referuntur infra 4. q. 4. c. nullus introducatur. Et in margin. 4. qu. 4. nullus introducatur. Et ex Fabiano infra 3. q. 6. ca. 1. & ex Sixto infra eadem q. 8. qui crimen. Inſcriptio cap 2. Nullus. 4. q. 4. hæc eſt; Item Damaſus Papa epiſtol. 3. cap. 7. In margin. eſt: Polyc. l. 5. tit. 1. Burc. l. 16. c. 31. Pann. l. 4. c. 80. Ivo p. 6. c. 337.*

(8) *Ante caput 4. Si quis Epiſcopum 2. q. 3. in eodem libro eſt tantum hæc vox ITEM. Et in notis additur; Sic eſt in pleriſque vetuſtis codicibus. In vulgatis autem legebatur. Item Damaſus Papa. Extat autem caput hoc in capitulis Hadriani c. 62. & in concilio Eliberitano c. 75. Ivo citat ex Carthagin. Et in tomis concilior. adjungitur Carthagin tertio. In marg hæc ſunt: Anſ. l. 3. c. 93. Ivo p. 6 c. 240. Burc. l. 2. c. 195. in notis: Nec in fine. Sic legitur in concilio Eliberitano non in hoc tantum canone, ſed etiam in aliis Quam ob cauſam, atque etiam ob gloſſam nihil eſt mutatum. Apud Hadrianum tamen eſt, niſi in fine dandam ei non eſſe communionem. Apud Ivonem, non niſi in fine dandam ei eſſe communionem.*

(9) *Canon 5. Vidua 125. q. 2. inſcriptio in eod. Gregoriano libro eſt: Item Clemens Papa. Et in marg. hæc ſunt: Deusded. p. 4. Anſ. l. 3. c. 136. Polyc. l. 4. tit. ult (Fons non invenitur. et a ſelectis viris.)*

(10) *Capit 52. ſine exceptione 12 q 2 in eodem libro inſcriptio eſt; Item ex epiſtola Leonis* A *Papæ univerſis Epiſcopis per Siciliam conſtitutis. Et in marg Anſ. l. 5. c. 69. & l. 6. c. 189. Et in verſ. Epiſcopus additur in marg. In conc. Carthagin. 4. c. 31. Et in verſ. Iretta. Ibid. c. 32. & c. 1. de iis, quæ fiunt a præl. c. 1. Ivo p 3. c. 231. Pann lib 2. cap. 86. Inſcriptio c. 1. de his, quæ fiunt a præl. eſt: Ex concilio apud Valentiam. Et in margin. Burchardus libro tertio decret. cap 170. Ivo part. 1. cap. 231 Panormia lib. 1. c. 86. & c. 1. eodem tit. compilat. Inſcriptio cap. 8. e. tit. eſt: Idem (Innoc. 3.) Meten. Archidiacono. Cum nuper &c. Et in marg. Cap. 2. tit. de his, quæ conced. ab Epiſcopo ſine conſen. capit. in 3. compil.*

B (11) *Inſcriptio capitis ultimi diſtin. 82. in eodem libro hæc eſt: Unde in concilio Hiberenenſi. Presbyter, ſi fornicationem &c. In marg. eſt: Polyc. l. 4 tit. 39. In notis: Caput hoc citabatur ex concilio Gangrenſi in quo non legitur. Emendatum eſt ex Polycarpo; & alio libro manuſcripto pervetuſto, in quo libro ſunt multi canones pœnitentiales & hic refertur ex Theodoro Archiepiſcopo Hibernenſi. In caſu eſt. Sancti patres in Gangrenſi concilio congregati &c.*

(12) *Eſt etiam caput 102. Placuit, ut nullus, 1. q. 1. in eodem libro ita inſcriptum: Item ex concilio Bracarenſi ſecundo cap. 4. In notis additur: Emendata eſt inſcriptio ex aliquot vetuſtis* C *codicibus. Nam in vulgatis erat, ex Carthaginienſi quarto, in quo non habetur. Inſcriptio cap. 103. Placuit, ut unuſquiſque eſt. Item ex eod. c. 7. De cap 4. Si quis, 2. q. 3. vide ſupra addit. 8.*

(13) *In eodem libro inſcriptio capitis tertii, Si inter Epiſcopos, 6. q. 4. hæc eſt: Unde Bonifacius Papa Epiſcopis Galliæ. Et in notis eſt: Epiſcopis) Sic eſt emendatum ex aliquot vetuſtis codicibus. Burchardo, Ivone, & Polycarpo: Antea erat, populis. Simillima vero huic capiti leguntur Novellis 123. c. 34. apud Julianum antecessorem. In marg. hæc ſunt; Polyc. l. 3. tit. 4. Burch. l. 1. c 57. Ivo p. 5. c. 167. Pann. l. 4. c. 22.*

D (14) *Ante caput tertium Nulli liceat ignorare, 12. q 2. in eod. libro inſcriptio eſt: Item Bonifacius Papa. Et in marg. eſt. Al. ex decretis Bonifac. II. Papæ. 6. Capitul. c. 303. Poly. l. 6. tit. 15. Burc. l. 11. c. 17. Ivo p. 14 c. 87. Pann. l. 3. c. 113. (Fontis obliti Romani ſunt.)*

DIALOGUS XV.

De eadem Re, & de aliis Gratiani erroribus.

C. QUid eſſe in cauſſa dicemus, cur tam multæ inſcriptiones falſæ inveniantur?

B. Quorundam hominum audacia, aliorum ſimplicitas & tarditas cauſſa eſt. Audacia eorum, qui finxerunt quædam ab aliquibus ſcripta eſſe, quæ numquam ſcripſerunt; ſimplicitas & tarditas eorum, qui facile crediderunt ita eſſe, ut in aliquo alio libro legerunt. De quibus dici poteſt, quod de pecoribus quæ ſequuntur ſui gregis alia oculis conniventibus. Huc accedit librariorum imperitia & negligentia; qui facile, ut imperiti medici, & pharmacopolæ, aliud pro alio vendi̇tant.

A. Eſt etiam illud addendum: quod paucos invenias, qui huic generi ſtudiorum operam dederint?

B. Quid mirum? cum præmia nulla ſint, ut his qui litium cauſſa diſcunt. Honos enim alit artes, ut ajunt.

A. Quaſi vero Virtus non ſit ſe ipſa contenta; & ipſa ſcientiæ atque veritatis indagatio aliud requirat præmium inane ac fucoſas honorum imagi- E nes. Sed nos ad noſtras fragmentorum reliquias redeamus.

B. Non puto te his fragmentorum ſportis ſaturaturum tot hominum millia, quot Chriſtus quinque panibus.

A. Vos duo mihi eritis pro quinque millibus. Vaſenſis concilii fragmentum, cujus initium, *Præcipiendum eſt*; Nannetenſis concilii eſt cap. XI. ut apud Ivonem (*a*) recte eſt, licet in canitis numero varietas ſit. At apud Burchardum (*b*) *Hammeton.* appellatur, *Varenſe* apud Gratianum. (*c*) (1) Poſt F concilium Arelatenſe tertium multa ſunt falſo inſcripta capita. I. *Præterea placuit*; Arauſici concilii verba ſunt capit. XXII. licet Gratianus (*d*) Arelatenſis IV. eſſe dicat. (2) II. *Sciendum eſt*; concilii Troslejani eſt capit. IIX. licet Arelatenſi adſcribant Burchardus, (*e*) & Ivo, (*f*) & Gratianus, (*g*) III. *Providendum*; Arelatenſis IV. eſt ſub Carolo cap. 6. IV. *Ut Epiſcopi provideant*; Vormatienſis concilii verba ſunt capit. LIIX. V. *Viduæ ſi prius quam*; eſt concilii Toletani III. cap. X. Ut re-

(a) *Ivo par. 3. c. 223. decret.*
(b) *Burc. lib. 3. c. 159.*
(c) *13. q. 2. c. 15. præcipiendum.*
(d) *Diſt. 28, c. 7. prætereа.*
(e) *Burch. li. 3. cap. 51.*
(f) *Ivo lib. 3. tit. 17. cap. 19. panorm. & par. 7. c. 69. decret.*
(g) *87. q. 1. c. 37. ſciendum.*

recte Demochares alicubi notat. Et Burchardus, (a) & Ivo (b) Toletano concilio adſcribunt: Gratianus (c) eidem, & Arelatenſi. (3) Poſt Felicis tertii epiſtolas fragmentum, *Acacius non fuit*: Gelaſii Papæ eſt in epiſt. ad Fauſtum: & Gelaſio inſcribit liber Tarraconen.: (d) ſed Gratianus (e) & Gelaſio & Felici. (4) Poſt concilium Tarraconenſe verba illa *Dictum eſt nobis* &c. concilii Cabilonenſis ſub Carolo ſunt cap. XXVII. licet Burchard. (f) & Ivo, (g) & Gratianus (h) Tarraconenſis eſſe ſcripſerint: ſine inſcriptione referunt Capitularia Imperatorum. (i) (5) Inepte poſt Anaſtaſii Papæ Minoris epiſtolas fragmentum, *Sane Theſſalonicenſis* Epiſcopi, quod eſt Anaſtaſii bibliothecarii in chronicis, refertur. Fuit autem his temporibus Hadriani ſecundi, longe poſterior Anaſtaſius Papa. Deusdedit, (k) & Gratianus (l) recte ex chronicis Anaſtaſii ea verba referunt. (6) Quod vero ſequitur, *Qui poteſt obviare*: Eleutherio reſtituatur oportet, epiſt. ſingulari, & Damaſo epiſt. III. Anaſtaſio, & Damaſo adſcribunt Anſelmus, (m) & Gratianus, (n) (7) Poſt concilium Ilerdenſe fragmentum, *Si quis in infirmitate*: concilii Triburienſis eſt cap. XXXIII. ut alio die diximus: (o) ſed Burchardo, (p) Ivoni, (q) Gratiano (r) Ilerdenſis eſſe perſuaſum eſt. Poſt concilium Arvernenſe ex codice XVI. librorum fragmentum, *Quicumque Epiſcopus alterius* &c. Toletano IV. cap. XXXIII. reſtituo: neque Burchardus, (s) & Ivo, ( ) & Anſelmus, (u) & Gratianus (x) Arvernenſis eſſe referunt, ſed Toletani alicujus concilii. In eo tamen mendum eſt apud Gratianum, & apud Ivonem in Panormia, quod cum negatione referunt illa verba: quamvis; ſecundum jus legis, ejus non videatur eſſe diœceſis. Tolli enim NON debet, ex conciliis, & Burchardo, & ceteris. (8) Aliud fragmentum, *Ut nullus vivente*: Aurelianenſis V. eſt cap. XII. non Arvernenſis concilii, ut falſo putant Burchardus, (y) Ivo, (z) & Gratianus. (a) (9) Hic ſit fragmentorum finis. Sed quia B. noſter de audacia quorumdam locutus eſt, qui finxerunt quædam ab aliquibus eſſe conſcripta, quæ numquam ab eiſdem ſcripta ſint: exemplum ſumamus a ſexta ſynodo, quæ cum canones nullos ediderit: a Græcis dicatur CIII. edidiſſe, ut ſuperioribus diebus vidimus: a Latinis in tribus editionibus Colonienſibus novem canones ſcripſiſſe referatur, ut in vetuſto codice monaſterii ſancti Bavonis urbis Andegavenſis, ſive Gandavenſis Flandriæ repertum eſt. Ubi poſtquam de ſexta ſynodo dictum eſt, adduntur hæc verba: *qui condemnata hæreſi præfata ſcripſerunt novem capitula inferius annexa*. Caput primum. *Si quis presbyter inventus fuerit* &c. Poſt quintum caput additur. *De inſtructione bonorum operum*. Caput ſextum. Ex Ganden. rubeo libro ſecundo numero CXXXV. dicitur eſſe ex concilio Wormatien. *Cum ergo omnium* &c.

B. Cur tu igitur huic rubeo libro non credis & Wormatienſes hos canones appellas, aut illi vetuſto Bavonenſi, & ſextæ ſynodo reſtituis?

A. Quia inveni certiora veritatis veſtigia.

B. Quænam autem ea ſunt?

A. Hæc ipſa novem capita reperi Theodulfi eſſe Epiſcopi Aurelianenſis, qui Ludovici Pii Imperatoris temporibus vixit, & patris ejus Caroli Magni. Reliquit is aliquot capita, quæ ad presbyteros Aurelianenſes inſcribuntur, de quibus dictum eſt, cum de Eutychianis fragment. ageremus. Capitis XVI. initium eſt, *Si quis presbyter* &c. capitis XXI, *Cum ergo omnium* &c. ſic omnia ſunt totidem verbis conſcripta.

C. Non potuit Theodulfus ea ſumere ex ſexta ſynodo?

A. Minime potuit: cum ſexta ſynodus nullos ediderit.

C. At ex Wormatienſi ſynodo?

A. Quare prius canones hos in Wormatienſi ſynodo, & nuſquam invenies. Quod ſi Wormatienſis ſynodi ſunt: cur ille fallax ſcripſit ſextæ ſynodi Patres ſcripſiſſe hæc novem capitula?

B. Conjungi his poſſunt illa Hadriani nomine capita ad Ingelramnum, quæ cum Hadriani nihil habeant, ejus nomine referuntur.

A. Recte admones. De his ſatis eſt in notis ſcriptum.

C. Eſt ne aliquid, quod ad falſas inſcriptiones Gratiani illinc elici poſſit?

A. Permulta ſunt, quæ te malo illic legere. Sed habet ne alia B. noſter, quæ contra Gratianum objiciat?

B. Incidi nuper in quaſdam Romanæ ſcholæ notas, de quibus ſi pateris, alio die proferam aliqua, conferrique poterunt cum his, quæ Antoninus Florentinus reprehendi ſolere ſcribit. Hodie de quibuſdam dicam, quæ quamvis ita ſint in veteribus libris, ut Gratianus refert; tamen aut male interpretatur, aut non debuerunt ab eo edi: ut pote quæ magis noceant, quam proſint. Quid enim nobis illa proſunt ex Toletano concilio? (b) *Is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur?*

A. Hæc ante Gratianum (c) retulerant Rabanus, (d) & Ivo. (e)

B. Socius criminis laudas. Vide, quid editum ſit in Panormia Ivonis, quod etiam in aliquibus Gratiani libris legi: *Qui non habet uxorem, loco illius concubinam habere debet.*

C. O impudentem interpretem!

B. Nec placet, quod ſuffectum eſt, *habere licet*: aut quod in Ivonis excerptionibus poſuerunt: *Ut habens concubinam, ſi alia non utatur, communione non privetur*. Non ignoro duplex eſſe concubinarum genus, duplex etiam uxorum. Uxores, quæ ſine dotalibus inſtrumentis acciperentur, eas concubinas dictas fuiſſe. De his poſſumus Toletani concilii verba interpretari. (10) Quid illa, quæ videntur ex Nicolaitarum hæreſi manaſſe? *Græcorum ſapientiſſimus ait, communia debere eſſe amicorum omnia. In omnibus autem ſunt ſine dubio & conjuges.* Hæc Gratianus (f) ex Clementis epiſt. V.

A. In Anſelmi veteri libro (g) hæc de conjugibus non ſunt. Omittuntur etiam in melioribus Clementis libris; ſed ſumuntur, ni fallor, ex Recognitionibus Clementis.

B. Tol-

(a) *Burc. lib. 8. c. 44.*
(b) *Ivo par. 7. c. 62. & par. 8. c. 18. & 19. decr.*
(c) *27. q. 1. c. 38. vidua, & 32. q. 2. c. ult.*
(d) *Tarrac. li. 5.*
(e) *24. q. 1. c. 5. & 3. Acacius.*
(f) *Burc. lib. 4. c. 50.*
(g) *Ivo lib. 1. tit. 3. c. 9. panorm. & part. 1. c. 244. decr.*
(h) *De conſecr. d. 5. c. 8. dictum.*
(i) *Capit. lib. 7. c. 53. in addit.*
(k) *Deusded. cap. 1.*
(l) *16. q. 7. c. 15. ſane.*
(m) *Anſ. lib. 13. c. 19.*
(n) *23. q. 3. c. 8. qui poteſt.*
(o) *Dial. 4.*
(p) *Burc. lib. 2. c. 15.*
(q) *Ivo lib. 3. tit. 5. c. 1. panor. & par. 6. cap. 34. decr.*
(r) *Diſt. 55. c. 10. ſi quis.*
(s) *Burc. lib. 1. c. 67.*
(t) *Ivo libr. 2. tit. 6. ca. 4. panorm. & par. 3. c. 131. & par. 5. c. 175. dec.*
(u) *Anſ. lib. 5. c. 28.*
(x) *16. q. 3. c. 4. quicumque.*
(y) *Burc. lib. 1. c. 186.*
(z) *Ivo par. 5. c. 302. decret.*
(a) *7. q. 1. in prin.*
(b) *Tolet. 1. c. 17.*
(c) *Diſt. 34. c. 4. is qui.*
(d) *Raba. c. 10. pœnit.*
(e) *Ivo libr. 6. tit. 3. ca. 6. panorm. & part. 8. c. 64. decr.*
(f) *12. q. 2. c. 2.*
(g) *Anſ. lib. 7. cap. 1.*

B. Tollentur hæc; aut notabuntur in Romana editione. (11) Jam illa, quæ de primiſlaminibus & Archiflaminibus & aliis in notis ad Hadrianum (a) obſcura tibi eſſe dixiſti, tollenda eſſe cenſeo. Sint licet in epiſtolis Clementis prima, Anacleti ſecunda, Stephani ſecunda, & Leonis IX. epiſt. 111. & apud Gregorium VII. (b) & Burchardum, (c) & Ivonem, (d) & Anſelmum, (e) & Gratianum, (f) & in libro Cæſarauguſtano. (g)

C. Non te hic tantus veterum Patrum conſenſus deterret?

B. Non audeo ego hæc falſa eſſe dicere, ut in Ant. Contii libris de epiſtolis ante Silveſtrum ſcriptum legis: ſed hoc defendo; quamvis ea vera eſſent, ſcribi non debuiſſe: cum illis omiſſis, quæ crucem lectoribus afferunt, ut Maro dicebat, jus Pontificium melius traderetur. (12) His non diſſimilia ſunt, quæ de purgatione vulgari referuntur. *Qui presbyterum occiderit, ſi ſervus eſt, ſuper duodecim vomeres ferventes ſe expurget.* Hæc verba ſunt concilii Maguntini ſub Rabano cap. XXIV. Referunt Burchardus, (h) & Ivo, (i) & Palea, (k) & Pœnitentiale Romanum, (l) & Bernardus Papienſis. (m) Sed Raimundus in Gregoriana collectione (n) recte ea verba omiſit. (13) Ex concilio Triburienſi c. XXII. *Fervente aqua, vel candenti ferro ſe expurgat nobilis homo vel ingenuus, ſi deprehenſus fuerit in furto, aut periurio, aut falſo teſtimonio, ut ſi ingenuus non eſſet.* Referunt Burchardus, (o) & Palea, (p) & Bernardus Papienſis. (q) Omiſit Raimundus in Gregoriana collectione. (r) (14)

C. Tu non Gratianum, ſed Paleam erraſſe oſtendiſti in hoc genere purgationis.

B. Hæc Gratiani ſunt: *Si duo de adulterio accuſati fuerint, & ambo negaverint, & orant ſibi concedi, ut alter illorum utroſque judicio divino purget: ſi unus in hoc ceciderit, ambo rei habeantur.* Sunt hæc verba concilii Salegunſtadienſis c. XIV. quod poſt Burchardi collectionem invenies, & hoc caput referunt Ivo, (s) & Gratianus. (t) Illa ſunt concilii Vormatienſis cap. XV. *Sæpe contingit, ut in monaſteriis monachorum furta perpetrentur: miſſa ab Abbate celebretur, aut ab alio presbytero, & omnes communicentur in hæc verba: Corpus Domini ſit tibi hodie ad probationem.* Hæc in conciliis ſunt, ut cuncta prius dicta, & apud Burchardum, (u) & Gratianum. (x) (15) Sed hæc omnia ſunt illorum temporum ſordibus adſcribenda. Sunt alia his ſimilia, de quibus alio fortaſſe die dicendum erit. Hoc nolo differre, quod Gratianus (y) refert ex Hieronymo in epiſt. ad Titum cap. 1. *Olim idem erat presbyter, qui & Epiſcopus,* & quæ ſequuntur: quæ etiam habet Anſelmus. (z) Totus ille Hieronymi locus, niſi plenius ſcribatur, & cum aliis Hieronymi ſcriptis conferatur, nocere magis, quam prodeſſe poteſt. (16) Democharis ad extremum verba referam in antidoto Gratiani Indicis. *Pleraque ſunt fateor in his Decretis jam obſoleta, & quæ a præſenti conſuetudine eccleſiaſtica abhorrent, nonnumquam etiam ut videtur, inter ſe ex diametro pugnantia* &c.

A. Ne tu B. magnum Democharis teſtimonium contra Gratiani lucubrationes attuliſti. Cui reſpondere poteſt, ut aliquibus aliis quæ recitaſti, Gratiani ſcopum fuiſſe, omne genus decretorum referre, & hac de cauſſa Concordiam diſcordantium canonum appellaſſe. De aliis, quæ B. Antoninus, & Romanæ ſcholæ notarunt, te libenter audituri ſumus.

ADDITIONES.

(1) *Caput 15. Præcipiendum eſt, 13. q. 2. in Gregoriana editione ita inſcribitur: Item ex concilio Vaſenſi. In marg. eſt: Burc. l. 5. c. 159. Ivo p. 5. c. 222. In notis: Exſtat in concilio Nannetenſi c. 6. ex quo citatur a Burchardo, & Ivone: ſed quin potuit eſſe repetitum in aliquo Vaſenſi, ſeu Vaſenſi, non eſt mutatum. In epitome quidem conciliorum eſt in Vaſenſi c. 3.*

(2) *Inſcriptio cap. 7. Præterea placuit. diſtinct. 28. hæc in eodem libro eſt: Item ex eodem tertio. (Eſt autem cap. 6. inſcriptio: Item ex concilio Arelat. 2. c. 2.) In notis hæc ſunt: In Arelatenſibus quæ exſtant, hic ipſe penitus canon non invenitur. Sed ſententia habetur in tertio c. 2. in fine. (Deſideratur fontis index.)*

(3) *In eodem lib. cap. 38. can. 27. q. 1. inſcriptio eſt: (Item) Palea. Viduæ, ſi prius quam &c. (Capitis 37. inſcriptio eſt: Item ex concilio Arelatenſi) In marg. hæc ſunt: infra 32. q. 2. hoc ſanctum, ex concil. Toletano 5. c. 10. Ivo p. 8. c. 18. & 19. Inſcriptio cap. ult. 32. q. 2. hæc eſt: E contra in concilio Toletano 3. c. 10. Hoc ſanctum. In marg. eſt: Burch. l. 8. c. 44. Ivo par. 7. c. 62. & par. 8. c. 18 & 19.*

(4) *Gratiani verba ſunt in libro Romano ante caput 1. can. 24. q. 1. Unde cum Achatius &c. que veretur; contra Gelaſius ſcribit dicens: Achatius non eſt factus &c. In notis hæc ſunt: Sententia hujus capituli eſt eadem cum ſententia capitis paullo poſt ſequentis, id eſt, Achatius, quamvis verba diſcrepent. Inſcriptio cap. 3. eſt: Item Felix Papa, Achatius non fuit novi &c. In marg. eſt: Polyc. lib. 1. tit. 16. Et in notis: Polycarpus li. 1. ti. 16. citat ex Gelaſio, apud quem habetur in commonitorio ad Fauſtum.*

(5. *De conſecrat. diſtin. 5. cap. 8. Dictum eſt, in eodem libro inſcriptio eſt: Item ex concilio Tarraconenſi c. 6. In notis additur: Burchardus etiam, & Ivo citant ut Gratianus. Habetur autem in Cabilonen. 2. cap. 27. uſque ad verſ. Quia hic, & in Capitularibus adjectis c. 53. In marg. hæc ſunt: Burch. l. 4. c. 90. Ivo par. 3. c. 244. Pana. l. 1. c. 125.*

(6) *Capitis 15. Sane Theſſalonicenſi, 26 q. 7. inſcriptio in eodem lib. eſt: Item ex Chronico Anaſtaſii bibliothecarii. In notis eſt: Caput hoc acceptum eſt ex Chronico Anaſtaſii bibliothecarii in iis, quæ de Anaſtaſio Imperatore narrat: multaque ex ipſo originali ſunt emendata.*

(7) *Inſcriptio capitis octavi. Qui poteſt. 23. q. 3. in eodem libro Romano hæc eſt: Item Anaſtaſius, & Damaſus Papa. In marg. hæc ſunt: Damaſus epiſt. 3. ad Stephan. c. 8. ſupra diſt. 83. error. & diſt. 86. facientis. Polyc. l. 7. tit. 11. Anſ. l. 13. c. 19. Inſcriptio cap. 5. Error. diſt. 83. eſt: Item Innocentius. In marg. eſt: Deuſdedit p. 2. Eleutherius Papa ad Galliæ provincias, & Orientales in epiſt. ad Julium, & Ægyptus in epiſtol. ad Feli-*

(a) *Hadr. c. 23.*
(b) *Lib. 6. epiſt. 55. regiſt.*
(c) *Burc. lib. 1. c. 155.*
(d) *Ivo li. 4. tit. 5. c. 1. panorm. & par. 5. ca. 53. decr.*
(e) *Anſe lib. 6. ca. 105. & 106. & 109.*
(f) *Diſt. 80. c. 1. & 2. & diſt. 99. c. 1. & diſt. 21. in prin.*
(g) *Cæſ. libr. 2. cap. 75.*
(h) *Burc. lib. 6. c. 7.*
(i) *Ivo par. 10. c. 136. decr.*
(k) *17. q. 4. c. 24. qui presbyterum.*
(l) *Pœnit. Rom. tit. 1. c. 2.*
(m) *De purga vulg. c. 2. in 1. collect.*
(n) *c. 2. de purgat. Gregor. IX.*
(o) *Burc. li. 16. c. 19.*
(p) *2. q. 5. ca. 15. nobilis.*
(q) *c. 1. de purg. vul. in 1. collect.*
(r) *c. 1. de purg. can. Greg. IX.*
(s) *Ivo par. 15. c. 178. decret.*
(t) *2. q. 5. c. 25. ſtatuit.*
(u) *Burc. lib. 11. c. 66.*
(x) *c. 23. ſæpe 2. qu. 5.*
(y) *Diſt. 95. c. 5. olim.*
(z) *Anſ. lib. 7. c. 119. & 120.*

Digitized by Google

tom II. *Inſcriptio cap. 3. diſt. 86. eſt. Item Joannes VIII. Facientis culpam &c. In margin. hæc ſunt: Greg. l. 7. reg. epiſt. 114. indict. 2. Pelagius 2. epiſtol. 3. Eleutherius ſup. diſt. 83. c. error. 2. qu. 7. negligere, & 23. qu. 3. c. qui poteſt. Ivo p. 6. c. 115. In notis additur: Caput hoc ex variis ſententiis hinc inde collectis confectum eſt: quarum prima uſque ad verſ. emendare, ſumta ex epiſt. B. Gregorii 114. lib. 7. indict. 2. Theodorico, & Theoberto regibus Francor.*

(8) *Ante caput quartum, Quicumque Epiſcopus 16. q. 3. in eodem libro hæc verba ſunt: Item ex eodem c. 33. (quæ ad Tolet. 4. referuntur) In marg. hæc ſunt: Polyc. l. 3. tit. 12. Anſ. l. 5. c. 28. Burc. l. 1. c. 67. Ivo p. 3. c. 131. & p. 5. c. 175. Pann. l. 2. c. 67. Ad illa verba, quamvis ſecundum jus legis, ejus non videatur eſſe diœceſis &c. additur in notis: In concilio impreſſo cum manu ſcriptis collato legitur, quia ſecundum jus legis, ejus videtur eſſe diœceſis, admittenda non eſt &c. Ivo autem in tertia parte etiam clarius poſt verſ. (ſcribe ver. vel verbum) poſſederit, ſic habet: tam teneat: quia ſecundum jus legis, ejus videtur eſſe diœceſis, & admittenda non eſt &c. Burchardus autem, quamvis ſecundum jus legis, ejus videtur eſſe diœceſis. In Pannormia vero quemadmodum apud Gratianum, Provinciam) Auctor gloſſæ interpretatur, id eſt, diœceſim: & in variis conciliorum editionibus & duobus codicibus Vaticanis legitur parochiam: qua voce ſæpe diœceſis ſignificatur, ut in canone Apoſtolorum 14. Epiſcopo non liceat alienam parochiam propria relicta pervadere: & in concilio Antiocheno ca. 21. vocem παροικίας alii verterunt parochiam, alii diœceſim, omninoque in Toletanis hæ voces confunduntur, ut in Tolet. 3. c. 20. & Tolet. 4. c. 32. & 35. & Bracar. 2. c. 2. Et in hujus capitis initio vox diœceſis partem quamdam, id eſt, parochiam ſignificat. Verum in codice conciliorum Lucenſi regio, & vetuſtis exemplaribus Gratiani, & Pannormiæ, & apud Ivonem par. 5. in marg. eſt provinciam.*

(9. *Gratianus 7. q. 1. in prin. in eodem libro ita ſcribit: Quod autem vivente Epiſcopo alius ſuperponi, aut ſuperordinari non poſſit, ex concilio apud Arverniam celebrato definitum eſt, in quo legitur, Ut nullus vivente &c. In marg. hæc ſunt: In concil. Aurelianen. 5. c. 12. Burch. l. 1. c. 186. Ivo p. 5 c. 302. Et in notis: Arverniam) Burchardus etiam & Ivo citant ex Arvernenſi c. 13. exſtat autem in Aurelian. quinto c. 12.*

(10) *Capitis quarti, Is qui non habet, diſtin. 34. inſcriptio in Romano libro eſt: De hoc dicitur in concilio Toletano 1. c. 17. Sequitur mox miniſtris litteris. Qui non habet uxorem, ſed loco illius concubinam, a communione non repellitur. In marg. hæc ſunt: Ivo part. 3. c. 64. Panorm. lib. 6. cap. 49. Et in notis: Integr. concilii canon, qui apud Ivonem quoque, & in Pannormia refertur, eſt hic. Si quis habens uxorem &c. Neque vero omne concubinarum genus eo etiam tempore permittebatur. De quibus quid in legibus gentilium Imperatorum legatur; nihil opus eſt afferre. Certe Juſtinianus novella 18. c. 5. (ut eſt apud Julianum anteceſſorem) quaſdam concubinas comparat quodam modo uxoribus; quæ ſine dotalium tabularum ſolemnitate ductæ fuerant. Ad quod concubinarum genus reſtrendum eſt, quod ſcripſit beatus Auguſtinus in libro de bono conjugali, & refertur infra 32. q. 2. c. ſolet. In quibus hæc tria erant neceſſaria &c. quamvis ſic habitam non audeas appellare uxorem; quia non intervenerunt inſtrumenta dotalia, & alia quæ jure civili, & canonico requirebantur, ut eſſet legitima uxor: quod habetur in prædicta novella 18. & infra 30. q. 5. c. aliter. Itaque hujuſmodi mulieres, cum non eſſent uxores, vocabantur concubinæ: ſed ob illa tria, ac præcipue, quod in affectu maritali permanere ſtatuerent; permittebatur ipſis communicare; habebanturque tamquam uxores minus ſolemniter ductæ. Et hoc eſt, quod hic & in ſequ. capite dicitur, pro uxore, & loco uxoris habere concubinam; Idque Gratianus ipſe ad finem cap. præced. parag. concubina, indicavit. Nam concubinarum ad tempus adhibitarum etiam ſi filiorum procreandorum cauſſa haberentur, plane illicitus erat concubinatus: quod aſſerit idem B. Auguſt. cap. Audite. infra eadem, & in eodem libro de bono conjug. c. concubinæ, infra 32. q. 2.*

(11 *Inſcriptio capitis ſecundi, Dilectiſſimis, 12. q. 1. in eod. libro hæc eſt: Item Clemens in epiſtola quinta. Et in marg. eſt: Anſ. ibid. (hoc eſt, l. 7. c. 1.) Verſ. Denique ita ſcribitur: Denique Græcorum quidam ſapientiſſimus hæc ita ſciens eſſe, ait, communia debere eſſe amicorum omnia. (In omnibus autem ſunt ſine dubio, & conjuges) Et in notis: Verba hæc abſunt ab originali in recentioribus conciliorum editionibus impreſſo, & duobus ipſius manuſcriptis codicibus, uno Vaticano, altero bibliothecæ S. Marci Florentiæ, & ab Anſelmo. Hanc vero ſententiam a Platone acceptam hæretici quidam volebant in Chriſtianam religionem invehere. Ita enim ſcribit Epiphanius hæreſi 32. Primum quidem, quod ipſe Epiphanes, cum patre ſuo, & ſectæ antiſtite Carpocrate &c. Verum apud veteres etiam Chriſtianos hanc uxorum communionem vehementer damnari ſolitam Tertullianus in apologetico evidenter teſtatur his verbis: Omnia indiſcreta ſunt apud nos præter uxores &c.*

(12) *His verbis utitur Gratianus in eodem libro initio diſtin. 80. Loca vero, in quibus Primates &c. ſunt ordinandi, hæc ſunt ſecundum Lucium Papam, & Clementem, atque Anacletum. Ait enim Lucius Papa: Urbes & loca &c. In marg. eſt: Extat apud Stephanum 1. epiſt. 2. c. 5. Anſ. l. 6. c. 128. Et in ſcholiis: Loca) hic intitulatur 80. diſtin. &c. Et quidem primates ibi conſtituuntur, ubi olim ponebantur protoflamines gentilium. Archiepiſcopi, ubi archiflamines. Epiſcopi, ubi eorum flamines &c. Capitis ſecundi inſcriptio eſt: Item Clemens Papa ad Jacobum epiſt. 1. In illis vero civitatibus in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum, atque primi legis doctores erant &c. In marg. eſt: Leo IX. epiſt. 3. Polyc. l. 2. tit. 22. Burch. l. 1. c. 155. Anſ. l. 6. c. 113. Primi flamines) al. Archiflamines. Diſtin. 99. cap. 1. inſcriptio eſt: Unde Anacletus Papa ait ad Epiſcopos Italiæ epiſt. 2. Provinciæ multo ante Chriſti adventum tempore diviſa ſunt &c. Et in marg. eſt: Ivo par. 5. c. 53. Pann. l. 4. c. 21. Et in notis: Hoc caput integrum repetitur a Gregorio VII. lib. 6. reg. ep. 35. Rotomag. Turonen. ac Senonen. Archiepiſcopis ſcripta, ex qua, & originali nonnulla ſunt reſtituta. Gratiani verba ſunt diſtin. 21. in prin. verſ. Horum diſcretio. Horum, inquit, diſcretio a gentilibus maxime introducta eſt, qui ſuos flamines, alios ſimpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant.*

(13) *Capitis 24. Qui presbyterum 17. q. 4. in eodem libro inſcriptio eſt: (Item ex concilio Moguntino ſub Rabano c. 24.) Palea. In marg. eſt. ext. de pœnit. & remiſ. c. 2. Burc. l. 6. c. 7. Ivo p. 10. c. 136. In notis eſt: Hæc in Palea in uno tantum Vaticano Gratiani codice habetur. Inſcriptio cap. 2. de pœnit. & rem. eſt: Ex concilio Moguntin. Et in marg. eſt: Habetur in ſynodo Moguntina ſub Rabano Archiepiſcopo c. 24. refert Burch. l. 6. c. 7. Ivo part. 10. cap. 136. & Gratianus ſive Palea 17. q. 4. c. qui presbyterum.*

(14) *Ante caput 15. Nobilis homo, ſecunda quæſt. 5. in eodem libro hæc verba ſunt: (Item in concilio Triburienſi) Palea. In marg. eſt, ext. de pur. can. c. 1. Burc. l. 16. c. 19. Et in notis: Burchardus etiam citat ex concilio Triburien. cap. 10. & in Triburienſi illo, quod exſtat impreſſum, habentur nonnulla ad hanc rem facientia. Inſcriptio cap. 1. de purg. cano. eſt: Ex concilio Triburien. In marg. hæc ſunt: Referunt Burch. l. 16. decr. c. 19. & Grat. ſive Palea 2. q. 4. (ſcribe 5.) c. 15. & habetur c. 1. tit. de purg. vulg. in 3. compil.*

(15) *In eodem libro Romano inſcriptio cap. 25. Statuit quoq. 2. q. 5. hæc eſt: Item in eod. c. 14. (hoc eſt, in Saleguſtadienſi concilio) In marg. eſt: Burch. ibid. (id eſt, in fine operis) Ivo p. 15. c. 180. Inſcriptio cap. 23. e. q. eſt: Contra in concilio Vormatienſi c. 15. Sæpe contingit, &c. Et in marg. Burc. l. 11. c. 66. in notis: Si expleta Miſſa)*

in

In hoc capite addita ſunt nonnulla verba ex concilio, quæ a collectoribus videbantur omiſſa. Sed hoc loco ſatis viſum eſt, varietatem indicare. Nam in concilio ipſo ſic legitur: Et ſic in ultima miſſæ celebratione, pro expurgatione ſua corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti percipiant, quatenus ita inde innocentes ſe eſſe oſtendant.

(16) Gratiani verba ſunt ante caput quintumdi- A *ſtin. 95. in Gregorianis libris: Item Hieronymus ad caput primum epiſtolæ ad Titum, ad ea verba (& conſtituas.) Olim idem erat presbyter, qui & Epiſcopus. In marg. eſt: Idem ergo eſt presbyter. Et Anſ. l. 7. cap. 127. Polyc. l. 2. tit. 39. Rubrica ſcriptum eſt. Presbyter idem eſt, qui Epiſcopus, ac ſola conſuetudine præſunt Epiſcopi. (Hæc miror non fuiſſe notata.)*

D I A L O G U S XVI.

De Beati Antonini Cenſura in Gratianum, & de Romanorum ſelectorum ſententia.

A. QUid eſt, quod dicebas B. Antoninum in Gratiano reprehendere? Habes ne ejus librum?

B. Et librum habeo, & ſchedam locorum, quæ ſelecti quidam viri Romæ notarunt.

A. De ſingulis ab Antonino ſcriptis videamus, quid ille dixerit, quid mox Romani addiderint.

B. Beatus Antoninus Florentinus, ut noſti, Antiſtes in Summæ majoris quarta parte titulo XI. cap. IIX. poſt Petri Lombardi Pariſienſis Epiſcopi, quem Magiſtrum ſententiarum appellant, XIV. articulos perſcriptos, in quibus communiter non tenetur, de Gratiano ſic ait: „ In decretis quædam „ ponit Gratianus, quæ non tenentur; quædam „ alia a conciliis vel ſummis Pontificibus edita, „ quæ ſunt revocata, ſeu immutata per conſue„ tudinem generalem contrariam, & abrogata. „ *Mox addit exemplum jejunii quadrageſimæ*, quod „ clerici ſervare tenebantur a ſexageſima: hodie „ non ſervant, ſed initium faciunt jejuniorum ut „ laici."

A. Hoc idem Gratianus ait diſtin. IV. excepta voce, *ſexageſima*; pro qua vocem, *quinquageſima*, ſubſtituit.

Diſt. 4. c. 3. & 4. & ult. cap. 3. p. longer, diſt. 4.

B. Romanis videbatur tollendas eſſe has voces Gratiani (*jejunandi propoſitum ſuſciperent*, &) quod non diſplicet. Damaſus in Teleſphoro ait: „ Hic „ conſtituit, ut ſeptem hebdomadis ante paſcha „ jejunium celebraretur. *Et Ambroſius in ſermone* „ *non edito de ſexageſima*: Quadrageſima, *inquit*, „ ſex ſeptimanas habet, cui addidit Teleſphorus „ Pontifex ſeptimam hebdomadam, & vocatum „ eſt hoc tempus quinquageſima." Quæ verba etiam Anſelmus (*a*) refert.

Diſt. 5. c. 5. quadrageſima.

A. Id ſtatutum eſſe clericis, dicendum eſt ex Teleſphori epiſt. I. cujus verba referunt Ivo, (*b*) & Anſelmus, (*c*) & liber Cæſarauguſtanus, (*d*) & Tarraconenſis, (*e*) & Gratianus. (*f*) (1)

B. Alterum exemplum adfert Antoninus de rogationum diebus quibus erat ab operibus ceſſandum, & jejuniandum ex conciliis Lugdunenſi & Aurelianenſi, quæ refert Gratianus de conſecratione diſtin. III. c. I. & III. (*g*)

A. Concilium Lugdunenſe non exſtat, ſed refertur a Burchardo (*h*) & Ivone. (*i*) Et in concilio Maguntino cap. XXXVI. idem fere ſtatuitur, ſed nihil de rogationibus dicitur: neque aperte in Capitularibus Caroli, & Ludovici. (*k*) Sed Aurelianenſe concilium de rogationibus ita ſtatuit c. XXIX. in Colonienſi editione, in collectione Iſidori Mercatoris capit. XXIV. *Rogationes, id eſt, litanias ante aſcenſionem Domini placuit celebrari, ita ut præmiſſum triduanum jejunium in dominicæ aſcenſionis ſolemnitate ſolvatur.*

B. Romani varietatem notarunt: pro *præmiſſum*, alibi ſcriptum, *poſt miſſam*: quæ mihi ſcriptura non probatur: licet eam Ivo (*l*) adgnoſcat.

C. Quænam eſt dominica aſcenſionis, an quæ poſt aſcenſionem eſt? an ea, quæ aſcenſionem præcedit?

B. Neutra in hoc capite: ſed dominicæ aſcenſionis ſolemnitas dicitur, ipſa dies aſcenſionis Domini.

C. Cur libro VI. Capitularium dicitur: (*m*) *Poſt dominicam dies tres. In aſcenſione Domini diem unum?*

B. Suſpicor deſiderari litteram *V.* poſt vocem, *dominicam*: ut ſignificetur *poſt dominicam quintam*.

A. Placet opinio tua. Et lib. I. Capitularium C Litania major ante aſcenſionem Domini conſtituitur. Sed perge, quod cœperas. De his enim rogationibus recte Antoninus notat, aliud in his conciliis præſcribi, quam quod uſus receperit. (2)

B. Idem inquit, de hebdomada ſancta, & hebdomada paſchæ quæ erant in præcepto, quoad ceſſationem ab operibus ut in dicto concilio Lugdunenſi.

A. De hebdomada ſancta nihil Gratianus retulit; nihil ante eum Burchardus, & Ivo: nihil eſt in dicto concilio Maguntino, neque in Capitularibus. De paſchatis hebdomada omnes fere eadem ſcribunt. In concilio tamen Maguntino quatuor dies tantum cum omni honore celebrari decerni- D tur. At feria quinta dicitur licentiam eſſe arandi ante miſſam, & ſeminandi, & hortum & vineam excolendi, & ſepem circumcludendi. Ab alio opere ceſſandum. Poſt miſſam vacandum ab omnibus.

De conſecr. d. 3. c. 1.

B. Poſt hæc de litteris dimiſſoriis refert, quæ Gratianus diſtin. LXXIII. diligenter ſcripſit, quæ nomine Attici Conſtantinop. Epiſcopi in conciliis ſunt poſt Chalcedonenſem ſynodum. Eadem referunt Ivo, (*n*) & Anſelmus. (*o*) Sed & formulas earum litterarum quas Gratianus conſcripſit, habent Burchardus, (*p*) Ivo, (*q*) & Anſelmus: (*r*) qui alias quoque addunt, & Romani alias ſe pollicentur adjecturos. Hæc quaſi uſu abrogata improbat An- E toninus, quod ad eam formulam attinet, quæ tradita dicitur in ſynodo Nicæna litteris quibuſdam Græcis adjectis. Ipſas litteras dimiſſorias neceſſarias eſſe ait clericis peregre profectis, ut diſtin. LXXII. cap. I. (*s*) in quo multorum negligentiam reprehendit.

Diſt. 73. in princip.

A. Laudo id quidem: ſed ex veteri formula duo elicio: alterum eſt, Epiſcopis linguæ Græcæ cognitionem fuiſſe neceſſariam; alterum, tempore Nicænæ ſynodi *Indictionis* numeros in uſu fuiſſe. Indictionis enim mentionem fieri in hac formula video.

Ppp 2 B. In

(a) *Anſ. libr. 7. cap. 166.*
(b) *Ivo li. 2. tit. 14. c. 1. pan. & par. 4. c. 25. dec.*
(c) *Anſ. lib. 7. c. 165.*
(d) *Cæſ. lib. 21. c. 20.*
(e) *Tarr. lib. 4. c. 60.*
(f) *Diſt. 4. c. 4. ſtatuimus.*
(g) *De conſecr. d. 3. c. 1. & 3. rogationes.*
(h) *Burc. lib. 2. c. 77.*
(i) *Ivo par. 4. c. 14. dec.*
(k) *Capit. lib. 1. c. 164. & lib. 2. c. 35. & lib. 6. c. 186.*
(l) *Ivo par. 4. c. 11. dec.*
(m) *d. c. 186.*
(n) *Ivo par. 6. c. 433. decret.*
(o) *Anſ. lib. 6. c. 116.*
(p) *Burc. lib. 2. c. 227.*
(q) *Ivo par. 6. c. 434. & 435. decret.*
(r) *Anſ. lib. 6. c. 117.*
(s) *Diſt. 72. c. 1.*

B. In eccleſiarum conſecratione jubentur Epiſcopi Græcas litteras & Latinas in pavimento ſcribere. Qui eas ignoraſſent, quo pacto ſcripturi fuerant?

C. Cum in Græcia Nicæna ſynodus habita fuerit, mirandum non eſt, Græcis litteris juſſiſſe hæc conſcribi. Quæ vero in conſecrationibus jubentur fieri, ſatis eſſe ajunt, ſi cœperit vel duas litteras ſcribere, quæ utrique linguæ communes ſunt. (3)

B. Sequitur de ſacramentis a jejunis tantum præſtandis in judicio, quod etiám uſu abrogatum eſſe dicitur.

A. Quæ Cornelio Papæ falſo adſcribunt Burchardus, (*a*) Ivo, (*b*) Anſelmus, (*c*) & Gratianus; (*d*) ut antea diximus, (*e*) non Cornelii verba ſunt, ſed Caroli Magni in Capitularibus (*f*) quod etiam Ivo (*g*) adgnoſcit. Illic ita ſcribitur: *Sed & nobis honeſtum videtur, ut qui in ſanctis habet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honeſtate, & timore Dei*. His verbis, *nobis honeſtum videtur*, nulla legis coactio eſt, ſed admonitio eſt non inepta. Quod vero ille *in ſanctis* dixit, cur in judicio Antoninus interpretetur, cauſſam nullam video. (4)

B. Additur ab eodem: „ In quadrageſima, in „ adventu, in diebus dominicis non exigantur, „ vel exhibeantur ſacramenta, ſolemnia ſcilicet, „ ut in judicio, & ſimilia. " Quod etiam ait eſſe abrogatum conſuetudine.

A. Plenius hæc, ni fallor, Burchardus, (*h*) & Gratianus (*i*) ex concilio apud ſanctum Medardum, & ſine inſcriptione liber Tarraconenſis. (*k*) Sed fontes non inveni. „ A ſeptuageſima uſque „ ad octavam paſchæ, ab adventu Domini uſque „ poſt conſecratos dies, " ſic enim illi duo habent; Gratianus „ uſque ad octavam Epiphaniæ, „ & in jejuniis quatuor temporum, & in litania „ majore, & in diebus rogationum, & in diebus „ dominicis, niſi de concordia, & pacificatione, „ nullus ſemper ſacra jurare præſumat. " (5)

B. Vis dicam libere, quod ſentio?

A. Dicas licet.

B. Hæc, & alia quæcumque ex incertis libris ſumta, pro non ſcriptis habeantur.

A. Cenſura gravis eſt tua. Sed Antonini cetera ſedde.

B. „ Multa, *inquit*, antiquo jure edita, quæ „ Gratianus notat, poſtea immutata ſunt: ut de „ electione Romani Pontificis, item de aliorum „ Epiſcoporum electione. Namque non ſoli Cardinales olim Pontificem eligebant; neque ſoli „ Canonici eccleſiæ cathedralis Epiſcopum, ſed ad„ hibebantur alii religioſi viri: & a Metropolita„ nis confirmabatur electio, antequam Romani „ Pontifices eccleſiarum cathedralium proviſiones „ ſibi reſervaſſent. "

A. Nota res eſt, & de his plura in Gregoriana, & aliis collectionibus dicuntur. Ex quibus apparet multa eſſe apud Gratianum ſupervacanea: ſed eadem antiquitatis cognoſcendæ cauſſa legenda ſunt.

B. Sequitur *de ætate ordinandorum, & de intervallo ſervando in ordinatione*.

A. Hæc etiam varie conſtituta ſunt, neque ullum crimen eſt Gratiani, ſi aliud poſteriori ſæculo viſum eſt conſtituere, ſive in Viennenſi concilio a Clemente V. ſive in Tridentino ſub Pio quarto.

B. Idem dicturus es *de gradibus conſanguinitatis, & affinitatis prohibitis matrimonio conjungi*, quod non eſt a Gregorio IX. (*l*) immutatum, ut ait Antoninus: ſed ab Innocentio III. in concilio generali Lateranenſi cap. L. Poſtea refert illa, quæ de furto diximus in monaſterio facto, ut communicent monachi cum illa conteſtatione: *Corpus Domini ſit tibi hodie ad probationem*, ex concilio Vormatienſi cap. xv. & apud Burchardum, (*m*) & Gratianum. (*n*) Id male fieri ait Antoninus B. Thomam ſecutus. Mox verba concilii Carthaginienſis affert, *ut ſacramenta Altaris non niſi a jejunis celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo cœna Domini celebratur*.

A. Concilii Africani verba ſunt cap. XIX. in Corpore canonum, & Carthaginien. III. cap. XXIX. in Iſidori collectione, & caput XLI. eſt Græcis concilii Carthaginien. Refert verba eadem concilium Matiſconen. II. cap. VI. & Anſelmus, (*o*) & Gratianus, (*p*) & liber Cæſarauguſtanus. (*q*)

B. Exceptionem illam cœnæ Domini impugnat Antoninus ex verbis Auguſtini a Gratiano alibi relatis: (*r*) atque ait conſuetudine eſſe derogatum.

A. Huc fortaſſe pertinet, quod in concilio Laodicenſi cap. L. ſtatutum eſt: (*s*) *Quod non oporteat in quadrageſima in ultima ſeptimana quintæ feriæ jejunium ſolvere*, & quæ ſequuntur. Quod aliis verbis Martinus Bracaren. ſcripſit cap. L. ut antea dictum eſt. (*t*) (6)

B. Illud quoque præceptum, ut in eadem die cœnæ Domini omnes communicarent, (*u*) quod non Soteris Papæ eſt, ſed concilii Cabilonenſis II. cap. XLVII. ut alio die a te dictum eſt, (*x*) abrogatum eſſe ait conſuetudine. (7) Ut illud etiam concilii Agathenſis cap. XVIII. *Sæculares, qui in Natale Domini, Paſcha, & Pentecoſte non communicaverint, catholici non credantur*: quod etiam Burchardus, (*y*) & Ivo, (*z*) & liber Cæſarauguſt. (*a*) & Gratianus (*b*) referunt.

A. Mihi Auguſtini oraculum maxime placet: (*c*) *Cotidie Euchariſtiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero: omnibus tamen dominicis diebus communicandum hortor*. Innocentii tertii præceptum in concilio generali cap. XXI. fuit, ut ad minus in Paſchate ſacramentum Euchariſtiæ omnes ſuſciperent. (*d*) (8)

B. Illud, quod falſo Sergio Papæ adſcribunt Ivo, (*e*) & Gratianus, (*f*) *Triforme eſt corpus Domini*; quod Amalarii, ſive Amilarii (*g*) eſt: ex quo capite elicitur, partem quamdam hoſtiæ ſervari debere, viatici, ut creditur, cauſſa: abrogatum conſuetudine eſſe ait. (9) Quod vero ex epiſtola Clementis ſecunda dicitur poſt ſumtam Euchariſtiam aliquot horis eſſe ab alio cibo abſtinendum; quod etiam Burchardus, (*h*) Ivo, (*i*) & Anſelmus, (*k*) & Gratianus (*l*) referunt: id ex B. Thomæ ſententia ait

non

(a) *Burc. lib. 12. c. 12.*
(b) *Ivo li. 8. tit. 8. c. 31. panor. & part. 12. c. 69. decret.*
(c) *Anſ. lib. 11. c. 64.*
(d) 22. *q.* 5. *c.* 16. *honeſtum.*
(e) *Vide dialog. 13. in add. 9.*
(f) *Capit. lib. 1. c. 63.*
(g) *Ivo d. par. 12. c. 33.*
(h) *Burc. li. 12. c. 20.*
(i) 22. *q.* 5. *c.* 17. *decrevit*
(k) *Tarrac. li. 5. cap. 7.*
(l) *c. 3. de conſang. & affinit. in 4. collect. c. 8. non debet, c. ii. Greg. IX.*
(m) *Burc. lib. 11. c. 66.*
(n) 2. *q.* 5. *c.* 23. *ſæpe.*
(o) *Anſ. lib. 9. c. 8.*
(p) *De conſecr. d. 1. cap. 48. ſacramenta.*
(q) *Caſ. lib. 13. c. 4.*
(r) *De conſecrat. d. 2. ca. 54. liquido.*
(s) *De conſecr. d. 3. c. 7. non liceat, & cap. 8. non oportet.*
(t) *Vide dialog. 11. add. 17.*
(u) *De conſecr. d. 2. ca. 17. in cœna.*
(x) *Vid. dial. 13. add. 7.*
(y) *Burc. lib. 5. c. 23.*
(z) *Ivo par. 2. c. 33. decret.*
(a) *Caſ. lib. 11. c. 19.*
(b) *De conſec. d. 2. c. 29. ſæculares.*
(c) *c. 13. e. diſt. cotidie.*
(d) *c. 2. de pœnit. in 4. collect. c. 12. e. tit. omnis, Gregorius IX.*
(e) *Ivo libr. 1. tit. 4. cap. 18. panor.*
(f) *d. diſt. 2. c. 22. triforme.*
(g) *Amal. li. 3. c. 35. de divino. offic.*
(h) *Burc. lib. 5. c. 11.*
(i) *Ivo par. 2. c. 21. decret.*
(k) *Anſ. lib. 8. c. 38. in addit.*
(l) *d. diſt. 2. c. 23. trib.*

non eſſe neceſſario ſervandum. (10) Poſtremo quod, A ex concilio Eliberitano refertur a Burchardo, (*a*) & Ivone, (*b*) & Gratiano, (*c*) & in libro Cæſaraugustano (*d*), ſed in conciliis non inveni: *Ut ante communionem a conjugibus ſe abſtineant aliquot diebus, conſilium eſſe, non præceptum*, B. Antoninus ait. (11) De aliis majoribus erroribus alio die, ſi placuerit, ejus opinionem referam.

A. Ita fiat.

ADDITIONES.

(1) Diſtinctione quarta ante caput quartum, Statuimus, in Romana editione Gratiani verba ſunt: Unde illud Teleſphori Papæ, qui decrevit, ut generaliter clerici a quinquageſima a carnibus & deliciis jejunent) quin moribus utentium approbatum non eſt; aliter agentes, tranſgreſſionis reos non arguit. Teleſphorus urbis Romæ Epiſcopus omnibus Epiſcopis epiſt. 1. Statuimus, ut ſeptem hebdomadas plenas ante ſanctum Paſcha B *omnes clerici in ſortem Domini vocati a carne jejunent. In marg. eſt: al. carne & deliciis. Et Ivo par. 4. c. 25. Pann. l. 2. c. 174. Et in notis ante caput 4. Quinquageſima) Poſt hoc verbum in codicibus impreſſis ſequebatur, jejunandi propoſitum ſuſciperent, & a carnibus & deliciis abſtinerent: ſed omnes fere manu ſcripti habent eo modo, quo reſtitutum eſt. (Sholium Joannis ridiculum eſt: Iſtud cap. non tenet, quia hodie quinquageſima non ſervatur, cum ipſa celebretur poſt Paſcha. Jo.) Capitis quinti e. diſt. inſcriptio eſt: Item Ambroſius in lib. ſermonum. Quadrageſima ſeu ſeptimanas habet &c. In notis additur: Sermonum) Inventi* C *ſunt Romæ in bibliotheca Vaticana, & Mediolani in bibliotheca monaſterii S. Ambroſii ſermones aliquot manu ſcripti, Ambroſii nomen præferentes, inter quos eſt ſermo de ſexageſima, cujus initium eſt, Adeſt tempus, unde hoc caput ſumtum eſt. Ante cap. 6. ejuſd. diſt. Denique ſacerdotes; quod eſt extremum hæc verba ſunt: quod B. Gregorius Auguſtino Anglorum Epiſcopo ſcribit dicens. Et in marg. eſt: Ivo par. 4. cap. 29.*

(2) Non recte in eodem libro ante diſtin. 3. de conſecrat. poſita eſt inſcriptio capitis primi: Item ex concilio Lugdunenſi. In marg. hæc ſunt: Cod. de fer. le. omnes dies. Nov. Leon. 54. Mogunt. 1. cap. 36. Capit. l. 1. cap. 164. & lib. 2. c. 35. Burc. l. 2. c. 77. Ivo p. 4. c. 14. Balſamon ad tit. 7. Nomocanonis. D *Inſcriptio cap. 8. e. diſt. hæc eſt: Item ex concilio Aurelianenſi cap. 29. Rogationes, id eſt, litanias, ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari, ita ut præmiſſum triduanum jejunium in Dominicæ Aſcenſionis ſolemnitate ſolvatur. In margi. ad vocem præmiſſum additur: al. poſt miſſam. Et initio capitis: Beda de officiis tomo 7. Albinus pag. 67. Burch. l. 13. c. 17. Ivo par. 4. ca. 11.*

(3) Initio diſtin. 73. in eodem libro ut Gratiani verba ſcribuntur illa, Qualiter vero commendatitiæ &c. Debent namque litteræ Græcæ interponi in ea epiſtola, & non ſine cauſſa. Græca enim elementa &c. In marg. hæc ſunt: Ex Attico ad finem concilii Chalcedonenſis. Anſ. l. 6. c. 121. Ivo p. 6. c. 433. Capitis primi inſcriptio eſt: Exemplar E *formatæ epiſtolæ, quæ in Nicæna ſynodo CCCXVIII. patribus facta eſt. In nomine patris π. & filii, υ. & Spiritus ſancti α. π. Vualterio Spirenſi &c. In marg. eſt: Burc. l. 2. c. 227. Ivo p. 6. c. 434. Simile quiddam, multoque magis c. 435. In notis: Conſervet) In hoc, & ſeq. capite ea tantum ſunt emendata, quæ exemplarium auxilio reſtitui poterant. Ceterum quæ hoc loco ſequuntur, etiam apud Burchardum ſunt depravata. Facile autem reſtitui poſſunt ex regulis initio diſtinctionis traditis. Quibus quidem regulis optime reſpondet exemplum ab Ivone allatum par. 6. c. 435. ſi litteræ in extremo 434. capitis poſitæ, ponantur loco earum, quæ in ipſo 435. afferuntur: Addita enim illis dictione ἀμὴν reſultat numerus ibi notatus, id eſt; DCCLXXVIII. Bene etiam procedet exemplum cap. 434. ſi ubi nunc ſumma eſt 1539. ſiat 1439. Satis ſit locum indicaſſe. Capitis 2. e. diſtin. inſcriptio eſt: Incipit epiſtola formata a CCCXVIII. Epiſcopis, & ab Attico Conſtantinop. urbis Epiſcopo edita. Sanctiſſimo in Chriſto fratri ſumma dulcedine* B *caritatis amplectendo &c. In marg. eſt: Anſ. l. 6. c. 121. Et in notis: Ab Attico) Antea legebatur Abbatibus. Reſtitutus eſt locus ex conjectura (quod perraro factum eſt) quoniam evidenti ratione nitebatur. Poſt verbum Concedat, ἀμὴν, vel ſic ϛθ) Addita ſunt hæc ex aliquot vetuſtis exemplaribus & utriſque iſtis notis idem numerus 99. ſignificatur. In codicibus vero impreſſis vel nihil erat, vel dictio amen Latine ſcripta; in qua nulla eſt numeri ſignificatio. Diſtin. 72. in prin. Gratianus, ait: Dimiſſorias vero litteras Epiſcopus, niſi rogatus, non tribuat: ſicut ſtatutum eſt in ſynodo habita Romæ. Unde Leo Papa ait: Epiſcopus ſubjecto &c. In marg. eſt: Anſ. l. 6. c. 122.* C *(Omittitur ſumtum eſſe ex ſynodo Romana Leonis IV. cap. 18.)*

(4) Vide Addit. 9. dialogi 13.

(5) Inſcriptio capitis 17. Decrevit. 22. q. 5. in eodem libro Romano hæc eſt: Unde in concilio apud S. Medardum habito. Et in marg. eſt: Simile quiddam in ſchedis Capitularium e Gallia miſſis. Burchardus lib. 12. cap. 20.

(6) De conſecrat. diſtin. 1. cap. 49. Romanis inſcriptio eſt: Item ex concilio Africano c. 8. Sacramenta altaris &c. Et in marg. eſt: Concor. c. 29. concilii Carth. tertii. Anſel. l. 9. c. 3. Inſcriptio cap. 34. Liquido apparet. de conſecr. diſt. 2. eſt: Item Auguſtinus in libro reſponſorum ad Januarium cap. 6. Et in marg. eſt: epiſt. 118. & Beda 1. Corin. 11. Ivo p. 2. c. 112. Pann. l. 1. c. D *146. Alg. l. 2. c. 1. Vide etiam dialogi 11. addit. 17.*

(7) Vide dialogi 13. addit. 7.

(8) Ante caput 19. Sæculares, de conſecr. diſt 2. in editione Romana hæc verba ſunt: Item ex concilio Agathenſi c. 18. Et in marg. eſt: Burch. l. 5. c. 23. Ivo par. 2. c. 33. Inſcriptio cap. 13. e. diſt. hæc eſt: Item Auguſtinus de eccleſiaſticis dogmatibus c. 53. Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere nec laudo, nec vitupero, omnibus tamen dominicis diebus communicandum ſuadeo, & hortor &c. In marg. hæc ſunt: VValfridus de rebus eccle. c. 12. Sent. 4. diſt. 12. Algerus l. 1. c. 22. & 10. Polyc. l. 3. tit. 16. Anſ. l. 9. c. 9. Burch. l. 5. E *c. 15. & 16. Ivo par. 2. c. 23. & 26. Pann. l. 1. c. 150. Et verſ. Idem epiſt. 118. c. 3. Dixerit quiſpiam non quotidie &c. eſt in marg. Amalarius de eccleſ. off. c. 12. Cabilon. 2. c. 46. Beda 1. Cor. 11. & ibi gloſſ. ord. Eugippus. Et in notis: Caput ex duobus B. Auguſtini locis confectum, & in ſummam redactum, ea iiſdem, ubi opus eſſe viſum eſt, & emendatum eſt, & auctum. Algerus autem, & VValfridus Strabo citant uſque ad verſ. Idem ex Gennadio Maſſilienſi presbytero, quem beatus etiam Thomas quodlib. 12. art. 10. facit auctorem libri de eccleſiaſticis dogmatibus, & Platina in vita Symmachi, & Magiſter Sent. lib. 2. diſt. 8.*

(9) Capitis 22. Triforme de conſecrat. diſt. 2. in

(a) *Burc. lib. 5. c. 22.*
(b) *Ivo libr. 1. tit. 4. c. 29. panorm. & par. 2. c. 32. decr.*
(d) *De conſecrat. d. 2. c. 31.*
(c) *Caſ. lib. 21. c. 18. omnis.*

in eodem libro inſcriptio eſt: Item Sergius Papa ait. In margin. eſt: Gloſſa ordin. 1. Cor. 11. Sent. 4. diſt.... Amalarius l. 3. c. 35. Alcuinus fol. 79. Micrologus c. 17. Rabanus de inſtit. cler. c. ulti. Alg. l. 1. c. 19. Ordo Romanus fol. 5. Pann. l. 1. c. 141.

(10) *Ejuſd. diſtin. ſecundæ inſcriptio capitis* 23. *Trib. gradib. in eod. libro hæc eſt: Item ait Clemens Papa epiſt. 2. Et in marg. eſt: Ordo Romanus fol. 87. Polyc. l. 3. tit. 16. Burch. l. 5. c. 11. Ivo par. 2. c. 21. & 64. & 86. Pann. l. 1. c. 149.*

(11) *In eodem libro capitis* 21. *Omnis homo, ejuſd. diſtin. inſcriptio eſt: Item ex concilio Eliberitano. In marg. eſt: Burch. l. 5. c. 22. Ivo par. 2. c. 32. Pann. l. 5. c. 152. In notis: Nec iater) Hæc uſque ad finem abſunt hoc loco a Burcharde & Ivone, ſuntque ſumma quædam capitis, Seculares, ſupra eod.*

D I A L O G U S XVII.

De aliis majoribus erroribus Gratiani ex B. Antonini ſententia.

A. Quantum ego prævideo, periculum eſt C. ne heic nobis totum Gratianum de manibus auferat.

C. Quid ita?

A. Quia hac ſola machina B. Antonini adhibita, magnam noſtri præſidii partem expugnavit.

C. Magis mihi viſus eſt adhuc de re ſatis nota egiſſe, quam illi facile conceſſerimus, eſſe apud Gratianum non pauca moribus non recepta, aut contrariis conſtitutionibus abrogata.

B. Majora ſunt, quæ molior. Oſtendam enim illum hominem ſtupidum fuiſſe, multiſque in rebus nihil vidiſſe.

C. Ain vero?

B. Audies, quid ſanctiſſimus vir de hoc homine [*Diſt. 13. in pria.*] dicat. In primis notat quod etiam Joannes Teutonicus fecit, Gratianum dixiſſe *perplexo inter duo mala, hoc eſt peccata, licere minus eligere, idque perpetrare*. Atqui numquam cogitur quis peccare, nec poteſt eſſe perplexus neceſſario: ergo falſum eſt, licere alicui minus peccatum eligere. Id confirmat Hieronymi, & Auguſtini, & B. Thomæ verbis.

A. Quibus verbis utitur Gratianus?

B. „ Item adverſus naturale jus nulla diſpenſa„ tio admittitur, niſi forte duo mala urgeant ut „ alterum eorum neceſſe ſit eligi. Unde in conci„ lio Toletano 11x. *cap.* 11. ſic legitur: Duo ma„ la &c. Item Gregorius in moralibus. Nervi te„ ſticulorum Leviathan &c. "

A. De duobus malis, non de duobus peccatis Gratianus loquitur.

B. At in verbis Toletani concilii, & B. Gregorii, quibus ſuam opinionem fulcire nititur, invenies duorum peccatorum mentionem.

A. Illos igitur accuſa, non Gratianum. Nam de duobus malis quæ peccata non ſint, vera eſt Gratiani ſententia. Et præſtat amittere brachium, [*1. Paral. 21.*] quam caput: & incidere in manus Dei, quam hominum, & his ſ ecuta ſunt ſimilia.

B. At poſtea diſtin. XIV. ſic Gratianus ait: „ Ve- [*Diſt. 14. in prin.*] „ rum hoc ita in una, eademque perſona intelli„ gitur. Ceterum an in diverſis eadem diſpenſatio „ locum habeat, videlicet, ut committamus mi„ nora, ne alii gravioribus implicentur, „ merito „ quæritur. " Non tibi videtur affirmare, quod iſti dicunt?

A. Mihi aperte id dicere non videtur, ſed in eam ſententiam inclinare, & lectorem eo laqueo induere, quo ſe non facile liberet.

B. Id mihi ſatis eſt. (1) Sequitur illud *de presbyteris, ut poſſint ea conſuetudine, ſi urgeat neceſſitas, & Epiſcopi abſint, chriſmate pueros in fronte ſignare*. Id falſum eſſe ait poſt Joannem, & B. Thomam, & alios Theologos. Verba Gratiani [*Diſt. 95. c. 2. p. 1.*] diſtin. XCV. hæc ſunt: „ Sed illud Gregorii pro„ ſcandalo ſedando ſemel conceſſum legitur. Illud „ autem Leonis Papæ & Gelaſii, uſu approbante, „ prævaluit: niſi forte, ubi aliquorum conſuetudo „ hoc admiſit, ut in abſentia Epiſcopi, extrema „ neceſſitate cogente, ex conceſſione Gregorii, „ presbyteri baptizatos in frontibus liniant. Prohi„ bitio vero Leonis, & Gelaſii in eo caſu intelli„ gatur, cum Epiſcopi præſentes ſunt, vel cum „ non cogit ultima neceſſitas. "

A. Diſplicent hæc omnia. Namque ordinarii miniſtri hujus ſacramenti ſunt Epiſcopi, ut in concilio Tridentino dicitur. (2)

B. In notoriis ſive manifeſtis non requiri ordinem judiciarium: (*a*) reprehendit Antoninus, quaſi non ſemper verum ſit, ſed aliquando, ut notat Joannes Teutonicus. Item quod poſtea Gratianus dicit: (*b*) „ Aliquando evidentia ipſa operis reum eſſe „ teſtatur; quando opere publico crimen ſuum con„ fitetur: tunc poſt ſecundam & tertiam correctio„ nem, ſine examinatione damnandus eſt, ſi incor„ rigibilis extiterit. Neque enim in his notoriis „ requiritur admonitio, ſive correctio, aut forte „ correptio. " (3)

A. Hæc levia ſunt.

B. Illud gravius eſt, quod anathema in verberantes clericos (*c*) interpretatur, *ſeparationem a ſacramentis, & ab ingreſſu eccleſiæ*, non a communione fidelium; (*d*) quod Joannes etiam notat.

A. Calumniam mihi pati videtur Gratianus; non enim id aperte dixit. Immo inter excommunicationem & anathema prius hanc differentiam ſtatuit, quam ego minime probo; ut anathema ſit, cum ſeparatur quis a conſortio fidelium: excommunicatio, cum ſe quis ſeparat, aut a ſuperiore ſeparatur ab ingreſſu eccleſiæ, & a communione Euchariſtiæ, ut pœnitentibus evenit.

B. Inconſtantiæ crimen effugere non poteſt; quod enim de excommunicatione dixerat, id de anathemate in hoc crimine interpretatur. (4) Sequitur illud de interpretatione horum verborum Gregorii. „ Sententia paſtoris ſive juſta, ſive injuſta timenda [*11. q. 3. c. 1. & c. 77. ad ſolam, p. 2.*] „ eſt. Contingit, *inquit*, aliquando, ut adulter ſen„ tentiam pro ſacrilegio reportet, cujus reatum in „ conſcientia non habet. Hæc ſententia etſi injuſta „ ſit, quia non eſt in eo crimen, ſuper quod lata „ eſt ſententia, tamen juſte ab eo reportata eſt: „ quia ex reatu adulterii jam diu apud Deum ex„ communicatus fuerat. Et in hoc caſu intelligenda „ eſt illa auctoritas Gregorii: Sententia paſtoris „ &c. „ Hoc & Joannes, & Antoninus improbant: qui volunt, ut quamvis ſit injuſta, niſi poſt appellationem lata ſit, vel contineat intolerabilem errorem, a judice ſuo lata, eum liget, & ab eo ſervanda ſit.

A. Servanda eſſe publice, non negarem; ligare eum apud Deum, dubito. Illa tamen Gregorii verba placent. „ Qui ſub manu paſtoris eſt, liga„ ri timeat vel injuſte; nec paſtoris ſui judicium „ temere reprehendat; ne etſi injuſte ligatus eſt, „ ex ipſa tumidæ reprehenſionis ſuperbia, culpa „ quæ non erat, fiat. " (5.)

B. Illud etiam reprehendunt; quod dixerit, *orientis clericos qui uxores habeant, habere etiam bona* [*12. qu. 1. ca. 24. præcipimus, p. ſed notandum.*] *propria poſſe, quibus uxoribus & filiis conſulant*: ſic etiam his, qui in occidente filios ex legitimo matrimonio habent, ſive uxoribus vivis continentiam pro-

(*a*) 2. *q.* 1. *c.* 14. *prohibentur, in fine, & cap.* 16. *qua Lotharius, p.* 1.
(*b*) *c.* 20. *Deus. p. quando, c. q.*
(*c*) 17. *q.* 4. *c.* 29. *ſi quis.*
(*d*) 11. *q.* 3. *c.* 24. *ad menſam. p. evidenter.*

profeſſis, ſive mortuis; non vero licere hiſclericis, qui ab infantia ſacræ militiæ traditi ſunt, niſi forte retinendo ſua a ſumtibus eccleſiæ abſtineant. Contra autem illi ſtatuunt omnibus clericis licere propria, niſi eis renuntiaverint, ut regulares, vel qui voto ſe aſtrinxerunt paupertatis; vel in primitiva, ut ajunt, eccleſia, quorum erant bona communia. Hunc errorem in notis quoque ſelectorum virorum invenio reprehenſum.

A. Jure quidem reprehenditur. Sed & Chriſtum Dominum, & Apoſtolos propria bona habuiſſe, declaraſſe videtur Joannes XXII. duabus conſtitutionibus. (*a*) (6).

B. Poſt hæc, ut imperfecte docens reprehenditur in quæſtione, an liceat clericis in judicio ſua repetere, (*b*) quod dixerit, *licere pro damno vitando, non pro lucro quærendo: aut pro communibus ſuarum eccleſiarum rebus ſtare in judicio, eaſque defendere*. Veriuſque eſſe, eos clericos qui habere poſſunt propria bona, poſſe etiam ea repetere in judicio: alios nomine monaſteriorum ſuorum ſi præſunt eis; minores mandato ſuperiorum. (7)

A. Leve etiam hoc eſt crimen.

B. Sequitur illud, quod ex jure civili ſumtum eſt: *Sufficere bonam fidem in præſcriptione xxx. anno initio poſſeſſionis, licet poſtea quis mala fide poſſederit*. (*c*) Mendoſe tamen Gratiani locus refertur a B. Antonino, quod etiam in aliis quibuſdam accidit.

A. Innocentius III. in concilio generali Lateran. cap. XLI. ſic ait: (*d*) *Oportet, ut qui præſcribit, in nulla temporis parte, rei habeat conſcientiam alienæ*. (8)

A B. Si poſt votum ſimplex caſtitatis jurat quis aliquam ducere uxorem, ſacramentum illicitum eſſe fatentur Gratianus & Antoninus: ſed ſervare hoc ſacramentum non vetari, pœnitentia de voti fractione indicta, ſit Gratianus; quod verum eſſe conſummato matrimonio, Antonino placet; namque ſi non conſummaverit, prohibetur ſervare id ſacramentum, & peccat, inquit, mortaliter. *32. q. 4. c. ult. p. unde datur, & p. eſt etiam.*

A. Vide Cæleſtini III. reſcriptum: quod Gratianus videre non potuit. *Ca. 3. qui cleri. vel vov. in 2. collect. & c. 6. rurſus, e. tit. Greg. IX.*

B. Illud quoque poſt B. Thomam notat: dixiſſe B Gratianum, poſſe quem jurare, ne clerici tonſuram, neve monachi habitum umquam accipiat: ac ſi juraverit, ſervandum eſſe. Illicitum eſſe juſjurandum eis videtur, & peccaſſe jurantem, quod obicem, inquiunt, oppoſuit Spiritui ſancto.

A. Verum mihi eſſe videtur, quod dicunt. Sed Gratianus de eo loquitur, qui cogebatur a parentibus alterutrum facere, qui ſine ullo peccato potuit jurare, ſe id non facturum, invitum ſcilicet. (9)

B. Quod ſequitur, omitti potuiſſet; ſed ne quid C relinquam, dicam Gratianum & Joannem Teutonicum notat Antoninus, quod affirmaſſe videantur, eum qui cogit aliquem falſo jurare, aut exigit ab eo jusjurandum, ita peccare, ut is qui pejerat. Sed id verum eſſe ait, cum ſcit, aut probabiliter credit, falſum illum juraturum. Judex quoque exigens ſacramentum juris ordine obſervato, ſive per ſe, ſive parte petente, non peccat, etſi ſciat, vel credat illum falſo juraturum, ut B. Thomas ſcribit. (10) *22. q. 5. in prin.*

A. Cetera alterius actionis ſint.

ADDITIONES:

(1) G*Ratiani verba ſunt in editione Romana diſtin. 13. in prin. Item adverſus naturale jus nulla diſpenſatio admittitur; niſi forte duo mala ita urgeant; ut alterum eorum neceſſe ſit eligi. Unde in concilio Toletano 8. c. 2. legitur: Duo mala licet ſint cautiſſime præcavenda &c. In marg. eſt: Ivo p. 12. c. 16. Pann. l. 8. c. 119. Et in notis: In ipſo concilii capite multa antecedunt, & ſequuntur, quæ perlegenda ſunt. Item diſtin. 14. in prin. Gratianus ait: Verum hoc in una, eademque perſona intelligitur. Ceterum an in diverſis, eadem diſpenſatio locum habeat, videlicet ut committamus minora, ne alii gravioribus implicentur, merito quæritur.*

(2) *Verba etiam Gratiani ſunt diſt. 95. cap. 2. Presbyteros par. Sed iſtud in editione Gregoriana, ut in ipſo dialogo relata ſunt.*

(3) *Hæc ejuſdem Gratiani verba ſunt in eodem libro ante caput 15. Manifeſta. 2. quæſt. 1. Verum hæc de illis intelligenda ſunt,] quorum crimina ſunt occulta: ceterum quæ manifeſta ſunt, judiciarium ordinem non requirunt. Unde Ambroſius: Manifeſta accuſatione non indigent. In notis additur: Ivo in epiſtola ad Hugonem, quæ incipit, Litteras r. p. ſic ait: Manifeſta autem accuſatione non indigere teſtatur B. Ambroſius epiſt. ad Corin. ita dicens de eo, qui cum noverca (Judicis non eſt, &c.) ut infra c. de manifeſta. Item cap. 16. Quæ Lotharius par. 1. e. q. hæc etiam Gratiani verba ſunt: In manifeſtis enim calliditate accuſantium non opprimitur reus &c. atque ideo in talibus judiciarius ordo non requiritur. Et cap. 20. Deus omnipotens, par. Quando autem ita Gratianus ſcribit: Aliquando evidentia ipſa &c. ut in dialogo.*

(4) *Sunt etiam hæc ejuſdem Gratiani verba in eodem libro 11. quæſt. 3. c. 24. Admenſam, par. Evidenter: Hæc ſententia excommunicatio vocatur: quæ a communione corporis, & ſanguinis Chriſti notatum* D *prohibet &c. Qua ſententia non ſeparatur quis a conſortio fidelium. Eſt & alia ſententia, quæ anathema vocatur: qua quiſque ſeparatur a conſortio fidelium, de qua ſupra (Cum excommunicatis nolite communicare) &c. Et poſtea: Juxta igitur hanc diſtinctionem intelligenda eſt illa auctoritas Innocentii Papæ ſecundi (Si quis ſuadente diabolo &c.) ut infra cauſa (Quidam presbyter) (in marg. eſt: 17. q. 4.) ut juxta etymologiam vocabuli anathemati, id eſt, ſeparationi ſubjaceat, qui in edictum illud inciderit, qui a corpore, & ſanguine Chriſti, & ab ingreſſu eccleſiæ ſe alienum facit: qui impias manus in clericum (ſcribe clericum) injicere auſus* E *fuerit: qui etiam a nullo Epiſcoporum abſolvi, id eſt more pœnitentium reconciliari poterit, niſi primum Apoſtolico conſpectui ſe repræſentare curaverit.*

(5) *In eadem cauſa 11. q. 3. ante cap. 1. verba Gratiani ſunt in eodem libro: Sed quod ſententia Epiſcopi ſive juſta, ſive injuſta fuerit, timenda eſt: In notis additur: Ipſa prorſus B. Gregorii verba leguntur infra ead. c. Non ſolum, verſ. Utrum juſte. Ejuſdem Gratiani verba ſunt cap. 77. Non ſolum, par. 1. e. q. Cum ergo ſententia ex ordine injuſta eſt, nec tunc ab ea recedendum eſt: quia etiam, ante quam ſententia daretur in eum, pro qualitate* F *reatus ſui ligatus apud Deum tenebatur. Contingit aliquando &c. ut in dialogo. Et poſtea, Paſtor ergo vel abſolvere indiſcrete timeat, vel ligare. Is autem, qui ſub manu &c. ut in ipſo dialogo.*

(6) *Gratianus ita in eodem libro ſcripſiſſe dicitur. 12. q. 1. c. 24. Præcipimus, par. 1. Sed notandum eſt, Epiſcopos orientales uxores habere, & filios: quoſdam autem ex noſtris partibus cum in laicatu, ſive in minoribus ordinibus conſtituti habeant uxores, & filios, ſive morte uxoris interveniente, ſive continentia pari voto ſervata, ad ſacros ordines accedere. His omnibus conceditur habere propria ad ſuos,*

(a) *Extrav. cum inter & extra. quia quorumdam, Jo. 22.*

(b) 14. *q.* 1. *c.* 0. *p.* 8.

(c) 16. *q.* 3. *c.* 15. *placuit, p. præſcriptionum.*

(d) *Cap. 3. de præſcr. in 4. collect. & c. ult. eo tit. Gregorius IX.*

ſuos, & ſuorum uſus. Qui autem ab infantia ſacræ militiæ traditi ſunt, nullo modo eis permittitur habere propria: quia nulla eſt eis excuſatio proprietatis: niſi fortaſſe retinendo ſua, a ſumtibus eccleſiæ abſtineant.

(7) *Idem Gratianus ait in eodem libro 14. q. 1. c. 1. par. 1. Prohibetur perfecto in judicio ſtare captando lucrum, ſed non evitando damnum. Vel aliter: Aliud eſt, ſua poſſidere: aliud eſt communium procuratorem eſſe. Canonici non poſſident ſua: quia res oblatæ non ſunt alicujus. Utuntur enim rebus eccleſiæ non ut ſuis, ſed tamquam ad diſpenſandum ſibi creditis &c.*

(8) *Verba etiam Gratiani ſunt in eodem libro 16. q. 3. c. 15. placuit, par. præſcriptionum. Bona vero fides non ad tractum medii temporis, ſed ad initium poſſeſſionis refertur. Sufficit enim initio cuique bona fide poſſidere cœpiſſe, etiam ſi medio tempore ſcientiam rei alienæ habuerit. In marg. eſt: al. conſcientiam.*

(9) *Hæc etiam in eodem libro ejuſdem Gratiani verba ſunt 22. q. 4. c. ult. par. Unde datur. Aliquando datur; namque juramento deeſt juſtitia, veluti cum quiſpiam poſt votum caſtitatis ducit uxorem juramento firmans numquam ſe ab ea diſceſſurum: quod quamvis illicitum ſit, quia juſtitia ſibi probatur deeſſe: tamen auctoritate Auguſtini ſervari præcipitur. Et poſtea: Eſt etiam id, quod juratur, aliquando vitioſum, non natura ſui, ſed ex cauſſis extra venientibus: veluti cum aliquis poſt votum caſtitatis jurat alicui ſe habiturum eam in conjugem. Conjugem namque habere, in ſe ipſo malum non eſt: tamen huic ex voto pernicioſum eſt. Hoc autem juramentum etiamſi illicitum ſit, non tamen ſervari prohibetur: ſed de violatione voti pœnitentia ſibi jubetur indici. Et verſ. Ex modo. Veluti dum aliquis a parentibus coactus, ut clericatus tonſuram, vel religionis veſtem ſuſcipiat, ſe neutrum facturum juramento firmaverit. Hoc quamvis aliquibus videatur reprehenſibile; quia opus caritatis juramento ſe non facturum promiſit; nulla autem auctoritate ſervari prohibetur &c.*

(10) *Illa quoque Gratiani verba ſunt in eodem libro 22. q. 5. in prin. Quod autem quinto loco quæritur, ſi licitum eſſet, quod Archidiaconus juraverat, an Epiſcopus eſſet reus perjurii, qui ad pejerandum Archidiaconum cogebat; facile poteſt diſcerni. Si enim conſentiens pari pœna cum faciente puniendus eſt, multo magis ille qui cogit, reus admiſſi criminis probatur.*

DIALOGUS XVIII.

De Eodem re.

De conſec. d. 4. c. 24. quodam.

C. QUID illud eſt, quod apud Gratianum legitur ex Nicolai reſponſo ad conſulta Bulgarorum: „ A quodam Judæo, neſcitis, utrum Chriſtiano, an pagano, „ multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis? “ Quo pacto is qui Judæus erat, potuit paganos eſſe? aut de eo, quem certum erat, Judæum eſſe, dubitabatur, num Chriſtianus eſſet, an paganus?

A. Conſuluiſti fontes ejus capitis? nuper enim prodierunt illa Nicolai reſponſa.

C. Conſului: caput eſt CIV. non tertium, ut Demochares edidit. Varietas verborum nulla eſt, neque etiam apud Ivonem Carnotenſem. (*a*)

A. In libro Cæſarauguſtano (*b*) inveni: *A quodam viro*, pro, *A quodam Judæo*, ſcriptum, quod mihi vehementer placuit. Sunt qui putent illum Judæum natione fuiſſe, non religione.

C. Id mihi non fit veriſimile. (1) Sed cur magis credendum eſt huic libro, quam fontibus ipſis?

A. Quia non ſunt ipſi fontes, ſed fontium imagines. Idem de veteribus libris dicendum eſt: in quo plerique falluntur. Dum enim putant ſatis eſſe, ſi quid in veteri libro invenerint, referre; etiam ea quæ recte edita ſunt, mutare audent. Sed multo tutius eſt, probare prius omnia, & cum priori, & poſteriori ſententia conferre. Et quia de falſis inſcriptionibus aliis diebus actum eſt; vide, quid in hoc eodem libro Cæſarauguſtano & in alio veteri legi Syricio Papæ adſcriptum: *Vino ægrotum baptizare poſſe, modo in nomine Trinitatis baptizetur.*

Cæſ. li. 12. c. 9.

C. Hoc Eccleſia catholica non recepit.

B. Neque Syricius hoc umquam dixit: ſed vanus aliquis ſemipaganus. Quid? illud, quod apud Ivonem (*c*) inveni ex Auguſtini libris (*d*) acceptum, Concilium Sardicenſe concilium Arianorum fuit?

A. Ego id non apud Ivonem ſolum, ſed etiam in aliis libris legi; (*e*) & aut Auguſtinum falſo deceptum fuiſſe putavi, aut ea verba non eſſe Auguſtini. Et in Africa fuiſſe id concilium non rejectum apparet ex concilio Carthaginien. 1. cap. v. (*f*) in quo ſanctiſſimum concilium appellatur. Licet ſextæ ſynodi Patres, in quibus ipſe Aurelius Auguſtinus fuit, non adgnoverunt duos eſſe ejuſdem concilii canones, qui a Legatis Romanis concilii Nicæni eſſe dicebantur. Mitto, quod in Corpore canonum, & in omnibus Græcis & Latinis collectionibus conciliorum habeantur, & in Leonis IV. epiſtola inter eos numerentur, per quos judicant, & judicantur Epiſcopi. (2) Sed quo progredimur? redeamus ad Antonini notas.

Diſtin. 20. c. 1.

B. Non multa reliqua ſunt. Quorum primum eſt de differentia ejus, qui veterem hæreſim defendit; & ejus qui novam ſuſcitat; illum excommunicatum eſſe, & ſuſpenſum ab executione ordinis & juriſdictionis, & ſic neminem poſſe excommunicare: de alio Gratianus dubitat, quia toleratur, & non reiicitur, ut excommunicatos, & ſic valent ab eo geſta. Joannes & Antoninus omnes eſſe excommunicatos affirmant, & neminem poſſe excommunicare: licet alia gerat, dum toleratur.

24. q. 1. in prin. & 1. 4. audivimus. p. 1.

A. Non id aperte Gratianus dicit, quod illi notant. Servandæ autem ſunt Lucii tertii, & Innocentii tertii conſtitutiones. (3)

B. Quædam poſtea notat B. Antoninus, ſed oblitus eſt locum certum indicare, in quo ea Gratianus ſcripſerit; ſunt autem ea quæ refert, diſtin. L. non in eadem illa cauſſa XXIV. in qua ſuperiora continebantur. Quæritur de lapſis poſt baptiſma in aliquod crimen, & pœnitentibus an poſſint ad ordines ſacros & dignitates, vel parochias promoveri: aut jam promoti permanere poſt crimina in eiſdem & ad alia promoveri queant. Refertur Gratiani diſtinctio: ut ſi vere eos pœniteat, utrumque poſſint; ſi ficte, neutrum poſſint. Obicit noſter exceptionem de his criminibus, quæ inducunt irregularitatem. Neque enim pœnitere ſatis eſt, ſed ſuperioris diſpenſatio eſt neceſſaria. Alia diſtinctio Gratiani eſt, ſi crimina ſunt occulta, tunc poſſint promoveri; ſi manifeſta, non poſſint. Sed eodem modo addatur exceptio irregularitatis, & ex qualitate criminum cognoſci poterit, an requiratur diſpenſatio, & an diſpenſare debeat Epiſcopus, vel Pontifex Romanus.

Cap. ad abolendam, & c. excommunicamus, & haret.

Diſt. 50. c. 24. ſacerdos p. quomodo.

Ca. 32. presbyteros, in fine, e. diſt.

A. Hæc ipſum Gratianus fateretur. (4)

B. Capitale crimen extremo loco poſitum eſt ad-

(a) *Ivo lib. 1. tit. 2. c. 22. panorm. & part. 1 c. 248. decr.*
(b) *Cæſ. lib. 12. c. 62.*
(c) *Ivo par. 4. c. 80. dec.*
(d) *Aug. contra Creſconium lib. 3. & 4.*
(e) *Cæſ. lib. 1. c. 47.*
(f) *Diſt. 71. c. 6. Primatus. al. Primatui.*

adverſus Gratianum de pœnitentiis diſtin. 1. & ejus fratrem, ut vulgus putat, Petrum Lombardum, quem Magiſtrum ſententiarum appellant. Ambo enim fratres quæſtionem proponunt, an ſit neceſſaria oris confeſſio, quam ſacramentalem vocant, ad remiſſionem peccatorum; vel ſola contritio cordis & ſecreta ſatisfactio ſufficiat, etiam ſi copia vel facultas adſit presbyteri. Neuter ſolvit quæſtionem: immo Gratianus multis in utramque partem relatis ait: „ Cui autem harum potius „ adhærendum ſit, lectoris judicio reſervatur. „ Utraque enim fautores habet ſapientes & reli„ gioſos viros, “ Mox addit Theodori Cantuarienſis verba: „ Quidam Deo ſolummodo confiteri de„ bere peccata dicunt, ut Græci: quidam vero „ Sacerdotibus confitenda eſſe percenſent, ut tota „ fere ſancta eccleſia, “ & quæ ſequuntur.

De pœnit. d. 1. c. 88. quamvis. p. quibus & c. ult.

A. Cabilonenſis concilii ſecundi ſub Carolo verba ſunt cap. XXXIII. Referunt etiam Capitularia, (a) & Burchardus, (b) & Ivo. (c) Sed hi duo ut Gratianus; Capitularia, & concilia carent illis verbis, *ut Græci*: item illis; *ut tota fere ſancta eccleſia*. Et Gratianus quæſtionem aliis verbis proponit. Neque enim is illa addit, *cum facultas adeſt presbyteri*. Et cum hæc quæſtio ante Innocentii tertii in concilio generali cap. XXI. conſtitutionem propoſita fuerit a B. Thoma & Antonino; uterque frater crimine liberatur. Non quod ſacramentum pœnitentiæ non ſit a Chriſto inſtitutum, cujus partes ſunt contritio, confeſſio, & ſatisfactio, ut in concilio Tridentino aperte definitum eſt: ſed quo tempore confitendum eſſet ſacerdotibus, hoc tum primum declaratum eſt.

De pœnit. & remiſ. c. omnis.

B. Vis dicam, quod ſentio?

A. Quid eſt, cur opus ſit, veniam petere?

B. Tota hæc diſtinctio plus nocet nobis, quam prodeſt. Male autem incerta ſunt hæc, ut quæſtio tertia cauſſæ XXXIII. & poſtea quæſtiones & cauſſæ additæ. Præſtitiſſet de pœnitentiis poſt omnes cauſſas ante tractatum de conſecratione conſcribere.

A. Sunt, qui putent hos duos tractatus non eſſe Gratiani, quamvis Gratianus ipſe aliquot locis in cauſſis eorum faciat mentionem; & in quibuſdam libris non eſſe diſtinctos capitibus ſeparatis; numeris autem capitum certum eſt nullum Gratiani volumen fuiſſe diſtinctum ante Contianam editionem.

C. Cur tu eos numeros non ſequeris, ſed aliam rationem?

A. Ego numeros addidi ante eam editionem; neque divinare potui, quid in ea ſcripturus eſſet Contius. Varietatis cauſſa eſt, quod ille caput ſecundum appellat, quod ego primum eſſe puto: principium enim quæſtionis primum caput appellare nolui, quoties verbis Gratiani conſtat. Eſt etiam alia varietatis cauſſa in capitibus Paleæ nomine adſcriptis, quæ ab eo nonnumquam omittuntur, aliquando numerum augent. Sed quid Romani ſelecti viri de hac prima diſtinctione ſtatuunt?

B. Hæc verba in ſcheda inveni. Tractatus hic de pœnitentia non videtur eſſe Gratiani, ſed alicujus paullo antiquioris, & totus huc videtur translatus: deeſtque in exemplaribus antiquis.

A. Non eſſe antiquioris Gratiano apparet, quia multa ex Digeſtis adfert, & ex aliis libris juris civilis, quæ omnia ſunt Gratiani tempore quaſi poſtliminio reſtituta.

A B. Nimius eſt in his referendis, & valde ineptus: ſed alia verba referam ſelectorum virorum. Verbis Gratiani in extrema hac diſtinctione.

„ Cui autem harum &c. *hæc adſcribi juſſerunt*: „ Errat in hoc Gratianus: & non eſt dubitandum, „ quin peccata mortalia, quantumcumque occulta, ſacerdoti ſecreto ſint confitenda: & nullus „ defendit alteram opinionem, quam quiſque vo„ luerit. “ Item verbis Theodori, vel potius concilii Cabilonenſis alia addunt. Cum enim ita ſcriptum ſit: „ Confeſſio itaque quæ ſoli Deo ſit, „ quod eſt juſtorum, purgat peccata. Ea vero, quæ „ ſacerdoti ſit, docet, qualiter ipſa purgentur pec„ cata. *Addunt Romani*: Non docet, ſed efficit „ veram purgationem: & ſacerdos tamquam Dei „ miniſter vere purgat a peccatis, *& gloſſa in verbo* docet, errat, dum ait: hoc eſt ſignum Sacerdoti, quod peccata dimittuntur confitenti per „ contritionem; nam vere dimittuntur per abſo„ lutionem ſacerdotis: & falſum eſt, quod ipſa „ abſolutio ſit ſignum remiſſionis, cum ſit cauſſa „ efficiens remiſſionis. “ Illud etiam mutant, quod in eodem capite dicitur: *Deus namque ſalutis & ſanctitatis auctor*: *ſanitatis auctor* ſcribendum cenſent; & poſtea, *hanc ſuæ potentiæ medicinam, non ſuæ pœnitentiæ*: utrumque ex conciliis, niſi quod illic vox *medicinam* omittitur; quæ neque in Capitularibus eſt, neque apud Burchardum. (5)

c. ultim. de pœn. d. 1.

A. Sunt ne alia in eadem diſtinctione animadverſa?

De pœn. d. 1. cap. 6. ſi quis.

B. Capite ſexto, cujus initium, *Si quis non dicam*, addunt: „ Valde alienæ ſunt hæ leges a diſ„ putatione de pœnitentia, *& capite* XXXII. *ex„ tremo*: Gratianus, vel quicumque eſt auctor hu„ jus tractatus, oſtendit ſe non recte ſentire de „ confeſſione ſacramentali: cum tamen hoc ſit „ certum, quod dum adeſt facultas, Sacerdotis, „ quodvis peccatum mortale debemus ei ſecreto „ confiteri. Et quia Gratianus ſæpe repetit hujuſ„ modi errorem, fiat hoc loco notatio. “

c. 32. facilius p. hoc idem, e. d.

A. Si vox *debemus* conſilium ſignificat, nihil Gratianum lædit hoc conſilium: ſi præceptum, non ſemper verum eſſe alii dicent; ſed certis caſibus, puta mortis, vel periculi, vel ante Euchariſtiæ ſumptionem: alio tempore ſervanda eſt conſtitutio Innocentii tertii, & ei qui eam obſervaverit, ſatis eſt, ſi propoſitum habeat confitendi tempore debito, cum contritione præſenti, ut docet Antoninus tuus poſt B. Thomam. (6)

B. Notantur etiam alia Gratiani verba capite XXXVI. „ Unde evidentiſſime datur intelligi, quod „ ſine confeſſione oris peccata poſſunt deleri. Fal„ ſum eſt, *inquiunt*, hoc inde probari. *Et poſtea*: „ Latentia vero peccata non probantur Sacerdoti „ neceſſario eſſe confitenda, & ejus arbitrio ex„ pianda. Non recte, *inquiunt*, loquitur. “ Et cap. XXX. *Luce clarius conſtat* &c. (7) Capit XIX. cujus initium, *Aut facta*, mendum in illis verbis eſt: *Tempus diſcernit emanſorem a furtivo*: ſcribendum enim eſt *fugitivo* ex Pandectis, (8) Sed melius eſt ordine librorum Gratiani de ejus erroribus agere.

c. 36. quis aliquando p. ecentra auctoritas. d. p. Latentia. & c. 30. ſi cui, in fine e. diſt.

c. 19. aut facta, e. d.

A. Id in alium diem differamus. Hoc tantum admoneo, ſuperioribus Antonini locis extare Philini triginta fere notata loca, quibus Gratianus ab gloſſis, ut vocat, reprehendit. (9)

Philin. in c. ex parte 2. verſ. leges inſerta, nu. 43. prope fin. de reſcri.

Qqq AD-

(a) *Capit. lib. 7. c. 58. in addit.*
(b) *Burc. lib. 19. cap. 145.*
(c) *Ivo part. 15. c. 155. decret.*

A D D I T I O N E S.

(1) *De conſecrat. diſtin. 4. cap. 24. in Romano libro inſcriptio eſt: Item Nicolaus ad conſulta Bulgaror. c. 104. A quodam Judæo neſcitis, utrum Chriſtiano, an pagano &c. In marg. hæc ſunt: Sent. 4. diſt. 3. Alger. l. 3. c. 6. Ivo p. 1. c. 148. Pann. l. 1. c. 29. Et in notis: Judæo) Apud Algerum eſt*, ut audio. *Verum in originali poſt hoc caput ſequuntur verba hæc: Sed primum, utrum Chriſtianus, an paganus ipſe Judæus extiterit, vel ſi poſtmodum factus fuerit Chriſtianus; inveſtigandum eſt*. (ipſe vir, pro ipſe Jud. *ſcribo*.)

(2) *Diſtin. 71. c. 6. in eodem libro inſcriptio eſt: Item ex concilio Carthagin. 1. c. 5. Primatus Epiſcopus Vegeſeliſitanus dixit &c. In marg. eſt: Burc. l. 2. c. 43. Ivo p. 6. c. 144. Anſ. l. 6. c. 124. Primatus) al. privatus. (ſcribo, Privatus.)*

(3) *Gratiani verba ſunt in eodem lib. 24. q. 1. in prin. Quod autem ab hæretico aliquis deponi aut excommunicari non poſſit, facile probatur. Omnis enim hæreticus aut jam damnatam hæreſim ſequitur, aut novam confingit. Qui vero hæreſim jam damnatam ſequitur, ejus ſe participem facit &c. Et cap. 4. Audivimus par. 1. Sin autem ex corde ſuo novam hæreſim confinxerit; ex quo talia prædicare cœpit, neminem damnare potuit: quia nec poteſt dejicere quemquam jam proſtratus &c. In notis eſt: Sin autem) Non defuerunt, qui crederent hæc quoque eſſe Alexandri. Sed apud Ivonem, & in Pannormia non habentur: & in vetuſtis Gratiani codicibus heic eſt ea nota, quæ ſolet apponi verbis Gratiani. Et eſt ſecundum membrum diviſionis in ipſo quæſtionis principio a Gratiano propoſitæ: omninoque & ſtilus, & quæ dicuntur, ad id confirmandum concurrunt.*

(4) *Hæc etiam ſunt in eodem libro Gratiani verba, diſt. 50. c. 24. Sacerdos, par. 1. Sunt quidam, quos non odium criminis, ſed timor utilitatis, & amiſſio proprii gradus, & ambitio celſioris ad pœnitentiam cogit. Hos ſacri canones irrecuperabiliter (al. irreparabiliter) dejiciunt &c. Et cap. 32. presbyteros, in fine, e. diſt. Poſſunt & aliter diſtingui præmiſſæ auctoritates. Quorum enim crimina manifeſta ſunt; ante vel poſt ordinationem, a ſacris ordinibus dejiciendi ſunt: quorum autem peccata occulta ſunt, & ſatisfactione ſecreta, ſecundum ſacerdotis edictum purgata; in propriis ordinibus remanere poſſunt. In marg. eſt, Raba. pœn. c. 1.*

(5) *Initio tractatus de pœnitentia in Gregoriana editione ſcriptum eſt: Quæſtio tertia (cauſa* XXXIII.) *Et in marg. eſt: TRACTATUS de pœnitentia. Ex mox Gratiani verba ſunt: His breviter decurſis, in quibus extra negotii finem aliquantulum evagati ſumus, ad propoſitæ cauſæ tertiam quæſtionem pertractandam (qua quæritur, Utrum ſola cordis contritione, & ſecreta ſatisfactione, abſque oris confeſſione quiſque poſſit Deo ſatisfacere) redeamus &c. Ad vocem Utrum, eſt in marg. additum: DISTINCT. I. Et in notis: Gratianus ad explicandam hanc tertiam quæſtionem multa attulit. Quam perlongam tractationem, qui eum ſecuti ſunt, in ſeptem diſtinctiones diviſerunt. In antiquioribus enim exemplaribus nulla eſt diſtinctionum ſeparatio: in aliquibus vero in margine tantum eſt, Diſtinctio prima, ſecunda, &c. Utrum ſola) Hæc conjungenda ſunt cum ſuperioribus quemadmodum in pervetuſtis ſunt conjuncta: ab illis enim pendent. Ante caput extremum ejuſdem diſtin. 1. hæc Gratiani verba ſunt: Quibus auctoritatibus vel quibus rationum firmamentis utraque ſententia ſatisfactionis, & confeſſionis innitatur, in medium breviter expoſuimus. Cui autem harum potius adhærendum ſit, lectoris judicio reſervatur. Utraque enim fautores habet ſapientes & religioſos viros. Unde Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus ait in pœnitentiali ſuo: Quidam Deo ſolummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci. Quidam vero ſacerdotibus confitenda eſſe percenſent, ut tota fere ſancta eccleſia &c. In notis hæc ſunt: Lectoris judicio) Certiſſimum eſt, & pro certiſſimo habendum, peccati mortalis neceſſariam eſſe confeſſionem ſacramentalem, eo modo, eo tempore adhibitam, quo in concilio Tridentino poſt alia concilia eſt conſtitutum. Extremo capiti hæc adduntur in notis: Burchardus etiam, & Ivo caput hoc citant ex pœnitentiali Theodori. In Capitularibus adjectis cap. 58. hæc leguntur: Quidam Deo ſolummodo confiteri debere dicunt peccata: quidam vero ſacerdotibus confitenda eſſe percenſent. Quod utrumque non ſine magno fructu intra ſanctam fit eccleſiam &c. In concilio Cabilonenſi 2. c. 33. ead. fere habentur, addita ad initium voce* Quia, *& nonnullis aliis in extrema clauſula, quæ notabuntur. Ut Græci) Hæc verba, itemque illa, ut tota fere ſancta eccleſia, & illa, & hoc perfectorum eſt, & illa, Quod eſt juſtorum, abſunt quemadmodum a Capitulari, ita etiam a concilio. In marg. hæc ſunt: In Capitul. adjectis c. 58. In Cabil. conc. 2. c. 33. Burch. l. 19. c. 145. Ivo p. 15. c. 155. Ad illa verba, Sed tamen Apoſtoli &c. additur in marg. Et ſecundum Apoſtoli inſtitutionem confiteamur Jac. 5. Et in notis: In Capitulari, & concilio pendet adhuc oratio, & priori illi membro,* ut & Deo, *&c. redditur nunc alterum membrum his verbis, & ſecundum Apoſtoli inſtitutionem &c. In ſcholio. Docet) Id eſt, hoc eſt ſignum ſacerdoti, quod peccata dimittantur confitenti per contritionem. Additur in marg. Immo docet ordinarium purgandi modum eſſe per ſacerdotis abſolutionem. Deus enim, ut continuo ſubjungitur, ſanitatem largitur plerumque medicorum operatione. Operatione, inquit, non oſtenſione. Ad vocem ſanctitatis, additur in marg. al. ſanitatis. In eodem extremo capite eſt: plerumque hanc præbet ſuæ pœnitentiæ medicinam inviſibili adminiſtratione; plerumque medicorum operatione. In notis eſt: Suæ pœnitentiæ medicinam) In concilio, atque apud Burchardum, & Ivonem legitur ſuæ potentiæ. A Capitulari autem (prout ex ipſius lectione animadverti poteſt) totum iſtud primum abeſt periodi membrum.*

(6) *Capite ſexto Si quis non dicam, ejuſdem diſtin. 1. in eodem libro non ſunt verba ex ſcheda ſelectorum virorum relata. Nihil etiam additum eſt cap. 32. Facilius in fine.*

(7) *Quod dicitur apud Gratianum cap. 87. Romanis e. diſt. 1. cujus initium, Quis aliquando, par. E contra auctoritas his verbis notatur: Unde evidentiſſime datur intelligi, quod ſine confeſſione oris peccata poſſunt deleri. In notis eſt: Unde evidentiſſime) Loquitur ex perſona adverſam partem ſubſtinentis. Vere enim ex illis auctoritatibus non hoc colligitur. Qui enim ſacerdoti tamquam Deo confitetur, is minime dicitur ſe apud alios accuſare, ſed potius neſcientibus aliis ſe ipſum punire &c. Ad verſ. Latentia vero peccata, nihil additur. Nihil etiam additur cap. 30. Si cui, verſ. Luce clarius conſtat.*

(8) *Inſcriptio capitis 19. Aut facta, e. diſt. in eodem libro hæc eſt: Unde in Digeſtis tit. de pœnis. In marg. eſt Ibid. le. 16. (hoc eſt, lib. 48. Digeſt. tit. 19.) Ad illa verba, Tempus diſcernit emanſorem a furtivo additur in notis: Furtivo) in aliquot vetuſtis codicibus & originali eſt, fugitivo, ſed ob gloſſam non eſt emendatum. Ad illa verba, Everatus ſpectatur, ut a clementiſſimo: additur: Clementiſſimo) Sic emendatum eſt ex pandectis Florentinis, cum antea legeretur, dementiſſimo. Quod in Baſilicis lib. 60. tit. 52. l. 16. ſic explicatur: Vir clemens, nec ſeditioſus &c.*

(9) *Verba Philini ſunt. Gratianum improbat.*

Gloſſa in prin. diſt. 13.
Gl. 2. in prin. diſt. 18.
Gl. ult. in c. de Syracuſanæ. (13) diſt. 28.
Gl. in c. Cenomanenſem, (13) par. cum ergo, ver. de fornicatione, diſt. 56.
Gl. in c. ſtatuimus, (8) p. his omnib. diſt. 61.
Gl. in c. Valentinianus. (3) ver. electus, diſt. 63.
Gl. un. in c. ſcire (8) p. neceſſario, & c. ſeq. diſtin. 76.
Gl. 2. in c. Sicut Chriſtus, (75) 1. q. 1.
Gl. ult. in c. cum ſcriptura, (83) 1. q. 1.
Gl. in c. quod quidam, (79) p. opponitur, ver. poteſtas, & ver. poteſtatem, e. q. 1.

Gl. in

Gl. in c. etſi illa (23) *& gl. 2. in p. breviter*, 1. q. 7.
Gl. 3. in c. Euphemium, (7) *p. hinc. colligitur, ver. infamem*. 2. q. 3.
Gl. in c. a judicib. (33) *p. quod de arbitris, ver. valebit*. 2. q. 6.
15. *Gl. in c. ei qui*, (41) *p. nullus, ver. in notariis*, 2. q. 6.
Gl. in c. ſi teſtes, (3) *p. ſoli teſtes, ver. inſtrumentis*. 4. q. 3.
Gl. in c. nullus, (2) *p. aliquando, ver. per officiales*. 4. q. 4.
Gl. in c. teſtimonium, (9) *p. nec honore, ver. Jurejurando*. 11. q. 1.
Gl. in ſumma. 12. q. 1.
20. *Gl. in c. præcipimus*, (24) *p. cum ergo, ver. ſed notandum*. c. q. 1.
Gl. in c. pen. p. ſi ergo, ver. hoc meum. c. q. 1.
Gl. in c. non ſane, (15) *ver. patrocinium*. 14. q. 5.
Gl. in c. ſi quis, (29) *p. qui autem, ver. repetundarum*. 17. q. 4.
Gl. in c. ſi illic. (29) *p. ſed obiicitur, ver. Achab*. 23. q. 4.
25. *Gl. 1. in c. ſic quippe*, (45) *p. en his*. 27. q. 2.
Gl. in c. ſi quis, (24) *p. quamvis, ver. illud vere*. 32. q. 7.
Gl. in c. omnis, (37) *p. alii e contrario, de pœn.* d. 1.
Gl. in c. quis aliquando, (87) *p. e contra, ver. confitemini*. c. *diſt.* 1.
Gl. in c. de quarta, ver. quadragenaria, de præſcr.

D I A L O G U S XIX.

De erroribus quibuſdam, & mendis Gratiani in diſtinctionibus.

B. QUoties in manus meas Gratiani liber venit, venit autem infrequens, toties me a legendo deterret initium: „ Humanum genus duobus regitur, naturali videlicet „ jure, & moribus. Jus naturale eſt, quod in lege & evangelio continetur. “ His addit multa ex Iſidoro ſumta in Etymologiis, quæ etiam huic diviſioni repugnant, ut illud: „ Fas lex divina „ eſt, jus lex humana. Omne autem jus legibus „ & moribus conſtat. Jus aut naturale eſt, aut ci„ vile, aut gentium. Jus naturale eſt commune „ omnium nationum. “ Id melius jus gentium dixiſſet; ſic enim poſtea definit. „ Jus gentium „ appellatur, quia eo jure omnes fere gentes utun„ tur: “ quaſi vero jus omnium nationum naturale ſit; omnium vero gentium, jus gentium: quo nihil ineptius inveniri poteſt. At hic noſter *jus naturale dixit, quod in lege & in evangelio continetur*. (1)

Vide diſt. 5. in prin. & diſt. 6. in fine.

A. Non quidquid in Moyſis lege & in evangelio continetur, id jus naturale Gratianus appellat, ſed vel de decalogo intelligi debet, vel de eo, quod ſequitur: cum quiſque jubetur facere alii, quod ſibi vult fieri. Sed age videamus, quid in prima diſtinctione Romani notant.

Ca. 7. jus naturale, diſtinct. 1.

„ B. Quod capite VII. in juris naturalis exem„ plia poſitum eſt: liberorum ſucceſſio, & puero„ rum educatio, “ illi ſcribendum ex veteribus Iſidori & Gratiani libris cenſent: *liberorum ſuſceptio & educatio*.

A. Id aptius eſt, ut poſt viri, & feminæ conjunctionem ſcribatur; & in jure civili ita eſſe exiſtimo: *hinc liberorum procreatio, hinc educatio*. (2)

c. ult. 1. diſtinct.

B. Capite XII. dicitur: „ Jus Quiritum eſt „ proprie Romanorum, quod nulli tenent, niſi „ Quirites. *Illi ſcribunt*, quo nulli tenentur, niſi „ Quirites: “ ex veteribus libris. Et quod poſtea ſequitur. *In quo agitur de legitimis hereditatibus, vel curationibus, vel de contractibus*, ita mutant, ut Contius admonuit; delendum enim eſt hoc membrum, *vel de contractibus*, & pro *curationibus cretionibus* eſt ſcribendum.

A. Hoc etiam confirmatur veteribus libris, & Iſidorus ipſe notat, quid cretio ſit, poſt Ulpianum in fragmentis libri ſingularis regularum. (3)

Diſt. 5. in prin.

B. Initio diſtinctionis V. in illis verbis: „ Nunc „ autem ad doctrinam naturalis juris, & cetero„ rum revertamur: „ *differentiam*, pro *doctrinam*, „ aptius ſcribunt. Multa vero in hac V. & in VI. diſtinctione dicuntur, quæ melius in alium locum Gratianus reſervaſſet. Quod his verbis Romani notant: „ Viſum fuit Doctoribus ut diſtinctio hæc „ VI. quamvis ſuperioribus parum cohærere videa„ tur, atque extra rem hoc loco poſita ſit a Gratia„ no, neque tollatur, neque in alium locum „ transferatur. Hoc idem placuit congregationi ge„ nerali. Scopus enim eſt hoc opus corrigere, & „ ſupplere, quæ deſunt Gratiano, non decurta„ re. “ Mihi vero facilius omnia ſanare in animo eſt.

C. Quo tandem pacto!

B. Una litura, ut ille noſter ait.

A. Jocaris tu quidem, ut ſoles. Sed quid de VII. diſtinctione habes dicere?

Diſt. 7. c. 1.

B. Permulta. Principio ſelecti viri notant, neque Solonem primum Athenienſibus, neque Trimegiſtum Ægyptiis leges tradidiſſe. De Solone aperta res eſt, cum Draco legislator eo fuerit antiquior. De Trimegiſto videndus Cicero lib. III. de legib. & Lactantius lib. 1. c. VI. Inſtitution. Item de nominibus Decemvirorum, qui XII. tabulas ſcripſerunt, quæ referre Gratiano minime fuit neceſſe: *placuit illis patribus, ut cum Faſtis Capitolinis conferrentur*. Quod vero ſequitur, *Novæ autem leges a Conſtantino Cæſare cœperunt*; & quæ poſtea de codice Theodoſiano ſcribuntur, Iſidori, & Gratiani ignorantiam detegunt. Cum enim potuiſſent in libris Juſtiniani certiora de origine juris, & de tribus illis veteribus Conſtitutionum libris, & quarto Juſtinianeo, atque de Novellis tam ejuſdem Imperatoris, quam ſuperiorum referre: hæc ſola poſteris reliquerunt, quæ, ut Contius notat, in Alarici breviario continebantur.

A. Quæ de Conſtantino dicuntur, accepta eſſe arbitror ex Theodoſii Novellis Conſtitutione. (*a*) Iſidorum jus civile hoc a Juſtiniano editum ignoraſſe crediderim: a Gratiano video in hoc iſto libro multa referri ex Digeſtis, & Conſtitutionibus multorum Imperatorum. Et potuit ex Ivonis Panormia, (*b*) cujus mihi habuiſſe cognitionem videtur, hoc ipſum de Juſtiniano referre, quod etiam ſcriptum ſcio in Excerptionibus Ivonis, (*c*) & in libro Cæſaraug. (*d*) ex hiſtoria Paulli Diaconi, & Anaſtaſii Bibliothecarii. (4) Dic nunc de diſtin. IIX. ſi quid eſt nota dignum.

B. Capite primo (*e*) mendoſum eſt illud: *Vultis, ut reticeamus leges, ut gaudeatis? recitemus* enim ſcribendum eſt, ut eſt apud Auguſtinum, & Ivonem, (*f*) & Anſelmum. (*g*) (5) Capite quarto (*h*) pro illis verbis: *Plane quis dubitet, veritati manifeſte conſuetudinem cedere?* ſcribendum, *veritati manifeſtatæ debere conſuetudinem cedere?* Reſpondeot enim verbis illis impugnantium Auguſtinum: *Veritate manifeſtata cedat conſuetudo veritati*. Quæ omnia non recte Ivo edidit in Panormia, in Excerptionibus vero recte, (*i*) item liber Cæſarauguſtanus. (*k*) (6) Sequitur caput V. quod aliis VI. eſſe placuit, quod caput primum eſt eorum quæ Pet. Ciaconius ad te miſit. Incidi

(a) *Nov. Theod. & Valent.* 1.
(b) *Ivo l.* 2. *tit.* 12. *c.* 7. 8. *&* 9. *panorm.*
(c) *Ivo par.* 4. *c.* 170. *&* 171. *&* 172. *decr.*
(d) *Caſ. libr.* 2. *c.* 31. *&* 32.
(e) *Diſt.* 8. *c.* 1.
(f) *Ivo par.* 3. *c.* 194. *decr.*
(g) *Anſ. lib.* 12. *c.* 57.
(h) *C.* 4. *veritate, diſt.* 8.
(i) *Ivo l.* 2. *tit.* 12. *c.* 29. *pan. & pa.* 4. *c.* 208. *decr.*
(k) *Caſ. lib.* 1. *c.* 17.

enim nuper in eum indicem incertorum capitum Gratiani, quorum numerus eſt fere DCC.

A. Rem mihi pergatam feceris, ſi de his quoque locutus fueris.

c. 5. ſi conſuetudinem 9. d. 8.

B. Nihil plane eram dicturus, niſi cum illo indice, quid tu reſcripſiſſes, inveniſſem. Illud igitur caput Gregorio Papæ ad Guillimundum Averſanum Epiſcopum inſcribunt Ivo in Panormia, (a) & Gratianus: Gregorio VII. ad Wimundum Averſanum Epiſcopum, idem Ivo in Excerptionibus: (b) Auguſtino Demochares, & alii non recte. Romani in veteribus libris Gratiani Gregorio VII. adſcriptum referunt. Id igitur tantiſper retineamus, quoad certiora inveniantur. (7)

A. In IX. diſtin. ſcio eſſe quædam verba Auguſtini male accepta.

Ivo lib. 2. tit. 18. c. 32. panorm. & part. 4. cap. 74. decr.

B. Capitis quinti initium eſt: „ Ego ſolis eis „ ſcriptorum, qui jam canonici appellantur, „ didici hunc timorem, honoremque deferre. „ *Ivo in Panormia ita ſcribit*: Ego ſolis illis ſcri„pturarum libris, qui jam *&c.* " In Exceptionibus Gratiani ſcripturam confirmat: *eorum* pro *eis*, habet liber Cæſarauguſtanus: (c) cetera, ut Gratianus. Romanis placet: *Ego ſolis eis ſcripturarum libris*: aut *eis ſcriptorum libris*. Et poſtea pro illis: *audeam credere*, malunt, *firmiſſime credam*: quod etiam habent Ivo, & liber Cæſaraug. In extremo capite in illis verbis: „ Non „ ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed „ quia mihi per alios auctores, vel canonicas, „ vel probabiles rationes, quod a vero non ab„horret, perſuadere potuerunt. „ Romani mutant: *ſed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabiles &c. & abhorreat*, pro *abhorret*; quod poſtremum in Panormia eſt, ſed non *canonicos* illic eſt, ſed hoc: *vel per alios auctores & canonicas*. In Exceptionibus eſt Romanorum ſcriptura. In libro Cæſaraug. *ſed quia mihi vel per alios auctores, & canonicas &c. abhorreat*. In li-

c. 9. noli d. 9.

bro B. Auguſtini eſt: *vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione &c.* (8) Capite nono editum eſt: *primoque hoc genus litterarum ab auctoritate canonum diſtinguendum eſt*; ex Auguſtino ſcribendum: *primo quia &c.* & *canonis*, pro *canonum*, ſic enim divinas ſcripturas appellare ſolet, non canones.

A. Sic etiam Ivo, (d) & Deuſdedit, (e) & liber Tarraconenſis (f) ediderunt. (9)

B. Capite primo diſtinct. X. (g) *duorum heroum* ſcribendum cenſent, pro *duorum horum*. Ex Nicolai epiſt. quæ exſtat, ad Epiſcopos, qui apud Convicinium villam publicam ſecus civitatem Silvanectis in concilio convenerunt: & ex Anſel. Lucenſi. (h) (10) Incerta capita ſunt ſex. Primum Felici adſcribit Gratianus (i) poſt Anſelmum, (k) quidam Felici tertio. (11) Secundum Leoni IV. ad Lotharium Auguſtum, Ivo, (l) & Gratianus, (m) & liber Cæſarauguſtanus, (n) cujus verba mendoſa videntur: „ De capitulis, vel præceptis im„perialibus veſtris, veſtrorumque etiam Pontif„cum prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis. "

A. Vox, *Pontificum*, aut vox, *prædeceſſorum*, ſupervacanea eſt. Agitur enim de capitulis, ſive capitularibus Imperatorum, quæ Lotharius poſtulabat a Pontifice Romano ſervari: quamobrem omiſſa voce *Pontificum*, recte dicetur, *veſtrorumque prædeceſſorum*. Si vero vox *Pontificum* retineatur, de Pontificibus hoc eſt Epiſcopis, intelligi oportet, qui Capitularia in ſynodis cum Imperatoribus fecerunt; vox *prædeceſſorum*, omitti debet.

B. Utraque vox eſt apud Ivonem, & in libro Cæſarauguſt. ſed varietas eſt in illis verbis, *veſtris, veſtrorumque etiam*: eſt enim in Panormia, *noſtris noſtrorumque*: & in Excerptionibus *veſtris, noſtrorumque etiam*: in Cæſaraug. *veſtris, noſtrorum &c.* Romanis placet; *veſtris, noſtrorumque Pontificum prædeceſſorum*. Sed vidi manu Petri Giacconis ſcriptum; *veſtris, veſtrorumque prædeceſſorum*.

A. Id igitur teneamus, quoad fontes aperiantur. (12)

C. Cur addit Contius: *Sedit hic Leo hujus nominis primus Ludovici Pii filius &c, ſub Michaele orientis, & Lothario occidentis Imperatoribus?* Cum neque hic Leo primus ſit, ſed quartus; neque aliquis eorum fuit Ludovici filius.

B. Numquam id Contius ſcribi juſſit, ſed librarii culpa eſt: nam quæ erant Lotharii, dedit Leoni. Hic Lotharius primus fuit, Ludovici filius, Caroli nepos. Mox de Leone alia dicuntur perperam edita. Minus probo, quod capite proximo ait, *Joannem VII. fuiſſe feminam*. Sunt alia nonnulla in hoc, quæ Contii famam lædunt, de quibus alias. Tertium caput Ioanni IIX. ad Ludovicum Imperatorem, adſcribit Ivo, (o) & quidam veteres libri apud Contium, Joanni VII. Gratianus: (p) Ivoni autem magis credere debemus, quia prior fuit, & quia plura verba ex eadem epiſtola adfert, quæ idem Gratianus (q) Joanni IIX. adſcribit, item Ivo (r) in epiſtolis. (13) Quartum caput Gelaſio Papæ ad Rufinum, & Aprilem Epiſcopos adſcribunt Ivo, (ſ) & Gratianus, (t) & liber Cæſarauguſtanus. (u) Scribendum vero eſt: *Quis aut legat*; non, *Quis autem legat*; item *admonitiones paternas*, non *modernas*. (14) Quintum eidem Pontifici ad Theodoricum Regem iidem tres adſcribunt Ivo, (x) & Gratianus, (y) & Cæſarauguſtanus liber. (z) (15) Extremum Auguſtine mihi concede laborem; de extremo capite dicendum eſt, quod eſſe Leonis quarti dicitur ad Lotharium Imperatorem, quod latius Ivo (a) refert, quam Gratianus. Conjungi autem poſſunt eadem verba cum verbis capitis IX. hujus diſtin. X. de quo antea diximus, & cum capite XVI. & XXXI. diſtinctionis LXIII, (b) quamvis hæc duo ad Lotharium, & Ludovicum Auguſtos inſcribantur. Hæc de ſex incertis capitibus hujus diſtinctionis. (16)

A. Placet mihi tuum conſilium, ut hic tuus ſit hujus diei labor extremus.

AD-

(a) *Ivo lib. 2. tit. 12. c. 30. pan.*
(b) *Idem par. 4. c. 213. decret. Diſt. 9. c. 5. ego.*
(c) *Caſ. lib. 1. cap. 8.*
(d) *Ivo par. 4. c. 236. decret.*
(e) *Deuſdedit c. 2.*
(f) *Tarr. lib. 1. c. 143.*
(g) *Diſt. 10. c. 1.*
(h) *Anſ. lib. 12. c. 34.*
(i) *Diſt. 10. c. 3. certum.*
(k) *Anſ. lib. 4. c. 11.*
(l) *Ivo lib. 2. tit. 12. c. 32. panor. & part. 4. c. 376. decr.*
(m) *C. 9. de capitulis, d. 10.*
(n) *Caſ. lib. 1. c. 61.*
(o) *Ivo par. 4. c. 230. & par. 6. c. 125. decret.*
(p) *C. 10. vides, diſt. 10.*
(q) *Diſt. 86. ca. 3. facientis.*
(r) *Ivo epiſt. 72. vel 38. decano Belvacen.*
(s) *Ivo libr. 2. tit. 12. c. 3. pan. & par. 4. c. 179. & part. 6. cap. 104. decr.*
(t) *C. 11. quis autem d. 10. & diſt. 54. cap. 12. quis aut.*
(u) *Caſ. lib. 1. c. 55.*
(x) *Ivo d. tit. 12. c. 14. panor. & d. part. 4. c. 180 decr.*
(y) *C. 12. certum, o. d. 10.*
(z) *Caſ. d. lib. 1. c. 56.*
(a) *Ivo d. tit. 12. c. 15. pan. & d. par. 4. cap. 181. decr.*
(b) *Diſt. 63. c. 16. Reatina. & 31. inter nos.*

ADDITIONES:

(1) *HOC eſt initium Gratiani voluminis in editione Gregoriana: Concordia diſcordantium canonum. Ac primum de iure divinæ, & humanæ conſtitutionis. Diſtinctio prima. Humanum genus duobus regitur &c. ut in dialogo. In notis hæc ſunt: Ac primum) Hoc loco in manu ſcriptis codicibus magna eſt varietas. Nam partim nulla eſt hoc loco inſcriptio: partim vero legitur, De jure ſcripto, & non ſcripto, & quod cui præponatur, & legum auctoribus, & duorum malorum electione, ſive diſpenſatione. Aut, Ac primum de jure conſtitutionis naturæ divinæ, & humanæ. Aut, De jure naturæ, & humanæ conſtitutionis, quam Dominicus de Geminiano agnoſcit, & extat in nonnullis antiquioribus editionibus. Aut, De jure naturæ, & conſtitutionis: quæ inſcriptio maxime videtur convenire tractationi Gratiani qui ſæpe ad hæc capita revertitur, ut initio diſtin. 5. 7. 8. 15. & 11. q. 1. ſi quæ cauſæ, hunc totum locum indicans ſcribit; Require in principio, ubi differentia ſignatur inter jus naturale, & jus conſtitutionis. Verumtamen in hac tanta varietate, quæ, ut aliæ conjecturæ mittantur, argumento eſſe poteſt, nullam heic a Gratiano ipſo poſitam eſſe rubricam, ſatis viſum eſt retenta vulgata lectione ceteras indicare. Diſtin. v. in principio hæc verba ſunt: Nunc ad differentiam naturalis juris, & ceterorum revertamur, &c. Sed cum naturale jus in lege, & evangelio ſupra dicatur eſſe comprehenſum &c. In notis eſt; Nunc ad differentiam) In vulgatis legebatur, Nunc autem ad doctrinam. Emendatum eſt ex vetuſtis codicibus, & ex principio diſt. 15. ubi hoc repetitur.*

(2) *Verba capitis 7. diſtin. 1. cujus initium, Jus naturale, in eodem libro hæc ſunt: ut viri, & feminæ conjunctio, liberorum ſucceſſio, & educatio &c. item depoſitæ rei, vel commendatæ pecuniæ reſtitutio &c. In notis eſt: Succeſſio) In tribus codicibus manu ſcriptis Iſidori, & aliquot Gratiani legitur, liberorum ſuſceptio, & educatio; quæ lectio convenit cum l. 1. ff. de juſt. & jur. verſ. hinc deſcendit. Ad vocem commendatæ, additur in marg. al. commodatæ reſtitutio.*

(3) *Capitis extremi ejuſdem diſt. 1. in eodem libro verba ſunt: Jus Quiritum eſſe proprie Romanorum, quod nulli tenent, niſi Quirites, id eſt Romani. In quo agitur de legitimis hereditatibus, de cretionibus, de tutelis &c. In notis hæc ſunt: Cretionibus) Antea legebatur, vel curationibus, vel de contractibus. Emendatum eſt ex codicibus Iſidori tam impreſſis, quam manu ſcriptis. Quid autem ſit cretio, declarat Ulpianus in ſuis titulis c. 22. & ipſemet Iſidorus in eodem lib. 5. Etymol. c. 24. In marg. eſt; Alciatus 3. diſpunct. c. 7.*

(4) *Nihil eorum, quæ dicuntur addita fuiſſe a ſelectis viris diſt. 6. in editione Romana invenitur. Fieri autem potuit, ut ea poſtea improbata ſint. Sic etiam diſt. 7. c. 1. & 2. nihil in notis adſcriptum eſt. Quædam tamen nomina Decemvirorum ſunt mutata. Non recte autem Curatius pro Curiatius ſcribitur. De voce differentiam pro doctrinam diximus in addit. 1. in fine.*

(5) *Diſtin. 8. cap. 1. in eo libro inſcriptio eſt: Unde Auguſtinus ait tract. 6. ad c. 1. Joannis. Quo jure defendis villas eccleſiæ? divino, an humano? &c. In marg. eſt. Anſel. l. 12. c. 62. Ivo p. 3. c. 194. Pann. l. 2. c. 63. In notis; Eccleſiæ) Hæc dictio non eſt apud B. Aug. Nam ibi agit contra Donatiſtas; qui legibus Imperatorum villas ſibi ademtas & Eccleſiæ catholicæ attributas eſſe querebantur. Quare, cum Donatiſtæ dicerent, villas noſtras tulerunt: fundos noſtros tulerunt, ut eos ipſe convincat, nullum jus in illis habuiſſe, aut habere: quibuſdam propoſitis addit iſta: Quo jure defendis villas? divino &c. Et infra 11. q. 1. c. ſi quæ cauſæ, ubi Gratianus citat initium hujus capitis, iſta dictio Eccleſia non habetur. Eſt tamen apud Anſel. Ivonem, & in Pannormia locis indicatis. Tolle) Quoniam gloſſa obſtitit, ut omnia emendarentur, aut adderentur, quæcumque addenda videbantur; placuit integrum apponere locum B. Auguſtini. Apud ipſum igitur poſt verbum humano, antecedentis paragraphi, hæc ſequuntur: Vultis legamus leges Juriſperitorum &c. vultis recitemus leges, ut gaudeatis, quia vel unum hortum habeatis &c.*

(6) *Verba capitis quarti ejuſdem diſtin. 8. in eodem libro hæc ſunt: Item Auguſtinus lib. 3. de baptiſmo contra Donatiſtas c. 6 Veritate manifeſtata cedat conſuetudo veritati: plane reſpondeo, quis dubitet veritati manifeſtatæ debere conſuetudinem cedere? In marg. hæc ſunt: Sub perſona Liboſi Vageńſis. Et Ivo par. 4. c. 208. Pann. l. 2. c. 165. infra ead. c. qui contempta. Et verſ. Item. Nemo, additur in marg. ibid. c. 8. ſub perſona Felicis a Buslacenis.*

(7) *Inſcriptio cap. 5. ejuſd. diſtin. eſt in eod. libro; Item Gregorius VVimundo Averſano Epiſcopo. Si conſuetudinem fortaſſis opponat &c. Et in marg. eſt ; al. Guitmundo. Et Ivo p. 4. c. 213. Pann. l. 2. c. 166. Et in notis: Gregorius) In aliquot manu ſcriptis, & apud Ivonem eſt, Gregorius VII. Et in hujus Pontificatu Guitmundus Averſanus Epiſcopus ſcripſit de corpore, & ſanguine Domini contra Berengarium, qui liber extat.*

(8) *Hæc in eodem libro verba ſunt cap. 5. diſtinct. 9. Idem (Auguſtinus) ad Hieronymum epiſt. 19. Ego ſolis eis ſcriptorum, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum ſcribendo erraſſe audeam credere &c. In marg. eſt; Ivo p. 4. c. 74. Pann. l. 2. c. 119. ſcripturarum lib. art. & Pan. Eorum auctorem in ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam) orig. Ivo, & Pan. Et in fine: Non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi per alios auctores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. In notis eſt: Mihi per alios) Sic etiam in manu ſcriptis, & in gloſſa. Apud B. Aug. eſt, mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione: nec multo ſecus apud Ivonem. Alias vero nonnullas varietates ſatis viſum eſt in margine indicare.*

(9) *Ejuſdem Auguſtini verba ſunt in eod. libro a Gratiano relata cap. 9. Noli. c. diſt. 9. cujus inſcriptio eſt: Idem (Auguſtinus) ad Vincentium epiſt. 48. contra Donatiſtas: Noli frater &c. colligere velle calumnias ex Epiſcoporum ſcriptis, ſive noſtrorum ſive Hilarii, ſive (antequam pars Donati ſepararetur) ipſius unitatis, ſicut Cypriani, & Agrippini: primo quia hoc genus litterarum ab auctoritate canonis diſtinguendum eſt. In margin. hæc ſunt: Deuſdedit p. 2. Anſel. l. 4. c. 58. Ivo p. 4. c. 236. Et in notis: Sive ante quam) Antea legebatur, ſive Cypriani, & Agrippini, ante quam pars Donati ſeparetur. Reſtituta eſt vera lectio ex B. Auguſtino, & aliquot exemplaribus Gratiani, & Ivone. Cyprianus enim, & Agrippinus multa ante Donati ſchiſma in eccleſiæ unitate deceſſerunt: una in re erravit auctor gloſſæ. Ad extrema verba (Deus vobis revelavit) additur: Ita etiam originale, & Ivo, & aliquot editiones novi teſtamenti. Sed idem B. Auguſtinus in Joannem tract. 5. 45. 53. & 98. & alibi fere ſemper legit, revelabit, & explanat. Græce eſt ἀποκαλύψει. In ſcholiis: Donati) Donatus primo fuit catholicus: ſed poſtea eſt in hæreſim lapſus: cujus hæreſi adhæſerunt Cyprianus & Agrippinus. (Hæc falſa ſunt.)*

(10) *In eodem libro inſcriptio cap. 1. diſtin. 10. hæc eſt: Unde Nicolaus Papa ſcribit Epiſcopis in concilio apud Convicinum congregatis. Lege imperatorum non in omnib. &c. Et in marg. eſt: Ivo p. 4. c. 87. Pann. l. 2. c. 138. Anſ. l. c. c. 97. Polyc. l. 1. tit. 27. Et in notis: Lege) Caput hoc ſumtum eſt ex epiſtola Nicolai, quæ extat in codice bibliothecæ Dominicanæ; de quo dictum eſt ſupra diſt. 8. c. mala. Titulus autem epiſtolæ hic eſt: Nicolaus ſervus ſervorum Dei, Reverendiſſimis,*

mis, at ſanctiſſimis conſratribus noſtris Metropolitanis Epiſcopis, & ceteris diverſarum provinciarum ac urbium Præſulibus qui in Conviciſum villam publicam, ſecus civitatem Silvanectis, convenistis. Eadem epiſt. nuper impreſſa eſt in Appendice bibliothecæ ſanctorum Patrum. Obviare) Apud Nicolaum ſequitur continenter, ad quod oſtendendum &c. Quæ autem apud Gratianum ſunt interjecta, non ſunt hoc loco in epiſtola, neque in Polycarpa, neque apud Anſel. ſed verba illa, Lex Imperatorum non eſt ſupra legem Dei, ſed ſubtus, A Burchardo, & Ivone citantur ex decretis Pii Papæ c. 3. habentur autem in Capitularibus adjectis c. 17. reliqua autem habentur infra in hoc eodem capite p. Ecce quemadmodum. Ad illa verba, Item. Lex Imperatorum &c. in marg. hæc ſunt: al. Idem. Et in cap. adjectis cap. 17. Burch. l. 15. c. 10. Ivo p. 16. c. 11. Pann. l. 2. c. 139. Ad illa verba, Ad quod aſtendendum duorum bonorum, in margin. additur, beroum, orig.

(22) *Capitis tertii ejuſdem diſtin. 10. in eodem libro inſcriptio eſt: Item Felix Papa. Certum eſt hoc &c. In marg. hæc ſunt: In exemplari Veronenſi eſt, Felix III. Et, Anſel. l. 4. c. 11. Polyc. l. 1. c. 18. (forte tit. 18.)*

(12) *Eadem diſtin. 10. capitis 9. in eodem libro verba ſunt: Item Leo IIII. Lothario Auguſto. De capitulis, vel præceptis Imperialibus veſtris, veſtrorumque Pontificum prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis, & conſervandis &c. Et in marg. eſt: Ivo p. 4. c. 176. Pann. l. 2. c. 149. Et in notis: Veſtrorumque) Epiſtola hæc non eſt inventa; & in iſtis verbis videtur ſubeſſe mendum: ex quo auctor gloſſæ errandi occaſionem ſumſerit; qui Chriſtianis Imperatoribus cujuſmodi fuerant prædeceſſores Lotharii, attribuat illud, quod Iſidorus de ethnicis dicit, nimirum Imperatores ſolitos fuiſſe appellari Pontifices: de qua re optime Gelaſius in tomo de Anathematis vinculo, & infra 21. c. cleros. Apud Ivonem legitur, veſtris, noſtrorumque etiam Pontificum prædeceſſorum; in Pannor. noſtris, noſtrorumque Pontificum, & prædeceſſorum. Sed fortaſſe cetera quidem recte apud Gratianum habent tantummodo, ante dictionem prædeceſſorum eſt addenda conjunctio &, quemadmodum eſt in Pannor. Nam hoc ſignificabitur, Imperatores illos ſolitos fuiſſe edere capitula adhibitis in conſilium Pontificibus ceꝗui, quod veriſſimum eſt. Omnino hæc, quæ a Leone ſcribuntur, ſpectare videntur ad capitula Caroli, & Ludovici, quæ Lotharius in univerſa Italia ſervari mandaverat. Nam in legibus Longobardicis lib. 3. tit. 35. Lotharius ita conſtituiſſe traditur: Placuit nobis, ut capitula, quæ excerpſimus de capitulari bon. mem. glorioſiſſ. domini noſtri Caroli, & genitoris noſtri Ludovici Imper. invictiſſimi, his omnibus, & fidelibus noſtris, & ſanctæ eccleſiæ in regno Italiæ conſiſtentibus per legem teneantur, & ſerventur: & quicumque horum capitulorum contemptor extiterit, LX. ſolidis componatur. Id populo Romano qui jure antiquo Romanorum uti prohiberetur, valde diſplicuit: ſicut ex c. fin. infra eadem diſt. colligi poteſt: diſſeminatuſque etiam rumor fuit eamdem eſſe Pontificis, ac populi ſententiam. De qua re Leo hac ſe epiſt. videtur purgare voluiſſe; & tamen poſtea pro conſervando jure civili Romanorum cum eodem Lothario iterum diligentius egit: quod apparet ex d. c. finali. Inſcriptio c. ult. eſt: Item Leo IIII. Lothario Auguſto. Veſtram flagitamus clementiam, ut ſicut hactenus Romana lex viguit, &c. In marg. eſt: Ivo p. 4. c. 181. Pann. l. 2. c. 152. Et in notis: Veſtram) Videtur Lotharius populo Romano quod hic Leo petiit, conceſſiſſe. Nam in legibus Longobardicis lib. 11. tit. 57. ſic habetur: Ut interrogetur populus Romanus qua lege vult vivere; & ſequitur conſtitutio: Lotharius Imp. Volumus, ut cunctus populus Romanus interrogetur, qua lege vult vivere &c. eidem legi, qua profitentur vivere, per diſpenſationem Pontificis, & noſtram, ſubiacebunt.*

(13) *Verba capitis 10. c. diſt. in eodem libro hæc ſunt: Item Joannes VIII. Ludovico Imperatori. Vides fili cariſſime; quia quod contra leges accipitur, per leges diſſolvi meretur. In marg. eſt: Ivo p. 4. (deeſt, c. 230.) Inſcriptio cap. 3. Facientis, diſt. 86. hæc eſt: Item Joannes VIII. In marg. eſt: Greg. l. 7. reg. ep. 114. indict. 2. Pelagius 2. ep. 3. Eleutherius ſup. diſ. 83. c. error. 2. q. 7. negligere, & 23. q. 3. c. qui pont. Ivo p. 6. c. 115. Et in notis: Caput hoc ex variis ſententiis hinc inde collectis confectum eſſe: quarum prima uſque ad verſ. emendare, ſumpta eſt ex epiſt. beati Gregorii 114. lib. 7. ind. 2. Theodorico, & Theoberto regibus Francorum.*

(14) *Ante caput 11. ejuſd. diſtinct. 10. hæc ſunt in eod. Romano libro: Item Gelaſius Rufino, & Aprili Epiſcopis. Quis autem leges principum, aut regulas patrum, aut admonitiones paternas dicat debere contemni &c. In marg. eſt: infra diſt. 54. c. quis aut. Ivo p. 4. c. 179. Pann. l. 2. c. 150. Ad vocem autem, additur, al.* aut; *ad vocem* paternas, *al.* modernas. *Inſcriptio capitis 11. diſtin. 54. eſt: Idem (Gelaſius) Rufino, & Aprili Epiſcopis. Quis aut leges principum, aut patrum regulas, aut admonitiones modernas &c. In marg. eſt: ſupra diſt. 10. c. 11. Juſtin. novell. conſti. 123. cir. fi. Deuſdedit p. 4. Ivo p. 6. c. 104. & p. 4. c. 179. Pann. l. 2. c. 150.*

(15) *Inſcriptio capitis 12. ejuſd. diſt. 10. eſt in eodem libro: Item Theodorico regi. Certum eſt magnificentiam &c. In marg. eſt Ivo p. 4. cap. 180. Pann. l. 2. c. 151.*

(16) *Capitis ultimi inſcriptio poſita eſt in addit. 12. Inſcriptio c. 16. Reatina. diſt. 63. hæc eſt: Item Leo quartus Lothario & Ludovico Auguſtis. Et cap. 31. Inter nos, ead. inſcriptio eſt ſemicirculis notata, & additur vox Palea. Et in marg. S. Antoninus ibid. (hoc eſt, p. 2. tit. 16. c. 1. para. 2.) Ivo par. 5. c. 52.*

DIALOGUS XX.

De eadem re.

C. QUOD de Joanne VII. femina ſcripſit Contius, lippis & tonſoribus notum, cur improbetur, ſcire cupio.

A. Fit ne tibi veriſimile; quod nemo alicujus auctoritatis ſcriptor, niſi Martinus Polonus, & Marianus Scotus, ſive quis alius tradidit; quod contra rerum naturam eſt; quia lippis & tonſoribus ut dicis, notum videatur; ideo verum eſſe credere?

C. Quo pacto contra rerum naturam eſſe dicis? An non potuit accidere, ut lateret femina inter viros?

A. Potuiſſe non negabo. Sed facilius Byzantii quam Romæ, ut Leo IX. ſcribit, ubi ſæpe eunuchi Epiſcopi facti ſunt. Chriſtus vero, qui ne matrem quidem ſuam voluit ſacerdotem fieri, non paſſus eſſet feminam Petri ſucceſſorem fieri, claves regni cælorum tenere, in ſuprema illa ſede turpem illam meretricem ſedere, quæ tot habuit martyres & confeſſores; de qua illud dicitur, aut ſanctos recipere, aut ſanctos facere.

Leo IX. epiſt. 1. cap. 23.

C. Quaſi vero non aliquot fuerint peccatores electi, qui poſtea non meliores vitam turpiter egerint.

A. Id ſi accidit aliquando, peccatis populorum adſcribitur. At contra rerum naturam eſſe dixi; quia nullum ordinem ſacrum recipere potuit; ita neque ſacerdos, neque Pontifex fieri, & electio nulla, atque irrita fuit.

C. Quid ſi utriuſque ſexus erat?

A. Si in virili ſexu incaluiſſet, ut juriſconſultus ait, Pontifex fieri potuit.

B. At

l. quæritur, de ſtatu hom.

B. At hæc peperiſſe dicitur.

A. Numquam Leo IX. qui multis annis poſterior fuit Joanne VII. & IIX. feminæ electæ CP. feciſſet mentionem, ſi idem crimen in Romanum Pontificem objici poſſet.

B. Placet hoc quidem. Sed quid dicis de Epiſcopa, presbytera, diaconiſſa, & hypodiaconiſſa, quarum mentio fit in conciliis; & de diaconiſſis apud Juſtinianum, & alios ſcriptores?

A. Epiſcopi uxorem, Epiſcopam dictam invenio, non quam duxit Epiſcopus, ſed quam antea habuit, quæ continentiam vovit, cum is ſacros ordines ſuſcepit. Sic presbytera dicebatur presbyteri uxor ſimilis, ſic diaconiſſa diaconi, & hypodiaconiſſa hypodiaconi uxor. Harum tamen duplex ſignificatio eſt, quia præter has uxores, erant aliæ viduæ, quæ in baptiſmo feminarum, & in oblationibus & quibuſdam aliis miniſteriis honeſtius inter ſui ſexus perſonas verſabautur, quam clerici. Sed redeamus ad Gratianum noſtrum.

B. Diſtinctione xi. tria incerta capita notantur, caput ſecundum, ſeptimum & octavum. Secundum Nicolao primo in epiſt. ad Michaelem Imperatorem adſcribunt Ivo in Excerptionib. (*a*) & Gratianus, (*b*) & Demochares, & Contius. Ejus capitis verba in conciliis nou inveni. Alia verba, quæ conjunxit Ivo, (*c*) inveniuntur in Panormia adſcripta eſſe Leoni quarto ad Lotharium Imp. Fieri igitur poteſt, ut omnia ſint eidem Leoni adſcribenda.

A. Non Leonis ſunt, ſed Nicolai in epiſt. ad Photium CP. quæ lecta eſt in ſynodo octava ſub Hadriano, actione iv. (1)

B. Capitis ſeptimi pars inveuitur apud Auguſtinum epiſt. xxcvi. ad Calulanum presbyterum, quæ inſcriptio eſt apud Burchardum, (*d*) & Ivonem, (*e*) & Gratianum, (*f*) & in libris Cæſarauguſt. (*g*) & Tarracon. (*h*) Verba illa: *Et ſicut prævaricatores* &c. cujus ſint ignoramus, licet ab omnibus ſint relata. (2) Caput octavum Auguſtino adſcribit Gratianus, (*i*) in libro de fide Chriſtiana; ſed nuſquam exſtat. (3)

A. Quid de aliis capitibus dicis, quæ certa ſunt? Memini enim caput quoddam inveniri Auguſtino adſcriptum in libro ex dictis Baſilii, quod eſt Baſilii in libro de Spiritu ſancto cap. xxvii. ad Amphilochium.

B. Recte admones. Eſt id caput v. (*k*) cujus initium, *Eccleſiaſticarum*: Baſilio adſcribunt Burchardus, (*l*) & Ivo (*m*) rectius. Pro, *in miniſterio*, ſcribendum eſt, *in myſterio*, & pro, *par ritus*, *par virtus*. Illud etiam mendoſum eſt: *Benedicimus fontem baptiſmatis oleo unctionis. Huic accedit, quod ter oleo inungimus: quos baptizamus*. Pro quibus apud Burchardum eſt: *Benedicimus fontem baptiſmatis, oleum unctionis. Huc accedit, quod ter immergimus, quos baptizamus: oleo ungimus*. Apud Ivonem in Panormia priora verba mendoſa ſunt. Hæc poſteriora ita concepta ſunt: *Huc accedit, quod ter mergimus; quod baptizatos oleo ungimus*. Hæc Demochares probavit. Ivo in Excerptionibus Burchardi ſcripturam in his ſequitur.

A. Cum Græcis fontibus hæc ſunt conferenda, quibus ſcio Burchardi & Ivonis varietates confirmari.

C. Quid illud eſt? *Vel quæ trifariam digeſta ſuper panem & calicem?*

A A. *Multifariam*, non *trifariam* ſcripſit vetus interpres, ut ex Burchardo apparet, & ex Nomocanone.

B. In extremo capite, *in myſteriis obſervata ſilentio, quam publicato ſcripto*; habet Burchardus: *in miniſteriis obſervata magis* &c. Gratianus.

A. Id etiam Græcis verbis confirmatur. Totum vero caput præclarum eſt ad hæreticorum impugnationes tollendas ex traditionibus Apoſtolorum. Id credo *Græce & Latine Romanos* edituros.

B. Quid facturi ſint, ignoro. (4) De reliquis videamus. Caput x. ſumitur ex epiſtola Leonis quarta ad Epiſcopos Siciliæ c. vi. licet neque Anſel-
B mus, (*n*) neque Gratianus, (*o*) neque Demochares locum certum indicarunt. (5) Caput ſecundum diſtinctionis xii. Gregorio adſcribunt Anſelmus, (*p*) & Gratianus, (*q*) & liber meus Tarraconenſis: (*r*) Analtaſio II. Demochares & Contius. Romani Gregorii quarti eſſe ajunt in epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ, cujus initium eſt, *Divinis*.

A. Exſtat apud me epiſtolæ ejuſdem exemplum, & in Corpore canonum, & initio conciliorum Colonienſis editioni in ea collectione, quæ inſcribitur, *de primatu Romanæ eccleſiæ*, & initium, & aliquot fragmenta ſunt ejuſdem epiſtolæ. Initium
C etiam invenies apud Anſelmum, (*s*) & in libris Cæſaraug. (*t*) & Tarraconen. (*u*) licet hi omnes ita inſcripſerint, *Gregorius omnibus Epiſcopis per diverſas provincias conſtitutis*. Ex eadem ſunt varia fragmenta apud Gratianum, (*x*) de quibus poſtea dicendum erit. (6)

B. Caput tertium inſcriptum eſt; (*y*) *Nicolaus Michaeli Imp.* ſed apud Ivonem varie inſcriptum inveuitur, & mihi videtur ex duobus capitibus conſtare, quæ tam in Panormia, quam in Excerptionibus plenius ſcripta ſunt. Prius caput inſcribitur in Panormia, (*z*) ut apud Gratianum: ejuſque extrema verba ſunt, „ pro loco, & tempore
D „ conſuetudines, ſi illis canonica non obſiſtat auctoritas, quando una fides per dilectionem operans uni Deo omnes commendat. " In Excerptionibus (*a*) parte quarta inſcribitur: *Leo IX. Michaeli Imp. CP.* parta vero quinta: *Leo IX. Michaeli Patriarchæ CP.* & in hac quinta magna pars epiſtolæ Leonis IX. refertur. In verbis hujus capitis tertii de quo agimus, tam in parte quarta, quam in quinta ſcriptnm eſt; „ diverſæ pro loco „ & tempore conſuetudines, quando una fides per „ dilectionem operans uni Deo commendet om„ nes: *ſive* commendat omnes. " Eadem inſcriptio Leonis IX. ad Mich. Patriarcham CP. & ea-
E dem verba, quæ eſſe diximus in Excerptionibus Ivonis exſtant in libro Cæſarauguſtano. Hæc pars poteſt Leoni IX. adſcribi. Poſterior pars poteſt retinere Nicolai nomen, in epiſt. ad Photium Patriarcham CP. non ad Mich. Imp. Ubi hæc verba ſunt ab Ivone quoque relata: „ De conſuetu„ dinibus quidem, quas nobis opponere niſi eſtis, „ ſcribentes per diverſas eccleſias diverſas eſſe con„ ſuetudines, ſi illis canonica non obſiſtit auctori„ tas, pro qna eis obviare debeamus, nihil judica„ mus, vel eis reſiſtimus.

Caſ. lib. 1 c. 23.

Ivo d. tit. 12. c. 19. & an. pan. & d. par. 4. c. 211. decr.

A. Ex his quæ refers, apparet male apud Gratianum ſcribi *conſtitutiones, vel conſuetudines*: ſed vox *conſuetudines*, retinenda eſt, cetera tollenda. Male quoque in Panormia verba illa, *De conſue-*

tu-

(a) *Ivo par. 4. c. 211. decret.*
(b) *Diſt. 11. c. 2. conſequens.*
(c) *Ivo lib. 2. tit. 12. c. 19. panor.*
(d) *Burc. lib. 3. c. 126.*
(e) *Ivo d. tit. 22. c. 22. panor. & par. 4. cap. 78. dec. & epiſt. 179. vel 79. ad Galterium Belvacem. bibl.*
(f) *Diſt. a. c. 7. in his.*
(g) *Caſ. lib. 1. cap. 19.*
(h) *Tarr. lib. 6. c. 125.*
(i) *Diſt. 11. c. 8. catholica.*
(k) *Diſt. 11. c. 5. eccleſiaſticar.*
(l) *Burc. lib. 3. c. 127.*
(m) *Ivo d. tit. 12. c. 23. pan. & d. par. 4. c. 69. decr.*
(n) *Anſ. lib. 1. c. 45.*
(o) *Diſt. 12. c. 10. hoc veſtra.*
(p) *Anſ. lib. 2. c. 20.*
(q) *Diſt. 12. c. 2. præceptis.*
(r) *Tarr. lib. 1. c. 287.*
(s) *Anſ. lib. 1. c. 17.*
(t) *Caſ. lib. 5. c. 6.*
(u) *Tarr. lib. 1. c. 286.*
(x) *2. q. 6. c. 1. decreto, diſt. 19. c. 5. nulli.*
(y) *C. 3. ſeit ſancta, diſtinct. 12.*
(z) *Ivo d. tit. 12. c. 12. panorm.*
(a) *Idem par. 4. c. 244. & part. 5. c. 44. decr.*

tudinibus &c. Leoni quarto adſcribuntur, & in Excerptionibus Nicolao in epiſt. ad Michaelem Imp. & cum illis conjunguntur; *Conſequens eſt* &c. quæ Gratianus refert diſtinctione xi. (*a*) Sunt enim omnia ex epiſtola eadem ad Photium, quæ etiam lecta eſt in ſynodo octava ſub Hadriano Minore actione quarta. (7) Nunc cetera videamus.

B. Caput quintum Nicolai *ad Ignatium*, vel *Igmarum* Epiſcopum eſſe dicitur apud Gratianum. (*b*) *Ignarum Archiepiſcopum* appellat Ivo (*c*) in Panormia. *Igmaram Remenſem Archiepiſcopum* idem in Excerptionibus. *Hicmarum* in epiſtolis, alii *Hincmarum* dicendum eſſe contendunt. Id confirmatur epiſt. LIIX. ejuſdem Nicolai ad eumdem, cujus initium eſt, *Omnium nos portare:* ex qua addi poſſunt hæc verba poſt vocem, „ dedecus; ut temporibus noſtris vel falſo inſimulari ſanctam Dei „ eccleſiam permittamus, vel eas traditiones &c. „ *& pro illis*, a patribus ſuſcepimus, *illic eſt*, a „ patribus noſtris ſuſcepimus, pro libitu ſemper „ errantium." (8) Caput undecimum (*d*) ex duabus, tribuſve Auguſtini epiſtolis ſumtum videtur. Nam initium eſt ex epiſt. CXIIX. Pars illa, *Quod enim neque contra fidem*, ex epiſt. CXIX. In fine quædam ſunt ex eadem alia ex epiſt. XXVI. extrema. Illa verba tollenda eſſe Romani cenſuerunt: *Auguſtinus idem ex auctoritate Ambroſii aſſerit*; quæ ex ſcholio inſerta ſunt. (9) Capite duodecimo (*e*) extremo, quod ex eadem CXIX. epiſtola eſt, vox *ſacramentis*, in vocem *ſarcinis* mutanda eſt, licet eam Ivo (*f*) probaverit, & liber Cæſarauguſtanus; (*g*) loquitur enim de Judæis, qui legalibus ſarcinis, non humanis præſumtionibus ſubiiciuntur. Romani non omnino vocem *ſacramentis* improbant, ſed illam alteram in margine ponendam ſtatuunt. (10) Nunc liceat mihi ad diſtinct. XVI. venire. Nam quamvis multa in aliis dixerint eſſe mutanda, in hac ſcheda tantum invenio de capite illo Gelaſii cum LXX. Epiſcopis, ex conciliis eſſe totum deſcribendum, & ſcio Epiſcopum Segobienſem id multis mendis purgaſſe. At poſtrema pars, cujus initium, *Ceterum qui libri*, licet ſuperioribus conjungant Barchardus, (*h*) Ivo (*i*) & Gratianus, (*k*) non eſt in conciliis, & pars eſſe videtur alicujus libri *de divinis officiis*.

A. Recte dictum eſt, namque Amilarii librum habeo, in quo hæc ſunt, & alia quædam nomine fragmentorum Caroli Magni edita. Ea vero verba, *Ceterum qui*, uſque ad illa, *in ſeptuageſima*, non invenies apud Burchardum, & Ivonem, neque in veteribus Gratiani libris.

B. Idem Romani notarunt. (11) Diſtinctione XVI. duo incerta capita ferebantur, caput primum, & XIII. (*l*) ſed primum a te acceperunt, quod ex Iſidoro erat in præfatione conciliorum veteri, non ex hac, quæ vulgo nota eſt Iſidori Mercatoris, ut alio die explanaſti, (*m*) Caput XIII. Stephano Papæ ad Luthobium Epiſcopum Maguntinum adſcribunt Ivo (*n*) & Gratianus. Et quia LXX. capitum Nicæni concilii, & Athanaſii epiſtolæ facit mentionem apud Ivonem in Excerptionibus, conſtat non eſſe Stephanum primum, ſed aliquem ex poſterioribus, præſertim cum Maguntini Epiſcopi a Bonifacio martyre cœperint, qui fuit temporibus Gregorii tertii, & Zachariæ, &

A Stephani Minoris. Sed quod hic dicit Antiocheno concilio inſertos eſſe, plurimos arbitrari, Nicænos illos LXX. canones, velim ſcire a te, an veriſimile putes?

A. Quod ait plurimos arbitrari, ita ipſum Stephanum inveniſſe exiſtimo, licet ego non meminerim alibi legiſſe. Itaque Sardicenſi, pro Antiocheno ſufficerem. Namque Antiocheni canones XXV. tantum fuerunt, quorum auctores, ſi illi ſunt, ad quos Julius ſcripſit, hoſtes erant Athanaſii, & aliorum Patrum CCCXIIX. Qua de cauſſa nihil de fide Nicæni concilii, ſed de paſchate tantum ſtatuunt cap. primo, id concilium eſſe obſervandum. At Sardicenſes Patres catholici aliquot
B canones ſcripſerunt, qui pro Nicænis habiti ſunt, ut conſtat ex concilio Carthaginienſi ſexto. (12)

B. Caput tertium Leoni IX. adſcribunt Ivo, (*o*) & Gratianus, (*p*) contra epiſtolam Nicetæ Abbatis monaſterii Studii. Exſtat libellus Humberti Cardinalis Silvæ Candidæ Epiſcopi, qui Legatus fuit Leonis IX. contra eumdem Nicetam & alios Græcos; in quo libello hæc eadem verba inventa ſunt. Caput VII. (*q*) Pſeudo-trullianorum eſt Patrum, ut a te ſuperioribus diebus dictum eſt. Cenſura Romanorum fuit: *Hic canon eſt ex reiiciendis, præſertim ob finem de concilio Cypriani*. (13) Capite octavo (*r*) de re notiſſima maximi
C errores ſunt non apud Gratianum ſolum, ſed etiam in utraque Ivonis (*ſ*) collectione, & apud Democharem. Verba autem ſunt hæc. *Tertium Epheſinum, Chalcedonen.* IV. & V. *Item Conſtantinop.* VI. *Item Nicænum* VII. Neque enim Chalcedonenſe fuit quartum, & quintum: ſed quintum, & ſextum fuerunt CP. habita. Quamobrem ita ſcribunt Romani; *Poſt Chalcedonen.* IV. *item quintum CP. & ſextam*. Contius non male: *& quintum item CP. & ſextum*. Fontes quærendi ſunt, ſic autem inſcribunt: *Ex libro diurno profeſſio Romani Pontificis*.

A. Is liber non exſtat, quod ſciam, hoc titulo.
D Profeſſionis tamen vidi aliquot exempla. (14)

B. Capite nono ex Beda ſumto bis erratum eſt in Julii nomine: namque & Nicænam ſynodum, c. 9. ſeni,
& quintam ſub Julio Papa habitam eſſe ſcriptum o. d.
eſt: cum annis CCXXX. & amplius inter ſe diſtent: & Julius ſecundus patrum noſtrorum memoria fuerit. Recte tamen Demochares *Julii* nomen in *Vigilii* mutavit poſteriori loco, in priori nihil mutavit. De quo velim ſcire quid ſentias? Nam Romani in *Silveſtri*, *Julii* nomen mutant.

A. Ego ſuſpicor Bedam *Julii* nomen edidiſſe, ut alii nonnulli fecerunt. Et inveni in quadam Julii epiſtola quædam verba, quæ huic opinioni occa-
E ſionem aliquam præbere viderentur. Sed ſi ſub Julio habita eſt Nicæna ſynodus; falſa ſunt, quæ de confirmatione Nicænæ ſynodi a Silveſtro feruntur: Marci quoque Papæ reſcripta, in quibus Nicænæ ſynodi, & illorum LXX. canonum mentio fit, & Athanaſii de eiſdem conſultatio inepta eſt. Sed præſtat aliorum opinionem ſequi, quæ recepta eſt; ut ſub Silveſtro prima ſynodus fuerit habita. Ivo (*t*) in Excerptionibus *Julii* in prima, *Vigilii* in quinta nomen edidit; in Panormia pro *Vigilio Julium* ſcripſit, de prima nihil dixit. Liber Cæſarauguſt. (*u*) *Vigilium* habet in quinta, *Julium* in prima, ut Ivo. (15)

B. Se-

(a) *Diſt.* 1. *c.* 2. *conſequens*.
(b) *C.* 5. *ridiculum, diſt.* 12.
(c) *Ivo d. tit.* 12. *c.* 20. *in pan. & par.* 4. *cap.* 212. *decret. & in epiſt.* 54. *vel* 65. *ad Hugo. Lugdunen. Archiepiſcopum.*
(d) *C.* 11. *illa autem diſt.* 12.
(e) *C.* 12. *omnia, e. diſt.*
(f) *Ivo d. tit.* 12. *c. ult. panor. & par.* 4. *ca.* 206. *decret.*
(g) *Cæſ. lib.* 1. *c.* 9.
(h) *Burc. lib.* 3. *c.* 222.
(i) *Ivo lib.* 2. *tit.* 21. *c.* 2. *& lib.* 2. *tit.* 21. *c.* 1. *pan. & par.* 4. *c.* 63. *decr.*
(k) *Diſt.* 15. *c.* 3. *ſancta p. ceteram.*
(l) *Diſt.* 16. *c.* 1. *et c.* 13. *viginti.*
(m) *Dial.* 6.
(n) *Ivo lib.* 2. *tit.* 11. *c.* 19. *panor. et par.* 4. *c.* 232. *decr.*
(o) *Ivo lib.* 2. *tit.* 11. *c.* 37. *panorm. et part.* 4. *c.* 205. *decr.*
(p) *Diſt.* 16. *c.* 3. *Clementis.*
(q) *Cap.* 7. *quoniam. d.* 16.
(r) *C.* 8. *ſancta. e. diſt.*
(ſ) *Ivo d. tit.* 11. *c.* 15. *panor. et par.* 4. *cap.* 132. *decret.*
(t) *Ivo par.* 4. *c.* 125. *decret. et d. tit.* 11. *cap.* 23. *pann.*
(u) *Cæſ. lib.* 1. *cap.* 45.

Digitized by Google

B. Sequitur de conciliis provincialibus, de quibus A nihil dicam; expecto enim hiſtoriam conciliorum, quam a te multi flagitant.

A. Hac de re aliquando agemus. Tu vero perge de reliquis hujus diſtinctionis capitibus dicere.

B. Duo tantum mihi dicenda ſunt: quorum alterum eſt de inſcriptione extremi capitis: (a) quod Nicolao ad Photium adſcribendum eſt, non ad clerum Conſtantinop. ut male Gratianus ſolus ſcripſit. Recte enim eſt apud Ivonem, (b) & in libro Cæſarauguſt. (c) & in regiſtro Romæ edito Nicolai, vel potius edi inchoato; permultæ enim epiſtolæ deſiderantur. (16) Alterum eſt de Contia- B no ſcholio addito capiti XII. (d) Contio XIII. quod conſtat ex verbis Athanaſii ad Marcum Papam, quod etiam Ivo (e) in Panormia, & in Excerptionibus refert, & Anſelmus, (f) & liber Cæſarauguſtan. (g) In eo ſcholio refert Marci ad Athanaſium reſcriptum ex Ivone, quod etiam alii habent. Et poſt alia de numero canonum Nicæni concilii, addit hæc: „ Citantur & in epiſtola Ju- „ lii Papæ XXIV. canones, præter illos XX. qui „ vulgo extant. Sed illos eſſe ſuppoſititios, vel „ id oſtendit, quod nemo, ne Gratianus quidem „ ipſe, eos allegare auſus eſt. “ De his verbis, C quid tibi videatur, exſpecto.

A. Ex Julii epiſtola ſecunda ad Orientis Epiſcopos, plures canones referuntur, & quibuſdam numerus additur, quos ſuſpicor eſſe XXVII. Apud Ivonem (h) XXVI. ſunt: LXX. apud Iſidorum Mercatorem in præfatione conciliorum, ut etiam idem Ivo refert. Falſum autem eſt, neque Gratianum, neque alios eorum verba referre, quod vel ex notis meis ad Hadrianum conſtat. Et qui adhuc alia teſtimonia quærit, legat Burchardum l. I. cap. CXLIV. & Ivonem parte V. cap. CCLVII. Sic non debuit Contius, ſive quis alius ſuppoſititios eos affirmare. Sed fortaſſe id dicere voluit, Gratianum non hac epiſtola uſum in hac diſtin. XVI. aut etiam alibi non appellaſſe verba concilii Nicæni hæc verba Julii, ſed quam leve hoc ſit argumentum, nemo non videt. Et fortaſſe falſum eſt; diximus enim, cum de fragmentis ageremus, (i) eſſe fragmentum quoddam ſumtum ex hac epiſt. Julii, quod Gratianus, (k) & Ivo (l) Nicæno concilio adſcripſerunt.

B. Franciſcus Turrianus tuus Arabicos nuper XXC. canones edidit, & eos eſſe dicit legitimum illius concilii partum: hos vero Julii canones, ex aliis actionibus ejus ſynodi ſumtos eſſe, extra numerum canonum.

A. Neutrum mihi adhuc perſuaſit, aut illos eſſe veros, aut hos ex aliis actionibus ſumtos. Sed quid Romani tui de ſcholio Contiano cenſent?

B. Delenda eſſe illa verba: Sed illos eſſe ſuppoſititios, & quæ ſequuntur. Multo vero magis eis diſplicuerunt, quæ poſtea ſcripſit: *Multas autem ſupra in præfatione rationes adduxi* &c. Ea verba mihi videntur Molinæi eſſe, non Contii: nihil enim ea de re Contius in præfationibus editis ſcripſit: & his contrarium ſcholium Contius cap. II. diſtinct. XXII. addidit. (17)

A. Librariorum fortaſſe erratum eſt: ſed ſurgendum eſt, alioqui libenter eram te de his rebus auditurus. Tantum mihi indicem oſtendas velim ſelectorum virorum, quorum, opera in Gratiani emendatione tres Romani Pontifices ſunt uſi.

B. Ecce tibi minus tamen perfectum indicem: dum enim abſum, alios adſcriptos fuiſſe accepi. (18)

A D D I T I O N E S.

(1) *DIſtin. II. capitis ſecundi inſcriptio in libro Gregoriano hæc eſt: Item Nicolaus Papa I. Michaeli Imperatori. Conſequens eſt &c. In marg. hæc ſunt: Sententia elicitur ex epiſt. cujus initium, Propoſueramus. Ivo p. 4. c. 211. (Certiora ſunt in dialogo ſcripta. Vid. li. 2. dial. 24. add. 1.)*

(2) *In eadem diſtin. capitis ſeptimi In his rebus inſcriptio in eodem libro eſt: Item B. Auguſtinus ad Caſulanum epiſt. 86. In marg. eſt: Anſel. l. 4. n. 43. Burch. l. 3. c. 126. Ivo p. 4. c. 68. Pann. l. 2. c. 158. Poly. l. 3. tit. 23. c. fin. In notis: Et ſicut) Hinc uſque ad finem non ſunt in epiſtola indicata: ſed a Burchardo etiam, & Ivone, & in Pannormia referuntur.*

(3) *Proximi capitis inſcriptio in eodem libro hæc eſt: Idem in libro de fide chriſtiana. Catholica Eccleſia &c. In notis additur. Hodie inter opera B. Auguſtini nullum extat hoc titulo. In epiſtola vero ad Januarium, quæ eſt 118. c. 1. & 2. hæc eadem ſententia copioſe exponitur.*

(4) *Capitis quinti ejuſd. diſt. 21. inſcriptio eſt in eodem libro: Unde ex dictis Baſilii, Eccleſiaſticarum inſtitutionum &c. In marg. hæc ſunt: Baſilius in l. de Spiritu Sancto. c. 27. Burch. l. 3. c. 127. Ivo p. 4. c. 69. Pann. l. 2. c. 159. Et in notis: Ex dictis) Hoc caput antea citabatur ex Auguſtino in lib. ex dictis Baſilii. In codice Vercellenſi eſt: Unde Auguſtinus ait, vel ex dictis Baſilii: & retenta eſt poſterior pars hujus disjuncti, quoniam ita citant Burchar. & Auctor Pannormiæ. Ivo autem citat, ex lib. Baſilii de Spiritu ſancto 27. quomodo in marg. eſt indicatum. Ceterum quoniam multis locis gloſſa obſtitit, ne emendaretur, neceſſarium viſum eſt integrum B. Baſilii locum, & Græce, & Latine afferre. ... &c. i. Dogmatum, & inſtitutorum &c.*

(5) *Ejuſd. diſtin. 11. cap. 10. inſcriptio in eadem editione eſt: Item Leo Papa ad Epiſcopos per Siciliam conſtitutos epiſt. 4. c. 6. Hoc veſtra indicimus caritati &c. In marg. eſt: Anſ. l. 1. c. 45. Polyc. l. 1. tit. 17.*

(6) *Diſtin. 12. capitis ſecundi inſcriptio eſt in eodem libro: Item Gregorius Papa quartus. Præceptis Apoſtolicis non dura ſuperbia reſiſtatur &c. In marg. eſt: Anſel. l. 1. c. 20. Polyc. l. 1. tit. 17. In notis: Gregorius) Integrum hoc caput invenitur in epiſtola Gregorii quarti univerſis Epiſcopis per Galliam, Germaniam, Europam, & univerſas provincias conſtitutis: quæ eſt in codice ſupracitato bibliotheca monaſterii Dominicanorum. Initio vero eſt etiam in epiſt. Anaſtaſii II. ad Anaſt. Aug. c. 6. Inſcriptio capitis undecimi, Decreto noſtro, 2. q. 6. eſt. Sed cum Gregorius ſcribat omnibus per diverſas provincias. In marg. eſt: Polyc. l. 1. tit. 7. Ivo p. 5. c. 349. Anſel. l. 2. c. 19. Et in notis: Ut honoretur) Hinc uſque ad verſ. auctoritas, addita ſunt ex ipſa epiſt. quæ extat in bibliotheca Dominicana, & videtur eſſe Gregorii quarti, ex qua etiam ſumtum eſt caput Nulli fas diſt. 19. & apud Ivonem utrumque caput ſimul habetur. Iſtius autem Aldrici (ut ex catalogo Epiſcoporum eccleſiæ Cenomanenſis colligitur) mentio eſt in concilio apud S. Medardum, quod paullo poſt*

(a) *C. ult. d. 16.*
(b) *Ivo d. tit. 11. cap. 12. & c. 30. panor. & par. 4. c. 135. decr.*
(c) *Caſ. lib. 3. c. 28.*
(d) *Diſt. 6. c. 12. ſeptuaginta.*
(e) *Ivo d. tit. 11. c. 18. panor. et par. 4. ſ. 108. et 109. decr.*
(f) *Anſ. lib. 1. c. 59. et c. 60.*
(g) *Caſ. lib. 1. c. 30. et 31.*
(h) *Ivo d. par. 4. c. 110. et 111.*
(i) *Sup. dial. 14.*
(k) *11. q. 1. c. 4. judices.*
(l) *Ivo lib. 4. tit. 11. ca. 2. panorm.*

Gregorium IV. habitum fuit. Itaque defenſio ipſi a Gregorio poſtulata profuit. Inſcriptio cap. 5. Nulli fas, diſt. 19. hæc eſt: Item Gregorius IV. In marg. hæc ſunt: Polyc. l. 1. tit. 17. Anſ. l. 2. c. 21. Ivo par. 5. c. 11. & 349. In notis: Caput hoc eſt in eadem epiſtola Gregorii IV. ex qua ſumtum eſt c. Decreto noſtro, infra 2. q. 6. Extat autem in codice ſæpe memorato bibliothecæ Dominicanæ.

(7) *Caput tertium, Scit ſancta, diſt. 12. in eodem libro ita inſcriptum eſt: Item Leo IX. Michaeli Epiſcopo Conſtantinopolitano epiſtol. 1. c. 29. & Nicolaus I. epiſt. 2. ad Photium. In marg. eſt: Ivo p. 4. c. 223. & par. 5. c. 44. Pann. l. 2. c. 155. Et in notis: Caput hoc confectum eſt ex duobus longe diverſis locis. Nam uſque ad verſ. Si illic, ſumtum eſt ex prima epiſt. ſeu libello Leonis IX. adverſus inauditas præſumtiones Michaelis Conſtantinopolitani, & Leonis Acridani Epiſcoporum c. 29. ubi loquens de Romana eccleſia ait: Scit namque, quia nihil obſunt ſaluti credentium diverſæ pro loco, & tempore conſuetudines; quando una fides per dilectionem operans bona, quæ poteſt, uni Deo commendat omnes: & hæc fere ab Ivone, & in Pannor. referuntur. Altera vero pars accepta eſt ex epiſt. ſecunda Nicolai ad Photium, quæ incipit, Poſtquam beato Petro. Ibi enim habentur hæc: De conſuetudinibus quas nobis opponere viſi eſtis: ſcribentes per diverſas eccleſias diverſas eſſe conſuetudines; ſi illis canonica non obſiſtat auctoritas, pro qua obviare debeamus; nihil judicamus, vel eis reſiſtimus. De capite 2. diſt. 11. dictum eſt in addit. 1. hujus dialogi.*

(8) *Ante caput quintum diſtin. 12. hæc inſcriptio eſt in eodem libro: Item Nicolaus Hincmaro Archiepiſcopo. Ridiculum eſt, & ſatis abominabile dedecus, ut temporibus noſtris vel falſa inſimulare ſanctam Dei eccleſiam permittamus, vel eas traditiones quas antiquitus a Patribus ſuſcepimus, pro libitu ſemper errantium infringi patiamur. In marg. eſt: Ivo p. 4. c. 212. Pann. l. 12. c. 156. Et in notis: Habetur in epiſtola ſcripta Hincmaro, & ceteris Archiepiſcopis, & Epiſcopis in regno Caroli eccleſias regentibus, quæ extat in codice jam memorata bibliothecæ Dominicanorum, & ex ea caput hoc locupletatum eſt. Nam antea brevius erat, ut etiam apud Ivonem, & in Panormia.*

(9) *In eadem diſtin. 12. c. 11. Illa autem, in eodem libro Romano inſcriptio eſt: Item Auguſtinus ad Januarium epiſt. 118. c. 1. Et verſ. Alia vero, quæ eſt in marg. Ibid. c. 2. Et verſ. Quod enim neque eſt in marg. fere idem epiſt. 119. c. 18. Et verſ. Mater mea, hæc in notis ſunt: In hoc capite quemadmodum & in ſequenti multa ſunt emendata ex B. Aug. ac nonnulla etiam addita: Ab hoc tamen loco uſque in finem, quoniam verba B. Auguſtini apte erant in epitomen redacta, nihil additum eſt.*

(10) *Proximum caput Omnia, hanc habet in eadem libro inſcriptionem: Unde Auguſtinus ſcribit ad inquiſitiones Januarii ep. 119. c. 19. In marg. eſt: Ivo p. 4. c. 206. Pann. l. 2. c. 168. Ad vocem* univerſalis, *eſt in marg.* univerſa, *ori. Ivo, Pann. Ad voces,* ſervilibus oneribus *eſt, al.* adeo ſervilibus operibus. *Ad vocem* ſacramentis, *eſt,* ſarcinis, *orig.*

(11) *Capite tertio, Sancta Romana, verſ. Ceterum qui libri, diſt. 15. in libro Romano hæc in notis adſcripta ſunt: Hinc uſque ad finem neque in collectione Iſidori, neque in ullo veteri codice Gratiani eorum, quæ collata ſunt, inveniuntur. A verbo* (verbis *ſcribo*) *tamen, in ſeptuageſima ponunt, referuntur a Burchardo, & Ivone ſine auctoris nomine, in Pannormia ex Gelaſio ipſo cum LXX. Epiſcopis. Fere autem omnia habentur ſparſim in libro, qui* Ordo Romanus *nuncupatur. In marg. verſ. Quidam quod in ſeptuageſima, hæc ſunt. Burch. l. 3. c. 222. Ivo par. 4. c. 63. Pann. l. 2. c. 97.*

(12) *De cap. 1. diſtin. 16. vide in addit. 11. dial. 6. Ante caput 12. e. diſt. hæc verba ſunt in Romano libro: Unde Stephanus ſcribit dicens Luitbobio Epiſcopo Moguntino. Viginti tantum capitula Nicænæ ſynodi &c. In marg. eſt: Ivo p. 4. c. 232. Pann. l. 2. c. 107. Et in notis: Apud Ivonem parte quarta c. 232. habetur magis integrum hoc caput. Capitula Nicæni concilii teſtimonio Athanaſii ſeptuaginta in figuram ſeptuaginta diſcipulorum ſcripta non dubitamus, e quibus viginti tantum in eccleſia ſancta Romana, & quæ ſequuntur.*

(13) *Inſcriptionem c. 3. Clementis, e. diſt. vide dial. 6. addit. 13. & de cap. 7. quoniam, vide additiones dial. 7. & 8.*

(14) *Ejuſdem diſtin. 16. cap. 8. Sancta octo, in eodem libro ita inſcriptum eſt: Item ex diurno libro profeſſio Romani Pontificis. In marg. eſt: Ivo par. 4. c. 132. Pann. l. 2. c. 103. Et in notis: Item ex diurno) Integram profeſſionem fidei, quando quis in Romanum Pontificem promovebatur, refert Deuſdedit Cardinalis in collectione canonum, quæ ſervatur in bibliotheca Vaticana. Verba, de quibus agitur, ſunt hæc: quartum Chalcedonenſe, item V. Conſtantinopolitanum, & VI. item Nicænum VII. Octavum quoque Conſtantinopolitanum.*

(15) *In eadem diſt. 16. cap. 9. Sexta ſynodus, in eodem libro hæc inſcriptio eſt: Beda in libro de temporibus c. 65. ſcripſit dicens. In marg. eſt: Ivo par. 4. c. 125. Pann. l. 2. c. 113. Verſ. Prima, ad illa verba, temporibus Julii Papæ, hæc in notis ſunt: Julii) Certum eſt ſynodum Nicænam primam celebratam eſſe tempore Silveſtri. Sed in illa temporum obſcuritate mirandum non eſt, Bedam & alios erraſſe. Verſ. Quinta item Conſtantinopoli temporibus Vigilii Papæ &c. In marg. eſt: Pann. l. 2. c. 111.*

(16) *Quod ad caput ult. ejuſd. diſt. attinet: in eod. libro inſcriptio ejus eſt hæc: Sardicenſe quoque concilium auctoritate Nicolai Papæ recipitur. Unde idem ſcribit clero Conſtantinopolitano. Quod dicitis &c. In marg. hæc ſunt: Clero, al. electa. Habetur in epiſtola 6. quæ prima ad Photium eſt. Ivo p. 4. c. 135. Pann. lib. 2. c. 117. verſ. Quod dicitis.*

(17) *Gratiani verba ſunt in eodem libro ante cap. 12. Septuaginta ejuſdem diſt. 16. Scribit enim Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus Marco Papæ ita dicens. In marg. eſt: In epiſt. Athanaſii, & univerſorum Aegypti Epiſcoporum ad Marcum Papam: ſed copioſius, quam hic. Ivo par. 4. c. 108. Pann. l. 2. c. 106. Anſ. l. 1. c. 59. Polyc. l. 3. tit. 20. Et in notis: Septuaginta) Ex his Athanaſii verbis conſtat, non omnes Nicænæ ſynodi canones aut Græce, aut Latine nunc haberi. Et Julius Papa ad orientales, & Innocentius Victricio, & alii multos ex illa canones citant, qui non ſunt in his viginti, qui manibus omnium verſantur. De qua re ſcribit Iſidorus in præfatione conciliorum tomis inſerta. Et ex epiſtola quadam Gregorii X. ad Regem Armeniorum, cum concilium Lugdunenſe indixiſſet, (quam manu ſcriptam habet Cardinalis Sirletus) intelligitur integrum Nicænum concilium in lingua Armeniorum eo tempore extitiſſe. Sic enim ſcribit: Quia vero multipliciter expedit, ut in ejuſdem celebratione concilii, antiquorum conciliorum copiam habeamus, Celſitudinem regiam rogamus, & hortamur attente, quatenus integrum Nicænum concilium & alia concilia, quæ habere diceris in Armenica littera cum aliquibus peritis interpretationibus nobis cum ea, qua poteris, celeritate tranſmittas. Tuneti quoque & Alexandriæ inventi ſunt octoginta canones Arabice ſcripti ſub nomine hujus concilii, qui Romæ in Arabica, & Armenica lingua ſcripti penes eundem Card. Sirletum ſunt, & nuper etiam in Latinam linguam converſi ſunt, & impreſſi.*

(18) *Index ſelectorum virorum ſub Pio IV. & Pio V. emendationi Gratiani ab eiſdem præfectorum, hic eſt.*

Sanctæ Rom. Eccl. Cardin. nomina.

M. Antonius Columna Romanus.
Hugo Boncompagnus Bononienſ. poſtea Greg. XIII. dictus P. M.
Alexander Sfortia Romanus.
Guilielmus Sirletus Calaber.
Franciſcus Alciatus Mediolanen.

His additi ſunt ab eod. Pio V.

Guido Ferrerius Vercellen.
Antonius Carrafa Neapolitanus.

De-

Doctorum nomina.

Felix Montaltus Gener. ord. S. Fran. poſtea Card. hodie P. M. Xyſtus V. dictus.

Chriſtophorus Patavinus Gener. ord. S. Aug. eremitar.

Thomas Mauricus ord. S. Domin. Magiſter ſacri Palat.

.... Lucatellus Bononien. poſtea Regii Lepidi Epiſcopus.

Joſephus Panobilus Veron. ord. S. Auguſt. poſtea Sacriſta Palatii, & Epiſcopus Signinus in Campania.

Franciſcus Turrianus Hiſpanus, poſtea Societ. Jeſu.

Marianus Victorius Reatinus, poſtea Epiſcopus Amerinen.

A *Michael Thomaſius Majoricenſis; poſtea Epiſcopus Ilerdenſis.*

Hieronymus Pariſetus Regienſis.

Antonius Cuccus Mediolanen.

Joannes Marſa Hiſpanus.

Franciſcus Leo Hiſpan. poſtea Societ. Jeſu.

Additi ſunt.

B *Melchior Cornelius Luſitanus,*

Latinus Latinius Viterbien.

Arnaldus Pontacus Gallus.

Petrus Ciacconius Hiſpanus.

Franciſcus Pegna Hiſpanus, cujus ſunt additiones Decretalium ſine nomine, quia templum Dianæ incendiſſe viſus eſt.

ANTONII AUGUSTINI
ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS
DE EMENDATIONE GRATIANI
DIALOGORUM
LIBER POSTERIOR.

DIALOGUS I.

De Gratiani emendatione ex conciliis non editis.

C. CUM ad te venirem, Ilerdæ apud A Vincentium fratrem conſobrinum meum commoratus, intellexi ab eo, te cum Petro Galeſio de Gratiani emendatione aliquot diebus egiſſe ipſo præſente, cujus ſermonis ſummam fuerat is ſcriptis complexus, quam ab eo accepi. Sed aiebat, cum aliquot diſtinctiones percurrere cœpiſſet Galeſius, claſſis cujuſdam nuntio interpellatum, Barcinonem profectum, ut in ea, ſi poſſet, in Italiam perveniret: ipſum autem Ilerdam paullo poſt rediiſſe ad ſtudia intermiſſa. B Ejus ſermone incenſus a te petere, & ſi pateris, flagitare cogor; ut me de ceteris Gratiani locis edoceas. Percommode autem accidit, ut cum hoc tibi deſiderium meum vellem exponere, cum B. noſtro rem communicaverim. Is mihi dixit, ſe Barcinonem iviſſe, ut veteres quoſdam conciliorum, & aliorum ſcriptorum libros deſcribi tibi curaret, & alia quædam ad Gratiani emendationem maxime pertinentia. Itaque ambo acceſſimus, ut nos dignos arbitreris, quos vel reliquiis illius ſplendidi convivii, quod apparatiſſimum fuiſſe didicimus, ſatures.

A. Ego vero vos non reliquiis ſaturare, ut dixiſti; C ſed ſplendidiſſimis conviviis accipere dignos arbitror. Hoc autem ipſum, quod cupis, melius hic B. noſter præſtare poterit: quippe qui acta ipſa ſelectorum illorum Patrum legit, qui Romæ Gratiano mendis expurgando præerant, & veteres illos libros deſcripſit, & diu multumque eſt in hoc genere litterarum verſatus.

B. Negare non poſſum, me his delectari ſtudiis, & te potiſſimum duce, cum magna mea voluptate, in conciliorum decretis, & Pontificum epiſtolis perlegendis dies, noctesque conſumere. Neque etiam recuſo, quin quod ſciam, poteroque, D C. noſtri deſiderio ſatisfaciam. Te vero præſente id agi, utrique noſtrum utilius & gratius eſt. Sunt enim multa obſcura & incerta, in quibus etiam illi ſelecti Romani hærent: ſunt etiam variæ quædam lectiones, quæ collatione librorum veterum, aut collectorum acciderunt; in quibus, & in aliis permultis tuum nobis erit auxilium implorandum.

A. Video, me non poſſe effugere, quod exoptatis; id eo libentius faciam, ut C. faveam, & quid a te petere debeat, admoneam. Obſcura vero, & varia a Romanis relicta auditurus libenter ſum; E non quo ſperem, me illa certa & aperta redditurum; ſed ut ingenia hominum ſunt, id ipſum dubitare, trepidare, & labi ſæpe delectat. Et ut ſi quis aliquid medicamenti attulit, deſperato jam, & morienti ægroto, voluptatem magnam capiat neceſſe eſt: ſic qui jam deploratis mendoſis locis ſcriptorum medicinam tulit; ſuaviſſimos capit laboris ſui fructus. Sed age videamus, quid auxilii ex veteribus conciliis non editis Gratiano adſerri poteſt?

B. Qua ratione ſi quis quærat fontes ſingulorum capitum in editis conciliis, & conferat eorum verba, multum juvatur quod hæc ab illis manaverint: ita etiam in non editis eveniet. Sed illud pluribus notum eſt, & facilius ſanari loca mendoſa potuerunt; hæc minus nota ſunt, & paucis patuit aditus, ut ea cum Gratiano conferrent. Exemplum ſumam ex hoc libro, quem ad te adſero; cujus partem ad te Roma miſſum ſcio. Apud Gratianum caput hoc Zachariæ Papæ adſcribitur: *Epiſcopi, preſbyteri, diaconi ſecularibus indumentis non utantur* &c. Hoc in conciliis, aut epiſtolis editis Zachariæ non invenies: ſed eſt in concilio Romano Zachariæ capite tertio. (1) Sic diſtinct. xciii. Anacleto, & Zachariæ adſcribuntur illa verba: *Juxta ſanctorum patrum* &c. ſed melius Anſelmus refert, ex concilio Zachariæ Papæ. Eſt autem caput iv. illius concilii.

21. q. 4. c. 3. *Epiſcopi.*
Diſt. 93. cap. 4. juxta.

A. Ego cum verba Gratiani cum Anſelmi verbis contuliſſem, inveni meliorem ſcripturam videri illam Anſelmi, quam vulgarem Gratiani. Scire cupio, an eam confirmet vetus hoc concilium.

B. De illis fortaſſe verbis dicis: *Omnes Epiſcopi, qui hujus Apoſtolicæ ſedis ordinationi ſubjacent, & qui propinqui ſunt*; ſcriptum eſt, ET voce omiſſa.

A. *Subjacent, qui propinqui ſunt;* habet Anſelmus apertius. Et ideo poſtea dicitur: *Qui vero de longinquo ſunt, juxta chirographum ſuum impleant.*

C. Eſt ne hoc illud chirographum, cujus formula exſtat ſub titulo de jurejurando: *Ego N.* &c.

A. Ea formula a Gregorio VII. concepta eſt, qui poſterior fuit Zacharia: ſed fortaſſe priores Pontifices ſimile ſacramentum Epiſcopos ſuos præſtare jubebant.

De jurejurando c. 4. ego Grego. IX. c. 20. de elect. in 1. coll. &c.

C. Cur adjicitur in hoc capite, *qui hujus Apoſtolicæ ſedis ordinationi ſubjacent*; an ſunt alii, qui non ſubjiciantur?

A. Hodie nulli fere ſunt: ſed illis temporibus electi Epiſcopi a clero, a Metropolitano confirmabantur, & ab eodem conſecrabantur, aut eo conſentiente ab aliis Epiſcopis: Metropolitanorum electio a Patriarcha confirmabatur; quibus pallium quoque dare permittit Innocentius III. in concilio generali cap. v. Ordinationi igitur, hoc eſt, conſecrationi, vel confirmationi ſedis Apoſtolicæ illi non erant ſubjecti, qui ab inferioribus confirmabantur, & conſecrabantur.

c. 23. antiqua, de privil.

B. Cur autem venire cogebantur in Urbem quotannis omnes? An ad ſynodos quotannis habendas?

A. Neque quotannis omnes venire cogebantur, ſed aliqui: longius habitantes intra biennium, aut triennium veniebant; neque ſynodi cauſſa ſolum, ſed etiam ob lites, aut inter ipſos Epiſcopos ſedandas, aut cum aliis clericis, vel laicis, & ut cum eorum conſilio Pontifex Romanus difficiliora negotia explicaret, atque dirimeret. Sed ad Gratianum redeamus. (2)

26 q.7.c.14. ſi quis.

B. Zachariæ Papæ adſcribit Gratianus verba illa poſita cauſſa xxvi. extrema: *Si quis Kalendas Januarii ritu paganorum colere* &c. quæ ex decretis Zachariæ cap. xi. Burchardus, (*a*) & Ivo (*b*) refeſunt. Magna cum varietate ſunt hæc in Romano concilio Zachariæ cap. ix. *Si quis Kalend. Januarias, & broma colere præſumſerit, aut menſas cum dapibus in domibus præparare, & per vicos & plateas cantationes & choros ducere, quod maxima iniquitas eſt coram Deo: anathema ſit.*

A. In epiſtola quadam Bonifacii martyris ad Zachariam inveni conqueri illum, quod dicerent barbari, ſe vidiſſe Romæ juxta eccleſiam S. Petri Kal. Jan. paganorum conſuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes, & cantiones ſacrilegas audiviſſe, & menſas illa die vel nocte dapibus onerare, & alia fieri: cui Zacharias reſcribit, tam ſe, quam Gregorium Pontificem cui ſucceſſerat, qui a nobis Gregorius tertius appellatur, illa prohibuiſſe.

C. Quid vox *broma* ſignificat? an pro *bruma* poſita eſt?

A. Capite lxii. ſextæ ſynodi repetitæ in Trullo brumalia prohibentur, quæ videntur eſſe a *bruma* dicta. Incidere autem bruma ſolebat Saturnalibus diebus, non longe a Kalendis Januariis.

B. Tertullianus in libro de idololatria hoc confirmare videtur, cum de brumæ honorario, & de Kalendis Januariis & Saturnalium celebratione agit: Ambroſius tamen in epiſt. ad Galatas ad Jani cultum refert has Januarias Kalendas. *Menſas* vero, non *menſes*, ut apud Ivonem eſt, ſcribendum eſſe, recte ex Bonifacii verbis colligitur. (3) Sequitur illud, quod Macario Papæ Gratianus, (*c*) Zachariæ Burchardus, (*d*) & Ivo, (*e*) & liber Cæſaraug. (*f*) adſcribunt. Eſt autem in hoc ipſo Romano concilio cap. xiii. & xiv.

C. Hac de re invenio in dialogis cum V. & G. (*g*) fieri mentionem, ut etiam de Anacleti & Zachariæ capite diſtin. xciii. a te commemorato.

B. Sunt quædam melius ſcripta in concilio, quam apud Gratianum, ut illud, *ab alio Epiſcopo*, non *ab aliquo*. Et poſt illa, uſque in finem, additur: *quia ſcriptum eſt*, (*h*) *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* (4) Alia exempla ſumamus ex duobus Romanis ſynodis non editis Eugenii ſecundi, & Leonis quarti. Conjunguntur autem in veteri libro, quod magna ex parte eiſdem verbis ſcripta ſint. Nam ſi quis quærat, quid ſibi velit hæc Gratiani inſcriptio cauſſa xii. (*i*) *Item Eugenius Papa, & Leo nonus. Neceſſaria etenim res* &c. aut illa Anſelmi, (*k*) *Ex ſynodo Eugenii Papæ*: quid reſpondeat, non habebit. Invenitur autem in hoc duplici concilio cap. vii. (5) At Leonis Papæ eſſe dicuntur illa verba: (*l*) *Sine ornatu ſacerdotali extra domos apparare nullo modo conveniat*: ea autem modo in B. Leonis Papæ regiſtro quiſquam inveniet: ſed hujus concilii ſunt capita xii.

A. Sumſit Gratianus ab Anſelmo; (*m*) ſed Ivo, (*n*) & liber Cæſarauguſt. (*o*) ex ſynodo Eugenii eſſe ſcribunt. Ivo autem ſolus plenius quædam retulit.

B. Plura ſunt in ipſo concilio. (6) Sic etiam Ivo (*p*) caput xi. hujus concilii refert, ut ex ſynodo Eugenii Papæ tempore Ludovici & Lotharii Auguſtorum habitæ, & liber Cæſaraug. (*q*) ex ſynodo Eugenii Papæ, ſed plenius eſt id caput in eodem concilio. Caput xiii. poſuit Gratianus cauſſa xiv. (*r*) cum hac inſcriptione: *Unde in ſynodo habita Romæ ab Eugenio Papa ſtatutum eſt.* Pro illis verbis, *tamen in ipſis ſæcularibus negotiis* &c. ſcribendum: *tamen ipſi in ſæcularibus negotiis pro teſtimonio, aut conficiendis inſtrumentis non rogentur.*

C. Ante ea verba vox *credibilius*, eſt in concilio; *credibile* apud Gratianum.

B. Ita eſt, ut dicis. (7) Diſtinctione xxci. (*s*) caput vii. cujus initium, *Sacerdos, aut quivis*; Eugenio Papæ adſcribitur; id in his Eugenii Minoris, & Leonis IV. ſynodis invenio capite xiv. & ſcribendum eſt; *in ordinem eccleſiaſticum provectus, ſi in eo ſcelere inveniatur, quo abiciendus exſiſtat.* (8) In eadem diſtinctione (*t*) caput adiectum a Palea cum hac inſcriptione, *Ex decreto Eugenii Papæ*; quod etiam apud Anſelmum (*u*) & Bernardum Papienſem refertur, (*x*) hujus concilii eſt cap. xv. Varietas magna eſt, ut in notis tuis ad Papienſem, ex libro Veronenſi a te relata eſt.

A. Pergratum mihi eſt, quod fontem illius capitis indicaveris, ut etiam aliorum, quæ a te narrata ſunt. (9)

B. Caput xvi. Gratianus (*y*) refert, *ut ex ſynodo habita Romæ ab Eugenio Papa*: melius eſt in libro Cæſaraug. (*z*) *In concilio primo Eugenii Papæ cum Epiſcopis* lxxii. *& Leonis IV. cum Epiſcopis* lxvi.

A. Si addidiſſet, cujus Eugenii id concilium eſſet, nihil deſiderari aptius poſſet. Cupio tamen ſcire abs te, cum conveniat in Epiſcoporum numero?

B. In Leonis ſynodo nulla differentia eſt, in Eugenii tamen x. Epiſcopi plures in Cæſarauguſt. ſunt, quam in veteri libro ejus concilii.

A. In verbis quænam varietas eſt?

B. Quod apud Gratianum eſt, *res mobiles, aut immobiles*; in eo concilio eſt, *res mobiles*: in libro Thomaſiano Gratiani, *res immobiles*: in Cæſarauguſtano ſola vox *res*, invenitur.

A. Nihil mutandum cenſeo.

B. In extremo capite, *coartandus exſiſtat*, eſt in concilio: *coartatus exſiſtat*, habet Gratianus: *coerceatur*, liber Cæſarauguſtanus.

A. Scriptura concilii recipienda eſt. (10)

B. Caput xix. Leoni Papæ adſcribit Gratianus (*a*) diſtinct. lxxii. ut Anſelmus; (*b*) Eugenio Papæ liber Cæſarauguſt. (*c*) Pro illis, *niſi ab ipſo poſtulatus*; ſcribendum eſt, *niſi ab alio poſtulatus*: ut in his tribus libris eſt, quamvis Anſelmus habeat, *poſtuletur*, pro *poſtulatus*. (11) Pars ejuſdem capitis omiſſa eſt, qua cavebatur, ut dimiſſoriæ litteræ univerſalis Pontificis, aut Imperialis, vel Metropolitani bulla roborentur.

C. An etiam Metropolitani bulla utebantur?

A. Sigillum arbitror ſignificari. Sed & Venetorum Dux bulla utitur plumbea in quibuſdam litteris. Et Græci Imperatores χρυσοβούλλα appellabant litteras eorum aurea bulla exornatas. Cetera poterunt alio die conferri. Noſtis enim occupationes meas. Vid. Balſamo ad Photium, cum ſcholiis.

B. Ita fiat.

AD-

(a) *Burc. lib.* 10. *c.* 16.
(b) *Ivo par.* 11. *c.* 43. *decret.*
(c) *De conſecr. d.* 1. *c.* 56. *nullus.*
(d) *Burc. lib.* 3. *c.* 230. *&* 231.
(e) *Ivo par.* 3. *ca.* 270. *&* 271. *decr.*
(f) *Caſ. lib.* 4. *c.* 48.
(g) *Dial.* 4. *li.* 1. *& dialogo* 13.
(h) *Mat.* 10. *c.*
(i) 12. *q.* 1. *c.* 3. *neceſſaria.*
(k) *Anſ. lib.* 7. *c.* 5.
(l) 21. *q.* 4. *c.* 4. *fine.*
(m) *Anſel. lib.* 7. *c.* 103.
(n) *Ivo par.* 13. *c.* 7. *dec.*
(o) *Caſ. libr.* 8. *c.* 25.
(p) *Ivo par.* 11. *c.* 76. *decr.*
(q) *Caſ. lib.* 8. *cap.* 21.
(r) 14. *q.* 2. *c.* 2.
(s) *Diſt.* 81. *c.* 7. *ſacerdos.*
(t) *Ead. diſt. c.* 22. *ſi quiſpiam.*
(u) *Anſel. li.* 8. *cap.* 9.
(x) *c.* 3. *de cohab. cler. in* 2. *collect. & apud Greg. IX. c.* 2. *e. tit.*
(y) 12. *q.* 1. *c.* 17. *nulli.*
(z) *Caſ. lib.* 7. *cap.* 61.
(a) *Diſt.* 71. *c.* 1.
(b) *Anſ. lib.* 6. *c.* 122.
(c) *Ceſar. lib.* 4. *c.* 87.

ADDITIONES.

(1) IN editione Gregoriana cap. 3. Epiſcopi, 21. q. 4. inſcriptio eſt: Item Zacharias Papa in ſynodo Romana c. 3. In notis eſt: Hæc ſynodus a Zacharia Papa habita exſtat in bibliotheca Vaticana, & Regienſi. Et in indice librorum eſt: Zachariæ decreta ex bibliotheca Ormaneti Epiſcopi Patavini, Synodus Romana ex Vaticana, Franciſcana ex Dominicana ſupra Minervam. (In hoc libro A. Ant. Auguſtinum ſignificat, B. Franciſcum Edoardum, C. Martinum Auguſtinum Joannis filium.)

(2) De inſcriptione cap. 4. Juxta, diſt. 93. dictum eſt in dial. 13. addit. 2. libri 1. verbis hæc leguntur: Ordinationi ſubiacent, qui propinqui ſunt. Cap. 4. Ego N. de iureiur. inſcriptio eſt: Idem (Gregorius) Petro ſubdiacono. In marg. eſt: cap. 20. tit. de electione in 1. compil.

(3) Ante cap. 14. cau. 26. q. 7. in eod. libro hæc ſunt: Unde Zacharias Papa in concilio Romano c. 9. Si quis Calendas Januarias, & brumam ritu paganorum colere, vel aliquid plus novi facere propter novum annum, aut menſas cum dapibus &c. In marg. hæc ſunt: Polyc. ibidem, (hoc eſt, l. 6. tit. 12.) Burch. l. 10. c. 16. Ivo par. 11 c. 43. Et in notis: Hoc eſt caput novum in concilio Romæ a Zacharia habito, quod aſſervatur in Vaticana bibliotheca: & inde nonnulla ſunt emendata & addita. De hac autem ſuperſtitione Bonifacius legatus Germaniæ epiſtola 2. quæ eſt in tomis conciliorum ad ipſum Zachariam multa ſcribit: cui Zacharias ultimæ epiſtola reſpondens mentionem huius concilii videtur facere his verbis. Et quia per inſtigationem diaboli iterum pullulabant, a die, qua nos juſſit divina clementia (quamquam immeriti exiſtimamus) Apoſtoli vicem gerere: illico omnia hæc amputavimus. Idem prohibetur pluribus verbis in canonibus, qui ſextæ ſynodo adſcribuntur c. 62. Et multa in huiuſmodi ſuperſtitionem ſcribit Tertullianus in libro de Idololatria, & alii graves auctores. Vel aliquid plus novi facere propter novum annum) Hæc non ſunt in codice iſtius concilii Vaticano.

(4) In dialogo quarto addit. 12. dictum eſt de inſcriptione capi. 57. Romanis, de conſecr. diſt. 1. cujus initium, Nullus Epiſcopus. Editum eſt, ab alio Epiſcopo. Et poſt vocem finem hæc ſunt, quia ſcriptum eſt (qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.) Si quis vero &c. Et in Marg. Mat. 10

(5) Cap. 3. Neceſſaria, 12. q. 1. in libro Romano inſcriptio eſt: Item Eugenius Papa II. & Leo quartus c. 7 In marg. eſt: Anſ. l. 7. c. 5. & l. 4 c. 2. Et in notis: Eſt caput 7. concilii Romæ ab Eugenio II primum habiti, & poſtea a Leone IV. innovati. Antea citabatur Leo nonus.

(6) Hæc inſcriptio eſt in eod. libro cap. 4. Sine ornatu 21. q. 4. Item Leo Papa IV. in ſynodo Romana c. 12. In marg. eſt: Anſ. l. 7. c. 162. Ivo par. 13. c. 7. Poſt verbum patiuntur addita ſunt hæc: Sed ea ſolummodo, quæ per patres conſtituta videntur, obſervet. Contrarius &c.

(7) Inſcriptio cap. 2. ſive poſterioris 14. q. 2. in eodem libro hæc eſt: Unde in ſynodo habita Romæ ab Eugenio Papa II. ſtatutum eſt, c. 13. Quamquam ſacerdotum teſtimonium credibilius habeatur; tamen ipſi in ſæcularibus negotiis pro teſtimonio, aut conficiendis inſtrumentis non rogentur &c. In marg. eſt: Polyc. l. 4. tit. 31. In notis: Pro teſtimonio) Sic eſt emendatum ex conciliis Eugenii II. & Leonis IV. & Polycarpo. Antea enim legebatur, pro conficiendis inſtrumentis ad teſtimonium non rogentur. Et ſi autem) In conciliis ipſis, & Polycarpo legitur, ſi enim eventæ cauſæ aliquid viderint, &c.

(8) Caput 7. diſtin. 81. ita in eodem libro inſcribitur: Item Eugenius Papa. Sacerdos, aut quivis alius in ordine eccleſiaſtico provectus, ſi in eo ſcelere invenitur, quo abiiciendus comprobatur &c. In marg. eſt: Anſ. l. 5. in prin. (Imperfecta hæc ſunt.)

(9) Ejuſdem diſtin. cap. 22. Si quiſpiam ſacerdotum, in eodem libro hanc habet inſcriptionem: (Ex decreto Eugenii Papæ) Palea. In marg. hæc ſunt: Polyc l. 4. tit. 31. ex Lucio. Anſ. l. 8. c. 9. ex pœnit. Romano (pro Romano.) In notis: Ex decreto) Hic canon in concilio Romano primum ab Eugenio ſecundo editus, & poſtea a Leone quarto etiam in concilio fuit repetitus, & citatur in decretalibus tit. de cohabit. cleric...... (deeſt, &) mul. Et in pluriſque vetuſtis exemplaribus eſt ſine nomine. Admonitionem) In eod. canone ſequitur, Metropolitani, vel alterius Epiſcopi, aut cius cui ſubiacere videatur.) deſideratur numerus canonis Romani; hoc eſt, c. 15.) Inſcriptio cap. 2. de cohab. cleric. eſt: Ex decreto Eugenii Papæ. Si quiſquam ſacerdotum &c. In marg. eſt: Cap. 3. eod. tit. in 1. compil.

(10) Quod ad caput 27. attinet, 12. q. 1. Ejus in eodem libro Romano inſcriptio eſt: Item ex ſynodo habita Romæ ab Eugenio Papa II. c. 16. Nulli Epiſcoporum liceat res mobiles, aut immobiles &c. In fine eſt, coarctatus exſiſtat.

(11) Diſt. 72. cap. 1. hæc in eodem libro inſcriptio eſt: Unde Leo Papa ait: Epiſcopus ſubiecta ſibi ſacerdoti, vel alii clerico, niſi ab ipſo poſtulatus &c. In marg. eſt. Anſ. l. 6. c. 122. (imperfecta hæc ſunt. Vide lib. 1. dial. 16. add. 3. in fine.)

DIALOGUS II.

De eodem re ex eodem Concilio Eugenii, & Leonis.

B. CUM a te heri diſceſſimus, petebat C. a me, cur bullas exiſtimarem dictas Pontificias litteras. Dixi ab illo ſigillo, quod in ſingulis pendere ſoleret. Sed cur ſigillum id bulla diceretur, a te petendum eſſe.

A. Nonne meminiſtis bullam dici Romanis, quam pueri ſupra togam prætextam ferrent e collo pendentem, quod cordis, ſive lunæ ſpeciem obtineret, ſive a Græca voce *βουλή*, quæ conſilium ſignificat, ſive a Latina *bulla*, pro tumore, ut cum dicimus, *homo bulla*, aut cum in veſtibus auream bullam, aut in aquæ ferventis ſpuma ebullire appellamus, bullas illas facere.

C. Credo me apud Plutarchum, Feſtum, & Macrobium hoc ipſum legiſſe; ſed non ſuſpicabar inde Pontificias litteras nomen ſumſiſſe. Nunc vocis illius abs te heri uſurpatæ memor *χρυσόβουλλον*, facile inducor, ut credam illam fuiſſe originem bullarum Apoſtolicarum.

B. In eamdem ego ſententiam accedo.

A. Quid nobis reliqui eſt ex illis duorum Pontificum conciliis? *5. q. 3. c. ult. Longob. de advocat. libr. 2. tit. 47.*

B. Caput xix. Anacleto Papæ adſcribit Gratianus, Lothario Imperatori collectio legum Longobardicarum.

A. Magnam tu varietatem narras. Sed quid in aliis verbis lucri eſt?

B. Initio, *Epiſcopi* ſcribendum eſt, non *Epiſcopus*; & *actionem*, non *actiones*: cetera levia ſunt, ut *propriis ſuis actionibus*, quod Gratianus habet, pro *ſuis actionibus*. (1) Quod ſequitur caput xx. conjungi debuit a Gratiano: ut diſcuteret Epiſcopus, cur ſacerdos advocatum non inveniret. *16. q. 7 c. 33. monaſteriorum.*
Sed venio ad caput xxi. quod ex Romana ſynodo

Digitized by Google

du appellat Gratianus, & Evangelia, ſive *ſumpto* ſolvenda ſuot ei, qui invenerit, quænam ea ſynodus fuerit.

Anſ. lib. 5. c. 73. Cæſ. li. 8. c. 43.

A. Vide C. quid Anſelmus, & liber Cæſarauguſtanus ſcripſerint.

C. Leoni adſcribit Anſelmus, io Cæſaraoguſtano inſcriptio deſideratur.

B. Plura ſunt in his conciliis, quam in tribus collectiunibus. Anſelmus tamen plura refert, quam ceteri: & liber Cæſarauguſt. Gratiano plenior eſt. Poſt illa verba, *pro ſacro officio illius diœceſis*, ſive *diœceſeos*, ut in conciliis eſt, additur, „ & bonæ „ auctoritatis dimiſſoriam, *ſive*, & idoneos auctoritate dimiſſoriam. „ *Et bonæ auctoritatis dimiſſoriæ*, habet Anſelmus: *dimiſſione*, Cæſaragoſtanus.

A. Prior ſcriptura placet magis, *& bonæ auctoritatis dimiſſoriam.*

B. Poſt verbum *commendare*, additur in utroque concilio: *ita ut ad placita, & ad juſtam reverentiam ipſius Epiſcopi obedienter ſacerdos recurrat.* Eadem cum aliqua varietate ſunt in Cæſaraug. major varietas eſt apud Anſelmum. Sed neutrius habendam rationem exiſtimo. Illud addit Leo quartus: „ Si vero ſuperbia elevatus, vel alio quolibet modo, a propriis ſe ſubtrahere maluerit mandatis Epiſcopi, caoonicis eum decernimus ultionibus ſubjacere. „

C. Horum verborum pars eſt apud Anſelmom.

A. Ex his facile cognoſces, quantum interſit ex fonte haurire, aut ex rivulis, & ſtagnis, ac lacubus. (2)

B. Caput XLIII. non ad Gratianum, ſed ad veterem illam Bernardi Papienſis tui collectionem primam Decretalium pertinet. Quod enim ſub titulo de religioſis domibus ex decretis Eugenii Papæ refertur, hujus concilii eſt.

Cap. 2. de relig. dom. in 1. collect. c. 3. c. vii. Greg. IX.

A. Recita mihi concilii verba; ſunt enim in noſtris libris parum apte ſcripta.

„ B. De xenodochiis & aliis ſimilibus locis. *Eugenius in titulo*: De xenodochiis, prochotrophiis, „ noſocomiis, & orphanotrophiis, eremoromiis, & „ monaſteriis tam monachorum quam ſanctimonialiom. Leo quartus. "

Capit. li. 2. c. 29. Ivo part. 17. c. ult. decret. Cæſ. lib. 7. c. 80.

C. Legi nuper in Juliani epitome Novellæ VII. horum nominum differentiam illud ſolum *eremocomiis* illic non eſt.

A. Fortaſſe *gerontocomiis* ſcribi oportet, quod illic eſſe non dubito.

B. Quid ſi hæc vox ad eremitas edocandos referatur?

A. Non recte compoſita videtur. Sed perge tu, & quod cœperas, refer.

B. Capitis ipſius verba ſunt hæc. *Per ſolicitudinem Epiſcoporum hæc, quorum diœceſeos exſiſtunt, ad eaſdem utilitates quibus conſtituta ſunt, ordinentur: ut debiti panes atque curæ pertinentibus revertantur.* In his ultimis verbis eſt aliqua varietas: *deditis panes aquæ*, eſt alicubi: *debitis atque curæ revertantur*, alibi omiſſa voce *pertinentibus*: *recitantur* pro *revertantur*, iovenio etiam ſcriptum. Mihi *reddantur* non ineptum videretur.

A. Ego vocem *curæ*, in, *rogæ*, mutarem.

C. Quid ea vox ſignificat?

A. Ita dicebatur, quod erogari ſolebat, ut ex Pontificali, & Anaſtaſii hiſtoria cognovimus. Sic igitur lego: *ut debiti panes, atque rogæ pertinentibus reddantur*, ſeo revertantur.

B. Mihi id vehementer placet. Sequuntur Leonis verba: „ Qualiter Deo vacantes inopia, vel „ neceſſitatibus nullatenus occupentor; ſed omni ex„ pulſa cura, purius in Dei ſervitio valeant men„ tibus permanere. „

A. *Purioribus*, pro *purius* mutandum cenſeo. (3)

B. Caput XXVI. refert Gratianus, (*a*) ut *ex concilio Leonis Papæ*. Quarti addit Anſelmus (*b*) non male.

A. In libro Cæſarauguſtano (*c*) eſt: ex concilio Gregorii primi Papæ, ineptiſſime: ſed varietatem audiamus.

B. *Superpoſita*, pro *ſuppoſita*; *proſpector*, pro *perſpector*: & pro illis, *non illicitis exactionibus opprimantur*, in eo concilio eſt: *quam illicitis exactis dationibus opprimantur.*

C. Anſelmus habet *ſuperpoſita*; & *perſpector*; cetera ut concilium.

A. Vide librum Cæſarauguſtanum.

C. Convenit cum Anſelmo ona excepta voce: eſt enim illic; *quam illicitis exactis, vel dationibus opprimantur.*

A. Vox, *quam*, pro, *magis quam*, vel, *potius quam*, poſita eſſe videtur.

Pſal. 117. 8.

B. Ita exiſtimo: ut illud, *Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus*, & alia ſexcenta, quæ in emendationibus refers. Leonis verba ſunt illa: *Quia Dominus paſcere, & docere nos docuit*, & quæ ſequuntur. (4) Caput XXIX. *ex decreto Eugenii Papæ* refert Gratianus; (*d*) *ex decretis ejuſdem*, liber Tarracon. (*e*) *capite XXVIII* addit Burchard. (*f*) *cap. XXVI* Ivu (*g*) in Excerptionibus omnes epitomen, non verba referunt, quæ ita initio concepta ſunt: „ Feminæ vero, quæ habi„ tum religioſum, aut velamen obtentu religioſi„ tatis ſuſceperunt, *cum eſſent viripotentes*; dein„ ceps viro ſoriari uon permittantur: ſed eligen„ tes monaſteria regulariter vivant, aut in domi„ bus ſuſceptum habitum caſte obſervent; contra „ autem turpes inventæ providentia Epiſcopi e„ mendentur. „ His Eugenii Minoris verbis addit alia Leo non contemnenda. (5) Caput XXXII. a Gratiano refertur ex ſynodo habita ab Eugenio Papa.

20. q. 1. c. 9. ſicut qui.

Cæſ. li. 9. c. 12.

A. Eidem Eugenio adſcribit partem ejoſdem capitis liber Cæſaraug.

B. Pro illis verbis, *qui inviti ſine juſta offenſionis cauſſa ſunt intromiſſi*, illic eſt: *qui in monaſterio inviti, & injuſte ſine oſtenſione ſunt intromiſſi*: aut ot alius liber habet *qui invite ſine juſtæ oſtenſionis crimine monaſteriis ſunt intromiſſi.*

A. Vide, qoid io Cæſaraug. ſit.

C. *Si qui ſine oſtenſo crimine inviti in monaſterium mittuntur.*

A. Sententia eadem eſt in omnibus, illud tamen eligo, *qui invite ſine juſtæ oſtenſionis crimine monaſteriis ſunt intromiſſi.* Sed quid eſt, quod extremo capite dicitur: *ſicut in decreto ſanctiſſimi Leonis Papæ continetur libro ſexto?* quis ille ſextus Leonis liber eſt?

B. Recte Contius notam addidit illis verbis, *libro ſexto*, quæ uulla ſont in concilio Eugenii. Videtur autem Leonis mentio fieri: quia Leo capite XXVI. & XXVII. ut in Corpore canonum eſt, ex epiſt. XC. ad Ruſticum Narbon. Epiſcopum, cap. XII. & XIII. idem ſtatuiſſet. (6) Caput XXXIII. Clementi adſcribit Gratianus, (*h*) quod a te credo eſſe relatum. (*i*) Quod dicitur, *a laicorum loco*; illic eſt, *a laicorum*, voce tertia omiſſa: & pro verbis extremis, *ſacra officia exercere*, habet id concilium in margine, *ſacra officia celebrari*. Adduntur poſtea a Leone quarto plura non inutilia. Hujus cap. mentio fit a Sigiberto hiſtorico, ſed falſo Leo V. appellatur auctor. In libro Cæſaraug. Eugenio Papæ aliis verbis eadem ſententia adſcribitur. (7) Venio ad XXXIV. caput, quod inſcribitur *de ſcholis reparandis pro ſtudio litterarum*: id Gratianus ex ſynodo Eugenii Papæ refert diſtin. XXXVII. Non recte Eugenio tertio Contius adſcripſit, a quo neſcio, an aliquid Gratianus acceperit. Ivo Carnoten. ita inſcripſit: *Synodus Eugenii Papæ tempore Ludovici.* Pro illis verbis *ab univerſis Epiſcopis, ſubjectis plebibus*,

Cæſ. lib. 8. c. 27.

Diſt. 37. c. 12. de quibuſdam.

Ivo par. 4. c. 214.

(a) 16. q. 2. c. 62. *nulli.*
(b) *Anſ. lib. 6. c. 166.*
(c) *Cæſ. lib. 4. c. 89.*
(d) 27. q. 1. c. 31. *mulieres.*
(e) *Tarra. li. 6. c. 232.*
(f) *Burc. lib. 8. cap. 54.*
(g) *Ivo par. 7. c. 92. dec.*
(h) *De conſec. d. 2. c. 30. ſacerdotum.*
(i) *Dial. 13.*

bibus, ſcriptum invenio in concilio & apud Ivonem, *univerſis Epiſcopis ſubjectiſque plebibus* voce AB omiſſa. At in Gratiani lib. Thomaſiano, *univerſis Epiſcopis, ſubjectiſque plebibus*.

A. Mutatio placet.

B. Quod vero poſtea eſt: *qui ſtudia litterarum, liberaliumque artium dogmata aſſidue doceant*: plenius eſt in his duobus conciliis: *qui ſtudia litterarum, liberaliumque artium, ac ſancta habentes dogmata, aſſidue doceant*.

A. Hæc recipienda eſſe oſtendunt, quæ ſequuntur verba. *Quia in his maxime divina manifeſtan-*

A *tur; atque declarantur mandata*. Sed quid apud Ivonem eſt?

C. Poſt vocem *artium*, tantum eſt: *habentes dogmata doceant*.

B. Vide, quid Leo addiderit: „ Et ſi liberalium „ artium præceptores, in plebibus ut aſſolet, raro inveniuntur; tamen divinæ ſcripturæ magiſtri, & inſtitutores eccleſiaſtici officii nullatenus „ deſint &c. “

A. Hæc omitti non debuerunt. (8) De ceteris cras, aut perendie videbimus.

A D D I T I O N E S.

(1) I*Nſcriptio cap. ult. 3. q. 3. in editione Romana hæc eſt: Item Anacletus Papa. Quia epiſcopus &c. In notis hæc ſunt: Hoc capitulum quod ex Anacleto citatur, habetur in concilio Eugenii Papæ ſecundi tempore Ludovici ac Lotharii Imperatorum, habito c. 19. Quod etiam a Leone quarto eſt repetitum. Ex quo canone Lotharius lib. 2. legum Longobard. tit. de Advocatis, & Vicedominis, octavum capitulare compoſuit. In verbis nihil eſt mutatum.*

B (2) *Capitis 33. Monaſterium, 16. q. 7. hæc in eodem libro inſcriptio eſt: Item ex Romana ſynodo Eugenii* II. *& Leonis* IIII. *c. 21. Nulla varietas notatur, præter ad vocem* invito, *al.* invite, *in marg. Anſelmi vero nomen non eſt adjectum.*

(3) *Hæc inſcriptio eſt capitis tertii de relig. domib. Ex decretis Eugenii Papæ. De xenodochiis, & aliis, &c. In marg. eſt: Hoc reperi in 1. compilatione e. tit. c. 2. & hic, non alibi.* (*Fons omittitur.*)

C (4) *Ante caput 62. Nulli Epiſcopor. 16. qu. 1. hæc verba ſunt in libro Romano: Unde in concilio Leonis Papæ* IIII. *cap. 26. ſtatutum eſt. In margin. hæc ſunt. Polyc. l. 4. tit. 21. Anſelm. l. 6. c. 166. Ad verba* ſuperpoſita in angariis, *eſt in marg. in vulgatis erat* (ſuppoſita) *& ad vocem* proſpiciat, *al.* perſpiciat, *& ad vocem* exactionibus *al.* exactis dationibus.

(5) *In eodem libro inſcriptio cap. 31. Mulieres abtentu. 27. q. 1. hæc eſt: Item ex decreto Eugenii Papæ ſecundi in concilio Romano c. 29. Et in marg. eſt: Polyc. l. 4. tit. 34. Burch. l. 8. c. 54. Ivo par. 7. c. 72. Et in notis: In concilio, quod extat in bibliotheca Vaticana, hæc ſunt ipſa decreti verba:* Feminæ vero *&c. uſque ad verbum* obſervent, *ut in dialogo.*

(6) *Gratiani verba ſunt ante caput 9. Sicut qui, 20. q. 1. in eodem libro: Sic & illud intelligendum eſt, quod eſt ſtatutum in ſynodo habita ab Eugenio Papa* II. *c. 32. In verbis nulla varietas notatur. Qui inviti ſine juſtæ offenſionis cauſſa ſunt intromiſſi. Et poſtea: ſicut in decreto ſanctiſſimi Leonis Papæ manifeſtiſſime continetur.*

(7) *De inſcriptione cap. 30. Sacerdotum, de conſecrat. diſt. 2. ſcriptum eſt in dialogo 13. addit. 1.*

(8) *Caput 12. De quibuſdam, diſt. 37. in eodem libro ita inſcribitur. Item ex ſynodo Eugenii Papæ ſecundi. In marg. eſt: Ivo p. 4. c. 214. Anſelm. lib. 7. c. 2. Polyc. l. 4. tit. 32. In notis: Eugenii) Apud Anſelmum citatur ex ſynodo habita Romæ in conſiſt. Lateran. a Beato..... In Polycarpo eodem modo, & additur nomen Eugenii, ex quo etiam citat Ivo. Inventum vero eſt in ſynodo Eugenii Papæ* II. *& in ſynodo Leonis* IV. *quarum ſynodorum, ut alibi dictum eſt, exemplaria ſunt in Vaticana bibliotheca. In indice etiam ſynodi a Gregorio* VII. *Romæ habitæ talis cujuſdam capitis hæc ponitur ſumma: Ut omnes Epiſcopi artes litterarum in ſuis eccleſiis doceri faciant. In verbis nulla eſt varietas. Editum autem eſt: Idcirco in univerſis epiſcopiis, ſubjectiſque plebibus. Et poſtea: Qui ſtudia litterarum, liberaliumque artium dogmata aſſidue doceant.*

D I A L O G U S III.

De Eadem re.

A. QUA de re nunc inter vos agebatis?

B. De tempore, quo hæc duo Eugenii & Leonis concilia habita ſunt.

A. Quid igitur certi eſt? Dixiſti enim heri, Ivonem Carnotenſem tempore Ludovici affirmaſſe habitam eſſe Eugenii ſynodum. Eum Ludovicum exiſtimo Pium cognomento eſſe dictum Caroli Magni filium.

B. Ita eſt, ut exiſtimas. Namque ſub Leone tertio Pont. Max. Carolus moritur. Leoni Stephanus, Stephano Paſchalis, Paſchali Eugenius hic ſuffectus eſt. Et in ipſo Eugenii concilio dicitur, anno XIII. Ludovici Aug. Indict. IV. menſe Novemb. haberi concilium. Sed & Lotharii filii novi Imperatoris mentio fit; annus omiſſus eſt. Si numeros Panvinii ſequamur: Chriſtianæ ſalutis annus eſt DCCCXXVI. Pontificatus Eugenii Minoris annus tertius.

A. Ex Indictione videtur unus annus detrahendus. Leonis quarti ſynodus quo anno habita eſſe dicitur?

B. Anno ſeptimo Leonis, Lotharii vero & Ludovici Imperatorum anno quinto & triceſimo ſeptimo; quod ex alio loco ſic intelligitur, ut vox

D *quinto* referatur ad Ludovicum, cetera ad Lotharium: menſe Decembri, Indictione ſecunda. Panvinius anno quarto Leonis, Lotharii vero anno XI. Chriſti DCCCL. ſynodum Romanam habitam eſſe ſcribit.

A. Ex Indictione, & anno VII. Pontificatus apparet annum fuiſſe DCCCLIII. Lotharii XV.

C. Eſt ne Ludovicus ejuſdem Lotharii filius, qui eidem ſucceſſiſſe dicitur;, an Pius ille Lotharii pater?

B. Apud Sigibertum invenio hunc Ludovicum Lotharii filium a Sergio Minore Pont. Max. Regem Longobardorum factum eſſe, eumdemque poſtea Imp.

E fuiſſe appellatum. Idem anno Chriſti DCCCXLVII. anno VII. Lotharii, decretum hujus concilii de quo heri locuti ſumus, refert.

A. Redeundum eſt tibi ad ea capita, quæ reliqua ſunt. *Ivo par. 11. c. 77. decr.*

B. Caput XXXV. apud Ivonem, non apud Gratianum inveni cum hac inſcriptione: *Ex ſynodo Eugenii Papæ tempore Ludovici & Lotharii Auguſtorum* Cap. XXXV. in libro Cæſaraug. eſt: *ex ſynodo Eugenii Papæ cap. xxxii.* Imperfecte autem utrobique eſt. Omittuntur enim Leonis verba maxime neceſſaria. Capitis XXXVI. pars refertur a Gratiano, *Caſ. li. 8. c. 82.*

Digitized by Google

no, (a) *ex ſynodo Eugenii Papæ*; cui addunt hæc, *tempore Ludovici & Lotharii cap. xxxvi.* Ivo, (b) & liber Cæſaraug. (c) Omiſſum eſt initio: „ Nulli liceat, excepta cauſſa fornicationis, adhibitam uxorem relinquere; & deinde aliam copulari: alioquin tranſgreſſorem priori convenit ſociari conjugio. „

C. An ſi fornicationis cauſſa relinquat, poterit aliam ducere?

[*Ivo par. 9. c. 21. decr.*]

B. Minime gentium. Sed exceptio illa ad priorem partem eſt referenda: *ne quis uxorem relinquat*, ut in verbis Domini. (d) Extremo capite addebantur Leonis verba: *ut diſtricta pœnitentia coerceantur, qui religionis cauſſa ſeparati ex utriuſque conſenſu, fidem fregerint.* (1) Caput xxxix. refert Ivo, ut Zachariæ Papæ verba: neque omnino fallitur; nam in ſynodo Romana Zachariæ de qua alio die locuti ſumus, capite ſexto pars eorumdem verborum eſt. Quæ poſt hoc caput ſequuntur, Leonis quarti tantum ſunt capita quattuor, ex quibus nihil invenio apud Gratianum. Poſtea dicitur acclamatum ſuiſſe ab omnibus & deinde Theodorum notarium, & ſcriniarium legiſſe depoſitionem Anaſtaſii presbyteri Cardinalis tituli ſancti Marcelli hoc initio: „ Imperantibus dominis piiſſimis perpetuis Auguſtis Lothario a Deo coronato pacifico, & magno Imperatore anno xxxvii. ſed & Ludovico a Deo coronato ejus filio novo Imperatore anno quinto menſe Decembrio die octava, Indictione ſecunda, in civitate nova, cujus vocabulum Leoniana eſt, intra eccleſiam, ubi corpus beatiſſimi Petri Apoſtolorum Principis conditum eſt: Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei &c. „

[*c. 2. de cler. non reſ. in 2. collect. & apud Gregor. 9.*]

A. Hæc igitur eſt illa depoſitio cujus mentio ſit in Gregoriana collectione titulo de clericis non reſidentibus de qua pluribus verbis agit Bernardus Circa Papienſis in prima collectione: ſed male tertio Leoni adſcribebatur, quod ad quartum pertinebat.

B. Bernardi verba ſunt: „ Ex geſtis Romanorum Pontificum. Leo tertius natione Romanus conſilio Lotharii, & Ludovici Imperatorum ſanctam, & venerandam lxvii. Epiſcoporum in eccleſia B. Petri ſynodum congregavit. In hac ſynodo Anaſtaſius &c. „

[*Cæſaraug. lib. 7. cap. 61.*]

C. De numero Epiſcoporum ex Cæſaraug. libro dictum eſt, ſuiſſe lxvi. (2) Urbem Romam *Leonianam* dictam ſuiſſe, nunc primum audio.

B. Non tota Urbs ita dicta eſt, ſed ea pars quæ ultra pontem & molem Hadriani eſt, quæ Tanſiberina dicebatur, in qua Vaticanus mons fuit, nunc ædes ſacra B. Petro, & magna domus Pontificia conſiſtit. Invenies ea de re multa in Pontificali volumine de vitis Pontificum: in quo etiam de hac depoſitione Anaſtaſii in concilio lxvii. Epiſcoporum agitur.

A. Quo pacto xxxvii. annus eſt Lotharii, & quintus Ludovici, cum Ludovicus Pius Lotharii pater Imperatoris nomen acceperit, & coronam a Stephano quarto anno DCCCXVI. ut Panvinius ſcribit, qui eſt xxxvii. a ſeptimo anno Leonis IV. An eodem anno pater, & filius Imperium obtinuerunt?

B. Segefredus de Ludovico idem dicit, ſed Paſchalem ait Stephani ſucceſſorem Lotharium Imperatorem appellaſſe anno DCCCXXIII. quod ſi non eo anno, ſed primo id geſtum eſt a Paſchali, minus laboraremus.

A. Malo huic concilio credere, quam ceteris ſcriptoribus. Habes ne aliud ſive ex hoc, ſive ex alio libro veteri, quod ad Gratianum pertineat?

B. Ex Bonifacii martyris Archiepiſcopi Maguntini epiſtolis duo capita ſunt apud Gratianum, quorum alterum inveni, alterum alibi quærendum eſt. Quod enim diſtinct. xl. (e) *ex dictis Bonifacii martyris* inſcribitur; & ab Ivone, (f) *ex geſtis Bonifacii martyris Legati Romanæ eccleſiæ*, a nobis repertum non eſt. (3) At quod eſt diſtinct. lvi. (g) ita inſcriptum, *Bonifacius martyr ſcribens regi Anglorum*, & apud Ivonem, (h) *Bonifacius martyr Hiltribaldo regi Anglorum*; in bibliotheca Mich. Thomaſii invenimus in Epiſtola integra *Aecheldobaldo* regi miſſa, cujus initium fuit, *Confitemur coram Deo*. Appellat autem ſe Bonifacium Archiepiſcopum Legatum Germanicum.

A. Gratiſſimum eſt, quod dicis, tum ob alia multa, tum quod inveneram nuper partem ejus epiſtolæ libro ſeptimo Capitularium ſine ulla inſcriptione, propter mentionem Hiſpanicæ cladis verba ex fontibus ipſis accipere cupiebam. [*Capit. lib. 7. c. 285. in addit.*]

C. Quibus verbis ea de re Bonifacius egit? Totam enim epiſtolam perlegere aveo.

B. Poteris id quidem poſtea facere, cum commodum erit, eſt enim lectu digna; ſed longior eſt, & magnam diei partem nobis auferret. Brevibus referam, quod in ea continetur. Initio laudat regem, quod multa pauperibus largiatur; laudat etiam quod furta, rapinas, periuria, & alias iniquitates & crimina prohibeat; quodque viduarum & pauperum defenſor ſit, & pacis amator. Acriter autem eum reprehendit, quod uxorem non accipiat, cum minus caſte vivat, & ſacrarum virginum violator eſſe credatur. Tum addit ea, quæ Ivo & Gratianus referunt, oſtendens, quid periculi ex malo regis exemplo ad populum proveniat; quod ex Anglorum, & Hiſpanorum, & Burgundionum clade propter libidinem earum gentium oſtendit. In verbis non magna varietas eſt: pro illis, *improperium nobis objicitur*, illuc eſt, *improperium eſt*: & pro *nec bello, nec in bello*: pro, *Hiſpaniæ & Provinciæ*; omiſſa voce ET, *Hiſpaniæ Provinciæ*: ſic autem fortaſſe non Galliæ pars, quæ Provincia dicitur, accipietur: pro illis, *vindex talium*, illic eſt, *judex omnipotens talium*.

A. Ego, *vindex omnipotens talium*, ſcriberem.

B. Denique pro illis, *per ignorantes legem Dei*, id eſt, per Sarracenos: ſcriptum eſt, *per ignorantiam legis Dei, & per Sarracenos*.

A. Quid apud Ivonem ſit, videamus.

C. Ivo, *improperium eſt*, habet, & *nec in bello*; retinet tamen, *& Provinciæ*, atque voce *vindex*, ſive vocibus *judex omnipotens*, caret: ad extremum habet, *per ignorantiam legis Dei per Sarracenos*.

A. Capitularia conferamus.

C. Contuli. *Et Provinciæ*, ſolum habet, cetera ut in ipſa Bonifacii epiſtola. (4)

A. Habes ne aliquid ex Calliſti minoris concilio, quod frequens fuiſſe traditur?

B. Nihil omnino legi. Immo multis capitibus quibus Calliſti nomen Gratianus adſcripſit, selecti viri Romæ eam notam addiderunt, qua oſtenderent, nuſquam eſſe reperta.

A. Cras volo, ut ex Anſelmi Lucenſis collectione id concilium reſtituamus.

(a) *Ivo 27. q. 2. c. 52. ſi vir & uxor.*
(b) *Ivo lib. 6. tit. 5. c. 2. panorm. & par. 8. c. 257. decr.*
(c) *Cæſar. li. 10. c. 98.*
(d) *Matt. 5.*
(e) *Diſt. 40. ca. 6. ſi Papa.*
(f) *Ivo par. 5. c. 23. decr.*
(g) *Diſt. 56. ca. 10. ſi gens.*
(h) *Idem Ivo part. 8. ca. 224. decr.*

ADDITIONES.

(1) *INſcriptio capitis 23. Romanis, 27. q. 2. hæc eſt: Item ex ſynodo Eugenii Papæ ſecundi in ſynodo Romana c. 36. Si vir, & uxor &c. In marg. eſt: Sent. ibid. (hoc eſt, Sent. 4. diſt. 27.) Ivo p. 8. c. 127. Pann. l. 6. c. 76. Numeri differentia oritur, quia a nobis non habetur ratio capitis, Quod conditio, quod eſt Romanis 7. nobis inſcriptio capitis ſeptimi Quicumque.*

(2) *Hæc etiam eſt in Romano libro inſcriptio cap. 2. de clericis non reſiden. Leo tertius. Ex geſtis: & infra. In ſyn. Anaſtaſius &c. In marg. eſt. Cap. 2. eod. tit. in 1. compil.*

(3) *Ante caput ſextum, Si Papa diſtin. 40. in Romana editione hæc inſcriptio eſt: Item ex dictis Bonifacii martyris. Et in marg. eſt: Al. geſtis pro dictis. Et Ivo par. 5. c. 23. In notis: Dictis Bonifacii) Nauclerus gen. 26. teſtatur hoc fuiſſe dictum Bonifacii martyris, Verum Deuſdedit presbyter Card. tit. Apoſtolorum in Eudexia tempore Victoris Papæ III. libros quatuor de rebus eccleſiaſticis compoſuit, qui in bibliotheca Vaticana ſervantur. Et lib. 1. c. 231. ex geſtis (ſic habent etiam multi Gratiani codices, & Ivo) Bonifacii martyris, & Archiepiſcopi Moguntini ſedis Apoſtolicæ legati, hæc ſanctiſſimi illius viri de Romano Pontifice ac ſede Apoſtolica verba refert; in quibus eſt hoc caput; & quidem ex antecedentibus & ſequentibus valde illuſtratur: Sancta Romana eccleſia privilegio ſpecialis auctoritatis divinitus, & humanitus caput omnium eccleſiarum poſt Chriſtum Jeſum effecta, ſecundum Antiſtitis, vel Rectoris ſui qualitatem & valitudinem, afficit totius Chriſtianitatis membra &c. In indice librorum eſt: Deuſdedit Cardinalis collectio canonum, & libri quatuor de rebus eccleſiaſticis, ex Vaticana.*

(4) *Diſtin. 56. cap. 10. in eodem libro ita inſcribitur: Contra Bonifacius martyr ſcribens Ethelbalda regi Anglorum: Sigens Anglorum, ſicut &c. In marg. eſt: Ivo p. 8. c. 224. Verborum varietas nulla eſt in illis: ſicut aliis gentibus Hiſpaniæ, & Provinciæ, & Burgundionum. At in illis eſt; donec judex omnipotens talium &c. al. vindex pro judex. Et ad illa verba: per ignorantes legem Dei, id eſt, per Saracenos &c. in marg. eſt: al.* etiam *pro* id eſt. *Et in notis: Per ignorantes) In epiſtola B. Bonifacii martyris (quæ una cum multis aliis exſtat manu ſcripta in codice ſæpe memorato bibliothecæ Dominicanæ) legitur: per ignorantiam legis Dei, & per Saracenos &c. cum qua lectione concordant aliquot vetuſta Gratiani exemplaria, & fere etiam Ivo. In indice librorum eſt: Bonifacii martyris epiſtola ex bibliotheca monaſterii B. Mariæ ſupra Minervam.*

DIALOGUS IV.

De Calliſti Secundi Romana Synodo.

A. TRIA volumina ejus collectionis quam Anſelmi Lucenſis appellamus, ad manus meas pervenerunt ſine nomine collectoris. Primum ex Ludovici Gometii Epiſcopi Sarnenſis, cui ego Romæ ſuiſ ſtus ſui ſacri Palatii auditor, bibliotheca accepi: illoue contuli cum alio exemplo Nicolai Ormaneti Epiſcopi Patavini. Tertium nuper ex Mich. Thomaſii Ilerdenſis Epiſcopi libris nactus ſum, quod exemplum recens eſt ex bibliotheca Vaticana nuper, ut ſuſpicor, exſcriptum. Duo illa volumina ſatis antiqua viſa ſunt. In hoc igitur exemplo poſt ea quæ in aliis libris leguntur, ſunt quædam in ſingulis libris addita, ut mihi videtur, a poſterioribus ſcriptoribus aut dominis ejus voluminis, ſive illius a quo id ſumtum eſt. In his ſunt canones concilii Romani Calliſti Minoris, de quibus hodie ſumus dicturi. Aperi C. hunc librum, & quære librum quartum extremum.

B. Cur Romani ſelecti viri ex hoc libro emendationem Calliſti capitum non fecerunt? præſertim cum ipſe Thomaſius, & Pet. Ciacconius ejus ſodalis eodem libro fuerint uſi?

A. Cur id factum ſit, plane ignoro. In cauſſa tamen fuiſſe exiſtimo, quod ſine ulla inſcriptione canonum verba poſita ſint, ipſaque canonum diſtinctio nulla ſit, ut veſtris oculis inſpicere poteſtis.

C. Qua igitur de cauſſa hæc hujus concilii eſſe dicis?

A. De ſingulorum capitum diſtinctione videamus. Simul enim & de ſcriptore ipſo, ſive canonum auctore cognoſcemus. Capitis primi verba ſunt: *Sanctorum patrum exempla ſequentes*, & quæ ſequuntur. Hæc Calliſti Papæ verba eſſe Gratianus ſcribit. (1) Capitis ſecundi verba eſſe exiſtimo: *Nullus in Præpoſitum* &c. quæ etiam Gratianus eidem Calliſto Papæ adſcripſit. In verbis eſt aliqua varietas. Namque apud Anſelmum mendoſe ſcriptum videtur: *Nullus & in præpoſitum, nullus in Archiepiſcopum, nullus in Decanum, nullus in presbyter, vel diaconus.* Aptius apud Gratianum eſt: *Nullus in Præpoſitum, nullus in Archiepiſcopum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, nisi presbyter, vel diaconus.* Mihi tamen videtur tollenda eſſe ob hac Gratiani ſcriptura illa verba, *nullus in Archiepiſcopum*. Cur enim magis de Archiepiſcopo quam de Epiſcopo id ſtatuatur: aut cur Archiepiſcopus poſt Præpoſitum ſcribatur, cauſſa nulla eſt.

1. q. 1. c. 30. ſanctorum. Diſt. 60. c. 3. nullus.

B. In Anſelmi verbis vocem *Archiepiſcopum* ex compendio vocis *Archipresbyterum* confectam arbitror. Hac de re agitur in ſynodo Innocentii Minoris cap. xix. Illa autem verba, *nullus in Decanum*, Urbani Minoris in concilio Claromontano eſſe videntur. Hæc duo capita Calliſti Minoris videri notarunt ſelecti viri: Nihil enim, inquiunt, Calliſtus primus ſcripſit, & tertius Gratiano multo poſterior fuit.

A. Calliſti primi epiſtolis cur rejiciunt?

B. Cauſſam nullam accepi. (2)

A. Capitis tertii verba eſſe exiſtimo: *A presbyteris, diaconibus*, &c. quod apud Gratianum non inveni. Capitis quarti initium eſt: *Præterea juxta beatiſſimi Papæ Stephani ſanctionem ſtatuimus, ut laici* &c. Hoc quoque caput non inveni apud Gratianum; ſed Stephani Papæ verba ſunt epiſt. 11. cap. ix. & Eulalii Epiſcopi Syracuſani in ſynodo tertia Romana contra Symmachum, cujus verba poſuit Gratianus (a) non ſemel; Troſlejanum concilium cap. 111. Paſchalis Minor cap. 11. vel iv. Capitulare Caroli, & aliorum lib. v. & vi. (b) Burchardus, (c) Ivo, (d) Deuſdedit, (e) Anſelmus, (f) & liber Cæſarauguſt. (g) & Tarracon. (h)

(3) Quod

(a) *Diſt. 96. c. 1. p. Eulalius, & 16. q. 7. c. 24. laicis.*
(b) *Cap. l. 5. c. 249. & li. 6. c. 294.*
(c) *Burg. li. 15. c. 35.*
(d) *Ivo par. 16. c. 36. decret.*
(e) *Deuſdc. c. 4.*
(f) *A. p. l. 5. c. 10.*
(g) *Cæſ. li. 7. c. 112.*
(h) *Tarrac. lib. 1. c. 59.*

(3) Quod ſequitur, *Sed ſecundum Apoſtolorum canones* &c. ad caput xxxIIX. Apoſtolorum refertur, quod in ſeptimi ſynodo cap. xII. inſertum eſt. Id apud Gratianum (a) refertur quaſi ex hiſtoria Euſebii Epiſcopi Cæſarienſis cap. xII. ut aliquando diximus. (b) Illa autem verba. *Si quis ergo Principum* &c. Calliſti Papæ eſſe Gratianus (c) auctor eſt, eaque conſcripſit poſt verba Eulalii, quem falſo Gelaſium appellat Syracuſanum, de quibus nunc dicebamus. Sumſiſſe videtur hæc Calliſtus Minor ex decretis Paſchalis Minoris cap. v. In verbis Gratiani, & Anſelmi hoc intereſt: quam *dominationem* Gratianus appellat, alter *donationem* vocat. (4) Quinti capitis initium eſſe exiſtimo: *Conjunctiones conſanguineorum fieri prohibemus* &c.

B. Hæc Calliſti primi verba ſunt in epiſt. II. ad Epiſcopos Galliæ, Iſidoro Mercatore teſte, & aliis collectoribus Burchardo, (d) Ivone, (e) Anſelmo, (f) & Gratiano, (g) & libro Tarraconen. (h)

A. Negaſſe viros ſelectos Romæ dicebas, quidquam Calliſtum primum ſcripſiſſe; fortaſſe quia Iſidoro parum credendum putarent, cujus auctoritate illæ epiſtolæ fulcirentur. Quod ſi Calliſti epiſtolas rejicimus, hæc verba poſterioris tantum ſunt. Sed malo credere ſecundum Calliſtum a primo verba hujus capitis ſumſiſſe.

B. Idem mihi videtur, præſertim cum eo tempore jam Iſidori collectio recepta eſſe videretur.

A. Inepte apud Gratianum eſt *prohibentur, quare? quia has* &c. Melius in hoc canone, *prohibemus, Quoniam eas*; & apud Iſidorum *prohibentur, quando has*. Quod etiam Gratianus habet: *leges ergo divinæ*, & poſtea, *leges ergo ſæculi*, quod

A etiam apud Iſidorum eſt: melius hic noſter ſcripſit: *leges enim divinæ*, & poſtea, *leges vero ſæculi*. (5) Venio nunc ad ſextum caput, quod hujus Calliſti eſſe negaverit nemo: *Ordinationes*, inquit, *quæ a Burdino hæreſiarcha, poſtquam a Romana eccleſia eſt damnatus, quæque & a pſeudoepiſcopis per eum poſtea ordinatæ ſunt, nos eſſe irritas judicamus*.

C. Quis hic Burdinus hæreſiarcha fuit?

A. Sic appellare ſolent Romani Pontifices eos, qui in ſchiſmate electi ſunt, & ſe adverſus veros Pontifices Epiſcopos Romanos, ſive Papas vocari paſſi ſunt. Hic Burdinus Archiepiſcopus olim Bracarenſis, in ſchiſmate adverſus Gelaſium Minorem B factione Henrici IV. Imp. electus eſt, & cum prius Mauritius Burdinus diceretur, mox ſe Gregorium VIII. appellavit. Gelaſio mortuo a Calliſto captus, & quaſi in triumpho in urbem ductus eſt.

B. Non dubium eſt, quin hæc aut Gelaſii, aut Calliſti ſunt.

A. Calliſti nomen vides ſuperioribus capitibus additum. Sic etiam additur verbis capitis ſeptimi. *Nullus omnino Archidiaconus* &c. In verbis pæne convenit cum Gratiano. Tantum pro *ſicut a ſanctis*, ſcribi debet, *ſicut ſanctis*: & pro *contra hoc*, *contra hæc*. (6) Capite IIX. de poſſeſſionibus eccleſiæ Romanæ agitur. Quamobrem facile credis hoc fuiſſe C concilium Romæ habitum? Capitis IX verba ſunt: *A ſuis Epiſcopis excommunicatos, ab aliis Epiſcopis, Abbatibus & clericis in communionem recipi procul dubio prohibemus*. Caput x. apud Gratianum invenietis Calliſto adſcribi diſtinct. LXII. *Nullus in Epiſcopum, niſi canonice electum conſecret*, &c. (7) Alio die de ceteris agemus.

16. q. 7. c. 11. *nullus*.

Diſt. 62. c. *ult.*

A D D I T I O N E S.

(1) *Capitis decimi, Sanctorum patrum*, 1. q. 1. *hæc inſcriptio eſt in Gregoriana editione: Item Calixtus Papa. In notis additur: Et Calixti ſecundi, qui paullo ante Gratianum vixit, & aliquot conciliis a ſe habitis contra ſimoniam, & inveſtituras eccleſiarum, quas Germanici Imperatores uſurpaverant, multa decrevit: de quibus Abbas Urſpergenſis ab anno Domini* 1118. *in quo electus eſt Pontifex, uſque ad annum* 1124. *accurate ſcribit. (Calliſti II. omnia capita imperfecta edita ſunt. Et in tota volumine Gratiani, cum ſolum nomen eſt Pontificis, aut ſynodi, neque additur epiſtola, vel caput, ſignum eſt, fontes non fuiſſe repertos.)*

(2) *In eodem libro inſcriptio cap.* 2. *diſtin.* 63. *hæc eſt: Item Calixtus Papa. Nullus in præpoſitum, nullus in archipreſbyterum, nullus in decanum, niſi preſbyter, nullus in archidiaconum, niſi diaconus ordinetur.*

(3) *Gratianus diſtin.* 96. *cap.* 1. *ita inſcripſit, ut in libro Romano eſt: Unde Symmachus Epiſcopus catholicæ eccleſiæ urbis Romæ ſynodo præſidens dixit: Bene quidem fraternitas veſtra &c. In marg. eſt: In ſynod. Rom.* 3. *ſub Symmacho c.* 1. *& ſeq. Inſcriptio cap.* 24. *Laicis,* 16. *q.* 7. *eſt hæc: Item ibidem (hoc eſt, in ſynodo Romana tertia Symmachi Papæ) Eulalius Epiſcopus Syracuſanæ eccleſiæ dixit. Et in marg. eſt: Et epiſt.* 2. *Stephani I. c.* 9. *& in decretis Paſchalis II. manuſcrip. Polyc. l.* 6. *tit.* 1. *Deuſdedit p.* 4. *In notis: Facultatibus) Antea legebatur dignitatibus. Emendatum eſt ex originali (ut ſup. diſt.* 86. *Bene quidem) epiſtola Ste-* D *phani primi, & decreto Paſchalis II. manu ſcripto: quibus locis hoc idem repetitur.*

(4) *Hæc etiam inſcriptio in eodem libro eſt cap.* 25. *Si quis principum,* 16. *q.* 7. *Item Calixtus Papa. In marg. pro voce* dominationem, *eſt: al.* donationem. *Et in notis: Inter decreta Calixti, ex quo citatur, non eſt inventum. Habetur in decretis Paſchalis II. manu ſcriptis c.* 5. *ſed non eſt mutatum nomen Calixti: quia Pontifices iſti, qui iiſdem fere temporibus fuerunt (de Calliſto* 2. *& Paſchali intellige) frequenter eadem decreta ſuorum anteceſſorum repetebant.*

(5) *Quod ad caput ſecundum attinet,* 35. *q.* 2. *&* 3. *Ejus inſcriptio in eod. libro eſt: Item Calixtus Papa epiſt. ſecunda ad Epiſcopos Galliæ: Conjunctiones conſanguineor. fieri prohibete: quando* E *has &c. Leges ergo divinæ &c. Leges vero ſæculi &c. In marg. hæc ſunt: Polyc. ibid. (hoc eſt, Polyc. l.* 6. *tit.* 4.) *Burc. l.* 7. *c.* 1. *Ivo p.* 9. *c.* 22. *Et verſ. Nos vero. Simile in concilio Innocen. II. Et ad vocem Imperatorum, al. Imperator Romanorum.*

(6) *Ante caput* 11. *Nullus omnino,* 16. *q.* 7. *hæc in eod. libro verba ſunt: Item Calixtus Papa. In marg. eſt: al. ex concilio Rotomagenſi. In verbis nulla varietas. Sicut ſanctis canonibus, editum eſt, & contra hoc facere.*

(7) *Inſcriptio cap. ult. diſt.* 62. *in eod. libro eſt: Unde Calixtus. PP. II. Nullus in Epiſcopum &c. In marg. eſt: In Pontificali eſt mentio hujus decreti.*

(a) 12. q. 2. c. 19.
(b) *Dial.* 9. *lib.* 1.
(c) 16. q. 7. c. 25. *ſi quis.*
(d) *Burc. lib.* 7. c. 1.
(e) *Ivo par.* 9. c. 28. *decret. & in epiſt.* 39.
(f) *Anſ. lib.* 11. c. 84.
(g) 35. q. 2. c. 2.
(h) *Tarrac. lib.* 5. c. 71.

DIALOGUS V.

De eadem re.

C. LICET ne paucis, ante quam alia Calliſti capita percurras?

A. Et paucis, & multis licet.

C. Cur hæc Calliſti capita, ut Gratiani verbis confirmaſti, non ſic etiam Burchardi, & Ivonis, & aliorum collectorum locis confirmas?

A. Si Burchardus, & Ivo, & ceteri antiquiores ſunt: quei poſſunt Calliſti verba referre?

C. Apud Ivonem in extrema Panormia Innocentii Minoris verba referuntur, qui Calliſto poſterior fuit.

A. Negare poſſum Ivonis eum librum eſſe: ſed malo hoc affirmare, additum eſſe concilium Innocentii Panormiæ, non eſſe partem ejus collectionis. Oſtendere poſſum veterem librum, in quo neque id concilium, neque nomen Ivonis, neque Excerptionum præfatio continetur. Et in epiſtolis Ivonis ea præfatio temporibus Paſchalis Minoris ſcripta eſt. Deusdedit Urbani ſecundi tempore ſcripſit, item Anſelmus Lucenſis, ſive is cujus collectionem habemus. In libris Cæſaraug. & Tarracon. nihil ſcimus ex Calliſto, & Innocentio ſumtum eſſe. Itaque ſolus Gratianus utriuſque Pontificis verba refert.

C. His contentus ſum. Redde cetera.

A. Initium undecimi capitis ad bellum ſacrum pertinet, quod tempore Urbani Minoris inchoatum eſt. *Eis*, inquit, *qui ad Hieroſolymam proficiſcuntur* &c. *ſuorum peccatorum remiſſionem concedimus* &c. *ſicut a domino noſtro Papa Urbano ſtatutum fuit*. Et poſtea non ſolum Hieroſolymitani belli, ſed etiam Hiſpanici facit mentionem. Habuit autem in Hiſpania Calliſtus fratrem Raimundum Comitem Alfonſi regis generum, & alterius Alfonſi patrem, qui Imperator Hiſpaniæ appellatus eſt, a quo reges omnes originem ducunt.

B. Extare librum audio Calliſti de miraculis B. Jacobi Apoſtoli, cujus ſepulcrum is quæſitum in Hiſpaniam venit.

C. Verba mihi recitare libet, ſi pateris, de Hiſpanico bello.

A. Recita.

C. *Eos autem, qui vel pro Hieroſolymitano, vel pro Hiſpanico itinere cruces ſibi in veſtibus poſuiſſe noſcuntur* &c.

A. Capitis XII. ſententiam non potero vobis explicare. Verba ſunt hæc: *Illam vero pravam defunctorum Porticanorum conſuetudinem quæ hactenus ibi fuit, ex fratrum noſtrorum & totius curiæ conſilio, nec non & voluntate atque conſenſu Præfecti removendam cenſemus* &c. *Fratres* interpretor Cardinales, & Epiſcopos: *curiam* vero, curiam Romanam, non clericorum, ſed civium Romanorum: Præfectum autem, orbis Romæ Præfectum. Sic hoc fuiſſe concilium Romæ habitum comprobatur. *Porticanos* ſuſpicor fuiſſe inepte dictos non a porticibus, ſed a portu Oſtienſi & aliis, qui portoria exigerent. Conſuetudo prava fuiſſe videtur, ut eis morientibus ſine heredibus eorum bona diriperentur. Caput XIII. de induciis ſcriptum eſt, quas treugas appellabant: *Si quis treugam diffregerit* &c. Eadem fere verba ab Innocentio ſecundo, & Alexandro tertio repetita ſunt. Caput XIV.
10 q.1.c.14. *ſanctorum.* Gratianus Calliſto Papæ adſcribit. Ejus initium eſt: *Sanctorum patrum canonibus conſone ſentientes, oblationes* &c. Agitur autem de eccleſiis urbis Romæ: *ſentientes* melius eſt, quam *ſancientes*, ut apud Gratianum. Pro *aut aliis*, apud Anſelmum eſt, *aut de aliis*. (1) Capite XV. agitur de falſa moneta: *Quicumque monetam falſam ſe ſciente fecerit* &c. Hoc apud Gratianum non inveni. Caput XVI. in-
24. q.53.c.23. *ſi quis.* venio Calliſto Papæ ab eodem adſcribi: *Si quis Romipetas, & peregrinos, & Apoſtolorum limina* &c. Hac de re quotannis interdicitur. Pro *teloneorum, & pedagiorum*, eſt apud Anſelmum, *teloneorum, & pedaticorum*. (2) Sic etiam caput XVII. Gratianus Calliſto Papæ adſcripſit. *Interdicimus & Abbatibus & monachis publicas pœnitentias dare* &c. 16.q.1.c.10. *interdicimus.* *etiam Abbatibus* habet Gratianus, &, *conſecrationeſque altarium*. Anſelmus, *conſecrationes altarium*.

B. Hoc etiam Calliſti Minoris eſſe videri, adſcriptum a ſelectis viris inveni. (3)

A. Caput XVIII. non inveni: cujus initium eſt: *In parochialibus eccleſiis presbyteri per Epiſcopos conſtituantur* &c. Urbano tamen ſecundo adſcribit Gratianus illa verba: *Decimas, & eccleſias a laicis* &c. 16.q.7.c.39. *decimas.* qui addit vocem *monachi*: ea omiſſa ad presbyteros refertur. (4) Sic initium capitis XIX. non inveni: *Servitium, quod monaſteria, aut eorum eccleſiæ, a tempore Gregorii Papæ ſeptimi uſque ad hoc tempus, Epiſcopis facere, & nos concedimus.* Quæ ſequuntur, Urbano ſecundo Gratianus adſcribit: 16.q.4.c.1. *Poſſeſſiones eccleſiarum, & Epiſcoporum triennales* &c. *tricennales* tamen ſcribit. (5) Sequitur caput XX. quod Urbano Papæ inſcribitur apud Gratianum: 24.q.3.c.24. *paternarum.* *Paternarum traditionum exemplis commoniti* &c.

B. Vidi in quibuſdam ſchedis Urbano ſecundo adſcribi, addito numero capitis primi.

A. Fieri poteſt, ut idem ambo decreverint, ut Eugenius, & Leo, de quibus a te relatum eſt. Duæ illæ voces, *vel commiſſos*, neque in veteribus Gratiani libris, neque apud Anſelmum ſunt: ex ſcholiis, ut fit, addita ſunt.

B. Idem ſelectis viris placuiſſe, ut reiicerentur, inveni. (6)

A. Capitis XXI. verba Calliſto Papæ adſcribit Pœnitentiale Romanum (*a*) meum, & Gratianus: (*b*) *Presbyteris, diaconis, & ſubdiaconis, & monachis concubinas habere penitus interdicimus* &c.

B. Urbano ſecundo cap. II. adſcripta ſunt in Romanis ſchedis veteribus quæ a Pariſeto docto viro inventæ ſunt.

C. Ant. Contius Calliſti ſecundi verba eſſe exiſtimat.

A. Illa verba Gratiani, & Pœnitentialis ſunt, *ſeu matrimonia contrahere*, apud Anſelmum non inveni. Vox quoque *perſonas*, ab eodem omittitur. 12.q.2.c.37. *alienationes.* (7) Initium extremi capitis, hoc eſt: „ Alienationes, quæ ſpiritualiter (Specialiter malo) per Othonem, Guidonem, & Hieremiam, ſeu forte Philippum ubilibet de poſſeſſionibus Ravennatis Exarchatus factæ ſunt, damnamus. „

B. Sunt ne hæc nomina Archiepiſcoporum Ravennæ?

A. Id mihi incertum eſt. Quæ ſequuntur, inveni apud Gratianum Urbano Papæ adſcripta: *Generaliter autem omnium per intruſionem* &c.

B. Hoc etiam caput tertium in illis ſchedis Urbano Minori adſcribitur: & ſine nomine eſt in extremo hoc Anſelmo Romano, in quo pro *Othone*, eſt *Attone*: & *ſpecialiter*, pro *ſpiritualiter*.

A. Gratianus ſcribit *Alienationes omnium per intruſionem* &c. & mox *alienationes dico*: ſed apud Anſelmum non eſt vox *dico* utrobique. Ab illis verbis, *Illud etiam per omnia* &c. initium capitis quarti eſt in Anſelmo extremo. In verbis nulla varietas eſt. (8) Hæc de Calliſti Concilio dicere habui. Fuiſſe autem frequens apparet ex verbis Pandulfi in Pontificali: „ Illo anno DCCCCXCVII. Epiſcoporum, ſive Abbatum numerus Laterani concilium celebravit, in quo vir regali ſtirpe progenitus fere jam deperditam mundo pacem reſtituit. “ In chronicis additis Sigeberto id actum fuiſſe dicitur anno Chriſti MCXXIII. *in quo pax inter regnum & ſacerdotium reformatur, & jus inveſtiturarum*

(a) *Pœnit. Rom. tit. 8. c. 8.* (b) *Diſt. 27. c. 8. presbyteris.*

Digitized by Google

varum epiſcopalium ab Imperatore exfeſtucatur : his enim verbis utitur.

C. Feſtuca quid ſit, ſcio: ſed *exfeſtucari*, ſputatilicum verbum videtur, ut illud apud Ciceronem.

A. Finge feſtucam ſignificare furcam, vel furcillam: & exfeſtucari eſſe, furcillis expelli, vel tranalatione ſumta a paleis, vel feſtucis a tritico ſeparatis, furcis adhibitis: *exfeſtucari* eſt feſtucas tolli.

C. Nunc demum intelligo.

A. Vellim ſcire B. de octava ſynodo quid attuleris: habebam enim Romæ exemplum canonum ſane mendoſum. Neque ei auxilio fuit epitome conciliorum Toletani Archiepiſcopi, quam ſecutus B

A eſſe videtur Surius in editione conciliorum. In indice librorum Mich. Thomaſii erat octava ſynodus Hadriani tempore CP. habita interprete Anaſtaſio bibliothecario: hanc ſuſpicor te attuliſſe.

B. Ita eſt, ut dicis: ſed & Græcum librum audio in Hiſpania eſſe, qui ad te deferat.

C. Veniſſe accepi Græcum ſcriptorem hodie cum libris: is fortaſſe eſt.

A. Omnes libros alio die adferamus, & Gratiani capita conferre poterimus.

B. Ita fiet. Sed non ſolum de octava, ſed etiam de nona ſynodo, quæ octava quoque dicitur, ſub Joanne octavo, erit agendum.

A. Recte admones.

ADDITIONES.

(1) C*Aput 14. Sanctorum patrum, 10. q. 1. in Romana editione ita inſcribitur: Item Calixtus Papa ſecundus. In marg. eſt: Polyc. l. 3. tit.9. Et in notis; Secundus) Additum hoc eſt ex pleriſque vetuſtis. Neque vero primus eſſe poteſt, cujus tempore nondum Pantheon vocabatur templum ſanctæ Mariæ rotundæ. Bonifacius enim fuit, qui tempore Phocæ Imperatoris illud B. Mariæ, & omnibus ſanctis dicavit. Eſt autem editum,* ſancientes, *& aut aliis, ſine ulla varietate.*

(2) *Hæc in eod. libro inſcriptio eſt cap.23. Si quis Romipetas, 24. q.3. Item Calixtus Papa. Ad illa verba,* toloneorum, & pedagiorum, *additum eſt in marg. al. pedaticorum.*

(3) *Ante caput decimum, Interdicimus etiam, 16. q.1. hæc in eodem libro inſcriptio eſt: Item Calixtus Papa II. Pro voce* ordinationes *eſt in mar. al.* ordines.

(4) *In eodem libro inſcriptio cap. 39. Decimas, 16. q.7. hæc eſt: Unde Urbanus Papa II. Vox* monachi *retinetur ſine ulla varietate.*

(5) *Capitis primi 16. q.4. inſcriptio In eod. libro eſt: Quod Urbanus Papa II. prohibuit dicens: Poſſeſſiones eccleſiarum, & Epiſcoporum tricennales &c.*

(6) *Hæc etiam eſt in eod. libro inſcriptio cap. 24. Paternar. traditionum, 24. q.3. Item Urbanus Papa. In notis eſt: Converſos) In codicibus impreſſis ſequebatur, vel commiſſos, quæ ſunt expuncta, quia abſunt a pleriſque manu ſcriptis Gratiani exemplaribus & vetuſto quodam codice: in quo quidem extremo & hic, & alii tres canones deſcripti ſunt, tamquam fragmentum alicujus concilii.*

C (7) *Inſcriptio capitis octavi, Presbyteris, diſtin.27. in Romano libro hæc eſt: Item Calixtus Papa II. In notis additur: Hic canon inventus eſt in codice Vaticanæ Biblioth. in fragmento cujuſdam concilii ad Urbano ſecundo habiti c.2. Ex eodem vero concilio ſunt canones Alienationes 12. q.2. & Paternarum, 24. q.3. Illa verba ſine varietate edita ſunt,* ſeu matrimonia contrahere, & perſonas *&c.*

D (8) *Gratiani verba ſunt in eod. libro ante caput 37. Alienationes 12 q.2. Item Urbanus Papa. In notis hæc ſunt; Poſt collectionem Anſelmi in codice perantiquo habetur fragmentum cujuſdam concilii Urbani ſecundi: in cujus initio hæc leguntur; Alienationes, quæ ſpecialiter per Ottonem, Guidonem, Hieremiam, ſive forte Philippum ubilibet de poſſeſſionibus Roncenatis exarcevatus factæ ſunt, damnamus. Generaliter autem omnium per intruſionem, ſeu canonice electorum ſub Epiſcopi nomine, vel Abbatis .... eccleſia ſua conſecrandus eſt; alienationes quocumque modo factas, &c. uſque ad finem hujus capitis ſine ulla varietate.*

DIALOGUS VI.

De Duplici octava ſynodo.

C. ET Græcos libros duorum conciliorum & Latinos attulimus. Sed prius velim ſcire abs te, cur utrumque octavum appelletur: nonum enim qui dicunt, quod poſterius eſt, ordinem temporum ſequuntur.

A. Tertiam opinionem omittis: ſunt qui Florentinum concilium octavum quoque generale vocent, illis duobus ut opinor, rejectis. Qui vero Hadriani Minoris pro Ignatio contra Photium concilium, ut a poſteriori Joannis ſynodo abrogatum rejiciunt, octavam generalem ſynodum hanc appellant. Illam tamen octavam fuiſſe, ante quam ab hac improbaretur, negare non poſſunt.

B. Qui Florentinum concilium octavum dicunt, quo pacto interpretantur verba profeſſionis Romanorum Pontificum apud Ivonem, (*a*) & Gratianum (*b*) relata, & in concilio Conſtantienſi ſeſſione XXXIX. *Sancta octo univerſalia concilia, primum Nicænum &c. octavum quoque CP. uſque ad unum apicem immutilata ſervare profiteor?*

A. Non video, quid dicere poſſint. (1) Sed major difficultas ex eiſdem verbis naſcitur; num de priore octavo ſub Hadriano Minore, an de poſteriore ſub Joanne, quod illud prius abrogat, intelligantur.

C. Si utrumque concilium generale eſt, ex auctoritate Romani Pontificis habitum, & prius concilium a poſteriore abrogatur, poſterius ſolum obtineat, neceſſe eſt.

A. In Græco libro nuper ex Italia ad me perlato multa continentur contra Photium a Romanis Pontificibus acta poſt utramque octavam ſynodum. Quæ me facile in eam ſententiam trahunt, ut credam non confirmaſſe Joannem ſynodum a legatis CP. habitam.

B. Hoc ipſum teſtatur Joannes de priore ſynodo, non fuiſſe ab Hadriano confirmatam.

A. Quid ſi hoc falſum eſt & a Photio effictum, ut in aliis fictis ſubſcriptionibus & falſis legatis Patriarcharum a ſynodo convincitur? Huc accedit quod ſi totam eam ſynodum Hadriani rejicimus: quæ Photius contra Nicolaum Pontificem, & Ignatium

(a) *Ivo lib. 2. tit. 12. c. 15. panorm, & part. 4. c. 132. decr.* (b) *Diſt. 16. c. 8. ſancta.*

tium Patriarcham egit, approbari videntur. Sunt igitur magis conſentanea, & veri magis ſimilia, ut quæ pro auctoritate Romanæ Eccleſiæ a prioribus Pontificibus non ſolum Nicolao & Hadriano, ſed & ante eos a Leone quarto, & Benedicto tertio contra Photium, & Gregorium Syracuſanum Epiſcopum Photii conſecratorem acta & ſcripta ſunt; eadem a Joanne IIX. Marino, Hadriano tertio, Stephano VI. & Formoſo comprobata ſint: quod Græce ſcriptum invenio verbis reſcriptorum eorumdem Pontificum allatis. Quibus adduntur Joannis noni litteræ ad Stylianum Neocæſarienſem, qui cum multa contra Photium ad Stephanum VI. Pontificem ſcripſiſſet, poſtea mutare ſententiam viſus eſt aliis litteris ad hunc Joannem datis. In illis ad Stephanum miſſis ait, deceptos eſſe a Photio Paullum, & Eugenium Epiſcopos a Joanne IIX. miſſos ad Ignatium de Bulgarorum regione, quem cum mortuum inveniſſent, a Photio donis, ab Imperatore minis perſuaſi ſunt, ut coram clero & populo CP. dicerent, ſe miſſos eſſe contra Ignatium, & ut Photium abſolverent. Poſtea Petrum ab eodem Pontifice miſſum eſſe, & hunc cum Paullo, & Eugenio, Photium receptum eſſe a ſede Apoſtolica Romana, publice dixiſſe.

B. Horum trium legatorum nomina inveni ſab Ivone, (a) & Gratiano (b) eſſe relata.

A. Quærantur eorum verba.

B. Ivonis verba ſunt: „ Ex actione v. ſynodi „ Conſtantinopolitanæ CCCLXXXIII. patrum ſub „ Joanne Papa VIII. cui præfuit Petrus presbyter „ Cardinalis, & Paullus Anconitanus Epiſcopus, „ & Eugenius Oſtienſis Epiſcopus, Apocriſarii Papæ dixerunt: Hoc nequaquam apud nos habe- „ tur, &c. “

C. Eadem fere verba Gratianus refert: *Unde in quinta actione CP. civitatis ſynodo* &c. *Apocriſarii Papæ dixerunt* &c.

Caſ. lib. 9. c. 62.

A. In libro Cæſarang. ita eſt: *VI. ſynodi CP. CCCXXXIII. patrum ſub Joanne Papa VII. Apocriſarii Papæ dixerant* &c. Hæc mendoſa ſunt: neque enim hæc VI. ſynodus eſt, ſed octava vel nona, habita ratione aliarum generalium aut quarta vel quinta, habita loci ratione. (2)

C. Non ſatis intelligo, cur eam quartam, vel quintam dicas.

A. Fuere ante hanc generales ſeptem, quæ vel a locis nomen habent, ut Nicæna, CP. Epheſina, Chalcedonenſis, & quinta CP. iterum, & ſexta item CP. tertio, & ſeptima Nicæna poſterior. Vides ante hanc tres Conſtantinupolitanas, quarta eſt, quam octavam ſub Hadriano appellant; quinta hæc ſub Joanne IIX. non VII. Quod ſi illa octava ut abrogata tollitur è medio, hæc erit octava generalis, & ratione loci quarta CP.

C. Jam recte hæc mihi explanata ſunt. Sed incidi in librum Dominici Jacobatii *de conciliis*, in quo referebat veterum canoniſtarum, ſic enim dicere ſolet, opinionem fuiſſe nihil differre octo, an quattuor dicas fuiſſe generalia concilia. Et quod Gregorius (c) ait, *ſicut ſancti evangelii quattuor concilia ſuſcipere, & venerari me fateor*: quod repetit Gregorius VII. lib. VII. regiſtri: & Ivo, (d) & Anſelmus, (e) & Gratianus, (f) & alii (g) referunt. Et Beatus Iſidorus (h) ait: „ Quattuor „ ſunt venerabiles ſynodi, quæ totam principali- „ ter fidem complectuntur, quaſi quattuor evan- „ gelia, vel totidem paradiſi flumina.“ Hæc, inquiunt, verba non ad ſola quattuor priora concilia pertinent, ſed etiam ad quattuor poſteriora. Octo enim eſſe generalia concilia fatentur ex verbis profeſſionis Romani Pontificis, de quibus hodie dictum eſt.

B. Quo pacto Gregorius, & Iſidorus, qui ſexta, ſeptima & octava ſynodo fuerunt priores, de his cogitare potuerunt?

C. Ratione, & auctoritate moventur. Rationem adferunt, quod quattuor loca fuerint generalium conciliorum, in quibus quattuor locis octo generalia concilia habita ſunt: Nicæa, CP. Epheſus, & Chalcedon. Ut cum dicimus quattuor eſſe Patriarchas, CP. Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum, nullam habemus rationem ſucceſſionis perſonarum, quæ permultæ fuerunt.

B. O plumbeum pugionem! Hac ratione generalia non erunt Lateranenſia concilia, Lugdunenſia, Viennenſe, Conſtantienſe, Florentinum, Tridentinum: quod non eiſdem locis habita fuerint, quibus illa quattuor prima. (3)

A. Dic de auctoritate.

C. Utuntur auctoritate Innocentii tertii, quæ utriſque veſtrum maxima eſt: cujus verba tam in tertia collectione, quam in Gregoriana inveniuntur: quos etiam libros rejicere non licet.

De renun. cap. 5. poſt translationem, in 3. colleſt. & c. III. e. tit. Gregor. IX.

A. Magnam tu quidem moves exſpectationem. Recita verba.

„ C. Verum poſtulationi hujuſmodi videbatur „ concilii Conſtantinopolitani capitulum obviare, „ in quo ſtatutum eſt: ut quicumque de Pontifica- „ li dignitate ad monachorum vitam, & pœni- „ tentiæ locum deſcenderit, nequaquam ulterius „ ad Pontificatum reſurgat. “

B. Hoc idem caput eſt concilii octavi ſive noni, cujus verba referunt Ivo, (i) & Gratianus, (k) & Cæſaraug. (l) liber. Et vere Innocentius ait eſſe hoc concilii CP. capitulum.

C. Audi reliqua. „ Unde contra dictum conci- „ lium, cum ſit unum ex quattuor principalibus „ quæ ſicut quattuor evangelia eccleſia catholica „ veneratur, nullatenus videbatur eorum poſtula- „ tio admittenda. “ Vides hæc Gregorii verba ad hoc poſterius concilium referri. Audis hoc concilium, de cujus auctoritate dubitabamus, quaſi unum ex quattuor evangeliis eſſe venerandum.

B. In reſcriptis Pontificum multa ſunt ex advocatorum allegationibus accepta: ſic hoc fuit ab Innocentio ſcriptum, quod putaret illum verum dicere, qui abuſus eſt illa veterum canoniſtarum ſuorum opinione. Canones autem concilii Conſtantinopolitani primi non erant Latinis noti, ut Nicolaus ad Michaelem ſcribit, licet in Corpore canonum inveniantur. Unde facile impoſitum eſt huic Pontifici, ut crederet id caput eſſe ejus concilii, cum ſciret eſſe alicujus Conſtantinopolitani.

C. Ivo, & Gratianus aperte dicunt eſſe concilii CP. ſub Joanne IIX. non ſub Damaſo. (4)

A. Hoc etiam confirmatur ex Græca ſynodo, & ex Nomo canone Joannis Zonaræ & Theodori Balſamonis, & Alexii Ariſteni, in quibus tres canones ſunt hujus concilii, quod in templo Sanctæ Sophiæ habitum eſſe dicitur. Illic etiam ſunt XVII. canones alterius concilii CP. in templo beatorum Apoſtolorum habiti, quod ex prima, & ſecunda ſynodo dicunt. Credo propter duas quaſdam ſynodos contra Ignatium habitas quæ improbatæ ſunt a Nicolao, & Hadriano Minore, licet in poſteriore interfuerint Rodoaldus, & Zacharias legati Nicolai, quos ut prævaricatores Nicolaus in ſynodo Romana depoſuit. Ex his XVII. capitibus nihil eſt apud Gratianum, quod ſciam. Ex illis vero tribus primum caput vix ferendum eſt de Italia excommunicatis a Joanne Papa non recipiendis a Photio: item ut excommunicati a Photio non recipiantur a Joanne Papa, neque a Romana eccleſia ſalvis privilegiis Romanæ eccleſiæ, & ejus

Pon-

(a) *Ivo par. 7. c. 149. decret.*
(b) *7. q. 1. c. 45. hoc nequaquam.*
(c) *Lib. 1. epiſt. 24. regiſtri.*
(d) *Ivo par. 4. c. 117. decret.*
(e) *Anſ. lib. 6. c. 52.*
(f) *Diſt. 15. c. 2.*
(g) *Caſ. lib. 1. c. 36. Tarrac. lib. 1. c. 250.*
(h) *Iſid. lib. 6. 16. etymol. Grat. diſt. 0. c. 1.*
(i) *Ivo d. par. 7. c. 149.*
(k) *7. q. 1. c. 45. hoc nequaquam.*
(l) *Caſ. d. lib. 9. c. 62.*

Pontificis: Alterum caput eſt id de quo agitur, plenius apud Græcos ſcriptum, quam apud Latinos. „ Ut ſi antea, *inquiunt*, aliqui Epiſcopi in „ monach. habitum demiſſi, in Pontificali coacti „ ſunt permanere, & id agentes contemnebantur: „ ſancta ſynodus decernit hæc eſſe corrigenda jux„ ta eccleſiaſticam diſciplinam. Statuit igitur: ut ſi „ quis Epiſcopus aut alius Antiſtes ad monacho„ rum vitam velit pervenire &c. “

B. Quæ Latine referunt, non ex verbis canonis initio concepta eſſe videntur, ſed ex actione v. & ex verbis Apocriſariorum, ſive legatorum.

A. Sic etiam eſt ante verba canonis in Græco libro. Interrogante enim Photio legatos Romanos ipſi reſpondent, quos, non Apocriſarios, ſed *τοποτηρητὰς* Græcus vocat liber: *τινὲς παρ' ἡμῖν οὐκ ἔσω* &c. Nunc ſi placet, varietatem trium librorum Latinorum videamus. Pro voce *habeatur*, Ivo & Cæſaraug. *habetur*, ſcribunt aptius. Græce eſt, *οὐκ ἐστι, ὡς ἀνέζεται*. Quod Gratianus ſcribit, *ordine & habitu*: illi ſcribunt, *ordine*, aliis omiſſis: Græci *σχήματος*. Quod Gratianus, *ad monachorum*, addunt illi, *id eſt, pœnitentium*. Græci, *τουτέστι τῶν μετανοούντων*. Pro voce *vitam* qua Latini utuntur, Græci *χώραν*, hoc eſt *locum* ſcribunt. Pro, *in epiſcopatum reverti*, Ivo & Cæſaraug. habent, *ad*

A *Pontificatum reverti*. Græci *τὸ τῆς ἀρχιερωσύνης ἐπανελθεῖν ἀξίωμα*. *Item præcepit ſancta ſynodus* &c. Hæc ſunt ex canone ſecundo, ita ſcribenda. *Item. Præcepit* &c. ut Ivo & Cæſaraug. notant. Quod Gratianus ait, *de Pontificali dignitate habituque*, in Cæſaraug eſt, *de Pontificatu*, apud Ivonem, *de Pontificali dignitate*, aliis omiſſis. Græce eſt, *τὸ ἀρχιερατικοῦ ἀξιώματος*. Pro illis, *& pœnitentiæ deſcenderit locum*, in Cæſaraug. eſt, *deſcenderit*, apud Ivonem, *& ad pœnitentiæ deſcenderit locum*. Græci habent, *καὶ τὴν τῶν μετανοούντων ἀποπληρώσας*. Pro voce, *nequaquam*, habet Cæſaraug. *ne jam*; & Ivo, *nequaquam jam*. Græci *μηκέτι*,

B & pro, *reſurgat*, *ἀντιποιείσθω*. Quod ſequitur: *Monachorum enim vita ſubjectionis habet verbum*: ſubobſcurum efficit vox *verbum* pro *ratione* poſitum; quod vox *λόγον* utrumque ſignificet. Ivo *vitam*, pro *vita*, non recte habet. In libro Cæſaraug. hæc verba deſiderantur. Illud Gratiani eſt: *Hoc ad pœnitentium* &c. quæ Ivo non habet. Apud Græcos alia quoque ſunt, ex quibus videtur hoc idem confirmari. Tertio canone anathema dicitur laico verberanti, aut capienti ex quacumque cauſſa Epiſcopum. De capitibus octavæ ſynodi ſub Hadriano cras agemus: quamquis ordine perturbato.

A D D I T I O N E S.

(1) *DE inſcriptione capitis octavi, Sancta, diſt. 16. ſcriptum eſt lib. 1. dial. 20. addit. 14.*

(2) *Ante caput 45. Hoc nequaquam, 7. q. 1. hæc verba ſunt in eodem libro: Unde in quinta actione Conſtantinopolitanæ ſynodi* CCCLXXXIII. *Patrum, ſub Joanne Papa octavo, cui præfuit Petrus presbyter Cardinalis, & Paullus Anconitanus Epiſcopus, & Eugenius Oſtienſis Epiſcopus Apocriſarii Papæ dixerant. In marg. eſt: Ivo p. 7. c. 149. Et in notis: In quinta) Apud Ivonem par. 7. c. 149. pro indice hujus capituli leguntur hæc: En actione quintæ ſynodi Conſtantinopolitanæ* CCCLXXXIII. *patrum ſub Joanne Papa* VIII. *cui præfuit Petrus presbyter Cardinalis, & Paullus Anconitanus Epiſcopus, & Eugenius Oſtienſis Epiſcopus. Initium vero ipſius capitis eſt: Apocriſarii Papæ dixerunt: Hoc nequaquam. In extremo hoc capite additur etiam in notis: Hæc ſynodus ſub Joanne octavo exſtat Græca in Vaticana bibliotheca. Cujus ſynodi tres tantum canones cum explanatione Balſamonis editi ſunt Lutetiæ, & apud ipſum inſcribitur, Synodus in templo Sapientiæ habita ſub Photio Patriarcha. In ſecundo autem trium illorum capitulo habetur ſententia hujus capitis: Viſum autem eſt, ut omnia melius percipiantur,*

C *locum hunc Græce, & cum nova interpretatione eſſe adſcribendum. φώτιος ἁγιώτατος, &c. id eſt, Photius Patriarcha dixit &c.*

(3) *Initium capitis primi diſt. 15. in eodem libro eſt: Canones generalium conciliorum (ut Iſidorus ait lib. 6. Etymol. c. 16.) a tempore Conſtantini cœperunt &c. In marg. eſt: Pann. l. 2. c. 104. Ante cap. 2. e. diſt. hæc ſunt: De quattuor vero conciliis ſcribit B. Gregorius ita dicens lib. 1. regeſti epiſt. 24. Sicut ſancti evangelii &c. In marg. eſt: vero) al. quoque. In ſcholio capitis 8. Sancta octo, diſt. 16. hæc ſunt: Sancta)* VIII. *(mendoſe pro* Sancta octo*) hæc concilia dicuntur octo, quia octies ſunt celebrata, ut hic dicuntur; &*

D *quattuor quia in quattuor locis celebrata, ut ſup. diſt. proxi. ſicut. (Hæc cenſura curent)*

(4) *Hæc inſcriptio eſt capitis undecimi Poſt tranſlationem, de renuntia. in editione Romana. Idem (Innoc. III.) Epiſcopo Faventino in Archiepiſcopum Ravennatem electum. In marg. eſt: Cap. 5. eod. tit. in 3. compilatione. In ſcholiis ad illa verba, cum ſit unum ex quattuor principalibus &c. Ex quattuor) Et ſunt hæc, ſcilicet Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum primum, & Chalcedonenſem (ſcribe, Chalcedonenſe) 15. diſt. ſicut.*

D I A L O G U S VII.

De eadem Synodo octava Hadriani.

B. NOLUI te heri interpellare; ſed hodie peto abs te, cur putes Petrum presbyterum ante duos Epiſcopos legatos Joannis nominari; quorum alter Oſtienſis eſt, cui datum eſt, ut pallio utatur, cum Pontificem Maximum conſecrat. Nunc eum Decanum Cardinalium appellant, & princeps totius ordinis eſt.

A. Quærendum etiam erit, cur poſtremus Oſtienſis appelletur. Fortaſſe tunc Epiſcopi non dicebantur Cardinales, ſed ſoli presbyteri & diaconi. Et ſi quis eorum Epiſcopus eligeretur, non amplius ex collegio Cardinalium erat, ſed Epiſcopus Anconitanus puta, vel Bononienſis, vel alterius civitatis dicebatur. Et inter Epiſcopos ordo temporis ſervabatur. Quod dixi de Cardinalibus Epiſcopis electis, Innocentii tertii exemplo comprobatur, qui noluit Ravennatem Archiepiſcopum

E fieri eum, qui tituli S. Praxedis presbyter Cardinalis erat, ne ab eccleſia Romana diſcederet. Sed videamus, quid in Græca ſynodo ſit. In ea enim & Joannis litteræ ſunt, & ſæpius nomina horum legatorum. *1. 3. de poſtul. prael. in 3. collect. & apud Greg. IX. incip. bonæ mem.*

C. De numero quoque Epiſcoporum velim ſcire, an Græca cum Latinis conveniant.

B. In prima actione ante adventum legatorum erant cum Photio & legato Hieroſolymorum Patriarchæ cccLxxvi. Epiſcopi, niſi a me erratum eſt. Poſſumus igitur fidem adhibere Latinis, Ivoni & Gratiano, qui omnes ccclxxxiii. numerant. In eadem actione Petrus presbyter Cardinalis prius, quam Paullus, & Eugenius nominatur. Is quoque prius ad Photium alloquitur nomine Joannis Pontificis.

A. Heri dicebamus, hunc miſſum fuiſſe a Joanne

ne ad Photium, illos duos ad Ignatium. Idem oſtendunt Joannis litteræ, in quibus Eugenius ante Paullum nominatur. Sed in commonitorio dicitur: *Commonitorium fratribus Paullo, & Eugenio Epiſcopis, & Petro presbytero Cardinali, miſſis* CP. Ita autem cetera ſcripta ſunt, ut videantur omnes ſimul mitti. In actione quoque quinta Paullus, & Eugenius Epiſcopi ante Petrum presbyterum appellantur. Et in ſubſcriptione concilii primus Paullus Epiſcopus Anconitanus, poſtea Eugenius Epiſcopus Oſtienſis, poſtremus Petrus presbyter Cardinalis ſubſcripſerunt; omnes ut legati, ſed non ut Cardinales.

B. Quando hæc duo conveniunt, commonitorium Joannis, & ſubſcriptio: malo his credere, quam Ivoni & Gratiano,

A. Canones octavæ ſynodi ſub Hadriano videamus. Et omiſſis aliis, de his quæ apud Gratianum ſunt, dicamus. Caput xv. quod in Græco libro deſideratur, & a Gratiano (a) ſextæ ſynodi univerſalis eſſe dicitur, in libro Cæſaraug. (b) ſeptimæ ſynodi ccxl. patrum actione x. apud Anſelmum (c) recte octavæ ſynodo univerſali adſcribitur.

C. De numero actionis, & patrum convenit ne cum Græcis?

A. In actione convenit: ſed Stylianus de quo heri diximus, centum & duos patres fuiſſe ſcribit. Nunc de varietate verborum videamus. Mendoſe eſt apud Gratianum *venerabilis ſynodus*, pro *univerſalis ſynodus*, quod alii habent. Pro *cimilia, & vaſa ſacrata*, quod etiam Anſelmus habet; *cimilia, id eſt vaſa ſacrata*, Cæſaraug. *civilia* pro *cimilia* eſt in quodam Anaſtaſii libro non recte. Ego nihil muto, ſed Græcis litteris ſcribo κειμήλια, aut Latinis, *cimelia*, unde cimeliarchus eſt, ut Demochares notat, qui cimeliis, vel theſauro eccleſiæ, aut Principis præeſt. Quod Gratianus ait, *pro redemtione captivorum* alii habent plenius, *quæ accipiuntur in redemtionem captivorum*. Quod dicitur, *ſed non tradere ſalaria eccleſiarum in emphiteuotica pacta*, non facile intelligitur: *nec* pro *non* habent alii, *pauca* pro *pacta*, Cæſaraug. mendoſe: *neophitæ ubi compacta*, Anaſtaſii mendoſus liber, *emphytentica pacta*, Anſelmus aptius: *ſolaria* pro *ſalaria* ſcribendum puto. Sic enim ſcio appellari a Juriſconſultis, quæ pro ſolo penduntur. Simile erratum eſſe quidam putant cap. vii. de uſufructu, ſed id incertius.

vide lib. 2. emal. 9. ad 8.

B. Mihi vox *ſolaria* magis placet: ſed poſtea eadem vox *ſalaria* bis eſt.

cap. a. p. ſi en... emine. lt. ne qu'd in loco, & c. 5. D. qui potior.

A. Eadem ratione mutari poterit. Pro illis verbis, *& poſt pauca*, quæ habent etiam Anſelmus & Cæſarauguſt. ſunt alia in Anaſtaſii libro non inutilia: „ Omnem vero eccleſiaſticarum rerum „ poteſtatem habentem, & has meliorare ac dila„ tare, prout oportuerit, eccleſiaſtica loca (quæ „ per † reditus fiant, & inſuper propriarum re„ rum diſpoſitionem diſtribuere ac committere, „ ſeu conferre quibuſcumque voluerit & judicave„ rit, juxta propriam poteſtatem ac dominatum. „ Quiſquis autem apparuerit poſt hanc &c. „ Vox *apparuerit* a Gratiano eſt omiſſa, habent alii. Illud quoque ineptum eſt, *huic ſanctæ ſedi*; tollenda eſt vox *ſedi*, quam ſolus Gratianus habet; item vox *tentaverit*, quæ irrepſit pro illa *apparuerit*, de qua diximus. Pro *divinarum rerum*, ſcribi debet *divinarum legum*, ut omnes habent præter Gratianum. Pro *cimiliorum, & ſalariorum locorum*, eſt apud Anſelmum, *cimiliorum ſcilicet, & ſalariorum locorum: ſalarium* pro *ſalariorum* habet liber Cæſarauguſt. cetera ut Anſelmus. *Sed* pro *ſcilicet* liber Anaſtaſii. Ego malo, *cimeliorum, & ſolariorum, & locorum*. De omnibus enim ſupra dictum fuerat.

† *pr quaſ.*

B. Idem fiet, ſi ſcripſeris, *cimeliorum, & ſolariorum, & locorum*.

C. Vox *locorum* poſtea omiſſa eſt; ex quo fit, ut heic ſignificare poſſit ſolaria locorum.

A. Non magnopere repugno. Pro illis: *Qui vero ceperit, aut emerit*; alii habent, *Qui vero emerit aut perceperit*; non male. Pro *cimiliis* vel *ſalariis*, ſcribo, *cimeliis* vel *ſolariis*. *Et*, pro *vel*, eſt in Cæſaraug. In extremo capite deſiderantur hæc verba ab Anſelmo etiam, & Cæſaraug. omiſſa: „ Si vero de propriis rebus aut de aliis quibuſdam conventionibus; habeat id ſecundum pro„ priam poteſtatem & voluntatem, omni vita ſua, „ & poſt finem vitæ ſuæ dimittat, & conferat „ hoc quibuſcumque voluerit, non tamen ſæcula„ te diverſorium fiat. „ (1) Nunc de capite xix. videamus, quod etiam Græco libro deſideratur. Id Ivo (d) & Gratianus (e) Gelaſio Papæ adſcribunt; Anſelmus (f) recte ſynodo octavæ univerſali. In verbis non magna varietas eſt. Pro *etiam ſive a dive, & ſive a pie*, habet Anſelmus: *& ſive a dive*, Anaſtaſius, & Ivo. Pro *præſulum eorum*, ceteri habent, *præſulum earum*. Pro *ac juſſu præſulis*, quod habent Ivo & Gratianus: *ac nutu præſulis*, Anaſtaſius & Anſelmus. Quod Gratianus ſolus ſcribit, *Quiſquis ergo clericorum, vel ſæcularium*: in aliis libris eſt, *Quiſquis ergo ſæcularium*. Poſt verbum *reſtituerit*, eſt in ſolo concilio, Anaſtaſio interprete, *& reſervaverit*. (2) Caput xxi. quod Græcis eſt xiii. non recte, Gratianus (g) poſt Anſelmum, (h) & Deuſdedit (i) octavæ ſynodo adſcribunt: ſed Anſelmus omnia verba refert, Gratianus aliquot verba ſumta ex priore parte hujus capitis. Deuſdedit alia quædam ex poſteriore cum hac inſcriptione: *In ſynodo univerſali ccxl. patrum habita pro Ignatio Patriarcha, quæ quibuſdam octava dicitur*.

C. Convenit in numero patrum cum Cæſarauguſtano. (k)

A. Certiora poteris ex ipſa ſynodo cognoſcere. (3) Mihi enim canere receptui neceſſe eſt propter quaſdam occupationes.

A D D I T I O N E S.

(1) *Caput 13. Apoſtolicos, 12. q. 2. in eodem libro ita inſcribitur. Item ex octava ſynodo univerſali, c. 15. In marg. eſt: Anſ. l. 6. c. 171. Et in notis: Octava) Sic eſt emendatum ex Anſelmo, cum antea legeretur ſexta. Eſt autem canon decimus quintus ſynodi octavæ habitæ tempore Hadriani Papæ ſecundi contra Photium ex verſione Anaſtaſii bibliothecarii. Videlicet* pro redemtione) *In concilio ipſo, & apud Anſelmum legitur, quæ accipiuntur* in redemtionem captivorum. *Decernimus) In ipſo canone ſequuntur hæc: Omnem vero &c. ut in dialogo, præter voces,* propriarum rerum, *pro quibus ſunt,* propriam rerum. *Ad illa, cimelia, & vaſa ſacrata, eſt in marg.* κειμήλια *Græce theſauri dicuntur, opes, pecuniæ repoſitæ (ſcribe,* opes, pecuniæ repoſitæ) *inſtrumenta pretioſa, aurea vaſa, clinodia: inde cimeliarchus C. de agri. & cenſ. l. lit. 11. Vox* ſalaria *retinetur ſine ulla varietate.*

(2) *Ante caput octavum Placuit huic, 16. q. 3. in*

(a) 12. q. 2. c. 13. *Apoſtolicos.*
(b) *Cæſ. lib.* 7. *c.* 74.
(c) *Anſ. lib.* 6. *c.* 169.
(d) *Ivo in epiſt.* 71. *vel* 30. *ad Decan. Belvacen.*
(e) 16. *q.* 3. *c.* 9. *placuit.*
(f) *Anſ. lib.* 4. *c.* 30.
(g) *Diſt.* 22. *c. ult.*
(h) *Anſ. lib.* 2. *c.* 72.
(i) *Deuſd. c.* 3. *diviſione* 4.
(k) *Cæſ. lib.* 7. *c.* 74.

in eodem libro ita ſcriptum eſt: Unde Gelaſius Papa ait. In marg. hæc ſunt: In ſynodo octava ſub Hadriano ſecundo capite decimo octavo. Et Polyc. lib. 3. tit. 22. Anſelm. lib. 4. cap. 20. Ad illa, & præſulum eorum, abeſt ab orig. additur in marg. (*vox eorum, at puto*) *In notis additur: Quod heic tribuitur Gelaſio, habetur in ſynodo octava habita ab Hadriano II. c. 18. & ea ea citatur apud Anſel. & Polycar. Sed manu ſcripti codices Gratiani concordant cum vulgatis. Sæcularium*) *In vulgatis* A *legebatur; Quiſquis ergo Clericorum, vel ſæcularium. Sed abſunt illæ duæ voces,* clericorum, *vel ab aliquot vetuſtis, & ab ipſo concilio manu ſcripto. In concilio impreſſo legitur: Qui contra fecerit, ut ſacrilegus judicetur, & donec tolia privilegia &c.*

(3) *Diſtio. 22. capitis ult. inſcriptio eſt in eod. libro: Unde in* VIII. *ſynodo habita ſub Hadriano Papa II. can. 21. Diffinimus neminem &c. In marg. eſt: Deuſdedit p. 3. Anſel. l. 2. c. 72.* (*Dictum eſt lib. 1. dialo. 9. addit. 6.*)

D I A L O G U S VIII.

De eadem re & de falſa inſcriptione quorumdam capitum Gratiani ex octava, & nona ſynodo inſcriptorum.

A. NUMERASTI C. Epiſcoporum nomina octavæ ſynodi?

C. Actionis decimæ numeravi Archiepiſcopos IV. Epiſcopos XLIV. præter Ignatium Patriarcham, & legatos Romanos & aliorum Patriarcharum legatos: ſubſcriptionum par numerus eſt. Græci in additis ad VIII. ſynodum hos centum & duos fuiſſe referunt: in ſynodo Nicolai contra Photium, & Radualdum, & Zachariam, CLXX. interfuiſſe, in ſynodo Hadriani contra Photium CXX. In libro Deuſdedit Cardinalis ita ſcriptum eſt capite primo: *Ex vii. ſynodo univerſali habita a quinque Patriarchis cum cccl. patribus ſub primo Hadriano Pontifice Romano. Omnis electio Epiſcopi* &c. quod ſumtum eſt ex cap. III. ſeptimæ ſynodi. (1) Mox ſequitur: *Ex viii. ſynodo item univerſali habita item a quinque Patriarchis cum patribus ccxl. ſub primo Nicolao Pontifice. Promotiones, & conſecrationes Epiſcoporum* &c. ut cap. XXII. hujus ſynodi, de qua agimus. Utriuſque capitis verba refert liber Tarraconenſis.

Diſt. 63. c. 7. omnis.

Diſt. c. c. 2.

Tarrac. lib. 1. c. 36. & 47.

A. Certiora mihi videntur, quæ ex ſubſcriptionibus retuliſti, & ex errore notarum facile pro CXI. ſcriptum eſt CCXL. fient autem CXI. ſi legatorum habeas rationem. Sed nos veniamus ad caput ipſum XXII. cujus tu mentionem feciſti. Id Gratianus bis poſuit, ut de ejus diligentia cognoſcatis diſtinct. LXIII. cap. I. & II. Namque Hadriano Papæ adſcripſit illa verba: *Nullus laicorum, Principum* &c. Item illa: *Quiſquis ſæcularium Principum* &c. Mox addit: *Item ex octava ſynodo Hadrianus Papa ſecundus, quod Nicolaus prædeceſſor ejus diſpoſuerat, miſſos ſuos, Donatum ſcilicet Oſtienſem Epiſcopum, & Stephanum Nepeſinum Epiſcopum,* (ſic enim mutandum eſſe diximus) *& Marinum diaconum S. R. E. ad Baſilium Imperatorem, & ad filios ejus Conſtantinum, & Leonem Auguſtos Conſtantinopolim direxit. Cum quibus & Anaſtaſius bibliothecarius Romanæ ſedis utriuſque linguæ Grecæ & Latinæ peritus perrexit.*

c. 1. & 2. c. d.

Lib. 1. dialogo 4.

B. Item Anaſtaſius in præfatione ejuſdem ſynodi ad Hadrianum ait, ſe miſſum fuiſſe a Ludovico Imperatore, cum eadem celebraretur ſynodus.

A. Reliqua perſequamur. „ Et ſynodo congregata, quam octavam univerſalem ſynodum illuc convenientes appellaverunt, exortum ſchiſma de Ignatii depoſitione, & Photii ordinatione ſedaverunt, Photium anathematizantes, & Ignatium reſtituentes: in qua ſic ſtatutum eſt. Conſecrationes, & promotiones Epiſcorum &c. „ *Photium* autem, non *Fotinum* ſcribendum eſſe, aperta res eſt: quamvis in eodem nomine errent aliquot hiſtorici.

C. Unde hanc hiſtoriam didicit Gratianus?

A. Res mihi incerta eſt. Sed videamus, an me- B liora dicant Ivo, & Anſelmus, & alii collectores.

C. In Panormia Ivonis ita ſcriptum eſt: *Ex canone Apoſtolorum viii. ſynodus cap. xi. Promotiones & conſecrationes* &c.

Ivo lib. 3. tit. 2. c. 1. panor. & part. 5. c. 122. decr.

B. Cur heic de Apoſtolorum canone dicitur?

A. In margine libri aliquis addiderat, Apoſtolorum cap. XXX. cujus verba refert VII. ſynodus, non octava.

Anſ. lib. 6. c. 20.

C. Idem Ivo in Excerptionibus ſic ait: *Octava ſynodus cap. xi. Promotiones* &c. Anſelmus ſcribit: *Hadrianus Papa univerſali octavæ ſynodo præſidens dixit: Promotiones, & conſecrationes* &c.

B. Quaſi vero hæc præſente Hadriano conſtituta ſint.

C C. Non meliora ſunt, quæ Deuſdedit, & liber Tarraconen. referunt, ſub. Nicolao primo hanc ſynodum habitam eſſe, ut antea diximus.

A. Vide Cæſarauguſtanum. (*a*)

C. *In octava ſynodo cap. xi. Promotiones & conſecrationes* &c.

A. Videtis, opinor, horum omnium negligentiam, qui neque fontes perquirunt, neque temporum hiſtoriam ſcire cupiunt, neque de auctoritate librorum laborant: ſed eis omnia pro oraculo ſunt, quaſi ea ut Moſes duabus tabulis exarata Dei digito, perceperint. (2)

C. Sunt ne alia ex hac ſynodo apud Gratianum?

A. Falſæ inſcriptiones permultæ ſunt, de quibus D nobis certiora B. noſter dicet. Scio enim quædam ſelectos illos viros Romæ inveniſſe in *regulis brevioribus* Baſilii.

B. Apud Iſidorum quædam etiam invenerunt; nonnulla incerta relicta ſunt, quæ ſeptimæ, octavæ, aut nonæ ſynodo Gratianus adſcripſit. Initium ſumamus a capite XXII. diſtinctionis LIV. (*b*) octavæ ſynodo inſcripto. Sunt enim verba ejus capitis ab Iſidoro ſumta *de regula monachorum* cap. XVIII. *de familiari vita*. Ex quo mutandum eſt, pro *non licebit, non licet*: & pro *dare non poteſt*, *dare non debet*. (3) Diſtinct. XXXI. (*c*) caput XXVI. ex ſeptima ſynodo inſcribitur: ſed in incertis ponendum eſt: quamvis capite extremo ejuſdem ſy- E nodi ſint quædam verba apta rei, de qua agitur. (4) Diſtinct. XC. (*d*) caput IV. & V. ex octava ſynodo ſunt apud Gratianum, ſed ex concilio Maguntino eſt caput IV. apud Burchardum (*e*) & Ivonem, (*f*) & in Pœnitentiali Romano: (*g*) & caput V. ex concilio Agathenſi, & ex eodem Maguntino apud eoſdem: tamen incerta etiam hæc duo capita relinquuntur. (5) Cauſſæ primæ caput nonum ex octava ſynodo eſt apud Gratianum, (*h*) melius apud Anſelmum, (*i*) & Deuſdedit cap. II. ex ultima epiſtola ſynodi ſeptimæ; apud Ivonem (*k*) eſt, ex cap. XX. ſynodi VII. & ex VII. ſynodo apud eumdem Gratianum. (*l*) In libro Cæſarauguſtano, ut apud Ivonem. Videndo Taraſii C.P.

(a) *Caſ. lib. 3. c. 63.*
(b) *Diſt. 54. c. 22. Abbati.*
(c) *Diſt. 81. c. 26. in omnib.*
(d) *Diſt. 90. c. 4. alienus, & c. 5. ſi quis.*
(e) *Burc. lib. 10. c. 52. 53. 54. & 62.*
(f) *Ivo par. 13. c. 53. 54. 55. & 63. decret.*
(g) *Pœn. tit. 6. c. 9. & 10.*
(h) *1. q. 1. c. 9. qui per pecuniam.*
(i) *Anſel. libr. 6. c. 80.*
(k) *Ivo par. 5. c. 121. dec.*
(l) *1. q. 7. c. 2. p. ſed quoniam.*

Cæſar. lib. 4. c. 9. epiſtola ad Hadrianum Papam contra Simoniacos, quæ in Græco libro eſt poſt VII. ſynodum. (6)

A. Non magnum erratum eſſet, ſi quod ex VII. ſynodo erat aut ei conjunctum, VIII. ſynodi eſſe diceretur.

B. Non ſatis certus ſum, an eadem illic verba ſint. (7) Illud Paleæ caput extremæ cauſſæ quintæ, quod etiam ex octava ſynodo inſcribitur, nuſquam repertum eſt. Inveni tamen Paleæ non eſſe adſcriptum, & videndus Iſidorus in *regula monachorum* cap. XVII. (8) Quod vero eidem octavæ ſynodo, & Iſidoro adſcribit Gratianus cauſſa XI. (a) ex dictis Iſidori Burchardus, (b) & Ivo (c) eſſe ſcribunt. Non diſſimilis ſententia extat apud Iſidorum in *monachorum regula* cap. XVII. de excommunicatis, & apud Benedicti regulam cap. XXVI. cujus verba referunt Ivo (d) & liber Cæſaraugust. (e) (9) Certius eſt, quod in eadem cauſſa ex octava ſynodo eſſe dicitur, (f) Iſidori eſſe lib. III. cap. LIX. *de ſummo bono*. Ut quod ei proximum eſt Gregorio adſcriptum, ex eodem libro Iſidori eſt cap. LIIX. licet ex *libro Officiorum* Iſidori eſſe dicatur apud Burchardum. (g) (10)

5. q. 6. c. 7. ſi quis.

C. Quamobrem dicemus in tam multis pro Iſidori, aut alterius nomine abuſum Gratianum hac ſynodo?

B. Inveni a ſelectis viris notatum, fieri potuiſſe, ut in aliquo libro *Octava ſynodus* inſcripto poſt verba ejus ſynodi alia capita eſſent ex variis ſcriptoribus relata ſine ulla inſcriptione. Ita factum eſſe, ut addita octavæ capitibus pro verbis ejuſdem ſynodi haberentur.

C. Apertius eſt cum Paullo cauſſam confiteri, *quia ignorans feci*. An eadem illa cauſſa eſt in Gregorio pro Iſidoro ſcripto? Act. XXIII. 5.

B. Minime gentium. Sed cetera videamus. Nonæ ſynodi eſſe dicitur caput primum cauſſæ XX. (h) quod ſelecti viri Baſilio adſcribunt in *regulis* cap. XV. & in epiſt. ad Amphilochium cap. XIIX. Ideo vero ex nona ſynodo dictum eſſe putant, quod canones Baſilii poſitos poſt canones octavæ ſynodi crediderit aliquis eſſe ex nona ſynodo.

A. Ludere mihi videntur, qui hæc dicunt. (11) De aliis dices, cum libebit.

ADDITIONES.

(1) IN Gregoriana editione inſcriptio cap. 7. diſt. 63. eſt: Item ex ſeptima ſynodo, quæ eſt ſecunda Nicæna 350. Epiſcoporum c. 3. Omnis electio Epiſcopi. (De eodem capite ſcriptum eſt lib. 1. dialog. 9. addit. 10.)

(2) Ejuſd. diſtin. 63. capitis 1. & 2. inſcriptiones retulimus dialogo 4. addit. 1. lib. 1.

(3) Capitis 22. diſtin. 54. hæc in eodem libro Romano inſcriptio eſt; Probatur auctoritate octavæ ſynodi, in qua ſic ſtatutum legitur: Abbati, vel monacho monaſterii ſervum non licebit &c. dare non poteſt &c. In marg. eſt; Iſidorus Hiſpal. in reg. monach. de famil. vita. Et in notis poſt alia: Caput autem, quod nunc a Gratiano citatur, alibi repertum non eſt, quam apud Iſidorum Hiſpalenſem in reg. monach. c. de famil. vita. Et verſ. Unde in alio capitulo præfatæ conſtitutionis hæc ratio redditur. (Injuſtum eſt enim &c. additur in notis: Injuſtum) Infra 17. q. 4. c. in venditionibus verſ. injuſtum, hoc ipſum citatur ex concilio Agathenſi, ubi etiam extat c. 56.

(4) Hæc eſt in eodem libro inſcriptio cap. 26. In omnibus, diſt. 81. Item ex VII. ſynodo. In notis eſt: Caput hoc etiam in aliquot manu ſcriptis citatur ex ſeptima ſynodo, in cujus ſane poſtremo capite aliqua huc ſpectantia habentur. Ceterum in plerisque citatur ex octava: & ſententia videtur ſumta ex c. 83. Aſceticorum B. Baſilii, cujus regulas ſub nomine octavæ ſynodi ſæpe citari alibi notatum eſt.

(5) Ante caput quartum, Alienus ſit, diſtin. 90. in eodem libro hæc verba ſunt: Item ex octava ſynodo. Et in marg. eſt; Burc. l. 10. c. 52. & 54. Ivo p. 13. c. 52. & 53. ex conc. Moguntino. In notis additur: In libello B. Baſilii de inſtitutis monachorum Rufino interprete (qui nuper Coloniæ cum regula B. Benedicti eſt impreſſus) c. 42. in ultima reſponſione habetur prima pars hujus capitis, uſque ad verba abjiciatur. Quis murmurans) Ejuſdem libelli c. 50. penultima interrogatio ſic habet: Si vero etiam &c. Juxta menſuram) Hæc pars non habetur in eo Baſilii loco. Apud Burchar. vero, & Ivonem (a quibus citatur ex concilio Moguntin.) ſic legitur: Juxta menſuram, opuſque peccati, quia in hoc ſententia, &c. Capitis quinti ejuſdem diſt. inſcriptio eſt: Item ex eodem. Si quis monachus contentiones &c. In marg. additur; abeſt a multis exemplaribus (quod ad vocem monachus refertur). Eſt etiam in marg. In regula Iſidori c. 17. Burc. l. 10. c. 62. Ivo p. 13. c. 63. Et verſ. Qui contentioſus, additur in marg. In lib. ſententiarum Patrum c. 96. ex ſtatutis ſeniorum. Bur. l. 10. c. 53. Ivo par. 13. c. 54. In notis hæc ſunt; Si quis monachus) Hanc priorem partem Burchardus, & Ivo citant ex concilio Agathenſi, in quo etiam habetur ex codice librorum ſexdecim lib. 5. c. 22. abeſt autem fere ubique etiam in multis Gratiani exemplaribus vox monachus. Tam diu) Apud Burchardum, & Ivonem (qui citant hanc partem poſteriorem ex Moguntino, habetur autem in libro ſententiar. Patrum c. 96. ex ſtatutis ſenior.) legitur, ita puniatur, qualiter culpæ qualitas extat.

(6) Inſcriptio capitis noni, Qui per pecunias, 1. q. 1. in eodem libro hæc eſt: Item ex octava ſynodo. In marg. eſt: Novella 6. c. 1. & nov. 123. c. 3. apud Julian. anteceſſorem; Anſ. l. 6. c. 7. Ivo p. 5. c. 121. Et in notis; Octava) In aliquot vetuſtis exemplaribus caput hoc citatur ex ſeptima ſynodo, in qua capitulo quinto refertur canon trigeſimus Apoſtolorum ad hanc rem faciens. In epiſtola autem Taraſii ad Hadrianum Papam (quæ in exemplaribus bibliothecæ Vaticanæ, & aliis eſt in fine ipſius ſeptimæ ſynodi) refertur canon. 22. ſynodi quæ in Trullo, his verbis: Eos, qui per pecunias ordinati ſunt, ſive Epiſcopi, ſive quicumque clerici, & non ſecundum probationem, & vitæ optionem, deponi præcipimus: ſed & illos, qui hos ordinaſſe noſcuntur. Extat etiam hac de re epiſtola Baſilii ad Epiſcopos ſibi ſubjectos.

(7) Caput ſecundum, Si quis omnem, 1. q. 7. in eodem libro ita inſcriptum eſt: Item ex ſeptima ſynodo. Et in marg. eſt: Ex actione 1. in 7. anathematis. Deuſdedit p. 2. Ivo p. 4. c. 198. Ex epiſt. Taraſii ad Joannem. Ivo p. 5. c. 121. Anſ. l. 6. c. 87. (Hæc erant ita diſtinguenda, ut ab illis verbis, Ex epiſt. ad verſ. Omnis, pertinerent, non ad princ. capitis) Id in notis melius diſtinguitur in hunc modum: Si quis) Caput hoc ex magna parte collectum eſt ex variis locis ſeptimæ ſynodi: ſed non ex verſione Anaſtaſii Bibliothecarii qua alioqui ſæpe uti ſolet Gratianus. Initium quidem eſt in actione prima anathematiſmo ſeptimo. Omnis Epiſcopus) Hinc uſque ad verſ. Taraſius Patriarcha, ſumta ſunt ex epiſtola Taraſii ad Joannem pres-

(a) 12. q. 3. c. 28. *ſi quis*, & c. 18. *cum excommunicato in fin.*

(b) *Burc. li.* 12. c. 32.

(c) *Ivo par.* 14. c. 96. *decret.*

(d) *Idem d. par.* 14. c. 34.

(e) *Cæſar. lib.* 14. c. 39.

(f) 11. q. 3. c. 77. *non ſolum*, & 78. *quatuor.*

(g) *Burc. li.* 16. c. 28.

(h) 20. q. 1. c. 1.

preſbyterum, omiſſis tamen interdum nonnullis verbis; quæ quidem epiſtola in verſione Anaſtaſii eſt poſt actionem, & canones ſeptimæ ſynodi: ſed in nova verſione impreſſa in tomis conciliorum eſt ante ipſam ſynodum. Taraſius) Hæc videntur ſumta ex epiſtola Taraſii ad Hadrianum (de qua dictum eſt ſup. q. 1. ad c. eos qui) aut ex quinto capite ſeptimæ ſynodi: quibus locis refertur canon trigeſimus Apoſtolorum Quicumque per pecuniam) Hæc habentur etiam novella 123. c. 4. apud Julian. antecessorem. Si vera religioſam) Hæc non ſunt in canone Apoſtolorum. In eodem verſ. Taraſius, in marg. eſt: In epiſt. Taraſii ad Hadrian. & in 7. ſyn. c. 5. ex can. Apoſt. 30. Et verſ. Quicumque per pecuniam. In ea. ep. & c. 5. ex conc. Chalc. c. 2. novella 123. c. 24. apud Julian. anteceſ. Et verſ. Qui poſt baptiſmum. Canc. Neocæſ. c. 9. Et verſ. Similiter. Can. 26. al. 28. Apoſtolorum diſt. 63. omnis elec. Can. Apoſt. 29. al. 31. & in ſept. ſyn. c. 3.

(8) Hæc eſt capitis ſeptimi, Si quis falſum, 5. qu. 6. in eodem libro inſcriptio: Item ex octava ſynodo. In marg. eſt: In regula Iſidori c. 17. Et in notis: Capiti huic in vulgatis erat præpoſitum nomen Paleæ; quod ſublatum eſt auctoritate omnium vetuſtorum exemplarium, quotquot collata ſunt. Exſtat autem in regula monachor. B. Iſidori c. 17.

(9) Ante caput 18. Cum excommunicato, 11. q. 3. hæc in eodem libro verba ſunt: Item Iſidorus in regula monachor. cap. 18. Et in marg. eſt: Polyc. ibid. (hoc eſt, l. 7. tit. 1.) Burc. l. 11. c. 31. & 32. Anſ. l. 12. c. 16. Ivo p. 14. c. 95. & 96. In notis: Prior pars hujus capitis uſque ad verſ. Si quis enim, habetur in regula ſancti Iſidori (quæ miſſa eſt ex Hiſpania) c. 18. ex qua citat hoc Smaragdus in expoſitione regulæ ſancti Benedicti c. 26. excepta tamen iſta clauſula, niſi quæ ad eamdem excommunicationem pertinent, quæ neque in regula B. Iſidori legitur, neque apud Smaragdum. Eſt tamen apud Burchardum, & Ivonem. Si quis enim) Hæc uſque ad finem refert Smaragdus ex quodam magiſtro monachorum quod notabitur infra eadem c. ſi quis frater. Inſcriptio cap. 28. Si quis frater, e. q. hæc eſt: Item ex octava ſynodo. In marg. eſt: Sup. eadem cum excommunicato. Burc. l. 11. c. 32. Ivo p. 14. c. 96. In notis additur: Canon hic neque habetur in octava ſynodo, quæ habita fuit tempore Nicolai primi (immo Hadriani ſecundi) neque in alia, quæ & ipſa nominatur octava ſub Joanne octavo celebrata, quæ in bibliotheca Vaticana ſervantur. Multa vero, quæ a Gratiano ex octava ſynodo citantur, in regulis Baſilii, Iſidori, & aliis ſcriptis ad monachos pertinentibus inventa ſunt. Hoc quidem ſup. ead. cum excommunicato, fuit tributum Iſidoro, quemadmodum etiam a Burchardo, & Ivone. Sed Smaragdus in expoſitione regulæ B. Benedicti c. 26. cum antea egiſſet de monacho a ſua præpoſito excommunicato, hæc ſcribit valde ſimilia: Hinc quidam magiſter monachorum ait. (Si quis vero frater aut palam, aut abſconſe cum eo fuerit locutus, aut contactus, communem cum eo excommunicationis contrahat pœnam) quæ lectio convenit cum lectione Burchardi & Ivonis.

(10) Quod attinet ad caput 77. Non ſolum ille, ejuſdem q. 3. in libro Romano inſcriptio hæc eſt: Item ex octava ſynodo. Et in marg. Iſidorus l. 3. de ſum. bono c. 59. Et in notis: De hac inſcriptione octavæ ſynodi, notatum eſt ſup. ead. q. 3. Si quis frater. Inſcriptio cap. 78. Quattuor modis, ejuſdem quæſt. eſt: Unde Gregorius ait. In marg. eſt: Iſidorus l. 3. de ſum. bono, c. 58. Bu.. l. 16. c. 28. Ad illa, animum alicuius corrumpimus, additur al. muneris alicuius corrumpitur, Iſid. & pro voce adverſarium, al. adverſa. In notis eſt: Apud Gregorium non eſt inventum: ſed apud Iſidorum (quemadmodum citat Burchardus) & paullo etiam plenius: & ſequitur nonnullis interjectis poſt caput quod recte ſupra ead.

(11) Gratiani verba ſunt ante caput 1. cauſa 20. q. 1. in eod. libro: Probatur auctoritate nonæ ſynodi. Firma autem &c. In notis eſt: Nonæ) In nonnullis vetuſtis exemplaribus eſt, octavæ. Verum in octava ab Hadriano II. habita non habetur, ſed in libro B. Baſilii de inſtitutis monachorum Rufino interprete c. 8. Similia etiam ſunt apud eumdem B. Baſilium in regulis fuſius diſputatis c. 15. Ac perfectu) Hæc non ſunt in eo B. Baſilii loco.

DIALOGUS IX.

De eadem re.

C. CUM Pontificalem librum non editum ad te nuper adlatum in manibus haberem, incidi in extrema tempora Innocentii tertii; illic inveni mentionem Gratiani fieri his verbis, quæ tibi melius in libro ipſo indicavero, quia ſunt quædam mihi valde ignota.

A. Oſtende locum: neque enim ingratum erit de Gratiani vita, aut tempore cognoſcere,

„ C. Hoc anno ſcilicet MCCXV. Gratianus „ monachus de Cluſa civitate Tuſciæ natus, De„ cretum compoſuit, ut dicit Hugucon feria q. VI. „ c. ſor. Floret etiam Magiſter Petrus Lombardus, „ qui ſententias compoſuit. „

B. Si hæc vera ſunt, cur in eo libro nihil eſt poſt Innocentium Minorem conſcriptum? Certiora ſunt, quæ alii de Eugenio tertio referunt, & ab eodem Gratiano ſcribunt mentionem fieri anni MCL.

A. Quæratur locus in formulis appellationum & apoſtolorum.

2. q. 6. c. 30. poſt appellationem, §. ſirma.

B. In libro Antonii Democharis ſic eſt: *Pridie Kalendas Maii anno dominicæ* incarnationis MCLXI. *indictione* IV. & in marg. *alias MCV. feria* IV. His addit Contius: *Sic in meo manu ſcripto.*

C. In alia veteri editione eſt etiam *MCV. fran.* IV. (inepte pro *feria quarta*) & in ſcholiis: „ MCV. Dicit H. quod heic eſt falſa littera, quia „ non ſunt tot anni, quod liber iſte compoſitus „ fuit. Fuit enim editus docente Jacobo Bonon. in „ legib. & Alex. in theologia, qui fuit poſtea Pa„ pa Alex. III. & fuit anno Domini MCL. ut ex „ chronicis patet. “

A. Habeo alia ſcholia vetuſtiora. Cura, ut liber adferatur.

C. Eadem eſt ſcriptura numeri MCV. feria IV. & in margine hæc ſunt: „ Non currebat annus „ iſte incarnationis tempore Gratiani, cum & ipſe „ inſeruit huic operi capitula Innocentii ſecundi, „ qui paullo præceſſit Alexandrum contempora„ neum Gratiano. “

A. Ex his apparet, deceptum fuiſſe illum hiſtoricum, & pro Hugone, ſive Hugucione *ſecunda quæſt.* VI. *c. forma*, illa monſtra peperiſſe.

C. An, obſecro te, idem ille eſt, qui H. notatur in ſcholiis?

A. Ego eumdem eſſe arbitror. (1) Sed nos ad octavam ſynodum revertamur.

B. Cauſſa XX. quæſtione ſecunda extrema (a) ſunt quædam verba, quæ ex ſynodo nona Gratianus refert, ex Iſidoro liber Tarracon. (b) ſed Ba-

(a) 20. q. 2. c. ult. (b) Tarrac. li. 6. cap. 260.

ſilii verba ſunt in monachor. inſtitut. cap. 11x. interprete Rufino. (2) Cauſſa xxvi. quæſt. vii. (a) multa capita ſunt octavæ ſynodo inſcripta, quæ Baſilio inſcribi debuerunt primo excepto, quod incertum eſt. Sine inſcriptione refert Pœnitentiale Romanum. (b) Videtur eſſe epitome capitis xxx. concilii Carthaginienſis iii. ut in notis tuis inveni. Aliud caput (c) ſelecti viri Baſilii eſſe exiſtimant in epiſt. ad Amphilorbium capite lxxiii. Sine inſcriptione eſt in eodem Pœnitentiali, (3) Tertium caput (d) ex dictis Baſilii Epiſcopi, inſcribunt Burchardus, & (e) & Ivo: (f) & in margine Ivonis legi: *In regulis brevioribus reſpon. ad interrog.* viii. Hoc idem ſelectis viris probatur. Quartum caput, (g) cujus initium eſt *Affectam*, eiſdem regulis adſcribunt capite v. Quintum caput (h) Burchardus (i) & Ivo, (k) ex dictis Auguſtini, inſcribunt; Romani Baſilio in *regulis brevioribus* cap. ix. (4)

A. Laudanda eſt maxime horum patrum diligentia.

B. Adhuc audies alia eadem ratione recte mutata. Cauſſa xxvii. quæſt. ii. (l) ex viii. ſynodo caput illud inſcripſerat Gratianus, cujus initium, *Si quis conjugatus*. Ex dictis Baſilii Epiſcopi, Burchardus, (m) Ivo, (n) & Anſelmus. (o) Baſilii tantum nomen eſt in libro Cæſarauguſtano. (p) Pars epiſt. Alexandri ſecundi ad Landulfum eſt in Panormia, & in Excerptionibus Ivonis, (q) cujus initium Notificaſti: & poſt alia a Gratiano (r) etiam relata hæc ſunt: *Sanctus enim Baſilius de hac re taliter dicit: Si quis conjugatus* &c. Selectis viris placuit; Baſilius in *regulis fuſius diſputatis* cap. xii.

C. Quid eſt, quod in margine Ivonis legitur; *Ex ſynodo* viii. *ſub Photio Conſtant. celebrata penultimo canone, cui aliquot interfuere Epiſcopi Baſilii nomine?*

De pœn. d. 2. c. 1.

B. Unde hæc ſumta ſint, ignoro. (5) Caput primum diſt. ii. de pœnitentia non octavæ ſynodi eſt, ut Gratianus refert, ſed Baſilii in *regulis brevioribus* capite ccxxcix. Extremum eſt caput xxv. de conſecrat. diſt. ii. quod Gratianus ita inſcripſit: *ex octava ſynodo Baſilius Epiſcopus dixit*. Id etiam inveniri in *regulis brevioribus* Baſilii teſtantur.

De conſec. d. 2. c. 25. ſi quem.

A. Quoto capite?

B. Id etiam ignoro, quia is liber nondum a me lectus eſt: ſed in quadam ſcheda eſt *cap.* 172. (6)

A. Non omnia poſſumus omnes. Hactenus de octava ſynodo. Habes ne aliquid ex Capitularibus Imperatorum, præterea quæ ante diſceſſum tuum tibi oſtenderam miſſa mihi a Latino Latinio, & a Petro Ciacconio?

B. Volumen attuli Capitularium quorumdam Imperatorum poſt ſeptem illos libros quos noſti, editorum. Sed exceptis duobus ad Gratiani emendationem non pertinent.

A. Duo illa, quæ ſunt?

32. q. 35. c. 18. de forma.

Ivo lib. 8. tit. 8. c. 33. panor. & par. 12. cap. 76. decr.

Caſ. lib. 6. c. 22.

B. Ex concilio Trecenſi ſub Joanne VIII. item ex Fulberto Epiſcopo Carnotenſi de forma fidelitatis, quem Philibertum Epiſcopum Gratianus appellat: ſed Fulbertus dicitur in Panormia veteri Ivonis, Silibertus in edita, Fulbertus recte dicitur in Ivoni Excerptionibus, & in libro Cæſarauguſtano. Illud quoque dicimus ex hoc libro Capitularium, ad quem hæc epiſtola Fulberti miſſa ſit, & nomen eccleſiæ cujus Epiſcopus erat, quæ ceteri omiſerant.

A. Recita verba.

„ B. De forma fidelitatis inter dominum & fidelem ſuum. Glorioſo Duci Aquitanorum Willelmo Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus orationis ſuffragium. De forma fidelitatis aliquid ſcribere monitus &c. “

C. Sunt ne hæc ſumta ex libro feudorum, an poſt Gratianum illic ſcripta?

B. Joannes Trittenhemius hunc Fulbertum, ſive Fulpertum ait fuiſſe ſub Henrico primo Imperatore anno plus minus Chriſti MX. Sic apparet antiquiorem fuiſſe Ivone Carnotenſi & Gratiano, poſt quos fuerunt Gerardus & Obertus, qui librum feudorum ſcripſerunt ſub Friderico primo, qui anno Chriſti MCXC. mortuus eſſe dicitur.

A. Gratum eſt hæc reperta eſſe, quæ me diu quærentem fefellerunt. Et memini a me doctum virum in Sicilia petiiſſe, ut ſi quid de hac Philiberti epiſtola comperiſſem, ſic enim appellari putabamus, eum certiorem facerem. (7) De concilio Trecenſi videamus, de quo in libro Aimoini *de geſtis Francorum* ſcio aliquid referri.

Lib. 5. c. 37. 17. q. 4. c. 21. quiſquis.

B. Ita eſt, ut dicis. Sed apud Gratianum non multa verba ſunt, ſi cum Ivone & aliis conferamus; in veteri autem libro aliis verbis concilii ſententia conſcripta eſt. Eſt autem operæ pretium conferre ſingulorum capitum inſcriptiones. *Unde Joannes Papa VIII. ſcribit omnibus Epiſcopis*: ſic Gratianus; ait Ivo: (s) *Joannes VIII. in libro Gothicæ legis*. Sine inſcriptione liber Cæſarauguſt. (t) initio libri ſeptimi, *Joannes Papa VIII.* eſt apud Anſelmum: (u) In veteri libro hæc inſcriptio legitur; „ Lex ſacrilegum edita a Joanne Papa coram ſereniſſimo Ludovico Imperatore, & Epiſcopis LIII. in concilio Trecacenſi, & eorum auctoritate juncta Gothicæ legi: Per defectum ſacrilegii. “ Addam ſi placet, initium ex eodem libro, ut certius teſtimonium habeamus: „ Joannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Epiſcopis per Narbonenſem atque Hiſpanicas provincias conſiſtentibus, Abbatibus, Presbyteris, cunctiſque ſimul ordinibus divino miniſterio mancipatis, nec non Comitibus, Vicecomitibus, Vicariis, Centenariis, Judicibus & omnibus in poteſtatibus conſtitutis, & omni populo, & cunctæ ſimul generali eccleſiæ ſalutem cariſſimam cum benedictione apoſtolica. Auctore omnipotenti Deo mediante, incarnationis D. N. Jeſu Chriſti (an.) DCCCLXXXVIII. xv. Kal. Sept. Indict. I. Domno videlicet Ludovico ſereniſs. rege an. I. actum eſt hoc a nobis apud urbem Trechas pro ſtatu ſanctæ Dei eccleſiæ ſynodale concilium &c. “

A. Recte ne anni cum Indictione conveniunt?

B. Minime conveniunt, & ſuſpicor in utroque numero erratum eſſe, atque ita notandum, *an. DCCCLXXVIII. Indict.* xi. quod exiſtimo Aimoini verbis confirmari l. v. cap. xxxviii. Apud Ivonem in Exerptionibus ita eſt: „ Joannes Epiſcopus S.S. D. omnibus Epiſcopis, Comitibus, Vicecomitibus, Centenariis, Judicibus catholicis in Hiſpania & Gothia, & provinciis degentibus, omnique populo occidentali catholico ſalutem, & apoſt. bened. Noveritis, dilectiſs. filii, quia nos pro ſtatu ſanctæ Dei eccleſiæ juſſimus congregari ſynodale concilium apud urbem Trechas, ubi ſedentibus nobis in corona venit &c. Sigeboldus ſanctæ primæ ſedis Narbonenſis Epiſcopus cum ſuis ſuffraganeis Epiſcopis, & detulit nobis librum Gothicæ legis, ubi nihil habeatur de ſa-

„ cri-

(a) 26. q. 7. c. 7. *pro qualitate.*
(b) *Pœnit. Rom. tit.* 9. c. 10.
(c) *d. q.* 7. c. 8. *hoc ſit.*
(d) *d. q.* 7. *ca.* 9. *pœnitentem.*
(e) *Burc. li.* 19. c. 39.
(f) *Ivo par.* 15. c. 55. *dec.*
(g) *c. q. c.* 10. *affectum.*
(h) *c. q. c.* 11. *erga eum.*
(i) *Burch. li.* 19. c. 64.
(k) *Ivo par.* 15. c. 78. *d. c.*
(l) 27. q. 2. c. 21. *ſi quis.*
(m) *Burc. lib.* 9. *cap.* 45.
(n) *Ivo par.* 8. c. 183. *dec.*
(o) *Anſ. lib.* 10. c. 20.
(p) *Caſ. lib.* 10. c. 65.
(q) *Ivo lib.* 6. *tit.* 5. c. 11. *panor. & par.* 8. c. 220. *decr.*
(r) 33. q. 5. c. 2.
(s) *Ivo lib.* 2. *tit.* 8. c. 1. & 2. *panor. & par.* 3. c. 98. *decr.*
(t) *Caſa. lib.* 7. c. c. 1.
(u) *Anſ. lib.* 5. c. 40. & 46.

„ crilegiis &c.“ In libro Cæſarauguſt. Ivonis verba ſunt his exceptis: *Et Gothia provincia degentibus*. Item *Sigeboldus*, pro *Sineboldus*; & *habebatur*, pro *habeatur*. Multa in utroque libro ſunt omiſſa, & hæc ipſa aliis verbis dicuntur: quorum initium eſt: *Inter cetera autem oblatus eſt in eodem nobis concilio primum a Segebodo Narbonenſis eccleſiæ Metropolitano proclamationis libellus &c.*

A. Magna varietas eſt. Sed de verbis a Gratiano relatis videamus. Sequitur ne Gratianus Ivonis an alterius libri editionem?

B. Ivonis, cujus nomine duo libri nuncupantur, quos te video Panormiam, & Excerptiones appellare, & dubitare, utrum ejuſdem ſint ſcriptoris, Panormia uſus fortaſſe eſt Gratianus, Excerptiones non vidiſſe exiſtimo. In hoc capite Excerptionum libri ordinem ſecutus videtur, cum præpoſtere eſſent duo capita in Panormia collocata. Initium primi capitis eſt, *Sacrilegium enim committitur*; quæ verba Contius Gratiani eſſe credidit: initium ſecundi, *Inſpectis legibus Romanis*. Ante vocem *Sacrilegium*, in Exceptionibus eſt: *Huc uſque lex Papæ*: quæ in fine capitis poſterioris ſunt in Panormia. In libro Cæſarauguſtano vox *Huc uſque*, ſola eſt. In veteri libro omnia aliis verbis explanantur, & illa omittuntur, *Sacrilegium enim committitur* &c. De varietate pœnarum, ſive multarum in raptores agitur: triplicem fuiſſe dicitur, ante Juſtinianum XII. auri librarum, a Juſtiniano V. auri obryzi librarum, a Karolo XXX. librarum

A examinati argenti conſtitutam. Hæc leniſſima pœna, ſed uſu abrogata, reſtituitur, & DC ſolidorum eſſe declaratur. „ Præſenti, *inquit*, ideo confirmamus edicto, ut cujuſcumque ſit homo gentis, vel ordinis, cujuſcumque ſit legis, vel patriæ judex, ſi in pervaſores, aut violatores eccleſiaſticarum rerum legem ſuperius taxatam, id eſt, DC. ſolidorum ſummam judicare noluerit, aut pervaſor, ſive violator, ſi pulſatus ab Epiſcopo, vel Abbate, ſeu advocatis eccleſiæ, perſolvere noluerit: primum tertio, ſecundum B Domini vocem admoniti, ſi non emendaverint, a ceterorum Chriſtianorum communione ſint ſeparati &c.“ Apud Ivonem poſt relatas multas Juſtiniani & Caroli, *videlicet*, inquit, *in triginta libras argenti examinati, id eſt, ſexcentorum ſolidorum ſummam argenti puriſſimi; ideoque quiſquis inventus fuerit reus ſacrilegii, iſtam leniorem compoſitionem emendet ipſis Epiſcopis, vel Abbatibus, ſive perſonis, ad quos* † *querimonia ſacrilegii juſte pertinuerit*, &c. Eadem ſunt in libro Cæſarauguſt. Videtis igitur Gratianum horum verborum partem C omiſiſſe: de triginta enim libris retulit, de DC. ſolidis nihil dixit, neque de excommunicatione. In fine hujus capitis in veteri libro eſt: *Et ſubſcripſerunt Joannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cum decem Archiepiſcopis, & XLI. Epiſcopis*. (8)

† quas

A. De ceteris aliud erit dicendi tempus: nunc nobis ſurgendum eſt.

ADDITIONES.

(1) V*Erba Gratiani ſunt in Gregoriano libro cap. 31. Romanis, Poſt appellationem, verſ. Forma Apoſtolor. 2. q. 6. Pridie Kal. Maii anno Domini incarnationis MCXLI. Indictione quarta. In notis eſt: MCLI.) In vulgatis erat MCLXI. qui numerus, ut recte in gloſſa dicitur, conſtare non poteſt. Quod etiam confirmatur; quia quarta indictio* D *de qua heic eſt mentio, non convenit cum anno illo. In manu ſcriptis autem, cum varia ſit lectio, hæc viſa eſt melior, quæ notarum tantum tranſpoſitione reſtitui potuit, & quarta indictio cum hoc anno concurrit. In ſcholiis MCXLI.) Dicit Hugo, quod hoc eſt &c. ut in dialogo. In admonitione ante Gratiani verba, præterea quæ retulimus lib 1. addit. 1. hæc ſunt: In Chronico, quod inſcribitur Pomærium eccleſiæ Rhavennatis, qui liber in bibliotheca Vaticana ſervatur, hæc de Gratiano leguntur: Anno Chriſti MCLI. Gratianus monachus de Claſſa (in marg. eſt, Alii Cluſio, alii Ginſa) civitate Thuſciæ* E *natus, Decretum compoſuit apud Bononiam in monaſterio ſancti Felicis. Idem teſtatur Hugutio vetuſtiſſimus hujus codicis interpres ſecunda quæſtione ſext. cap. Poſt appellationem, & Vincentius in libro hiſtoriarum bis, ſemel libro vigeſimo tertio cap. 31. loquens de Iſidoro, & iterum lib. 25. c. 84. agens de Ivone, & aliis decretorum collectoribus, & ſanctus Antoninus par. 3. hiſtor. tit. 18. c. 6. Tritemius vero in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis Gratianum agnoſcit hujus collectionis auctorem; itemque in libro ſecundo de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti: quo tamen loco addit (ipſam fortaſſe operis inceptionem ſpectans) fuiſſe ab eo compoſitum anno Domini MCXXVII. Hanc collectionem Innocen-* F *tius tertius in epiſtola ad Archiepiſcopum Compoſtellanum vocat Corpus Decretorum.*

(2) *Capitis quarti ſive extremi, Oportet infantes. 20. q. 2. in eodem libro hæc inſcriptio eſt: Unde in nona ſynodo legitur. In marg. eſt: al. octava. Et in notis: Eſt in eod. libello B. Baſilii, & eodem capite, in quo eſt c. firma. ſupra eadem q. 1. & ſequitur continenter poſt illud. (Vide paullo ante dial. 8. addit. 11.)*

(3) *inſcriptio capitis 7. Pro qualitate, 26. q. 7. in eodem libro hæc eſt: Unde in octava ſynodo legitur. In notis eſt: Videri poteſt ſumtum ex regulis brevioribus B. Baſilii, c. 106. quod notatum alibi eſt evenire in iis capitibus, quæ ex octava ſynodo citantur. Capitis 8. Hoc ſit, e. q. inſcriptio ſola voce ITEM conſtat. In marg. eſt: Smaragdus in regulis B. Benedicti c. 24. In notis: Caput hoc habetur in libello beati Baſilii de inſtitutis monachorum Rufino interprete c. 90. ibi enim ultima interrogatio* D *eſt hæc: Qualibus correptionibus &c. Reſponſio. Hoc ſit &c. Itaque ex interrogatione, & reſponſione confectum eſt hoc caput; ſicut & duo ſequentia, quæ apud eundem Rufinum leguntur.*

(4) *Ejuſdem quæſt. c. 9. Pœnitentem, in eodem libro hæc pro inſcriptione habet verba: Ex eadem ſynodo evidenter oſtenditur, cum dicitur. In marg. eſt: Burc. l. 19. c. 39. Ivo par. 15. c. 55. In notis: Burchardus, & Ivo citant ex dictis Baſilii Epiſcopi, & in regulis illius brevioribus numero 8. eſt ſententia hujus capitis: quod tamen acceptum videtur ex c. 24. ejuſdem libelli de inſtitutis monachorum. Ubi ſecunda interrogatio ſic habet: Pœnitentes* E *&c. Reſponſio. Sicut Dominus &c. Ante caput 10. Affectum illum, ejuſdem quæſtionis eſt vox Item pro inſcriptione. Et in notis eſt: Sententia hujus capitis eſt in regulis brevioribus num. 5. Acceptum tamen videtur ex c. 19. ejuſdem commemorati libelli: in quo hæc eſt interrogatio. Quomodo quis debet &c. Reſponſio. Affectum illum &c. Caſtos) Antea legebatur cautos. Emendatum eſt libello Rufini. In vulgata eſt contaminatos, Græce ἁγνούς. Ante caput 11. Erga eum, e. q. etiam vox ITEM. Et in marg. eſt: Burc. l. 19. c. 64. Ivo par. 15. c. 78. Et in notis: Hoc etiam habetur in regulis brevioribus num. 9. In eodem vero libello c. 24. ultima interrogatio* F *eſt hæc: Erga eum &c. Reſponſio: Sicut præcipit &c. Apud Burchardum, & Ivonem, qui hoc citant ex dictis Auguſtini, initium ſic habet: Erga eum, qui pro peccato commiſſo non pœnitet, tales &c. quod magis convenit cum prædicta interrogatione, quam quomodo eſt apud Gratianum.*

(5) *Hæc etiam eſt inſcriptio cap. 22. Romanis, cujus initium eſt, ſi quis conjugatus, 27. q. 2. Item ex octava ſynodo. In marg. hæc ſunt: Sent. ibid. (hoc eſt, Sent. 4. diſt. 27.) Polyc. ibid. (id eſt, l. 6. tit. 4.) Anſ. l. 10. c. 20. Burc. l. 9. c. 45. Ivo p. 8. c. 183. & 220. Pan. l. 6. c. 85. In notis eſt: Si quis conjugatus) Hæc uſque ad verſ. Nam illo, habentur apud B. Baſilium in regulis ſuſius*

diſpu-

diſputatis c. 12. Burchardus quidem, Polycarpus, & Ivo par. 8. c. 182. citant totum hoc caput ex dictis Baſilii. Idem vero Ivo c. 220. & auctor Panormiæ citant epiſtolam Alexandri ſecundi Landulpho ſcriptam, in qua hoc idem ex B. Baſilio refertur. Et pars prior illius epiſtolæ refertur infra 33. q. 5. Notificaſti. Inſcriptio cap. 2. Notificaſti, de quo ſupra, hæc eſt: Item Alexander Papa II. Landulpho in Corſica. Et in marg. eſt: Ivo p. 8. c. 220. Pann. l. 6. c. 85.

(6) *De pœnitent. diſtin. 11. cap. 1. inſcriptio in eodem libro Romano eſt: Item ex octava ſynodo. Si quis ſemel &c. In notis eſt: Habetur in libro de inſtitutis monachorum interprete Rufino c. 22. ex Baſilio in regulis brevioribus numero 289. Inſcriptio cap. 25. de conſecr. diſt. 2. hæc eſt: Item ex octava ſynodo. Baſilius Epiſcopus dixit: Timorem docet nos &c. In marg. hæc ſunt: Ex Baſilii regulis brevioribus c. 172. Et in notis: Hoc Baſilii caput eſt ex verſione Rufini c. 70. quibuſdam tamen omiſſis. Ex hac autem citatione, quam nunc affert Gratianus, & aliis ejuſdem locis, ut alibi dictum eſt, videtur poſſe colligi, regulas illas B. Baſilii poſt octavam ſynodum in codice, quo Gratianus uſus eſt, fuiſſe collocatas.*

(7) *Gratianus ante caput 18. De forma, 22. q. 5. in eodem libro ita ſcribit: De forma vero fidelitatis &c. Sic invenitur in epiſtola Fulberti Epiſcopi. In marg. hæc ſunt: In uſibus feudorum lib. 2. tit. 6. Ivo par. 12. c. 76. Pan. l. 8. c. 122. Et in notis: Epiſtola hæc Fulberti miſſa eſt e Gallia, deſcripta ex vetuſto codice eccleſiæ Belvacenſis: cujus hic eſt titulus: Glorioſo Duci Aquitanorum W. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus orationis ſuffragium.*

(8) *Caput 21. Quiſquis inventus, 17. q. 4. in eodem libro ita inſcribitur: Unde Joannes Papa octavus ſcribit omnibus Epiſcopis. In notis hæc ſunt: In epiſtola manu ſcripta Joannis octavi, ſcripta Epiſcopis, & Abbatibus per Narbonenſem, & Hiſpanicas provincias conſtitutis, præcipitur obſervari lex contra ſacrilegos in concilio Tricaſſinſi edita coram Ludovico Imp. & quinquaginta tribus Epiſcopis. Diverſa autem ſunt iſtius epiſtolæ verba ab iis, quæ recitantur & a Gratiano, & a ceteris collectoribus; ſed eadem ſententia. In marg. eſt: Anſ. l. 8. c. 40. Polyc. l. 6. tit. 10. Ivo par. 3. c. 98. Pann. l. 2. c. 80. & 79. Et verſ. Idem. Si quis domum, ſupra 12. q. 3. ad menſam. Anſ. l. 5. c. 52. Et verſ. Si qui monaſteria. Anſ. l. 5. c. 47. Burc. l. 11. c. 22. Ivo p. 3. c. 124. & p. 14. c. 96. Simile in Meldenſi c. 60*

DIALOGUS X.

De Capitularibus Caroli, & Ludovici, & aliorum Imperatorum.

C. LEGIS Gothicæ heri mentio ſacta eſt Joannis IIX. tempore, quo jam Gothi in Hiſpania regnare deſierant ante annos ſere clxx. An non amiſſo regno leges etiam abrogatæ ſuot? Cur in hoc jubetur concilio, ut in Hiſpania, & Gothia hoc decretum addatur legi Gothicæ? Quid Gallis cum Gothia commune fuit?

A. Nonne vides Narbonenſem Antiſtitem hoc petere? Narbonenſis Gallia aliquando Gothia dicta ſuit, & Gothorum Regibus paruit; poſtea ſe in libertatem vindicavit, & a Francis poſſeſſa eſt. Ea quoque Hiſpaniæ pars quæ Narbonenſi conjungitur, Gothicis legibus diu uſa eſt, quibus & Galli reges, quorum erat tunc ſuprema poteſtas, & Comites Barcinonenſes utebantur, qui poſtea ſummum imperium in his locis obtinuerunt. Neque etiam credas in reliqua Hiſpania leges Gothicas fuiſſe abrogatas: ſervabantur enim a Chriſtianis hodieque extat is liber, quod *Forum judicum* appellatur.

C. Eum librum editum eſſe audivi a Petro Pithœo, & habere te ſcio aliquot hujus libri antiquiora exempla. Eſt ne aliquid ex hoc libro ſumtum apud Gratianum?

A. Unius tantum loci memini, (*a*) in quo de gradibus cognationum agitur, (*b*) quem Iſidori nonnolli eſſe crediderunt. Eſt autem ex Paulli ſententiis, & ex earum veteri interprete. Id caput non credo Gratianum ex Gothicis legibus accepiſſe, ſed ex Burchardo, (*c*) aut Leone, (*d*) aut aliis collectoribus. (*e*) (*f*)

C. De ſeptem libris Capitularium ſcire cupio, a quo ſcripti ſint, & qua auctoritate, & quid auxilii ex eis Gratiano afferri poſſit.

A. Quatuor libros Capitularium Caroli Magni, & Ludovici Pii ejus filii, atque Lotharii & Ludovici F. Caroli Nepotis Anſegiſus Abbas Lobienſis, qoi poſtea Senonenſis Archiepiſcopus ſoit, edidit anno Chriſti DCCCXXVII. Imperii Ludovici Pii anno XIII. Indictione quinta. Primo & tertio libro continentur Caroli Capitularia; ſecundo & quarto Capitolaria Ludovici & Lotharii. Libri ſinguli ita diſtinguuntur, ut primo & ſecundo libro agatur de rebus eccleſiaſticis, aliis duobus de ceteris rebus. Sequuntur tres libri a Benedicto Levita adjecti, quibus prætermiſſa ab Anſegiſo Capitularia eorumdem triom Imperatorum continentur. Ordinem noli abeo expoſcere: contenti ſimus ipſo collectionis opere, & ut ajunt, quod dant, accipiamus. Omnia fere ſine ulla inſcriptione proponuntur, etiam ſi ex aliis libris intelligamus cujus ſint. Hæc ait fuiſſe apoſtolica auctoritate confirmata: nomina Pontificum ſubjicit, præter Leonem, Sergium & Gregorium. Sumſit autem ea ex Moguntina bibliotheca, quæ tribus filiis Ludovici Imperatoris miſit, Ludovico, Lothario, & Karolo regibus.

C. Quæ a te dicta ſunt, eiſdem libris confirmantur, an aliorum auctoritate?

A. Utrumque proferre poſſum. Vide præfationem Anſegiſi lib. 1. *Capitularium*, & alteram Benedicti Levitæ libro v. cujus partem refert Ivo (*f*) libro ſecundo Panormiæ, & parte IV. Excerptorum & liber Cæſaraug. (*g*) Adde Sigebertum in chronicis, & Joannem Trittenhemium. Et quia de auctoritate Capitularium dubitabas, licet verum ſit, hæc fragmenta eſſe conſtitutionum trium Imperatorum a privatis hominibus collecta, tamen, ut Benedictus ait, (*h*) apoſtolica auctoritate confirmata ſunt. Lege etiam verba concilii Meldenſis LXXIIX. „Ut capitula eccleſiaſtica a domno Carolo Magno Imp. nec non & a domno Ludovico Pio Aug. promulgata, obnixe obſervari præcipiantur, ſicut & legalia obſervanda eſſe noſcuntur." & cap. LXXX. ad Carolum Calvum Ludovici Pii filium: „Capitula patris veſtri ſine refragatione de cetero conſerventur, ac capitulis veſtræ religionis ab exiguitatis noſtræ miniſterio oblatis hoc diploma, ſi complacet, adnectatur." Sic multa capita referuntur hujus collectionis in concilio Troslejano, in Ticinenſi, & in Colonienſi ſub Carolo tertio. Leonis IV. ex epiſt. ad Lotharium Aug. verba referunt Ivo, (*i*) & Gratianus, (*k*) & liber Cæſaraug. (*l*) „De Capitulis veſtris, veſtrorumque prædeceſſorum irrefragibiliter cuſtodiendis & conſervandis, quanto valuimus, & valemus

(a) *Vuſigo lib.* 4. *tit.* 1.
(b) 35. *q.* 5. *c.* 6. *primo gradu.*
(c) *Burc. lib.* 7. *c.* 28.
(d) *Ivo lib.* 7. *tit.* 12. *c.* 1. *panor. & par.* 5. *c.* 64. *decr.*
(e) *Tarrac. li.* 1. *c.* 272.
(f) *Ivo lib.* 2. *tit.* 12. *c.* 11. *panor. & par.* 4. *cap.* 174. *decr.*
(g) *Cæſar lib.* 2. *c.* 33.
(h) *Lib.* 7. *c.* 478. *Capitul.*
(i) *Ivo li.* 2. *tit.* 12. *c.* 12. *panor. & par.* 4. *cap.* 176. *decr.*
(k) *Diſt.* 10. *c.* 9. *de Capitulis.*
(l) *Cæſar. lib.* 2. *c.* 61.

„ mus Chriſto propitio, & nunc, & in ævum „ conſervaturos, modis omnibus profitemur. “(2)

B. Exſtant ne integri ſeptem libri Capitularium?

A. Multa deſiderantur, ut notatur in triplici appendice poſt librum quartum, & libro VI. poſt caput CCLXXXIIX. uſque ad CCCXXX. & lib. VII. poſt caput CCCCLXXIIX. ad DLIIX. Adjecta ſunt poſtea duabus collectionibus capita XXVIII. & capita CCXCVI. Ex quo evenit, ut non omnia, quæ Ivo, & Anſelmus, & Deusdedit, & alii collectores in Capitularibus eſſe referunt, inveniantur. Sed tempus eſt, ut Gratiani capita cum hoc libro conferamus.

B. Quæ in legibus Longobardoram eſſe dicuntur ex Carolo & Ludovico, & aliis regibus ſumta, eiſdem verbis ſcripta ſunt, quæ in Capitularibus inveniuntur?

A. Inveni nonnulla, ſed melius ſunt in illis legibus, quod habent ſingula inſcriptiones ſuas, & certis titulis collocata ſunt. Non pauca etiam ex his Capitularibus inveni in conciliis Maguntino, Pariſienſi, Vormatienſi, & aliis. Et ſuſpicor, fontem hunc Capitularium fuiſſe ipſa concilia, atque conventus, in quibus Imperator cum Epiſcopis, & aliis conſiliariis de rebus tam eccleſiaſticis, quam profanis agebant. Sic in concilio Troslejano appellantur conciliorum pediſſequa hæc Capitularia Principum. Apud Gratianum diſtin. LXIII, hanc inſcriptionem invenietis: *Ex primo libro Capitulorum Caroli, & Ludovici Imperatorum*. Eiſdem fere verbis utuntur Deusdedit Cardinalis, & Anſelmus Lucenſis. Exſtat lib. I. Capitularium Caroli cap. LXXXIV. & in additis poſterioribus cap. I. In verbis non magna varietas eſt. Pro, *ut Dei nomine*, illic ſcriptum eſt, *ut in Dei nomine*; & pro *potiatur*, *potiretur*; & pro *præbemus*, *præbuimus*. (3) Ante hoc caput poſitum eſt, quod Gratianus cauſſa XVI. retulit, ex libro Capitulorum Caroli, & Ludovici. Id Anſelmus (a) quoque proximum ſuperiori collocavit, Illic tamen eſt Caroli caput LXXXIII. & in additis poſterioribus in præfatione. Varietas non eſt contemnenda. Pro, *verum etiam Deo opitulante conferre optamus*, ſcribe, *verum etiam multa Deo opit. con. opt*, vocem *multa* habet Anſelmus, ſed pro *optamus* ſcribit *temptamus*, quod reiicio. Pro illis, *ut autem ab Eccleſiaſticis officiis de dividendis rebus eccleſiæ ſuſpicionem*: Anſelmus habet, *tamen ut ab eccleſiaſticis de non vendendis rebus eccleſiæ ſuſpicionem*. Libro primo Capitularium eſt: *tamen ut ab eccleſiaſticis de non dividendis rebus illius ſuſpicionem*: & in additis eadem verba ſunt, excepta voce *illius*, pro qua eſt, *illius eccleſiæ*, aptius.

[Diſt. 63. cap. 34. ſacror. Deuſd. c. 1. Anſ. lib. 4. c. 44.]

[16. q. 1. cap. 59. quia juxta.]

B. Non dubium eſt, quin vox *officiis* tolli debeat; cetera ferre poſſem.

A. Poſt vocem *temporibus* deſiderantur hæc, *qui noſtram, vel progenitorum noſtrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint*: quæ etiam Anſelmus omiſit. (4) Quod apud Gratianum ita inſcribitur: *Unde in libro Capitulorum clxxv. cap. legitur. Si quem pœnituerit* &c. (5) ex interprete Codicis Theodoſiani ſumtum eſt lib. IX. tit. *de abolitionibus conſtit.* I. quæ ſecunda eſt in Codice Juſtiniani. Apud Ivonem quoque inſcriptio mendoſa eſt cap. XX, Pro, *ſi cum accuſato*, ſcribendum, *ſi ei cum accuſato*. Pro illis, *per obreptionem convenerit de colludio*, &c. illic eſt, *per corruptionem de abſolutione reatus convenerit, is qui reus probatur, remoto colludio pœnam excipiat* &c. Hæc etiam verba non recte Ivo retulit. Cetera dicentur alio die: hodie penſum abſolvimus.

ADDITIONES.

(1) *Libro priori, dialogo, 6. addit. 4. retulimus, quid in editione Romana de inſcriptione, & notis c. 6. Primo gradu. 35. q. 5. ſcribatur.*

(2) *De inſcriptione capitis noni, De capitulis, diſtin. 10. actum eſt lib. 1. dial. 19. addit. 12.*

(3) *Inſcriptio capitis 34. Sacrorum canonum, diſtin. 63. in eodem libro hæc eſt: Item ex primo libro capitulorum Caroli, & Ludovici Imperatorum c. 84. In marg. eſt; al. Capitularium. Et Anſ. l. 6. c. 6.*

(4) *Hæc etiam eſt in eodem libro inſcriptio cap. 59. Quia juxta, 16. q. 1. Item ex libro primo capitulorum Caroli, & Ludovici Imperatorum c. 83. In marg. eſt: Deusdedit p. 3. Anſ. l. 4. c. 43. Pro Ut autem. eſt, al. tamen ut. In notis eſt: Eccleſiaſticis) Sequebatur, officia, quæ vox neque in vetuſtis, neq. in ipſo capitulari eſt: refertur enim ad homines, non ad officia. Dividendis.) In capitulari impreſſo legitur, non dividendis. In capitulis autem manu ſcriptis, quæ ab Epiſcopis provinciarum Romenſis, & Rotomagenſis Ludovico regi miſſa fuerunt, hæc habentur ad hunc locum pertinentia: Quia vero Carolus Princeps Pipini regis pater, qui primus inter omnes Francorum reges ac principes, res eccleſiarum ab eis ſeparavit atque diviſit, pro hoc ſolo maxime eſt æternaliter perditus. Nam S. Eucherius Aurelianenſis Epiſcopus &c. Hujus hiſtoriæ mentio etiam eſt in vita B. Eucherii Epiſcopi Aurelianenſis & B. Rhigoberti Archiepiſcopi Remenſis. Qualis vero eſſet hujuſmodi eccleſiaſticorum bonorum diviſio, quam Carolus Martellus induxit, Pipinus autem, & Carolus Imperator prohibuerunt, eodem libro capitularium ante capitulum iſtud 83. ſic exponitur: Tempore Hadriani Papæ, & Karoli Magni Imper. &c.*

(5) *Ante caput octavum, Si quem pœnituerit, 2. q. 3. in eodem libro hæc verba ſunt: Unde in libro capitularium c. 175. legitur. Et in marg. eſt: Cod. Theod. li. 9. tit. 37. c. 1. in interpretatione. Et Ivo p. 16. c. 251. In notis eſt: Per obreptionem) Apud Ivonem legitur, factum per corruptionem conſenſum, de colludio pœnam excipiat legibus conſtitutam. Sed in interpretatione legis primæ, quæ eſt in Codice Theodoſiano, hoc modo, per corruptionem de abſolutione reatus convenerit, is qui reus probatur, remoto concludio pœnam excipiat legibus conſtitutam.*

DIALOGUS XI.

De eadem re.

C. LATINAM ne vocem, an barbaram eſſe dicemus Capitulare: ſive Capitularia?

A. An non recte deducitur a capite capitale crimen, & capitalis homo?

C. Recte.

A. Sic igitur a capitulo *capitularis*, & *capitulare* pro *capitulalis*: quod ineptum eſſet. Sic etiam a ſæculo ſæcularis, ab angulo angularis dicitur.

C. Quis ex veteribus Latinis hac voce uſus eſt?

A. Non omnium veterum libros habemus: ex illis deperditis exiſtima hanc erutam vocem fuiſſe.

Acta

(a) *Anſ. d. li. 4. c. 43.*

Digitized by Google

Acta capituli multi capitularia dicunt, & ſyndicum capituli capitularem: non ineptiſſimum id quidem videtur.

C. Qui librum capitularem dicunt, quod capituli ſit, minus peccare videntur quam qui ideo volumen capitulare dicunt, quod in multa dividatur capitula, & quaſi collectio ſit multorum capitulorum.

A. Non igitur de voce ipſa quærendum fuit, an eſſet Latina, ſed de uſu vocis in hac notione? Et mihi quidem a barbaris inductum eſſe arbitror Caroli, & Anſegiſi, & Theodulfi temporibus. Sed ut ad Gratianum redeamus: is hac voce uſus eſt cauſſa xi. cap. xxxix. Nam poſt duas conſtitutiones relatas ſic ait: „ Hæc ſi quis antiquata contendat, quia in Juſtiniani Codice non inveniuntur ita inſerta: per Carolum renovata cognoſcat, qui in ſuis Capitularibus ait inter cetera: „ Volumus, atque præcipimus &c. „ Sic etiam Anſelmus inſcripſit; *In Capitularibus Caroli Imperatoris*. In libro Cæſaraug. inſcriptio deſideratur. Exſtant hæc verba in lib. vi. Capitular. cap. cclxxxi.

11. q. 1. c. 38. volumus.

Anſ. lib. 3. c. 105. Cæſ. lib. 5. c. 53.

B Caroli eſſe hoc caput ego dubito, cum liber ſextus, ut heri dicebas, Benedicti Levitæ ſit, qui Caroli, Ludovici, & Lotharii capita collegit ab Anſegiſo prætermiſſa, neque diſtinxit ſingula cujus eſſent.

A. Si nolis fidem habere Anſelmo, & Gratiano hoc dicentibus, ego te aliis probationibus non convincam. Niſi forte multitudine nominum urgearis, qui Carolo potius, quam ceteris ſubditis ſe eſſe patiantur. Romani, Franci, Alamanni, Bajuvarii, Saxones, Thuringii, Freſones, Galli, Burgundiones, Britones, Longobardi, Vaſcones, Beneventani, Gothi, Hiſpani.

B. De Lothario facile cedam hac in re; at de Ludovico difficilius in primis præſertim Imperii annis poſt mortem patris. Sed cur heic Franci a Gallis ſeparantur, & a Romanis Longobardi, & Beneventani, inter quos Vaſcones interponuntur?

A. Romanos omnibus præferri ab Imp. Romanorum mirandum non eſt: Francos Germanos fuiſſe creditur, & regale nomen diu in Gallia obtinuerunt, unde reges Francorum dicebantur, atque dicuntur, ut Gothi in Hiſpania reges Gothorum. Gallos fortaſſe vocat Italos ex Gallia togata. Cur Vaſcones poſt Longobardos poſuerit, bellorum ordinem ſecutum fuiſſe credo: illis enim victis male pugnavit cum Vaſconibus. Extremi ponuntur Beneventani, Gothi, & Hiſpani, ut qui longius a ſede Imperii abeſſent.

B. Beneventum a Romana urbe propius abeſt, quam Vaſcones.

A. Non hanc ſedem Imperii ſtatuo, ſed Pariſiorum urbem, aut Aquiſgranum.

C. Gothos intelligis Gallos, an Hiſpanos, an ex ultima Gothia, quæ olim Scandinavia dicebatur?

A. Ex Narbonenſi provincia, & illi conjuncta parte Hiſpaniæ, ut heri diximus. Sed de varietate verborum videamus. Pro, *ditioni noſtræ*, illic eſt, *noſtræ ditioni Deo auxiliante*. Pro *quocunque eſt*, *licet quocumque*. Pro voce *aſtricti*, & voce *annexi*, illic eſt, *conſtricti*, & *connexi*. Pro, *ex xvii.* quod etiam eſt in Capitularibus, videtur ſcribendum, *ex xvi.* ut eſt in Codice Theodoſiano Cujacii. Pro *Blavii*, ſcribe *Ablavii*. Pro illis, *quam illi, & omnibus per ſcripturam miſimus*, illic eſt omiſſa voce *quam*, *illi & omnibus reſcriptam ſumſimus*. Ante verbum *poſuimus*: adde, *tam clericorum, quam & laicorum*. Pro, *lege cuncti perpetua teneant*, illic eſt, *lege cunctis perpetuo tenendam*; ſed utrumque diſplicet. Anſelmi, & Ceſaraug. varietatem cognoſcamus.

B. Hæc poſtrema verba Gratiani agnoſcunt: illud recte utrobique eſt. *Deo auxiliante*, & *ex xvi.* & *Ablavii*, & *conſtricti*, & *connexi*: in ceteris favent Gratiano. Sed quid tu pro illis verbis extremis ſubſtitueres?

A. *Imp. Conſtantinus Aug. Ablavio P.P. Quicumque itaque* &c.

B. Quæ ſimilitudo eſt inter has, & illas voces?

A. Nulla prorſus, niſi forte aliud C. noſtro videatur.

C. Id cogitabam. Pro, *lege cunctis*, *Imp. Conſt.* ſerri potuit, præſertim ſi *l.* pro *lege* ſcribas. Vox *perpetua* in P.P. converti poteſt. Voci *teneant*, aut *tenendam*, non video eſſe locum: niſi ex voce fiat extrema *Conſtantinus*.

A. Finge fuiſſe ſcriptum, *tenendam perpetua*, aut pro P.P. Pr. Prat. (1)

B. Cur Theodoſius appellatur a Gratiano (*a*) hujus conſtitutionis ſcriptor?

A. Quia in Codice Theodoſiano eſt. Sed melius Ivo, (*b*) & Anſelmus (*c*) ex Capitularibus ſumſerunt, quamvis numerus mendoſus ſit.

B. Cur dividuntur illa verba, (*d*) *Omnes itaque cauſſæ* &c. a ſuperioribus, cum in conſtitutione Conſtantini conjuncta ſint?

A. Inepte factum exiſtimo. Sed & ſeparata Ivo (*e*) in Panormia retulit Imp. Theodoſii nomine adſcripto.

C. Cur cap. xi. appellatur, quæ conſtitutio prima eſt ſub tit. xii. de *epiſcopali judicio*?

A. Cujacius fatetur, extra ordinem eum titulum ſe inveniſſe: Carolus fortaſſe non *capitulum xi.* ſed *titulum* ſcripſit (2): Alia capita perquiramus. Cauſſa xvii. quæſt. iv. duo capita ſunt ex Capitularibus ſumta. Prioris inſcriptio eſt; *Item ex libro v. Capitularium*. Poſterioris; *Item ex eodem lib. vi.* Cap. illud eſt libro tertio cap. xxv. hoc lib. vi. cap. xc. Capitularium. Caroli legem eſſe illam conſtat, tum ex Anſegiſo qui eam libro iii. retulit, tum ex lib. i. tit. ix. de homicidiis liberorum hominum legum Longobardorum. Utrumque caput refert Ivo in Panormia, & in Excerptionibus & liber Cæſaraug. (*f*) ex Capitularibus, ſed aliis verbis ex concilio apud Theodonis villam, quod exſtat, Burchardus, (*g*) & Ivo (*h*) in Excerptionibus. Varietas in Gratiani, & aliorum verbis hæc ſola eſt, quod in Capitularibus additur poſt illa, *Qui monachum*, *CCCC. ſolid. calp. jud.* quæ mihi interpretari non licuit: forte ſcribi debuit, *comp. jud.* pro *compoſitione judicetur*.

17. q. 4. c. 27. qui ſubdiaconum & c. 28. qui occideris.

Ivo lib. 8. tit. 2. c. 2. panorm. & par. 10. c. 9. & 10. decr.

B. Quod de presbytero occiſo dicitur, ut DC. ſolidis componat, ſimile eſt illi, quod Joannes IIX. Carolum conſtituiſſe referebatur. (*i*)

A. Recte admones; ſed in concilio apud Theodonis villam non de occiſo, ſed de vulnerato id ſtatuitur: & ut C. noſter novum verbum diſcat, recitet ex Burchardi libro quem habere video, concilii verba.

C. *Si quis presbyterum calumniatus fuerit, & ſpaſſaverit* &c. alio capite: *Si presbyterum quis male tractaverit, & ſpaſſaverit* &c. Monſtri genus videtur hæc vox, quæ ſi a ſpatha deducitur, *ſpathaverit* ſcribi debuit: ego *vulneraverit*, maluiſſem, aut *ſauciaverit*.

A. Sit ita, per me licet. (3) De illo videamus, quod eſt de conſecratione diſt. iv. (*k*) *Monachi ſibi compatres, commatreſve non faciant, nec oſculentur feminas.* Id ex libro Capitulorum inſcripſit Gratianus & Capitulorum lib. vi. cap. ccccxxiv. Ivo (*l*) in Panormia veteri. In edita eſt, *epiſtolar. tit. vii. cap. xv.* & in Excerptionibus, *Capitularium lib. vii. cap. ccccxciv.* Sic etiam eſt in libro Cæſaraug. (*m*) & in titulis capitum libri vii. Capitularium. Ipſius enim capitis verba deſiderantur. (4) In eadem diſtinct. caput cxxvi. (*n*) ita inſcri-

(a) *11. q. 1. c. 36. quicumque.*
(b) *Ivo par 16. cap. 312. decr.*
(c) *Anſelm. d. c. 105.*
(d) *c. 37. c. q. omnes.*
(e) *Ivo li. 5. tit. 1. c. 1. panor.*
(f) *Cæſ. libr. 7. c. 7.*
(g) *Burc. li. 6. c. 5. & 6.*
(h) *Ivo par. 10. c. 134. & 135. decret.*
(i) *Dialo. 9.*
(k) *De conſecr. d. 4. c. 104. monachi.*
(l) *Ivo li. 1. tit. 2. c. 74. panorm. & par. 1. c. 133. decr.*
(m) *Cæſ. lib. 9. c. 42.*
(n) *De conſecr. d. 4. c. 126. in Sabato.*

inſcribitur: *Item Capitulorum* libro v. cap. l.xxvi. & apud Ivovem (*a*) in Panormia edita Cypriano adſcribitur libro vi. cap. lxxvii. ſed in veteri eſt, Capitulorum lib. vi. cap. lxxvii. & in Excerptionibus, excepta prima voce, pro qua eſt *Capitularium*. Id confirmatur ipſo libro Capitularium. (5) Extremum ſit diſtinct. v. cap. xxxiv. quod Gratianus inſcripſit, (*b*) *Item libro v. Capitulorum*, & Ivo, (*c*) *libro v. Capitulorum cap. clxxxv.* Sed in A ipſo libro Capitularium bis eſt, lib. v. cap. cxv. & libro vii. in additis cap. clxxiii. Eadem verba ſunt concilii Maguntini cap. ix. quod ſub Carolo Magno Imp. habitum eſt. Ejus concilii xxv. capita ſunt in Capitularibus, (6). Hæc ſint de Capitularibus dicta. Cras velim de Nicolai Papæ primi epiſtolis agamus. Te enim attuliſſe quaſdam ex veteri libru deſcriptas cognovi.

ADDITIONES.

*(1) G*Ratiani verba ſunt ante caput 37. Romanis, cujus initium, Volumus, 11. q. 1. Hæc ſi quis antiquata contendat (&c. ut in dialogo) per Carolum renovata cognoſcat, qui in ſuis capitularibus l. 6. c. 281. ut inter cetera. In marg. eſt: Anſ. ibid. (hoc eſt, l. 3. c. 108.) In notis eſt: Reſcriptam ſumſimus) Sic eſt emendatum ex capitulari. Antea legebatur,* per ſcripturam miſimus. *Ad illa verba,* lege cunctis perpetua teneant, *additur in marg.* lega cunctis perpetuo tenendam) *orig. In ſcholiis: Capitularibus) Id eſt, in Longobarda, non tamen invenitur, quæ in ea nunc eſt, ſed in Gallia. Gentium nomina hæc ſunt: tam Romani, quam Franci, Alemani, Bavari, Burgundiones, Saxones, Turingi, Friſones, Galli, Brittones, Longobardi, Guaſcones, Beatvenani, Gothi, Hiſpani. De aliis verbis videatur editio Romana.*

(2) Eadem q. 1. inſcriptio cap. 35. Quicumque litem, in eodem libro eſt: Unde Theodoſius Imperator. In marg. hæc ſunt: Cod. Theodoſ. l. 16. de epiſcopali judicio, l. 1. par. quicumque ent. de judic. c. novit. Capitul. l. 6. c. 281. Anſ. l. 3. c. 108. Ivo p. 16. c. 312. In extremo capite additur in notis: Dirigatur) In Cod. Theodoſiano lib. 16. tit. de epiſcopali judicio, l. prima, quæ repetitur lib. 6. capitul. c. 281. & in concilio tertio Valentino ſub Lothario, & apud Ivonem, & Anſelmum ſequuntur hæc: Multa enim, quæ in judicio captioſæ præſcriptionis juricula non patiuntur, inveſtiget, & promit ſacroſanctæ religionis auctoritas; ac ſtatim B *adnectitur caput ſequens: Omnes itaque cauſæ. Ante caput 36. Omnes, ejuſdem quæſtionis eſt tantum: Item ibid. Et in marg. Capitul. ibid. Anſ. ibid. Ivo ibid. Pann. l. 5. c. 23.*

(3) Capitis 27. Qui ſubdiaconum, 17. q. 4. in eodem libro inſcriptio eſt: Item ex lib. 3. Capitul. c. 25. in marg. ſunt hæc: Et in conc. Troslejano c. 13. & inter leges Longobard. tit. de homicid. lib. hominis, l. 27. Pan. l. 8. c. 7. Burc. l. 6. c. 5. Ivo p. 10. c. 9. & 134. ſimilia quædam. Inſcriptio cap 28. Qui occiderit, ejuſdem quæſtionis eſt: Item ex lib. 6. Capitul. c. 92. Et in marg. Ivo p. 10. c. 10 Pann. l. 8 c. 8.

C *(4) In eodem Romano libro inſcriptio cap. 104. Monachi ſibi, de conſecr. diſt. 4. hæc eſt: Item ex libro Capitulorum. In marg. eſt: Ivo par. 1. c. 133. Pann. l. 1. c. 81. In notis: In indice ſeptimi libri Capitularium numero 494. (nam capita ipſa a 475. uſque ad 558. in volumine quod ex Gallia habitum eſt, deſiderantur) hæc leguntur: Ne ſibi compatres, & commatres monachi faciant.*

(5) Ante caput 126 In ſabbato, c. diſtin. hæc in eodem libro verba ſunt: Item Capitularium lib. 6. c. 77. in marg. eſt: Ivo par. 5. c. 112. Pann. l. 1. c. 103.

(6) Hæc etiam eſt in eodem libro inſcriptio cap. D *34. In omnibus de conſecr. diſt. 5. Item in lib. 5. Capitul. c. 115. In marg. eſt: Et in Moguat. ſub Carolo c. 9. Ivo p. 6. c. 402. In notis; Miniſtris) In originali, & apud Ivonem eſt magiſtris. Sed ob gloſſam non eſt emendatum.*

DIALOGUS XII.

De Nicolai primi epiſtolis, & reſponſis.

A. IN conciliis Coloniæ editis duæ tantum Nicolai epiſtolæ ſunt, quarum prior eſt ad omnes catholicos, cujus initium, *Quæ apud C. P. urbem*; poſterior ad Michaelem Imp. cujus initium, *Propoſueramus quidem*. Sequitur has collectio fragmentorum Nicolai reſcriptorum ex Gratiano in xx. titulos diviſa. In epiſtolis Nicolai in urbe Roma editis xvi. epiſtolas inveni, & alia quædam fragmenta. Repetitæ ſunt illæ duæ, & aliæ xiv. ad cauſſam Ignatii, & Photii pertinentes. Omnes, ſex exceptis, exſtant Græce, & Latine in octava ſynodo, quamvis Græca ſunt breviora, Latina pleniora. In fragmentis editis cum illis xvi. epiſtolis, agitur de abroganda Metenſi ſynodo, de depoſitione Thietandi Treverenſis, & Guntbarii Colonienſis Archiepiſcopi ob cauſſam Lotharii regis, & duarum mulierum, Thietbergæ, & Waldradæ, & ob ſententiam in Engeltrudem uxorem Buſonis non ſervatam. Item de reliquis Epiſcopis dictorum Archiepiſcoporum complicibus & de eadem Engeltrude, quæ a viro diſceſſerat. Poſtremo de ſententiis, & interdictis Apoſtolicæ ſedis. Additur his epiſtolis, & fragmentis ex Regino ne, & Sigeberto hiſtoria, & ex Othone Epiſco- E po Friſingenſi. Inſeritur pars epiſtolæ Nicolai ad Carolum regem de eadem cauſſa regis Lotharii, & Thietbergæ reginæ: item pars epiſtolæ ad omnes Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ de excommunicatione Waldradæ pellicis: & pars epiſtolæ ad eumdum Lotharium regem de eadem cauſſa. Nunc quid tu adferas, ſcire cupio.

B. Reſponſorum Nicolai ad conſulta Bulgarorum capita cvi.

C. Edita ſunt nuper cum Clementis conſtitutionibus Latinis, & cum Arabicis Nicænæ ſynodi capitibus xxc.

B. Conferri poterit uterque liber. Alio volumi- F ne continentur Nicolai epiſtolæ plus minus ſexaginta, in quibus nonnullæ ſunt de cauſſa eadem Lotharii regis: primæ autem ad cauſſam Rotbadi Epiſcopi Sueſſionenſis male ab Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo depoſiti pertinent.

C. Hac quoque de re nuper editæ ſunt xvi. Nicolai epiſtolæ in appendice bibliothecæ ſanctorum Patrum.

A. En his omnibus videndum nobis eſt, quam opem Gratiano adferamus. Et percurramus, ſi placet, titulos xx. ex Gratiano, cum conciliis, ut di-

(a) *Ivo li. 2. tit. 2. c. 96. & dec. & par, 2. c. 212. dec.*

(b) *De conſecr. d. 5. c. 34. in omnibus.*

(c) *Ivo par. 6. c. 402. decret.*

Digitized by Google

ctum eſt, editos. Titulo I. duo capita ſunt, de quibus aliquando egimus. (*a*) Cap. I. diſtin. x. (*b*) quod eſt in appendice epiſt. LV.

B. In veteri libro epiſt. II. Deſiderantur enim epiſt. I. ad Hincmarum, & pars epiſt. II. ad eumdem & epiſt. III. ad Carolum regem.

A. Diſtinctionis XII. caput V. (*c*) inveniri G. dicebat in epiſt. LIIX. Nicolai ad Hincmarum Archiepiſcopum, & alios, cujus initium, *Omnium nos portare*.

B. Is numerus convenit cum hoc veteri libro. In appendice ea epiſtola non eſt. (1)

Diſt. 8. c. 3. mala. A. Titulo II. tria capita ſunt. I. eſt diſtin. XIX. cap. III. quod ex epiſt. ad eumdem Hincmarum eſſe dicitur.

B. Id inveni epiſt. XXXII. cujus initium, *Epiſtolam Beatitudinis tuæ*, quæ longior eſt, prope finem. Ex ea pro *impiis* ſcribendum *improbis*, & vox *compreſſe* in *compreſſæ* mutanda eſt, & pro *abiicienda & vitanda eſt*, tantum legi, *vitanda eſt*.

A. Quid Ivo, (*d*) & liber Cæſarauguſt. (*e*) habent?

B. Ivo in Panormia voce *abiicienda* caret: vocem *impiis* retinet; & *compreſſe*. Idem in Exceptionibus vocem *compreſſæ* habet: cetera ut in Panormia.

C. In Cæſaraug. vox *abiicienda* non eſt, neque illa, *ab impiis*: vox *compreſſe* eſt. Sed in eo libro diphthongorum ratio non habetur. Cur in margine addunt Demochares, & Contius: *Auguſtin. lib. III. cap. VI. contra Donatiſtas?*

B. Erratum eſt in Contianis libris; nam Demochares recte prope caput IV. *Veritate*, addi juſſerat. (2)

A. II. caput eſt de quo G. dixerat. (*f*) Caput tertium diſtin. XII. (*g*) cujus pars incerta eſt, pars ſumitur ex epiſt. Nicolai ad Photium edita Romæ, quæ & jam lecta eſt in ſynodo IIX. (3) Caput III. eſt diſtin. XXI. caput VI. (*h*) ex epiſt. Nicolai ad Michaelem Imp. cujus initium, *Propoſueramus*, quam extare diximus in conciliis, & in editione Romana. Hoc etiam caput referunt Ivo, (*i*) & Anſelmus, (*k*) & liber Cæſaraug. (*l*) Tituli tertii capita XVI. ſunt. Primum eſt ejuſdem XXI. diſtinct. caput IV. (*m*) quod non recte Gratianus adſcribit Nicolao ad CP. Epiſcopum: eſt enim ex eadem epiſtola ad Michaelem Imp. ut etiam Demochares notat, & aliqua verba ſunt Ennodii a Nicolao relati, quem vocat Ticinenſem Epiſcopum.

B. Is eſt Ennodius, qui laudatur in ſynodo Romana contra Symmachum Papam?

A. Idem eſt ut ex hac epiſtola Nicolai, & ex dictato Gregorii VII. elici poteſt. Alterum caput (*n*) ex eadem epiſtola eſt, ut recte Demochares notat, licet tantum adſcripſerit Gratianus vocem *Idem cap.* V. ejuſdem diſtin. Tertium quoque caput (*o*) ex eadem eſt, & Gratianus poſt Ivonem, (*p*) & Anſelmum (*q*) Nicolao ad Michaelem Imp. adſcribit. Quartum etiam, & quintum ex eadem eſt, & a Gratiano (*r*) in eadem diſtinctione conſcriptum.

C. Poterat, ſi ex fonte hauſiſſet, uno capite omnia verba referre. Sic ordinem quoque epiſtolæ ſervaſſet, quod minime fecit.

A. In extremo quarto capite, quod Gratiano eſt IIX. *præſtolandum*, eſt in conciliis, quod malo, quam *poſtulandum*. Quintum refert præter Ivonem, (*s*) & Anſelmum (*t*) Hadrianus Minor in epiſt. ad Ignatium CP. lecta in IIX. ſynodo actione tertia. (4) Caput ſextum ſumitur ex cauſſa II. quæſt. II. capite etiam II. (*u*) quod Gratianus Nicolao Papæ adſcribit: addit Joannes Cochlæus Carolo regi Francorum. Alibi (*x*) idem Gratianus *Carolo imperatori* ſcripſerat in ſimili re, atque adeo in eadem. Sed malo credere utrumque falſum eſſe, & utriuſque capitis verba eſſe Iſidori Mercatoris in præfatione conciliorum. (5) VII. caput (*y*) ex illa ad Michaelem Imp. epiſt. eſt, ut Gratianus refert. (6) IIX. & IX. (*z*) incerta ſunt, licet Gratianus inſcripſerit, *Nicolaus Papa Gallioni Archiepiſcopo Senenſi*. X. caput (*a*) incertum etiam eſt, male *Nicolao ad Iſmarum Remorum Archiepiſcopum* inſcriptum a Gratiano. Semper autem eſt Hincmarus in veteribus libris ſcriptus. (7) Verior eſt inſcriptio capitis XI. apud Gratianum (*b*) & Ivonem, (*c*) & Anſelmum, (*d*) cum ſit ex illa epiſt. Nicolai ad Michaelem Imp. ex qua etiam eſt caput XII. (*e*) (8) Quod ſequitur caput XIII. Gratianus (*f*) *Nicolao Papæ* adſcribit, additque Cochlæus, *Carolo regi Francorum*. Vide an ſit in veteri libro.

B. Eſt epiſt. XX. ad Carolum regem incipiens *Numquam*, vel *Nil æque*: ex qua alia capita ſunt apud Gratianum. In verbis nulla eſt varietas. (9)

A. Caput XIV. ſumitur ex illa magna epiſtola ad Michaelem, quod etiam Ivo, (*g*) & Gratianus (*h*) notant. Sed Nicolaus refert Cæleſtini Papæ epiſtolam ad Epiſcopos Orientis cap. XII. Græce, cap. VII. Latine in concilio Epheſino relatam. (10) Caput XV. (*i*) diximus Iſidori eſſe Mercatoris verba in præfatione conciliorum, & non eſſe Nicolai ad Carolum regem. Caput XVI. ex Reginone didicimus ſumi ex epiſtola Nicolai ad Carolum. Et quia eſt hoc caput proximum ſuperiori apud Gratianum, (*k*) veriſimile videtur inſcriptionem hujus capitis in illud recidiſſe.

B. Ita eſt, ut ſuſpicaris: namque hæc eſt illa ad Carolum epiſtola XX. ex qua dixi alia quoque eſſe capita apud Gratianum. Id etiam Burchardus (*l*) & Ivo (*m*) notant.

A. De varietate videamus.

B. Pro illis, *judicium agitandum ſit, nulla ratio patitur*: illic eſt, *judicium ſit agendum, nulla ratione patet*. Pro *Theobergam* eſt *Teupergam*. Pro illis, *poſſe inire certamen*, illic plura ſunt, *poſſe legalem inire conflictum, vel legitimum controverſiæ ſubire certamen*. Pro illis, *Itaque etiam locus*, illic eſt, *Inter quos etiam locus*. Pro, *nulla vie mul-*

(a) *Lib. 1 dialog. 19. & 20.*
(b) *c. 1. diſt. 10.*
(c) *Diſt. 12 c. 5. ridiculum.*
(d) *Ivo lib. 2. tit. 12. c. 28. panor. & par. 4. cap. 203. decr.*
(e) *Caſ. libr. 1. c. 14.*
(f) *Libro 1. dial. 20.*
(g) *Diſt. 12. c. 3. ſcis ſancta.*
(h) *Diſt. 21 c. 6. deniq.*
(i) *Ivo par. 5. c. 17. & par. 6. c. 353. decr.*
(k) *Anſ. lib. 7. c. 144.*
(l) *Caſ li. 8. c. 26.*
(m) *Diſt. 21. c. 4. inferior.*
(n) *Diſt. 21. c. 5. nolite.*
(o) *Diſt. e. c. 7. nunc autem.*
(p) *Ivo li. 4. tit. 1. c. 6. Panor. & par. 5. c. 8. decr.*
(q) *Anſel. lib. 2. c. 67.*
(r) *Diſt. ea. c. 8. ſubmittitur, & c. 9. in tantum.*
(s) *Ivo li. 4. tit. 1. c. 6. Panor. & par. 5. c. 8. decr.*
(t) *Anſ. li. 2. c. 67.*
(u) *2. q. 2. c. 2. omnes.*
(x) *33. q. 2. c. 3. hiſtoria.*
(y) *3. q. 5. c. ult.*
(z) *3. q. 9. c. 12. revera, & c. 14. indicas.*
(a) *e. q. c. ult.*
(b) *4. q. 1. c. 2. quod autem.*
(c) *Ivo li. 4. tit. 7. c. 20. Panor. & part. 14. c. 70. decr.*
(d) *Anſ. lib. 1. c. 72.*
(e) *4. q. 4. c. ult.*
(f) *6. q. 4. c. 6. quod bene.*
(g) *Ivo li. 3. tit. 5. c. 11. Panor. & part. 14. c. 58. decr.*
(h) *24. q. 1. c. 35. ait.*
(i) *33. q. 2. c. 3. hiſtoria.*
(k) *e. q. c. 4. ſive.*
(l) *Burc. li. 9. c. 52.*
(m) *Ivo par. 8. c. 116 decret.*

multitudinis formidatur, eſt, *nulla ſit vis multitudinis formidanda*.

A. Quid ex his Burchardus recipit?

C. *Iudicium ſit agitandum, nulla ratio patet. Thietbergam, & poſſe iure conflictum, vel legitimum controverſiæ inire certamen, & Inter quos etiam locus, & nulla ſit vis multitudinis formidanda*.

A. Ivo videatur, & Reginon.

B. *Patitur*, *Theibergam*, habet Ivo, cetera ut Burchardus: *agitandum* pro *agendum*. Reginon libro II. Chronicor. *Thietbergam*, pro *Theutbergam*, & *nulla vis*, pro *nulla ſit vis*; cetera ut in epiſt. xx. (11)

A. De aliis titulis poſtea agendum erit; nunc valetudini conſulamus.

ADDITIONES.

(1) DE *inſcriptione cap.* 1. *diſtin.* 10. *ſcriptum eſt lib.* 1. *dial.* 19. *addit.* 10. & *de capite* 5. *Ridiculum. diſt.* 12. *lib.* 6. *dial.* 20. *addit.* 8.

(2) *Caput tertium Mala. diſt.* 8. *in eod. libro Romano ita inſcribitur: Item Nicolaus Papa Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo. In marg. eſt: Ivo p.* 4. *c.* 203. *Pan. l.* 2. *c.* 28. *Et in notis: Caput hoc eſt ex epiſtola Nicolai, quæ incipit, Epiſtolam Fraternitatis tuæ: extatque una cum aliis ejuſdem, & aliorum Pontificum epiſtolis manuſcriptis Romæ in bibliotheca monaſterii Dominicanorum, ex qua hoc caput emendatum eſt. Voces* vitanda, & improbis, & compreſſæ *edita ſunt*.

(3) *Libro* 1. *dial.* 20. *addit.* 7. *ſcriptum eſt de inſcriptione capitis* 3. *Scit ſancta, diſt.* 12.

(4) *Inſcriptio capitis ſexti, Denique, diſtinct.* 21. *in eodem libro hæc eſt: Idem Nicolaus Papa eadem epiſtola. (Eſt autem capite quarto Inferior. ſcriptum. Unde Nicolaus Papa ad Michaelem Imp. in epiſtola, cujus initium eſt, Propoſueramus.) In marg. eſt: Anſ. l.* 7. *c.* 144. *Ivo par.* 5. *c.* 17. & *par.* 6. *c.* 355. *Capitis quinti, Noltte nos, inſcriptio eſt: Idem eadem epiſtola. Et capitis ſeptimi, Nunc autem. Idem eadem epiſtola. In marg. hæc ſunt: Polyc. l.* 1. *tit.* 20. *Anſ. l.* 2. *c.* 67. *al.* 65. *Ivo par.* 5. *c.* 8. *Pana. l.* 4. *c.* 6. *Capitis octavi, Submittitur, inſcriptio hæc eſt: Idem Nicolaus eadem epiſt. In marg. eſt: Polyc. l.* 1. *tit.* 20. *Anſ. l.* 2. *c.* 65. *Ivo par.* 5. *c.* 8. *Pan. l.* 4. *c.* 6. & 7. *Et in extremo capite additur in marg. In concilio Chalcedonen. actione* 5. *Et in notis: In contumacia. Hinc uſque ad verbum* ponens *addita ſunt ex originali*.

(5) *Ante caput ſecundum Omnes,* 2. *q.* 2. *in eodem libro ita ſcriptum eſt: Item Nicolaus Papa. Et in marg. eſt:* 33. *q.* 2. *hiſtoria, p. hæc omnes. In præfatione Iſidori in collectionem ſuam. Inſcriptio cap.* 3. *Hiſtoria,* 33. *q.* 2. *hæc eſt: Item Nicolaus Papa Carolo regi. In marg. eſt: In præfatione Iſidori in volumen conciliorum. In notis: Hujus mulieris meminit Juſtinus in primo Apologetico pro Chriſtianis, & Euſebius eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib.* 4. *c.* 16. *Verba quidem hujus capitis in epiſtolis Nicolai impreſſis, aut manu ſcriptis non ſunt inventa: ſed habentur fere eadem in præfatione Iſidori in ſuam canonum collectionem. Præſtat tamen Juſtinum, & Euſebium adire. Fortaſſe autem in hoc caput translatus eſt titulus ex ſequenti*.

(6) *Extremi capitis, cujus initium eſt, Quod ſuſpecti,* 3. *q.* 5. *in eodem libro inſcriptio eſt: Unde Nicolaus Papa ſcribit Michaeli Imperatori in epiſtola, quæ incipit (Propoſueramus) In marg. eſt: Ivo p.* 5. *c.* 55. *In notis multa ſunt animadverſione digna. (Vid. dial.* 2. *lit.* 1. *add.* 9.)

(7) *Caput* 12. *Re vera,* 3. *q.* 9. *in eodem libro ita inſcribitur: Item Nicolaus Papa Galloni Archiepiſcopo Senenſi. In marg. eſt: al. Senonenſi. Sententia habetur in epiſt. Nicolai ad Epiſcopos, qui in Convicinum convenerant, nuper impreſſa, Inſcriptio cap.* 14. *eſt: Item Nicolaus Papa Galloni Senenſi Archiepiſcopo. Indicas Hermannum, &c. in marg. eſt: al. Senonenſi, & al. Hermannum. Capitis extremi inſcriptio eſt hæc: Item Nicolaus Papa Hincmaro Remorum Archiepiſcopo. Neceſſe eſt &c.*

(8) *Hæc inſcriptio eſt in eodem libro, capitis* 2. *Quod autem,* 4. *q.* 1. *Item Nicolaus Papa in epiſtola ad Michaelem Imp. cujus initium eſt, Propoſueramus. In marg. eſt: Anſ. l.* 1. *c.* 71. *Ivo p.* 14. *c.* 70. *In notis multa ſunt optime addita. Inſcriptio capitis extremi, Contra unum.* 4. *q.* 4. *eadem eſt. Unde Nicolaus Papa ad Mich. Imp. epiſtola, cujus initium eſt, Propoſueramus. In notis eſt: Caput hoc emendatum eſt ex ipſo originali Romæ impreſſo*.

(9) *Gratiani verba ſunt in eodem libro ante caput* 6. *Quod bene,* 6. *q.* 4. *Unde Nicolaus Papa ait in epiſtola ad Carolum regem, cujus initium (Numquam dolorem generat.) In marg. eſt: Burch. l.* 9. *c.* 49.

(10) *In eodem libro Romano inſcriptio cap.* 35. *Ait Cæleſtinus.* 24. *q.* 1. *hæc eſt: Item Nicolaus Papa ſcribit Michaeli Auguſto epiſt.* 7. *In marg. eſt: Ivo par.* 14. *c.* 58. *Pann. l.* 5. *c.* 134. *In notis: Nicolaus heic citat epiſtolam Cæleſtini Papæ ſcriptam Joanni, Juvenali, &c. Epiſcopis per orientem, prout eſt in concilio Epheſino Vaticanæ bibliothecæ, & Lutetiæ impreſſo*.

(11) *De inſcriptione capite* 3. *Hiſtoria* 33. *q.* 2. *ſcriptum eſt in addit. Inſcriptio cap.* 54. *ſive de conjugii, &c. q. hæc eſt: Item Nicolaus Papa in epiſtola Carolo Regi. In marg. hæc ſunt: Polyc. l.* 6. *tit.* 4. *Burch. l.* 9. *c.* 32. *Ivo p.* 8. *c.* 116. *Regino l.* 2. *Chronographiæ. In notis eſt: Epiſtola, ex qua acceptum eſt hoc caput, habetur Romæ in codice monaſterii Dominicanorum, & ex ea aliqua ſunt addita, & emendata*.

DIALOGUS XIII.

De eadem re.

C. DE duobus mihi ſatisfieri velim: quis ille Carolus eſt, ad quem Nicolaus ſcripſit; Carolum enim Magnum eſſe tempora non patiuntur: & qui ſunt hi tituli viginti, quorum tres peracti ſunt; qua de re ſinguli conſcripti, & a quo ſunt collecti?

A. De Carolo recte ais Carolum Magnum non eſſe; mortuus eſt enim ſub Leone tertio Pontifice. Quadrageſimo quarto anno poſt mortem Caroli Nicolaus eligitur, anno Chriſti DCCCLIIX. Carolo Ludovicus Pius filius ſucceſſor fuit: huic tres filii fuerunt, Lotharius Imp. & Ludovicus, & Carolus reges. Ludovicus Germanorum; Carolus, qui cognomento Calvus dicitur, Francorum rex poſt patris mortem dicebantur. Lotharius Imp. filios quoque tres reliquit, Ludovicum Minorem Imp. & Lotharium, & tertium Carolum. Hi quoque duo alter Lotharingiæ, alter Provinciæ præfuit, & re-

gum nomen acceperunt. Calvus poſt Ludovici Minoris mortem Imperator appellatus eſt anno Chriſti DCCCLXXVI. Hujus fratri Ludovico, quem Germanis imperaſſe diximus, filii fuerunt Carlomannus, & Carolus. Sed quæ de Nicolai verbis accepimus ad Carolum regem cognomento Calvum pertinere putamus, qui tunc Francorum rex dicebatur.

C. Lotharius autem quis eſt ex ſupra dictis, an Lotharius Lotharii Imp. filius?

A. Is ipſe eſt, de cujus ſcelere agitur, qui reginam Thietbergam a ſe depulerit fictis apud ſynodum criminibus, ut Waldradam concubinam loco uxoris teneret. De titulis non eſt, quod magnopere labores. In conciliis enim a Joanne Cochlæo collecti extant. Primo titulo de conſtitutionibus eccleſiæ agitur, altero de conſuetudine, tertio de judiciis. Sequitur quartus de Romana eccleſia, & ſede Apoſtolica, in quo ſunt capita undecim. Primum caput a Gratiano diſtinction. XXII. ita inſcribitur: *Unde Nicolaus Papa ſcribit Mediolanenſibus*; Anſelmus tamen refert hoc pacto: *Ex epiſt. Nicolai Papæ Junioris Mediolanenſibus miſſa.*

Diſt. 22. c. 1.

Anſ. lib. 1. c. 63.

B. Selecti viri notarunt, Petri Damiani verba eſſe, qui legatus fuit Nicolai ſecundi, & orationem ad Mediolanenſes inſcriptam reliquit.

C. Quid reſpondebimus Demochari, & Contii ita in margine adſcribentibus: *Ex epiſt. ad Michaelem poteſt oſtendi, quæ ſola exſtat?*

Diſt. 79. c. 1.

B. Nec ſolam exſtare, nec in ea hæc eſſe quærenda. (1)

A. Vereor, ne etiam alterum caput ad eumdem Nicolaum Minorem pertineat, ut recte Demochares arbitratur, quamvis Nicolai tantum nomen adſcripſerit Gratianus. *Nicolai in concilio* XIII. *Epiſcoporum*, Anſelmus mendoſe. Melius eſt in libro Cæſaraug. (*a*) *Nicolaus junior in concilio* CXIII. *Epiſcoporum*. Id concilium bis editum eſt cum aliis Coloniæ; in priori editione Nicolao primo adſcribitur; in poſteriori Nicolao ſecundo.

Anſ. lib. 6. c. 12. in adn. 1.

C. Utra verior eſt?

A. Vetus eſt, poſteriores cogitationes eſſe meliores. Sed res erat aperta, cum in eo concilio de Berengarii Andegavenſis palinodia agatur, quæ apud Ivonem, (*b*) & Gratianum (*c*) exſtat, & apud Lanfrancum in libro *de Sacramento Euchariſtiæ*, & in regiſtro Gregorii VII. coram quo iterum eamdem hæreſim damnavit, & in libro Tarraconenſi. (*d*) Non potuit autem idem coram Nicolao primo, & coram Gregorio VII. palinodiam canere, cum cc. annorum intervallum ſit. Hoc autem caput de quo agimus, in eo concilio plenius ſcribitur, & a Gratiano iterum refertur in eadem diſtin. LXXIX. cap. IX. (*e*) & ab Ivone, (*f*) & Anſelmo, (*g*) & eſt in libro Cæſaraug. (*h*) ſuperiori conjunctum cum hac inſcriptione, *Idem in eodem*. Demochares eidem capiti adſcripſit in margine, *Nicolaus Papa II.*

C. Ab Ivone accipere potuit, qui inſcripſit: *Nicolaus Junior ſynodo præſidens in Conſtantinopolitana eccleſia cap.* II. Sed fuit ne Nicolaus umquam Conſtantinopoli in ſynodo?

A. Numquam, quod ſciam; ſed Romæ id concilium habitum eſt in baſilica Conſtantiniana.

C. Erratum igitur eſt in ſimili nomine?

A. Ita exiſtimo. Non male Cochlæus cap. I. & IX. conjunxit cum hac inſcriptione, *Nicolaus in concilio præſidens*. Male autem Nicolao primo utrumque caput adſcripſit. Quid ſelecti viri ſtatuunt?

B. Caput nonum Nicolao II. in concilio Romano adſcribunt; caput vero primum inſcribunt: *Nicolaus in concilio Romano cap.* 1. (2)

A. Nos ad caput tertium tituli quarti veniamus. Id Gratianus Nicolai tantum nomine inſcripſit: addit Cochlæus Ludovico Imperatori. Tu quid habes ex tuis epiſtolis?

Diſt. 97. c. ult.

B. Nihil omnino. (3) Caput quartum bis Gratianus (*i*) poſuit: eſt in epiſt. magna ad Michaelem Imp. ut idem, & Anſelmus (*k*) notant. (4) Caput quintum ejus argumenti eſt, de quo alio die dictum eſt epiſtolas XVI. inveniri in bibliothecæ appendice, & eaſdem eſſe in veteri libro cum aliis permultis. Apud Gratianum (*l*) in inſcriptione Hincmari Remenſis Archiepiſcopi nomen deſideratur, & pro *Rothado Rotardus* Epiſcopus ſcribitur. Apud Anſelmum recte ille Hincmarus dicitur, hic non recte *Rothardus*.

C. Hæc eſt in appendice epiſt. XIII. in veteri libro epiſt. X. cujus initium, *Si coram*; in utraque, *Hincmarus* eſt, *Rothaldus* in appendice, *Rothadus* in veteri libro.

A. De aliis varietatibus videamus.

B. Pro illis, *accepto fomite judicii materiam*; in appendice eſt, *accepta fomitem judicii, & materiam*: in veteri, *accepta fomite judicii, & materiam*.

A. Placet mihi appendicis ſcriptura.

B. Pro verbo *removit*, in illis eſt, *revocavit*. Pro *& infra. Previlegia tamen* &c. in appendice eſt; *Cum etiam ſi nullus a veſtro judicio provocaſſet, privilegia tamen &c.* In veteri eſt: *Quem etiam ſi ullis pateret judiciis, a veſtro illum ad noſtrum judicium provocaſſet, privilegia tamen* &c.

A. Mutandum eſt in veteri, *Cum*, pro *Quem*; & *ille*, pro *illum*.

B. Pro, *quod iterum dicitur, & infra*: in utroque libro multa ſcribuntur, quæ referre non eſt neceſſe. Pro *Hoc quippe*, illic eſt, *Hæc quippe*; & pro *noveritis*, *noveris*. Poſt verbum *videbantur*, hæc omiſſa ſunt, *& a nobis tot impenſis laboribus veſtra reſiſtente contumacia, recuperari non poterant*. Pro *canonica*, in libro Mich. Thomaſii eſt, *cana*, quod alii duo libri non agnoſcunt: pro *ingenio*, eſt *genio* in veteri libro; deſideratur in appendice: in qua eſt *decoraretur*, pro *decorentur*.

A. Quid ex his probat Anſelmus?

C. Quæ ſunt ante illas voces duas, & infra poſteriores, ab Anſelmo videtur Gratianus accepiſſe. Ante illa verba *Hæc quippe*, quæ etiam is habet, nonnulla ſunt a Gratiano prætermiſſa. *Noveris*, autem adgnoſcit, non vero, quæ poſt verbum *videbantur*, addunt alii: vocem *canonica*, & *ingenio*, & *decorarentur* retinet. (5)

A. De capite VI. videamus. Et mendoſe in conciliis eſt, VI. *quæſt.* III. pro IX. *quæſt.* III. Recte autem & a Cochlæo, & a Demochare dicitur eſſe ex epiſt. Nicolai ad Michaelem ſæpe repetita. Item referunt Ivo, & Anſelmus, (*m*) qui non *Innocentium*, ſed *Bonifacium* ſcribunt, ut eſt in conciliis. Locus tamen quærendus apud Bonifacium: cui etiam adſcribi partem horum verborum video relatam ab Hadriano Minore in concilio Romano, cujus mentio fit in IIX. ſynodo CP. actione VII. (6) Caput VII. ex epiſtola ad Epiſcopos Galliæ eſſe dicitur; apud Petrum Ciaconium in incertis collocatur.

9. q. 3. c. 10. patet. Ivo lib. 4. tit. 1. c. 10. panorm. et par. 5. c. 19. decr.

15. q. 6 c. 2. auctoritatem.

B. Nuſquam exſtare adſcripſerunt Romani, qui notant, ex ea probari auctoritatem epiſt. I. Alexandri primi.

A. Debuiſſent prius, cujus eſſet hoc caput, probare: nam ex incertis incerta probatio elicitur. Nicolaum relatas epiſtolas ab Iſidoro Mercatore

non

(a) *Caſ. lib. 3. c. 9.*

(b) *Ivo lib. 5. tit. 4. c. 4. Panorm. & par. 2. c. 10. decr.*

(c) *De conſecr. d. 2. c. 42. ego B.*

(d) *Tarrac. lib. 5. c. 58.*

(e) *Diſt. 79. c. 9. ſi quis.*

(f) *Ivo par. 5. c. 80. dec.*

(g) *Anſ. lib. 6. c. 13.*

(h) *Caſ. lib. 3. c. 10.*

(i) *1. q. 1. c. 113. et 9. q. 3. c. 21. per principalem.*

(k) *Anſ. lib. 1. c. 72.*

(l) *2. q. 6. c. 13. arguta.*

(m) *Anſ. lib. 1. c. 72.*

non improbare, dubium non eſt. (7) Cap. IIX. ex epiſt. omnibus Epiſcopis miſſa Gratianus, (*a*) & Cochlæus, ex epiſt. ad Michaelem Imp. Demochares, Ivo, (*b*) & Anſelmus, (*c*) ut Gratianus. Quid ſelecti viri cenſent?

B. Sententiam potius, quam verba eſſe in illa epiſt. ad Michaelem.

A. Mihi incertum adhuc hoc erit caput. (8) Caput IX. non recte in conciliis editum fuit apud Gratianum inveniri XXXV. quæſt. II. cum XXV. cauſſa (*d*) inveniatur. De inſcriptione varietas eſt inter collectores. Anſelmus, (*e*) & Gratianus: *Nicolaus univerſali ſynodo præſidens*. Liber Cæſaraug. (*f*) habet: *Nicolaus, & Leo IV. in concilio Epiſcoporum* LXXXII. *c.* IV. Deuſdedit, (*g*) & Ivo; (*h*) *Leo IV. in concilio Epiſcoporum* LXXII. *cap.* V. Eſt in fragmentis editis Romæ poſt XVI. epiſtolas Nicolai ex aliquo fortaſſe concilio caput quintum.

B. Selecti viri inſcribunt, *Nicolaus civibus CP.* quæ eſt inſcriptio extremæ epiſtolæ editionis illius Romanæ.

A. Non placet ea inſcriptio: nam quinque illa capita aliena ſunt, ex ſynodo, ut ſuſpicor, contra Metenſem ſynodum, & illos duos Antiſtites Treverenſem, & Colonienſem, qui divortium

A Lotharii conſtituerunt. Hujus ſynodi Romanæ Nicolai mentio fit apud Reginonem in Chronicis anno Chriſti DCCCLXV. Pro illis verbis, *pro catholica fide vel eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione imminentium vel futurorum malorum*; illic eſt: *pro catholicæ fidei diſciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione ſceleratorum, vel interdictione imminentium, ſeu futurorum malorum*. (9) Capitis decimi fons eſt magna illa epiſtola ad Michaelem, ut Cochlæus, & Demochares notant, licet Gratianus (*i*) Nicolai tantum nomen adſcripſerit: ſed Ivo, (*k*) & Anſelmus (*l*) rectius Michaelis etiam nomen retinent. (10) Extremum caput,

B quod nobis quoque hodie extremum erit, Gratianus (*m*) *Nicolai clero, & plebi Viennenſis eccleſiæ* eſſe ſcribit, ſed Anſelmus (*n*) ita inſcripſit: *Nicolaus Epiſcopus clero, & plebi Nonenſis eccleſiæ*. In libro Veronenſi eſt, *electo, & clero eccleſiæ Nonenſis*. Quid tu ex Romanis libris habes?

B. Libri cujuſdam tui mentionem vidi in Thomaſiano libro; eum eſſe exiſtimo, quem tu Veronenſem appellaſti. Eadem enim ſcriptura eſt in utroque libro.

A. Incertum igitur hoc relinquamus hodie caput. (11) De ceteris alio die agemus.

A D D I T I O N E S.

(1) *ANTE caput primum diſtin.* 22. *hæc in eodem Romano libro verba ſunt: Unde Nicolaus Papa II. ſcribit Mediolanenſibus per Petrum Damianum legatum ſuum. In marg. poſt vocem Papa eſt; Junior, Anſ. Et, Anſ. l.* 1. *c.* 63. *al.* 64.

(2) *Gratianus in eodem libro ante c.* 1. *diſt.* 79. *his verbis utitur: Unde Nicolaus Papa II. ait in epiſtola, qua ſynodum a ſe Romæ habitam refert cap.* 1. *Si quis Apoſtolicæ &c. In marg. eſt: Polyc. l.* 1. *tit.* 4. *Anſ. l.* 6. *c.* 15. *infra ead. c. ſi quis pecunia. Et in notis: Si quis) Verba Nicolai in epiſtola, quæ in voluminibus conciliorum impreſſa poſt decreta Nicolai primi habetur, hæc ſunt: Primo nam, &c. Idem fere habetur ad finem illius ſynodi, & refertur infra c. ſi quis pecunia. Ante cap.* 9. *Si quis pecunia, hæc verba ſunt: Unde Nicolaus Papa II. in concilio Romano ſtatuit, dicens. In marg. additur, in fine: Et, ſupra fere idem diſt. ead. c. ſi quis Apoſtolicæ. Anſ. l.* 6. *c.* 16. *Polyc. l.* 1. *tit.* 4. *Ivo par.* 4. *c.* 8

(3) *Capitis extremi diſtin.* 97. *in eodem libro inſcriptio eſt: Unde Nicolaus Papa. Nobiliſſimus vir &c.*

(4) *Hæc etiam eſt in eodem libro inſcriptio c.* 123. *Per principalem,* 1. *q.* 1. *Unde Nicolaus Papa Michaeli Imperatori in epiſt. quæ incipit (Propoſueramus) In marg. eſt, infra* 9. *q.* 3. *c. per principalem. Anſ. l.* 1. *c.* 75. *& l.* 2. *c.* 14. *Dicti cap.* 21. *Per principalem,* 9. *q.* 3. *inſcriptio eſt eadem; Item Nicolaus Papa Michaeli Imperatori in epiſtola, cujus initium, Propoſueramus. In marg. eſt: ſupra* 1. *q.* 1. *Anſ. l.* 1. *c.* 72. *& l.* 2. *c.* 14.

(5) *Ante cap.* 13. *Arguta.* 2. *q.* 6. *hæc in eodem libro verba ſunt: Item cum Nicolaus Papa in Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum invehatur, qui Rhotandum Epiſcopum appellantem Apoſtolicam ſedem damnare auſus eſt, ita dicens. In marg. hæc ſunt: al. Rothaldum. In appendice bibliothecæ ſanctorum patrum. Anſ. l.* 2. *c.* 67. *Ad vocem removit, eſt in marg. al. revocavit, orig. Ad verſ. Hæc quippe. Anſ. l.* 2. *c.* 85. *In notis: Cana) Cum antea legeretur canonica, emendatum ſic eſt ex epiſto-*

C *la ipſa, quæ habetur manu ſcripta, & nuper eſt impreſſa in appendice bibliothecæ: In libro Ennodii pro Symmacho legitur, cana miracula, & canum genium, juxta illud Virgilii Cana fides, & Veſta, Remo cum fratre Quirinus, Jura dabant.*

(6) *Inſcriptio capitis decimi, Patet profecto,* 9. *qu.* 3. *in libro Romano hæc eſt: Unde Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem in epiſtola, cujus initium, Propoſueramus) In marg. eſt: Anſel. li.* 4. *c.* 75. *Ivo p.* 5. *c.* 19. *Pann. l.* 4. *c.* 11. *Et verſ. Nec de ejus additur: Infra ead. ipſi ſunt, p. nec de ejus. In notis eſt: Caput hoc apud ceteros etiam collectores, multis verbis omiſſis, in ſummam quamdam redactum eſt. Innocentius) In epiſtola Nicolai,*

D *& apud reliquos collectores eſt Bonifacius. Verum neque in Bonifacii, neque in Innocentii epiſtolis inventum eſt, quod heic affertur. In ea vero epiſtola Nicolaus refert etiam alia quædam ex epiſtola Bonifacii ad Epiſcopos per Theſſaliam.*

(7) *Caput ſecundum, Auctoritatem,* 15. *q.* 6. *in eodem libro ita inſcribitur: Item Nicolaus Papa Epiſcopis Galliæ. In marg. eſt: Polyc. l.* 6. *tit.* 11. *Et in notis: Alexandri) Nicolaus citat epiſtolam Alex.* I. *de qua ita notatum eſt ſupra diſt.* 19. *Si Romanorum.*

(8) *Quod attinet ad cap.* 30. *Nemini,* 17. *q.* 4. *Ejus inſcriptio in eodem libro eſt: Unde Nicolaus Papa omnibus Epiſcopis. In marg. eſt: Anſ. l.* 1.

E *c.* 21. *Pann. l.* 4. *c.* 10. *In notis hæc leguntur: Epiſtola, ex qua hoc caput eſt ſumtum, non exſtat: aliquid tamen ſimile habetur in epiſtola prima ad Michaelem Imperatorem.*

(9) *Ante cap.* 18. *Si quis dogmata.* 25. *q.* 2. *in eodem libro hæc ſunt: Item Nicolaus Papa univerſali ſynodo præſidens dixit in concilio Romæ habito, in quo Nicolaus Papa primus Thietgandum, & Guntarium Epiſcopos depoſuit. Quod concilium impreſſum eſt Romæ poſt epiſtolas ipſius. In marg. eſt: Polyc. l.* 1. *tit.* 17. *Deuſdedit p.* 4. *Anſ. l.* 4. *c.* 26. *& l.* 12. *c.* 3. *Ivo p.* 5. *c.* 35. *(Edita ſunt verba ſtandi.)*

(10) *Hæc etiam eſt in eodem libro inſcriptio cap.* 6. *Sen-*

(a) 17. *q.* 4. *c.* 30. *nemini.*
(b) *Ivo l.* 4. *tit.* 1. *c.* 9. *paner.*
(c) *Anſ. lib.* 1. *c.* 9.
(d) 25. *q.* 2. *c.* 18. *ſi quis.*
(e) *Anſ. lib.* 4. *c.* 26. *& lib.* 12. *c.* 3.
(f) *Cæſ. l.* 2. *c.* 39.
(g) *Deuſd. c.* 4.
(h) *Ivo par.* 5. *c.* 35. *dec.*
(i) 35. *q.* 9. *c.* 6. *ſeatentiam.*
(k) *Ivo par.* 5. *c.* 19. *dec.*
(l) *Anſ. lib.* 1. *c.* 72.
(m) *De conſec. d.* 1. *c.* 7. *Eccleſia.*
(n) *Anſ. lib.* 5. *c.* 42. *in addit.*

c. Sententiam. 35. qu. 9. Item Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem in epiſtola ſeptima. In marg. eſt: Anſ. l. 1. c. 7. Ivo par. 5. c. 19. Voluerit) Sic etiam in originali impreſſo: ſed Anſelmus, & Ivo habent, renuerit. (Vid. dial. 19. add. ult.)

A (11) *In eodem libro inſcriptio cap. 8. Romanis de conſecrat. diſt. 1. hæc eſt: Item Nicolaus Papa electo, & clero Nonenſis eccleſiæ. Eccleſia, id eſt, catholicorum collectio &c. In marg. eſt: Anſ. l. 5. c. 42.*

DIALOGUS XIV.

De eadem re.

C. LÆTOS nos fecit recens ex orbe tabellarius, qui attulit aliquot Gratiani pagellas ad te G. miſſas, ut cognoſcere poſſes, qualia eſſet, quæ propediem finem accipiet, Romana juris Pontificii editio. Eas igitur ad te pagellas adferimus, ut quid tibi videatur, ſcire poſſimus.

A. Pergratum mihi eſt, perquejucundum, quod dicis. Ipſas igitur pagellas videamus.

C. Cur idem caput vario genere litterarum ſcriptum eſt?

A. Sic diſtinguuntur, ut opinor, Gratiani verba a verbis aliorum. Sed & aliis littera verba ſelectorum virorum conſcripta ſunt, aliis ſcholia Joannis Teutonici, & aliorum interpretum.

B. Numeros addunt ſingulis capitibus; ſed an ſequantur Contii editionem, ignoro. Illud videntur retinuiſſe ex aliorum vulgari uſo, quod ſingulis paginis addunt, *Decreti ſecunda part.*

A. conferte has pagellas cum meis libris, & ad me poſtea varietatem referre poteritis. Hodie de Nicolai titulis agemus.

C. Ita fiet.

A. Titulo quinto de decretis Romanorum Pontificum agitur. Caput primum ab Ivone, (*a*) & Gratiano, (*b*) & Cochlæo, & Democnare Nicolai
Ivo par. 5. c. 33. decr. eſſe dicitur ad Michaelem Imp. Ego ad Photium CP. ſcribendum cenſeo, ex epiſt. VI. regiſtri Romæ editi, cujus initium eſt, *poſtquam beato Petro*,
Diſt. 16. c. 2. quæ lecta eſt in octava ſynodo CP. actione quarta. (2) Alterum caput apud Ivonem inſcribitur. *Nicolaus Archiepiſcopis per Gallias*: apud Gratianum vero, *Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Galliam conſtitutis.* Id confirmatur ex epiſt. XIV. in appendice bibliothecæ, cujus initium, *Quamvis ſingularum*; in qua eſt, *apud Gallias*, pro *per Galliam*. Ejus exemplum unus ex ſelectis viris ante aliquot annos ad me miſit quod ea confirmari putaret omnium veterum Romanorum Pontificum epiſtolas, quas Iſidorus Mercator refert.

B In veteri libro, qui Achillis Statii fuiſſe dicebatur, eadem exſtat, cujus exemplum eum aliis attuli. Sed nihil illic inveni de Iſidori collectione ſcriptum. Affine tamen huic argumentum tractatur. Non eſſe rejiciendas Pontificias epiſtolas, licet in Corpore canonum non inveniantur.

A. Ita eſt, ut dicis. Sed & illod verum eſt, Nicolaum referre non uno in loco verba earum epiſtolarum; quod a tempore Hadriani Pontificis, & Caroli Magni Imp. fieri cœptum eſt. Prioribus ſcriptoribus ignotæ fuiſſe videntor. Sed ad varietatem veniamus, de qua paucis agemus, quando totam epiſtolam legere licet. Initio vox *vere* tollenda eſt, cum Gratianus ait: *ita ut, quod vere ſedes Apoſtolica probavit, hodie teneatur acceptum.* In appendice eſt, *ita ut, quod ſedes Apoſtolica probat hodie, teneantur acceptum*. Ivo tollit vocem *vere*; cetera, ut Gratianus habet.

B. Idem eſt in veteri libro.

A. Illa quoque tollenda ſunt: *& ideo inter canones non eſſe aſſumenda*: quæ neque apud Ivonem ſunt, neque in appendice.

B. Interpretis fortaſſe verba fuerunt: in veteri libro nulla ſunt.

B A. Pro *eum & ipſi* &c. In omnibus illis ſcribendum: *eam ipſi* &c. *illis*. Ivo tamen *vel pro illis*, ſcribit.

B. In veteri eſt, ut in appendice & *imminutis*, pro *diminutis*: ut apud Ivonem.

A. Pro illis, *qui ante ipſum fuit, vel poſt ipſum eſt, ad aliquod inſtitutum vel reſcriptum recipiendum eſt*: ſcribendum ex appendice: *qui ante, vel poſt ipſum fuit, eſt aliquod inſtitutum vel ſcriptum recipiendum*. Ivo *aliquod* pro *ad aliquod*, & *ſcriptum*, pro *reſcriptum*: cetera, ut Gratianus habet.

B. In veteri eſt, ut in appendice.

C A. Quod poſt alia dicitur caput eſſe X. Leonis in Corpore canonum, II. pro X. ſcribendum eſt tum ex ipſo libro, tum ex Ivone, & appendice. In conciliis eſt caput extremum epiſtolæ primæ.

B. In veteri libro eſt: *Ait enim capitulo quinto ſuorum Decretalium.*

A. Mox in Leonis verbis pro *bonæ recordationis*, ſcribendum *beatæ recordationis*; & pro illis, *ita veſtra declaratione cuſtodiri mandamus*, ſcriptum in conciliis eſt: *ita veſtram dilectionem cuſtodire debere mandamus*. Idem etiam eſt in libro Cæſaraug. In appendice eſt: *ita veſtræ dilectioni cuſtodiri mandamus*. In Corpore canonum: *ita a veſtra dilectione cuſtodire debere mandamus*. Vox *debere* apud Ivonem deſideratur, cetera ſunt. *Cæſ. lib. 1. c. 32.*

D B. In Achillis libro duplex ſcriptura cognoſcitur: altera eſt Ivonis, altera conciliorum omiſſo eodem verbo *cuſtodire*.

A. Ego conciliorum ſcripturam magis probo: mox illam, quæ in corpore canonum eſt. In extremo capite pro illis, *per ſingula corporum volumina*, ſcribendum, *per ſingula voluminum corpora*, ut in omnibus illis libris eſt, appendice, Ivone, & Cæſaraguſt.

Cæſ. lib. 2. c. 18. Diſtin. 20. c. 2.

E B. Sic etiam eſt in veteri illo libro. (2) Venio ad caput tertium Cochlæi, cujus initium, *Si decreta*, quod eſſe ait extremum diſtio. XX. clero CP. ſed neque extremum eſt, neque clero inſcribendum, ſed Photio CP. ut apparet ex regiſtro Romæ edito epiſt. VI. cujus initium, *Poſtquam beato*, quam lectam eſſe diximus in ſynodo IIX. actione IV. In libro Cæſaraug. Michaeli Imperatori apud Gratianum clero CP. non recte eſt inſcriptum. (3) Nunc ad titulum ſextum de Imperatoribus veniamus, ſub quo ſunt capita ſex epiſt. ad Michaelem Imp. Caput primum mendoſe dicitor eſſe apud Gratianum diſtin. X. caput primum, cum ſit caput quintum, cujus initium *Imperium*. Quat-

Cæſar. lib. 2. c. 48.

Diſt. 10. c. 5. imperium.

F tuor capita habet Gratianus diſtin. XCVI. (*c*) de quibus, hoc tantum dicam ex Gelaſii Pontificis verbis in tomo de anathematis vinculo, (ſic enim in conciliis inſcribitur) ſumſiſſe Nicolaum illa verba. *Cum ad verum ventum eſt* &c. & Cypriano adſcribere Gratianum diſtin. X. (*d*) poſt Ivonem. (*e*) Verborum varietas non eſt contemnenda. Non enim recte diſtin. XCVI. ſcripta ſunt, cum ante illa, *actibus propriis*, deſideretur vox SIC, & pro illis, *& ut Chriſtiani*, ſcribi debeat, *ut & Chriſtiani*: quæ recte Ivo, & Anſelmus (*f*) ſcripſerunt. Quod etiam alio capite, cujus initium, *Satis evidenter*, ex Theodoſio Minore ad ſynodum Ephe-

(*a*) *Ivo par. 4. c. 211. decret.*
(*b*) *Diſt. 11. c. 2.*
(*c*) *Diſt. 96. c. 4. ubinam c. 5. deniq. c. 6. cum ad verum c. 7. ſatis evidenter.*
(*d*) *Diſt. 10. c. 8. quoniam.*
(*e*) *Ivo par. 4. c. 188. in decr.*
(*f*) *Anſ. lib. 1. c. 72.*

Digitized by Google

Epheſinam refertur, id eſſe opinor actione prima capite xxxi. in eadem ſynodo relatum. Apud Gratianum pro *ſynodum noſtram*, ſcribendum eſt, *ſynodum veſtram*, ut in conciliis eſt, & apud Anſelmum. (4) Caput ſextum cujus initium, *Non quales*, apud Gratianum (a) eſt cauſſa prima, & apud Ivonem, (b) & Anſelmum (c) ex eadem epiſtola ad Michaelem Imp. (5) Nunc ad titulum vii. *de Regibus* veniamus, cujus ſeptem capita Cochlæus refert, ex quibus quattuor habent hanc inſcriptionem: *Nicolaus Lothario regi*. De his hodie dicemus. Caput primum refert Gratianus diſtinct. lxiii. (d) de quo ſcire cupio, quid ſelecti viri ſentiunt. Ego tantum invenio in libro Cæſaraugust. (e) eamdem inſcriptionem.

C. Notant ſelecti viri, exſtare epiſtolam ad Lotharium, item aliam de eadem re ad Epiſcopos regni Lotharii: ſed ego diu quæſitam neutram inveni. (6)

A. Quid illam, ex qua ſumitur caput quartum, cujus initium *Præcipue Gualdradæ?*

11. q. 3. c. 3. *præcipue.* B. In veteri libro exſtat, & principium ejus epiſtolæ eſt, *Audite revertente miſſo*. Magna quoque pars ejus exſtat in hiſtoria Reginonis, cujus pars edita eſt Romæ poſt Nicolai epiſtolas. Pro *Gualdradæ*, illic eſt, *VValdradæ*.

C. Ant. Contius notat vocem *Præcipue*, cum AE. ſcribendum in fine, quod nomen fuerit proprium ejus mulieris. Eſt ne hoc in aliquo ex his libris?

B. Nullum veſtigium exſtat. Sed neque apud Anſelmum: qui hujus capitis verba refert. Pro verbo *declina*, quo Gratianus & Anſelmus utuntur, eſt in veteri libro, & apud Reginonem, *declinans*, & adduntur hæc: *& eius conſortium perpetuæ oblivioni contradens*. Poſt vocem *ſequeſtrata*, alia quoque verba omiſſa ſunt, ſed & poſt vocem *paſſione*, hæc addi poſſunt, *& breviſſimi temporis deſiderio*. Pro illis, *ad perenne traberis exitium*, eſt illic, *ad ſulphureos fœtores, & ad perenne te. en.* Pro illis, *ut ait beatus Gregorius*: plura ſunt in veteri libro: *Sed ut manifeſtius vera nos dicere ſcias, beatum Papam Gregorium audi, qui ait*. Sunt autem verba Gregorii parte iii. paſtoralis cap. v. (7) Anſel. l.b. 12. c. 36.

A. Nunc de alio capite tibi dicendum eſt, cujus initium, *Ita corporis*, (f) quod Ivo, & Gratianus eſſe Nicolai ad Lotharium regem prodiderunt, & ex eadem epiſtola idem Ivo (g) eſſe ait aliud caput cujus initium eſt, *An non diſtricta*. (h)

B. De his duobus capitibus nihil certi accepi. (8)

A. De ceteris agemus, cum licebit.

ADDITIONES.

(1) D*iſtin. 11. cap. 2. in Gregoriana editione hæc inſcriptio eſt: Item Nicolaus Papa I. Michaeli Imperatori. Conſequens eſt &c. In marg. hæc ſunt: Sententia eliciuntur ex epiſt. cujus initium. Propoſueramus. Ivo p. 4. c. 211. (Fons omittitur Vid. lib. 1. dial. 20. add. 1.)*

(2) *Gratiani verba ſunt ante caput 1. diſtin. 19. in eodem libro. De his ita ſcribit Nicolaus Papa Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Gallias conſtitutis. Si Romanorum Pontificum &c. In marg. eſt. Ivo p. 5. c. 33. Et ad verba illa, capitulum ſancti Papæ Innocentii, additur: Innoc. PP. I. ad Exuperium epiſt. 3. c. ult. Et ad illa, unum beati Leonis capitulum, additur; Leo PP. I. epi. 1. in fine. Et ad verba, cap. decimo, additur, al. quinto ſuor. decr. Et ad illa, Papa Gelaſius, hæc adduntur: Gelaſius Papa I. cum 70. Epiſcopis. Habetur ſup. 15. diſt. c. ſancta Romana. p. Item decretales. In notis eſt: Cum ipſi) Locus fuit emendatus ex ipſa epiſtola Nicolai, quæ Romæ manu ſcripta habetur: & nuper impreſſa eſt in appendice bibliothecæ ſanctorum patrum: ut dictum eſt ſupra diſt. 10. c. leges, (ſcribe, lege) in qua epiſtola multa alia habentur ad epiſtolas decretales etiam antiquiſſimas pertinentia.*

(3) *Capitis ſecundi, Si decreta, diſtin. 20. in eodem libro inſcriptio hæc eſt: Item Nicolaus I. Photio, in epiſtola, cujus initium eſt, (Poſtquam beato Petro.) In marg. hæc ſunt: Eſt eadem epiſt. 6. ex qua ſumtum eſt c. quod dicitis, ſupra diſt. 16. Anſ. l. 3. c. 33.*

(4) *Ante caput quintum, Imperium veſtrum, diſt. 10. hæc in eodem libro verba ſunt: Item Nicolaus Papa I. in epiſtola ad Michaelem Imperatorem, cujus initium eſt, (Propoſueramus) Capitis 8. Quoniam idem, e. diſt. inſcriptio eſt: Item Nicolaus Papa I. in epiſtola 7. ad Michaelem Imperatorem. In notis additur: Huic capiti in codicibus impreſſis erat præpoſitus hic titulus, Cyprianus Juliano Imperatori: quod eſt contra omnem temporum rationem. In manu ſcriptis omnibus, excepto undecimo Vaticano, abeſt dictio Imperatori, quemadmodum, & apud Ivonem. Nonnam antem habet, Juliano Epiſcopo: alius pervetuſtum, Juliano. Ceterum integrum hoc caput eſt in epiſtola Nicolai ad Michaelem Imp. quæ incipit, Propoſueramus: ex qua refertur infra diſt. 96. c. cum ad verum, una cum aliis verbis eiuſdem epiſtolæ, ex quibus hæc pendent. Et ſumtum eſt ex Gelaſio in tomo de anathematis vinculo, Propria) In originali eſt, propriam volens medicinali humilitate ſurſum efferri. Ivo habet, ut Gratianus hic in pleriſque codicibus. In nonnullis tamen eſt, propria volens medicinali humilitate ſurſum efferri: quemadmodum etiam infra diſt. 96. c. cum ad verum. Apud Gelaſium loco indicato legitur, ſic actionibus propriis, dignitatibuſque diſtinctis officia poteſtatis utriuſque diſcrevit, ſuos volens medicinali humilitate ſalvari, non humana ſuperbia ruſus intercipi, ut & Chriſtiani &c. In marg. eſt: Ivo p. 4. c. 188. infra diſt. 96. c. cum ad verum. In Caſu. Julianus Imp. vendicabat ſibi imperium, & Pontificatum: quod locum habuit in veteri teſtamento. Sed dicit Cyprianus &c. Diſtin. 96. c. 4. Ubinam legiſtis, inſcriptio eſt: Item Nicolaus Papa in epiſt. ad Michaelem Imp. quæ incipit (Propoſueramus) In marg. eſt: Anſ. 1. c. 73. Capitis 5. e. diſt. cuius initium eſt, Denique hi. inſcriptio eſt: Idem in eadem epiſtola. Et in marg. Anſ. ibid. Capitis ſexti, Cum ad verum, inſcriptio hæc eſt: Idem paullo inferius. In marg. eſt: ſupra diſt. 10. c. quoniam, Anſ. ibid. Et in notis: Ad verum. Poſt ultima verba capitis antecedentis ſequitur continenter in eadem Nicolai epiſtola. Fuerunt hæc ante adventum Chriſti &c. Sed cum ad verum ventum eſt, eumdem regem, atque Pontificem ultra ſibi &c. Nihil autem mutatum eſt & ob gloſſam, & quoniam eſt initium capitis. Nonnulla vero alia huc pertinentia notata ſunt ſupra diſt. 10. c. quoniam Inſcriptio cap. 7. Satis evidenter, e. diſt. eſt. Idem in eadem paucis interiectis. In marg. eſt: Anſ. l. 1. c. 72. Et verſ. Sed & Theodoſius. Ruſinus in hiſt. lib. 1. c. 2. In notis eſt: Theodoſius minor) Verba hæc ſunt accepta ex epiſtola Theodoſii, ac Valentiniani Imperatorum ſynodo Epheſina per Candidianum miſſa,* quæ

(a) 1. q. 1. c. 86. *non quales*.
(b) *Ivo par.* 5. c. 18. *dec.*
(c) *Anſ. d. c.* 72.
(d) *Diſt.* 63. c. 4. *porro*.
(e) *Caſ. li* 3. c. 65.
(f) 11. q. 3. c. 96. *ita corporis*.
(g) *Ivo par.* 8. c. 227. *decret.*
(h) 24. q. 3. c. 29. *an non.*

Digitized by Google

quæ eſt in extreme primæ actionis ipſius ſynodi. In verſione antiqua, quæ ſervatur in bibliotheca Vaticana, & quæ Lutetiæ edita eſt, eadem plane hoc loco habentur verba cum his, quæ refert Nicolaus, & optime conveniunt cum Græcis.

(5) Inſcriptio capitis 86. Non quales, 1. q. 1. in eodem libro Romano hæc eſt: Item Nicolaus Papa Michaeli Imperatori in epiſt. quæ incipit (Propoſueramus). In marg. eſt: Anſ. l. 1. c. 75. Ivo par. 5. c. 18.

(6) Hæc etiam eſt inſcriptio in eodem libro capitis quarti, Porro ſcias diſt. 63. Item Nicolaus Papa I. Lothario regi. In marg. eſt; Ivo p. 5. c. 357.

(7) Quod ad caput tertium attinet, cujus initium, Præcipue Gualdradæ, 11. q. 3. hæc eſt in eodem libro ejus inſcriptio: Item Nicolaus Papa ad Lotharium regem in epiſtola, cujus initium (Audito.) In marg. eſt: Anſ. l. 3. c. 66. Regino chron. l. 2. Et ad verba, ut ait beatus Gregorius, additur, Paſtoral. p. 3. c. 5. Et in notis: Sumtum eſt caput hoc ex epiſtola Nicolai, quæ incipit, Audito revertente miſſo veſtro, & extat Romæ in monaſterio Dominicanorum. Eſt autem quaſi in epitomen redactum (redacta ſcribo) multis verbis omiſſis. Hujus epiſtolæ bonam partem refert Regino libro ſecundo Chronicorum.

(8) Eadem quæſt. tertia capitis 96. Ita corporis, in eodem libro inſcriptio eſt: Item Nicolaus Papa Lothario regi. In marg. hæc ſunt: Ivo p. 8. c. 227. Et verſ. Probat. additur, ſupra ead. Teugualdum. Inſcriptio cap. 19. An non diſtricta, 24. q. 3. eſt: Item Nicolaus Papa Lothario regi. In marg. eſt: Ivo p. 8. c. 227.

DIALOGUS XV.

De eadem re.

A. ECQUIDNAM lucri ex Romanis pagellis feciſtis?

C. Sunt multa nobis grata, illud in primis quod invenimus caput quoddam falſo Eutychiano adſcriptum, non a Gratiano (a) ſolum, ſed a veteribus quoque Burchardo, (b) Ivone, & (c) Anſelmo, (d) & alio nobis ignoto, Polycarpo: (e) recte vendicatum Theodulpho Aurelianenſi cap. xxvi. quod a te quoque fuerat animadverſum. (f)

A. Polycarpus non eſt ſcriptoris nomen, ſed libri a Gregorio presbytero collectore canonum conſcripti. Eſt ne aliqua varietas inſignis?

C. poſt illa, *neque bibat*, addunt, *neque oret*, ex Theodulpho, Burchardo, & Ivone. (1)

B. Alio capite (g) in verbis Ambroſii, (h) quorum pars eſt in Toletano concilio (i) pro illis, *quod & iratus inter ſaltantium choros premiſerat*, ſcribunt, *quod eviratus inter* &c. ex Ambroſio, & Ivone in Excerptionibus, (k) namque in Panormia (l) *ejuratus* editum eſt.

A. Conſulite veterem Panormiæ librum. Facilis autem errandi occaſio eſt.

C. In veteri eſt *eviratus*, ſed ita ſcriptum, ut aliquis facile non admonitus *Ejuratus* legat.

A. *Ejuratus* placet, quaſi virum ſe eſſe oblitus. Sed quid in concilio Toletano eſt, & apud Rabanum, (m) qui ejuſdem Toletani, & Ambroſii verba refert?

B. In utroque libro hæc verba ſunt omiſſa. (2) Sed & Rabanum Romani non adſcripſerunt: quod etiam facere debuerant in margine capitis v. & ix. ejuſdem quæſtionis. (n) (3)

A. Fortaſſe imperfectæ hæ paginæ conſcriptæ ſunt.

C. Ita eſt, ut dicis: namque alia invenimus mendoſa, aut omiſſa.

A. De his alio die agemus. Nunc ad Nicolaum revertamur. Caput ſecundum tituli ſeptimi, cujus initium, *Quæ Lotharius*, apud Gratianum hanc habet inſcriptionem: *Nicolaus Papa Carolo* regi: quod ante eum Ivo in epiſt. LXIc. ſive CXXVI. ad Hugonem Lugdunenſem ſcripſerat. Regem Francorum appellat Cochlæus, Imperatorem Anſelmus qui plenius verba Nicolai refert: Fons quærendus eſt ex tuo veteri libro.

2. q. 1. c. 16. quæ Lotharius.

B. Ludovico Regi inſcribitur epiſtola, cujus initium, *Syllabarum veſtrarum*, in ea extrema Anſelmi, & Ivonis, & Gratiani verba inventa ſunt. In verbis varietas non eſt animadverſione digna. Recte Contius notat, verba Gratiani eſſe illa, *In manifeſtis* &c. (4)

Anſ. li. 12. c. 35.

A. Quod ſequitur caput, *Scelus, quod Lotharius*: ex alia epiſtola ſumtum videtur, quæ miſſa eſſe dicitur *Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Galliam, Italiam, & Germaniam conſtitutis*, apud Gratianum: (o) *atque per univerſas provincias*, addit Ivo. (p) Idemque eſt in libro Cæſaraug. (q) in quo tamen vox *Galliam* deſideratur. A te exſpecto, ut fontem aperias.

B. Fruſtra exſpectes: nullum enim habeo, quem poſſim oſtendere, niſi forte ex Ivone conjectura ducamur: ut idem ſit fons, qui eſt alterius capitis, cujus initium, *Teugualdum*, quod eſt in extremo regiſtro Romæ edito, & id fragmentum eſſe ſynodi Romanæ exiſtimabas, quod etiam ſelectis Romæ placuit.

11. q. 3. c. 10. Teugualdum.

A. Non diſplicet conjectura, ſed certiora exſpectemus. (5) De illo videamus, cujus initium, *Excellentiſſimus rex Carolus*, quod ex epiſt. ad Hincmarum Remorum Archiepiſcopum ſumtum dicitur, licet in nomine ſit varietas, de qua alio die dictum eſt. Apud Ivonem eadem eſt inſcriptio, quæ apud Gratianum. Quid tu habes dicere?

11. q. 3. c. 102. excellentiſs.

Ivo li. 5. tit. 3. c. 26. Pan. & par. 14. c. 46. decr.

B. In incertis eſſe collocandum. (6)

A. Sequitur titulus xix. *de Patriarchis, & Archiepiſcopis*, cujus quattuor capita ſunt. Quartum autem eſt illud de quo agebamus, cujus initium *Teugualdum*, (r) ex epiſtola miſſa omnibus Epiſcopis Galliæ, & Germaniæ apud Cochlæum. Id Ivonis (s) verbis confirmatur, licet Gratianus *Nicolai* tantum nomen adſcripſerit: niſi quid ſelecti viri addiderunt.

B. Addunt, *in ſynodo Romana contra ſynodum Metenſem cap. ſecundo*. In extremo capite illis verbis, *Prædictis autem depoſitis*, hæc addunt: *Hæc non ſunt in eo concilio, ſed ex aliqua epiſtola ſunt, quam non habemus. Videndus Regino libro ſecundo chronicorum.*

A. Ivo eadem verba omiſit, ſed & in fragmento Romæ edito pro eis verbis alia ſunt, De aliis nos

(a) 22. *q.* 1. *c. ult.*
(b) *Burc. li.* 12. *c.* 14.
(c) *Ivo par.* 12. *c.* 76. *dec.*
(d) *Anſ. lib.* 11. *c.* 63. *vel.* 72. *in Rom.*
(e) *Polyc. lib.* 6. *tit.* 16.
(f) *Libro* 1. *dial.* 13.
(g) 22. *q.* 4. *c.* 8. *unuſquiſq.*
(h) *Amb. li.* 3. *c.* 12 *de officiis.*
(i) *Tolet.* 8. *c.* 2.
(k) *Ivo par.* 12. *c.* 27. *dec.*
(l) *Idem lib.* 8. *tit.* 8. *c.* 16. *Pan.*
(m) *Raban. c.* 21. *pœnitent.*
(n) 22. *q.* 4. *c.* 5. *in malis*, & *c.* 9. *incommutabilis.*
(o) 2. *q.* 1. *c. ult.*
(p) *Ivo par.* 8. *c.* 226. *decret.*
(q) *Cæſ. li.* 10. *c. ult.*
(r) *d. c.* 10. *Teugualdum.*
(s) *Ivo d. c.* 226.

næ capitibus videamus. Caput primum (*a*) ex epiſtola ad Joannem Ravennantem Archiepiſcopum eſſe dicitur. Ad Nicolaum Minorem pertinere in quodam Mich. Thomaſii libro inveni.

B. In Pontificali de vitis Pontificum libro certius eſt, Nicolaum primum in concilio Romæ habito in domo Leoniana de cauſſa hujus Joannis cognoviſſe, eique reſtitutu dixiſſe, *ut Epiſcopos per Æmiliam poſt electionem de eis cleri, & populi, atque per epiſtolas Apoſtolicæ ſedis Præſulis non habeat conſecrandi licentiam.*

A. Hæc meliora ſunt, quam quæ Gratianus refert. (7) Quid de altero capite dices, cujus initium, *Hæc eſt ordinatio*, (*b*) ex Epiſt. ad Salomonem regem Britonum?

B. Nihil habeo, quod dicam.

C. Contius addit regem ultimum eum fuiſſe Britonum. (8)

A. Caput tertium, cujus initium, *Conqueſtum eſt*, (*c*) apud Ivonem (*d*) ſæpe relatum invenio tam in Excerptionibus & in Panormia, quam in epiſtola Niculai ad Rodulphum, ſive Radulphum Archiepiſcopum Bituricenſem, quem etiam Primatem Aquitaniarom vocat. Sic etiam inſcriptum eſt, ut apud Gratianum, bis in libro Cæſaraug. (*e*)

B. Non exſtat in his, quos attuli libris.

Diſt. 23. c. 13. præterea.
Ivo par. 6. c. 181. decr.

A. Ex eadem epiſtola fortaſſe eſt caput prius tituli noni de ſacris ordinibus, cuius initium, *Quæ in conſecrationibus*: habet enim ſimilem inſcriptionem apud Ivonem, & Gratianum, niſi tibi aliud videatur.

B. Non habeo, quod tuis verbis addam. (9)

A. Poſterioris capitis, cujus initium, *Simoniaci*, inſcriptio apud Ivonem (*f*) eſt, *In decretis Nicolai cap. 21.* apud Gratianum. (*g*) *Nicolaus Papa II.* Utram tu inſcriptionem veriorem putas?

B. Nihil certi conſtitui poteſt. (10)

A. Titulus x. *de Epiſcopis* octo habet capita, ex quibus tria eamdem habent inſcriptionem, *Nicolaus Alvino*, vel potius *Albino Archiepiſcopo Januenſi*. Primi initium, *Epiſcopi ab anni*: alterius, (*h*) *Pontifices, qui aliqua*: tertii, (*i*) *Epiſcopos vero*. Hæc apud Ivonem (*k*) in Excerptionibus ita inſcribuntur, *Nicolaus Alvino Jovanenſi Epiſcopo*: ſed in margine *Januenſi*. Mihi quidem mendoſum videtur, *Januenſi Archiepiſcopo*; ſed & Contio *Jovanenſi* non diſplicet: tibi optio permittitur, vel potius, ut fontem oſtendas, rogandus es.

Ivo par. 5. c. 352. & 353. decret.

B. Hac quoque in re mei adhuc fontes ſitiunt. Januenſes autem, vel Genuates ſub Nicolao Archiepiſcopum non habuiſſe crediderim. De Jovanenſi Epiſcopo quærendum cenſeo.

C. Quid ſi *Lovanienſem*, vel *Viennenſem* ſcribamus?

B. Incertum id quoque eſt. (11)

A. Eſt aliud caput, cuius initium eſt, *Epiſcopi diſpenſatio*; id Gratianus Nicolai Papæ tantum nomine inſcripſit; Cochlæus, & Demochares recte Michaeli Imp. adſcripſerunt; eſt enim in extrema illa epiſtola, cujus initium, *Propoſueramus*. (12) In tertio capite *Si quælibet*, cuius initium apud Gratianum eſt, *Denique Suffr. dus*, nihil addunt. Toum auxilium implorandum eſt.

Diſt. 43. c. ult.
6. q. 3. c. 3. denique.

B. Immo divinum, humano enim deſtitoti ſumus. (13) Idem dicturus ſum de vi. capite *Sciſcitaris*, quod ex epiſtola miſſa Hunifrido Morinenſi Epiſcopo ſumtum dicitur.

7. q. 1. c. 47. ſciſcitaris.

A. Hæc igitur incerta relinquimus.

C. *Humifrido* pro *Hunifrido* eſt apud Democharem, & Contium.

A. Cochlæi ſcriptura magis placet. (14) Cetera in alium diem differamus.

ADDITIONES.

(1) *De inſcriptione capitis extremi 22. q. 1. ſcriptum eſt lib. 1. dial. 13. addit. 14.*

(2) *Ante caput octavum Unuſquiſque 22. q. 4. in Romano libro inſcriptio eſt: Item Ambroſius de officiis lib. 3. c. 12. Et in marg. eſt: In Tolet. 8. c. 2. Ivo p. 12. c. 17. Et verſ. Sæpe plerique additur: Pano. l. 8. c. 101. Et ver. Non ſemper, infra rad. Non ſemper. In notis eſt: Eviratus) Emendatum e ex B. Ambroſio, & Ivone. Antea quin legebatur, & juratus. (Rabanus omiſſus eſt.)*

(3) *In eodem quæſt. 4. cap. 4. In malis, in eodem libro hæc inſcriptio eſt: Item Iſidorus in Synonimis libro ſecundo. In notis additur: Secundo) Etiam B. Braulius in vita Iſidori memorat duos ſynonimorum libros. Et in ſynonimis, quæ nuper cum aliis Iſidori operibus ſunt Pariſiis impreſſa, facile locum haberet diviſio in duos libros. Nam in poſteriore parte videtur ſumtus libellus de norma vivendi, qui in eodem Pariſino codice habetur. At vero autem libellus de contemtu mundi, qui & ibidem, & antea Antverpiæ, & olim Venetiis ſub hoc titulo, Iſidorus de homine, & ratione deflente, & de homine, & ratione conſolante, impreſſus eſt, videtur epitome quædam ſynonimorum. In marg. hæc ſunt: Cap. de mendacio in impreſſo Pariſiis. Ivo p. 12. c. 12. In Tolet 8. c. 2. & in Tribur. c. 21. & gloſſa ordinaria in c. 14. Matthæi in ver. juramentum. Capitis noni ejusdem quæſtionis cujus initium, Incommutabilis, hæc inſcriptio eſt: Item ex concilio Toletano 8. c. 2. In notis additur: Initium hujus capituli emendatum eſt ex recentioribus editionibus conciliorum Colonienſibus & codice Lucenſi regio. In vetuſtioribus autem editionibus & duobus codicibus Vaticanis, duobuſque monaſterii Dominicani, poſt verſ. innectenda, quod in ipſo concilio antecedit huic capitulo, ſequitur continenter: Etenim immutabilis denotit licet dicta ſint firmiſſima, crebro tamen &c. intermediis omiſſis. (Rabanus omittitur.)*

(4) *Caput 16. Quæ Lotharius, 2. q. 1. in eodem libro ita inſcribitur: Item Nicolaus Papa Ludovico regi in epiſtola, quæ incipit (Syllabarum. In marg. eſt: Anſ. l. 12. c. 35. In notis additur: Sumtum eſt ex epiſtola, quæ habetur in codice ſæpe memorato monaſterii Dominicanorum, in qua hæc præcedunt: Accuſatorem autem habere Lotharium niſi illum, qui accuſator fratrum in Apocalypſi appellatur, & opera ejus quæ & ipſa ejuſdem antiqui hoſtis inſtinctu patrantur profecto commeruit. Quæ vero Lotharius rex &c.*

(5) *Gratiani verba ſunt ante caput extremum 2. q. 1. in eodem libro: Unde idem Nicolaus Papa ſcribit Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Galliam, Italiam, & Germaniam conſtitutis. Scelus quod Lotharius &c. In marg. eſt. Ivo p. 8. c. 226. Regino omnia hæc refert lib. 2. Chron. an. 875. Capitis 10. Trugualdum, 11. q. 3. inſcriptio eſt: Item Nicolaus Papa. In marg. additur: In ſynodo Romana c. 2. Item al. Thietgandum. Ivo p. 8. c. 226. Et in notis: Caput hoc Ivo citat ex Nicolao Epiſcopis, & Archiepiſcopis per Galliam, Italiam, Germaniam, atque per univerſas provincias conſtitutis. In qua epiſtola videtur retuliſſe, quid in con-*

Xxx

(*a*) *Diſt. 63. c. 13. Epos.*
(*b*) *3. q. 6. c. 10. hac quippe.*
(*c*) *9. q. 3. c. 8. conqueſtus.*
(*d*) *Ivo li. 4. tit. 4. c. 3. Panor. & par. 5. c. 56. decr. & in epiſtol. 73. vel 133. Remenſis diœceſis Epiſcopis, & Epiſtol. 234. vel 238. Lugd. Primati, & ep. 34. vel 65. Hugoni Lugdun. Archiepiſcopo, & epiſt. 58. Urbano 2. Pont. Max.*
(*e*) *Caſ. lib. 2. c. 79. & li. 3. c. 51.*
(*f*) *Ivo lib. 3. tit. 9. c. ult. Panor.*
(*g*) *1. q. 1. c. 107. ſtatuimus.*
(*h*) *Diſt. 34. c. 1.*
(*i*) *7. q. 1. c. 4. Pontifices.*
(*k*) d. c. 4. [illegible]

concilio a ſe Romæ habito de Metenſi ſynodo penitus abolenda, & depoſitione Thietgaudi, & Gautharli ſtatutum fuerit. De quo quidem concilio, & horum Epiſcoporum depoſitione Regino lib. 2. Chronicor. accurate hæc ſcribit: Interea Thietgandus &c. Conſiſtere) In ſecundo capite concilii locus hic ita habes, conſiſtere; Diſſentientes, &c. & ſunt verba ſumpta ex capite, Si quis Epiſcopus damnatus, ſupra tad. ex concilio Antiocheno.

(6) *Eadem quæſt. 3. ca. 102. Excellentiſſimus in eodem libro inſcriptio hæc eſt: Unde Nicolaus Papa Hincmaro Remorum Archiepiſcopo. Et in marg. eſt: Ivo p. 14. c. 46. Pann. l. 5. c. 106. Et ad verba, novit aliud eſſe &c. additur; B. Greg. l. 34. mor. c. 16.*

(7) *Diſtin. 63. ca. 13. Epiſcopos per Æmiliam, inſcriptio eſt in eodem libro: Item Nicolaus Papa Joanni Ravennati Archiepiſcopo. In notis eſt: In vetuſto codice Mutinenſi ſex concilii Romæ habiti referuntur capitula, quorum ſecundum eſt hoc: Et de hac eadem re habemus multa in Pontificali manu ſcripto in geſtis Nicolai primi.*

(8) *Hæc eſt in eodem libro inſcriptio cap. 10. Hoc quippe, 3. qu. 6. Unde Joannes Papa Salomoni tertio, & ultimo regi Britonum. In marg. eſt: Regino lib. 2. Chron. In notis: Subrogati poſt ſunt) Sic reſtitutum eſt ex aliquot vetuſtis, & valde emendatis codicibus. Antea legebatur, ſubrogari poſſunt.*

(9) *Ante caput octavum Conqueſtus eſt, 9. qu. 3. hæc in eodem libro verba ſunt: Item Nicolaus Papa Rodulpho Bituricenſi Archiepiſcopo. In marg. eſt: Ivo p. 5. c. 36. Pann. l. 4. c. 29. Cap. 12. Præterea, diſt. 23. inſcriptio eſt: De his ita ſcribit Nicolaus Papa Radulpho Archiepiſcopo Bituricenſi. In marg. eſt: Ivo par. 6. cap. 121. & verſ. Ergo. Innoc. PP. I. ep. 1.*

(10) *Inſcriptio cap. 107. Statuimus, 1. q. 1. in eod. libro hæc eſt: Hanc diſtinctionem innuit Nicolaus Papa ſecundus ſcribens omnibus Epiſcopis. In marg. eſt: 4. ſent. diſt. 25. Pann. l. 3. c. 127.*

(11) *Capitis primi diſtin. 34. in eodem libro inſcriptio eſt: Unde Nicolaus Papa ad Albinum Archiepiſcopum. Quorumdam relatione &c. In marg. eſt. Alvinum, Ivo p. 5. c. 353. Inſcriptio cap. 4. Pontifices, 7. q. 1. hæc eſt: Item Nicolaus Papa Alvino Jannenſi Archiepiſcopo. In marg. eſt: Al. Albino Viennenſi. Ivo p. 5. c. 352.*

(12) *Diſtin. 43. capitis extremi in eodem libro inſcriptio eſt hæc: Item Nicolaus ad Michaelem Imp. in epiſtola, cujus initium eſt, (Propoſueramus.) Diſpenſatio eſt nobis &c. In margin. hæc ſunt: Diſpenſatione nobis, orig.*

(13) *Hæc etiam ſunt in eodem libro verba ante cap. 3. Denique Suffredus, 6. q. 3. Item Nicolaus Papa. Ad illa verba, Quod quia omiſſum, additur in notis: Locus hic emendatus eſt ex pleriſque vetuſtis Gratiani codicibus.*

(14) *In eadem editione inſcriptio cap. 47. Sciſcitaris, 7. q. 1. hæc eſt: Item Nicolaus Papa Humifrido Ocinenſis eccleſiæ Epiſcopo.*

DIALOGUS XVI.

De quibuſdam locis Gratiani Romanæ editionis, & de aliis Nicolai capitibus.

A. VESTRUM nunc eſt de Romanis pagellis dicere.

B. Quod ex B. Auguſtini epiſtola clv. Gratianus refert de jurejurando Laban, mendoſum erat, *ſicut Laban per Deum Sochot*; ſcribi enim debuit, *per Deum Nachor*. ut in ſacris libris eſt, licet in Auguſtini editis libris ſit *Jacob*. [*22. q. 1. c. 16. movit. p. alia. Gen. 31. vel 31.*]

A. Vidiſtis quid Ivo, & Anſelmus, & liber Cæſaraug. ſcripſerint?

B. Ivo (*a*) in Panormia habet, *Laban per deos ſuos Sochot* vel *Nachor*. Idem in Excerptionibus *per Deum Nachor*, ut etiam Romani referunt. In Anſelmi libro (*b*) omiſſa ſunt hæc verba. In Cæſaraug. (*c*) eſt, *per Deum Sabaoth*, quod etiam invenimus in veteri Gratiani libro: in alio tamen non minus veteri eſt *Sochot*.

C. Romani referunt, in vetuſto Gratiani libro inveniſſe *Nachor*.

A. Id igitur retineamus, quod in ſacris libris eſt.

B. In eodem capite verba Gratiani ſunt: *ſicut Joſeph, qui per Pharaonem jurando, hoc in eo veneratus eſt, quod Dei judicio poſitus erat in infimis.* In margine eſt, *alias Memphis*; & in ſcholio: *In infimis*, alias *Memphis*, quæ erat caput regni Pharaonis: & in alio ſcholio: *Poſitus erat) ſcilicet Pharao. In infimis, id eſt, in mundanis. Vel poſitus erat, ſcilicet Princeps in mundanis, vel in Memphis, quæ civitas erat, vel caput regni.* Hæc in Romano edito ſunt, ut jam pridem habebamus. In duobus quoque veteribus tuis Gratiani libris illa ſunt, *in infimis*, & in altero eorum hoc ſcholium *id eſt, in mundanis, vel terrenis, & erat præpoſitus aliis*: & in voce *poſitus* additur in margine *Pharao*. In ſacris libris, cum de Pharaone agitur, Memphis nulla mentio eſt.

A. Ego pro *in infimis*, malo *in ſummis*, ſcribere: *in Memphis* dicere per Grammaticos non licet.

C. *Barbara pyramidum ſileat miracula Memphis*, ait Valerius Poeta; quibus verbis apparet, Memphin claram fuiſſe illa pyramidum mole, quas Ægypti reges feciſſe conſtat ex Herodoto, & Diodoro Siculo.

A. Invenies, ut opinor, apud Euſebium, quis fuerit ille rex *Ægypti* cui Moſes ſervierit, eumque fuiſſe ante Memphim conditam ab Epapho Jovis filio. (1)

B. Mendoſe editum invenimus capite altero quæſtionis quartæ ejuſdem cauſſæ in margine. *Matth.* 4. pro *Matth.* 14. & Ivo par. 12. c. 3. pro c. 10. & capite quinto deſiderantur hæc. *Raban. c. 25. pœnit.* & *Burc. lib.* 12. *c.* 29. & *Ivo p.* 12. *c.* 12. & 84. [*22. q. 4. c. 2. eſt etiam.*] [*c. q. c. 5. in malis.*]

C. Ego in ſcholio capitis noni non recte editum eſſe credo, *Sententiam id eſt, communicationem*, ſed melius alii habent, *comminationem*. Quæ vero ex Macrobio afferuntur, *tripliciter contingit deos loqui*: in ſomnio Scipionis reperiri aliis verbis exiſtimo: *Sed non advertunt hanc habere legem omnia () vel ſigna, vel ſomnia: ut de adverſis oblique aut denuntient, aut minentur, aut moneant*, & quæ ſequuntur. (2) [*a. q. c. 9. incommutabilis.*] [Q omina ſ.]

A. Imperfectas eſſe iſtas pagellas exiſtimo, & mendoſas; integras, & ſine iſtis mendis habebimus alias. Interea Nicolai capita perſequamur. Caput vii. decimi tituli, cujus principium eſt, *Reprehenſibile valde*, (*d*) Nicolai ad Carolum Imp. eſſe ait Gratianus poſt Ivonem, (*e*) & librum Cæſaraug. (*f*) Regem Francorum vocat Cochlæus. Eſt ne in aliquo veteri libro?

B. Inventa eſt Ludovico, & Carolo Regibus miſſa epiſtola, cujus initium, *Credimus ex Dei dono*: ex ea mutandum eſt pro *cum omnibus aliis*, *cum aliis*, voce *omnibus* omiſſa (3)

A. Ca-

(a) *Ivo li. 8. tit. 8. c. 28. Panor. & par. 12. c. 35. dec.*
(b) *Anſ. lib. 11. c. 69.*
(c) *Caſ. lib. 6. c. 19.*
(d) 23. *q. 8. c. 19. reprehenſibilis.*
(e) *Ivo par. 5. c. 334. decret.*
(f) *Caſ. li. 4. c. 84.*

De conſec. d. 1. c. 55. Porro.

A. Capitis xix. inſcriptionem ad Radulphum, ſive Rodulfum Bituricenſem Archiepiſcopum vidimus, cum de capitularibus tituli octavi ageremus: eadem eſt apud Ivonem.

Ivo par. 5. c. 20. decr.

B. Ita eſt, ut dicis; ſed fontes adhuc quærimus. (4)

Diſt. 32. c. 5. nullus.

Ivo lib. 3. tit. 11. c. 3. Pan.

A. Titulus xi. eſt de presbyteris, cujus ſex capita ſunt. Primum caput non recte Nicolao primo omnibus Epiſcopis adſcribitur, cum ſit Nicolai Minoris in concilio Romano cap. iii. Neque male Ivo in Panormia inſcripſit, *Decretum Nicolai Junioris*, & *Alexandri*; quod etiam Demochares notat. Alexandri autem Minoris verba refert præter Ivonem Gratianus, (a) & liber Cæſaraug. (b) (5) Caput alterum, cujus initium *Sacerdotes*, ex epiſtola miſſa Carolo Archiepiſcopo, & ejus ſuffraganeis, Ivo, (c) & Gratianus (d) adſcribunt; *Carolo Archiepiſcopo Maguntino* Cochlæus. *In geſtis concilii Vormatienſis*, Demochares. Id confirmatur ex libro conciliorum cap. xi. & xii. ejuſdem concilii. (6) Incertior eſt inſcriptio tertii capitis, cujus initium *Si presbyter*; eſt enim apud Ivonem, (e) *Nicolaus Hoſbaldo Epiſcopo Quadratino: coepiſcopo*, pro *Epiſcopo* habet Gratianus; (f) *chorepiſcopo* Contius ex veteri libro: *Oſualdo coepiſcopo*, Joannes Cochlæus. Mihi *Oſualdo Epiſcopo* magis placet, niſi tu certiora adferas.

B. Nihil habeo de ea re dicere. Oſualdi Epiſcopi nomine vidi libellum *Martyrologium* inſcriptum.

A. Idem *Oſuvaldus* appellatur. Fuitque ejus nominis ſanctus vir Epiſcopus Vintonenſis, & poſtea Eboracenſis in Britannia: in qua inſula ego veterem librum Oſuvaldi *martyrologii* titulo inſcriptum inveni. (7) Caput quartum *Presbyter iſte*, ex epiſtola miſſa Gerardo, ſive Girardo Turonenſi Archiepiſcopo Gratianus (g) inſcripſit; Ivo (h) eum *Airardum* appellat. Quid tu ais? Fuit ne aliquis hoc nomine Archiepiſcopus, ad quem Nicolaus ſcripſerit?

B. Nihil habeo, quod dicere poſſim. (8)

A. Certior eſt inſcriptio capitis quinti, cujus initium *Sciſcitantibus*: (i) *Nicolaus ad conſulta Bulgarorum*, quæ melius eſt apud Gratianum, & Ivonem (k) in Panormia, quam apud eumdem in Excerptionibus. Sine inſcriptione eſt in libro Tarracoñenſi. (l) Eſt in editis capitibus cap. lxxi. ex quo poſſunt addi verba a Gratiano prætermiſſa. Aliter Lucius tertius refert hujus capitis verba, cum ſcribit, (m) *ſacramenta, quæ purgatoria cunctarum cogitationum exſiſtunt*. *contagionum* enim habet Nicolaus, non *cogitationum*, neque *pollutionum*, ut eſt in quadam collectione (n) poſita poſt concilium Romanum Alexandri tertii. (9) Sextum caput (o) inſcribitur, *Nicolaus Thadoni*, vel *Tadoni Archiepiſcopo Mediolanenſi*, apud Ivonem, (p) & Gratianum. Quid tu his addis?

B. Hoc tantum, de presbyterorum flagellatoribus agere Nicolaum, non clericorum; ut eſt in epitome. (10)

A. Nunc ſurgendum cenſeo.

ADDITIONES.

(1) *Gratianus ita ſcribit in eodem Romano libro ante c. 16. Movet te. 22. q. 1. De his iii, ſcribit Auguſtinus eadem epiſt. 154. ad Publicolam. Et in marg. eſt: Sent. 3. diſt. 39. Anſ. l. 11. c. 75. Ivo par. 12. c. 35. Pann. l. 8. c. 117. Polyc. l. 6. tit 11. In notis hæc ſunt: Quam ille) In epiſtolis B. Auguſtini excuſis legitur, quam ille qui et jurat falſos deos colit. In codice eorumdem Vaticano, quando ille qui ei iurat falſos deos colit: in editione Frobeniana, & apud Ivonem, quia ille qui ei jurat, falſos deos colit. Nachor) Sic eſt emendatum ex loco ipſo Geneſis, Ivone, & uno vetuſto Gratiani codice, in cujus quidem vulgatis erat, per Deum Sachor, in B. Auguſtini autem, per Deum Jacob. Verba Gratiani, ſicut Joſeph, &c. & ſcholii, ut in dialogo.*

(2) *Eadem cauſſa quæſt. 4. cap. 2. Eſt etiam, hæc in eodem libro inſcriptio eſt: Item Ambroſius de officiis lib. 1. c. 50. In marg. eſt: Ibidem in Tolet. 8. (adde c. 2.) ſent. 3. diſt. 39. Ivo par. 12. c. 3. (ſcribe c. 10.) Pann. l. 8. c. 91. Matth. 4. (ſcribe 34.) In notis eſt; Cuſtodire) Addita eſt vox iſta ex originali, & concilio Toletano, in quo refertur. De inſcriptione cap. 5. In malis, c. 9. ſcriptum eſt dial. 15. addit. 3. hujus libri. Scholium, Sententiam, id eſt, communicationem, c. 9. Incommutabilis, c. 9. ſic eſt editum, ut in dialogo refertur.*

(3) *Quod attinet ad cap. 19. Reprehenſibile, 23. q. 8. in eodem libro id ita inſcribitur: Sed obiicitur illud Nicolai ad Ludovicum, & Carolum reges. In marg. eſt: Ivo par. 5. c. 334. Et in notis; Epiſtola, ex qua ſumtum eſt hoc caput, extat Romæ in monaſterio Dominicanorum ſcripta Ludovico, & Carolo regibus: cujus initium eſt, Credimus ex Dei dono; in qua de Carolo, ſermonem proprie ad ipſum convertens, queritur Pontifex, ob quaſdam excuſationes, & hanc præcipue, quæ hoc capite continetur, nullos Epiſcopos Romam ad ſynodum, quam ipſe habere volebat, miſſos fuiſſe. Propterea mutatus eſt titulus qui antea erat, ad Carolum Imperatorem. (In caſu relictum eſt. Carolus Imperator ſcribit &c.*

(4) *De conſecrat. diſtin. 1. c. 56. Romanis, cujus initium eſt, Porro Gloria, hæc inſcriptio eſt: Item Nicolaus Papa Rodulpho Archiepiſcopo Bituricenſi. In marg. eſt: Ivo par. 5. c. 20. Et in notis; Apoſtolico) Vox iſta abeſt ab aliquot Vaticanis codicibus; Ivo tamen habet.*

(5) *Ante caput quintum, Nullus miſſam, diſt. 32. hæc in eodem libro verba ſunt: Item Nicolaus Papa omnibus Epiſcopis. In marg. eſt: In ſynodo Romana cxiii. Epiſcoporum in baſilica Conſtantiniana. Et Pann. l 3. c. 135. In extremo capite hæc verba ſunt: (Quicumque ſacerdotum, & diaconorum &c.) (Sicut in ſubſequenti capitulo Alexandri ſecundi continetur.) Sicut in ſubſequenti) Hæc clauſula eſt Gratiani omittentis referre ex capite Nicolai ea, quæ proxime ex Alexandro relaturus erat. Sunt enim eadem verba. Nam Nicolaus ſecundus in epiſtola, quæ extat, omnibus Epiſcopis catholicis ſcripſit ſe in concilio, quod Romæ habuit centum tredecim Epiſcoporum hunc canonem edidiſſe, quem poſtea Alexander ſecundus (ut ipſe etiam teſtatur in epiſtola manu ſcripta) in concilio a ſe habito iiſdem verbis repetivit. Quare in Panormia appellatur decretum Nicolai junioris, &*

Xxx 2 Ale-

(a) *c. 6. præter diſt. 00.*
(b) *Cæſ. lib. 8. c. 44.*
(c) *Ivo li. 3. tit. 11. c. 4. Panor.*
(d) *Diſt. 50. c. 33. ſacerdotes.*
(e) *Ivo par. 10. c. 24. decret.*
(f) *Diſt. 50. c. 39. ſtudeat.*
(g) *2. q. 1. c. 10. actum.*
(h) *Ivo par. 6. c. 429. decret.*
(i) *25. q. 8. c. 5. ſciſcitantib.*
(k) *Ivo li. 5. tit. 2. c. 21. Panorm. & par. 2. c. 83. decr.*
(l) *Tarrac. lib. 2. c. 168.*
(m) *De cohabit cler. c. 7. veſtra, apud Greg. IX. c. 1. de vita, & hon. cler. in 2. collect.*
(n) *Par. 50. c. 38.*
(o) *27. q. 4. c. 23. de presbyteris.*
(p) *Ivo par. 10. c. 20. decret.*

Aleanudri. Inſcriptio ea.6. Præter hoc. c. diſt. Item Alexander ſecundus. Et in marg. eſt: In epiſt. proxima notat, indicata. Pann. ibid. & l.8. c.142. Et ad verba, Papa Leonis, additur: Leo ix. in concilio Romano. In notis eſt: Et rogamus) Hæc uſque ad verſ. deinde, addita ſunt ex epiſtola manu ſcripta Alexandri, quorum aliqua etiam ſunt in concilio Nicolai, in quo eſt præterea ſequens verſiculus, Deinde, qui in epiſtola Alexandri non eſt.

(6) *In eodem libro inſcriptio cap. 33. Sacerdotes, diſt.50. hæc eſt: Unde Nicolaus Papa Carolo Archiepiſcopo, & ejus ſuffraganeis. In marg. eſt: In geſtis concilii Vormatienſis c.11. Vide Ivonem par. 10. c.180. Pann l.3. c. 136.*

(7) *Eadem diſtin. cap.39. Studeat, in eodem libro ita inſcribitur; Unde Nicolaus Papa ſcribit Herbaldo Chorepiſcopo Quadrantinæ. In notis additur: Chorepiſcopo) Antea legebatur corepiſcopo: emendatum eſt ex omnibus, quæ collata ſunt, vetuſtis Gratiani exemplaribus, optimeque convenit verbis Nicolai. In marg. eſt: Ivo p. 10. c. 24.*

(8) *Capitis 10. Novum ſit, 2. q. 1. in eodem libro inſcriptio eſt: Item Nicolaus Papa Girardo Turonenſi Archiepiſcopo. In marg. eſt; al. Airardo. Ivo p.6. c. 429.*

(9) *Gratiani verba ſunt ante ca. 5. Sciſcitantibus 15. q.8. in eodem libro Romano; Item Nicolaus ad conſulta Bulgarorum c.71. In marg. eſt; Extra de cohab. cler. & mul. c. veſtra duxit. Ivo par.2. c.83. Pann. l.5. c. 13. Et in notis; Et cetera) Antea legebatur, &c. Reſtitutum eſt ex originali, ex quo alia etiam ſunt emendata, & addita. Hieronymo) Eſt in epiſtola de ſeptem gradibus, quemadmodum & quod ſequitur, prius quam audias, &c. eſt ibidem ſuperius. Cap.7. Veſtra duxit, de cohabit. cleric. & mul. ita inſcribitur: Lucius III. In marg. eſt; c.1. eo. tit.2. in compil. & poſt concil. Lateran. ſub Alexan. III. par. 50. c. 18. Vox contagionum edita eſt. (Retinenda igitur eſt in ea collectione.)*

(10) *Quod attinet ad caput 23. De presbyterorum, 17. q.4. ejus inſcriptio in editione Romana eſt: Item Nicolaus Papa Thadoni Archiepiſcopo Mediolanenſi. In marg. eſt: In Chronico Mediolan. Ivo p.10. c.20.*

DIALOGUS XVII.

De aliis Nicolai Papæ capitibus.

A. Titulus XII. *de clericis* inſcribitur; tria tantum hebet capita. Primi capitis initium, *Clericus, qui*: ejus inſcriptio apud Gratianum, (*a*) *Nicolaus Papa Odoni Viennenſi Archiepiſcopo*: apud Ivonem, (*b*) *Stephanus Adoni Viennenſi Archiepiſcopo*. Eſt etiam varietas in illis verbis, *De illo clerico*: eſt enim *Alvico* pro *Alvarico* apud Ivonem, *Albino* apud Contium, qui *Othoni Colonienſi*, in margine adſcripſit, & *Adoni Viennenſi*, ex Ivone. Stephani non habuit rationem.

B. In veteri libro exſtat Nicolai epiſtola *Odoni Archiepiſcopo miſſa*, ut in indice ſcriptum eſt, *Adoni* in verbis plene relatis. In eadem hoc non inveni caput, ſed illud, quod alibi poſuit Gratianus (*c*) ita inſcriptum, *Nicolaus Papa Adoni Viennenſi Archiepiſcopo*. Eadem inſcriptione utitur Ivo (*d*) in Exceptionibus, & in epiſtolis.

A. De eo capite poſtea erit agendum. (1) Caput alterum, cujus initium, *Clericum, quod*: apud Gratianum (*e*) ſolo *Nicolai Papæ* nomine inſcribitur apud Ivonem, (*f*) *Nicolaus Wilfredo Morienſis eccleſiæ Epiſcopo*, ſed & plenius ſcriptum eſt: ſic etiam in libro Cæſarauguſtano (*g*) plenius ſcribitur, & eodem modo inſcriptum legitur una excepta voce *Wilfredo*, pro qua eſt, *Guifredo*. Similis eſt inſcriptio cujuſdam capitis, (*h*) de quo egimus, cum de titulo x. actum eſt, licet illic *Humfredus* diceretur. Hoc loco apud Cochlæum eſt, *Oſualdo corepiſcopo Quadrantino*, ut capite tertio tituli undecimi: (*i*) quæ etiam inſcriptio eſt cujuſdam capitis proximi apud Gratianum (*k*) huic noſtro, & in libro Cæſarauguſt. (*l*) in quo tamen eſt *chorepiſcopo*, pro *corepiſcopo*: ut apud Contium, & in veteri libro meo eſt.

B. Inſcriptionem eamdem utrique capiti convenire putavit. Sed cur non invenimus alterius capitis verba in his xx. titulis?

C. Quid ſi poſterius caput non eſſe Nicolai credidit, aut utrumque ejuſdem eſſe ſententiæ?

A. De tertio capite videamus, cujus initium, *Hi qui arborem*. (*m*) Hoc ſolum Nicolai nomen hebet apud Gratianum, & Cochleum. De eo quid ſelectis viris placuit?

B. Incertum eſſe, & nuſquam repertum. (2)

A. Sequitur titulus XIII. de votis monaſteriis: ſub quo ſunt capita tria. Primi initium eſt, *Femina quæ poſt obitum*. Ejus inſcriptio apud Gratianum (*n*) eſt, *Nicolaus ad Albinum Viennenſis eccleſiæ Archiepiſcopum*. Hic *Adalvvinus* appellatur a Burchardo (*o*) & *Viennenſis eccleſia*, & ab Ivone (*p*) in Panormia *Vivacenſis eccleſia*, & *Adalvvinus Archiepiſcopus*. Sic etiam in Exceptionibus. Adalvvinus eſt Archiepiſcopus, ſed eccleſia Viennenſis, vel Vivanenſis, aut, ut in alio capite eſt, ſic inſcribitur, *Nicolaus Alamino Junarienſi Epiſcopo*. Ex hac varietate orta mihi hæc opinio eſt; ut hic idem ille ſit Albinus, quem alii Januenſem Archiepiſcopum, alii *Jovanenſem* Epiſcopum, vocabant, ut in capitibus tituli decimi invenimus. (*q*)

B. Opinioni tuæ facile ſubſcribo: *Alumino* enim, & *Alvvino* ſimiles voces ſunt, & *Januenſi*, ſive *Jovanenſi*, cum *Junarienſi* maxime convenit. Eſt quoque titulo XIIX. aliud caput, cujus initium, *Inter hæc*, (*r*) ita inſcriptum apud Gratianum, & Ivonem, (*ſ*) *Nicolaus Alvino Archiepiſcopo*; ſed idem Ivo alibi (*t*) ita inſcripſit, *Nicolaus Carolo Archiepiſcopo, & ejus ſuffraganeis*.

A. Video incerta eſſe hæc omnia.

C. Quid de illis verbis dicturus es, quæ Palea ſuperiori capiti (*u*) addidit, quæ a Burchardo, & Ivone ſumere potuit, ſi modo aliquid ab eis ſumſit: an ea dicemus ab Joanne Cochlæo eſſe omiſſa, cum tamen Nicolai eſſent?

A. Omiſſa eſſe conſtat; cur omiſerit, incertum eſt.

(a) *Diſt. 32. c. 4. de illo.*
(b) *Ivo par. 6. c. 119. decret.*
(c) *12. q. 2. de reb. 22.*
(d) *Ivo par. 3. c. 152. & in epiſt. 71. vel 32. Belvac. decano.*
(e) *Diſt. 50. c. 5. clericum.*
(f) *Ivo par. 6. c. 119. decret.*
(g) *Caſ. l. 15. c. 35.*
(h) *7. q. 1. c. 47. ſciſcitaris.*
(i) *Diſt. 50. cap. 39. ſtudeat.*
(k) *Diſt. 0. c. 6. de his.*
(l) *Caſ. lib. 15. c. 34.*
(m) *Diſt. 50. c. 49. hi, qui arborem.*
(n) *Diſt. 27. cap. 6. quod, interrogaſti.*
(o) *Burc. lib. 8. c. 47.*
(p) *Ivo lib. 3. tit. 17. c. 18. Panorm. & par. 7. c. 65. & c. 152. decr.*
(q) *Dial. 15. hujus libri.*
(r) *33. q. 2. c. 6. inter hæc.*
(ſ) *Ivo l. 8. tit. 2. c. 1. Pann. & par. 8. ca. 333. decr.*
(t) *Idem d. par. 8. cap. 124.*
(u) *Diſt. 27. c. 7. nam ſi.*

Digitized by Google

eſt, (3) Alterius capitis cujus initium, *Præſens clericus*: inſcriptio eſt apud Gratianum, (*a*) & in libro Cæſaraug. (*b*) *Nicolaus omnibus Epiſcopis in regno Ludovici*: apud Ivonem (*c*) additur, *Nicolaus Papa primus*. Quid habes ex Romanis libris, quod addas?

B. Nihil omnino. (4) Sed ne de illo quidem capite *Vidua quidem*, (*d*) cujus inſcriptio eſt apud Ivonem, (*e*) & Gratianum, *Nicolaus Carolo Archiepiſcopo, & ejus ſuffraganeis*.

A. Cochlæus addit *Carolo Archiepiſcopo Moguntino*, ut in alio capite tituli undecimi, quod in Vormatienſi ſynodo inventum eſt. Quærite in eodem concilio.

B C. Caput eſt XXI. in quo extremo hæc verba ſunt a Gratiano, & Ivone omiſſa: *Quod ſi præſumſerit, a liminibus ſanctæ eccleſiæ ſegregetur, donec ad emendationis remedia confugiat*.

A. Poteris hoc addere Romanæ editioni, ſi in ea fuerit omiſſum. (5) Tituli XIV. de laicis duo capita ſunt: prioris initium eſt, *De presbyteris*: (*f*) ſumtum eſt ex capite LXX. ad conſulta Bulgarorum, ut etiam Ivo (*g*) notat. In libro Tarraconenſi (*h*) Nicolao tantum Epiſcopo adſcribitur. (6) Poſterioris *in ſcripturis*, (*i*) apud Gratianum hæc inſcriptio eſt, *Nicolaus Ludovico Imp.* addit Cochlæus, *Ludovico ſecundo Imp.* Democha-

C res, & Contius, *Michaeli Imp.* Sed nobis res incerta eſt, licet de Conſtantini verbis aliquid in epiſtola magna ad Michaelem dicatur, & apud Deuſdedit capite III.

B. Idem ſelectis viris placet. (7)

A. Tituli XV. *de eccleſiis* capita tria ſunt. Primi initium, *Nulla ædificia*, (*k*) licet nomen habeat Nicolai Papæ, melius inſcriberetur, concilii

A Salegunſtadienſis cap. XII. ut eſt apud Burchardum (*l*) & Ivonem, (*m*) & pro *clericorum*, ſcribendum eſt, *presbyterorum*. (8) Alterius capitis, *De rebus quæ ſemel*: inſcriptio eſſe debet, *Nicolaus Adoni Archiepiſcopo*, ut a te dictum eſt hodie. De varietate nunc dicere. [*Nicolaus 12. q. 2. c. 22. de rel.*]

B. Dixi extare Nicolai epiſtolam, ejus initium eſt, *Quia ſanctitatis veſtræ*. In ea pro *conceſſionis Principum*, eſt, *ſucceſſionis*, quod non æque placet, & pro *conſulatus Principem*, illic eſt, *conſulto Principe*. Cetera ſunt leviora. (9)

A. Tertii capitis initium eſt, *Sicut antiquitus*; inſcriptio: *Nicolaus omnibus Epiſcopis*, apud Gratia-

B num (*n*) & Ivonem, (*o*) & Anſelmum (*p*) & in libro Tarraconenſi. (*q*)

C. Duplex inſcriptio eſt in Panormia, *Agathenſis concilii cap.* XXIIX. *&* *Nicolai*. In eo concilio hæc verba non invenio.

A. Conſule veterem Panormiæ librum.

C. *Ex concilio Antiocheno cap.* V. *Nicolaus &c.*

A. Hoc etiam mendoſum eſt, Quid in veteribus tuis eſt?

B. Varietas notata eſt a ſelectis viris, LX. *paſſus*, pro XL. & *confinia earum*, pro *confinia eorum*. (10)

A. Tituli XVI. de Baptiſmo duo capita ſunt: de priori, cujus initium, *A quodam Judæo*, (*r*) di-

C ctum a nobis eſt. (*s*) Alterius initium, *Catechiſmi baptizandorum*: inſcriptio apud Gratianum, (*t*) *Nicolaus Papa*: apud Ivonem, (*u*) *Nicolaus Papa Joanni Archiepiſcopo Ravennatenſi*. Quid tu addis?

B. Nihil habeo, quod addere poſſim. (11)

A. Sequitur titulus XVII. de pœnitentia, de quo cras agemus.

ADDITIONES.

(1) ANTE *caput quartum diſtinct. 32. hæc in Gregoriano libro verba ſunt: Item Nicolaus Papa Odoni Viennenſi Archiepiſcopo. De illo clerico Alverico &c. In marg. eſt; al. Adoni, & al. Atoice, & Ivo p. 6. c. 119. Caput 22. De rebus, 12. q. 2. ita inſcribitur; Item Nicolaus Papa Adoni Viennenſi Archiepiſcopo in epiſtola, cujus initium (Quia ſanctitatis veſtræ) In marg. eſt; Ivo p. 3. c. 152. Et in notis: Extat epiſtola hæc in libro ſæpe citato bibliothecæ Dominicanæ, in qua reſpondet Nicolaus ad nonnullas quæſtiones ab Adone (al. Odone) ſibi propoſitas.*

(2) *Diſtin. 50. caput 5. Clericum, in eodem libro ita inſcriptum eſt. Item Nicolaus Papa. Et in marg. eſt; Ivo p. 6. c. 120. Capitis ſexti De his clericis, hæc inſcriptio eſt: Item Osbaldo Chorepiſcopo Quadrantino. De c. 39. Studeat, e. diſt. Scriptum eſt dial. 16. addit. 7. & de cap. 47. Sciſcitaris, 7. q. 1. dial. 15. addit. 14. Cap. 49. Hi qui arbores, (ſic enim editum eſt, non arborem) eadem diſt. 50. inſcriptio eſt: Item Nicolaus Papa.*

(3) *Inſcriptio capitis ſexti, Quod interrogaſti, diſt. 27. in eodem libro hæc eſt; Item Nicolaus Papa ad Albinum Viennen. eccleſiæ Archiepiſcopum. In marg. eſt: Valde variant hæc nomina in exemplaribus, & Burc. & Ivone. Burc. l. 8. c. 47. Ivo par. 7. c. 65. & 152. Pann. l. 3. c. 205. Capitis 7. Nam*

ſi conſenſerimus, e. diſt. inſcriptio eſt; Palea. In marg. hæc ſunt: Burchar. & Ivo ibidem. Pann. l. 3. c. 206. In notis eſt; Caput hoc in multis Gratiani codicibus; (in quibus habetur ſine nomine Paleæ,)

D *eſt conjunctum ſuperiori, quemadmodum & apud Burchardum, & Ivonem, In Pannormia autem eſt ſejunctum, Inſcriptio cap. 6. Inter hæc 33. q. 2. hæc eſt: Hinc idem Nicolaus ſcribit Albino Archiepiſcopo. In marg. eſt: Sent. ibidem. (hoc eſt, Sent. 4. diſt. 83.) Polyc. l. 6. tit. 10. Ivo p. 8. c. 124. & 333. Pann. l. 7. c. 14.*

(4) *Caput quartum, Præſens clericus, 20. q. 3. in eodem libro ita inſcribitur: Unde Nicolaus Papa ſcribit omnibus Epiſcopis in regno Ludovici, In marg. eſt: Ivo, p. 6. c. 356.*

(5) *Hæc eſt in eodem libro inſcriptio cap. 34. Vi-*

E *dua, 27. q. 1. Item Nicolaus Carolo Archiepiſcopo, & ejus ſuffraganeis. In marg. hæc ſunt: Habetur in concil. Vormatienſi c. 21. Ivo p. 7. c. 145. Pann. l. 3. c. 199. In notis: Oblationes) In concilio Vormatienſi, apud Ivonem, & in Pannormia legitur, oblationem: ſed gloſſa magis fere convenit voci oblationes.*

(5) *Extremi capitis, diſtin. 28. inſcriptio in eodem libro hæc eſt: Item Nicolaus ad conſulta Bulgarorum c. 72. Conſultandum decernitis &c. In marg. eſt: Ivo p. 2. c. 82. Pann. l. 5. c. 12. Et in notis:*

Præs-

(a) 20. *q.* 3. *c.* 4. *præſens*.
(b) *Caſ. lib.* 9. *c.* 48.
(c) *Ivo par.* 6. *c.* 356. *decret.*
(d) 27. *q.* 1. *c.* 34. *vidua*.
(e) *Ivo lib.* 3. *tit.* 17. *c.* 12. *panorm. & par.* 7. *c.* 345 *decr.*
(f) *Diſt.* 28. *c. ult.*
(g) *Ivo lib.* 5. *tit.* 1. *c.* 11. *Pan. & par.* 2. *c.* 82. *decr.*
(h) *Tarrac. lib.* 1. *c.* 167.
(i) *Diſt* 96. *c.* 8. *in ſcripturis*.
(k) 12. *q.* 1. *c.* 4. *nulla*.
(l) *Burch. in fine decretorum.*
(m) *Ivo par.* 15. *cap.* 178. *decr.*
(n) 17. *q.* 4. *c.* 6. *ſicut*.
(o) *Ivo lib.* 8. *tit.* 8. *c.* 3. *panorm. & par.* 3. *cap.* 104. *decr.*
(p) *Anſ. lib.* 5. *c.* 74. *in addit.* 46. *in Rom.*
(q) *Tarrac. lib.* 6. *c.* 244.
(r) *De conſec. d.* 4. *c.* 24. *a quodam*.
(s) *Dial.* 18. *lib.* 2.
(t) *C.* 57. *catechiſmi, ejuſd. diſt.*
(u) *Ivo lib.* 1. *tit.* 2. *c.* 33. *panorm. & par.* 1. *c.* 87. *decr.*

Presbyterum) *In ultimo capite harum reſponſionum referuntur Bulgarorum verba, dicentium multos apud ſe eſſe Græcos, & Armenos, & alios, qui diverſa docerent. Nondum enim a Romana ſede epiſcopum, aut presbyterum acceperant. Quamobrem nihil mirandum, ſi presbyter de quo in hoc capite agitur, ... itus erat.*

(7) *Diſt.* 96. *cap.* 8. *In ſcripturis in eodem libro inſcriptio eſt: Item (Nicolaus) Ludovico Imperatori. In marg. eſt: Habeatur aliqua in eadem epiſt. ad Michaelem.*

(8) *Ante caput quartum, Nulla ædificia,* 12. *q.* 1. *hæc in eodem libro verba ſunt: Unde Nicolaus Papa. Et in marg. In concil. Salegunſt. c.* 12. *Ivo p.* 15. *c.* 178. *Et in notis: Fere eadem leguntur in concilio Salegunſtad.enſi c.* 12. *quod habetur in fine Collectionis Burchardi & refertur ab Ivone par.* 15. *Vox clericorum edita eſt.*

(9) *De inſcriptione cap.* 22. *De rebus,* 12. *q.* 2. *ſcriptum eſt addit.* 1. *hujus dialogi.*

(10) *Inſcriptio capitis ſexti, Sicut antiquitus,* 17. *q.* 4. *in eodem libro hæc eſt: Item Nicolaus Papa omnibus Epiſcopis. In marg. hæc ſunt: inter decreta Nic. in codice Ormanetti. Anſ. l.* 5. *c.* 74. *Ivo p.* 3. *c.* 164. *Pann. l.* 2. *c.* 81. *Ad voces* XL. *paſſus, additur, al.* LX. *& ad illa, conſilia earum, additur, al. eorum.*

(11) *Capitis* 24. *A quodam de conſec. diſt.* 44. *inſcriptionem vide lib.* 1. *dial.* 18. *addit.* 1. *Capitis* 57. *Catechiſmi,* 4. *diſt. inſcriptio eſt: Item Nicolaus Papa. In marg. eſt: Ivo par.* 1. *c.* 82. *Pann. l.* 1. *c.* 40.

D I A L O G U S XVIII.

De eadem re.

B. NON mihi videtor omnia Nicolai Pontificis capita quæ a Gratiano relata ſunt, Joannes Cochlæus collegiſſe.

A. Quid ita? Habes ne aliam meliorem collectionem?

B. Nullam habeo. Sed ex his quæ a te dicta ſunt, elicio aliquot eum capita prætermiſiſſe: ut de illis taceam, quæ falſo Nicolao inſcribuntur.

C. Ex indice incertorom capitum a Petro Ciacone miſſo poterunt fortaſſe alia inveniri.

A. Recte admones. Id a vobis alio die fieri poteſt. Sed nos prius quod cœpimus, peragamus. Caput primum tituli de pœnitentia apud Gratianum eſt inſcriptum, *Nicolaus Frontario Archiepiſcopo Burdegalenſi:* in Pœnitentiali Romano nuper edito *Nicolai* tantum nomen extat, & plenius quædam ſcripta ſunt. Quid aliud Romæ inventum eſt?

12. q. 2. c. 27. de viro Pœnit. Romani, tit. 8. c. 18.

B. Nihil aliud accepi. (1) Eſt igitur incertum id quod ſequitur, *De his vero, qui pro criminibus,* (*a*) in quo has varias ſcripturas notant ſelecti viri, *revertuntur*, pro *convertuntur*, & *regionis*, pro *religionis*.

A. Placent. (2) De tertio capite dicendum eſt, cujus initium, *Interfectores*. (*b*) Id ſumtum dicitur ex epiſt. miſſa Radulpho Bituricenſi Archiepiſcopo, ut Ivo. (*c*) & Gratianus referunt: idemque eſt in libro Cæſaraug. (*d*)

B. Hoc etiam caput incertum eſt.

C. Quid eſt, quod dicitor in hoc capite, *Beati Leonis Papæ* XXV. *regula decretalium*?

A. Ex Corpore canonum diſcere id licet. Eſt autem in eo caput XXV. quod in libris conciliorum eſt caput XII. epiſtolæ XC. ad Ruſticum Narbonenſem, cujus initium, *In adoleſcentia*. (*e*) Capitis quarti initium eſt; *Laterem*: (*f*) inſcriptio apud Burchardum (*g*) eſt, *Nicolaus Radoldo Epiſcopo ſanctæ Argenteæ Retenſis eccleſiæ*, quod, licet ſit in edito & in veteri libro, mendoſum eſſe credimus, & ſcribendum, *Argentoratenſis Eccleſiæ*. Apud Ivonem (*h*) eſt, *ad Radulphum*, cetera ut apud Burchardum. *Radalde* eſt apud Anſelmum; (i) *Rodulpho*, in libro Tarraconenſi: (*k*) *Ratbolde Epiſcopo ſanctæ eccleſiæ Argentoratenſis*, apud Gratianum: *Radulpho* placuit Cochlæo. Nihil mutant Demochares, & Contius: quid habeant ſelecti viri, a te audire aveo.

B. Nihil inveni præter variam ſcripturam aliquot verborum. Caput quintum *Si ... cum duabus* (*l*) conjungitur ſuperiori cum hac inſcriptione, IDEM. Apud Ivonem (*m*) ita inſcriptum invenio, *Nicolaus Carolo Archiepiſcopo, & ejus ſuffraganeis*: & in margine: *In ... habet concilium Vormatien.* cap. XXXIII. Id melius eſt, quam quod Cochlæus inſcripſit: *Ad conſulta Bulgarorum*.

C. Idem error eſt qui in aliis deprehenſus eſt, ut quæ concilii Vormatienſis ſint, dicantur eſſe Nicolai ad Carolum.

A. De alio capite ejuſdem concilii Nicolao adſcripto, in titulo XIX. cenſura videbimus. (3) Tituli XIX. *de ...* capita novem ſunt. Primi initium eſt, *Sufficiat ſolus*, (*u*) quod ſumtum eſſe ſcimus ex capite tertio ad conſulta Bulgarorum, licet apud Ivonem (*o*) aliam habeat inſcriptionem, & in libro Cæſaraug. (*p*) *Nicolai* tantum nomen habet apud Anſelmum, (*q*) & Gratianum. Verba Nicolai ſunt hæc, *Sufficiat ſecundum leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur. qui conſenſus ſi ſolus in nuptiis forte defuerit, cetera omnia etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur*. De aliis verbis Nicolai aliud erit dicendi tempus. (4) *Alterius* capitis, cujus initium eſt, *Scripſit nobis*, (*r*) inſcriptio apud Gratianum, & Anſelmum (*ſ*) eſt, *Nicolaus Papa*; apud Burchardum (*t*) additur, *in epiſt. ad Carolum regem* item apud Ivonem, (*u*) & in libro Cæſaraug. (*x*) *regem Francorum* vocat Cochlæus. Alibi apud eundem Ivonem (*y*) inveni partem hujus capitis, *Non licet ſit ſcriptum &c.* habere hanc inſcriptionem, *Nicolaus ad Lotharium*. Apud Burchardum (*z*) quoque licet ſub eadem inſcriptione aliis verbis conjunguntur hæc, quæ ſunt longe a ſuperioribus diviſa.

B. Ita eſt, ut dicis namque apud Gratianum ex epiſtola ad Carolum regem, cujus initium, *Nunquam*, vel *Nil æque*, ſumitur pars ejus capitis: poſterior vero ex epiſtola ad Lotharium regem.

(a) 26. *q.* 7. *c.* 3. *de his.*
(b) 33. *q.* 2. *c.* 9. *Interfectores.*
(c) *Ivo lib.* 7. *tit.* 2. *c.* 2. *Panorm. & par.* 8. *c.* 325. *decret.*
(d) *Caſ. lib.* 10. *c.* 97.
(e) C. 24. *in adoleſcentia,* 2. *q.* 2.
(f) C. 15. 2. *q. laterem.*
(g) *Burc. lib.* 6. *c.* 26.
(h) *Ivo par.* 10. *cap.* 173. *decr.*
(i) *Anſ. lib.* 11. *c.* 50.
(k) *Tarr. lib.* 1. *c.* 254.
(l) C. 16. 1. *q. ſi quis.*
(m) *Ivo par.* 9. *c.* 31. *decr.*
(n) 27. *q.* 2. *c.* 2. *ſufficiat.*
(o) *Ivo lib.* 6. *tit.* 8. *c.* 6. *Panorm. & par.* 8. *c.* 17. *decr. & epiſt.* 130. *&* 143 *&* 241.
(p) *Caſ. lib.* 10. *c.* 27.
(q) *Anſ. lib.* 10. *c.* 30. *in Rom.*
(r) C. 23. 2. *q. ſcripſit.*
(s) *Anſ. lib.* 10. *c.* 21.
(t) *Burc. lib.* 9. *c.* 49.
(u) *Ivo lib.* 6. *tit.* 5. *c.* 3. *Panorm. & par.* 8. *c.* 118. *decret.*
(x) *Caſ. lib.* 10. *c.* 99.
(y) *Ivo c.* 9. *c. tit.* 5. *pan. & c.* 188. *e. par.* 8. *dec.*
(z) *Burc.d. lib.* 9. *c.* 53.

gem, *Audite*, quæ in hiſtoria Reginonis etiam relata eſt. Et ſi quis attente verba conſideret, videbit in priori parte Lotharii fieri mentionem; & in poſteriori ad eumdem verba illa dirigi, *mutuam ſeparationem veſtram prohibemus*. Initio pro *Theberga*, *Theuperga* ſcribendum: & pro illis, *ſe regia dignitate* &c. illic eſt, *regiæ ſe velle exui dignitate, ſeu copula*: & pro *eſſe contentum*, ſcribendum, *fore contentam*: & pro *elegerit*, *elegiſſet*. (5)

A. Capitis tertii, cujus initium, *Ubi non eſt*, inſcriptionem non aliam inveni, quam hanc, *Nicolaus Papa*, apud Ivonem, (*a*) & Gratianum, (*b*) & Bernardum Papienſem, (*c*) & Raimundum. Fontem tu nobis oſtendes.

B. Nili fontibus obſcurior eſt. (6)

A. Sequitur caput quartum, *Noſtrates tam mares*, (*d*) quod eſt ex capite ſumium tertio ad conſulta Bulgarorum, quod Ivoni, (*e*) & Gratiano haud fuit ignotum. Idemque eſt in libro Cæſarauguſt. (*f*) Plura autem ſunt in dicto capite tertio, quam in aliis collectionibus. (7) Ex eiſdem reſponſis ad conſulta Bulgarorum cap. xcvi. eſt caput vi. cujus initium, *Quidquid mulier*, ut etiam Gratianus, (*g*) & Ivo (*h*) notant: ſed plenius in archetypo ſcriptum eſt, ſic enim illic eſt: *Quidquid mulier tua contra te cogitaverit, aut fecerit, vel ſi te accaſaverit* &c. & in fine deſiderantur hæc: *Quæ eſt Apoſtolo præcipiente*, (*i*) *ſicut a Chriſto eccleſia diligenda* &c. (8) Caput ix. *Nec uxorem ducere*, (*k*) ex eiſdem reſponſis eſt cap. xlix. Sic etiam Ivo, (*l*) & Gratianus & liber Cæſarau. (*m*) inſcripſerunt. Scriptum autem illic eſt, *Nullatenus arbitramur*, pro *ullo modo arbitrer*. (9) Redeo nunc ad caput v. cujus initium, *Lotharius rex*: Id caput hanc inſcriptionem habet apud Gratianum: (*n*) *Nicolaus Radualdo Portuenſi, & Joanni Sicolienſi Epiſcopis*. *Phicolenſi* pro *Sicolienſi* eſt apud Ivonem: (*o*) Ficulenſi, in veteri Gratiani libro: Quid tu auxilii affers?

B. Pro *Joanni* ſcribi poſſe *Haganoni*, ex Reginonis Chronicis. Sic enim illic eſt: *Anno Dominicæ Incarn.* DCCCLXV. *miſſi ſunt Hagano, & Rodoaldus Apoſtolicæ ſedis legati in Galliam* &c. Quod vero dicitur, *Lotharius rex in commonitorio profitetur*, mendoſum eſſe putatur: namque illud commonitorium non regis fuit, ſed Pontificis ad regem. Itaque ſelecti viri putant, ex inſcriptione decidiſſe eam vocem, & poſt vocem, *Epiſcopis*, ſcribendum, *in commonitorio*: & mox, *Lotharius* rex *profitetur*.

A. Eccleſiæ nomen mendoſum videtur, & cetera incerta ſunt. (10) Caput vii. cujus initium, *Hi qui matrimonium*, (*p*) ita inſcripſit Gratianus, *Nicolaus ad Carolum Maguntienſem Epiſcopum*. *Mogunt.* pro *Magutien.* eſt apud Burchardum. (*q*) *Magotienſem*, apud Ivonem in Panormia: *Magutien.* in Excerptionibus. (*r*) *Magunanſem* eſt in libro Tarraconenſi. (*ſ*) At in Cæſarauguſtano, (*t*) & apud Anſelmum (*u*) *Nicolai* tantum nomen: apud Cochlæum eſt, *Carolo Maguntinenſi Archiepiſcopo*. Fons eſt, *Interpres Julii Pauli libro ſecundo ſententiarum titulo* xix. Eſt autem ſcribendum, *Sicut*, non, *Hi qui*. (11) Cap. viii. cujus initium, *Inter hæc*, hanc habet apud Gratianum inſcriptionem, „ Nicolaus Alvino „ Archiepiſcopo: “ eadem eſt apud Ivonem in utraque collectione, ſed alia quoque in Excerptionibus (*x*) eſt: „ Nicolaus Carolus Archiepiſcopo, & „ ejus ſuffraganeis. “ De his inſcriptionibus dictum eſt: & quædam capita in Vormatienſi concilio inventa ſunt.

33. q. 2. c. 6. *inter hæc.*

Ivo lib. 7. tit. 2. cap. 1. Pan & par 8. cap. 323. decr.

B. Ita eſt, ut dicis. Hujus tamen capitis ſententia illic non eſt.

A. Eſt igitur in incertis numerandum.

B. Ita plane exiſtimo. (12)

A. De duobus reliquis titulis alio die agemus.

ADDITIONES.

(1) *Gratiani verba ſunt in Romano libro ante cap. 17. De viro neſando, 12. q. 2. Nicolaus Papa deſinit ſcribens Frontario Archiepiſcopo Burdagalenſi. In notis eſt: Caput hoc alibi non eſt inventum, quam in collectione canonum incerti auctoris.*

(2) *Quod attinet ad cap. 3. De his vero, ejus inſcriptio eſt in eodem libro: Item Nicolaus Papa. In marg. eſt: Ad vocem egerum, al. gerunt, aliquot manuſcripti, & ad vocem religionis, al. regionis, aliquot manuſcripti.*

(3) *Hæc etiam inſcriptio eſt in eodem libro cap. 5. Interfectores, 33. q. 2. Unde Nicolaus Papa ſcribit Rodulpho Bituricenſi Archiepiſcopo. In marg. eſt: Sent. 4. 38. Ivo p. 8. c. 125. Pann. l. 7. c. 15. Ad verba Leonis Papæ* xxv. *regula, additur, infra eadem, in adoleſcentia. Sent. ibid. Et in notis:* xxv.) *Hoc eodem numero habetur in Codice canonum inter decreta, ſeu regulas Leonis. Capitis 14. In adoleſcentia, c. q. inſcriptio eſt: Item Leo Papa ad Ruſticum epiſtola 90. al. 92. c. 11. Et capitis 15. Latorem, c. q. hæc inſcriptio eſt: Item Nicolaus Papa Rhatoldo Epiſcopo ſanctæ eccleſiæ Argentoratenſis. In marg. hæc ſunt: al. Rodulpho. Polyc. l. 6. tit. 10. Anſelm. l. 11. c. 52. Burchard. l. 5. c. 46. Ivo p. 10. c. 137. Et verſ. Si autem. Vide Renatum ad finem Tertulliani operum. Ad vocem converſionem, additur; al. converſationem. In notis eſt: Pœnitentia parricidarum, quæ heic præcipitur, habetur in concilio VVormatienſi c. 30. Capitis 16. Si quis cum duab. c. q. pro inſcriptione eſt vox Item. Et in margine: al. Idem. Et, in concilio VVormatienſi c. 33. idem habetur. Et in notis: Ivo citat hoc, quemadmodum & ſequens, ex Nicolao ad Carolum Archiepiſcopum, & ejus ſuffraganeos. Idem vero habetur in concilio VVormatienſi c. 33. niſi, quod pro illis verbis, lapſa, ut fornicationis non perducatur ad chaos in eo legitur, lapſa fornicationis, liceat.*

(4) *Ante caput ſecundum, Sufficiat, 27. q. 2. in eodem libro hæc verba ſunt: Item Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum c. 3. In marg. eſt: Sent. ibidem. (hoc eſt, Sent. 4. diſt. 27.) Et in notis: Emendatum eſt caput hoc ex ipſis Nicolai reſponſis.*

(5) *Eadem quæſtione cap. 26. Romanis, Scripſit nobis Thietberga, in eodem libro inſcriptio eſt: Item Nicolaus Papa Carolo regi. In marg. eſt: Sent. ibidem, (hoc eſt, Sent. 4. diſt. 27.) Anſ. l. 10. c. 21. Burch.*

(a) *Ivo lib. 6. tit. 11. c. 3. Panor.*
(b) 30. *q. 2. c. un.*
(c) *C. 4. de deſpo. impu. in 2. coll. c. 2. e. tit. apud Greg. IX.*
(d) 30. *q. 5. c. 3. noſtrates.*
(e) *Ivo lib. 6. tit. 2. c. 9. Pan. & par. 8. c. 6. decr.*
(f) *Caſ. lib. 10. c. 7.*
(g) 32. *q. 5. c. 22. quidquid.*
(h) *Ivo par. 8. c. 228. decret.*
(i) *Eph. 5.*
(k) 33. *q. 4. c. 11. nec uxorem.*
(l) *Ivo lib. 6. tit. 1. c. 3. Pan. & par. 8. c. 47. dec.*
(m) *Caſ. lib. 10. c. 26.*
(n) 31. *q. 2. c. ult.*
(o) *Ivo par. 8. c. 334. decret.*
(p) 32. *q. 7. c. 25. hi, qui.*
(q) *Burc. lib. 9. c. 28.*
(r) *Ivo lib. 6. tit. 6. c. 8. Panorm. & par. 8. cap. 266. decr.*
(ſ) *Tarr. lib. 2. c. 233.*
(t) *Caſ. lib. 10. c. 73.*
(u) *Anſ. lib. 10. c. 25.*
(x) *Idem d. p. 8. c. 124.*

Digitized by Google

Burch. l. 9. c. 49. Ivo p. 8. c. 128. & 188. Pann. l. 6. c. 77. Et in notis : Scripſit) Uſque ad verſ. (ſcribe verb.) elegerit, ſunt ex epiſtola Nicolai primi Carolo regi ſcripta, cujus initium eſt, Nunquam dolorem, & exſtat in codice monaſterii Dominicanorum. Nam licet) Hæc uſque ad finem ſunt ex epiſtola ejuſdem Nicolai ſcripta Lothario, cujus initium eſt, Audite revertente miſſo noſtro, & exſtat in eodem codice. Ante verſ. Nam licet ſit, additur: Et in altera epiſtola ad Lotharium regem.

(6) Gratianus ante verba cap. un. 30. q. 2. his verbis utitur: Teſtatur hoc idem Nicolaus Papa dicens. Ubi non eſt &c. In notis eſt. Utraque) Sic eſt emendatum ex pleriſque vetuſtis, cum antea legeretur, alterutra: utriuſque enim conſenſus neceſſarius eſt. Et poſtea: In Decretalibus tit. de deſponſatione impub. c. 2. habetur initium hujus capitis; & adjiciuntur alia ex eo Nicolai reſcripto. Conſentiat) In vulgatis codicibus ſequitur, nec eſt conjugium, niſi ſit conſenſus utriuſque: quæ verba abſunt in pleriſque manu ſcriptis. In marg. eſt: Extra de deſpon. impub. c. 2. Pann. l. 6. c. 122. Capitis 2. Ubi non eſt de deſpon. impub. inſcriptio eſt: Nicolaus Papa. In marg. eſt: Cap. 4. eo. tit. in 1. compil. Pannormia lib. 6. tit. 11. c.3. ſive c.122. Gratianus 30. q. 2. c. Ubi non eſt.

(7) Inſcriptio capitis tertii, Noſtrates, 30. q. 5. in libro Romano hæc eſt: Item Nicolaus ad conſulta Bulgarorum c. 3. In marg. eſt; Ivo par. 8. c. 6. Pann. l. 6. c. 9.

(8) Capitis 22. Quidquid, 32. q. 5. in eodem libro inſcriptio eſt: Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum c. 96. In marg. eſt: Ivo par. 8. c. 328. Et in notis: Quæ eſt) Hæc uſque ad finem addita ſunt ex ipſis reſponſionibus. In marg. eſt: Eph. 5.

(9) Hæc etiam eſt in eodem libro inſcriptio cap. 11. Nec uxorem, 33. quæſt. 4. Item Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum c.48. Et in marg. eſt: Sent. ibidem (hoc eſt, Sent. 4. diſt. 32.) Ivo p. 8. cap. 47. Pann. l. 6. c. 3.

(10) Extremi capitis 31. q. 2. in eodem libro inſcriptio eſt hæc: Item Nicolaus Radoalde Portuenſi, & Joanni Ficolenſi Epiſcopis. Lotharius rex (in commonitorio) profitetur &c. In marg. eſt: Ivo p. 8. c. 334. Et in notis: In commonitorio) Hæc verba videntur accipienda quaſi pro titulo, & ſejuncta a ceteris; ut indicetur caput hoc ſumtum eſſe ex commonitorio, quod Nicolaus legatis ſui Rodoaldo Portuenſi, & Joanni Ficolenſi Epiſcopis dederit. Nam totius capituli verba ſunt ipſius Nicolai legatos monentis, quomodo ſe in ea cauſa gerere debeant. Datum vero ab eo fuiſſe commonitorium his ipſis legatis Nicolaus in epiſtola ad Epiſcopos in Convicinum congregatos in appendice bibliothecæ SS. patrum teſtatur his verbis: Porro quid de Lotharii &c. Cum hæc etiam) Hæc verba non ſunt hoc loco apud Ivonem: ſed paullo ſuperius poſt illa verba, admiſſa ſe dicit, multa interjiciuntur, in quibus & hæc continentur, licet alio ordine. Sed ob gloſſam non eſt mutatum.

(11) Ante cap. 25. Hi qui, 32. q. 7. in eodem libro hæc verba ſunt: Item Nicolaus ad Carolum Moguntinenſem Epiſcopum. In marg. eſt: L. 2. ſent. Paulli tit. 19. in interpretatione legis 4. in Co. Theod. Sent. 4. diſt. 34. An. l. 10. c.27. Burc. l. 9. c.28. Polyc. l. 6. tit. 4. Ivo par. 8. c. 166. Pann. l. 6. c. 93. Inſcriptio cap. 26. Neque furioſus, e. q. eſt: Item Fabianus Papa. In marg. eſt: Paullus, ibidem. Sent. ibid. Polyc. ibdem (ſcribe, ibidem) Anſelm. l. 10. c. 28. Burc. l. 9. c. 30. Ivo par. 8. c. 168. Pann. l. 6. c. 92.

(12) In eodem libro inſcriptio c.6. inter hæc, 33. q. 2. hæc eſt: Hinc idem Nicolaus ſcribit Albino Archiepiſcopo. In marg. hæc ſunt. Sent. ibidem (hoc eſt, ſent. 4. diſt. 38.) Polyc. l. 6. tit. 10. Ivo p. 8. c. 124. & 333. Pann. l. 7. c. 14. (Vid. dial. 17. add. 3. hujus libri.)

D I A L O G U S XIX.

De eadem re.

A. UT ſuave eſt navigantibus, poſt varias multorum dierum agitationes, e longinquo portum videre, aut patriæ ſuæ mœnia, atque turres adgnoſcere: ſic mihi videor non injucunde portum videre poſt noſtræ peregrinationis curſum atque ſermonum, quibus de Nicolai incertis capitibus egimus, cum hodie undecim capitibus diſcuſſis, quæ reliqua ſunt, finem facere licebit. Namque titulus XIX. *de impedimentis matrimonii* ſex habet cap. XX. titulus *de bellis quinque*. Primum igitur caput prioris tituli, cujus principium eſt, *Noſſe deſideras*, (*a*) ita inſcribitur apud Gratianum: *Nicolaus Salonitano Epiſcopo; Salomonitano*, apud Ivonem (*b*) in Panormia edita; *Salomonio*, in veteri, & in Exceptionibus; *Saleminio* eſt in libro Cæſaraugu. (*c*) *Nicolaus ad Salemoniam*, in Tarraconenſi. (*d*) (1) Sed & fortaſſe verior eſt inſcriptio capitis quarti *Sciſcitatur*, (*e*) *Salomoni Conſtantienſi Epiſcopo*; quæ tam apud Gratianum, quam apud Ivonem (*f*) in utraque collectione, & in libro Cæſaraug. (*g*) exſtat: quamvis in Tarraconenſi (*h*) vox *Conſtantienſi* deſideratur.

B. Non diſplicet conjectura. Sed utrumque caput incertum eſt etiam ſelectis viris. (2)

A. Capitis ſecundi, cujus initium, *De his qui filiaſtros*; (*i*) inſcriptio apud Gratianum eſt, *Nicolaus Papa Rodulpho Bituricenſi Epiſcopo*, & apud Ivonem (*k*) non diſſimilis eſt. *Archiepiſcopo*, pro *Epiſcopo*; eſt in Cæſarauguſt. (*l*) & apud Cochlæum.

B. Hoc etiam caput in incertis numeratur. (3)

A. Quod ſequitur, *Ita diligere debet*, (*m*) exſtat in reſponſis ad conſulta Bulgarorum capite ſecundo; idque etiam adfirmant Ivo, (*n*) & Anſelmus, (*o*) & Gratianus, & Cæſaraug. liber, (*p*) licet in numero capitis errent. Sed in verbia referendis multum ſibi ſumunt, cum alia omittunt, alia adſcribunt, alia brevius dicunt. Nos id tantum dicamus quod pro illis eſt: „ Item. Eſt inter „ fratres, & filios ſpirituales gratuita & ſancta „ communio &c. Nulla vero inter eos, & filios „ eorum conſanguinitas eſt: quoniam ſpiritus ea „ quæ ſanguinis ſunt, neſcit. Caro enim, ſecundum Apoſtolum, (*q*) concupiſcit adverſus ſpiri„ tum: hæc enim invicem adverſantur. Eſt ta„ men

(a) 30. q. 1. c. 3. *noſſe.*
(b) *Ivo lib. 6. tit. 18. c. 5. Panor. & par. 1. c. 336. decr.*
(c) *Caſ. lib. 10. c. 71.*
(d) *Tarrac. lib. 6. c. 131.*
(e) 30. *q. 4. c. 1.*
(f) *Ivo lib. 7. tit. 9. c. 1. Panor. & par. 1. c. 137. & par. 9. c. 35. decr.*
(g) *Caſ. lib. 10. c. 131.*
(h) *Tarrac. lib. 6. c. 268.*
(i) 30. *q. 1. c. 6. de his.*
(k) *Ivo lib. 6. tit. 11. c. 8. Panorm. & par. 1. c. 304. decr.*
(l) *Caſ. lib. 10. c. 135.*
(m) 30. *q. 3. c. 1. ita.*
(n) *Ivo lib. 6. tit. 11. c. 4. Pan. & par. 8. c. 135. & par. 9. c. 34. decr.*
(o) *Anſ. lib. 10. c. 72. in addit.*
(p) *Caſ. lib. 10. c. 030*
(q) *Gal. 5. c.*

„ men alia inter eos gratoita, & ſancta commu-„ nio, &c. “ Ex his verbis apparet, non recte, *inter fratres*, apud Gratianum ſcribi; ſed, *inter patres*, eſſe ſcribendum; ut etiam Ivo habet, & liber Cæſaraug. (4) Nunc ad quintum caput veniamus, cujus initium, eſt, *Si qui cum matre*; (*a*) quod Nicolao adſcribitur ab Ivone, (*b*) & Gratiano: ſed Gratianus non adjecit ex qua epiſtola, Ivo addit *ex epiſtola miſſa Carolo Archiepiſcopo, & ejus ſuffraganeis*. Hodie exſtat in concilio Vormatienſi cap. xxxiv. quod recte in margine Ivonis eſt adſcriptum: *Si quis cum commatre ſpirituali fuerit fornicatus, uſque ad dignam pœnitentiam anathematis percutiatur ictibus*. (5) Capitis ſexti, cujus initium, *De conſanguinitate*; (*c*) inſcriptio eſt apud Gratianum hæc: *Nicolaus Papa Amalphitanæ eccleſiæ ſuffraganeis*. Sed verius eſt ſcribendum eſſe t *Nicolaus ſecundus in concilio Romano* cxiii, *Epiſcoporum*. (6) Extremi tituli de bellis caput primum *Monomachiam*, (*d*) Gratianus inſcripſit, *Ex decretis Nicolai Papæ*. Ivo (*e*) quoque in Excerptionibus & in epiſtolis ſolum *Nicolai* nomen adſcripſit. Burchardus (*f*) videtur ad epiſtolam ad Carolum regem referre. Tu nobis certiora oſtendes.

B. In epiſtola ad Carolum regem, cujus initium, *Nil æque*, ſive *Numquam æque*, verba ejus capitis ſunt: quæ ita ſcripta leguntur: *Monomachiam vero in lege aſſumi, nuſquam præceptum fuiſſe reperimus: Quia licet quoſdam iniiſſe legerimus* &c. (7)

A. Caput ſecundum, cujus initium eſt, *Quin etiam præfata*, (*g*) para eſt capitis *Auctoritatem*, de quo diximus, (*h*) cum de titulo iv. ageremus. (8) Tertium caput, *Omnium veſtrum*, (*i*) hanc habet apud Gratianum inſcriptionem; *Nicolaus exercitui Francorum*. Apud Ivonem (*k*) in Excerptionibus *Leoni quarto in epiſt. miſſa exercitui Francorum* adſcribitur; ex qua aliud caput eſt apud Gratianum. (*l*) In Panormia Ivonis (*m*) Alexandro ſecundo videtur adſcriptum. Illud quidem certe conſtat, melius, & plenius apud Ivonem in utraque eſſe collectione, quam apud Gratianum; niſi tibi aliud videatur.

B. Hoc ipſum probo, nihilque habeo, quod his addam. (9)

A. Veniamus igitur ad quartum caput, *Si nulla urget neceſſitas*, (*n*) quod eſſe ex reſponſis ad conſulta Bulgarorum cap. xlvi. Ivo, (*o*) & Gratianus ſcribunt, quod mendoſum eſt in libro Cæſaraug. (*p*) Si quis integrum caput legerit, alia videbit a Nicolao dicta non contemnenda. (10) Extremum caput, cujus initium eſt, *Illi, qui peregrinos*, (*q*) ita inſcribunt Ivo, (*r*) & Gratianus, *Nicolaus omnibus Epiſcopis*. Tuam de hoc capite ſententiam exſpecto.

B. In incertis collocandum eſſe cenſeo. (11)

A. Nos noſtrum penſum abſolvimus. Veſtrum eſt, ut de aliis incertis capitibus Nicolai a Cochlæo prætermiſſis dicatis.

B. Non multa ſunt ab eo prætermiſſa. Initio quod a Gratiano dicitur diſtin. xxiii. (*ſ*) *Item ex ſexta ſynoda. Unde Nicolaus Papa*: mendoſum eſt, ac melius Ivo in Panormia (*t*) nihil de ſexta ſynodo ſcripſit. Sed ut ex Ivoni, & Gratiani verbis relatis conſtat, a Nicolao Minore ſynodus ea habita eſt Romæ anno Chriſti MLIX. in qua fuerunt Epiſcopi lxxxvi. Fit etiam in ea mentio Henrici Imp. & Stephani Pontificis, quæ a primo Nicolao aliena ſunt. Recte igitur Demochares Nicolao Minori adſcripſit id caput, & Cochlæus omiſit id in Nicolai primi capitibus. (12) De alio capite omiſſo diſtin. xxvii. (*u*) a te dictum eſt. (*x*) Tertium caput eſt diſtinctione xxxiii. cujus initium, *Clerici qui*; (*y*) id in incertis numerant ſelecti viri. Quarti capitis mentio a te facta eſt, (*z*) *De his clericis*. (*a*) (13) De quinti capitis inſcriptione hodie actum eſt, licet cum aliqua varietate ſcripta ſit apud Gratianum cauſſa xv. quæſtione quinta extrema, (*b*) *Nicolaus Soloni Conſtantienſi Epiſcopo*. Apud Ivonem (*c*) eſt *Salomoni*, pro *Soloni*, tam in Excerptionibus quam in epiſtola ad Hildebertum Cenomanenſem Epiſcopum. Sine inſcriptione eſt in libro Cæſaraug. (*d*) (14) Sextum caput (*e*) falſo Nicolao primo adſcribitur: eſt enim Nicolai ſecundi in concilio Romano, quod exſtat cxiii. Epiſcoporum. Hæc etiam verba Alexandri ſecundi eſſe dicuntur apud Gratianum, (*f*) & in libro Cæſarauguſt. (*g*) (15) Caput vii. nomen Nicolai habet apud eumdem Gratianum. (*h*) *Ex concilio Arauſico* eſt apud Anſelmum, (*i*) quod illic non inveni. Incertum igitur relinquatur. (16) Duo his capita (*k*) addimus, quæ in magna epiſtola ad Michaelem Imp. de qua ſæpius dictum eſt, inveniuntur. Sed eorum alterum adſcribunt Gratianus, & Ivo (*l*) *Nicolao ad clerum CP*. alterum ſolum habet Nicolai nomen apud Gratianum; recte Demochares notat in poſterioris margine, unde id ſumtum ſit.

A. Magna pars exſtat in concilio Epheſino.

B. Ita eſt, ut dicis. (17) Ad extremum duo etiam capita videntur eſſe omiſſa, quæ Gratianus poſuit cauſſa xxxv. quæſtione ix. (*m*) quorum alterum incipit, *Apoſtolicæ ſedis*, idque Gregorio inſcriptum eſt: alterius initium eſt, *Sententiam Romanæ ſedis*; quod recte Demochares ait eſſe ſumtum ex epiſtola ad Michaelem Imp. quod etiam apud Ivonem, (*n*) & Anſelmum (*o*) notatur. Illud non Gregorii eſt, ſed Nicolai in epiſtola ad omnes Epiſcopos in Ludovici regno exſiſtentes, cujus initium, *Gaudemus*, & in epiſt. ad Ludovicum regem, cujus initium eſt, *Epiſtolam Serenitatis veſtræ*. Ex quibus pro illis verbis, *tanta patientia, & maturitate decoquitur*, ſcribendum eſt: *tanta ſapientiæ maturitate decoquitur*, & pro illis, *ut nec immutari*; ſcribendum: *ut retractatione non egeat, nec immutari*. (18) Hæc ſola ſunt a nobis inventa, quæ dedita fortaſſe opera, aut ut fit, humana negligentia prætermiſſa ſunt.

A. Gratum mihi fuit, quod dixiſti. Alio die de non editis Hiſpaniæ conciliis agemus.

(a) 33. q. 2. c. 17. *ſi quis*.
(b) *Ivo lib. 7. tit. 9. c. 2. Pan. & par. 1. c. 138. & par. 9. c. 36. decr.*
(c) 35. q. 2. & 3. c. 17. *de conſanguinitate*.
(d) 2. q. 5. c. 22. *monomachiam*.
(e) *Ivo par. 8. c. 187. decret. & epiſt. 68. vel 91. ad Cenomanen. Epiſc. & epiſt. 200. vel 74. ad Galliel. militem.*
(f) *Burch. lib. 9. c. 51.*
(g) 15. q. 6. c. 2.
(h) *Dial.* 13.
(i) 23. q. 5. c. 46. *omnium*.
(k) *Ivo par. 10. c. 87. decret.*
(l) 23. q. 8. c. 9. *omni*.
(m) *Ivo lib. 8. tit. 4. c. 16. Panor.*
(n) *D. 8. c. 15. ſi nulla.*
(o) *Ivo lib. 8. tit. 4. c. 23. Panor. & par. 10. c. 3. decr.*
(p) *Caſ. lib. 7. c. 11.*
(q) 24. q. 3. c. 25. *illi, qui*.
(r) *Ivo lib. 3. tit. 3. c. ult. Panor.*
(ſ) *Diſt. 23. c. 2.*
(t) *Ivo lib. 3. tit. 1. c. 1. Panor.*
(u) *Diſt. 27. c. 7. nam ſi.*
(x) *Dial. 17. lib. 1.*
(y) *Diſt. 33. c. 4. clerici.*
(z) *E. dial. 17.*
(a) *Diſt. 50. c. 65. de his.*
(b) 15. q. 5. c. *ult.*
(c) *Ivo par. 6. c. 128. decr. & in epiſt. 201. ſive 77.*
(d) *Caſ. lib. 15. c. 36.*
(e) 16. q. 1. c. 3. *præcipimus*.
(f) *Diſt. 32. c. 6. præter. in fine.*
(g) *Caſ. l. 8. c. 44.*
(h) 16. q. 5. c. 1.
(i) *Anſ. lib. 5. c. 9. in Rom.*
(k) 24. q. 1. c. 36. *aperte, & c. 37. miramur.*
(l) *Ivo lib. 5. tit. 5. c. 12. Panorm. & par. 14. c. 59. decr.*
(m) 35. q. c. 4. *Apoſtolica & c. 6. ſententiam.*
(n) *Ivo lib. 5. c. 19. decr.*
(o) *Anſ. lib. 2. c. 72.*

ADDITIONES.

(1) GRatiani verba ſunt in editione Gregoriana, A ante cap. 3. Neſſe deſideras, 30. q. 1. E contra vero ſcribit Nicolaus Salonitano Epiſcopo dicens. Et in marg. eſt: al. Salamania. Sent. 4. diſtin. 42. Ivo p. 1. c. 136. Pan. lib. 6. c. 124. Diſt. 28. Si quis docuerit, & diſt. 31. quicumque.

(2) Eadem cauſa quæſt. 4 ante cap. 1. hæc verba ſunt in eodem libro: Unde Nicolaus Papa ſcribit Conſtantienſi Epiſcopo Salamoni. Sciſcitatur a nobis, &c. In marg. eſt: Sent. ibidem (hoc eſt, Sent. 4. diſt. 42.) Ivo p. 1. c. 137. & p. 9. c. 15. Pann. l. 7. c. 63.

(3) Quod attinet ad cap. 6. De his, qui, 30. q. 1. B in libro Romano ita inſcribitur: Item Nicolaus Papa Rodulpho Bituricenſi Epiſcopo. In marg. eſt: Ivo p. 1. c. 304. Pann. l. 6. c. 126.

(4) Caput primum 30. q. 3. in eod. lib. ita inſcriptum eſt: Nicolaus Papa reſpondens ad conſulta Bulgarorum c. 2. teſtatur ita dicens: Ita diligere debet &c. In marg. hæc ſunt: Sent. 4. diſt. 42. Ivo p. 2. c. 135. & par. 9. c. 14. Pann. l. 6. c. 123. Ivo ſerm. 1. de rebus eccleſiaſticis.

(5) Hæc eſt in eodem libro inſcriptio cap. 17. Si quis cum matre, 33. q. 2. ITEM. Et in marg. eſt: al. Idem. In eodem concilio (VVormatienſi) c. 34. C Ivo par. 1. c. 138. & part. 9. c. 36. Pann. l. 7. c. 64. In notis eſt: Cum matre) Sic in Pannormia, & apud Ivonem par. 9. c. 36. ſed apud eumdem par. 1. c. 138. legitur. Si quis cum commatre, ſicut etiam in concilio VVormatienſi. Quot enim) Hæc non ſunt in VVormatienſi, neque apud Ivonem, ſed fere eadem in Pannormia.

(6) Ante cap. 17. De conſanguinitate, 35. q. 2. & 3. in eodem libro hæc verba ſunt: Item Nicolaus Papa II. Amalphitanæ eccleſiæ ſuffraganeis. In marg. eſt: Habetur in ſynodo Epiſcoporum 113. D in baſilica Conſtantiniana c. 11. & 12. Sent. ibidem (hoc eſt, Sent. 4. diſt. 40.)

(7) Inſcriptio capitis 22. Monomachiam, 2. q. 5. in eodem libro hæc eſt: Item ex decretis Nicolai Papæ. In marg. hæc ſunt: Burc. l. 9. c. 51. Ivo p. 8. c. 187. Ad illa verba, in lege non aſſumimus, additur: in legem aſſumi nuſquam præceptum reperimus, orig. In notis eſt: Epiſtola ſcripta Carolo regi patruo Lotharii (ex qua caput hoc eſt acceptum) exſtat Romæ in codice ſæpe citato monaſterii Dominicanorum. In qua inter alia refertur, Lotharium, cum ſcire vellet an Theuperga, ſive Thietberga (ut vocat Regino) ipſius uxor E adulterium patraſſet, voluiſſe duas homines monomachiam committere: ita ut ſi ille qui partes Theupergæ tueretur, caderet, ipſa plane adulterii convicta cenſeretur. Hocque valde reprehendit Nicolaus, docens hanc non eſſe legitimam rationem probandi crimina (quamvis in Longobardicis conſtitutionibus, & in Capitularibus habeatur) ſed potius nihil aliud eſſe, quam Deum tentare. Addit vero denegatam fuiſſe a Lothario Theupergæ juſtam purgationem his verbis, Sed de adulterio illa coram miſſi noſtri præſentia purgare ſe voluit: ſed ipſe F non annuit. Totam hanc hiſtoriam deſcribit Regino lib. 2. Chronicor. Ex his vero oſtenditur rubricam hujus capitis apud Gratianum nimis eſſe generalem: quippe cum Nicolaus hoc tantum velit demonſtrare, non eſſe utendum monomachia ad purgationem.

(8) De inſcriptione capitis 2. Auctoritatem, 15. q. 6. ſcriptum eſt dial. 11. addit. 7. hujus libri.

(9) Capitis 46. Omnium, 23. q. 5. in eod. libro inſcriptio eſt: Item Nicolaus exercitui Francorum. In notis additur: Ivo parte 10. c. 87. verſ. omnium veſtrum. Hoc idem citat ex epiſtola Leonis quarti ad exercitum Francorum, ubi etiam affert id, quod infra eadem q. 8. c. omni timore, ex eodem Leone refertur. In marg. eſt: Ivo par. 10. c. 87. Pann. l. 8. c. 30. Capitis 9. Omni timore, 23. q. 8. inſcriptio eſt: Idem (hoc eſt, Leo quartus) exercitui Francorum. In marg. eſt: Pann. l. 8. c. 30. (addi debuit, Ivo p. 10. c. 87.)

(10) Eadem quæſt. 8. cap. 15. Si nulla, in eodem libro inſcriptio eſt hæc: Item Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum c. 46.

(11) Ante caput 25. Illi, qui, 24. q. 1. hæc in eodem libro verba ſunt: Item Nicolaus Papa omnibus Epiſcopis. In marg. eſt: Pann. l. 5. c. 114.

(12) Gratiani verba ſunt ante caput 1. diſt. 23. in eadem libro: Unde Nicolaus Papa II. in conc. Lateranenſi. In marg. eſt: Pann. l. 3. c. 1. In notis: Hujus decreti integrum exemplum eſt in vetuſtiſſimo libro Abbatiæ monaſterii Farfenſis litteris Longobardicis ante annos pæne quingentos ſcripto, & alibi. (Vid. li. 1. dial. 9. add. 7.)

(13) De inſcriptione capitis 7. Nam ſi. diſt. 27. ſcriptum eſt dial. 17. addit. 1. hujus libri. Et de inſcriptione cap. 6. De his, diſt. 50. in eod. dialo. 17. addit. 2.

(14) Poſterioris capitis, cujus initium eſt, Presbyter, 15. q. 5. in eodem libro inſcriptio eſt: Item Nicolaus Salomoni Conſtantienſi Epiſcopo In marg. eſt: Ivo p. 6. c. 122.

(15) Inſcriptio capitis tertii, Præcipimus, 16. q. 2. in eodem libro hæc eſt: Item Nicolaus Papa II. Epiſt. unica c. 5. & in marg. eſt: diſt. 32. præter hoc. par. deinde.

(16) Ejuſdem cauſæ quæſt. 5. caput 1. hanc habet inſcriptionem in eodem libro: Unde Nicolaus Papa ait. Si quis Epiſcopor. &c. In marg. eſt: Anſ. l. 5. c. 9. Et in notis: Anſelmus citat ex Arauſico, in cujus 10. capite fere idem legitur.

(17) Capitis 36. Aperta, 24. q. 1. in eod. libro hæc inſcriptio eſt: Item (Nicolaus vel Cæleſtinus Papa ad clerum Conſtantinopolitanum. In marg. eſt: Nicolaus ibidem (eſt, epiſt. 7. Michaeli Auguſto) ex eodem Cæleſtino ad Clerum Conſtantinop. Et Ivo par. 14. c. 59. Pann. l. 5. c. 135. Et in notis: Hic etiam citatur a Nicolao alia epiſtola ejuſdem Cæleſtini quæ eſt inter acta ipſius concilii Epheſini, Intellexiſtis) Hinc incipiunt propria Nicolai verba. Capitis 37. Miramur, e. q. inſcriptio eſt: Idem Nicolaus Papa ibidem paul a inferius. In marg. eſt: in can. Apoſt. 32. al. 34. & in canc. Antioch. c. 7.

(18) Hæc etiam eſt in eodem libro inſcriptio cap. 4. Apoſtolica, 35. q. 9. Item Gregorius. In notis eſt: Apud Anſelmum, & Polycarpum citatur ex epiſtola Nicolai Papæ ad regem Carolum. Extat in codice ſæpe memorato monaſterii Dominicanorum in epiſtola Nicolai, quæ inſcribitur ad Ludovicum regem, & in altera ejuſdem ad Epiſcopos omnes in regno Ludovici, quæ incipit, Gaudemus. In marg. eſt: Deuſdedit ibidem (hoc eſt, p. 1.) Polyc. l. 5. tit. 6. Anſ. l. 2. c. 69. Inſcriptio cap. 6. Sententiam, e. q. eſt hæc: Item Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem in epiſtola ſeptima. In marg. hæc ſunt: Anſ. 1. c. 75. Ivo par. 5. c. 19. Et in notis: Voluerit) Sic etiam in originali impreſſa: ſed Anſelmus, & Ivo habent, renuerit. (Vid. dial. 13. add. 10.)

D I A L O G U S XX.

De Hiſpaniæ Conciliis non editis, & de aliis veteribus libris.

C. QUÆNAM ſunt ea, quæ dixiſti, non edita Hiſpaniæ concilia?

A. Septam Toletana concilia, duo Cæſarauguſtana, duo Barcinonenſia, Emeritenſe, Oſcenſe, Egarenſe; & cum his conjungitur ex Gallia, Narbonenſe.

C. Præclara quidem nomina, & noſtris æqualibus, ac præceptoribus inaudita: nec ſat ſcio, an Gratianus his umquam uſus fuerit, uno excepto Emeritenſi, quo illum mutato nomine inveniri dicebas uſum. Toletana autem, quæ Gratianus ſæpe refert, concilia, & ex Cæſarauguſtano quædam, omnia fere in editis voluminibus exſtant.

Dial. 3. lit. 1.

A. Qua ratione Emeritenſe vidit, & quædam Toletana non edita, potuit etiam cetera legere. Sed age videamus capita quædam ex his Toletanis accepta. Cauſſa XXVI. quæſtione V. caput illud, cujus initium *Quicumque ſacerdotum*, ex Toletano concilio ſumi Gratianus fatetur. In editis conciliis non invenies: ſed in his, quæ dixi non edita, inventum eſt ex duobus capitibus duorum conciliorum ſumtum. Initium enim ejus capitis eſt ex concilio Toletano XIII. capite VI. Poſterior pars, cujus initium, *Plerique etiam*, eſt ex Toletano XVI. capite V. Sed multa in utroque capite relicta ſunt ſtudioſis viris legenda. Pro illis, *cauſſa doloris cujuslibet:* illic eſt, *cauſſæ cujuslibet doloris, vel amaritudinis*: pro, *altare veſtibus ſacris*, eſt *altare divinum veſtibus ſacratis*: pro *vel accinxerit*, eſt, *accingi*; nam ut in alio libro eſt, *accingiſſe*: ſed ſcribendum eſt, *accinxiſſe*. Pro illis, *& extingui præceperit, aut quodcumque lugubritatis in templo Dei induxerit, atque quod pejus eſt, occaſionem nutrierit, unde templis Domini officia conſueta deſint, aut oblatio ſingularis ſacrificii videatur in aliquo defraudari*. Pro illis, *loci ſui dignitate* &c. illic eſt: *ignobilitati perpetuæ mancipatus, juxta ſuperiorem ſententiam Domini, & loci ſui dignitate* &c. Pro illis, *Plerique etiam ſacerdotum ſanciati* &c. multa ſunt alia prætermiſſa. „ *Pro illis*, ipſum offertur ſacrificium, mortis incurrat periculum, *illic eſt*, id ipſum offertur ſacrificium ipſius ſacroſancti libaminis interventu, „ mortis ac perditionis incurrat periculum: & quod „ cunctis datum eſt in ſalutis remedium, illi hoc „ perverſo inſtinctu, quibuſdam eſſe expetunt in „ interitum. *Pro illis*, ergaſtulo relegentur, *plenius illic eſt*, ergaſtulo religati, excepto ſupremo „ vitæ curriculo, cunctis vitæ ſuæ diebus, ſacræ „ communionis eis denegetur perceptio: quia Domino ſe crediderunt fraudulento delibaſſe ſtudio. “

26. q. 5. c. 13. quicumque.

B. Multo meliora ſunt hæc, in quibus & exſilii, & excommunicationis pœna eſt: quam illa, quæ exſilium tantum continebant. (1)

A. Ex Toletano XVI. cap. V. illa ſunt, quæ Gratianus refert poſt aliud Emeritenſis concilii caput. Omittuntur autem multa exordii verba, ut in ſuperioribus. Et in extremo capite poſt verbum *perſolvere*, additur: *nec populis ſacerdotali jure occurrere, ſed nec rebus* &c. & poſt verbum, *parvipenderit*, hæc adduntur: *ut quippiam exinde temerandum crediderit*: In fine ſunt hæc verba non ſatis integra poſt verbum, *mutari*; ita nempe: *ut poſtquam ab hoc excommunicationis interdicto, ad ordinis ſui ſanctiones, modis omnibus ſtudeat adimplere*.

20. q. 3. c. 3. omnio.

B. In libro Mich. Thomaſii legi cujuſdam docti viri ſcripturam, poſt vocem, *interdicto, liber fuerit, ad ordinis ſui remeaverit locum, cunctas hujus canonis ſanctiones, modis omnibus &c.*

A. Magna libertate is interpres utebatur. (2) Ex capite ſeptimo ejuſdem concilii Gratianus ſumſit extremum caput diſtin. XVIII. quod falſo Contius refert ex Toletano tertio cap. XIX. Varietas non magna eſt his exceptis. „ *Pro illis verbis*, „ pleniſſime omnia referet *&c. illic eſt*, publice „ omnia reſerata, de his quæ eodem anno in concilio acta, vel definita exſtiterint, pleniſſime notiores efficiantur: *& poſt alia. Quod* ſi quiſpiam ea parvipendenda crediderit, aut contemnenda delegerit, aut contra hæc in obedientia „ tumidus, ſuſurratione plenus, invidia incenſus, „ & laceratione perfunctus, nec non potius earumdem definitionum exſtiterit ſautor benevolus: ſententia excommunicationis duorum menſium curriculo perſiſtet uſquequaque multatus. “ (3) Hæc ſunt apud Gratianum aperte ex his conciliis ſumta. Sed quia incidi in verba quædam Auguſtini apud Gratianum relata, quæ in Toletano concilio XVII. cap. IV. Cypriani eſſe dicuntur, de his videndum cenſeo. Auguſtini verba ſunt: „ Fruſtra, inquit, quidam, qui ratione „ convincuntur, conſuetudinem nobis obiiciunt &c. „ *In eo concilio eſt*. „ Itemque præcellentiſſimus doctor, & invictiſſimus martyr Cyprianus proſequens ait: Fruſtra qui ratione vincuntur conſuetudinem nobis opponant &c. “ Ivo Auguſtino eadem adſcripſit. Utrumque exiſtimo eiſdem fuiſſe verbis uſum, & Cyprianum, & Auguſtinum, atque in illo verbo, *inquit*, ad Cyprianum reſpexiſſe. Cypriani verba ſunt in epiſtola ad Jubajanum: *Proinde fruſtra quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis opponunt* &c. Auguſtini libro quarto de baptiſmo contra Donatiſtas cap. V. *Proinde, inquit, fruſtra quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis obiiciunt* &c.

Diſtin. 18. c. ult.

Diſt. 8. c. 7. fruſtra.

C. Non igitur ſcribi debuit, *Fruſtra, inquit quidam:* ſed, *Proinde, inquit, fruſtra quidam*; neque *convincuntur*, ſed *vincuntur*, cur autem *obiiciunt* habet Auguſtinus, *opponunt* Cyprianus?

Ivo par. 2. cap. 94. & par. 4. cap. 235. decr.

A. Memoria fortaſſe lapſus eſt, & ſententiæ ejuſdem verbum protulit. Ideo retinendum arbitror. (4) De aliis videamus, quæ ex aliis libris non editis ſumta ſunt. Sed quid illud eſt, quod puer ad vos attulit?

B. Nuntiat veniſſe librarium cum jure Pontificio tam diu deſiderato Gregorianæ editionis.

A. Manum igitur de tabula, ut ajunt. Velim tamen interea ſcire, quinam alii libri eſſent reliqui: de illis loquor, de quibus agebamus nondum in vulgus editis, cum quibus Gratianus conferri potuit.

B. Eos nullo ordine referam, ſed ut ut venerint in buccam. Initium faciam a ſeptimi Gregorii regiſtro, in quo præter epiſtolarum libros X. multa ſunt concilia Romæ ab eodem Pontifice habita. Succeſſit huic Victor tertius, & poſt eum Urbanus Minor: utriuſque ſynodos habes. Victoris Beneventanam, Urbani Claromontenſem, Melfienſem, Placentinam. Item Paſchalis Minoris duo Romana concilia. Aliud Innocentii Minoris Romanum concilium, & horum trium Pontificum Urbani, Paſchalis, & Innocentii aliquot epiſtolas. Eugenii tertii Remenſe concilium, falſo Eugenio Minori a Colonienſibus inſcriptum. His omnibus antiquius eſt concilium Ravennæ habitum ab Joanne IX. Pont. Max. Item epiſtolæ aliquot Leonis Minoris, & Leonis quarti. Concilia provincialia Galliæ addere poſſumus, Andegavenſe, Toſlejanum, Lemovicenſe, Bituricenſe, Tullenſe, Pictavienſe, atque alia hujuſmodi. Vitæ quoque addantur Pontificum Romanorum ad Joannem XXII. Anaſtaſii bibliothecarii hiſtoria ex Gregorio, & Theophane: & interpretatio concilii Nicæni de imaginibus & octavi CP. contra Photium. Fragmenta Hadriani Pontificis ad Carolum Magnum de imaginibus, quæ in Suriana editione deſiderantur. Hæc & alia plenius in Romano Gratiani volumine, & in epitome veteris juris Pontificii tuo cognoſcentur.

A. Habes igitur C. quod tantopere expetebas, juris Pontificii emendationem, non ex ſordidis rivulis & lacunis, ſed ex ipſis fontibus ſplendidiſſimis quaſi Venerem quamdam e mari exorientem, quæ omnium in ſe oculos convertat, & mirificos amores, & cupiditates eliciat.

ADDITIONES.

(1) ANte caput 13. *Quicumque* 26. q. 5. in editione Gregoriana hæc verba ſunt: *Quorum omnium maleficia nequiſſima Toletanum concilium 13. condemnat dicens c. 7.* Et in notis eſt: *Principium hujus capituli uſq. ad verſ. Pleriſque eſt ex 13. concilio Toletano, c. 7. Reliqua vero ſunt ex 17. Toletano c. 5. quorum conciliorum duo exemplaria ſunt habita ex Hiſpania: & inde nonnulla hoic emendata, & addita.*

(2) In eodem libro inſcriptio cap. 3. *Unio*, 10 q. 3. hæc eſt: *Item ex concilio Toletano 16. c. 4.* In notis hæc ſunt: *Caput hoc eſt pars quarti canonis concilii 16. Toletani, cujus duo exemplaria miſſa ſunt ex Hiſpania: ex quibus nonnulla ſunt in hoc capite emendata, & addita. Habitum vero eſt concilium hoc Æra DCXXXI. cum illud Emeritenſe habitum fuerit Æra DCCIIII. Mulctari*) In concilio ſequitur, ita nempe, ut poſtquam ab excommunicationis interdicto ad ordinis ſui reme- A verit locum, cunctas hujus canonis ſanctiones modis omnibus ſtudeat adimplere.

(3) Diſtin. 18. cap. extremi inſcriptio in eodem libro hæc eſt: *unde in concilio Toletano 16, c. 6. Decernimus &c.* In notis eſt: *Quatenus*) In duobus exemplaribus hujus decimi ſexti concilii Toletani locus hic ita legitur: *Quatenus eorum eis publice omnia reſerata de his, quæ eodem anno in concilio acta, vel definita extiterint, planiſſime notiores efficiantur.*

(4) Caput ſeptimum diſtinct. 8. in eodem libro B ita inſcribitur; *Idem (Auguſtinus) in lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas c. 5. Fruſtra, inquit, quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis objiciunt &c.* In marg. eſt: *Hoic refert B. Auguſtinus verba B. Cypriani in epiſt. ad Jubajan. Ivo p. 2. c. 94. & par. 4. c. 235.* Et verſ. *Hoc plane*, additur: *Hoic B. Auguſtinus reſpondet.*

INDEX
OMNIUM CAPITUM GRATIANI,
QUÆ IN HIS DUOBUS LIBRIS CONTINENTUR.

Diſt. 1. Th. librl. lib. 1. dial. 1.
Principium. l. 1. d. & 19
cap. 7. jus nat. l. 1. d. 19
cap. ultimum. l. 1. d. 19
Diſt. 2. cap. 2. quædam. l. 1. d. 5
Diſt. 3. Principium. l. 1. d. 5
cap. 1. l. 1. d. 1
cap. 2. l. 1. d. 1
Diſt. 4. c. 3. in iſtis. p. leges. l. 1. d. 16
cap. 4. ſtatuimus. l. 1. d. 16
cap. 5. quadrageſ. l. 1. d. 16
cap. ult. l. 1. d. 16
Diſt. 5. in principio. l. 2. d. 19
Diſt. 6. in fine. l. 1. d. 19
Diſt. 7. cap. 1. l. 1. d. 19
Diſt. 8. cap. 1. l. 1. d. 19
cap. 3. mala. l. 2. d. 12
cap. 4. veritate. l. 1. d. 19
cap. 5. ſi conſuetud. l. 1. d. 19
cap. 7. fruſtra. l. 2. d. 20
Diſt. 9. cap. 5. ego. l. 1. d. 19
cap. 6. ut veterum. l. 1. d. 4
cap. 9. neli. l. 1. d. 19
Diſt. 10. cap. 1. l. 1. d. 19. l. 2. d. 22
cap. 2. certum. l. 1. d. 19
cap. 5. imperium. l. 2. d. 14
cap. 8. quoniam. l. 2. d. 14.
cap. 9. de capitulis. l. 1. d. 19
l. 2. d. 10.
cap. 10. vides. l. 1. d. 19
cap. 11. quis autem. l. 2. d. 19
cap. 12. certum. l. 1. d. 19
cap. ult. l. 1. d. 19. add. 12. & 16
Diſt. 11. cap. 2. conſequens. l. 1. d. 20
l. 2. d. 11.
cap. 5. eccleſiaſticar. l. 1. d. 20
cap. 6. conſuetudinem. l. 1. d. 13
cap. 7. in his. l. 1. d. 20
cap. 8. catholica. l. 1. d. 20
cap. 10. hec veſtra. l. 1. d. 20
Diſt. 12. c. 2. præceptis. l. 1. d. 20
cap. 3. ſcit ſancta. l. 1. d. 20
l. 2. d. 12.
cap. 5. ridiculum. l. 1. d. 20
l. 2. d. 12.
cap. 8. non conſuetud. l. 1. d. 13
add. 9.
cap. 11. illa autem. l. 1. d. 20
cap. 12. omnia. l. 1. d. 20
Diſt. 13. in principio. l. 1. d. 17
Diſt. 14. in principio. l. 1. d. 17
Diſt. 15. cap. 1. l. 2. d. 6.
cap. 2. l. 1. d. 5. l. 2. d. 6.
cap. 3. ſancta. p. item venerabilis. l. 1. d. 4
d. cap. 3. ſancta. p. in primis. l. 1. d. 6
d. cap. 3. v. cæterum. l. 1. d. 20
Diſt. 16. initium. l. 2. d. 6. add. ult.
cap. 1. l. 1. d. 6. & 20
cap. 3. Clementis. l. 1. d. 6. & 20
cap. 4. placuit. l. 1. d. 6. add. 10
& 12.
cap. 5. ſextam. l. 1. d. 7
cap. 6. habeo. l. 1. d. 7. & 8. add. 1
& 2.
cap. 7. quoniam. l. 1. d. 2. 4. 6
7. 8. 20
cap. 8. ſancta. l. 1. d. 20. l. 2. d. 6
cap. 9. ſexta. l. 1. d. 20. & d. 3.
add. 7.
cap. 10. prima. p. quinta. l. 1. d. 3
cap. 11. prima. p. vigeſ. l. 1. d. 3
cap. 12. ſeptuaginta. l. 1. d. 20
cap. 13. viginti. l. 1. d. 20
cap. ult. l. 1. d. 20
Diſt. 17. cap. 6. concilia. l. 1. d. 8
add. 9.
Diſt. 18. cap. 4. propter. l. 1. d. 11
cap. 7. quoniam. l. 2. d. 8
cap. 15. propter. l. 1. d. 11
cap. ultimum. l. 2. d. 20
Diſt. 19. cap. 1. l. 1. d. 1. & d. 3.
add. 5. l. 2. d. 14.
cap. 5. nulli. l. 1. d. 20
cap. 7. ita domin. l. 2. d. 6. ad. 2
cap. 8. ſecundum in fine. l. 1. d. 6
cap. 9. Anaſtaſius. l. 1. d. 6
Diſt. 20. cap. 1. l. 1. d. 1. 3. & 18
c. 2. l. 2. d. 14.
Diſt. 21. in principio. l. 2. d. 15
cap. 4. inferior. l. 2. d. 12
cap. 5. nolite. l. 2. d. 12
cap. 6. denique. l. 2. d. 12
cap. 7. nunc autem. l. 2. d. 12
cap. 8. ſubmittitur. l. 2. d. 12
cap. ult. l. 2. d. 12
Diſt. 22. cap. 2. l. 1. d. 8. add. 9
l. 2. d. 13.
cap. 3. CP. l. 1. d. 9. add. 5
cap. 6. renovantes. l. 2. d. 9
cap. ultimum. l. 1. d. 9. l. 2. d. 7
Diſt. 23. cap. 2. l. 1. d. 9. l. 2. d. 19
cap. 12. præterea. l. 2. d. 15
Diſt. 24. cap. ult. l. 1. d. 10
Diſt. 27. cap. 1. l. 1. d. 10
cap. 6. quod interrog. l. 2. d. 17
cap. 7. nam ſi. l. 2. d. 17. & 19
cap. 8. presbyteris. l. 2. d. 5
Diſt. 28. c. 7. præterea. l. 1. d. 10. & 15
cap. 8. diaconi. l. 1. d. 10
cap. 12. ſi qua. l. 1. d. 12
cap. 14. ſi quis. l. 1. d. 8
cap. 16. presbyterum. l. 1. d. 8
cap. ult. l. 2. d. 17
Diſt. 31. c. 9. quicumq. p. 1. l. 1. d. 8
cap. 11. omnino. l. 1. d. 8. add. 9
cap. 17. quoniam. l. 1. d. 8
cap. ultimum. l. 1. d. 8
Diſt. 32. cap. 4. de illo. l. 2. d. 17
cap. 5. nullus. l. 2. d. 16
cap. 6. præter. l. 2. d. 16. & 19
cap. 7. ſi quis. l. 1. d. 8
cap. 10. nos, qui. l. 1. d. 4
cap. 13. placuit. l. 1. d. 8
Diſt. 33. c. 3. communiter. l. 1. d. 13
cap. 4. clerice. l. 2. d. 19
Diſt. 34. cap. 1. l. 2. d. 15
cap. 4. is, qui. l. 1. d. 15
cap. 11. ſi cujus. l. 1. d. 10. & 11
cap. 12. ſi laici. l. 1. d. 10
cap. 17. ſi ſubdiac. l. 1. d. 12
cap. 18. lector. l. 1. d. 12
Diſt. 37. c. 12. de quibuſd. l. 2. d. 2
Diſt. 38. c. 13. indignum. l. 1. d. 2
cap. 14. lectio. l. 1. d. 2. add. 4.
Diſt. 40. c. 1. non nos. l. 1. d. 8. ad. 9
cap. 6. ſi Papa. l. 2. d. 3
Diſt. 43. cap. ult. l. 2. d. 15
Diſt. 44. cap. 3. nulli. l. 1. d. 8
cap. 10. non oportet. l. 1. d. 11
cap. ultimum. l. 1. d. 11
Diſt. 45. c. 5. de Judæis. l. 1. d. 5
Diſt. 47. c. 2. quantum. l. 2. d. 10
cap. ultimum. l. 2. d. 13
Diſt. 50. c. 5. clericum. l. 2. d. 17
cap. 6. de his. l. 2. d. 17. & 19
cap. 19. cum exaudiero. l. 1. d. 4
cap. 22. ſi quis. l. 2. d. 10
cap. 24. ſacerdos. p. quomodo.
l. 1. d. 18.
cap. 28. domino. l. 1. d. 4
cap. 31. presbyt. in fine. l. 1. d. 18
cap. 33. ſacerdotes. l. 2. d. 16
cap. 39. ſtudeat. l. 2. d. 16. & 17
cap. 42. eos. l. 1. d. 10
cap. 44. ſi quis. l. 1. d. 10
cap. 48. hi, qui pr. l. 2. d. 17
cap. 68. placuit. l. 1. d. 12
Diſt. 54. cap. 3. magnus. l. 1. d. 2
cap. 7. ſi quis obligatus. l. 1. d. 12
cap. 11. quis aut. l. 1. d. 19
cap. 12. generalis. l. 2. d. 5
cap. 23. Abbati. l. 2. d. 8
Diſt. 55. cap. 7. ſi quis a medicis.
l. 1. d. 10.
cap. 9. ſi quis pro. l. 1. d. 10
cap. 10. ſi quis in. l. 1. d. 4. & 15
Diſt. 56. cap. 1. & 2. l. 1. d. 6
cap. 10. ſi gens. l. 2. d. 3
Diſt. 60. cap. 2. nullus. l. 2. d. 4
Diſt. 62. cap. ult. l. 2. d. 4
Diſt. 63. cap. 1. l. 1. d. 4. l. 2. d. 8
cap. 2. l. 1. d. 4. l. 2. d. 8
cap. 4. porro. l. 2. d. 14
cap. 6. non eſt. l. 1. d. 11
cap. 7. omnis. l. 1. d. 9. l. 2. d. 8
cap. 8. non licet. l. 1. d. 12
cap. 13. Epiſcopos. l. 2. d. 15
cap. 16. Reatina. l. 1. d. 19
cap. 21. inter nos. l. 1. d. 19
cap. 34. ſacrorum. l. 2. d. 10
Diſt. 64. cap. primum. l. 1. d. 10
cap. 7. l. 1. d. 10
Diſt. 65. c. 2. non debet. l. 1. d. 12
cap. 3. Epiſcopos. l. 2. d. 11
Diſt. 71. cap. 6. privatus. l. 2. d. 18
Diſt. 73. cap. 1. l. 1. d. 16. l. 2. d. 8
Diſt. 75. in principio. l. 1. d. 16
cap. 1. & 2. l. 2. d. 16. add. 3
Diſt. 77. c. 4. ſubdiaconus. l. 1. d. 8
Diſt. 78. cap. 1. l. 2. d. 18
cap. 4. presbyter. l. 1. d. 11
Diſt. 79. cap. 1. l. 2. d. 13
cap. 9. ſi quis. l. 2. d. 13
Diſt. 80. cap. 1. & 2. l. 1. d. 15
Diſt. 81. c. 2. nemo. l. 1. d. 8. add. 9
cap. 4. ſi qui. l. 2. d. 10
cap. 7. ſacerdos. l. 2. d. 1
cap. 19. miniſtri. l. 1. d. 13
cap. 20. clericus. l. 1. d. 12
cap. 21. ſed ſi. l. 1. d. 12
cap. 22. ſi quiſpiam. l. 2. d. 1
cap. 26. in omnib. l. 2. d. 8
Diſt. 82. cap. ult. l. 1. d. 14
Diſt. 83. c. 1. error. l. 1. d. 15. add. 7
Diſt. 84. c. 1. cum in. l. 1. d. 8
cap. 4. cum de. l. 1. d. 8
Diſt. 86. cap. 3. facientis. l. 1. d. 15
add. 7. & dial. 19. add. 13.
cap. ultimum. l. 1. d. 3
Diſt. 90. cap. 4. alienus. l. 2. d. 8
cap. 5. ſi quis. l. 2. d. 8
Diſt. 92. cap. 4. l. 1. d. 11
cap. 5. ſi quis. l. 2. d. 11
cap. 8. ſi quis. l. 1. d. 11. add. 9
cap. ult. l. 1. d. 12
Diſt. 93. c. 4. juxta. l. 1. d. 13. l. 2. d. 1
cap. ult. l. 1. d. 8
Diſt. 95. cap. 2. p. 1. l. 1. d. 17
cap. 3. olim. l. 1. d. 15
cap. 8. non oportet. l. 1. d. 11
cap. ult. l. 1. d. 4
Diſt. 96. c. 1. p. Eulalius. l. 2. d. 4
cap. 4. ubinam. l. 2. d. 14
cap. 5. denique. l. 2. d. 14
cap. 6. cum ad verum. l. 2. d. 14
cap. 7. ſatis evidenter. l. 2. d. 14
cap. 8. in ſcripturis. l. 2. d. 17
cap. 13. & 14. Conſtantinus. l. 1.
d. 6.
Diſt. 97. cap. ult. l. 2. d. 13
Diſt.

Digitized by Google

Diſt. 96. cap. primum. l. 1. d. 15
1. q. 1. cap. 9. qui per. l. 2. d. 8
cap. 10. ſanctorum. l. 2. d. 4
cap. 34. ſacramenta. l. 1. d. 3
cap. 58. ſpiritus p. ecce. l. 2. d. 2
cap. 66. non oportet. l. 1. d. 11
cap. 67. non liceat. l. 1. d. 11
cap. 86. non quales. l. 2. d. 14
cap. 96. dictum p. quod. l. 1. d. 6
cap. 100. nullus. l. 2. d. 8
cap. 102. & 103. placuit. l. 2. d. 14
cap. 107. ſtatuimus. l. 2. d. 15
cap. 117. quibuſdam. l. 1. d. 4
cap. 123. per principalem. l. 2. d. 13
c. q. 2. c. 7. ſi quis. l. 1. d. 4
cap. 8. ſalvator. l. 1. d. 4
c. q. 7. c. 2. p. ſed quoniam. l. 2. d. 8
2. q. 1. cap. 10. notum. l. 2. d. 16
cap. 14. prohibeatur. l. 1. d. 17
cap. 16. qua Lotharius. l. 1. d. 17
l. 2. d. 15.
cap. 20. Deus, p. quando. l. 1. d. 17
cap. ult. l. 2. d. 15
c. q. 2. cap. 2. omnes. l. 2. d. 12
c. q. 3. cap. 2. l. 1. d. 14
cap. 4. ſi quis. l. 1. d. 14
cap. 8. ſi quem. l. 2. d. 10
c. q. 4. & 5. c. 7. Mennam. l. 1. d. 12
cap. 11. ſuper cauſſa. l. 1. d. 12
cap. 15. nobilis. l. 1. d. 15
cap. 22. monomachiam. l. 2. d. 19
cap. 23. ſape. l. 2. d. 15 & 16.
cap. 25. ſtatuit. l. 1. d. 15
c. q. 6. cap. 11. decreto. l. 1. d. 20
cap. 13. arguta. l. 1. d. 13
cap. 21. propter ſup. l. 1. d. 6
cap. 30. poſt appellationem p. forma. l. 2. d. 9
c. q. 8. c. 4. qui crimen. l. 1. d. 14
add. 6.
3. q. 7. c. 14. nulli. p. 1. l. 1. d. 2
cap. 15. ult. quod ſuſpecti. l. 1. d. 2
& l. 2. d. 12.
c. q. 9. cap. 8. l. 1. d. 14. add. 6
cap. 10. hac quippe. l. 2. d. 15
cap. 17. ſi quis. l. 1. d. 13
c. q. 9. c. 18. revera. l. 2. d. 12
cap. 21. indicas. l. 2. d. 12
cap. ult. l. 2. d. 12
4. q. 1. c. 2. quod autem. l. 2. d. 12
c. q. 4. c. 2. nullus. l. 1. d. 14
cap. ultimum. l. 2. d. 12
5. q. 2. cap. ult. l. 2. d. 2
c. q. 3. cap. ult. l. 2. d. 2
c. q. 6. cap. 7. ſi quis. l. 2. d. 8
6. q. 1. cap. 1. deniq. l. 2. d. 15
c. q. 4. cap. 1. & 2. l. 1. d. 11
cap. 3. ſi tutor. l. 1. d. 14
cap. 6. quod bene. l. 2. d. 12
7. q. 1. in principio. l. 1. d. 15
cap. 4. Pontifices. l. 2. d. 15
cap. 15. licet. l. 2. d. 13
cap. 16. nihil. l. 1. d. 13
cap. 30. remoto. l. 1. d. 2
cap. 41. in apib. l. 1. d. 4
cap. 43. hoc nequaquam. l. 2. d. 6
cap. 47. ſciſcitaris. l. 2. d. 15
& 17.
8. q. 1. c. 3. & 4. Epiſcopo. l. 2. d. 18
c. q. 4. cap. un. l. 1. d. 3. add. 9
9. q. 3. cap. 1. l. 2. d. 18
cap. 2. per ſingulas. l. 1. d. 11
cap. 8. conqueſtus. l. 2. d. 15
cap. 10. puto. l. 2. d. 13
cap. 11. ſui. l. 1. d. 3
cap. 14. alior. l. 1. d. 8. add. 9
cap. 17. & 18. cuncta. l. 1. d. 12
cap. 21. per principalem. l. 2. d. 13
10. q. 1. c. 14. ſanctor. l. 2. d. 5
c. q. 2. cap. 8. Epiſcopus l. 1. d. 18
c. q. 3. cap. 2. praſcio. l. 2. d. 3
cap. 3. unica. l. 2. d. 20
cap. 8. inter cetera. l. 1. d. 4
11. q. 1. c. 4. judices. l. 1. d. 14
& 20.
cap. 8. nullus. l. 1. d. 14
cap. 26. quicumq. l. 2. d. 12
cap. 37. omnes. l. 2. d. 12
cap. 38. volumus. l. 2. d. 12
cap. 43. inclita. l. 2. d. 4
c. q. 2. cap. unicum. l. 1. d. 4
c. q. 3. cap. 1. l. 1. d. 17
cap. 3. precipue. l. 2. d. 14
cap. 6. & 7. ſi quis. l. 1. d. 11
cap. 10. Tenguald. l. 2. d. 15
c. 18. cum excommunicato. l. 2. d. 8
cap. 24. ad menſam, p. evidenter, in fine. l. 1. d. 17
cap. 28. ſi quis. l. 2. d. 8
cap. 69. cum apud. l. 1. d. 5
cap. 77. non ſolum. l. 1. d. 17
l. 2. d. 8.
cap. 78. quatuor. l. 2. d. 8
cap. 96. ita corporis. l. 2. d. 14
cap. 102. excellentiſs. l. 2. d. 15
12. q. 1. cap. 2. l. 1. d. 15
cap. 3. neceſſaria. l. 2. d. 1
cap. 4. nullus. l. 2. d. 17
cap. 15. futuram. l. 1. d. 6
cap. 23. Epiſcopus. l. 1. d. 11
cap. 21. precipimus, p. ſed notandum. l. 1. d. 17
cap. 27. nulli. l. 2. d. 1
c. q. 2. cap. 3. nulli. l. 1. d. 14
cap. 13. Apoſtolicos. l. 2. d. 7
cap. 17. de viro. l. 2. d. 18
cap. 19. quiſquis. l. 1. d. 9
l. 2. d. 4.
cap. 21. de rebus. l. 2. d. 17
cap. 25. Vulterane. l. 1. d. 11
add. 11.
cap. 37. alienationes. l. 2. d. 5
add 7. & 8.
cap. 42. ſi qua. l. 1. d. 10
cap. 48. non liceat. l. 1. d. 9.
c. 52. ſine exceptione. l. 2. d. 14
13. q. 2. cap. 15. precipiendum l. 2. d. 15.
14. q. 1. cap. 2. p. 1. l. 1. d. 17
cap. ult. in fine. l. 1. d. 4
c. q. 2. cap. 2. l. 2. d. 1
c. q. 4. cap. 4. ſi quis. l. 1. d. 10
cap. 8. quoniam. l. 1. d. 10
15. q. 4. cap. 2. placita. l. 1. d. 3
c. q. 5. cap. ultimum. l. 2. d. 19
c. q. 6. cap. 2. auctoritatem. l. 2. d. 13 & 19.
c. q. 7. c. 3. ſi quis. l. 2. d. 2
c. q. 8. cap. 2. l. 1. d. 11
cap. 4. ſi quis. l. 1. d. 11. & d. 10
add. 3.
cap. 5. ſciſcitantib. l. 2. d. 16
16. q. 1. c. 10. hinc ordinemus. l. 2. d. 5
cap. 12. qui vere. l. 1. d. 12
cap. 48. & ſemper. l. 1. d. 4
cap. 49. poſtquam. l. 1. d. 5
cap. 59. quia juxta. l. 2. d. 10
cap. 62. nulli. l. 2. d. 2
c. q. 2. c. 3. precipimus. l. 1. d. 19
c. q. 3. cap. 4. quicumq. l. 1. d. 15
cap. 9. placuit. l. 2. d. 7
cap. 13. prima. l. 1. d. 4
cap. 15 placuit. p. praſcripta. l. 1. d. 17.
c. q. 4. cap. 1. l. 2. d. 5
c. q. 5. cap. 1. l. 2. d. 19
c. q. 7. cap. 11. nullus. l. 2. d. 4
cap 14. ſi quis. l. 1. d. 9. add. ult.
cap. 15. ſane. l. 1. d. 15
cap. 24. laicis. l. 2. d. 4
cap. 25. ſi quis. l. 2. d. 4
cap. 33. monaſterium. l. 2. d. 3
cap. 39. decimas. l. 2. d. 5
17. q. 4. cap. 6. ſicut. l. 2. d. 17
cap. 21. quiſquis. l. 2. d. 9
c. 23. de presbyteror. l. 2. d. 16
c. 24. qui presbyterum. l. 1. d. 15
cap. 26. omnes. l. 1. d. 5
c. 27. qui ſubdiaconum. l. 2. d. 11
cap. 28. qui occiderit. l. 2. d. 11
cap. 29. ſi quis. l. 1. d. 17
cap. 30. nemini. l. 2. d. 13
cap. 37. & 38 ſi quis. l. 2. d. 18
c. 40. in venditionib. l. 2. d. 8
add. 3.
18. q. 2. cap. 10. quidam. l. 1. d. 12
20. q. 1. cap. 1. l. 2. d. 8
cap. 9. ſi qui. l. 2. d. 2
c. q. 2. cap. 2. ſtatuimus. l. 1. d. 15
cap. ultimum. l. 2. d. 9
c. q. 3. cap. 4. praſens. l. 2. d. 17
21. q. 1. cap. 5. relatio. l. 2. d. 8
cap. 6. illud. l. 1. d. 2
c. q. 2. cap. 1. l. 1. d. 8
c. q. 3. cap. 1. & 2. l. 1. d. 13
c. q. 4. cap. 1. & 2. l. 1. d. 9
cap. 3. Epiſcopi. l. 2. d. 1
cap. 4. ſive. l. 2. d. 1
c. q. 5. cap. 2. l. 1. d. 11
cap. 5. ſi quis. l. 1. d. 11
22. q. 1. cap. 10. ſi quis. l. 1. d. 15
cap. 12. habemus. l. 1. d. 13
cap. 16. movet. p. alia. l. 2. d. 16
cap. ult. l. 1. d. 13. l. 2. d. 15
c. q. 4. cap. 2. eſt etiam. l. 2. d. 16
cap. 5. in malis. l. 2. d. 15. & 16
cap. 8. unuſquiſq. l. 2. d. 15
c. 9. incommutabilis. l. 2. d. 15. & 16
cap. ult. p. unde datur, & p. eſt etiam. l. 1. d. 17
c. q. 5. in principio. l. 1. d. 17
cap. 11. humana. l. 2. d. 4
cap. 12. juramenti. l. 1. d. 3
cap. 13. qui. l. 1. d. 3. add. 4
cap. 14. parvuli. l. 1. d. 13
cap. 15. pueri. l. 1. d. 13
c. 16. honeſtum. l. 1. d. 13. & 16
cap 17. decrevit. l. 2. d. 16
cap. 18. de forma. l. 2. d. 9
23. q. 3. cap. 3. noſtri. l. 1. d. 3
cap. 8. qui poteſt. l. 2. d. 15
c. q. 4. c. 29 ſiſtiſe. p. ſed. l. 2. d. 2
cap. 30. Gailiſerias. l. 1. d. 3
c. q. 5. cap. 44 quali. l. 2. d. 2
cap. 46. omnium. l. 2. d. 19
c. q. 8. cap. 9 omni. l. 2. d. 19
cap. 15. ſi nulla. l. 2. d. 19
cap. 19. reprehenſibile. l. 2. d. 16
24. q. 1. in principio. l. 1. d. 18
cap. 1. & 3. Acacius. l. 2. d. 15
c. 4. audivimus. l. 1. d. 4. & 18
cap. 35. ait. l. 2. d. 12
cap. 36. aperte. l. 2. d. 19
cap. 37. miramur. l. 2. d. 19
c. q. 2. c. ult. p. item Rabanus. l. 1. d. 3
c. q. 3. cap. 19. an non. l. 2. d. 14
cap. 23. ſi quis. l. 2. d. 5
25. q. 1. c. 5. violatores. l. 2. d. 14
cap. 24. paternor. l. 2. d. 5
cap. 25. illi, qui. l. 2. d. 19
25. q. 2. cap. 18. ſi quis l. 2. d. 13
cap. 25. ita nos. l. 2. d. 1
26. q. 2. in principio. l. 1. d. 2
c. q. 5. c. 2. & 3. poſt quis. l. 1. d. 10
cap. 12. Epiſcopi. l. 1. d. 14
cap. 13. quicumq. l. 2. d. 20
c. q. 7. cap 3. de his. l. 2. d. 18
cap. 7. pro qualitate. l. 2. d. 9
cap. 8. hoc ſit. l. 2. d. 9
cap. 9. pœnitentem. l. 2. d. 9
cap. 10. affectum. l. 2. d. 9
cap. 11. erga eum. l. 2. d. 9
cap. 14. ſi quis. l. 2. d. 1
27. q. 1. cap. 6. ſi quis. l. 1. d. 8
cap. 8. viduas. l. 1. d. 12
cap. 26. de filia. l. 1. d. 12
cap. 27. devotum. l. 1. d. 12
cap. 31. mulieres. l. 2. d. 2
cap. 34. viduam. l. 2. d. 17
cap. 37. ſciendum. l. 1. d. 15
cap. 38. vidua. l. 1. d. 15
c. q. 2. c. 2. ſufficiat. l. 2. d. 18
cap. 21. ſi quis. l. 2. d. 9
cap. 28. ſi vir, & uxor. l. 2. d. 3
cap. 35. ſcripſiſti. l. 2. d. 13
cap. 46. Ar[illegible]. l. 2. d. 3
28. q. 1. c. 6. non ſolum. l. 1. d. 6
cap. 13. nullus. l. 1. d. 8
30. q. 1. cap. 3. noſſe. l. 2. d. 19
cap. 6. de his. l. 2. d. 19
c. q. 2. cap. unicum. l. 2. d. 18
c. q. 3. cap. 1. ita. l. 2. d. 19
c. q. 4. cap. primum. l. 2. d. 19
c. q. 5. cap. 3. noſtrates. l. 2. d. 18

31. q. 2. cap. 1. & 2. tua 1 & 3. de neptis. l. 1. d. 5
cap. ult. l. 2. d. 18
32. q. 2. cap. ult. l. 1. d. 15
c. q. 5. cap. 22. quidquid. l. 2. d. 18
c. q. 7. c. 18. quod propoſuiſti. l. 1. d. 6
cap. 24. ſi quis, p. illud. l. 1. d. 6
cap. 25. hi, qui. l. 2. d. 18
cap. 26. neque. l. 2. d. 18
add. 11.
33. q. 2. cap. 3. hiſtoria. l. 2. d. 12
cap. 4. ſive. l. 2. d. 12
cap. 5. interfectores. l. 2. d. 18
cap. 6. inter hac. l. 2. d. 12
& 18.
cap. 11. hoc ipſum. l. 1. d. 4
cap. 14. in adoleſcentia. l. 2. d. 18
cap. 15. latorem. l. 2. d. 18
cap. 16. ſi quis. l. 2. d. 18
cap. 17. ſi quis. l. 2. d. 19
c. q. 4. c. 11. nec uxorem. l. 2. d. 18
c. q. 5. c. 2. l. 2. d. 9
34. q. 1. cap. 7. ego dixi. l. 1. d. 6
35. q. 2. cap. 2. & 3. l. 2. d. 4
c. 17. de conſanguinitate. l. 2. d. 19
c. q. 5. cap. 6. primo gradu. l. 1. d. 6
l. 2. d. 10.
c. q. 9. c. 4. Apoſtolica. l. 2. d. 19
cap. 6. ſententiam. l. 2. d. 13
& 19.
36. q. 2. cap. 3. quis. l. 2. d. 4

DE PŒNITENTIA.

Diſt. 1. cap. 6. ſi quis l. 1. d. 4
& 18.
cap. 19. nos facta. l. 1. d. 18
cap. 30. ſi cui, in fine. l. 1. d. 18
cap. 32. facilius p. hoc. l. 2. d. 18
cap. 41. non poteſt. l. 1. d. 3
cap. 67. ſi agamus. l. 1. d. 4
cap. 68. quamobrem, p. rurſus. l. 1. d. 4.
cap. 86. quis aliquando, p. e contra auctorit. & p. ſententia. l. 1. d. 18.
cap. 88. quamvis, p. quib. l. 1. d. 18
cap. ultimum. l. 1. d. 18
Diſt. 2. cap. 1. l. 2. d. 9

DE CONSECRATIONE.

Diſt. 1. cap. 7. eccleſia. l. 2. d. 19
cap. 23. de fabrica. l. 1. d. 14
cap. 30. altaria. l. 1. d. 3
cap. 35. clericos. l. 1. d. 9
cap. 45. conſultu. l. 1. d. 14
cap. 46. Jacobus. l. 1. d. 9
cap. 48. ſacramenta. l. 1. d. 16
cap. 55. porro. l. 2. d. 16
cap. 56. nullus. l. 1. d. 4
l. 2. d. 1.
cap. 57. ut illud. l. 1. d. 13
Diſt. 2. cap. 6. didicimus. l. 1. d. 9
cap. 7. cum omne. l. 1. d. 14
cap. 13. cotidie. l. 1. d. 16
cap. 17. in cœna. l. 1. d. 13. & 16
cap. 19. ſeculares. l. 1. d. 16
cap. 21. omnis. l. 1. d. 16
cap. 22. conforme. l. 1. d. 16
cap. 23. tribus. l. 1. d. 16
cap. 25. timorem. l. 2. d. 9
cap. 30. ſacerdotum. l. 1. d. 13.
l. 2. d. 2.
cap. 42. Ego B. l. 2. d. 13
cap. 51. liquido. l. 1. d. 16
Diſt. 3. c. 1. & 3. rogationes. l. 1. d. 16
cap. 7. non licet. l. 1. d. 11
& 16.
cap. 8. non oportet. l. 1. d. 11
& 16.
cap. 19. crucis. l. 1. d. 6
cap. 21. neſſe. l. 1. d. 6
cap. 29. ſextum. l. 1. d. 2
Diſt. 4. cap. 4. non poteſt. l. 1. d. 1
cap. 10. numquam. l. 1. d. 7
cap. 22. quicumq. l. 1. d. 12
cap. 34. a quodam. l. 1. d. 18
l. 2. d. 17.
cap. 44. ab antiqua. l. 1. d. 4
cap. 57. catechiſmi. l. 2. d. 17
cap. 58. baptizandor. l. 1. d. 15
cap. 59. non liceat. l. 1. d. 15
cap. 80. de trina. l. 1. d. 2
cap. 94. pleriq. l. 1. d. 5.
cap. 104. monachi. l. 2. d. 11
cap. 124. omni tempore. l. 1. d. 11
& 12.
cap. 126. in ſabbato. l. 2. d. 18
cap. 152. placuit. l. 1. d. 2
Diſt. 5. cap. 8. dictum. l. 1. d. 15
cap. 34. in omnib. l. 1. d. 18

INDEX CAPITUM GREGORII NONI, ET LIBRI SEXTI, ET EXTRAVAG.

De adulteriis. cap. 3. l. 1. d. 6
ætate, & qualitate. c. 9. l. 1. d. 8
bigamis, cap. 4. l. 1. d. 8
cler. non reſ. cap. 2. l. 2. d. 1
cler. excomm. cap. 1. & 2. l. 1.
dial. 11. add. 5.
cohabit. cler. cap. 2. l. 2. d. 1
eod. tit. cap. 7. l. 2. d. 16
conſang. & affin. c. 8. l. 1. d. 16
deſponſ. imp. cap. 1. l. 1. d. 5
add. 4. cap. 2. l. 2. d. 18.
fore comp. c. ſi diligenti. l. 1. d. 4
add. 17.
Hæret. cap. 9. & 13. l. 1. d. 18
his, quæ fiunt a Pral. ſine conſenſ. cap. 1. & 8. l. 1. d. 14
Immun. eccleſ. cap. 2. l. 1. d. 2
jurejur. cap. 4. l. 2. d. 1
oblig. ad ratiocinia ordinandis. cap. uni. l. 1. d. 2
De pœniten. cap. 2. l. 1. d. 15
eod. tit. c. 12. l. 1. d. 16. & 18.
pœnis, cap. 2. l. 1. d. 5
poſtul. Pral. cap. 1. l. 2. d. 7
præſcriptionib. c. ult. l. 1. d. 17
privilegiis, cap. 23. l. 2. d. 1
purg. canon. cap. 1. l. 2. d. 15
qui cler. vel vov. c. 6. l. 1. d. 17
regularib. cap. 4. l. 1. d. 12
religioſis dom cap. 3. l. 2. d. 2
renuntiat. cap. 11. l. 2. d. 6
verbor. ſignif. c. 15. in his. l. 1. d. 4
vita, & hon. cler. cap. 1. l. 1. d. 13
add. 1.
electione l. 6. cap. 17. fundament.
l. 1. d. 6. add. 6.
verb. ſignif. extrav. cum inter, & extrav. quia quorumdam. l. 1. d. 12.

INDEX CAPITUM JURIS CÆSAREI.

Cap. 10. quæritur. De ſtatu hominum. l. 1. d. 20
cap. 15. D. qui potio. l. 2. d. 7
cap. 2. p. ſi quis nomine. D. ne quid in loco pub. l. 2. d. 7
Conſt. 5. C. de Ep. & cler. l. 1. d. 4
Conſt. litib. C. de agri & cenſ. l. 1. d. 1.
l. 2. dial. 7. add. 1.

FINIS.

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *Fra Tommaſo Maſcheroni* Inquiſitor Generale del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato *De vetuſtis Canonum Collectionibus Diſſertationum Syloge, &c. Auctore Andrea Gallandio Presbytero Congr. Orat.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e Buoni Coſtumi, concediamo Licenza a *Niccolò Bettinelli* Stampator *di Venezia* che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 15. Novembre 1776.

(Alviſe Vallaresso Riformator.

(Andrea Tron Kav. Procurator Rifor.

(Girolamo Ascanio Giustinian Kav. Proc. Rifor.

Regiſtrato in Libro a Carte 332. al Num. 854.

Davidde Marcheſini Seg.

35 56551

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google